14

B

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
25 G
9 M

N. 13.



Digitized by Google

VII.16.19.

Digitized by Google

# MARTYROLOGIVM ROMANVM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Rychardi Angel. C.R.C. [illegible]

Digitized by Google


ECCLESIA
RELIGIO
GLORIA HÆC
EST OMNIBVS
SANCTIS EIVS.
SOLA CORONAT.
ESSE MARTYR
NON POTEST
QVI IN ECCLESIA
NON EST.
NEC LILIA NEC
ROSÆ DESVNT
QVIBVS
CHRISTI MILITES
CORONENTVR

# MARTYROLOGIVM ROMANVM

ad nouam Kalendarij rationem & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ veritatem reſtitutum,

GREGORII XIII. PONT. MAX. IVSSV EDITVM,

CÆSARIS BARONII SORANI ex Congregatione Oratorij S. R. E. Presb. Cardinalis Tit. SS. Nerei & Achillei, & S. Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarij NOTATIONIBVS illuſtratum.

*Nouiſſima & correctiſſima huic editioni ſeorſim accedit* VETVS ROMANVM MARTYROLOGIVM, *hactenus à Cardinale* BARONIO *deſideratum, vnà cum* MARTYROLOGIO ADONIS, *ad* MSS. *exemplaria recenſito, opera & ſtudio* HERIBERTI ROSWEYDI *è Soc.* IESV.




BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ANTVERPIAE,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Viduam & Filios Ioannis Moreti.
M. DC. XIII.

# GREGORIVS PAPA XIII.

## Ad perpetuam rei memoriam.

MENDATO *iam Kalendario, curauimus (quod anteà quoque decreueramus) Romanum Martyrologium nonnullis in locis librariorum typographorumq́ue negligentia mendoſum, per viros eruditos ad fidem hiſtoriæ, quæ rerum geſtarum, perſonarum, locorum, temporum veritate continetur, adhibitis etiam codicibus vetuſtioribus atque emendatioribus, corrigi, correctumq́ue & multis in locis auctum, propoſita etiam atque explicata Epactarum, Lunæque ſingulis diebus numerandæ ratione, edi, vetuſtiſſimoque Eccleſiæ more in Choro legendum proponi, ad Dei gloriam, ad Sanctorum ipſorum, quorum memoria celebratur, laudem; ad eorum qui legunt, quiq́ue audiunt, fructum. Habet enim Sanctorum innocentiæ, charitatis, fortitudinis, ceterarumq́ue virtutum commemoratio ſtimulos quoſdam acerrimos, quibus tum maximè incitamur, cùm illorum propoſitis exemplis, noſtram deſidiam agnoſcimus; quamq́ue procul ab illorum laude & perfectione abſumus, cogitamus. Mandamus igitur omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, ceteriſque Eccleſiis, Monaſteriis, Conuentibus, Ordinibus, ſiue ſæcularibus ſiue regularibus quibuſcumque Præfectis, vt in peragendo diuino in Choro Officio, omni alio Martyrologio amoto, hoc tantùm noſtro vtantur, nulla re addita, mutata, adempta. Si quos alios habuerint Sanctos in ſuis Eccleſiis aut locis celebrari ſolitos, eos in hunc librum ne inferant, ſed ſeparatim deſcriptos habeant, eumq́ue illis locum atque ordinem tribuant, qui regulis hîc deſcriptis traditur. Eadem etiam ijs qui in Horis Eccleſiaſticis priuatim Martyrologio vti voluerint (quod quidem magnopere cuperemus vt omnes facere vellent) mandamus; omnibuſque aliorum Martyrologiorum omnium publicè priuatimq́ue in Eccleſiaſticis Horis vſu interdicimus. Typographis etiam prohibemus, ne in poſterum hoc noſtrum vlla in re minutum, auctum, mutatum edere audeant. Si quis aliter quàm hoc noſtro decreto comprehenſum eſt, fecerit; nouerit ſe in Dei omnipotentis, beatorumq́ue Apoſtolorum Petri & Pauli indignationem incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* XIV. *Ianuarij* M. D. LXXXIV. *Pontificatus noſtri anno duodecimo.*

Ant. Buccapadulius.

SAN-

# SANCTISSIMO
## ET BEATISSIMO
## PATRI ET D. N.
# SIXTO QVINTO
## PONT. MAX.

*CAESAR BARONIVS SORANVS*
*Congregationis Oratorij Presbyter S.*

CONFECI, Pater Beatiſſime, non mediocri ſanè labore ac diligentia, in Martyrologium Romanum, annis proximis reſtitutum, Notationes ad omnem Eccleſiaſticæ antiquitatis hiſtoriam illuſtrandam accommodatas; quibus multiplices difficultates, multiſque interdum obſcuritatibus inuolutas, explicare, pro mea ingenij mediocritate ſum conatus. Id mihi, vt facerem, mandauerat vir ſingulari pietate, ſumma eruditione, piæ recordationis Gulielmus Sirletus Cardinalis & Bibliothecarius Apoſtolicus; qui Martyrologio iam Romæ edito, cùm à pleriſque viris bonis & ſtudioſis, multarum quæſtionum, vt fit, explicationem requiri, vberioremq; rerum notitiam deſiderari animaduerteret; eorum ſiue dubitationibus, ſiue deſiderio ſatiſfieri, ſiue commodo atque vtilitati conſuli, hac potiſſimùm ratione cupiebat. Illius ergo ampliſſimi Cardinalis auctoritate permotus, plus fortaſſe oneris ſuſcepi, quàm ferre poſſem; ſuſcepi tamen, diuinæ gratiæ præſidio fretus. Tametſi ad hanc ſcriptionem non omnino imparatus acceſſerim; qui multos iam annos in tota Eccleſiaſtica hiſtoria tractanda, & accurata in primis temporum diſtinctione diſponenda, ita verſor, vt non ſolùm peruul-

gatis hiſtoricis legendis, ſed ſanctorum Patrum ſcriptis & monimentis peruoluendis & perſcrutandis, ijs præſertim, quæ in optimis codicibus refertiſſima, & toto terrarum orbe nobiliſſima Sanctitatis V. Vaticana Bibliotheca recondita ſunt, magnam ætatis partem contriuerim. cuius rei (vt ſpero) teſtes aliquando erunt Annales noſtri Eccleſiaſtici, quos ad Dei gloriam, pro ea exigua talenti portione, quæ mihi à Domino credita eſt, Sanctitatis veſtræ auſpicijs, & patrocinio optimi & doctiſſimi Cardinalis Antonij Carafæ Bibliothecarij Apoſtolici, diligentiùs pertexere & perpolire non deſiſtimus. Verè enim hoc mihi dicere liceat, Pater Sancte: ſemper quidem Sanctitas veſtra, cùm Cardinalem gereret, & mihi ad hæc currenti adderet calcaria, ſtudioſis hominibus ſuffragata eſt; nunc autem maximè illorum induſtriam excitat ſua iſta Pontificia ſolicitudine & animi magnitudine, cuius proprium eſt, magna & præclara ſemper agere; alijs item boni aliquid ad communem vtilitatem molientibus benignè admodum fauere. Intereà verò, Pater Beatiſſime, noſtras haſce in Martyrologium Romanum Notationes, atque hoc quidquid eſt diligentiæ & lucubrationis, tuis ſanctiſſimis pedibus offero atque ſubijcio; non quòd Sanctitati veſtræ tantum à grauiſſimis publicis curis otij ſupereſſe putem, vt hæc poſſit legere; ſed vt ſua paterna & ſalutari benedictione communitæ, ſuoque beatiſſimo nomine ornatæ Notationes noſtræ vtiliores & commendatiores ad eorum manus perueniant, qui otio abundantes, eiuſmodi rerum cognitione, religioſis hominibus planè digna, delectantur. Hanc igitur benedictionem, Pater Sanctiſſime, omni animi demiſſione poſtulo; & Sanctitati veſtræ pro Eccleſiæ Catholicæ pace & amplificatione dies noctéſque laboranti, vnà cum fratribus meis Congregationis Oratorij, ſeruis veſtris, à ſummo Deo diuturnam vitam, & fauſta omnia ac felicia precor.

PIO

# PIO AC VERITATIS STVDIOSISSIMO LECTORI

## *CÆSAR BARONIVS S.*

QVID præſtiterim in his meis ad Romanum reſtitutum Martyrologium Notationibus, tuum erit, amice & erudite Lector, iudicium. Elaboraui certè, ne multa de hoc genere deſiderares: nam alia Martyrologia Latinorum, & Græcorum Menologium, cum hoc Romano accuratè contuli; res geſtas & actiones Sanctorum ex omni antiquitatis memoria collegi; ac pro inſtitutæ ſcriptionis ratione, ita quidẽ breuiter attigi, vt fontes vnde vberiùs hauriri poſſint, indicarem. Qui ſcriptores, quæve narrationes probatiores & fideliores ſint, admonui; certa ab incertis diſtinxi; difficultates, dubitationes & controuerſias complures, ſiue quæ iam à nonnullis afferebantur, ſiue quæ oriri poſſent, explicare, diſſoluere, ſedare ſtudui; ac certis argumentis oſtendere, nihil temerè, nihil parum conſideratè actum. Tum etiam plurimarum dictionum ſanè obſcuram notionem & vim declaraui, earum præſertim, quæ ea inſtrumenta & machinas deſignant, quibus teterrimi fidei oppugnatores fortiſſimos Martyres miris modis cruciarunt, diuexaruntque. in quorum inſtrumentorum, aliarumque nonnullarum rerum explicatione aliqui interdum à veritate fortaſſe aberrarunt: homines enim ſumus omnes: nec nobis ipſis tantum tribuimus, vt nuſquam putemus offendiſſe; ſed quæ diuturno ſtudio & labore nobis comparauimus, nunc, quando ita iis viſum eſt, quibus non obtemperare nefas erat, in medio proponimus ad Dei gloriam & communem vtilitatem, doctorumque iudicio examinanda peruulgamus. Præfiximus operi, ne quid in hoc genere haberes quod vlteriùs cuperes, de Romano Martyrologio ſcriptionem. Hæc tu, beneuole Lector, boni conſule, dumque ſacra Martyrologij lectione te crebrò oblectas, & Sanctorum, in quibus admirabilis eſt Deus, gloriam & triumphos miraris, eorum quoque virtutem & pietatem imitari, diuina adiutrice gratia, ne pigeat.

CAN-

Digitized by Google

# CANDIDO LECTORI CHRISTIANO ANTIQVITATIS ECCLESIASTICÆ STVDIOSO S.

COMMENTARII *venerabilis Chriſti ſacerdotis D. Cæſaris Sorani in Martyrologium Romanum à nobis locis omnibus, ex iuſſione Sanctiſsimi Domini noſtri Sixti Papæ Quinti, recogniti, nobis quidem nihil obiecerunt, quod iuſtam cenſuram mereri æquis Lectoribus videatur, quod ad orthodoxam quidem fidem, doctrinamque Catholicam pertinet. Si quæ paradoxa quibuſdam fortè videbuntur, illa equidem eo eſſe loco habenda arbitror, vt auidiùs expetantur, & cum ſolida firmaque veritate conſiſtant, libentiùs accipiantur: quod in ijs inſunt, vt & in alijs huius auctoris lucubrationibus, erudita in primis, præclara, & incredibili Chriſtianæ antiquitatis ſtudio in lucem eruta; quæ admirandam ſcriptoris arguunt in Eccleſiaſticis hiſtoricis aut corrigendis, aut conciliandis, aut de caligine, morſuq; blattarum eruendis induſtriam, ſicuti & rarum eiuſdem, idque argutum variis de hiſtoricis æquo minùs exactis, aut fide dignis iudicium, & elaboratiſſimum antiquitatis Eccleſiaſticæ inter tot ſalebroſa & ſpinoſa veluti dumeta inueſtigandæ ſtudium. Ad cognoſcendam enim venerandam illam Religionis Chriſtianæ non modò antiquitatem, ſed ſanctorum etiam Patrum & Synodorum, actarumque in Chriſti Eccleſia ab vſque ſui exordio rerum veritatem, certam annorum ſeriem, liquidamque temporũ intricatiſſimorum ſupputationem faciant eximiè, potiſsimùm iis qui ſerio hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ex vero cognoſcendæ ſtudio tenentur, vanas, apocryphas, & aniles, ne dicam ſuperſtitioſas execrati fabellas; quæ longum poſt ſomnum, ſcriptis, immò doctis alioqui ſcriptoribus ſenſim irrepentes Eccleſiaſticis, non leuiter ſacras contaminauerunt SS. Martyrum hiſtorias. Denique vt finem faciam, incomparabile tibi adferant momentum ad ſolidam rerum in Eccleſia dubiarum in poſterũ conſtituendarum confirmationem aduerſus vertiginoſa, ne dicam ſemidelira, quorumdam huius ſæculi ardelionum, leuiſsimorumque nouatorum (quorum hodie, proh dolor, magna eſt natio) ingenia; qui ſurſum deorſum omnia voluentes, illas iam pridem à SS. noſtræ Religionis Catholicæ Patribus definitas conantur in dubium reuocare Manifeſtam enim in his agnoſcas Romani Pontificis in Apoſtolica S. Petri Chriſti Ieſu Vicarij Paſtoris cathedra ſucceſſionem, quod nunc tempeſtatis contra vnam Dei ſupra Petrum fundatam Eccleſiam infeſtiſsimæ, tot inter fidei vndique oppugnatiſsimæ controuerſias caput eſt: quo vno euicto & conſtabilito, faceſſat, concidat facilè, immò ſuos in fumos vaniſſimos euaneſcat oportet omnis infeſtiſſimorum Chriſti hoſtium, & cæleſtem illam Sion odientium inanis molitio, vereq; Theomachica coniuratio, & futiliſſima exagitatio; vt ad illuſtrem ſolis ſplendorem nebuloſa diffluit caligo. Vale, Chriſtiane Lector, & his commentariis felix fruere, breui Annalibus Eccleſiaſticis eiuſdem Scriptoris, maiori ſtudiorum tuorum emolumento, & fructu incomparabili, perfruiturus. Romæ* XIV. *Kal. Septemb. Anno* M. D. LXXXV.

Tuis piis ſtudiis adiuuandis atque ad Dei gloriam promouendis in Chriſto Ieſu dedititiſſimus ex animo

*Vuilhelm. Damaſi Lindanus, Epiſcopus Ruremundenſis.*

DE

# DE MARTYROLOGIO ROMANO.

## Præcapitulatio dicendorum.

*De exacta diligentia adhibita à S. Romana Eccleſia in conſcribendis rebus geſtis ſanctorum Martyrum.* CAP. I.
*Quæ de Sanctorum hiſtorijs ab hæreticis vel alijs falſa ſcripta ſunt.* CAP. II.
*De immenſa iactura, quam paſſa ſunt Acta ſanctorum Martyrum.* CAP. III.
*De antiquo cultu ſanctorum Martyrum, vnde Martyrologium ſcribendi occaſio manauit.* CAP. IV.
*A quibus primùm ſcripta ſunt Martyrologia.* CAP. V.
*De Euſebij libro de Martyribus, & verſione Hieronymi.* CAP. VI.
*De fide epiſtolarum, quæ Chromatij, Heliodori, & Hieronymi nomine inſcriptæ ſunt.* CAP. VII.
*De antiquo Martyrologio Romano ſæpiùs aucto.* CAP. VIII.
*De ceteris antiquis Martyrologijs.* CAP. IX.
*De falſis martyribus & pſeudomartyrologijs hæreticorum.* CAP. X.

### CAPVT I.

*De exacta diligentia adhibita à* S. ROMANA ECCLESIA *in conſcribendis rebus geſtis ſanctorum Martyrum.*

NIHIL antiquius apud S. R. Eccleſiæ Præſules fuiſſe videtur, quàm vt Chriſtianorum acta fortia, ipſæ ſanctorum Martyrum res præclariſſimè geſtæ, perpetuæ memoriæ monimentis conſignarentur. Cui rei egregiam nauatam operam primùm fuiſſe à S. Clemenre Romano Pontifice, teſtatum habetur in libro de Rom. Pontific. qui à quibuſdam recentioribus citari conſueuit nomine Damaſi, vbi hæc in Clemente leguntur: Hic fecit ſeptem regiones diuidi Notarijs fidelibus Eccleſiæ, qui geſta Martyrum ſolicitè & curioſè, vnuſquiſque per regionem ſuam, perquirerent. Hæc ibi. Licet verò teſtimonio antiquorum ſcriptorum, Taciti, Plinij, Sex. Rufi, Publij Victoris, & aliorum, exploratiſſimum ſit, Romanam vrbem illis temporibus in regiones quatuordecim fuiſſe diuiſam: tamen olim à Romanis Pontificibus in ſeptem tantùm regiones fuiſſe partitam, ſecundùm numerum ſeptem Diaconorum, qui Regionarij dicebantur, docent vetera Romanæ Eccleſiæ monumenta. Perſeueraſſe diutiùs, vt in Romana Eccleſia nonniſi ſeptem Diaconi ordinarentur, auctor eſt Sozom. hiſt. lib. 7. c. 19. His ergo ſeptem cùm diuiſæ dicantur à Fabiano Papa regiones Vrbis; quatuordecim illas in ſeptem fuiſſe conflatas, fatendum neceſſariò videtur. Portò ſicut ſeptem erant Diaconi, ſic & totidem Subdiaconi, & his par numerus Notariorum, qui ijſdem Subdiaconis & Diaconis ſubiecti erant. vnde in eodem lib. de Rom. Pont. hæc leguntur in Fabiano: Hic regiones diuiſit Diaconibus, & fecit ſeptem Subdiacones, qui ſeptem Notarijs imminerent, qui geſta Martyrum in integrum colligerent. Habetur de his recentius exemplum ex Paulino S. Ambroſij Notario, qui & vitam eius conſcripſit, in qua ait, ſe fuiſſe ſub cura Caſti Diaconi, ad quem cuncta referret. Ex his perpende, quàm diligens ſtudium olim adhibitum fuerit, vt Acta ſanctorum Martyrum purè ac ſincerè conſcriberentur; cùm non modò Notarij in id opus gnauiter incumberent, ſed & qui præerant Notarijs Subdiaconi, ac Diaconi, ijdemq; iure dicti oculi Epiſcopi; quorum eſſet munus, cuncta exactè perue-

Digitized by Google

perueſtigare, ac Pontifici nota facere; qui à Notariis ſcripta, qualia ea demum eſſent, probaret, atque inter Eccleſiaſtica monumenta reconderet. Id eſt enim quod de Antero Papa ſcriptum habes in hunc modum: Hic geſta Martyrum diligenter à Notariis exquiſiuit, & in eccleſia recondidit. Hæc ille. Ad hæc, non tantùm Acta Martyrum ſcribere, ſed & cetera quæ ad Eccleſiam pertinerent, eorum muneris fuiſſe, expreſſum eſt in eodem libro de Rom. Pontific. in Iulio. Atqui non ſolùm Romana Eccleſia in perquirendis atque ſcribendis ſanctorum Martyrum Actis ſedulam curam impendit, ſed & aliæ nobiles eccleſiæ in iiſdem haud ſegniter laboraſſe noſcuntur. Extant de his clariſſima antiquitatis monumenta, vt Smyrnenſis eccleſiæ epiſtola de Martyribus illic paſſis ſub Marco Aurelio & Lucio Vero Impp. apud Euſebium hiſt. lib. 4. cap. 14. Viennenſis & Lugdunenſis eccleſiarum litteræ ab eodem Euſebio ex parte recitatæ lib. 5. cap. 2. & 3. Dionyſij Alexandrinæ eccleſiæ Epiſcopi complures epiſtolæ ad diuerſos conſcriptæ, apud eumdem Euſeb. lib. 6. cap. 33. & 34. lib. 7. cap. 10. Scimus in eccleſia Carthaginenſi S. Cyprianum fuiſſe ſolicitum, vt dies quibus Martyres eſſent martyrio coronati, exactè adnotarentur, prout conſtat ex eius epiſtola, quam dedit ad preſbyteros & diaconos eccleſiæ Carthaginenſis: ponitur ordine 37. edit. Pamel. Quin & longè ante Cypriani tempora à maioribus eidem rei egregiam conſtat nauatam eſſe operam. Audi quid de antiquioribus Pontius diaconus ſcribat: Maiores noſtri, inquit, plebeis & catechumenis martyrium conſecutis, tantum honoris pro martyrij ipſius veneratione dederunt, vt de paſſionibus eorum multa, aut (propè dixerim) pænè cuncta conſcripſerint; vt ad noſtram quoque notitiam, qui nondum nati fuimus, peruenirent. Hæc in Cypriano Pontius eius diaconus. Erant & illa Acta Martyrum pura atque ſincera, quæ cum de illis coram Iudicibus quæſtio haberetur, à Notariis publicis exceptoribus excepta, in Acta publica, quæ Proconſularia ſæpè dicta inuenimus, inferebantur, atque inter alia publica monumenta aſſeruabantur: horum extant adhuc nonnulla, eorumque in Notationibus mentionem facimus. Citat aliquando eadem Pontius diaconus in Cypriano, dum ait: Et quid Sacerdos Dei, Proconſule interrogante, reſponderit, taceam: ſunt Acta quæ referant. Hæc ille.

## CAPVT II.

### *Quæ de Sanctorum hiſtoriis ab hæreticis vel aliis falſa ſcripta ſunt.*

SED quid? Quamuis optimi patresfamilias (vt habet parabola Euangelica) bonum ſemen ſeminaſſent in agro: nihilominùs inimicus homo, qui fuit homicida ab initio, veritatis aduerſarius ipſe ſatan ſuperſeminauit zizania: ipſoque pænè initio exurgentis Eccleſiæ, falſa veris, inania atque incerta certis ac ſolida firmitate conſtantibus admiſcenda curauit: idque non tantùm per hæreticos, Catholicæ fidei perduelles, ſed & per Catholicos ipſos, eos tamen, qui quæſtum pietatem putarent, vel qui zelum quidem haberent, ſed non ſecundùm ſcientiam. Satis modò ſit de his vnum tantùm in exemplum adducere Aſianum preſbyterum, de quo Tertullianus hæc ſcribit in libro de Baptiſmo: Si quæ Pauli perperàm ſcripta legũt, exemplum Theclæ ad licentiam mulierum docendi tingendiq; defendunt: ſciant in Aſia preſbyterum, qui eam ſcripturam conſtruxit, quaſi titulo Pauli de ſuo cumulans, conuictum atque confeſſum id ſe amore Pauli feciſſe, loco excidiſſe. Hęc Tertul. Inſcriptus erat liber ille περίοδος Pauli & Theclæ, continens & baptizati Leonis fabulam, vt teſtatur S. Hieronymus de Scriptoribus Eccleſ. in Luca. Eiuſdem generis illa erant inſomnia, nimirum Circuitus Petri, Circuitus Ioannis, Circuitus Thomæ, Actus Andreæ, Actus Ioannis, Actus Philippi, Actus Petri, Actus Pauli, Itinerarium Clementis; quæ omnia damnant Athanaſius in Synopſi, Philaſter de hæreſibus, & Gelaſius in Concil. Rom. Hæc enim & alia huiuſcemodi ab hæreticis eſſe excogitata, certiſſimum eſt. Ab Ebione in primis hæc factitata, ab eoque falſa Acta Apoſtolorum inuenta, & Circuitus Petri eſſe corruptos, & Pauli Acta referta blaſphemiis introducta, tradit Epiphan. in Panar. hæreſi 30. A Gnoſticis de S. Dei genitrice Maria portentoſum librum eſſe cõſcriptum, teſtatur idem Epiphan. in Panar. hęreſi 26. Encratitas in medium adduxiſſe, ad ſtabiliendam ſuam ipſorum hæreſim, Actus Andreæ, Ioannis, & Thomæ, & alia huiuſcemodi, idem auctor narrat hęreſ. 47. Manichæos id generis commenta excogitaſſe, Apoſtolorumque nomine conſcripſiſſe falſas hiſtorias, fidem facit Auguſtinus lib. de fide contra Manichæos, aliiſque in locis; idemque Philaſter, Cyrillus Ieroſolymitanus, & alij. Priſcillianiſtas & ipſos alios adinueniſſe Actus Apoſtolorum, Oroſius affirmat in Epiſt. ad Auguſtinum de error. Priſcil.

Exem-

Exempla alia complura hîc omittimus. Sanè quidem qui talia præſumpſerunt de ſanctis Apoſtolis,nequaquam putandum erga ſanctorum Martyrum Acta fuiſſe modeſtiores:quę ſic corruperunt,deprauaruntque,vt eorumdem quamplurima in ſuſpicionem adduxerint; adeò vt S.R.Eccleſia,ab illis abſtinere, conſultius aliquando eſſe putarit. Vnde Gelaſius in Rom.Concilio: Geſta,inquit, ſanctorum Martyrum, ſecundùm antiquam conſuetudinem, ſingulari cautela in S.R.Eccleſia non leguntur:quia eorum, qui conſcripſere, nomina penitus ignorantur,& ab infidelibus, aut idiotis ſuperflua,& minùs apta quàm rei ordo fuerit, ſcripta eſſe putantur; ſicut cuiuſdam Quirici & Iulittæ, ſicut Georgij, aliorumque huiuſmodi paſſiones, quæ ab hæreticis perhibentur compoſitæ: propter quod (vt dictum eſt) ne vel leuis ſubſannandi oriretur occaſio, in S. Romana Eccleſia non leguntur. Hæc Gelaſius de Romanæ Eccleſię in recipiendis ac promulgandis Actis Martyrum diſciplina. Ceterùm non tantum cautelæ adhibitũ in alijs fuiſſe videtur eccleſijs : quandoquidem in eccleſia Africana in ſacris conuentibus poſſe legi Acta Martyrum, decretũ eſt in Concilio Carthaginenſi celebrato poſt Conſulatum Stiliconis, anno Domini quadringenteſimo primo, vt habet eius canon 13.his verbis: Liceat etiam legi paſſiones Martyrum,cùm anniuerſarij dies eorum celebrantur.Hæc canon. Apud Hadrianum Rom. Pont. in epiſtola ad Carolum Magnum hæc in eamdem ſententiam leguntur: Vitæ enim Patrum ſine probabilibus auctoribus minimè in eccleſia leguntur: nam ab Orthodoxis titulatæ, ſuſcipiuntur & leguntur.magis autem paſſiones ſanctorum Martyrum ſancti canones cenſuerunt vt liceat eas etiam in eccleſia legi, cùm anniuerſarij dies eorum celebrantur. Hæc ibi. In eccleſia Gallicana eamdem viguiſſe de legendis Actis ſanctorum Martyrum in eccleſia conſuetudinem, ſatis ſignificant ea quæ Gregorius Turonenſis lib.de gloria Mart. cap. 86. teſtatur his verbis: Dies paſſionis erat Polycarpi martyris magni, & in Ricomagenſi vico ciuitatis Aruernæ eius ſolemnia celebrabantur. Lecta igitur paſſione cum reliquis lectionibus,quas canon ſacerdotalis inuexit,&c.Sed vt de Actis Martyrum per hęreticos deprauatis cœptam ſequamur narrationem,eſt de his canon 63.ſextę Synodi his verbis cõſcriptus: Quæ a veritatis hoſtibus falsò conficta ſunt Martyrum hiſtoriæ,vt Dei Martyres ignominia afficerent, & qui eas audituri eſſent, ad infidelitatem deducerent; in eccleſia non publicari, iubemus,ſed eas igni tradi: qui autem eas admittunt, vel tamquam veris his mentem adhibent, anathematizamus. Hæc S. Synodus; cuius auctoritate Græci Epiſcopi exactiorem curam adhibere conſueuerunt, vt dum ſuas eccleſias viſitarent,de ſanctorũ Martyrum Actis conſcriptis ſubtiliùs inquirerent.vnde Theodorus Balſ. eo in loco hæc de Nicolao Muzalo Patriarcha teſtatur: Cùm ille, inquit, vitam S.Paraſceues, quæ in quodam Callicratiæ vico colebatur, à quodam vicano ineptè ac indoctè & ſancta angelica viuendi ratione indignè compoſitam inueniſſet, eam igni mandari iuſſit; & diacono illi Baſilico mandauit, Deo gratam & acceptam eius vitam conſcribere. Hæc ille.

## CAPVT III.

### *De immenſa iactura quam paſſa ſunt Acta ſanctorum Martyrum.*

SED vt de rebus quæ ad Romanam Eccleſiam ſpectant, de cuius agimus Martyrologio, cœptum proſequamur inſtitutum : ex his quæ nuper ex Gelaſio recitauimus, ſatis declarari videtur, Acta illa ſanctorum Martyrum tanta cura ac diligentia perquiſita, per Notarios S. R. Eccleſiæ conſcripta, per Subdiaconos & Diaconos cognita, ac demum per ipſos Romanos Pontifices probata atque recondita,eſſe collapſa,deperdita, vel ſaltem adulterata. Nam ſi integra remanſiſſent, qua ratione (quod ait Gelaſius) ſecundùm conſuetudinem in Romana Eccleſia non legebantur ; cùm præſertim,à quibus eſſent ſcripta, probata, ac conſignata, & vnde accepta, ſic exploratum eſſet, vt nullus penitus de eorum integritate dubitandi ſcrupulus ſupereſſet? Fuiſſe namque deprauatas, quæ à maioribus commendatæ eſſent, res geſtas ſanctorum Martyrum, Arnobius lib. 1. aduerſus Gentes declarat his verbis: Sed neque hæc omnia conſcribi, aut in aures omnium peruenire potuerunt, geſta gentibus in ignotis, & vſum neſcientibus litterarum : aut ſi qua ſunt litteris conſcriptionibuſque mandata, maleuolentia dæmonum, quorum cura & ſtudium eſt hanc intercipere veritatem, & conſimilium his hominum, interpolata quædam & addita, partim mutata atque detracta, verbis, ſyllabis, litteris, vt credentium tardarent fidem, & geſtorum corrumperent auctoritatem. Hæc Arnobius. At nequaquam adduci poſſumus, vt credamus eadem Acta vel omnino eſſe ſublata, vel ab hæreticis penitus adulterata.

Romæ

Romæ ſiquidem Catholici ſemper vixere Pontifices, nec alterius ſectæ illic aliquando ſedit Epiſcopus. Quòd ſi vel ſub Conſtantio Auguſto Ariano, vel ſub Odoacre Herulo, Theodorico, aliiſque Gothorum Regibus itidem Arianis, Romanę Eccleſiæ negotium factum eſt: non tamen fuit huiuſmodi, vt illi Sanctorum memoriis vim inferrent (de Sanctis enim eorumque cultu æquè cum Catholicis ſentiebant) adeò vt nec cùm Vrbs obſideretur, his, quæ foris extra mœnia erant, baſilicis irrogarent iniuriam, nec Vrbe capta, in eas, quæ intus erant, more barbarorum ſæuirent, profanarent, vel ad ſua ſacra peragenda ſibi vendicarent: ſed tamquam ſacra ſepta, atque aſyla diuinitus inſtituta, ab illis fuerint exiſtimata; adeò vt & iis etiam (licet hoſtes haberentur) qui ad ea confugiſſent, pepercerint. Sunt de his fideles teſtes ſcriptores illorum temporum, Oroſius lib. 7. Auguſtinus de ciuitate Dei, & Procopius de bello Gothico. Vnam illam, quam ſub Gothis Regibus Ariani ſibi vendicarunt eccleſiolam, dictam S. Agathæ in Suburra, vix credi poteſt quàm ſumptuosè ac piè, licet impij, ornauerint liberalitate Gothi hominis Ricimeri V. C. vt ſuo loco pluribus in Notationibus dicemus inferiùs. Omnis ergo ſuſpicio de Arianorum perfidia tollitur, vt ab eis vis aliqua in Acta Martyrum ſit illata. Ad alios potiùs tanta eſt referenda clades: quam quidem non aliunde manaſſe credimus, quàm ex iniuſtiſſimis illis atque ſæuiſſimis Diocletiani Imperatoris edictis, quibus omnes Chriſtianæ religionis codices incendio damnati ſunt. Meminit eiuſmodi feralis ſanctionis Euſebius hiſt. lib. 8. cap. 2. & 3. Quando (inquit) diuinas & ſanctas ſcripturas medio foro in rogum impoſitas oculis noſtris aſpeximus. De eodem edicto plura habet Arnobius, Optatus, & S. Auguſtinus, quoties agit de ſchiſmate Donatiſtarum, occaſione traditionis ſacrorum librorum conflato: noſq. de eodem pluribus inferiùs in Notationibus agimus. Tunc temporis in tanto Chriſtianarum ſcripturarum naufragio factam eſſe lacrymabilem illam Actorum Martyrum iacturam, nulla eſt penes nos dubitatio; tuncq. ſublata illa nobiliſſima rerum geſtarum monimenta, tanto labore collecta, tot cognitoribus comprobata, ac tanto deniq; ſtudio cuſtodita: vixque ex tam immenſo naufragio perpaucas tabulas remanſiſſe putamus: tabulas, inquam; quoniam haud integra atque perfecta & omnibus numeris abſoluta illa eſſe putamus, quæ titulo Notariorum Romanæ Eccleſiæ Acta Martyrum à quibuſdam edita habentur: cùm ſi vel ad exactam cenſuram rerum ac temporum eas adducas, vix perpauca repetias, quæ aliqua ſaltem ex parte non arguantur erroris; vt perinde ſit aliqua ex his reperiri, quæ emendatione non indigeant, vt poſt vindemiam eſſe ſolet racemus vnus vel alter, & ſicut (quod eſt apud Iſaiam c. 7.) excuſſio oleæ duarum vel trium oliuarum in ſummitate rami, ſiue quatuor vel quinque in cacuminibus eius. Periſſe ea funditus, numquam dixerimus, ſed diminuta. Vnde Gregorius Turon. de glor. Mart. cap. 40. hæc ait: Multi quidem ſunt Martyres apud vrbem Romam, quorum hiſtoriæ paſſionum nobis integræ non ſunt delatæ. Hæc ille: qui & inferiùs cap. 51. & 64. teſtatur iterùm, Acta Gallicanorum Martyrum in Italia à Gallis quæſita, & inuenta, miſſa eſſe in Gallias: vt ex his poſſis intelligere, magnum olim à noſtris adhibitum eſſe ſtudium in colligendis Actis ſanctorum Martyrum, & qui collegerunt aliarum prouinciarum Martyrum commentarios, ſuorum Acta minimè prætériiſſe. Obiiciet fortaſſe prudens Lector: Quidnam cauſæ fuit, vt cùm edicto Diocletiani Chriſtianorum libri damnati ſunt igni; ſacræ Scripturæ codices, vtriuſque Teſtamenti volumina remanſerint illibata: ea etenim integra atque ſincera, vt Patres noſtri olim ante Diocletiani tempora, poſſidemus. Ad hæc perfacilis eſt reſponſio, ſi vtriuſque Scripturæ diuerſa ratio attendatur. Sacra enim volumina non tantùm penes vnam vel alteram erant eccleſiam, ſed præter quamplurima illa, quæ priuato vſui Epiſcoporum, presbyterorum, ceterorumque miniſtrorum, vel aliorum ex populo inſeruiebât, apud cunctas Orbis eccleſias ob neceſſitatem ſacrarũ functionum cuſtodiri ſolita, certum eſt. Eſſe enim conſueuerant in eccleſia duo ſecretaria, à dextro ſiniſtroq. latere apſidis poſita, in quorum altero ſacra Euchariſtia, in altero diuinæ Scripturę ſacri codices aſſeruabantur. De vtriſque ſanctus Paulinus epiſt. 12. ad Seuerum, cùm de Nolana à ſe erecta baſilica agit, meminit his verſibus in frontibus eorum affixis: aitque in primis: In ſecretariis verò duobus, quæ ſuprà dixi, circa apſidem eſſe, hi verſus indicant officia ſingulorum. A dextera apſidis:

*Hic locus eſt veneranda penus qua conditur, & qua*
*Ponitur alma ſacri pompa miniſterij.*

A ſiniſtra eiuſdem:

*Si quem ſancta tenet meditanda in lege voluntas,*
*Hîc poterit reſidens ſacris intendere libris.*

Hæc de ſecretario ſacrorum librorum Paulinus; quorum voluminum ſicut erat frequentior vſus, ita abſque dubio numerus multiplicior; atque ob id non mirum, ſi non omnes

ſimul

ſimul diuinæ Scripturæ codices periere. Non ſic quidem de ceteris libris, licet Eccleſiaſticis, licet perneceſſariis: nam immenſam raritatem illotum fuiſſe conſtat. Exemplo ſit vulgatus ille per orbem liber Euſebij Cæſarienſis de temporibus, vnicus eo argumento conſcriptus, quem Alipius vir eruditus Epiſcopus Tagaſtenſis in Africa non inuentum, à prædicto Paulino apud Nolam commorante quæſiuit: qui cùm non tantùm apud ſe non haberet, ſed nec nomen auctoris agnoſceret (appellat enim eum Euſebium Epiſcopum Conſtantinopolitanum) Romæ quæſitum, ac tandem apud Domnionem inuentum, ad eum miſit, vt conſtat ex epiſtola eiuſdem tunc ad Alipium ſcripta, apud Auguſt. epiſt. 35. His itaque in exemplum de raritate aliorum librorum adductis, hæc inferimus: Si liber ad ſupputanda rerum ſacrarum tempora, quæ in diuina Scriptura continentur, vnicus, atque adeò Eccleſiæ perneceſſarius, eaque de cauſa à S. Hieronymo Latinitate donatus, tanto labore quæſitus, vix tandem repertus fuit: quid de ſcriptis aliis dicendum, quæ alicuius eccleſiæ viderentur eſſe peculiaria, quæ nec vno vel paruo codice continebantur, ſed permultis, iiſdemque prægrandibus, vt par eſt credere (Acta enim vnius tantùm Martyris multas impleſſe chartas, ſi accuratè ſcripta eſſent, certiſſimum eſt) quorum nec facilis eſſet deſcribendi facultas, vt videmus accidere in his quæ in archiuis ſumma diligentia aſſeruantur; itemque impenſæ nimiæ deterrerent, & labor immenſus auerteret? Quid ergo mirum, ſi talium perpauca quæ erant exemplaria, tanta terræmotu orbis Chriſtiani fuerint obruta, vniuerſalique incendio concremata; ita vt ex buſto perpaucæ vix reliquiæ ſuperfuerint? At quis numerare ſufficiet aliorum Eccleſiaſticorum librorum funera, qui licet vbique gentium ſparſi (vt taceam de aliarum eccleſiarum peculiaribus Actis Martyrum) tamen eadem ſunt conflagratione conſumpti? Sed de his hactenus: iam cetera proſequamur.

## CAPVT IIII.

*De antiquo cultu ſanctorum Martyrum, vnde ſcribendi Martyrologium manauit occaſio.*

SICVT olim Romæ Notariis de conſcribendis ſanctorum Martyrum Actis, ita & in aliis eccleſiis, etiam tranſmarinis, alicui ex clero negotium fuiſſe videtur impoſitum, qui cuiuſque Martyris natalem diem (ſic enim appellare conſueuerunt ex hac vita ad cælum tranſitum) conſcriberet, vt per ſingulos annos, eodem recurrente die, in eiuſdem ſancti Martyris memoriam Deo offerretur ſacrificium. Hoc ipſum eſt quod Tertullianus lib. de Corona militis ait: Pro nataliriis annua die facimus. Facere enim, idem eſſe penes antiquos, quod ſacrificare, opportuniori loco inferiùs, cùm agimus de Pontificis voce, monſtramus. Porrò illic agi à Tertulliano non de natalitiis more Gentilium, vt perperàm interpretatur infelix Rhenanus, ſed de die quo ſancti Martyres victores in cælum à Deo recepti ſunt; conſule in eum locum pientiſſimi & erudítiſſimi viri Pamelij adnotationem. Habes de eodem priſtino vſu epiſtolam ſancti Cypriani ad preſbyteros & diaconos eccleſię Carthaginenſis, eſt in edit. Pamel. 37. in qua hæc verba deſcripta habentur: Denique & dies eorum, quibus excedunt, adnotate; vt commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus. quamquam Tertullus fideliſſimus & deuotiſſimus frater noſter pro cetera ſolicitudine & cura ſua, quam fratribus in omni obſequio operationis impertit, qui nec illic circa curam corporum deeſt, ſcripſerit, & ſcribat, ac ſignificet mihi dies quibus in carcere beati fratres noſtri ad immortalitatem glorioſæ mortis exitu tranſeunt, & celebrantur à nobis hîc oblationes & ſacrificia ob commemorationes eorum; quæ citò vobiſcum, Domino protegente, celebrabimus. Hæc Cyprianus; qui & ad clerum & plebem ſcribens epiſt. 34. ſic in eamdem ſententiam: Sacrificia pro eis ſemper (vt meminiſtis) offerimus, quoties Martyrum paſſiones & dies anniuerſaria commemoratione celebramus. Hęc ille. Quod porrò ait, ſacrificia pro illis offerre: nemo putet pro peccatis illorum expiandis id fieri ſolitum; cùm omnia mundentur in ſanguine: maioremque (teſte ipſomet Domino) hac charitatem nemo habeat, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Si enim flenti mulieri peccatrici dimiſſa ſunt, ex ſententia Saluatoris, peccata multa, quoniam dilexit multùm; quis dicere audeat, poſt imbrem ſanguinis, conſummato martyrio, adhuc ſupereſſe expiandas ſordes? ſed ſic accipiendum, ſacrificia pro eis offerre, ac ſi diceret, in eorum commemorationem illud facere, prout ea, quę ponuntur inferiùs, verba declarant, & quæ ex dicta epiſt. 37. ex eodem auctore ſuperiùs recitauimus. Vnde S. Auguſtinus tractatu 84.

in Ioannem hæc habet: Ideò quippe ad ipſam menſam non ſic eos cõmemoramus, quemadmodum alios qui in pace requieſcunt, vt etiam pro eis oremus; ſed magis vt orent ipſi pro nobis, & eorum veſtigiis inhæreamus. Hæc ibi. Et de verb. Apoſt. ſer. 17. cap. 1. in eamdem ſententiam ſic ait: Habet Eccleſiaſtica diſciplina (quod fideles norunt) cùm Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ibi non pro ipſis oretur; pro ceteris autem commemoratis defunctis oratur. Iniuria eſt enim pro Martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendare. Hęc Auguſtinus: ex quibus omnibus dilucidiùs intelligere potes, quid ſit offerre pro Martyre. Si hæc vberiùs cupis, conſule in citata loca Tertulliani ac Cypriani, notationes Pamelij. Recitabantur poſt Apoſtolos nomina ſanctorum Martyrum, prout etiã docet ſacræ Miſſæ canon, qui habet: Communicantes & memoriam venerantes in primis, &c. Recitabantur ex ſcripto ſecundùm prærogatiuam ſtatus & meritorum, nec tantùm nomina Martyrum, ſed & aliorum Sanctorum. Vnde & Auguſt. lib. de ſancta virginit. cap. 45. hæc ait: Perhibet Eccleſiaſtica auctoritas, in qua fidelibus notum eſt, quo loco Martyres, & quo loco defunctæ ſanctimoniales recitantur. Hæc ille. Ex prædicta igitur nota dierum natalium ſanctorum Martyrum pro commemorationibus faciendis, Martyrologij cõſcribendi prouenit occaſio: cùm etenim frequens eſſet Martyrũ numerus (decem enim illis, quas numerant, perſecutionibus in vnaquaque prouincia necatos fuiſſe quamplurimos, nemo poterit dubitare) atque in chartis Eccleſiæ ſingulorum nomina, & dies quibus martyrium conſummaſſent, notata haberentur: ex iiſdem Eccleſiaſticis monumentis pridie diei natalis (vt hodie fit in Martyrologio) annũtiabantur nomina in eccleſia, quorum natalitia recenſenda eſſent die ſequenti, eorumdemque vnà cum ſacrificio foret commemoratio facienda. Eiuſmodi Eccleſiaſticas tabulas, quibus ſingulorum Martyrum natalitia conſcripta haberentur, à Tertulliano Faſtos fuiſſe appellatas, optimè eruditeque notat Pamel. in dicta epiſt. 37. Cypriani. ille enim in libro de Coron. milit. hæc ait: Habes tuos cenſus, tuos Faſtos, nihil tibi cum gaudiis ſæculi, &c. Hæc Tertullianus idcircò, quòd in dictis ſanctorum Martyrum natalitiis ſolebant Chriſtiani mutua inter ſe charitate gaudere, quando & conuiuiũ, quod Agapen dicebant, celebrare in ipſa Memoria, in eccleſia inquam Martyris, conſueuerant: licet, quod ad locum ſpectat, vſum illum Concilium Laodicenum can. 38. reſtrinxerit. Repetimus apud Gregorium Nazianzenum in carm. de vitæ differentiis eiuſmodi Agapas dici alio nomine Sacrum epulum natalitium. Idemque in orat. in laud. Cypriani hæc de commemoratione Martyrum: Omnium quidem Martyrum memoria lęta ſolemnitate colenda eſt. In eamdẽ ſententiam Theodoretus de Euang. verit. cognit. lib. 8. qui de Martyribus inſcribitur, in fine hæc ait: Illos (deos Gentium ſcilicet) caſſos gloria, vanoſq́; Deus reddidit, ſuis autem Martyribus honorem illorum dedit: pro Pandiis, Daſiiſque, ac Dionyſiis, hoc eſt, Iouis, Liberique patris ſolemnitatibus, Petro, Paulo, Thomæ, Sergio, Marcello, Leontio, Antonino, Mauritio, aliiſque ſanctis Martyribus ſolemnitates populari epulo peraguntur: proque illa veteri pompa, pro turpi obſcœnitate & impudentia, fiunt modeſtæ, caſtę, ac temperantiæ plenæ feſtiuitates, non illæ quidem mero delibutæ, non comeſſationibus leues, non cachinnis ſolutæ, ſed diuinis canticis perſonantes, ſacris ſermonibus audiendis intentæ, quibus ad Deum preces non ſine ſanctis lacrymis & ſuſpiriis ſummittuntur. Hæc ille. Similiter Gregorius Nyſſenus in vita magni illius Gregorij cognomento Thaumaturgi, qui vixit temporibus Decij, hæc de populari lætitia in natalitiis Martyrum ab illo inſtituta: Deſcendit, inquit, rurſus in vrbem, & omni circà regione vndique peragrata ac perluſtrata, additamentum & quaſi corollarium ſtudij ſui erga numen diuinum inſtituebat: apud omnes vbique populos ſanciens, vt nomine eorum qui pro fide certaſſent, dies feſti, atque ſolemnes conuentus celebrarentur: cumque alius in alium locum corpora Martyrum diduxiſſent, per anniuerſarij circuli ambitum congregati lætabantur, in honorem Martyrum ferias agentes, &c. Et paulò inferiùs: Cùm animaduertiſſet enim quòd propter corporis voluptates ſimplex & imperitum vulgus in errore ſimulacrorum cultus permaneret, quo maximè id quod præcipuum eſt, interim in eis aſſequeretur; nempe vt vanis ſuperſtitionibus relictis, ad Deum conuerterentur: permiſit, vt in memoriam Sanctorum ſeſe exhilararent & oblectarent, atque in lætitiam effunderentur. Hæc Nyſſenus tranſlat. Siſan. Quæ cuncta voluimus recitaſſe ob exactam prædictæ Tertulliani ſententiæ explicationem, quòd ſcilicet Chriſtiani ſuos haberent cenſus & Faſtos, nec eſſe videlicet, quòd vana illorum gaudia inuiderent: per Faſtos nimirum intelligentis Eccleſiaſticas tabulas, in quibus Chriſtianorum ſolemnitates, ipſaque natalitia Martyrum certis diebus notata haberentur, è quibus (vt diximus) Martyrologij conſcribendi profluxit origo. Hæc de his ſatis. At antiquitas veneranda, & ab Apoſtolis manans, ſemperque ſeruata atque propagata traditio non tantùm eget vt anni-

Digitized by Google

anniuerſaria celebritate ſanctorum Martyrum commemoratio ageretur, ſed etiam vt in ipſorum honorem Memoriæ paſſim erigerentur: eo quippe nomine à Maioribus nominatæ ſunt eccleſiæ, quæ in honorem ſanctorum Martyrum Deo conſecrarentur, vt ſanctus Auguſtinus teſtatur de ciuitate Dei lib. 22. cap. 10. Qui quidem laudabilis vſus Apoſtolorum temporibus (vt dictum eſt) viſus eſt duxiſſe principium, ea nimirum occaſione, quòd veneranda Martyrum corpora ſub altare recondi conſueuerint, ſecundùm illud Ioannis Apocal. c. 6. (vt omnes, præſertim antiquiores, declarant interpretes) Vidi ſub altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei, & propter teſtimoniũ quod habebant. Cumq; ipſa altaria ſepulchra eſſe Martyrum viderētur, ac ſubinde eadem pręclara memoria Martyrum haberentur; quæ eadem ex cauſa ſuperædificarentur eccleſiæ, æquè Martyrum Memoriæ dicebantur. Accedit inſuper, vt pium ardenſque Fidelium in Martyres ſtudium non ſatis eſſe putaret, ſi vnius vel alterius Martyris in vno tantùm loco eſſet Memoria collocata, ſed plures optaret. Quamobrem factum eſt, vt non ſine reliquiis eiuſdem Martyris, in eius honorem altare erigere, & Memóriam ſuperſtruere liceret, id legibus Eccleſiaſticis prohibentibus, Concil. African. cap. 50. Quamobrem cùm ex corpore Martyris ſumptæ reliquię in pluribus altaribus collocarentur, id effecerũt, vt plura vnius eiuſdemq; Martyris ſepulchra atque Memoriæ dicerentur, proque numero altarium, ſepulchrorum numerus augeretur. Sed ex his anſam calumniandi nacti ſunt Nouatores, vt ſicut ſtultè, ita & temere dicerent, Catholicos quibuſdam illuſiſſe præſtigiis, vt frequenter vnius Martyris corpus diuerſis in locis traderent ſitum eſſe: ignorantes, vel neſcire diſſimulantes, nos non dicere in diuerſis ſepulchris vnum idemque integrum eſſe corpus, ſed in ſingulis (vt dictum eſt) ſepulchris vnius Martyris conſeruari reliquias, ac proinde eidem honorem eumdem impendi, ac ſi integrum eſſet corpus. Nam ſententia Gregorij Nazianzeni eſt in orat. 1. in Iulianum, eaſdem præſtare virtutes quaſlibet Martyris ſanguinis guttas & exigua paſſionis ſigna, quas integra corpora: ac proinde non eſſe indecens, vt vnius Martyris plura erecta appareant monumenta: cùm alioqui (niſi lex Chriſtiana prohiberet) nec indecens videri poſſet, etiam ſine ipſorum reliquiis eiſdem excitari Memorias, vtpote teſtes eorum virtutis egregiæ, & beneficiorum eorumdem ope conſecutorum. Nam (ſi licet ad ſacra profanum exemplum adducere) de multis Aeneæ & aliorum ſepulchris Dionyſius Halicarnaſſæus hanc ipſam affert rationem lib. 1. hiſtor. Rom. ſic dicens: Quòd ſi quem perplexum facit, quòd Æneæ ſepulchra monſtrentur in multis locis, nec poſſit niſi in vno eſſe conditus; cogitet hanc dubitationem eſſe vulgarem, & intelligat, quòd quamuis vnicus locus capiat corpora talium, apud multos tamen monumenta eis facta ſunt in gratiam acce[illegible] vtilitatis cuiuſpiam. Hæc ille. At de cura ſacrarum reliquiarum ſanctorum Martyrum agemus in fine huius de Martyrologio ſcriptionis.

## CAPVT V.

### *A quibus primùm ſcripta ſint Martyrologia.*

PRIMVS omnium qui ſcribendo Martyrologio operam dedit, ab omnibus prædicatur Euſebius Pamphili, Epiſcopus Cæſarienſis. Id etenim in primis teſtatum habetur in epiſtola quæ fertur nomine S. Hieronymi ad Heliodorum, de cuius fide inferiùs diſputabimus; id profitetur Beda in retract. in Act. Apoſt. cap. 1. Hoc ipſum etiam Vualfridus Strabo lib. de reb. Eccleſ. cap. 28. in fine. Id denique recentiores omnes, ac nouiſſimè Molanus in libello quem ſcripſit de Martyrologiis, cap. 2. Poſt Euſebium, id ipſum præſtitiſſe S. Hieronymum, iidem omnes affirmant, non quòd ipſe auctor illius fuerit, ſed quòd Martyrologium ab Euſebio Græcè ſcriptum, à ſe tranſlatum Latinis tradiderit. id enim Beda vbi ſuprà his verbis: Adſtipulatur, inquit, & liber Martyrologij, qui beati Hieronymi nomine ac præfatione attitulatur: quamuis idem Hieronymus illius libri non auctor, ſed interpres, Euſebius autem auctor extitiſſe narretur. Hæc Beda. Vualfridus item in eamdem ſententiam hæc ait: Hieronymus Martyrologium, ſecutus Euſebium Cæſarienſem, per anni circulum conſcripſit, ea occaſione ab Epiſcopis Chromatio & Heliodoro illud opus rogatus componere, quia Theodoſius religioſus Imperator in Concilio Epiſcoporum laudauit Gregorium Cordubenſem Epiſcopum, quòd omni die Miſſas explicans, eorum Martyrum, quorum natalitia eſſent, nomina plurima commemoraret. Hactenus ille; nec aliunde, quàm ex dictis epiſtolis, quæ in hanc diem editis Martyrologiis præfigi conſueuerunt, quas & nos (quo de rei veritate exactior certiorque cognitio habeatur) ſuis titulis hîc deſcribimus: ſunt autem huiuſmodi:

Epiſtola Chromatij & Heliodori Epiſcoporum ad beatum Hieronymum, de opere Martyrologij colligendo.

*Domino ſancto Patri Hieronymo, Chromatius & Heliodorus Epiſcopi, in Domino ſalutem.*

CVM *religioſiſſimus Auguſtus Theodoſius Mediolani vrbem eſſet ingreſſus, vniuerſóſque Italiæ Epiſcopos ad ſe inuitaſſet; & ob cauſam aliquantulorum Epiſcoporum, qui ex Ariana face ſuas animas inquinaſſent, inquireret: contigit & noſtram paruitatem in eodem adeſſe Concilio. In quo, cùm dicenda dicta eſſent, & definienda definita, cœpit Chriſtianiſſimus Princeps ſanctum Gregorium Cordubenſis eccleſiæ in eo præferre Antiſtitem, quòd omni die, ſiue non ieiunans, matutinas; ſiue ieiunans, veſpertinas explicans Miſſas, eorum Martyrum, quorum natalitia eſſent, plurima nomina memoraret. Factúmq́ eſt, vt omnes ſtatueremus, ad tuam ſcribere charitatem, vt famoſiſſimos Feriales de archiuio ſancti Euſebij Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopi inquirens, Martyrum ad nos dirigas feſta; vt poſſimus hoc officium per tuã ſanctam induſtriam meliùs perfectiuſq́ ad honorem Dei Martyribus exhibere.* Hactenus illi.

Sequitur Hieronymi nomine epiſtola huiuſmodi inſcriptionis titulo conſignata:

Beati Hieronymi ſuper eo ipſo ad eoſdem reſponſio.

*Chromatio & Heliodoro ſanctis Epiſcopis, Hieronymus preſbyter.*

CONSTAT *Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum omni die Martyrum ſuorum triumphos excipere, quorum paſſiones à ſancto Euſebio Cæſarienſi Epiſcopo ſcriptas reperimus. Nam Conſtantinus Auguſtus, cùm Cæſaream fuiſſet ingreſſus, & diceret memorato Antiſtiti, vt peteret aliqua beneficia Cæſarienſi eccleſiæ profutura: legitur, reſpondiſſe Euſebium: Opibus ſuis eccleſiam ditatam, nulla petendi beneficia neceſſitate compelli: ſibi tamen deſiderium immobile extitiſſe, vt quidquid in Republica Romana geſtum ſit erga Sanctos Dei, Iudices Iudicibus ſuccedentes in vniuerſo orbe Romano, ſolicita perſcrutatione, monumenta publica diſcutiendo, perquirerent, & qui Martyrum, à quo Iudice, in qua prouincia vel ciuitate, qua die, quáve perſeuerantia, paſſionis ſuæ obtinuerunt palmam, de ipſis archiuiis ſublata, ipſi Euſebio, regio iuſſu, dirigerent. Vnde factum eſt, vt idoneus relator exiſtens, & Eccleſiaſticam hiſtoriam texeret, & omnium penè Martyrum prouinciarum omnium Romanarum trophæa diligens hiſtoriographus declararet; quatenus omni die ſacrificiũ Deo offerentes, eorũ nomino meminiſſent: [illegible]dentes, qui die ipſo, quo ſacrificiũ offerretur, victores diaboli extitiſſent, & martyrij ſui triumpho pollentes atq́ ouantes ad Regem ſuum perueniſſent Chriſtum. Hac de cauſa ſingulorum menſium, ſingulorumq́ dierũ feſta conſcripſimus, vt iubere dignabamini, perennem noſtræ paruitatis memoriam fore credentes, cùm diebus omnibus per tot annorum ſpatia ſancta Sanctorum nomina fuerint feſtiuè celebrata. Et quoniam per ſingulos dies, diuerſarũ prouinciarum, diuerſarumq́ vrbium pluſquam octingentorum & nongentorum Martyrum ſunt nomina nominata: vt nullus dies ſit, qui nòn intra quingentorum numerum reperiri poſſit adſcriptus, excepto die Kalendarum Ianuariarum: conſiderans inter innumerabiles turbas, Lectoris animũ intra vnũ menſem poſſe laſſeſcere: ne id eueniat, breuiter & ſuccinctè eorũ qui ſunt in ampliſſima feſtiuitate in ſuis locis tantùm præ omnibus memoratus ſum, vt amputato faſtidio, vnus de omnibus ſufficiat libellus adſcriptus. Sanè in prima parte libelli, omniũ beatorum Apoſtolorũ feſta conſcripſimus, vt dies varij nõ videantur diuidere, quos vna dignitas Apoſtolatus in cæleſti gloria fecit eſſe ſublimes.*

Hucuſque epiſtola Hieronymi nomine ſcripta: cui quidem primo aſpectu adſtipulari videtur & Caſſiodorus, omnibus prædictis auctoribus antiquior; in libro enim de Inſtitut. diuinarum lect. cap. 32. hæc ait: Et ideò futuræ beatitudinis mores, vitas Patrum, confeſſiones Fidelium, paſſiones Martyrum legite conſtãter, quas inter alia in epiſtola ſancti Hieronymi ad Chromatium & Heliodorum deſtinata proculdubiò reperitis, qui per totum orbem terrarum floruere: vt ſancta imitatio vos prouocans, ad cæleſtia regna perducat. Hæc ille. Ioannes Molanus, vir quidem pius & eruditus, in ſua tractatione quam ſcripſit de Martyrologiis, quamq́ue auctam poſuit in appendice ſui Vſuardi ſecundò editi; ſicut prædictas nuper recitatas epiſtolas non eſſe memoratorum Antiſtitum, nec Hieronymi putat, ſed illorum nomine eſſe ſuppoſitas; ita nec Caſſiodorum de prædicta Hieronymi nomine ſcripta epiſtola exiſtimat intellexiſſe. Certè quidem Molani ſententię haud inuitus adſtipulor: ſed quoniã prædictæ epiſtolæ iam antiquitus videntur receptæ, ac penè temporum diuturnitate præſcriptæ, habentq́ue grauem aſſertorem Vualafridum Strabonem, quem

ante

ante annos octingentos claruiſſe conſtat, cuius de prædictis epiſtolis grave teſtimonium recitauimus: non perfunctoriè tanta reſtractanda videtur, ſed de illarum fide accuratiùs agendum, ac ſolicitiùs perſcrutandum; ipſaſq; ad lapidem Lydium, ad ipſam, inquam, rerũ ac temporum exactam hiſtoricam rationem afferre atque conferre, operæpretium fuerit: vt quid verum, quídve adulterinum ſit, perfacilè dignoſci queat. Agemus ergo de ſingulis, ac in primis, quidnam qualéve fuerit Euſebij, quod dicunt, Martyrologium; ſimulque tractabimus de Hieronymi verſione, ac denique de fide prædictarum epiſtolarum.

## CAPVT VI.

### *De Euſebij libro de Martyribus, ac verſione Hieronymi.*

ERRARE omnino certum eſt, qui exiſtimarunt Euſebij librum de Martyribus non alium fuiſſe, quàm compendioſam omnium ſanctorum Martyrum collectionem, ea breuitate contextam, qua Martyrologia noſcuntur eſſe conſcripta, hacq́; de cauſa illum ab eo ſcriptum librum de Martyribus, eſſe à pluribus Martyrologium appellatum. Sed quàm mendaciter hæc dicantur, non aliunde, nec ab alio, quàm ab ipſomet libri auctore Euſebio teſtimonium petamus. Ipſe enim in ſuis Hiſtoriarum libris de eo frequentiùs meminit, & qualis fuerit, non obſcurè deſcribit. Ac primùm quidem lib. 4. cap. 14. cùm agit de Pionio martyre perilluſtri, hæc ait: Qualem denique & quàm inſignem mortem, præter alias omnes res ab eo tanta cum admiratione geſtas, eos quibus libitum eſt cognoſcere, ad libellum à nobis de veterum Sanctorum martyriis in vnum redactis editum, qui quidem omnia facta illius pleniſſimè complectitur, amandamus. Idem lib. 5. cap. 1. de eodem commentario agit his verbis: Tota illa epiſtola, ſcilicet Lugdunenſis Eccleſiæ, quę accuratiſſimam iſtarum rerum explanationem complectitur, in libro de Martyribus à nobis compoſito, qui non ſolùm veram rerum geſtarum narrationem, ſed etiam illuſtria virtutum exempla, ad vitam piè degendam accommodata, continet, poſita eſt: tamen quæcumque ad hoc inſtitutum ſpectare videantur, ea in præſentia ex eodem repetens, in hunc Hiſtoriæ noſtræ locum colligabo. Et inferiùs eodem lib. cap. 4. in hunc modum: Perfacilè (inquit) ſi cui viſum fuerit, licet iſta pleniſſimè cognoſcere: modò illã epiſtolam, quam in libro noſtro de Martyribus (vt dictum eſt) poſuimus, accuratè voluerit euoluere. Hæc ille. Ex quibus planè colligitur, tantum abeſſe, vt ille Euſebij liber de Martyribus fuerit ex Actis Martyrum in compendium redacta narratio; vt potiùs, reſpectu prolixitatis eius, ipſi eiuſdem auctoris Hiſtoriarum libri videantur fuiſſe in his quæ ad Martyres ſpectant, illius epitome. Sed audiamus cetera, quibus eadem certiora redduntur. Idem Euſebius eodem lib. 5. cap. 20. cùm agit de Apollonio ſenatore martyre, hæc habet ad calcem: Iſtius verò coram Iudice verba, & reſponſa quæ ad Perennij Iudicis rogata dabat, & orationem apologeticam apud Senatum habitam, ſi cui libitum fuerit accuratè cognoſcere, ex libro noſtro, quem de veteribus Martyribus compoſuimus, manifeſtò intelliget. Hactenus de eo libro Euſebius. Quantum ergo putandum eſt illud fuiſſe volumen, quod non tantùm ipſa Acta Martyrum, rogata, & reſponſa, ac cetera ad eorum martyrium ſpectantia continebat, ſed etiam ipſorum apologias, etſi non aliorum, certè Apollonij, deſcriptas habebat? De Apollonio verba faciens S. Hieron. lib. de Script. Eccleſiaſt. hæc ait: Impetrato vt rationem fidei ſuæ redderet, inſigne volumen compoſuit, quod in Senatu legit, &c. Ex his itaque plus ſatis conſpicuo poteſt intelligi, qualis quantúſve fuerit Euſebij de Martyribus liber. Quibus quidem in primis erroris redarguuntur, qui putarunt illum non aliud fuiſſe, quàm breue Martyrologium, idemq́ue à ſancto Hieronymo in Latinum conuerſum, Latinis eccleſiis legendum traditum. Rurſum ex ipſis impoſtura detegitur eius epiſtolæ, quæ Hieronymi nomine ſcripta, ſuperiùs eſt recitata, qua dicitur Euſebius operâ Conſtantini Imperatoris collegiſſe totius Chriſtiani orbis Martyres, eoque libro illorum certamina conſcripſiſſe. Quonam pacto, quæſo, vnus liber, volumen vnum, tot Martyrum Acta continere valuiſſet, ad quorum tantùm nomina recenſenda vix ſufficere potuiſſet? Equidem, ſi tam prolixè, vt fecit in aliis, totius Eccleſiæ Catholicæ ab ipſo ſcribendæ fuiſſent res geſtæ ſanctorum Martyrum; non vnus liber, non centum (audacter dicam) non denique mille fuiſſent ſatis: immò vſurpare liceat & illam Euangelicam hyperbolen, nec ipſum mundum capere potuiſſe eos, qui de ea re ſcribendi fuiſſent, libros. Quod autem ad Hieronymum ſpectat; nequaquam cum illis dixerimus, ipſum in Latinum tranſtuliſſe librum illum Euſebij de Martyribus. Quî enim fieri potuit, vt vna epiſtola, quam de ea re cõſcripſiſſe teſtatur Caſſiodorus, prægrande volumen comprehendere potuiſſet? quin potiùs exiſtimandum eſt,



Digitized by Google

Hietonymum breui ſumma librum illum Euſebij in compendium redegiſſe, ipſumque opus poſteà Martytologium eſſe dictum, ac Hieronymi nomine nuncupatum. Hæc autem etſi ſatis eſſe videantut ad prædictatum litterarum impoſturam arguendam: tamen quò nullus remaneat dubitandi locus, & cuncta ſint toto cælo lucis veritate perſpicua, age de rebus ſingulis in eis contentis paulo fuſiùs diſſeramus.

## CAPVT VII.

*De fide epiſtolarum, quæ Chromatij, Heliodori, & Hieronymi nomine inſcriptæ ſunt.*

QVOD pettinet ad epiſtolam Chromatij & Heliodori Epiſcoporum nomine ad Hieronymum ſcriptam, in primis ex eiuſdem inſcriptione impoſturam facilè deteges, ſi illorum tempotum loquendi generis habueris rationem: dum in ea ptædicti Epiſcopi, immò ipſa Syoodus (Synodi enim, quam prætexunt, nomine ſctibere profitentut) ipſum Hietonymum preſbytetum appellant Patrem, cuius quidem nomenclaturæ nullum protſus penes illorum temporum ſctiptores exemplum inuenies, vt in inſcriprione litteratum, Epiſcopi, vel ipſa Synodus preſbyterum cuiuſuis meriti dicant Pattem, cùm alioqui & ampliſſimarum ſedium Epiſcopos & Pattiarchas nonniſi fratres conſueuerint appellare. Habetur mentio in eadem Epiſtola de quodam Concilio ex totius Italiæ Epiſcopis Mediolani Theodoſio Imp. præſente coacto. Verùm iſtud commentum eſſe, non dubites: quî enim fieri potuit, vt tam celebris Synodus ſic è ſcriptotum monumentis exciderit, ſic ſilentio fuerit obuoluta, vt nullus illorum tempotũ ſcriptorum, quotum ſanè haud exiguus fuit numerus, nec nomine terius eius meminerit? Sed hæc manifeſtiota teddentur, ſi lucubrationum Hieronymi tempotis exacta ratio habeatur. Quando, rogo, volunt illam Synodum cotam Theodoſio Mediolani congregatam? nuoi cùm primùm, aduerſus Maximum tyrannum pugnaturus, Conſtaotinopoli anno decimo ſui impetij in Italiam venit? certè id dici nôn poſſe, quæ S. Hieronymus ſcribit, vehementer tepugnant: dum enim in libto de Sctiptotibus Eccleſiaſticis, ad calcem, cunctas quas hactenus vſque ad annum decimumquartuoi eiuſdem Theodoſij Imp. elaboraſſet lucubtationes recenſet, nec verbum quidem de conſcripto, vel à ſe tranſlato libro illo de Martyribus habet, quem ſtatim poſt illam Synodũ ſcriptum eſſe, illæ ipſæ tecitatæ epiſtolæ indicant: ex quibus ſatis apparet, dictam Synodum commentitiam ad ptimum Theodoſij Mediolanum aduentum non poſſe referri. Quòd ſi ad ſecundum aduentum eius (bis tantùm poſt adeptum Imperium in Italiam veniſſe, certum eſt) quando iterùm ad expugnandum Eugenium tyrannum ex Orieote in Italiam deſcendit, eamdem Synodum Mediolani celebratam eſſe dixerint: certè ratio tempotum cõtradicit. Deſcendit Theodoſius in Italiam cum exetcitu anno decimoſexto, eodemq; vltimo ſui Imperij, decernensq; cum Eugenio, ſexta die Septembris illum obtinuit, inde Mediolanum ſe contulit. quæ autem tuoc ab eo illic ſunt facta vſque ad diem xvij. Ianuarij, qua ex hac vita migrauit, Ambroſius ea oratione quam habuit in eius funete, & alij illorum temporum ſcriptotes exactè deſcribunt: adeò vt nullum eiuſmodi cogendi Concilij reliquum fuiſſe tempus appateat. Ex his itaque totum illud commentum de litteris ex prædicta Synodo datis, aliiſque tebus quæ iiſdem continentur epiſtolis, planè clara luce detegitur: vt quod in illis habetur de Gregorio Epiſcopo Cotdubenſi matutinas ac veſpertinas Miſſas agente: Auguſtinus etenim, qui iiſdem tempotibus vixit, id tantùm quinta feria maioris hebdomadæ in Cœna Domini in Eccleſia Catholica fieri conſueuiſſe, teſtari videtur, ſcribens ad Ianuarium epiſt. 118. c. 5. Licer ſciamus olim temporibus Cypriani, matutinum ac veſpertinum ſactificium in Africa offerri, in vſu fuiſſe, vt idem Cypr. teſtatut ad Cæcilium ſctibens epiſt. 63. edit. Pam. quem morem apud Ægyptios tantum perſeuetaſſe, auctut eſt Sozom. hiſt. lib. 7. cap. 19. Quamuis etiam ſciamus in Concilio Agathenſi ſecundùm tecentiorum lectionem habeti mentionem de Miſſis matutinis & veſpertinis, & ex eo c. 13. diſt. 15. Sed in hæc non obnitimut, cùm ſciamus Eccleſiaſticorum rituum diuerſam fuiſſe diuerſarum eccleſiarum conſuetudinem. Deprehenditut & in eo de Gregorio impoſtura, dum dicitut, ipſum etiam ieiunij tempore celebraſſe natalitia Martyrum: diuerſam quippe ab his fuiſſe Eccleſiæ conſuetudioem, teſtantur antiqui canones, vt Concil. Laodic. can. 51. apud Mart. collect. c. 48. & 33. q. 1. Non licet in Quadrag. Quòd inſuper tam in dicta Epiſcoporum epiſtola, quàm in ea quę ad eoſdem Hietonymi nomine reddita habetur; Euſebius Epiſcopus Cæſateæ ſanctitatis elogio commendatur, pro monſtro quidem habetut. Etenim etſi olim ſanctitatis titulus comouniot eſſe videterut, vt non ſolùm (vt hodie) illis tribuetetur Chtiſtianis, qui vita functi in cælo tegnant cum Chtiſto,

ſed

Digitized by Google

ſed & quibuſcumque laudabilioris vitæ fidelibus: datum tamen aliquando homini hæretico, nemo dicere iure poterit. At verò quibus titulis idem Hieronymus Euſebium ipſum nominare conſueuerit, ab ipſo audiamus: qui ad Pammachium ſcribens epiſt. 65. hæc de eo: Impietatis Arij apertiſſimus propugnator eſt, &c. In fine etiam plura habet in eamdem ſententiam. In Apologia aduerſus Ruffin. lib. 1. hæc de eodem: Euſebius Epiſcopus Cæſarienſis, Arianæ quondam ſignifer factionis. Et lib. 2. eumdem principem Arianorum appellat. Idem ad Cteſiphontem agens de ſcriptis ipſius: Eum (inquit) fuiſſe Arianum, nemo eſt qui neſciat. Et ad Minerium epiſt. 152. ipſum erraſſe in dogmatum veritate, apertè teſtatur. Ecce tibi quibus titulis, & quàm diuerſis à præconio ſanctitatis Euſebius à Hieronymo nuncupetur: vt ex his ſaltem liquidò cognoſcas, alium longè diuerſum à Hieronymo fuiſſe epiſtolæ illius auctorem: quem (etſi aliud non eſſet, ac cetera de eodem conſentirent) ab eo eſſe longè diuerſum, ex dicendi ſtylo, non eſt qui eam epiſtolam legens, facillimè non cognoſcat. Hæc de verbis. Quòd ſi res ipſas in ea conſcriptas diſquiras, magis magiſque impoſturam intelliges. Si enim vera ſunt, quæ inter Conſtantinum Auguſtum & Euſebium acta idem auctor enarrat; quæ tanta modeſtia in Euſebio, qui ſuarum laudum egregius prædicator ſemper eſt viſus, vt illa ſilentio præterierit, cùm eadem ſæpiùs repetẽdi, quoties agit de libro à ſe de Martyribus ſcripto, opportuna ſe daret occaſio? Conſueuit enim ipſe res à ſe cum Conſtantino geſtas narrare, extollere, eaſdemq; ſæpiùs inculcare, vt de vita Conſtantini lib. 2. c. 44. & 45. lib. 3. c. 57. 58. 59. & 60. & lib. 4. c. 33. 34. & 35. Quòd demum auctor (quiſquis ille fuerit) in eadem epiſt. excipit de Kalend. Ianuar. quaſi ea die nullus paſſus ſit Martyr: quàm mendax ac friuola ea ſit de Kalendis exceptio, conſule quæ inferiùs notantur die 1. Ianuarij, B. Hæc iam ſatis (etſi alia quoque ſupereſſent) ad coarguendam prædictarum epiſtolarum falſitatem ſufficere exiſtimamus.

## CAPVT VIII.

### *De antiquo Martyrologio Romano ſæpiùs aucto.*

PVTARVNT nonnulli (vt vidimus) primum omnium Martyrologij ſcriptorem Euſebium fuiſſe: quem quidem nec Martyrologium ſcripſiſſe, ex eiuſdem auctoris ſæpè iterata atque teſtata ſententia ſuperiùs demonſtrauimus: ab ipſo enim Acta ſanctorum Martyrum copioſiſſimè fuiſſe conſcripta, & non compendioſam de illis narrationem, vt communi loquendi vſu Martyrologium dici poſſit, ſatis eſt ſuperiùs declaratum. Quòd ſi ob id tantùm, quòd ſcripſerit res geſtas Martyrum, Martyrologij auctor dicendus eſt: cur non potiùs eadem ex cauſa in eo genere S. R. E. Protonotariis primæ ſunt deferendæ, iidemque dicendi, conſcribendi Martyrologij primi auctores? ipſi enim (vt in noſtræ narrationis exordio dictum eſt) initio naſcentis Eccleſiæ ſub Clemente Romano Pontifice id locupletiùs ac diligentiùs præſtiterunt: quorum etſi exciderint commentarij, nomina ſaltem Martyrum, quæ in Romano Martyrologio hactenus recenſita reperiuntur, integra remãſiſſe, nemo negarit. Vnde meritò iureque dicere poſſimus, non à Hieronymo, non ab Euſebio, ſed ab ipſis S. R. E. Protonotariis, iam inde à temporibus S. Clementis Papę, Romanum Martyrologium originem ducere, & initium auſpicari: quod diuerſis temporibus (vt auctus eſt ſubinde Martyrum atque aliorum Sanctorum numerus) incrementum accepit; ac in primis ex ſcriptione illa Hieronymi, quam Caſſiodorus vbi ſuprà c. 32. appellat epiſtolam: perbreuem certè fuiſſe libellum, Vſuardus in ſui Martyrologij præfatione teſtatur: putamus etenim, etſi non anteà, tunc ſaltem Orientalis Eccleſiæ Martyres eidem acceſſiſſe: quos enim ex Euſebio Martyres Hieronymus ſummatim collegit, maiori ex parte fuiſſe Orientalis Eccleſiæ, facilè poteſt intelligi. Quidnam verò, qualéve fuerit Martyrologiũ Romanum ſic auctum, S. Gregorius Papa ſcribens ad Eulogium Epiſcopum Alexandrinum epiſt. 29. lib. 7. Ind. 1. exactam in hæc verba reddidit rationem: Nos (inquit) pænè omnium Martyrum, diſtinctis per dies ſingulos paſſionibus, collecta in vno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Miſſarum ſolemnia agimus. non tamen eodem volumine, quis qualiter ſit paſſus, indicatur; ſed tantùm locus & dies paſſionis ponitur. Vnde fit, vt multi ex diuerſis terris atque prouinciis per dies (vt prædixi) ſingulos cognoſcantur martyrio coronati. Sed hæc habere vos beatiſſimos, credimus. Hactenus Gregorius; qui dum ait, ſe exiſtimare eamdem collectionem Martyrum, quam nos Martyrologium dicimus, æquè ac Romę reperiri apud Eulogium Epiſcopum Alexandrinum, & alios collegas, ſatis inſinuare videtur, fuiſſe in vniuerſali Eccleſia hac etiam ex parte declaratam communionem Sanctorum, vt quos Romana coleret, eoſdem & ceteræ longè poſitæ venerarentur

Eccleſię. Hoc ipſum ſimplex abſque alio additamento Romanum Martyrologium, idemque perbreue, in quo tantùm nomina Martyrum, locus ac dies paſſionis poſiti haberentur, eſt illud ipſum cuius meminit Ado in ſui Martyrologij præfatione his verbis: Huic operi vt dies Martyrũ veriſſimè notarentur, qui confuſi in Kalendariis ſatis inueniri ſolent, adiuuit nos venerabile & perantiquum Martyrologium ab vrbe Aquileia cuidam ſanctoEpiſcopo à Pontifice Romano directum, & mihi poſtmodum à quodã religioſo fratre aliquot diebus præſtitum: quod ego diligenti cura tranſſcriptum, poſitus apud Rauennam, in capite huius operis ponendum putaui. Hæc Ado. Porrò in omnibus quæ viderim Martyrologiis Adonis impreſſis, illud ipſum Romà acceptum deſideratut. Egregiam certè, ac viris eruditis dignam optatamq; nauaſſet operam Moſander, ſi eiuſmodi illuſtre vetuſtatis monumentum, quod in ſuo manuſcripto Adone haberi teſtarut, vnà cũ ipſo Martyrologio Adonis, quod poſt Surium ad ſeptimum tomum Vitarum Sanctorũ adiecit, edidiſſet. Ceterùm poſt hęc Romani Martyrologij diuerſa eſſe cœperunt exemplaria: quorum alia abſque additamento, in eadem, qua ſunt ſcripta, ſimplicitate remãſerunt; alia autem alias ac diuerſas in dies acceſſiones acceperunt; ac in primis, vt non tantùm (quod habet Gregorius) ipſa nomina Martyrum, diem, locaque paſſionum continetet; ſed (quod deſiderari videbatur) quid quis ſit paſſus, ſæpè perbreuiter narraretur. auctumq; inſuper eſt Sanctorum numero, aliis ſuperadditis Martyribus & Confeſſoribus, cùm diuerſarum eccleſiarum particulares Martyres, quorum annua celebritate natalitia agerentur, Martyrologio illi antiquo coniungerentur. Cùm autem non æquè omnes ab omnibus adderentur eccleſiis (de omnibus enim omnium eccleſiarum Martyribus ſimul agere, viſum eſt nimis prolixum atque laborioſum (inde accidit, vt quot eſſent eccleſię, totidẽ ferè haberentur Romani Martyrologij exemplaria, eademq; inter ſe diuerſa. Nam (quod ſatis ſit in exemplum adduxiſſe) eccleſia Principis Apoſtolorum in Vaticano, diuerſo à ceteris Vrbis Eccleſiis, prædicta ex cauſa, vtebatur Martyrologio, quod manuſcriptum in eiuſdem eccleſiæ bibliotheca hactenus aſſeruatur. Verùm cum non tantùm eſſent inter ſe diuerſa, ſed mirum in modum deprauata: optimè conſultum eſt, vt ſicut Catholicę fidei vnitate omnes eccleſiæ vnum corpus ſunt in Chriſto ſub vno viſibili capite coagmentatæ; ita etiam vno eodemq; emendato, ex aliiſque aucto vtentes Martyrologio, eadem communione Sanctorum, vno eodemq; ritu, atque vno ſpiritu pariter omnes in Sanctis ſuis Deũ collaudarent. Scimus in eo reſtituendo piorum ac eruditorum virorum ſudaſſe ingenia; ſummaq; adhibita diligentia, antiquorum multiplicium exemplarium collatione, qui irrepſiſſent errores, ac menda eſſe emaculata atque purgata: ita tamen, vt ab illo antiquo ſimplici ac minùs affectato dicendi genere, quantum licuit, recedere non placuerit. Tantum enim venerandæ antiquitati noueris eſſe tributum, vt non verba, ſed errores diſplicuiſſe cognoſcas. Habentur in eo ex omnibus Chriſtiani orbis prouinciis collecti Martyres. Ipſa etenim Romana Eccleſia, quæ Apoſtolica auctoritate ceteris pręeſt, & materna charitate fideles omnes ſuos filios eſſe nouit, non tantùm Romę paſſos Martyres cenſuit eſſe ſuos, ſed omnes vbique gentium ſe cum dolore peperiſſe congaudens materno fouet amplexu; & quos ſcit coronis triumphalibus auctos, in cęleſti gloria collocatos, debito religionis obſequio veneratur. Verùm non datur ſingillarim ſingulorum nomina recenſere: tum quòd (vt ait S. Gregorius homil. 27. in Euang.) ipſi ſancti Martyres Deo numerabiles, nobis ſuper arenam multiplicati ſunt; quia quot ſint, à nobis comprehendi non poſſunt: nouit enim eos tantũ ille, qui (vt habet Pſal. 146.) numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat. tum etiam quòd ex inſtituto antiqui ritus Eccleſiæ, breuitati eſſet conſulendum. Nec eſt prætereà, quòd quis miretur, ſi in eodem ipſo de quo agimus Romano Martyrologio, clariſſimos illos Martyres videat prætermiſſos, quos noſtro ſæculo, ob tuendam propagandamque Catholicam fidem, pœnas atrociſſimas, ſi qui alij olim Martyres, in Anglia potiſſimùm atque in Galliis ab hæreticis paſſos, & in cælum (vt par eſt credere) inter alios Martyres æquali ſcimus triumphi gloria cooptatos: nec inſuper illos inueniat recenſitos, qui velut tonitrui filij, in ſimilitudinem fulguris coruſcantis nouo Orbi Euangelico lumine illuxerũt, ac fidei cauſa martyrium ſubiere. Non enim (vt apparet) fuit in præſens Romanæ Eccleſiæ inſtitutum, nouum conſcribere Martyrologium, ſed vetus (vt diximus) ex veteribus exemplaribus reſtituere. De quo etiam illud neceſſariò Lectorem monendum putamus, Romani Martyrologij triplicem hactenus in Vrbe eſſe factam editionem, eiuſque primam & ſecundam eſſe mendoſam, nec ſatis dignam, quæ iterùm prælo tradatur: quod cuius culpa acciderit, libentiùs ſilentio prætermimus. Tertia editio purior eſt atque ſincerior, facta anno Domini milleſimo quingenteſimo octogeſimoquarto: illi enim tantùm, vt legitimæ atque germanæ, acceſſerunt litteræ Apoſtolicæ, datæ die decimaquarta Ianuarij, eodem anno: cui

cui etſi ex noſtris Notationibus leuis certè aliqua acceſſit emendatio, vel ſi quid additum reperitur (quod quidem perrarò factum inuenies) id nos eius, cuius ſumma eſt in Eccleſia auctoritas, conſtanti voluntate feciſſe, Lector intelligat.

## CAPVT IX.

### *De ceteris antiquis Martyrologiis.*

ETſi hac in re noſtrum præcipuum inſtitutũ ſit de Romano dumtaxat Martyrologio agere: tamen ab eo alienum non putamus, ſi ſummatim & reliquorum meminerimus, cùm præſertim eadem omnia ab ipſo ducant originem, ab eoque, veluti è fonte riui, dimanent. Habet, ſi quis plura quærat, eius argumenti luculentam piamque valdè ac eruditam lucubrationem R.D. Ioannis Molani Theologi Louanienſis, quam in ſecunda ſui Vſuardi editione poſuit, Appendicis de Martyrologiis titulo prænotatam; de qua illud, quod dignum admiratione videtur, Lectorem commonendum putamus: Cur nempe ille de cunctis Martyrologiis eruditam inſtituens tractationem, de Romano tamen Martyrologio agere prætermiſerit? Id quidem non iniuria, vel (quod procul abeſt à viro pientiſſimo) dolo malo factum noueris: ſed quòd exiſtimauit Romanam Eccleſiam non alio quàm Vſuardi vti Martyrologio: id enim ipſe teſtatur eodem libello cap. 4. ſicque agens de Martyrologio Vſuardi, ea ratione & Romano ſatisfactum putauit: credidit enim nullum aliud reperiri Romanum Martyrologium ab eo, quod typis excuſum Venetiis, ſcriptum, emendatum, editumque habetur, auctore Alexandro de Peregrinis preſbytero Brixienſi. Præterierunt enim Molanum quamplurima antiqua manuſcripta Romani Martyrologij exemplaria, ex quibus, quodnam, qualéve eſſet germanum ipſum Romanum Martyrologium, intelligere certiùs potuiſſet. Tulerabilis quidem & venia dignus error; cùm ipſe tam longè poſitus ea neſciuerit, quæ illi qui Romæ agunt vix magno labore, peruigili diligentia, & ſumma ſunt induſtria conſecuti. Gauiſus verò non mediocriter fui, cùm nuper opportunè admodum, acciocto iam ad ſecundam editionem typographo, coniecturam ſuſpicionemque hanc meam ex litteris R. D. Henrici Grauij Theologi Louanienſis minimè vanam aut inanem fuiſſe cognoui. Scribit is enim ad me, R. D. Molanum, accepto iam recèns edito Romano Martyrologio, notationes mox ſuas, quas in Vſuardum iampridem ſcripſerat, probè recognitas auctaſque eidem Martyrologio attemperaſſe atque accommodaſſe, ſed eo præmatura morte ſubtracto, minùs facere licuiſſe. Quæ proinde mihi cauſa fuit, vt apud prædictum D. Grauium per litteras agere cœperim, vt eruditiſſimi viri monumentum edere non prætermitteret: ita enim futurum, vt duorum vel trium concurrente teſtimonio, veritati poſſit firmiùs eſſe conſultum. Equidem tanti viri, de Eccleſia Dei & veritate Catholica optimè meriti, nec breuem ſcedulam deperire æquanimiter patior: cui (dicam ingenuè) iſtæc omnia hac ex parte accepta fero, quòd in denſiſſimam ſiluam primus ipſe ingreſſus, mihi aliiſque aditum patefecit: quo etiam nomine cùm ego, tum eruditi omnes plurimum ei debere, lubenter agnoſcimus & confitemur. Id hoc loco inſerere viſum fuit, partim boni viri memoriæ cauſa, partim ne quis eius conſilij ignarus, ſecùs quàm ſe res habeat, factum eius accipere aut interpretari fortaſſe poſſit. Verùm ea de re hactenus: iam ad inſtitutum redeamus. Poſt Martyrologium Romanum, quod æquè & Hieronymi nomine olim editũ reperimus, illud Bedę primo loco ponitur, de quo auctor Catalogi Scriptorum eius, qui habetur excuſus poſt præfationem eiuſdem Bedæ lib. de temp. hæc ait: Martyrologium ſcripſit de natalitiis Sanctorum diebus, in quo omnes quos inuenire potuit, nõ ſolùm qua die, verùm quo genere certaminis, vel ſub quo Iudice vixerint diligenter adnotare ſtuduit. Hæc ibi. Mea quidem ſententia nihil aliud Beda feciſſe videtur, niſi quòd Romanum Martyrologium, cuius (vt vidimus) S. Gregorius meminit, in Angliam per Auguſtinum vel ſucceſſores allatum, aliquibus additionibus auxit; quas aliquanto prolixiores fuiſſe, argumento ſunt ea quæ ex eodem recitat Amalarius de Offic. Eccleſiaſt. lib. 2. cap. 24. & de Ord. Antiph. cap. 28. aliquot tamen dies nominibus Martyrum vacuos reliquiſſe (cauſa autem ignoratur) eoſque Flori additamentis ſuppletos, Ado in ſui Martyrologij præfatione teſtatur. Meminit eiuſdem Flori Vſuardus, necnon & Sigebert. de viris illuſtr. cap. 94. Fuit monachus ordinis S. Benedicti in monaſterio S. Trudonis Leodienſis diœceſis, vt teſtatur Trithem. de viris illuſtr. ord. S. Benedict. cap. 44. Poſt Bedam ac Florum, poſt annos circiter ſeptuaginta, temporibus Caroli Magni, Vſuardus & ipſe monachus ordinis S. Benedicti, natione Gallus (vt de eodem tradit Trithemius) ſcripſit Martyrologium; & quod ab aliis prętermiſſum vidiſſet, adiecit: id enim ipſe ſua præfatione teſtatur, dum ait: Venerabilium Hieronymi ſcilicet

& Bedæ

& Bedæ preſbyterorum piis quamuis & ſuccinctis ſuper hoc prouocabar deſcriptis; quorū prior breuitati ſtudens, alter verò quamplures Kalendarum dies intactos relinquens, multa inueniuntur huius operis præteriiſſe neceſſaria: quos tamen ſecutus, cenſui & Flori, memorabilis viri, laniora iam in eo ipſo negotio ſequi veſtigia, præſertim in ſecundo eiuſdem libro; ibi enim multa, quæ in priori omiſerat, & correxit, & addidit. & ſi quid, præter quod ab illis accepi, hoc tempore auctum vel mutatum eſt, ſagaci à me indagine id perquiſitum agnoſci poterit. Hęc Vſuardus: quibus conſtat, non tantùm ceterorum antiquorum Martyrologia ab eo fuiſſe per ſuum aucta, ſed etiam emendata. Poſt annos ab his circiter quinquaginta Vuandelbertus diaconus & monachus Prumienſis cœnobij, qui claruit ſub Lothario Imp. anno Domini 850. inter illorum temporum poëtas non ignobilis, heroico carmine Martyrologium ſcripſit, cuius meminit Sigebert. de viris illuſt. cap. 130. & Trithem. pluribus lib. de vir. illuſt. ord. S. Benedicti cap. 36. Putatur illud ipſum eſſe, quod apud Bedę tomum primū legitur ſub titulo Ephemeridum Bedæ: ſed cùm in eo nonnulla recenſeantur quæ poſt Bedæ tempora contigerunt, certè Bedæ non eſſe, exploratum habetur. Poſt prædictos, Ado Epiſcopus Viennenſis, vir laudatiſſimus, qui claruit temporibus Gregorij Papę Septimi, & ipſe locupletius ſcribens Martyrologiū, non tantum quę ab alijs viderentur prętermiſſa ſuperaddidit; ſed & quę à ceteris breuiùs dicta eſſent de paſſionibus Martyrum, fuſiùs enarrauit. Qui autem poſt hæc diuerſis temporibus in eodem ſcribendi genere verſati ſint (quoniam de antiquioribus tantùm agere animus eſt) qui ſcire cupit, conſulat prædictum Molani libellum. Ceterùm ſi quis horum omnium quæ à nobis ſunt recenſita Martyrologia, & quæ poſteà acceſſerunt, originem petat, & ad ſuum principium reducere velit: omnia è Romano, velut ex trunco ramos, producta eſſe cognoſcet. quæ etiam ſi (vt de fluminibus accidit, quæ cùm è ſuo fonte modica ſcaturigine fluant, licet maiorū fluminum acceſſione turgeſcant, tamē nomen, quod ab eo acceperant, non tantùm non amittunt, ſed communicant ceteris) ſic à ſuo principio nomen ſumerent: prædicta omnia, non Hieronymi, non Bedæ, vel Flori, non Vſuardi, Adonis, aliorúmve nomine eſſent inſcribenda, ſed Romani Martyrologij ab hoc vel illo aucti, eſſent potiùs titulo conſignanda.

## CAPVT X.

### *De falſis hæreticorum martyribus, eorumdemque pſeudomartyrologiis.*

HIs iam de Romano Martyrologio enarratis, & è claris puriſque Eccleſię Catholicæ fontibus ductis, ac quæ quiſque pius ſequi debet oſtenſis: non ab re fore exiſtimamus, immò operæpretium ducimus, ſi & de falſis martyribus, atque pſeudomartyrologiis ab hæreticis ſcriptis agamus: ac primùm oſtendamus, nuſquam genuinum, niſi in Eccleſia Catholica eſſe cum corona martyrium. Haud longior vel ambigua de huiuſmodi quæſtione diſputatio eſſe poteſt, quàm Apoſtolus, iam prolata ſententia, definiuit, dum ad Corinthios ſcribēs 1. cap. 13. Hæc de ſeipſo (ne cuiuſuis meriti ſibi homo blandiatur) ait: Si tradidero corpus meū, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Sic ille, & non aliunde quàm ex lege Chriſti apud Lucam aientis cap. 11. Qui non eſt mecum, contra me eſt; & qui non colligit mecum, diſpergit. In eamdem ſententiam plura in Conſtit. Clement. lib. 1. c. 9. Sed audiamus, quid de his ſcribat ſanctus Cyprianus ad Antonianū epiſt. 52. edit. Pamel. Si (inquit) ab Eccleſia durè & crudeliter ſegregatus, ad Gentiles ſe vias & ſæcularia opera conuertat, vel ad hæreticos & ſchiſmaticos, reiectus ab Eccleſia, tranſeat, vbi etſi occiſus propter nomen poſtmodum fuerit extra Eccleſiam conſtitutus, & ab vnitate atque charitate diuiſus, coronari in morte non poterit. Et in fine: Apoſtatæ verò & deſertores, vel aduerſarij, & hoſtes, & Chriſti Eccleſiam diſſipantes, nec ſi occiſi pro nomine foris fuerint, admitti, ſecundùm Apoſtolum, poſſunt ad Eccleſiæ pacem, quando nec ſpiritus, nec Eccleſiæ tenuerunt vnitatem. Hæc ibi. Idem ad Cornelium Papam epiſtola 54. Idoneus (inquit) eſſe non poteſt ad martyrium, qui ab eccleſia non armatur ad prœlium, &c. Et ad eumdē epiſt. 57. Non eſt quòd ſibi in confeſſione nominis blandiatur, cùm conſtet, ſi occiſi huiuſmodi extra Eccleſiam fuerint, fidei coronam nō eſſe, ſed pœnam potiùs eſſe perfidiæ, nec in domo Dei inter vnanimes habitaturos eſſe, quos videmus de pacifica & diuina domo furore diſcordię receſſiſſe. Hęc & alia in eamdem ſententiam ad Iubaianum epiſtola 73. de oratione Dominica, & de vnit. Eccleſiæ ſæpiùs ingerit; vt cùm ait: Eſſe Martyr non poteſt, qui in Eccleſia non eſt: ad regnum peruenire non poterit, qui eam, quæ regnatura eſt, derelinquit. Et paulò pòſt: Cum Deo manere non poſſunt, qui eſſe in Eccleſia Dei vnanimes noluerunt: ardeant licet flammis, vel ignibus traditi, vel obiecti beſtiis animas ſuas ponant,

non

non erit illa fidei corona, ſed pœna perfidiæ, nec teligioſæ virtutis exitus glorioſus, ſed deſperationis interitus: occidi talis poteſt, coronari non poteſt. Hæc Cyprianus,& alia plura eodem argumento. Eadem Optatus Mileuit. contra Parmenian. libro 3. cùm ait: Si ſuprà memoratos videri martyres vultis, probare illos amaſſe pacem, in qua prima ſunt fundamenta martyrij, aut dilexiſſe Deo placitam vnitatem, aut haboiſſe cum fratribus vnitatem, ſine qua nullum vel nomine poteſt, vel re eſſe martyrium, &c. Hæc ipſa ſanctus Auguſtinus, agens contra Donatiſtas, ſexcentis ferè locis inculcat, quæ breuitatis cauſa enumerare prætermittimus. Hæc Ioannes Chryſoſtomus & Hieronymus dixere, ac omnes quotquot fuerunt in Eccleſia Catholici Patres. Sed quid ampliùs? Dei Eccleſia ſicut omnes reſpuit hęreticos pſeudomartyres, ſic non omnes recipit cõmunionis Catbolicæ qui videntur Martyres, ſed eos tantùm, quos ſicut fide, ita & charitate nouit eſſe probatos. Nam & in his multæ ſubeſſe poſſunt cauſæ ſubeundi martyrium, quæ Deo diſplicent; quales erant illi, quorum meminit ſanctus Auguſtinus in Breuic. collar. diei 3. cap. 13. In eamdem ſententiam S. Hieronymus in comment. in epiſt. ad Galat. lib. 3. cap. 5. hæc ait: Vide quantum bonum ſit charitatis. ſi ita martyrium fecerimus, vt noſtras velimus ab bominibus reliquias venerari: ſi opinionem vulgi ſectantes, intrepidi ſanguinem fuderimus, & ſubſtantiam noſtram vſque ad mendicitatem propriam dederimus; huic operi non tam præmium, quàm pœna debetur, & perfidiæ magis tormenta ſunt, quàm corona victoriæ. Hæc ibi, & eadem ferè infrà cap. 4. A cultu talium pſeudomartyrum auocat Fideles Concilium Laodicenum can. 34. itemq; Conciliũ Carthaginenſe primum can. 2. his verbis: Martyrum dignitatem nemo profanus infamet, neque ad paſſiua corpora, quæ ſepulturæ tantùm propter miſericordiam eccleſiaſticam commendari mandatum eſt, redigat; vt aut inſania præcipitatos, aut aliquo tali pacto, aut alia ratione peccati diſcretos, non ratione vel tempore competenti, quo martyria celebrantur, Martyrum nomine appellet. At ſi quis ad iniuriam Martyrum, claritati eorum adiungat infamiam: placet eos, ſi laici ſint, ad pœnitentiam redigi; aut ſi ſunt clerici, poſt commonitionem, & poſt cognitionem honore priuari. Vniuerſi dixerunt: Rectè ſtatuit ſanctitas veſtra: hoc & ſingulis Conciliis ſtatutum eſt. Hactenus Concil. Cartbag. tempore Conſtantis filij Conſtantini Imp. Docuerunt hoc ipſum exemplo & ipſi ſancti Martyres, qui ad vltimum vſque ſpiritum cum hæreticis, qui Chriſtianæ fidei cauſa eodem detinebantur incluſi carcere, licet breui ſupplicium ſubituri martyrij, communicare vel ſaltem verbo recuſabant, vt teſtatur Apollinaris Hierapolis Epiſcopus, antiquus Theologus, apud Euſebium hiſt. lib. 5. cap. 15. in fine. Cùm autem viderent hæretici Catholicam Dei Eccleſiam ſpiritualibus chariſmatibus affluentem, innumeriſque ſanctorum Martyrum trophæis nobilitatam: eius gloriam æmulantes, & ipſi Martyres fingere, pſeudomartyres habere, & falſa Martyrologia conſcribere ſtuduerunt. Qui eiuſmodi laborarunt inſania, fuerunt in primis Marcionitæ, ac ſubinde Cataphrygæ, qui & Montaniſtæ ſunt appellati; de quibus idem qui ſuprà Apollinaris hæc ſcribit: Cùm iam omnia illorum argumenta, quæ ſuprà poſuimus, ſint penitus confutata, & nihil habeant quod dicant amplius: ad Martyres confugiunt, ſeque affirmant complures habere Martyres, atque boc certum argumentum eſſe virtutis & potentiæ, quæ eſt in propbetico illorum ſpiritu. Ceterùm iſtud (vt videtur) à veritate alieniſſimum eſt: etenim non pauci aliarum hæreſum propugnatores permultos venditant ſe habere Martyres: non tamen proptereà illis conſentiemus, neque illos veritatem penes ſe habere fatebimur. Qui primi ex Marcionis hæreſi Marcionitæ vocati ſunt, permultis ſe Chriſti Martyribus abundare prædicant: ſed tamen Cbriſtum ipſum (vti veritas poſtulat) minimè confitentur. Hæc ille apud Euſebium hiſt. lib. 5. cap. 15. Porrò iidem, aduerſus quos ſcribit, Cataphrygæ, quo maiorem Martyrum numerum coagmentarent, quaſi ex Paracleto iactabãt, non eſſe fugiendum tempore ingruentis perſecutionis, vt habes non tantùm expreſſum, ſed & defenſum à Tertulliano, dum & ipſe iiſdem mali ſpiritus agitaretur furoribus, eo libro cuius eſt titulus, De fuga in perſecutione. Ceterùm quales fuerint eiuſmodi nebulones, qui martyrij gloriam venabantur, ſatis ſit in præſentiarum in exemplum adducere Alexandrum pſeudomartyrem, de quo Apollonius, clarus inter antiquos ſcriptores Eccleſiaſticos hæc ſcribit apud Euſebium hiſt. lib. 5. cap. 17. Vt non de pluribus verba faciamus, dicat nobis ipſa propbetiſſa de Alexandri facinoribus, qui ſe Martyrem prędicat, & quem ipſa conuiuio excepit familiariter: quem etiam alij complures adorant: cuius latrocinia & alia flagitiorum genera, pro quibus debitas pœnas perſoluerit, nihil noſtra intereſt commemorare, præſertim cùm in ipſas tabulas publicas ſatis accuratè relata ſint, &c. Proſequitur ſcelerum eius longiorem hiſtoriam. Eiuſmodi erant & pſeudomartyres Nouatiani, in quos ſæpè Cyprianus

Digitized by Google

prianus inuehitur. Quid memorem Euphemitas hęreticos, qui ob multitudinem ſuorum pſeudomartyrum, Martyrianos ſeipſos cognominarunt? Agit de his Epiphanius in Panar. hæreſ. 80. Norunt omnes & Donatiſtas: quibus etſi tempore pacis Eccleſiæ deficeret perſecutor, adeò inſani martyrij gloria capti erant, vt ſpontanea deligerent præcipitia, vel mille modis aliunde ex induſtria neces voluntariè comparatas oppeterent: de quibus Optatus Mileuitanus, Auguſtinus ſæpiſſimè, ac etiã Theodoretus ſcripſerunt. Habuerunt & Ariani pſeudomartyres, inter quos excelluit execrandus ille carnifex Georgius pſeudo-epiſcopus Alexandrinus, de quo ſcribit Epiphan. in Panar. hæreſ. 76. contra Anomœos. Nec hiſce monſtris caruere Priſcillianiſtæ. At omnes recenſere, longum nimis eſſet. Sed diſſimulare non poſſumus noſtri ſæculi hæreticorum extremam dementiam, qui (proh dolor) apoſtatarum, ſacrilegorum, ſicariorum, flagitioſorum, turpiſſimorum, ac denique omnibus ſordibus inquinatorum hominum catalogum texentes, & ipſi pſeudomartyrologia conſcripſere, Augiæ planè ſtabulum. Sed quid mirum? Habent veſpæ, ſicut & apes (inquit Tertullianus aduerſus Marcionem lib. 4.) fauos ſuos? quę etſi in cellularum conſtructione illas omnino imitari videntur; tamen non ſicut illæ in vnam eamdemque domum conueniunt: carent enim alueario, quia neſciunt vnitatem, nec inſuper mel, quod illuc inferant, habent: ac licet fauum ſummo labore confecerint, cellulas cellulis intexendo; tamen inanis, aridus, ac melle vacuus ſemper eſſe conſpicitur. Porrò fauus mellis in Eccleſiæ alueario tantummodò reperitur, quem vnà cum parte piſcis aſſi poſt reſurrectionem Chriſto obtulerunt Apoſtoli, de quo & ſcriptum eſt in Cant. cap. 4. Comedi fauum cum melle meo: quem & à ſanctis Martyribus in perſecutorum rabie coagmentandum (quod habet Iud. cap. 14.) fauus ille mellis ex ore leonis à Sampſone depromptus, typicè demonſtrauit. Sic etenim fauus Eccleſiæ eſt melle plenus, vt ſcateat; ſic ſacris chariſmatibus affluens ac redundans, vt effluat. Audi quid vertex ille Theologorum S. Gregorius Nazianzenus de Catholicæ Eccleſiæ Martyribus dicat, ſcribens in Iulianum Apoſtatam: Ab his dæmones pelluntur, & morbi curantur, quorum apparitiones & prędictiones, quorũ vel ſola corpora idem poſſunt quod animę, ſiue manibus contrectentur, ſiue honorẽtur; quorum vel ſolæ ſanguinis guttæ atq; exigua paſſionis ſigna idem poſſunt quod corpora. Hæc ille in Iulian. orat. 1. ſed eodem argumento hæc locupletiùs in Cygn. carm. dum ait: Orbem igitur hunc pænè totum, inſtar ſiderum ſerenis ſplendoribus, ſublimibus thronis, doctrinis, cœtibus, concurſibus integrarum familiarum, hymnis conuenientibus colluſtrant hi, qui iugulati, Chriſti glorioſi ſunt victores. Eſtque adeò frequens horum luctæ certaminumque veneratio, vt exiguus puluis, aut reliquiæ veterum oſſium, totius ad honorem ſufficiat; & nonnullorum ſaltem appellationem reliquiarum omnino expertem ſcio locis certis inditam eſſe pro toto Martyre, quæ tamen eamdem vim obtinuerit. O rem prodigioſam! ſalutem affert ſola recordatio. Quid ſi commemorem morborum, malorumque dæmonum purgationem incredibilem à ſepulchris profectam, quæ meruerunt aliquando recipere, ſpirituum illorum incurſionibus reſiſtentia? talia ſunt meorum athletarum miracula. Hæc Gregor. vbi ſuprà de ſummiſſ. animi, caſtitate, & temp. edit. Leuencl. Magna ſunt hæc; ſed quod ad reliquias ſpectat, maiora his addimus; quod non tantùm tenuis puluis ex oſſibus Martyrum, capillus, vel pannus vilis, aliaque tenuiora eorumdem Martyrum monumenta talia præſtent; ſed etſi ſuper illorum ſepulchra flores, vel alia huiuſmodi admoueantur, tantam ex his quæ intus ſunt ſacris reliquiis virtutem hauriant, vt ad animarum corporumq; ſalutem conſequendam, ac inſuper ad mortuos excitandos poteſtatem accipiant. Eſt de his omnibus locuples teſtis ſanctus Auguſtinus, qui de ciuitate Dei libro 22. cap. 8. aliiſque in locis hæc fuſius eſt proſecutus. Sed adhuc maiora his accipe. Puluis ipſe, qui ſitu ſepulchrum obducit, vel circa ipſum iacens pedibus teritur, virtute Martyrum miracula ingentia edere conſueuit: quam ob cauſam Chriſtiani peregrinantes ad veneranda Martyrum ſepulchra, pro magno munere ſanctum illum colligere puluerem, vt magni pretij margaritas recondere, ſecum ferre, & ad conciliandam ſibi ſanctorum Martyrum gratiam domi aſſeruare conſueuerunt. Habes de his egregium teſtimonium Gregorij Nyſſeni in orat. in laudem magni Martyris Theodori, in hunc modum dicentis: Si quis puluerem, quo conditorium, vbi Martyris corpus quieſcit, obſitum eſt, auferre permittat: pro munere puluis accipitur, atque tamquam res magni pretij condenda terra colligitur, &c. Porrò quot quantáve miracula ex puluere tumulis Sanctorum collecto Deus operari conſueuerit, conſule eum, qui hæc eſt ſæpè expertus, fidum teſtem Gregorium Turonenſem lib. 2. de mirac. S. Mart. cap. 1. lib. 3. cap. 12. lib. 4. cap. 22. & 33. & ſequent. de glor. Mart. libro 1. cap. 62. & libro 2. cap. 24. 33. & 45. vbi admiranda reperies. Sed quod adhuc prædicta omnia ſuperare videtur: ipſum oleum, quod nec ſepulchra

Mat-

Martyrum tangit, ſed citca vel deſuper ipſa in lampadibus atdet, eamdem omnino, quæ ex ſacto Martyris corpote manare conſueuit, grariam miraculorum nanciſci ſolitum, iam plurima de ea re edita tam apud Græcos quàm Latinos exempla declarant. Habes id in primis egregiè teſtatum à Theodoteto in hiſtoria ſanctorum Patrum, Theophilis appellata, cap. 21. in Iacobo, vbi admiranda leges de lecytho olei ex lychnis ad Martyrum ſepulchra appenſis collecti. Veoantius Fortunatus & ipſe, quam ex eodem oleo ſit gratiam conſecurus, egregiè carmine cecinit libro 4. vit. S. Mart. in fine: cui & adſtipulatut Paulus diaconus de geſtis Longobatd. lib. 2. cap. 9. Id generis complura narrat Gtegotius Turonenſis, quæ ſuis temporibus acciderunt, vt lib. de glotia Confeſſ. cap. 3. & 9. Id ipſum de cera cap. 10. & 69. aliiſque in locis. Hæc ſunt quæ obiter, prædictorum occaſione, ex Catholicæ Eccleſiæ fauis mella depromſimus. Sed premant hæretici licet atque contorqueant veſpatum ſuarum fauos aridos & inanes, non eſt quòd vel ſaltem guttulam vnam diuinæ virtutis in operatiune miraculorum elicere valeant: ad ſtabiliendam enim fidei veritatem eiuſmodi ſigna atque prodigia ex ſacris Martyrum reliquiis Deus oſtendi voluit, vt pluribus docet ſanctus Auguſtinus de ciuitáre Dei lib. 22. cap. 9. & 10. à qua cùm illi ſemel excidetint, his carere neceſſe eſſe quis dubitat? Ad hæc mox illi, ex diuina Scriptura comparata tergiuerſatione, vel potiùs honeſta fuga: Signa, inquiunt, non fidelibus, ſed infidelibus. Sic olim & Vigilantius, in quem Hietonymus: Nolo, ait, mihi dicas, Signa infidelium ſuot: ſed reſponde, quomodo in viliſſimo puluere & fauilla, neſcio qua, tanta ſit ſignotum virtutumque præſentia. Sentio, infeliciſſime mortalium, quid doleas, quid timeas: ſpiritus eſt immundus, qui hæc te cogit ſcribere; ſæpè hoc viliſſimo tortus eſt puluere. Hæc ille, & alia plura id generis. Eſto, ſigna ſint infidelium, quales nos eſſe iactatis: certè nobis illa debentur, qui falſis dogmatibus veſtris non ctedentes, adeò aduetſamur, veſtroſque pſeudomartyres execramut. Exhibeantut ab illis illa diuina miracula, quæ olim à ſanctis Martyribus, Gentilibus non credentibus, deteſtantibus, ac perſequentibus, vt ctederent, benedicerent, atque adoratent, ſuot exhibita. Si tantopere conamini vt vobis aſſentiamut, vel vnum ſaltem ex tanta pſeudomartyrum tutba diuinum miraculum editum demonſtrate. Sed quid? numquid colligere poterunt ex ſpinis vuas, aut de tribulis ficus? Certè ex ſententia Domini, non poteſt arbot mala bonos fructus facere. Sed habent non tantùm quod de ſuis ſic excuſent, ſed & de noſtris accuſent. Cùm etenim ex ſanctis Martytibus prodimus certa fide teſtata miracula; quid ad hoc illi, niſi quæ ipſorum patriarchæ dixerunt in Chriſtum Dominum Scribæ & Phatiſæi: In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia? vt habet Matth. 9. Marc. 3 & Luc. 11. Hæc eadem olim (vt auctor eſt S. Hietonymus in Vigilant.) impius Potphyrius, Iulianus Apoſtata in Chriſtianos. hæc Eunomius hæreſiarcha, Vigilantius, Euſtathius Sebaſtenus, & Claudius Taurinenſis in Catholicos: hæc denique noſtrorum temporum Hagiomachi, fæces hæreticorum, vnà cum prædictis effutiunt. Sed ago gratias Chtiſto meo, qui has & ipſe calumnias paſſus, pro ſe ſuiſque Martytibus in ſacto Euangelio apud Marcum cap. 3. & Lucam cap. 11. luculentam defenſionem inſtituete, & ad curandam tantam mentis inſaniam præſentaneum antidotum præparare dignatus eſt: quo vtinam miſelli iſti vterentur, vt aliquando tandem, licet ſetò, ſed ſeriò teſipiſcerent. Verùm de his ſatis, ac fortaſſe pluſquam inſtituti tatio patiatur: cùm non ſit meum conſilium in præſentiarum de dogmatibus diſputare: id etenim cùm præſtitere complutes diſertiſſimi viri, tum præſertim R. D. Alanus Copus, Anglicanæ Eccleſiæ ornamentum, in hoc ſcribendi genere magna cum laude verſatus eſt, qui aduerſus huiuſcemodi pſeudomartyrologos, piè admodum, diſertè valdè, ac luculenter noſtris temporibus ſcripſit.

*** EXPLI-

Digitized by Google

# EXPLICATIO EORVM QVÆ IN MARTYROLOGIO ROMANO AD PRONVNTIATIONEM LVNÆ PERTINENT.

IN hoc Martyrologio litteræ quæ ordinatim ſupra Sanctorum hiſtorias ſunt diſpoſitæ, indicant ſingulis diebus totius anni, quota Luna ſit pronuntianda, ſuntque numero 30. quot nimirum ſunt Epactæ, ex quibus cyclus Epactarum compoſitus eſt: quarum hæc eſt ſignificatio: Littera a, ſignificat Epactam j; b, Epactam ij; c, Epactam iij; d, Epactam iiij. & ſic deinceps aliæ litteræ alias Epactas ſignificant, vt in appoſita tabella perſpicuum eſt, in qua ſingulis Epactarum numeris ſingulæ quoque litteræ reſpondent, modò maiuſculæ, & modò minuſculæ.

| | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l |
| j | ij | iij | iiij | v | vj | vij | viij | ix | x | xj |
| m | n | p | q | r | ſ | t | u | A | B | |
| xij | xiij | xiiij | xv | xvj | xvij | xviij | xix | xx | xxj | |
| C | D | E | F | f | G | H | M | N | P | |
| xxij | xxiij | xxiiij | xxv | 25 | xxvj | xxvij | xxviij | xxix | * | |

Vltima tamen Epacta non eſt ſignata numero arithmetico, ſed hac nota *, cui reſpondet littera P, maiuſcula. Subſtituuntur autem huiuſmodi triginta litteræ in locum triginta numerorum Epactarum, ſecundùm antiquam Eccleſiæ conſuetudinem, quæ loco Aureorum numerorum litteras ponebat, ne fortè in Luna pronuntianda fiat error & confuſio inter numeros cycli Epactarum, & numeros deſignantes quot dies habeat Luna. Ceterùm quamuis Martyrologium ſit conſtructum ex triginta litteris ſignificantibus triginta numeros cycli Epactarum; ad inueniendum tamen Lunæ coniunctiones, & dies Lunares, non vtimur omnibus triginta, ſed tantùm decem & nouem adhibemus, quot nimirum ſunt Aurei numeri, per quos huiuſmodi triginta litteræ & Epactæ æquantur, progrediunturque; & in quorum locum, ad oſtendendum quota ſit Luna, nouemdecim Epactæ ſuccedunt, quemadmodum in propoſita

*Tabella litterarum Martyrologij reſpondentium Aureis numeris & Epactis ab Idibus Octobris anni correctionis 1582. detractis priùs decem diebus, vſque ad finem anni 1699.*

| | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Aur. num. | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |
| Epactæ. | xxvj | vij | xviij | xxix | x | xxj | ij | xiij | xxiiij | v |
| Litt. Mart. | G | g | t | N | k | B | b | n | E | e |
| Aur. num. | 16 | 17 | 18 | 19 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | |
| Epactæ. | xvj | xxvij | viij | xix | i | xij | xxiij | iiij | xv | |
| Litt. Mart. | r | H | h | u | a | m | D | d | q | |

tabella apparet, in qua decem & nouem Aureis numeris reſpondent totidem Epactæ & litteræ, quæ ab Idibus Octobris anni correctionis 1582. (detractis priùs decem diebus) vſque ad annum 1699. incluſiuè, pro quo tempore tabella hæc compoſita eſt, aſſu-

aſſumendę ſunt, donec ad aliud tempus perueniatur, in quo alia tabella accipienda erit, in qua eiſdem decem & nouem Aureis numeris aliæ Epactæ & litteræ reſpondebunt. Diuerſis enim modis inuicem diſponuntur & coniugantur Aurei numeri cum Epactis & litteris Martyrologij, prout Solaris & Lunaris anni magnitudo expoſcit, vt in libro nouæ rationis reſtituendi Kalendarij Romani explicatur, atque exemplum habes in ſequentibus duabus tabellis, quarum prioris vſus incipit ab anno 1700. incluſiuè, duratque vſque ad finem anni 1899. Poſterior autem vſum habet ab anno 1900. incluſiuè, vſque ad finem anni 2199. Reliquæ verò litteræ, quę in margine exteriore Martyrologij rectà deſcendunt, ſunt litterę Dominicales; quibus hebdomadæ, dies Dominicæ, atq; hebdomadarum feriæ denotantur. Numeri item, qui prope litteras Dominicales antiquis numerorũ notis ſunt deſcripti, ſpectant ad cyclum Epactarum, è regione quorum ſemper inuenies ſingulis diebus totius anni Lunæ coniunctionem, ſeu Lunam primam ſub littera ipſius Epactæ ſignificatiua. In margine denique interiore dies menſium vulgaribus numerorum notis ſunt expreſſi.

*Tabella litterarum Martyrologij reſpondentium Aureis numeris & Epactis ab anno 1700. incluſiuè, vſque ad finem anni 1899.*

| | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Aur. num. | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |
| Epactæ. | ix | xx | j | xij | xxiij | iiij | xv |
| Litt. Mart. | i | A | a | m | D | d | q |
| Aur. num. | 17 | 18 | 19 | 1 | 2 | 3 | 4 |
| Epactæ. | xxvj | vij | xviij | * | xj | xxij | iij |
| Litt. Mart. | G | g | t | P | l | C | c |
| Aur. num. | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | | |
| Epactæ. | xiiij | xxv | vj | xvij | xxviij | | |
| Litt. Mart. | P | F | f | ſ | M | | |

*Tabella litterarum Martyrologij reſpondentium Aureis numeris & Epactis ab anno 1900. vſque ad finem anni 2199.*

| | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Aur. num. | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |
| Epactæ. | xxix | x | xxj | ij | xiij | xxiiij | v |
| Litt. Mart. | N | k | B | b | n | E | e |
| Aur. num. | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | |
| Epactæ. | xvj | xxvij | viij | xix | * | xj | |
| Litt. Mart. | r | H | h | u | P | l | |
| Aur. num. | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | |
| Epactæ. | xxij | iij | xiiij | 25 | vj | xvij | |
| Litt. Mart. | C | c | P | F | f | ſ | |

Ad pronuntiandum itaque quota ſit Luna, ſumendus eſt primùm Aureus numerus anni currentis in ſuperiori ordine proximæ tabellæ, vel Epacta currens in medio ordine tabellæ: deinde littera, quæ in tertio & inferiori ordine eiuſdem tabellæ illi Aureo numero vel Epactæ reſpondet. Hæc enim littera per numerum qui in Martyrologio ſub ea re-

reperitur, oſtendet quota Luna ſit pronuntianda ſingulis diebus totius anni currentis.

Exemplum. Anno correctionis 1582. Aureus numerus currens eſt 6. & Epacta xxvj. ſub quo Aureo numero, vel Epacta in ſupraſcripta tabella inuenies litteram G, maiuſculam. Hęc ergo ab Idibus Octobris, detractis prius decem diebus, indicabit quot dierum ſit pronuntianda Luna in Martyrologio Romano ſingulis diebus vſque ad vltimam diem Decembris prædicti anni correctionis 1582. Item anno 1583. iam emendato tam Aureus numerus quàm Epacta erit vij. ſub quo Aureo numero, vel Epacta in eadem tabella reperitur littera g, minuſcula, quæ toto eo anno oſtendet in prædicto Martyrologio, quota ſit Luna pronuntianda. Ita vides Lunam primo die Ianuarij pronuntiandam eſſe octauam; ſecundo die nonam, tertio decimam, &c. Lunam autem eſſe primam nono Kalend. Februarij, hoc eſt die 24. Ianuarij, & ita de ceteris.

Quemadmodum autem ſingulis annis mutatur Aureus numerus & Epacta in Kalen. Ianuarij, ita etiam cum Aureo numero & Epacta mutatur littera Martyrologij. Vt quemadmodum anno 1587. Aureus numerus eſt 11. & Epacta xxj. Anno verò 1588. in Kalendis Ianuarij Aureus numerus eſt 12. & Epacta ij. Ita quoque anno 1587. littera Martyrologij eſt B, maiuſcula, reſpondens Aureo numero 11. & Epactæ xxj. Anno verò 1588. in Kalend. Ianuarij aſſumenda eſt littera Martyrologij b, minuſcula, reſpondens Aureo numero 12. & Epactæ ij. adeò vt vltima die Decembris anni 1587. pronuntietur Luna ſecunda ſub littera B, maiuſcula, in Kalendis verò Ianuarij ſequentis anni 1588. dicatur Luna tertia ſub littera b, minuſcula.

Notandum autem eſt, in anno quo currit Aureus numerus 1. Lunam in Kalendis Ianuarij ſemper pronuntiandam eſſe vna die minorem, quàm in Martyrologio adnotatur, & ſic deinceps in aliis diebus vſque ad finem illius Lunationis tantùm. Exemplum: Anno Domini 1595. tam Aureus numerus quàm Epacta erit xix. littera verò Martyrologij eo anno currens erit u, minuſcula, ſub qua pronuntiabis pridie Kalendas Ianuarij, ſiue vltima die Decembris, Lunam trigeſimam: poſtridie verò in Kalend. Ianuarij anno 1596. in quo curret tam Aureus numerus quàm Epacta j. pronuntiabis Lunam primam ſub littera a, minuſcula; quamuis ſub ea inuenias annotatam Lunam ſecundam: & ita proſequeris quotidie pronuntiando Lunam vna die minorem, quouſque peruenias ad finem illius Lunationis, hoc eſt, vſque ad quartum Kalend. Februarij, à quo die excluſiuè vſque ad finem illius anni pronuntiabis Lunam, vti ſub eadem littera annotatum inuenies. Itidem in futurum faciendum erit, quotieſcumque dicto Aureo numero 1. eadem vel aliqua alia littera reſpondebit, excepta tamen littera P, maiuſcula, ſub qua ſemper Luna pronuntianda eſt, vt numerus indicat: quemadmodum & in aliis annis fieri ſolet, in quibus non currit Aureus numerus 1. ſed alij Aurei numeri: in his enim Luna pronuntianda eſt, vt indicat numerus ſub littera deſcriptus.

Vt autem intelligas vnde præcedentes tres tabellę depromptæ ſint, & qua arte aliæ conſtrui poſſint, addidimus ſequentem tabellam litterarum Martyrologij reſpondentium cyclo Epactarum perpetuam, vnà cum tabula æquationis cycli Epactarum, ex qua cuiuſque anni Epacta, & littera Martyrologij reſpondens perpetuò inuenietur, hoc modo:

*Tabella litterarum Martyrologij reſpondentium Cyclo Epactarum perpetua.*

| | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| P | l | C | c | p | F | f | f | ſ | M | i |
| * | xj | xxij | iij | xiiij | xxv | 25 | vj | xvij | xxviij | ix |
| A | a | m | D | d | q | G | g | t | N | k |
| xx | j | xij | xxiij | iiij | xv | xxvj | vij | xviij | xxix | x |
| B | b | n | E | e | r | H | h | u | | |
| xxj | ij | xiij | xxiiij | v | xvj | xxvij | viij | xix | | |

*Tabula æquationis Cycli Epactarum perpetui.*

| Anno Domini. | | Anno Domini. | | Anno Domini. | |
|---|---|---|---|---|---|
| N | 1 Biſs. | A | 2200 | q | 3600 Biſs. |
| p | 320 Biſs. | u | 2300 | p | 3700 |
| p | 500 Biſs. | A | 2400 Biſs. | n | 3800 |
| a | 800 Biſs. | u | 2500 | n | 3900 |
| b | 1100 Biſs. | t | 2600 | n | 4000 Biſs. |
| c | 1400 Biſs. | t | 2700 | m | 4100 |
| Detractis x.diebus. | | t | 2800 Biſs. | l | 4200. |
| D | 1582. | ſ | 2900 | l | 4300 |
| D | 1600 Biſs. | ſ | 3000 | l | 4400 Biſs. |
| C | 1700 | r | 3100 | k | 4500 |
| C | 1800 | r | 3200 Biſs. | k | 4600 |
| B | 1900 | r | 3300 | i | 4700 |
| B | 2000.Biſs. | q | 3400 | i | 4800 Biſs. |
| B | 2100 | p | 3500 | i | 4900 |

Quæratur in tabula æquationis annus propoſitus, vel,ſi is in tabula non inuenitur, annus proximè minor,noteturque littera alphabeti ſiue maiuſcula ſiue minuſcula ad ſiniſtrã ipſius collocata: inueſtigetur quoque Aureus numerus propoſiti anni. Deinde in tabella litterarum Martyrologij perpetua ſimilis littera notetur;& cellulę quę ab illa littera incluſiuè tertia eſt verſus ſiniſtram, Aureus numerus 1. tribuatur, & ſequenti cellulæ ad dexteram ſubſequens Aureus numerus 2.& ita deinceps,donec ad Aureum numerum popoſiti anni perueniatur, redeundo ad principium tabellæ,quando eam percurreris, computatis quoque duabus litteris F,f, quarum vna maiuſcula,& altera minuſcula,& ſub quibus Epacta xxv. huius generis numeri,& 25.huius notæ collocatur,pro vna cellula. His enim ritè peractis,ſtatim in cellula, in quam propoſiti anni Aureus numerus cadit, Epacta & littera Martyrologij illius anni reperietur. Vnum tamen diligenter obſeruandum eſt, nimirum vt quando Aureus numerus anni propoſiti maior fuerit quàm 11.nempe vnus ex poſterioribus octo Aureis numeris à 12.vſque ad 19.cecideritque in cellulam litterarum F,f, quarum prior maiuſcula eſt,& poſterior minuſcula,ſumatur Epacta 25.huius notæ,& reſpondens littera f, minuſcula; Epacta verò xxv. antiquæ notæ,& littera F,maiuſcula,ſi in eamdem cellulam aliquis ex prioribus vndecim Aureis numeris ab 1.vſque ad 11. qui omnes minores ſunt quàm 12. ceciderit.

Exemplorum appoſitione res planior fiet. Anno Domini 1582.qui eſt annus correctionis,reſpondet in tabula æquationis littera D, maiuſcula,eſtque Aureus numerus 6. Si igitur in tabella litterarum Martyrologij perpetua tribuas cellulæ litteræ a,minuſculæ, quæ tertia eſt à cellula litterę D,maiuſculæ,Aureum numerum 1.& ſequenti cellulæ ad dexteram Aureum numerum 2.& ita deinceps,cadet Aureus numerus 6.anni 1582.in cellulam Epactæ xxvj. & litteræ G, maiuſculæ: Epacta igitur xxvj. in Kalendario Nouilunia eo anno,& littera,G, maiuſcula in Martyrologio ætatem Lunæ indicabit. Item anno 1911. reſpõdet in tabula æquationis prope annum proximè minorem 1900. littera B,maiuſcula, eſtq; Aureus numerus 12. Quare ſi in tabella litterarũ Martyrologij perpetua Aureus numerus 1. tribuatur cellulæ litteræ N,maiuſculæ, quæ tertia eſt à cellula litteræ B,maiuſculæ, & Aureus numerus 2.ſequenti cellulæ ad dexteram, & ita deinceps,cadet Aureus numerus 12.anni 1911.in primam cellulam tabellæ, cùm Aureus numerus 11. cadat in vltimam, ac proinde ad principium tabellæ redeundum ſit. Erit ergo tunc Epacta *, & littera Martyrologij P, maiuſcula. Rurſus anno 1715. in tabula æquationis reſpondet littera maiuſcula C,eſtque Aureus numerus 6. Tribuendo ergo Aureum numerum 1. cellulæ litte-

ræ P, maiuſculę, quæ tertia eſt à cellula litterę C, maiuſculę in tabella litterarũ Martyrologij perpetua, & Aureum numerum 2. ſequenti cellulæ ad dexteram, & ſic deinceps, cadet Aureus numerus 6. anni propoſiti 1715. in ſextam cellulam. Quare cùm Aureus numerus 6. minor ſit quàm 12. erit tunc Epacta huius generis numeri xxv. & littera Martyrologij F, maiuſcula. Prætereà anno 1916. reſpõdet in tabula æquationis littera B, maiuſcula; eſtq; Aureus numerus 17. Quocircà ſi Aureus numerus 1. detur cellulæ litteræ N, maiuſculæ, quæ tertia eſt à cellula litteræ B, maiuſculæ in tabella perpetua litterarum Martyrologij, & Aureus numerus 2. cellulæ ſequenti ad dexteram, & ita deinceps, redeundo ad principium tabellæ cum Aureo numero 12. cadet Aureus numerus 17. anni 1916. in ſextam cellulam. Cùm ergo Aureus numerus 17. maior ſit quàm 11. erit eo anno Epacta 25. huius notæ, & littera Martyrologij f, minuſcula. Poſtremò anno 4218. reſpondet in tabula æquationis littera l, eſtque Aureus numerus 1. Quamobrem ſi tribuamus Aureum numerum 1. cellulæ litteræ u, in tabella perpetua litterarum Martyrologij, quæ tertia eſt à cellula litteræ l, verſus ſiniſtram, inuenietur Epacta anni 4218. propoſiti xix. & littera Martyrologij u: atque eodem modo Epactam & litteram Martyrologij cuiuſlibet anni inuenies in perpetuum, ſi tabula æquationis extendatur vſque ad annum propoſitum.

Id autem quod dictum eſt, currente Epacta xxv. cum Aureo numero maiore quàm 11. accipiendam eſſe Epactam 25. hoc numeri genere expreſſam, & litteram f, minuſculam, ita intelligendum eſt, vt tunc ad pronuntiandam Lunam in diebus menſium accipiatur littera f, minuſcula prope litteram F, maiuſculam, non autem illa quæ inter litteras e, & g, minuſculas collocata eſt. Atque hoc diligenter memoriæ mandetur.

Conſtructionem tam tabellæ litterarũ Martyrologij perpetuę, quàm tabulæ æquationis, quia breuiter explicari nequit, & litteræ alphabeti, quæ etiam ſunt litteræ Martyrologij, deſumuntur ex tabula cycli Epactarum expanſa, dedita opera in librum nouæ rationis reſtituendi Kalendarij Romani reiicimus, vbi tabula illa expanſa Epactarum continetur.

Ex his facilè quis tabellam componere poterit ſimilem tribus ſuperioribus, ſi velit, in qua nimirũ contineantur Aurei numeri, Epactæ, & litteræ Martyrologij certis quibuſdã annis inſeruientes. Vt quoniam vſus tertiæ tabellæ extenditur vſque ad annum 2200. excluſiue, ſi quis aliam condere velit, cuius vſus incipiat ab anno 2200. quærẽda erit Epacta & littera Martyrologij (vt iam docuimus) anni 2200. Nam ſi omnes Aurei numeri diſponantur ordine, initio facto ab Aureo numero anni 2200. qui eſt 16. & ſub Aureo numero dicti anni collocetur Epacta eiuſdem anni, & littera Martyrologij inuenta, nempe xiij, & n, minuſcula: deinde reliquæ Epactæ ordine ſub aliis Aureis numeris progrediantur per continuam additionem numeri 11. ad præcedentem Epactam, ita tamen, vt Epactæ ſub Aureo numero 19. addantur 12. non autem 11. denique ſi Epactis reſpondentes litteræ Martyrologij ſupponantur, prout in prima tabella huius canonis, vel certè in tabella perpetua litterarum Martyrologij ſunt deſcriptę, compoſita erit tabella Aureorum numerorum, Epactarum, & litterarum Martyrologij, cuius vſus incipiet ab anno 2200. durabitque vſque ad finem anni 2299. quandoquidem anno 2300. alia tabella condẽda eſt, cùm illi anno in tabula æquationis alia littera reſpondeat, nempe u. Exempli gratia: Anno dicto 2200. reſpondet in tabula æquationis littera A, maiuſcula, eſtque Aureus numerus 16. ſi igitur tribuatur Aureus numerus 1, cellulæ litteræ M, maiuſculæ, quæ tertia eſt à cellula litteræ A, maiuſculæ in tabella litterarum Martyrologij perpetua, & Aureus numerus 2. ſequenti cellulæ ad dexteram, &c. Cadet Aureus numerus 16. propoſiti anni in cellulã Epactæ xiij. & litteræ n, minuſculæ, à quibus tabella initium ſumet, progredieturque hoc modo.

*Tabella litterarum Martyrologij reſpondentium Aureis numeris & Epactis ab anno 2200. incluſiuè, vſque ad finem anni 2299.*

| | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Aur.num. | 16 | 17 | 18 | 19 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |
| Epactæ. | xiij | xxiiij | v | xvj | xxvij | ix | xx | j | xij | xxiij |
| Litt.Mart. | n | E | e | t | M | i | A | a | m | D |

| | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Aur.num. | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |
| Epactæ. | iiij | xv | xxvj | vij | xviij | xxix | x | xxj | ij |
| Litt.Mart. | d | q | G | g | t | N | k | B | b |

Cete-

Cæterùm quotieſcumque poſt aliquam tabellam litterarum Martyrologij reſpondentium Aureis numeris & Epactis alia ſubſequens aſſumitur, prout litteræ in tabula æquationis indicabunt, pronuntiabitur Luna in Kalendis Ianuarij eadem quæ vltimo die Decembris præteriti. Quoniam enim tunc Aureis numeris reſpondent Epactæ vna vnitate minores quàm in præcedenti tabella, fit, vt Nouilunia in Kalendario contingant vno die tardiùs quàm ante. Quare mirum non eſt, quòd in Kalendis Ianuarij eadem Luna pronuntietur, quæ vltimo die Decembris præteriti, vt fiat quaſi ſtatus Lunæ: quia hac ratione poſtponentur omnia Nouilunia in Kalendario vno die, vt æquatio Lunę exigit. Exemplum: Anno 1699. in quo vſum habet adhuc prima tabella litterarum Martyrologij, eſt Aureus numerus 9. ac propterea Epacta xxix. & littera Martyrologij N, maiuſcula, ſub qua vltimo die Decembris inuenietur Luna eſſe decima. Deinde anno ſequēti 1700. aſſumitur ſequens tabella, eſtque Aureus numerus 10. ac propterea Epacta ix. & littera Martyrologij i, ſub qua in Kalendis Ianuarij reperietur Luna iterùm eſſe decima, quemadmodum vltimo die Decembris inuenta fuit: quia tunc propter æquationem Lunæ fit Nouilunium die 22. Ianuarij, vbi ponitur Epacta ix. cùm alioquin fieri debuiſſet, ſi æquatio Lunæ non fuiſſet facta, die 21. Ianuarij, vbi ponitur Epacta x. quæ ſequi debuiſſet Epactam xxix. præcedentis anni 1699. cùm additis 11. ad 29. fiant 40. à quibus ſi reiiciantur 30. remanent x. pro Epacta ſequentis anni 1700. quæ tamen propter Lunæ æquationem relinquitur, & aſſumitur Epacta ix. vna vnitate minor. Rurſus anno 1899. in quo vſum adhuc habet ſecunda tabella litterarum Martyrologij, eſt Aureus numerus 19. ac propterea Epacta xviij. & littera Martyrologij t, ſub qua vltimo die Decembris reperietur Luna eſſe vigeſimanona. Deinde anno ſequenti 1900. aſſumitur ſequens tabella, eſtque Aureus numerus 1. ac proinde Epacta xxix. & littera Martyrologij N, maiuſcula, ſub qua in Kal. Ianuarij inuenietur Luna eſſe trigeſima. Sed quoniam (vt ſuprà diximus) quando Aureus numerus currit 1. pronuntianda eſt Luna in Ianuario vna die minor quàm annotatum eſt, vſque ad proximum Nouilunium, pronuntiabitur tunc Luna iterùm vigeſimanona, quemadmodum vltimo die Decembris.

Quando verò poſt aliquam tabellam litterarum Martyrologij reſpondentium Aureis numeris & Epactis, iterùm proximè antecedens tabella aſſumitur, quando nimirum in tabula æquationis ea littera reaſſumitur, quæ in præcedenti centeſimo poſita fuerat, pronuntiabitur Luna in Kal. Ianuarij duobus diebus maior, quàm vltimo die Decembris præteriti. Quoniam enim tunc Aureis numeris reſpondent Epactæ vna vnitate maiores quàm priùs, cùm nondum æquatione indigeret Luna; fit vt Nouilunia in Kalendario contingant vno die citiùs quàm antè. Quare mirum non eſt, quòd in Kalend. Ianuarij Luna pronuntietur duobus diebus maior, quàm vltimo die Decembris præteriti, vt fiat quaſi ſaltus Lunæ: quia hac ratione omnia Nouilunia in Kalendario anteuertent ſedes ſuas, vno die, vt æquatio Lunæ poſtulat. Exemplum: Anno 2399. reſpondet in tabula æquationis littera u, eſtque Aureus numerus 6. Epacta xxij. & littera Martyrologij C, maiuſcula, ſub qua vltimo die Decembris deprehendetur Luna eſſe tertia. Deinde anno ſequenti 2400. reſpondet in tabula æquationis alia littera, nempe A, maiuſcula, eadem quæ reſpondebat centeſimo 2200. ante centeſimum 2300. Eſtque Aureus numerus 7. Epacta iiij. & littera Martyrologij d, minuſcula, ſub qua in Kalendis Ianuarij reperietur Luna eſſe quinta, nimirum duobus diebus maior, quàm vltimo die Decembris: quia tunc propter æquationem Lunæ fit Nouilunium die 27. Ianuarij, vbi ponitur Epacta iiij. cùm alioquin fieri debuiſſet, ſi æquatio Lunæ non eſſet adhibita, die 28. Ianuarij, vbi ponitur Epacta iij. quæ ſequi debuiſſet Epactam xxij. præcedentis anni 2399. cum additis 11. ad 22. fiant 33. à quibus ſi reiiciantur 30. remanent iij. pro Epacta ſequentis anni 2400. quæ tamen propter æquationem Lunæ non aſſumitur, ſed in eius locum ſuccedit Epacta iiij. vna vnitate maior, vt dictum eſt.



Digitized by Google

Tabella temporaria litterarum Martyrologij.

| Anni Dñi. | Aur.Num. | Epactæ. | Litt. Mart. |
|---|---|---|---|
| 1613 | 18 | viij | h |
| 1614 | 19 | xix | u |
| 1615 | 1 | j | a |
| 1616 | 2 | xij | m |
| 1617 | 3 | xxiij | D |
| 1618 | 4 | iiij | d |
| 1619 | 5 | xv | q |
| 1620 | 6 | xxvj | G |
| 1621 | 7 | vij | g |
| 1622 | 8 | xviij | t |
| 1623 | 9 | xxix | N |
| 1624 | 10 | x | k |
| 1625 | 11 | xxj | B |
| 1626 | 12 | ij | b |
| 1627 | 13 | xiij | n |
| 1628 | 14 | xxiiij | E |
| 1629 | 15 | v | c |
| 1630 | 16 | xvj | r |
| 1631 | 17 | xxvij | H |
| 1632 | 18 | viij | h |
| 1633 | 19 | xix | u |
| 1634 | 1 | j | a |
| 1635 | 2 | xij | m |
| 1636 | 3 | xxiij | D |
| 1637 | 4 | iiij | d |
| 1638 | 5 | xv | q |
| 1639 | 6 | xxvj | G |
| 1640 | 7 | vij | g |
| 1641 | 8 | xviij | t |
| 1642 | 9 | xxix | N |

Tabel-

Tabella temporaria litterarum Martyrologij.

| Anni Dñi. | Aur. Num. | Epactæ. | Litt. Mart. |
|---|---|---|---|
| 1643 | 10 | x | k |
| 1644 | 11 | xxj | B |
| 1645 | 12 | ij | b |
| 1646 | 13 | xiij | n |
| 1647 | 14 | xxiiij | E |
| 1648 | 15 | v | e |
| 1649 | 16 | xvj | r |
| 1650 | 17 | xxvij | H |
| 1651 | 18 | viij | h |
| 1652 | 19 | xix | u |
| 1653 | 1 | j | a |
| 1654 | 2 | xij | m |
| 1655 | 3 | xxiij | D |
| 1656 | 4 | iiij | d |
| 1657 | 5 | xv | q |
| 1658 | 6 | xxvj | G |
| 1659 | 7 | vij | g |
| 1660 | 8 | xviij | t |
| 1661 | 9 | xxix | N |
| 1662 | 10 | x | k |
| 1663 | 11 | xxj | B |
| 1664 | 12 | ij | b |
| 1665 | 13 | xiij | n |
| 1666 | 14 | xxiiij | E |
| 1667 | 15 | v | e |
| 1668 | 16 | xvj | r |
| 1669 | 17 | xxvij | H |
| 1670 | 18 | viij | h |
| 1671 | 19 | xix | u |
| 1672 | 1 | j | a |

RVBRI-

Digitized by Google

# RVBRICÆ MARTYROLOGII.

Lectio Martyrologij recitatur quotidie in Choro ad Primam ante Verſ. Pretioſa, excepto triduo ante Paſcha, quibus diebus omittitur.

Legitur autem ſemper præcedenti die lectio illa, quæ memorias Sanctorum ſequentis diei continet, præponendo Kalendas, Nonas, vel Idus, & quantitatem Lunæ eiuſdem ſequentis diei.

Lector non petit benedictionem, ſed abſoluté incipit à Kalendis, vt ſuprà: qui etiam in fine leget Lectionem breuem ad abſolutionem Capituli.

Feſta, de quibus eo die fit Officium, ſemper primo loco ponuntur: quòd etiam ſeruandum erit & in feſtis mobilibus, quæ pronuntianda ſunt vt infrà dicetur; & in Sanctis propriis particularium Eccleſiarum in hoc Martyrologio non appoſitis, qui in iis tantùm Eccleſiis & locis, vbi præcipuè memoria eorum celebris habetur, legi poterunt etiam primo loco, ſi de illis ibidem agatur Officium: ſi verò non agatur, poſt Sanctos in hoc Martyrologio deſcriptos, ordine ſuo, videlicet Martyres poſt Martyres, Confeſſores poſt Confeſſores, & Virgines poſt Virgines.

In fine cuiuſlibet diei ſemper additur: Et alibi aliorum plurimorum ſanctorum Martyrum, & Confeſſorum, atque ſanctarum Virginum. Et reſpondetur à Choro: Deo gratias.

Feſta mobilia cùm ſingulis annis mutentur, non potuerunt in Martyrologio adſcribi; ſed hoc loco poſita ſunt, vt vnumquodque poſt Kalendarum & Lunæ pronuntiationem immediatè præponatur lectioni Martyrologij illius diei, in qua eo anno celebrabitur, hoc modo:

*Sabbato ante Dominicam Septuageſima.*

Dominica Septuageſimæ, in qua deponitur Canticum Domini, Alleluia.

*Feria tertia poſt Dominicam Quinquageſima.*

Dies Cinerum, & initium ieiunij ſacratiſſimæ Quadrageſimæ.

*Sabbato ante Dominicam Palmarum.*

Dominica Palmarum, quando Dominus noſter IESVS CHRISTVS, iuxta Zachariæ prophetiam, ſedens ſuper pullum aſinæ, Ieroſolymam intrauit; cui turba cum ramis palmarum obuiàm venit.

*Feria quarta maioris Hebdomadæ.*

Cœna Dominica, quando CHRISTVS IESVS, pridie quàm pro noſtra ſalute crucifigeretur, myſteria Corporis & Sanguinis ſui diſcipulis tradidit celebranda.

*In die ſancto Paſchæ, antequam legantur Kalendæ.*

Hac die quam fecit Dominus, Solemnitas ſolemnitatum, & Paſcha noſtrum: Reſurrectio Saluatoris noſtri IESV CHRISTI ſecundùm carnem.

*Deinde pronuntiantur Kalendæ, & Martyrologium ſequentis diei.*

*In Vigilia Aſcenſionis.*

In Monte Olìueti Aſcenſio Domini noſtri IESV CHRISTI.

*In Vigilia Pentecoſtes.*

Dies Pentecoſtes, quando Spiritus ſanctus Ieroſolymis ſuper diſcipulos igneis linguis aduenit.

*Sabbato infra Octauam Pentecoſtes.*

Feſtum ſanctiſſimæ & indiuiduæ Trinitatis.

*Feria quarta poſt Octauam Pentecoſtes.*

Feſtum ſacratiſſimi Corporis Chriſti.

DE

Digitized by Google

# DE IMMENSA MARTYRVM MVLTITVDINE ELOGIVM CYPRIANI

## Libro de exhort. ad martyrium, capite 11.

*SI igitur & nos dicati ac deuoti Deo viuimus, ſi ſupra iuſtorum antiqua & ſancta veſtigia iter facimus: per eadem documenta pœnarum, per eadem paſſionum martyria pergamus; hoc ampliorem gratiam computantes temporis noſtri, quòd cùm vetera exempla numerentur, exuberante poſtmodum copia virtutis & fidei, numerari non poſſunt Martyres Chriſtiani, teſtante Apocalypſi & dicente: Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, &c.*

## De eadem S. GREGORII PAPÆ elogium in homil. 27. in Euang.

*Totum mundum, fratres, aſpicite: Martyribus plenus eſt. Iam penè tot, qui videamus, non ſumus, quot veritatis teſtes habemus. Deo ergo innumerabiles, nobis ſuper arenam multiplicati ſunt: quia, quanti ſint, à nobis comprehendi non poſſunt.*

## De Chriſtiana fide tot MARTYRVM paſſione teſtata in controuerſiam ampliùs non deducenda, ſancti AMBROSII elogium in ſermone de SS. Nazario & Celſo.

*Magni periculi res eſt, ſi poſt Prophetarum oracula, poſt Apoſtolorum teſtimonia, poſt Martyrum vulnera, veterem fidem quaſi nouellam diſcutere præſumas; & poſt tam manifeſtos Duces, in errore permaneas; & poſt morientium ſudores, otioſa diſputatione contendas. Veneremur ergo in ſanctorum Martyrum gloria fidem noſtram, &c.*

MAR-

# MARTYROLOGIVM ROMANVM

## SINGVLIS ANNI DIEBVS IVXTA NOVAM KALENDARII RATIONEM ACCOMMODATVM.

## IANVARIVS.

1 Kalendis [a] Ianuarij. [b] Luna. A.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18
t u A B C D E f F G H M N P
19 20 21 22 23 24 25 26 26 27 28 29 30 1

CIRCVMCISIO [c] Domini noſtri IESV Chriſti, & Octaua Natiuitatis eiuſdem. Romæ ſancti Almachij [d] martyris, qui, iubente Alipio Vrbis Præfecto, cùm diceret: Hodie Octauæ Dominici diei ſunt, ceſſate à ſuperſtitionibus idolorum, & à ſacrificijs pollutis: à gladiatoribus occiſus eſt. Ibidem via Appia coronæ [e] ſanctorum Militum triginta martyrum ſub Diocletiano Imperatore. Item Romæ ſanctæ Martinę [f] virginis, quæ ſub Alexandro [g] Imperatore diuerſis tormentorũ generibus cruciata, tandem gladio [h] martyrij palmam adepta eſt. Apud Spoletum ſancti Concordij presbyteri [i] & martyris, temporibus Antonini [k] Imperatoris: qui primò fuſtibus cæſus, dehinc equuleo ſuſpenſus, ac poſteà in carcere maceratus, ibique angelica viſitatione conſolatus, demum gladio vitam finiuit. Eodem die ſancti Magni [l] martyris. Cæſareæ in Cappadocia depoſitio S. Baſilij [m] Epiſcopi, cuius celebritas decimooctauo Kalendas Iulij, qua die ordinatus fuit Epiſcopus, potiſſimùm recolitur. In Africa beati Fulgentij [n] eccleſiæ Ruſpenſis Epiſcopi, qui tempore VVandalicæ perſecutionis, ob Catholicam fidem, eximiamque doctrinam ab Arianis multa perpeſſus, & in Sardiniam relegatus, tandem ad propriam eccleſiam redire permiſſus, vita & verbo clarus, ſancto fine quieuit. In territorio Lugdunenſi, monaſterio Iurenſium, ſancti Eugendi [o] abbatis, cuius vita virtutibus & miraculis plena refulſit. Apud Siluiniacum ſancti Odilonis [p] abbatis Cluniacenſis, qui primus commemorationem omnium fidelium de-

functorum prima die poſt feſtum omnium Sanctorum in ſuis monaſterijs fieri præcepit: quem ritum poſteà vniuerſalis Eccleſia recipiens comprobauit. Alexandriæ depoſitio ſanctæ Euphroſynæ [q] virginis, quæ in monaſterio virtute abſtinentiæ ac miraculis claruit.

¶ Et alibi aliorum plurimorum ſanctorum Martyrum, & Confeſſorum, atque ſanctarum Virginum. ℟. Deo gratias.

*Sic ſemper terminatur lectio Martyrologij.*

# IANVARII 1.

KALENDIS [a] Ianuarij.] Dies hæc olim celeberrima fuit Romanis: nouis enim Conſulibus magiſtratum ineuntibus, nouus etiam annus inchoabatur. Id etenim (vt omittam ſcriptores Ethnicos) Chriſtiani etiam auctores teſtantur. extat de his in primis Valentiniani & Valentis Imperatorum reſcriptum L. 1. Ne quid pub. læt. C. Theod. & nouel. conſtit. Maioriani Imp. tit. 3. de ritu Imperij. Idem Saluianus Maſſilienſis de vero iudicio & prouid. Dei lib. 6. Sidonius Apollinaris lib. 1. epiſt 9. Caſſiodorus Variat. lib. 2. epiſt. 1. & lib. 6. epiſt. 1. itemque plures alij tradunt. Cùm autem in anno auſpicando diuerſi fuerint diuerſarum gentium mores: cur à Kal. Ianuarijs potiùs quàm ab alio aliquo mẽſe apud Romanos annus ſumat exordium, Plutarchus in problem. q. 19. eam affert rationem, quæ probatur ab omnibus: nimirum quòd ſol progrediendi fine facto, conuertitur, & ad nos curſum reflectit: Tunc enim in ipſa (inquit) quoque natura conuerſio quædam fit, quæ luminis tempus auget, & tenebrarum minuit, nobiſque propiùs admouet principem ac dominum vniuerſæ fluxæ naturæ. Hæc ille. Vt autem Chriſtiani eamdem inirent rationem auſpicandi anni, non tantùm dicta naturalis ratio perſuaſit, ſed quæ huic acceſſit perſimilis, ac longè præclarior: nimirum quòd his fermè diebus nouus Sol, ipſe Chriſtus Redemptor noſter, mundo offuſo tenebris naſcens, illuxit; ſicque diuino planè conſilio accidit, vt eodem fermè tempore vterque Sol diuerſa luce orbi terrarum affulſerit. Vnde egregiè Prudentius in Cathëmer.

*Quid eſt quòd arctum circulum*
*Sol iam recurrens deſerit?*
*Chriſtúſne in terris naſcitur,*
*Qui lucis auget tramitem?*

His igitur ſimul concurrentibus, placuit Chriſtianis Eccleſiaſtica monumenta ex Conſularibus Faſtis perpetua memoria commendare. Primus omnium (vt auctor eſt Beda de ratione temp. c. 45.) Dionyſius cognomento Exiguus, ſcribens Paſchales circulos, ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti maluit tempora numerare. qualis autem quantúſve hic fuerit, Caſſiodor. illi æqualis lib. 1. inſtit. diuin. lect. pluribus docet. Porrò ipſæ Kalendæ Ianuarij primitijs Chriſti Redemptoris noſtri ſanguinis conſecratæ, & multo præclariori purpura illuſtratæ, nobis ſacroſanctæ ſunt redditæ. At verò ſicut huius diei celebrandi diuerſa fuit cauſa Gentilibus, ac Chriſtianis: ita & diuerſus atque adeò contrarius fuit colendi modus vtriſque. Vt enim illi multiplicatis victimis, auctis ſuperſtitionibus, indecoris corporis motibus choreas ducentes, dapium publicarum ingluuie, nefandis cruentiſque ſpectaculis fœdabant potiùs diem, quàm colebant: ſic iſti contrà, ſumma illum ſanctitate ac puritate tranſigere ſtudebant: atque vt illorum ſuperarent impietates, & in Deum iniurias quodammodò vindicarent; propenſiori ſtudio, additis ieiunijs & litanijs, quibuſdam velut expiationis hoſtijs, diuinum offenſum numen placare ſatagebant. Vnde S. Ambroſ. de Kal. Ian. ſer. 11. edit. Rom. Nunc (inquit) nos ſimus ſobrij atque ieiuni, quò intelligant lætitiam ſuam noſtra abſtinentia condemnari, &c. In quam etiam ſententiam hæc ait ſanctus Auguſtinus in Pſal. 98. Per iſtos dies ad hoc ieiunamus, vt quando ipſi lætantur, nos pro illis gemamus. hæc ipſe De ieiunio præterea eius diei ab Eccleſia olim celebrati ſolùo agit Ordo Rom. c. 20 & Albinus Flac. de diuin. offic. cap. 4. Litanias etiam eadem ex cauſa ea die celebrandas, ſanctos patres ſtatuiſſe, teſtatur ſecunda Synodus Turonenſis can. 18. Ne præterea ea die lætitiæ canticum caneretur Alleluia, vetuit Synodus Toletana c. 10 Perdurauit eiuſmodi religioſus ritus in Eccleſia, quouſque Gentilium ſuperſtitio permanſit: qua demum abolita, de ea veluti triumphans ſancta Dei Eccleſia, ſpirituali gaudio exultans (ſecundùm illud propheticũ Iſai. c. 61.) coronam pro cinere, oleum gaudij pro lucto, & pallium laudis pro ſpiritu mœroris accepit. At quoniam praui frutices, quamuis ſemel exciſi, iterùm pullulare non deſinunt: vix credi poteſt, quantum laboris inſumpſerint ſancti patres, vt infauſtos palmites iterùm exurgentes non tantùm verbi falce præciderent, ſed & radicitus prorſus euellerent. Hinc illæ ipſorum de Kalendis Ianuarij ad populum declamationes, vt in dicto S. Ambroſij ſer. 11. itemque S. Auguſtini, cuius ſermonis tantùm habemus fragmentum in edit. Louan. tom. 10. S. Maximi Taurinenſis, & S. Petri Chryſologi ſer. 155. qui & perbellè deſcribit turpes illos Gentilium ritus nondum planè ea ætate extinctos, quibus quales eſſent dij Gentium, ipſi cultores eorum ſua ſponte facilè demonſtrarent. è Græcis S. Ioannes Chryſoſtomus id ipſum præſtitit homilia in Kalendis habita; idemque homilia prima de Lazaro commendat auditorum pietatem, qui diem Kalendarum ſpiritualibus officijs tranſegiſſent, atque: Heſternum

num diem, cùm eſſet feſtum ſatanæ, feciſtis feſtum ſpiritus, &c. Nec tantùm patres pro concione, ſed & in ſacris Concilijs, ea die fieri ſolitas ſuperſtitiones, ſancitis ſanctis legibus, vetuerunt; vt in Synodo Turonen. 2. c. 23. in Antiſiodoren. c. 1. quo præſertim ſtrenæ adhuc vſu retentæ, ſunt probibitæ; quas etiam à Tiberio Imperatore olim eſſe moderatas ſcribit Suetonius cap. 34. ac demum à Maioriano Imp. vetitas eſſe, nouella conſtit. de curialib. edita monſtrat. Quænam fuerint ſtrenæ, & cur ſic dictæ, declarat Feſtus verb. ſtrenæ. Ex Græcorum Synodis Martinus Bracharen. colleƈt. c. 73. recitat vetitum eſſe Chriſtianis, ea Kalendarum die, viridi lauro, vel alijs virentibus arborum ramis ornare domos, eadem 26.q. 5.cap. Non liceat. Romę Gregorius Tertius inueteratam in ceteris abuſionem tollendam curauit, eiuſque ſucceſſor Zacharias malæ arboris ramos vſque in Gallias propagatos Apoſtolica falce ſuccidit; vt apparet ex epiſtola S.Bonifacij Epiſcopi Moguntini ſcripta ad Zachariam Papam, aliáque eiuſdem Pontificis ad eumdem Bonifacium. Eſt canon pœnitentialis 88. de obſeruantibus Kalendas Ianuarij, vt annis tribus pœnitentiam agant. Porrò non tantùm Ianuarij, ſed & Martij Kalendas ijſdem Gentilium ritibus labefactatas, Sexta Synodus can. 62. reſtituit, purgauitque.

[b] Luna.] Luna in Martyrologio pro die ponitur; idque à diuerſis nationibus olim vſurpatum conſtat. vnde S. Ambroſius in epiſt. ad Epiſc. per Æmiliam conſtitutos: Naturalis (inquit) vſus nationum exterarum Lunam pro diebus appellat. hæc ipſe. Sanè quidem Varro de re ruſt. lib. 1. c. 37. Lunam primam & Lunam extremam, diem primum & nouiſſimum menſis dicit. In hanc ſententiam Plinius lib. 2. c.97. hæc ait: Æſtus tribus diebus conſiſtit, ſeptima, octaua, & nona Luna. hæc Plin. Idemque lib. 35. c. 2. Luna vigeſima ſacrificari ſolitum Natali tradit. Athenienſes itidem, de quibus Ioſephus antiq. lib. 14. c.16. ait: Miſerunt ad eum decretum ſcriptum in hanc ſententiam: Sub Iudice & ſacerdote Dionyſio Aſclepiadis, Pameni menſis Luna vigeſima oblatum eſt. Agit de bis ſanctus Gaudentius Brixianus in tractatu in Exod. Quòd verò Kalendæ, Idus, & Nonæ anteà præmittantur, cùm Martyrologij dies annunciatur; id ea ex cauſa Latina Eccleſia antiquitus facere conſueuit, vt es certis numeri notis adiectis legitimæ Lunæ certiora eſſent tempora ad feſta Paſchalia celebranda; cùm alioqui Gentiles leuibus ex cauſis intercalare conſueuerint dies. Ceterùm congruunt ea nomina Kalendæ, Nonæ, & Idus, tribus Lunæ mutationibus, vnde etiam nomina acceperunt, vt erudirè docet Plutarcbus in probl. Rom. quæſt. q.24. licet alij alias afferant rationes. Vide Macrob. Satur. lib. 1. c. 15. Sic igitur per Kalendas, Nonas, & Idus, dies ſingulos recenſendo, idem eſt, Lunæ curſum trifariàm diſtinctum ſignificare. Quòd autem antiqui patres, ac ipſa denique Eccleſia Catholica menſis Lunaris dies, Lunas potiùs quàm dies dixerint: ea de cauſa id factũ apparet, vt diſtinguerentur dies mẽſium Lunarium à diebus mẽſium Solariũ, vt ſicut ſunt inter ſe diuerſi, ita, ne confuſio nominum fieret, eſſet & diſtincta vtriuſque nomenclatura. Cur autem in Martyrologio antequam ſanctorum martyrum natalitia recenſeantur, ponitur tabella duplicis numeri, ac duplicis litterarum ordinis reſpondentium Aureo numero & Epactis, quam Beda de temporum rat. c. 21. appellat Libellum annalem, qua vnà cum die menſis Solaris, dies etiam menſis Lunaris pronunciatur: id quidem conſtat factum more maiorum, vt ex diebus menſium anni Lunaris cognoſci poſſit tempus feſti Paſchalis, aliarumque ſolemnitatum mobilium: ex diebus autem anni Solaris, quibus ſunt deſcriptæ feſtiuitates immobiles, conferendo eos cum diebus anni Lunaris, poſſit intelligi, quota Luna ſint pronunciandæ ipſæ feſtiuitates immobiles. Antiquitus etenim ante obſeruationem anni Solaris, cùm apud Hebræos, Ægyptios, Romanos, atque alias nationes, obſeruarentur anni Lunares: eam conſuetudinem, occaſione diei Paſchatis cuiuſque anni perueſtigandi, vnà cum obſeruatione anni Solaris Catholica recepit Eccleſia, & tranſmiſit ad poſteros, vt in Kalendarijs ſimul iungerentur Lunaris annus atque Solaris. Cùm igitur olim in Faſtis (de quibus diximus) Chriſtianorum, exactiſſima diligentia natales dies martyrum adnotari iuberentur: eos tam Lunaris quàm Solaris menſis diebus conſignari conſueuiſſe, putandum eſt. Sic itaque vt olim deſcripta ſunt natalitia martyrum, ita idem recitandi vſus in Eccleſia laudabiliter perſeuerat. Agit de prædictis pluribus vir eruditus Aloyſius Lilius in libro quem ſcripſit de noua ratione reſtituendi Kalendarij Romani, quem proximè edendum putamus.

[c] Circumciſio.] Duplex reperitur huius diei inſcriptio. Nam & Circumciſio Domini, & Natiuitatis Octaua dicitur. In antiquis manuſcrip. nonnumquam titulo tantùm Octauę Natalis Domini prænotatus hic dies legitur: idque & can. 1. de conſecr. diſt. 3. & homiliæ patrum eo die habitæ ſua inſcriptione ſignificant. Sed cùm eodem die Circumciſio Domini noſtri præcipuè coleretur, inde factum eſt, vt etiam Circumciſionis Dominicæ nomine inſignitus reperiatur. In præfatione huius ſacri diei, quam legimus in Sacramentario S. Gregorij Papæ, hæc habentur: Per Chriſtum Dominum noſtrum, cuius hodie Circumciſionis diem & Natiuitatis Octauam celebrantes, &c. ſic habet vetus codex Vaticanus. ſecundùm quod vetuſtatis monumentum in huius diei inſcriptione primum quidem Circumciſio, deinde Octaua poni videtur: cùm alioqui hi qui egerunt de diuinis officijs, tantùm de Octauis Domini tractatus inſcribant, prout habet Ordo Romanus, Albinus Flaccus cap. 3. Amalarius libro 4 cap. 32. Micrologium cap. 30. idque etiam in Conc. Mogunt. cap. 36. Cetera de huius ſolemnitatis myſterio conſule Ord. Rom.

[d] Almachij mart.] De eodem hac die Bedæ, Vſuardi, & Adonis Martyrologia. Albinus Flaccus eiuſdem meminit de diuin. offic. c. 4. Hic quidem non temporibus Diocletiani paſſus eſt (vt putarunt aliqui, nullius veterum teſtimonio ducti) ſed imperante Honorio Auguſto (vt refert Theodoretus) ſiue potiùs Theodoſio, cuius tempore Alipius, de quo hîc agitur, Vrbanam præfecturam adminiſtrauit. Hic ille eſt Alipius Gentilis homo, ad quem extant ſcriptæ plures epiſtolæ Symmachi Conſularis lib. 6. dictuſque reperitur

ritur Faltonios Probus Alipius, frater vterinus Q. Clodij Hermogeniani Olybrij, qui cum Auſonio Gallo geſſit Conſulatum; cuius hæc ioſcriptio legitur Romæ in baſi cuiuſdam ſtatuæ io vico qui ducit ad Græcorum collegium poſita: Q. CLODIO HERMOGENIANO OLYBRIO V. C. FRATRI ADMIRANDÆ PIETATIS FALTONIVS PROBVS ALIPIVS V. C. Hic itaque Almachius, de quo agitur, ille eſſe videtur, quem Theodoretus lib. 5. hiſt. c. 26. Telemachum vocat; ſic etiam appellar eum Paulus diac. ſeu potiùs Ioaooes diac. in miſcel. hiſtor. Nec quemquam moueat, ſi aliquantum diuerſa videantur nomina, cùm facile ſitin his errare: nam quem Almachium dicimus, Otho lib. 4. c. 19. Dirimachium appellat; fortaſſe quòd dirimat bellum. Nec illud cuiquam dubitationem faciat, quòd ille quem ponit Theodoretus, lapidibus obrutus, hîc autem à gladiatoribus necatus dicatur: cùm etiam in ſacris hiſtorijs reperiatur frequenter aliquid ab alio enarrari, quod alius omiſerit. Verùm cùm locus, perſona Præfecti, tempus, & necis cauſa conueniant, videtur ſuperfluum de alijs dubitare. Quòd autem idem auctor hunc, quem nominat Telemachum, dicat adſcriptum ab ipſo Imperatore io numerum martyrum: id ſic accipias, vt quod Cathòlica Eccleſia ſtatuit, ipſe ſanctione munierit: ſicut videmus ceteras Chriſtianorum ferias Imperatorum legibus ſtabilitas: quod quidem tam in Codice Theodoſiano, qoàm Iuſtinianeo ſaoctiones ſub titulo de ferijs poſitæ indicant. Iam reliquum eſſe videtur, vt dubitationi illi occurramus, quæ ex Conſtantini Imp. lata lege de gladiatoribus manare videtur, quæ in Codice Theodoſiano atque Iuſtiniaoeo tit. de gladiat. habetur, qua gladiatorum ſpectacula ſunt vetita. Si enim ea munera iam Conſtantini ſunt legibus antiquata; quomodo accidere potuit, quod ſcribit Theodoretus, ſub Honorio Imp. hunc ea de cauſa, quòd gladiatorum ſpectacula impedire voluerit, martyrium ſubijſſe? Ad hæc dicimus, eam Cooſtantini legem cum ipſo auctore eſſe extinctam: nam ſub Conſtantio eius filio eadem gladiatorum munera edebantur, vt apparet ex L. 2. de glad. C. Theod. qua conſtat Conſtantium ea reſtrinxiſſe, non tamen omnino, oe fierent, prohibuiſſe. quin etiam Honorij temporibus eiuſmodi editiones fieri ſolitas, èx L. 3. eiuſdem tituli ſatis conſtat. Hæc præthereà teſtatur S. Auguſt. lib. 6. confeſſ. c. 8. qui ea ſe ſpectacula Romæ vidiſſe doloit iogemuitque. Eadem frequentiſſima fuiſſe illis temporibus, Prudentius ſatis docet, dum agens aduerſus Symmachum, in fine operis ad Valentiniaoum Auguſtum conuerſus, vehementer rogat, vt iubeat ea funeſta ſpectacula aboleri. Symmachus etiam de exhibitione gladiatorum in Conſulatu Flauiani, ad ipſum ſcribens lib. 2. epiſt. 46. pluribus agit. Hæc itaque tam dira ſpectacula edi cùm videret S. Almachius, de quo agimus, diuino afflatus Spiritu, ſanguinem ſaoguioe abſtergendum putauit; nec eum fefellit opioio. quid enim cruori martyris inconceſſum, cùm omnia mundentur in ſangoine? Ecce eteoim quod Imperator lege ſanciendo non valuit perficere, Almachius effundendo ſaoguinem impetrauit. vnde appoſitè ea de cauſa fortè idem à Grçcis Telemachus appellatur, paululùm immutato nomine, quòd finem pugnæ illi gladiatoriæ impoſuerit, ἀπὸ τοῦ τέλους τῆς μάχης.

[e] Coronæ ſanctorum Militum triginta.] De ijſdem Beda, Vſuardus, Ado, & vet. manuſcr. Hîc animaduertere libet, ſanctam Dei Eccleſiam, quæ Spiritu ſancto docente, veram verborum ac rerum proprietatem didicit, acerbiſſimas martyrum paſſiones, Coronas, ac vitæ exitum, Natalem diem appellare conſueuiſſe. Fuit nonnullorum ſententia, ipſis Kalendis Ianuarij temperatum eſſe à cæde martyrum, eò quòd Gentiles mira celebritate eam diem colerent; quodque in quadam epiſtola, quæ fertur nomine S. Hieronymi ad Chromatium, hæc ſcripta habeantur: Nullus ſit dies, quo non intra quingentorum Martyrum numerus reperiri poſſit adſcriptus, excepto die Kalendarum Ianuarij. hæc ibi. His quidem cùm in primis refrageotur omnia Martyrologia, ac etiam S. Gregorius lib. 7. iodict. 1. epiſt. 29. dum ibi nullum excipit diem, quo oon celebrentur natalitia martyrum: repugoant etiam quæ ſcribit Sueton. in Tiberio cap. 61. his verbis: Nullus à pœna homioum ceſſauit dies, ne religioſus quidem & ſacer. animaduerſum in quoſdam ineuore anno nouo. hæc ibi. Idem in Claudio cap 29. hæc verba: Syllanus abdicare ſe prætura ante quartum Kalend. Ianuarij, moriqoe initio anni coactus. hæc Suetonius de ſæuiſſimis principibus; quibus certè oon fuerunt mitiores, qui in Chriſtianos, promulgatis edictis, acerbiſſimè ſæuierunt. Ceterùm ſcimus iure antiqoo Romanorum non tantùm ipſis Kalendis Ianuarij, ſed etiam reliquorum menſium Kalendis, & Idibus, ac ceteris eorum ferijs, non tantùm à cæde, ſed à quacumque læſione Romanos magiſtratus ceſſaſſe: ipſis enim ferijs vim alicui, licet ex lege, inferre, piaculare èrat, vt pluribus docet Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 15. & tamen innumeros ferè martyres illis ipſis diebus paſſos eſſe, exploratiſſimum eſt. Nec tantùm id Imperatorum voluntate, ſed & furentium Præſidum iuſſu. Habes de his Philonis Iudæi teſtimonium in libro quem ſcripſit in Flaccum Ægypti Præſidem, vbi hæc leguntur: Mos eſt in nemioem damnatorum animaduertere, donec ſolemnes celebritates, natalitiaque Auguſtorum feſta prætereant. At ille per eos ipſos dies iniuſtis pœnis affligebat homioes innoxios. Et paulò pòſt: Noui (inquit) quoſdam cruci affixos, inſtante tali feſto de cruce depoſitos, & ad ſepulturam cognatis ex more redditos: quandoquidem decebat vel ad mortuos redire aliquem fructum ex Imperatoris oatalibus. at iſte non mortuos deponi de crucibus, ſed viuos crucifigi iubebat, &c. hæc Philo.

[f] Martinæ.] De eadem hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri. Habentur res geſtæ ipſius, quas retulit Surius in tomo 1. In cod. manuſcrip. noſtræ biblioth. legimus eam paſſam anno quarto Alexandri Imperatoris: necnon & milites ſeptemdecim martyrum carnificinæ præfectos, & ſanctæ Martinæ opera ad Chriſtum conuerſos, ad decimumſeptimum Kalend. Nouembris, truncato capite, martyrij corona donatos. Extant in hunc diem veſtigia celebrioris memoriæ ſanctæ Martinæ Romæ ad radices Capitolij, apud arcum Seueri. Meminit oratorij ſanctæ Martinæ Ioannes diaconus in vita ſancti Gregorij libro 4. cap. 93.

[g] Sub

Digitized by Google

[g] Sub Alexandro Imp. ] Hìc non leui quidem obiectioni occurrẽdum mihi videtur: Quonam pacto S. Martina, & alij martyres, quorum non eſt exiguus numerus, ſub Alexandro Imperatore paſſi dicantur, cùm veterum hiſtoricorum auctoritate probetur, ipſum fuiſſe Chriſtianorum ſtudioſiſſimum, multaque in eos beneficia & officia contuliſſe: vtpote Mammeę filium, quæ (vt ſcribit Euſebius hiſt. lib. 6. cap. 15.) erat Chriſtianorum cupidiſſima: quamobrem non tantùm Chriſtianos ſuo iure viuere permiſit; ſed (vt ſcribit Lampridius in Alexandro) in larario, vbi matutinis horis rem diuinam facere conſueuit, inter ſuperſtitioſas deorum imagines, Chriſti etiam noſtri redemptoris poſuit effigiem; habuitque in animo Chriſto, ſicut & dijs, templum erigere, ſed ab idolorum ſacerdotibus eſt impeditus; cùm ex illorum reſponſis affirmarent, omnes futuros Chriſtianos, ſi quod moliebatur effeciſſet, ac reliqua iam templa deſerẽda. Addit etiam, eumdem Imperatorem in curandis prouincijs, ac præficiendis Præſidibus, laudatiſſimos Chriſtianorum mores fuiſſe ſectatum: ac denique de eodem refert, in iudiciaria controuerſia reſcripſiſſe pro Chriſtianis aduerſus Gentiles. Quod autem dubitationem auget, eſt illud, quod ſcribit Herodianus libro 6. eumdem Alexandrum, quatuordecim annis, quibus regnauit, inter alia eius humanitatis officia, ſine ſanguine Imperium gubernaſſe. Non leuis quidem difficultas, ſed tamen quæ facilè tolli poſſit, ſi ex Lampridio Herodianus declaretur, qui ait, Imperium Alexandri ſic dictum eſſe ἀναίματον, hoc eſt incruentum, vel ſine ſanguine, eò quòd nulli ſenatorum necem intulerit, quod alij fecerant ante ipſum Imperatores; cùm alioqui (vt idem ait) durus, tetricus, & ſeuerus admodum habitus fuerit, & ob id cognomento Seuerus ſit appellatus, quòd plurimos iuſtis, vt ſibi videbatur, ex cauſis occidi mandauerit: immò propter nimiam ſeueritatem, quam in milites exercuit, ab ijſdem tandem occiſum fuiſſe tradit. hæc ex Lampridio, quibus ex Herodiano obiectio diluitur. Illa autem quæ ſpectant ad Chriſtianos, in quos multa ab eo collata beneficia idem auctor commemorat, ſic accipias; ipſum nullum aduerſus Chriſtianos perſecutionis edictum promulgaſſe; non tamen erga ipſos ita affectum fuiſſe, vt antiqua iura Romanorum, & prædeceſſorum edicta, quibus Chriſtiani plecterentur, ſilere iuſſerit. Antiquo etenim Romanorum iure peregrinos deos, eorumque cultum in Vrbem introduci vetitum eſſe, nemo ignorat: id enim cùm Ethnicorum complures teſtantur, tum etiam Tertullianus ſcribit in apologet. Recitat eam legem Cic. lib. 2. de legibus, quæ eſt huiuſmodi: Separatim nemo habeſſit deos: néve nouos, ſed ne aduenas, niſi publicè adſcitos, priuatim colunto. hæc lex xij. tab. Quin & Mecœnas (vt Dio eſt auctor libro 52.) non tantùm deos peregrinos non inferendos in Vrbem, verùm etiam exteros homines alienæ religionis cultores ad Romanorum deorum cultum diris etiam ſupplicijs adigendos, Auguſto perſuaſit; eam potiſſimùm rationem obtexens, vt ſecuritati Reipublicæ conſultum eſſet. At nec Imperatori liberum erat abſque ſenatuſconſulto deos in Vrbem adſciſcere alienos; vt de Tiberio Auguſto teſtatur Tertullianus in apologet. His autem in ſuo robore manentibus iuribus, multas deinde aduerſus Chriſtianos ab Imperatoribus leges ſuperadditas fuiſſe, nullus dubitat: quas quidem omnes ſub Alexandro Imperatore vim ac robur obtinuiſſe, quamplurima vetera monumenta, ipſa martyrum Acta teſtantur. Alexander enim optimè Reipublicę conſultum cupiens, bellicis ipſe negotijs occupatus, prætoriam præfecturam credidit Domitio Vlpiano, illique cum Paulo, vt præſtantiſſimis illius ætatis iureconſultis, rerum ſummam delegauit, vt Lamprid. ſcribit in Alexandro; illiſque relicta Reipub. adminiſtratione, in expeditionibus militaribus totus erat. Iam verò quonam modo in Chriſtianos affecti eſſent ij, quibus Reip. adminiſtrandæ cura demandata erat, ex eo conſtare ſatis poteſt, quod idẽ Paulus I. C. aduerſus Chriſtianos, ſuppreſſo religionis nomine, lib. 5. ſent. tit. 21. ita reſpondiſſe legitur: Qui nouas & vſu & ratione incognitas religiones inducunt, ex quibus animi hominum moueantur, honeſtiores deportentur, humiliores capite puniantur. hęc Paulus. Sed parua hęc ſunt, ſi cum ijs conferantur, quæ cùm alios illius temporis iureconſultos, tum præſertim Domitium Vlpianum illorum omnium coryphæum, penes quem præfecturæ munus & ſumma rerum erat, Chriſtianis infenſiſſimum, Lactantius feciſſe deplorat lib. 5. c. 11. cùm ait: Quinetiam ſceleratiſſimi homicidæ contra pios impia iura condiderunt: nam & conſtitutiones ſacrilegæ, & diſputationes iuriſperitorum leguntur iniuſtæ. Domitius de officio Proconſulis lib. ſeptimo reſcripta principum nefaria collegit, vt doceret quibus pœnis affici oporteret eos, qui ſe cultores Dei confiterentur. hæc Lactant. Excidit liber ille Vlpiani de officio Proconſulis, à Chriſtianis (vt putamus) Imperatoribus ex albo ceterarum legum expunctus: remanſerũt tamen quædam fragmenta eiuſdem, ex quibus poſſimus cetera facilè iudicare, vt L. Congruit. ff. de officio Præſidis: quà agitur, vt Præſes cùm ingreditur prouinciam, primùm omnium inquirat de ſacrilegis. porrò ſacrilegos à Gentilibus dici conſueuiſſe Chriſtianos, Iuſtinus martyr, Tertullianus, Arnobius, ac ceteri qui ſcripſerunt apologias, planè demonſtrant. Ad hoc ipſum ſpectat illud, vt Proconſul prouinciam ingreſſus, templa luſtret & circumeat. L. Si in aliam. ff. de off. Proc. Eiuſdem etiam eſt illud reſpõſum, vt improbatæ religionis libri tollerentur. L. 4. ff. famil. hercis. Ex his omnibus quiſque facilè poterit exiſtimare, quo ſtatu eſſet Chriſtianorum cauſa ſub talibus Orbis iudicibus: ne habeat quid ampliùs miretur, cùm audierit, ſub Alexandro Imperatore complures martyres eſſe paſſos. Verùm ipſe Dominius, penes quem ſumma rerum erat, ſuæ ſæuitiæ meritas pœnas dedit, ſæuiſſimè cæſus à militibus prætorianis, vt Lampridius ſcribit. Egimus de his pluribus in Annal. Eccleſiaſt. vnde & hæc deſcripſimus. Illud poſtremò Lectorem monendum putamus, vt cùm in vita S. Martinæ vel alijs legerit, Chriſtianos cauſam dixiſſe coram Alexandro Imperatore; ſciat illa non eſſe puriſſima ipſa martyrum Acta publica, excepta à notarijs actuarijs coram Præſide, ſed potiùs eſſe Actorum paraphraſes ſuperadditas, prout quiuis prudens facilè poterit iudicare.

[h] Martyrij palmam. ] Non tantùm apud Iu-

dæos ( vt ex pleriſque diuinæ Scripturæ locis appatet )etiam palmæ victoriæ inſignia, ſed & apud Græcos, ex quibus ad Romanos eadem prouenit conſuetudo, vt victoribus palmæ darentur: ſed id non ante debellatos Samnites, vt habet Liu. l. 10. in fine decad. 1. Quòd ſit in palma victoriæ ſymbolum, habes ex Plutarch. lib. 8. q. 4. ſympoſiac. narratum à Gellio lib. 7. c. 6. Certè his inſignibus nobilitatos ſanctos martyres vidit S. Ioannes Apoc. c. 7. vt non mireris ſi in Martyrologio ſæpiùs leges ſanctos martyres palmam accepiſſe martyrij: eſt enim ea dicendi phraſis ex diuinis Scripturis comparata, atque antiquitus vſurpata.

[i] Concordij Epiſcopi.] De ipſo etiam hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij, biſque conſentiunt vet. manuſcrip. Eius res geſtas deſcripſit Sur. to. 1. ſed aliqua in eis inſunt corrigenda, ijſdemque nonnulla addenda, vt vidimus in amplioribus eiuſdem Concordij Actis manuſcrip. Si Deus conceſſerit, in omnes ſanctorum vitas, quę hactenus editæ reperiuntur, ſcholia elaborabimus; quibus quid in eis veri certique, quid item ambigui vel falſi reperiatur, aperiemus. Plura de Concordio habentur in vita S. Conſtantij Epiſcopi Peruſini, quam manuſcrip. accepimus ab illa eccleſia. Habet & Mombrit. deſcriptum martyrium S. Concordij to. 1. vit. ſanct.

[k] Antonini Imp.] Perſecutio ſub Antonino ponitur quarta à S. Auguſtino lib. 18. de ciuit. Dei, cap. 52. & ab Oroſio lib. 7. cap. 15. à Seuero autem lib. 2. quinta numeratur, vbi quartam dicit fuiſſe ſub Hadriano. His autem qui decem tantùm numerant perſecutiones Eccleſiæ ſub typico numero decem plagarum Ægypti, idem S. Auguſtin. minùs aſſentire videtur eod. lib. 18. c. 52. de ciuit. Dei. Hæc autem perſecutio ab Antonino excitata, non quidem ab illo Antonino, qui dictus eſt Pius, facta eſt, cuius tempore fuiſſe pacem in Eccleſia ſcribit Seuer. lib. 2. (Tertullianus enim in apologetico recenſet Antoninum Pium inter illos Romanos Imperatores, qui Chriſtianis nihil negotij per leges fecerint) ſed ab illo Antonino, qui dictus cognomento Philoſophus, ab Antonino Pio adoptatus, in Imperium illi ſucceſſit, perſecutionem excitatam eſſe, omnes prædicti auctores affirmant. Et licet Tertul. in apologet. dicat, nullas ab eo aduerſus Chriſtianos leges fuiſſe ſcriptas: tamen abſque promulgatis edictis, eo tempore, furente populo, grauiſſimam in Chriſtianos perſecutionem conflatam eſſe, Euſeb. hiſt. lib. 5. c. 1. declarat his verbis: Ad decimum ſeptimum annum Imperij Antonini Veri (ſic enim appellat M. Aurelium, ſicut & in aliquibus inſcriptionibus Verus dictus habetur, licet à L. Vero ſit longè diuerſus) grauis & acerba in nonnullis terræ partibus perſecutionis procella ex temerario populi impetu per ſingulas vrbes excitata contra nos ingraueſcere cœpit, in qua ( ſicut in illis martyrijs, quæ in vna natione confecta erant, coniectura planè licet aſſequi) infiniti propè martyres in reliquis etiam terrarum regionibus, generoſa cæde pro Chriſto tolerata, nobilitati ſunt. hæc Euſebius de perſecutione ſub Antonino Philoſopho. Ceterùm conſtat, nec Antonini Pij Imperium cæde Chriſtianorum fuiſſe vacuum, vt apparebit inferiùs ſuis locis.

[l] Magni martyris.] Plures eiuſdem nominis reperiuntur martyres: hic autem, qui in veteri Romano Martyrologio, ſicut & in manuſcriptis hac die poſitus habetur, quando vel vbi ſit paſſus, nuſquam inuenimus.

[m] Depoſitio S. Baſilij Epiſcopi.] Non tantùm Latina omnia Martyrologia, ſed & Græci de eodem hac die agunt, vt conſtat ex eorum Menologijs. Moritur S. Baſilius ( vt ſcribit ſanctus Hieronymus de ſcript. Eccl.) Gratiano imperante, anno videlicet Domini trecenteſimo ſeptuageſimooctauo, quo, poſteà extincto Valente, idem Gratianus Orientis quoque ſibi adminiſtrandum ſuſcepit Imperium. Gregorius Nyſſenus eius germanus in epiſt. ad Olympium monachum de vita S. Macrinæ, teſtatur S. Baſilium ex humanis ſublatum nouem menſibus ante illud Concilium Antiochenum, quod celebratum eſt poſt Valentis Imp. obitum. Sedit (vt idem ait) annis octo, nono incboato: totidem annos ſedi illius tribuit Gregor. Nazianz. in epitaph. Ex quibus erroris arguitur Nicephorus lib. 10. c. 25. dum ait Baſilium etiam temporibus Iuliani ſediſſe Epiſcopum. Laudes Baſilij poſt eius obitum dixerunt pręſtantiſſimi theologorum & oratorum clariſſimi S. Gregorius Nazianzenus, & ipſius Baſilij germanus S. Gregorius Nyſſenus. Extat Amphilochij nomine ſcripta vita Baſilij, quæ tamen prudentiorum omnium ſententia, alterius cuiuſpiam potiùs, quàm Amphilochij æqualis Baſilio eſſe putatur; cùm aliqua illic habeantur, quæ illi minùs conuenire videntur. dedit eam Latinitati Vrſus S. R. E. ſubdiaconus, cuius præfationem, quæ deſideratur in ceteris, legimus in vet. manuſcripto codice noſtræ bibliothecæ, quam poſſidemus liberalitate piæ memoriæ optimi ac eruditiſſimi viri Achillis Statij Luſitani. In ijſdem prætereà quædam miracula eiuſdem S. Baſilij, Helladio auctore, ſcripta habentur, in Latinum verſa ab Anaſtaſio Bibliothecario temporibus Nicolai Primi Romani Pontificis, cuius ibidem habetur præfatio ad prædictum Vrſum conſcripta. S. Ioannes Damaſcen. teſtatur in orat. 1. de imag. vitam S. Baſilij fuiſſe ſcriptam à prædicto Helladio eius diſcipulo & ſucceſſore. Porrò eiuſdem Baſilij res geſtas tam à Græcis, quàm à Latinis auctoribus acceptas, in Annal. Eccleſiaſt. iuxta ordinem temporum, per annos ſingulos diſpoſuimus: ibique exactiùs quę de S. Baſilio germana, quæve ſpuria habeantur, expendimus. Omittimus hîc coaceruare innumera patrum elogia de ſancto Baſilio, quæ vix volumine comprehendi poſſent.

[n] Fulgentij Epiſcopi.] De eo cetera etiam Martyrologia. Habentur eius res geſtæ fideliter ſcriptæ à quodam ex diſcipulis eius ad Felicianum Epiſcopum illius ſucceſſorem. extant apud Surium tom. 1. Clarnit S. Fulgentius doctrina & ſanctitate notiſſimus ſub Symmacho Roman. Pont. Anaſtaſio Imperatore, & Traſamundo Rege Wandalorum in Africa. fuit vnus ex numero illorum ducentorum viginti Epiſcoporum, quos idem Rex in Sardiniam relegauit, quibus B. Symmachus Papa quotidiana ſubſidia miniſtranda curauit, vt conſtat ex lib. de Rom. Pont. qui fertur nomine Damaſi, in Symmacho, & hiſtor. Miſcel. lib. 15. Eius ingenij monumenta recenſet S. Iſidorus de vir. illuſtr. c. 14. & alij poſteriores, qui ab eo acceperunt. Fuit alius

eiuſdem

Digitized by Google

eiuſdem nominis Fulgentius Epiſcopus Vtriculanus, qui celebris ſanctitate vixit temporibus Vigilij Papæ, & Totilæ Regis Gothorum, imperante Iuſtiniano: de eo ſcribit S. Gregorius Papa lib. 3. dialog. cap. 12. Rurſus alius eiuſdem nominis fuit in Hiſpania Epiſcopus, qui claruit tempore Inuigij Regis Goth. de quo in theſ. concion. tom. 2.

[o] Eugendi abb.] De eo hac item die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Huius Acta ab eius diſcipulo conſcripta recitat Sur. tom. 1. & dum in eis legitur Eugendus fuiſſe diſcipulus ſanctorum monachorum Lupicini & Romani, apparet quibus temporibus vixit: cùm conſtet prædictos floruiſſe ſub Chilperico Rege Clotharij filio, cùm imperaret Iuſtinus, ac poſt eum Tiberius. ſic Greg. Turon. vit. patr. lib. 1. cap. 1.

[p] Odilonis abb.] Alij de eo die ſequenti; verùm hæc eſt ipſa dies natalis eius: nam Petrus Damian. qui eius res geſtas conſcripſit, hæc de eius tranſitu habet: Ea nocte, quæ Dominicæ Circúciſionis ſolemnia præcedebat, ſalutaris Euchariſtiæ ſacramenta percepit, & ſic beatum Deo reddidit ſpiritum, &c. Migrauit ex hac vita ſub Clemente Secundo Rom. Pont. imperante Henrico Secundo, anno à Chriſto Domino 1048. ætatis ſuæ anno 87. ita Petrus Dam. in vita Ipſius, & Sigeb. in Chron. Meminit de S. Odilone S. Bernardus in apolog. ad Guiliel. abb. Trithem. de vir. illuſt. ord. S. Bened. lib. 2. c. 75. & lib. 3. c. 235. & alij plures. de eo inferiùs iterùm quarto Non. Nouemb. agemus.

[q] Euphroſynæ virg.] De ea tam Latinorum Martyrologia hac die, quàm etiam Græcorum Menologia agunt. Eius res geſtas edidit Metaphraſtes ex antiquioribus monumentis acceptas. Confundunt aliqui Euphroſynam cum Euphraſia, de qua agitur tertio Id. Martij: de Euphraſia enim, & non de Enphroſyna ſcribit Ioan. Damaſc. orat. 3. de imag. quem citant.

## 2 Quarto Nonas Ianuarij. Luna. B xxix.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | | | |

OCTAVA[a] ſancti Stephani protomartyris. Romæ commemoratio plurimorum[b] ſanctorum martyrum, qui ſpreto Diocletiani Imperatoris edicto, quo tradi ſacri codices iubebantur, potiùs corpora carnificibus, quàm ſancta darę canibus maluerunt. Antiochiæ paſſio beati Iſidori[c] Epiſcopi. Tomis in Ponto ſanctorum trium fratrum Argei[d], Narciſſi, & Marcellini pueri[e], qui ſub Licinio Principe inter tyrones comprehenſus, cùm nollet militare, cæſus ad mortem, & diu in carcere maceratus, demum in mare merſus, martyrium conſummauit: fratres verò eius gladio perempti ſunt. Mediolani ſancti Martiniani[f] Epiſcopi. Nitriæ in Ægypto beati Iſidori[g] Epiſcopi & confeſſoris[h]. Ipſo die S. Siridonis[i] Epiſcopi. In Thebaide ſancti Macarij[k] Alexandrini abbatis.

## IANVARII 2.

OCTAVA[a] ſancti Stephani.] De ea etiam Amalar. lib. 4. c. 37. De ratione celebrandi diem octauam pluribus agunt hi qui tractatus ſcripſerunt de diuinis officijs: & vt omittamus diei octauæ myſterium, eam ſanctiſſimam ac celeberrimam eſſe debere, diuina lex ſanxit Lenit. c. 23. vnde ſancta Eccleſia tempore Euangelicæ gratiæ eſt mutuata exemplum, vt celebriores quaſdam ſolemnitates, etiam Octauarum additione illuſtraret: ſanctè etenim pieque Dei Eccleſiam ex antiquis illis ritibus quædam accepiſſe teſtatur S. Leo Papa ſerm. 7. de ieiunio ſeptimi menſis.

[b] Plurimorum ſanctorum martyrum.] Sunt hi ex veteribus monumentis reſtituti. Quod ſpectat ad edictum Diocletiani Imperatoris de tradendis cremandiſque religioſis Chriſtianorum codicibus, ſcribit S. Auguſt. lib. 7. de baptiſ. c. 2. promulgatum illud fuiſſe poſt paſſionem B. Cypriani annis quadraginta & quod excurrit, Coſſ. (vt apparet) Conſtantio quartùm & Galerio. Concordant his ea quæ idem Auguſt. ſcribit lib. 3. contra Creſcon. cap. 27. vbi agit de Cirtenſi Synodo habita (vt ait) anno ſequenti

à prędicto edicto de libris comburendis, Diocletiano octauùm & Maximiano ſeptimùm Coſſ. Numeratur is annus promulgati edicti decimuſnonus Imperij Diocletiani: quando (inquit Euſebius hiſt. lib. 8. c. 3.) menſe Martij Diocletianus & Maximianus Impp. de diruendis cunctis Chriſtianorum eccleſijs, ſacriſque codicibus igne cremandis promulgarunt edictum. Sicque numerantur anni quadragintaduo à martyrio Cypriani vſque ad promulgatum de libris comburendis edictum. Deplorat eiuſmodi ſacrorum librorum conflagrationem Arnobius aduerſus Gentes l. 4. Optatus Mileuit. in libris ſuis contra Parmenianum frequenter meminit eiuſdem edicti, ſicut & S. Aug in epiſtolis & alijs commentarijs aduerſus Donatiſtas conſcriptis. Acta prętereà publica ſanctorum martyrum, de quibus agemus inferiùs, de eodem edicto ſæpiùs agunt. Porrò etſi Imperatorum edicta de abolitione librorum Chriſtianorum non præceſſerunt tempora Diocletiani; ſanè quidem reſponſa prudentum de ea re iam antè fuiſſe prolata, conſtat ex Vlpiani ſententia L. 4. ff. fam. herciſc. nam cùm Chriſtiani à Gentilibus magi haberentur, eorum libri einſdem artis ſunt exiſtimati, aduerſus quos extat reſponſum Pauli lib. 5. ſent. tit. 23. Sed quis miretur hæc illos ſtatuiſſe de libris Chriſtianorum, cùm & Ciceronis libros illos de nat. deorum, ac quos ſcripſit de diuinat. eò quòd ex illis idolorũ ſuperſtitio impugnari videretur, abolēdos eſſe ex ſenatuſconſulto, nonnullorum fuiſſe conſilium, ſcribat Arnobius lib. 3. aduerſus Gentes? Hæc perſecutio ſub Diocletiano & Maximiano cenſetur decima ab Auguſtino lib. 18. de ciuit. Dei cap. 52. & ab Oroſio lib. 7. c. 27. à Seuero autem lib. 2, nona numeratur. Ante promulgatas in Chriſtianos prædictas leges à Diocletiano & Maxim. AA. quibuſdam præludijs perſecutionis complures cæſi ſunt Chriſtiani milites, vt ſcribit Euſeb. in chron. anno 14. Diocletiani Imp. & hiſt. lib. 8. cap. 4.

[c] Iſidori Episc.] De eodem hac die Beda, Vſuardus, & vet. manuſcrip. Cuius autem fuerit ciuitatis Epiſcopus, nullus prodit; qui etſi Antiochię ponatur, nequaquam tamen videtur fuiſſe Antiochenus Epiſcopus: Euſebius enim, qui tam in chronico, quàm etiam in hiſtoria recenſet omnes Antiochenos Epiſcopos, nullum eius nominis ponit, ſicut nec Nicephorus Epiſcopus Conſtantinop. in ſerie quam texit Antiochenorum Antiſtitum.

[d] Argei, Narciſſi.] Agunt de ijſdem hîc Beda, Vſuardus, Ado, & vet. manuſcrip. omneſque ſub Licinio Imperatore hos paſſos eſſe confirmant: de quo hæc Seuer. ſacr. hiſt. lib. 2. Tunc Licinius, quia aduerſus Conſtantinum de Imperio certauit, milites ſuos litare præceperat, abnuentes à militia reijciebat: ſed inter perſecutiones non computatur; adeò res leuioris negotij fuit, quàm vt ad eccleſiarum vulnera perueniret. hæc Seuerus; qui etiam noluit perſecutionem appellare, quia toto orbe terrarum contra Chriſtianos non erat indicta, ſed in Oriente tantùm, vbi idem Licinius imperabat. Euſebius, qui illis temporibus vixit, in vit. Conſtantini lib. 1. cap. 44. plures à Licinio editas leges aduerſus Chriſtianos teſtatur. S. Baſilius etiam in oratione habita in quadraginta martyres ſub eodem Licinio paſſos, ſcribit ipſum per præconium & edictum omnibus denunciaſſe, ne quis Chriſtum profiteretur: in profeſſores autem fidei Chriſtianæ omnia tormentorum genera ab eodem fuiſſe propoſita. Porrò quamplurimos martyres ſub Licinio martyrio coronatos, tam Latinorum Martyrologia, quàm Græcorum Menologia atteſtantur. Huius autem excitandæ perſecutionis in Chriſtianos cauſam Gregor. Nyſſen. orat. ſecunda de ſanctis quadraginta martyribus ſcribit his verbis: Primùm quidem improbus dæmon exercitus duci, ſimulacrorum inſano cultui dedito, perſuadere conatur, non aliter eum de barbaris victoria potiturum eſſe, niſi priùs mactaret eos, qui Chriſtum adorarent. hæc Gregorius Nyſſenus.

[e] Marcellini pueri.] De eodem prædicti. Quòd autem hic inter tyrones recenſendus, puer dicatur; ſic accipe puerum, vt ſaltem eſſet annorum decem & ſeptem: ea enim ætate tyrones adſcribebantur militiæ, vt auctor eſt Gellius lib. 10. cap. 18. Quòd item hic dicitur peremptus ob eam cauſam quòd nollet militare; id non odio militiæ (vt de C. Vettieno Valer. Max. ſcribit l 6. c 3 de ſeuerit. qui ſibi manus digitos amputauit, ne militaret) ſed quòd (vt ex Seuero nuper diximus) Licinius ſuos milites litare præcepiſſet. Eſt de his L 1. de filijs militarium, C. Theod. lata ſub eiuſdem Licinij Conſulatu aduerſus eos qui cum diſpendio corporis, reſectis digitis, militiæ neceſſitatem conarentur euadere. Id ipſum L. 4. 5. & 10. De tyron. item C. Theod. Quanto autem cùm periculo impietatis Chriſtiani militarent in caſtris Gentilium, pluribus docet Tertullianus lib. de corona milit.

[f] Martiniani Epiſcopi, aliàs Materniani.] De eo tabulæ Mediolanenſis eccleſiæ, quas R. D. Petrus Galeſinus Protonotarius Apoſtolicus, doctus in primis ac diſertus, nobiliſſimi ingenij hac ætate ſcriptor, quique in hoc argumenti genere magna cum laude verſatus eſt; luculentiſſimè illuſtrauit. De Materniano, ſeu Martiniano Epiſcopo Mediolan. extat epigramma Ennodij Epiſcopi Ticinenſis. eſt eius exordium: Mens niuei, &c. Claruit temporibus Papæ Zoſimi.

[g] Iſidori Epiſcopi.] Ex manuſcrip. ita ponitur: quem putamus eſſe illum ſanctitate clarum, cuius meminit S. Hieronymus in epitaph. Paulæ ad Euſtoch. epiſtola 27. his verbis: Occurrente ſibi ſancto & venerabili Epiſcopo Iſidoro confeſſore, & turbis innumerabilibus monachorum, &c. Scias tamen longè alium hunc eſſe ab illo Iſidoro Ægypti monacho, qui magna aliquando fama ijſdem temporibus vixit, ſed factus Origeniſtarum propugnator & ductor, priſtinam laudem obſcurauit. ſcribit de eo S. Hieronymus epiſt. 61. ad Pammachium, & ad Cteſiphontem aduerſus Pelagianos.

[h] Et confeſſoris.] Cum S. Hieronymus hunc Confeſſorem appellet; ne quid lateat, ſciendum eſt, diuerſa admodum ſignificatione à præſentis temporis vſu hanc vocem à maioribus vſurpatam. Illi enim neminem eo nomine appellabant, niſi eum qui Chriſti fidem interpellatus, coram fidei hoſtibus confeſſus eſſet. Si verò aliquod genus tormentorum eſſet expertus, nec tamen martyrio occubuiſſet; tunc & martyr vocatus, idemque aliquando etiam dictus reperitur Confeſſor,

quòd

quòd ſcilicet nondum martyrium conſummaſſet. Licet ſi vim harum vocum expendas, eædem ſint; nihilominùs tam apud Tertullianum, quàm etiam Cyprianum, & alios pleroſque antiquorum, eo ſenſu quo diximus, eas voces accipi conſueuiſſe, perſpectum ſatis, exploratumque habetur. Conſule, ſi hæc exactiùs ſcire cupis, inprimis Cypriani epiſtol. 7. 9. 10. 15. 30. 37. 52. & 81. edit. Pamelij, qui eadem adnotauit in ſchol. epiſt. 9. vir quidem etſi facie mihi incognitus, eruditione tamen ſatis perſpectus. Iuxta eiuſdem Cypriani ſententiam, qui non interpellatus ſe martyrio ingerebat, hic dicebatur Profeſſor. ſi adhuc autem quis timore correptus, ne fidem proderet, ſua ſuoſque relinquens, exilio ſpontaneo procul à patria vitam ageret, hic appellabatur Extorris: cuius non erat deſpicienda conditio; nam & numero martyrum recenſendus erat, ſi ea de cauſa mortem oppetijſſet. Hęc omnia more maiorum, atque vetuſto loquendi genere. Obtinuit poſtmodum vſus, vt omnes qui ſancta & laudabili vita vixiſſent, ſanctoque demum ac probato fine in Domino quieuiſſent, Confeſſores appellarentur.

[i] Siridonis Epiſcopi. ] De quo etiam hac die vet. manuſc. ſed cuius fuerit ciuitatis Epiſcopus, hactenus obſcurum remanet. Fuit & alius Siridon, aliàs Seridon dictus, qui inter ſanctos anachoretas claruit, de quo in vit. patr.

[k] Macarij Alex. abb. ] De eodem hac die Beda, Ado, & manuſcrip. Conſtat duos fuiſſe Macarios ſanctitate celebres, Ægyptios ambos; quorum alter Alexandrinus dictus eſt, eo quòd (vt ſcribit Palladius) in eccleſia Alexandrina functus eſſet presbyterio: alter autem ſimpliciter Ægyptius eſt appellatus. Agunt de his pluribus veteres hiſtorici, Socrat. libro 4. hiſtor. cap. 18. Sozom. libro 6. cap. 29. Rufin. libro 2. cap. 4. Hieron. epiſtol. 27. Caſſian. collat. 5. cap. 12. & collat. 24. cap. 13. in vit. patr. par. 1. Pallad. Galata cap. 8. Suidas, & alij. Fuerunt & alij Macarij fama conſpicui, ſed de duobus tantùm agitur in Martyrologio. Vixit enim eodem ſæculo Macarius ceteris iunior, ad quem Rufinus tranſlationem Periarchon Origenis inſcripſit, nec non etiam apologiam pro Origene, qui & eiuſdem Rufini diſcipulus fuit; de quo, tacito nomine, hæc S. Hieron. epiſt. 16. Tunc diſcipulus ἄλλος, & verè nominis ſui, ſi in talem magiſtrum non impegiſſet, &c. Hæc idcircò Hieronymus, quoniam in Origeniſmum ipſum lapſum deplorat. At ne quis aliqua fortè ſuſpicione ſaltem leui pulſetur, hunc de quo ſcribit S. Hieron. fuiſſe alterum ex duobus illis, quos colimus; ſatis rei veritas perſpicua redditur, dum conſtat Macarium Ægyptium magiſtrum fuiſſe Euagrij, vt ſcribit Socrat. lib. 4. cap. 18. & Gennad. de vir. illuſt. cap. 10. & 11. qui quidem Euagrius habuit diſcipulum Rufinum, vt S. Hieron. ſcribit ad Cteſiphontem; Rufinus autem (vt vidimus) Macarium iuniorem Origeniſtam erudiuit. Si itaque Macarius Ægyptius fuit magiſter Euagrij, cuius Rufinus fuit diſcipulus: quomodo Macarius Rufini diſcipulus vnus idemque erit cum Macario Ægyptio? Nec eſt etiam quòd quis exiſtimet S. Hieronymum de Macario altero, Alexandrino videlicet, eſſe locutum: quem etſi aliquantò iuniorem Ægyptio ſcribat Palladius cap. 8. tamen illius temporibus claruiſſe, prædicti auctores teſtantur, Socrat. libro 4 cap. 18. Sozom. libro 6. cap. 29. & Rufin. libro 2. cap. 4. ſicque Macario Rufini diſcipulo ſeniorem fuiſſe apparet. Ad hæc addimus: Illum Macarium, quem Hieronymus inſimulat hæreſis Origenis, fuiſſe aliquando Romæ, idem inſinuare videtur; at Alexandrinum, de quo eſt quæſtio, numquam Romam venire voluiſſe, Palladius ipſe teſtatur. Claruit ijſdem temporibus alius virtutibus inſignis, qui ob homicidium inuoluntarium olim perpetratum, dictus eſt cognomento Homicida: de ipſo ſcribit Sozom. lib. 6. cap. 29. & Pallad. ad Lauſ. cap. 6. Alius etiam repetitur Macarius Romanus, qui ex Vicaria præfectura monaſticam vitam amplexus eſt, de quo idem Pallad. cap. 36 in fine. Romani huius res geſtæ habentur in vit. patrum, auctore Theophilo quodam, ſed quæ minùs probentur. Ex his omnibus Macarijs duos tantùm, quos diximus, Dei Eccleſia recenſet inter ſanctos; de quibus & Græci agunt vna eademque die, decimoquarto Kal. Februarij. Ex his item omnibus duo adnumerantur inter ſcriptores Eccleſiaſticos, Macarius ille ſenior dictus Ægyptius, de quo agit Gennad. de vir. illuſtr. cap. 10. & ille iunior Rufini diſcipulus, de quo idem Gennad. cap. 28.

Tertio

3 **Tertio Nonas Ianuarij. Luna.** Cxxviij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | | | |

OCTAVA [a] ſancti Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ. Romæ via Appia natalis [b] ſancti Anteri [c] Papæ, qui ſub Iulio Maximino [d] paſſus eſt, & in cœmeterio [e] Calliſti ſepultus. Eodem die ſancti Petri [f], qui apud ciuitatem Aulonam crucis ſupplicio eſt interemptus. In Helleſponto ſanctorum martyrum Cyrini [g], Primi, & Theogenis. Cæſareæ in Cappadocia ſancti Gordij [h] centurionis, de cuius laudibus extat præclara Baſilij Magni oratio in eius die feſto habita. In Cilicia ſanctorum martyrum Zoſimi [i], Athanaſij commentarienſis, Theopempti, & Theonæ, qui in perſecutione Diocletiani illuſtre martyrium obierunt. Patauij ſancti Danielis [k] martyris. Viennæ in Gallijs ſancti Florentij [l] Epiſcopi, qui tempore Gallieni Imperatoris in exilium relegatus, illic martyrium conſummauit. Lutetiæ Pariſiorum ſanctæ Genouefæ [m] virginis, quæ à beato Germano Antiſiodorenſi Epiſcopo Chriſto dicata, admirandis virtutibus & miraculis claruit.

## IANVARII 3.

OCTAVA [a] ſancti Ioannis. ] Meminit eiuſdem Octauæ Amalar. de eccleſ. offic. lib. 4. cap. 37. in fine. Agit de eadem Ado in Martyrologio.

[b] Natalis ſancti, &c. ] Vetus loquendi vſus, vt dies migrationis ex hac vita appelletur dies Natalis: cuius quidem rei exactè rationem reddit Origenes lib. 3. comment. in Iob, & Albin. Flac. de diu. offic. cap. de ſexta feria pag. 60. Et Nicolaus Papa in epiſtola ad conſulta Bulgarorum cap. 5. in fine hæc habet: Natus dicitur, qui ex hac vita migrauit: quomodo enim vſitato more dicitur naſci, quando quis ex vtero materno procedens in hanc lucem exit; ſic quoque iure natus appellari poteſt, qui liber ab huius ſæculi tenebris, ad lucem pertingit viuentium. Pro qua ergo re aptè conſuetudinem tenet Eccleſia, vt ſolemnes beatorum martyrum vel confeſſorum Chriſti dies, quibus ex hoc mundo ad regionem migrauerunt viuorum, nuncupentur Natales: ſed & eorum ſolemnia, non funebria, tamquam morientium, ſed (vtpote in vera vita naſcentium) Natalitia vocitentur. Hæc ibi. Prætereà dies Natalis etiam dici reperitur, quo quis ordinatur Epiſcopus, vt apparet ex S. Ambroſio libro 8. epiſt. 60. ad Felicem edit. Rom. ex S. Paulin. epiſt. 16. ad Delphinum, & ex Hilarij Papæ epiſt. ad Aſcanium.

[c] Anteri Papæ. ] Succeſſit hic Pontiano, vt conſtat ex libro de Rom. Pontific. qui fertur nomine Damaſi, & indicibus Vaticanis, quos exſcripſimus. id ipſum teſtatur Optatus Mileuit. libro 2. contra Parmenian. Auguſt. epiſt. 165. ad Generoſum, Euſeb. in chron. & hiſt. libro 6. cap. 22. Nicephorus Epiſcop. in chron. & alij, qui omnes poſt Pontianum ponunt Anterum. In Actis quibuſdam S. Vrſulæ poſt Pontianum Cyriacus quidam Rom. Pōtifex perperàm fingitur. Conſule ea quę habentur adnotata inferiùs, die 21. Octobris, vbi de Actis illis pluribus egimus.

[d] Sub Iulio Maximino. ] Quod ſpectat ad perſecutionem Maximini, ſub quo Anterus paſſus dicitur, ſextam eam ponunt ordine Auguſt. de ciuit. Dei lib. 18. cap. 52. & Oroſ. hiſt. lib. 7. cap. 19. Seuer. autem hanc inter perſecutiones non numerat; quam tamen fuiſſe pergrauem, conſtat. De ea ita Euſeb. lib. 6. cap. 21. Maximinus propter grauem inuidiam, qua contra Alexandri familiam, in qua complures fideles & Chriſtiani verſabantur, flagrabat, acerbam perſecutionis tempeſtatem concitauit; iuſſitque ſolos eccleſiarum præſides, tamquam auctores doctrinæ Euangelicæ, neci dari. hæc Euſeb. Porrò qualis quantave fuerit hæc perſecutio, ex eo ſaltem coniectare licet, quod Iulius Capitolinus de ipſo teſtatum reliquit, cùm ait: Tam crudelis fuit

fuit Maximinus, vt alij illum Cyclopem, alij Buſiridem, alij Scironem, nonnulli Phalarim, multi Tiphonem, vel Gygem vocarent. Senatus eum adeò timuit, vt vota templis publicè priuatimque mulieres cum ſuis liberis facerent, ne ille vnquam vrbem Romam videret: audiebat enim alios in cruce ſublatos, alios animalibus nuper occiſis incluſos, alios feris obiectos, alios fuſtibus cæſos, &c. quæ quidem cùm in ſuos milites exercuiſſet, quanto his maiora in Chriſtianos, aduerſus quos immenſo flagrabat odio, ſæuus barbarus ſit molitus, quiſque poterit exiſtimare.

[e] In Cœmeterio Calliſti.] Vox notiſſima, Cœmeterium, qua Chriſtiani illum locum dicere conſueuerunt, in quem fidelium defunctorum corpora ſepelienda inferuntur; inde deducto vocabulo, quòd ſicut diuina Scriptura obitum iuſtorum, ſomnum dicere ſolita eſt; eadem ſignificatione locum illum, vbi ſepelirentur, Cœmeterium, hoc eſt, dormitorium, à κοιμάω, quod eſt dormio, voluit appellari: quæ etiam loca, modò Concilia ſanctorum, de qua voce agemus inferiùs; modò etiam à natura loci denominatione deducta, Arenaria, Cryptæ, Catacumbæ, ſeu Catatumbæ in veteribus Martyrologijs appellata inueniuntur. Apud Afros eadem loca Areæ dictæ reperiuntur. vnde Tertullianus ad Scapulam, ex verbis perſecutorum: Non ſint Areæ: hoc eſt, loca ſepulturarum Chriſtianorum deſtruantur, ne ad ea vlteriùs conuenirent, &c. In ea enim loca cùm precum cauſa conuenire conſueuiſſent frequenti cœtu Chriſtiani, magis magiſque Gentilium furor ſæuire atque graſſari ſolitus eſt, vt ſcribit Tertul in apologet. & Minutius Felix in Octauio. Vſurpata reperitur eadem vox à Pontio diacono in Actis martyrij S. Cypriani, vbi in fine dicit, illum fuiſſe ſepultum in Area Candidi procuratoris. Erant Romæ complura Cœmeteria, quorum tantùm quadragintatria ex tabulis Vaticanis deſcripſi, de quibus vberiùs agit Onuphrius. Deſiderantur adhuc aliqua, de quibus egi in Annal. Eccleſiaſt. Erant autem Cœmeteria omnia, vel Areæ extra ciuitatem poſitæ: vigentibus etenim Gentilium legibus, ex leg. xij. tabularum nefas erat intra mœnia mortuum ſepelire, ſed omnia illa iura Gentilium, cùm per contrarium vſum, tum etiam per pientiſſimam Leonis Imp. nouellam conſtit. 53. quæ incipit, Mea quidem ſententia, &c. ſunt antiquata, ac prorſus abrogata. Ex Cœmeterio Calliſti, de quo agimus, effoſſum corpus ſancti Anteri Papæ tranſlatum eſt intra Vrbem in eccleſiam S. Silueſtri in Campo Martio, vbi in lapidea tabula eiuſmodi vetus inſcriptio legitur: Hæc eſt notitia Natalitiorum Sanctorum hic requieſcentium: Menſe Ianuario, die tertia NATALIS SANCTI ANTERI PAPÆ, &c.

[f] Petri.] De eo etiam Beda, Vſuardus & vet. manuſcrip. Extant eius paſſionis Acta, & quidem germana, ab Anaſtaſio S. R. E. Bibliothecario Latinitate donata: retulit ea Surius in tomo 1.

[g] Cyrini, Primi, & Theogenis.] Beda de Theogene tantùm hîc agit, cuius Acta recitat Mombrit. tom. 2. vit. ſanct. Petrus in cat. lib. 2. cap. 41. breui compendio perſtringit Theogenis martyrium, qui paſſus eſt ſub Licinio Imp. vt prædicta Acta teſtantur. Vſuard. de iiſdem tribus omnibus hîc agit.

[h] Gordij.] Extat de ipſo præclarum encomium S. Baſilij. agunt de eodem hac die Græci. Paſſus reperitur ſub Licinio Imp. vt legimus in peruetuſto Menologio, quod aſſeruatur in bibliotheca Ill. ac Reuerendiſſ. Guilielmi Sirleti Card. ampliſſ. illudque ab ipſo Latinitate donatum, propriaque manu maiori ex parte conſcriptum, velut ingentem theſaurum eius liberalitate poſſideo, & (vt Hieronymi verbis vtar de codice Pamphyli martyris) tanto amplector & ſeruo gaudio, vt Crœſi opes habere me credam. Meminiſſe itaque Lector debet, cùm in his ſcriptis allegatur Menologium, me de eo ſemper intelligere.

[i] Zoſimi & ſoc.] Græci itidem de iiſdem hac die agunt, vt conſtat ex Menologio, vbi de Zoſimo & Athanaſio ſeorſum ab alijs agitur, paſſique ponuntur ſub Domitiano Imp. Theopemptus autem & Theonas ſub Diocletiano.

[k] Danielis.] Hæc eſt dies inuentionis eius corporis, vt accepimus ex tabulis eccleſiæ Patauinæ. De eadem inuentione agit Petrus in catal. lib. 2. cap. 40. & Scard. in Annal. Patau.

[l] Florentij Epiſcopi.] De ipſo hac item die Beda, & Ado Treuer. nec non vet. manuſcrip. Ado Viennen. in chron. anno 241. hæc de eo: Florentius quoque Epiſcopus Viennenſis vita & doctrina emicuit; manſit ad Gallieni & Voluſiani Imperium, exiliatuſque martyrium compleuit. hæc Ado. An autem ſub Gallieno aliqua fuerit excitata perſecutio, dicemus inferiùs 13. Ianuarij.

[m] Genoueſæ.] De eadem agunt hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij omnes. Scribit de ea Gregorius Turonen. de gloria confeſſ. cap. 91. & de geſtis Francorum lib. 4. cap. 1. Extant præclara eius vitæ Acta, quæ recitat Surius tomo 1. plura etiam de ipſa reperies in vita S. Germani Epiſc. Antiſſiodorenſis, quam ſcripſit Conſtantius. Sigebert. item in chron. anno 457. Claruit temporibus Valentiniani Tertij Imp. ac peruenit vſque ad Clodoueum Regem Franc.

Pridie

4 Pridie Nonas Ianuarij. Luna. **D** xxvij.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21
t u A B C D E f F G H M N P
22 23 24 25 26 27 28 29 29 30 1 2 3 4

OCTAVA[a] ſanctorum Innocentium. In Creta natalis ſancti Titi[b], qui ab Apoſtolo Paulo Cretenſium Epiſcopus ordinatus, poſt prædicationis officium fideliſſimè conſummatum, beatum finem adeptus, ſepultus eſt in eccleſia, vbi à B. Apoſtolo dignus miniſter fuerat conſtitutus. Romæ ſanctorum martyrum Priſci[c] presbyteri, & Priſcilliani clerici, ac Benedictæ religioſæ feminæ: qui tempore impijſſimi Iuliani gladio martyrium compleuerunt. Item beatæ Dafroſæ[d] vxoris ſancti* Fabiani martyris, quæ poſt interfectionem viri ſui primùm exilio relegata, deinde ſub præfato Principe capite plexa eſt. Bononiæ ſanctorum Hermetis[e], Aggæi, & Caij martyrum, qui ſub Maximiano Imperatore paſſi ſunt. Adrumeti in Africa commemoratio ſancti Mauili[f] martyris, qui in perſecutione Seueri Imperatoris à Scapula ſæuiſſimo Præſide damnatus ad beſtias, martyrij coronam accepit. Item in Africa præclariſſimorum martyrum Aquilini[g], Gemini, Eugenij, Marciani, Quincti, Theodoti, & Tryphonis. Apud Lingonas ſancti Gregorij[h] Epiſcopi miraculis clari. Rhemis in Gallia ſancti Rigoberti[i] Epiſcopi & confeſſoris.

*Flauiani

## IANVARII 4.

[a] OCTAVA ſanctorum Innocentium.] Scribit Poſſidius in indiculo, ſanctum Auguſtinum duos ſermones babuiſſe in die Octauarum Infantium. de eadem Octaua Amalarius de Eecleſ. offic. lib. 4. cap. 37. Microlog. eap. 36. Ado item hac die in Martyrologio.

[b] Titi.] Agunt de eodem Beda hac die, ac ceteri Latinorum, Græci autem in Menologio 25. Auguſti. De Tito frequenter Paulus Apoſt. meminit, ad quem & ſcripſit epiſtolam. Sanctus Ignatius etiam in epiſtola ad Philadelph. Euſeb. hiſt. lib. 3. c. 4. Hieron. Ioan. Chryſoſt. & Theodoret. in commentarijs in epiſt. ad Titum, Sophronius apud Hier. de ſcript. Eccleſ. Iſidorus, ſiue alius ſit auctor, de vita & morte ſanct. c. 88. Doroth. in ſynopſi, & alij de eodem agunt. habet Menologium, eum natum annos nonagintaquatuor in pace quieuiſſe.

[c] Priſci & ſoc.] De ijſdem hac die Beda, Vſuar. Ado, ac ceteri. horum res geſtæ narrantur in Actis ſanctæ Bibianæ: quæ tamen aliqua cenſura indigent, & in ijs præſertim, quę de Iuliano Apoſtata narrantur, eum Romæ vixiſſe, deque martyribus habuiſſe quæſtionē: quod enim per Vrbis Præfectum in martyres geſtum eſt, id ipſi Iuliano tribuitur, quem numquam Romam aduentaſſe, certum eſt; idque omnes qui antiquas callent hiſtorias, atque ea ſciunt quæ Ammianus Marcel. conſcripſit, facilè intelligunt. Idem lib. 26. ſcribit, Vrbanam præfecturam à Iuliano creditam fuiſſe Aproniano: quem cùm idem auctor Ethnicus dicat aduerſus magos ſæuiſſimas quæſtiones exercuiſſe, Chriſtianos per magos, more Gentilium, intelligere, haud obſcurum eſt illis, qui apologias, quas patres aduerſus Gentiles pro Chriſtianis ſcripſerunt, aliquando legerunt. At quomodo Iulianus magos iuberet impugnari, qui eoſdem honorificentiſſimè habuit, eoſque longè poſitos acerſiuit? vt teſtantur Eunapius Sardianus de vit. philoſ. in Maximo, Ammian. Marcel. lib. 22. & Socr. lib. 3. cap. 1. extant & de his eiuſdem Iuliani litteræ. Porrò reperiuntur etiam horum martyrum Acta ſeorſum ab Actis S. Bibianæ in vet. manuſcrip. noſtræ bibliothecæ.

[d] Dafroſæ.] De qua etiam ijdem qui ſuprà agunt

agunt hac die. eius res geſtæ leguntur in ijſdem Actis S. Bibianæ eius filiæ. Errare admodum conſtat Petrum in catal. lib. 2. c. 43. dum citans Adonem (apud quem nihil tale reperi) dicit hanc Dafroſam vxorem fuiſſe Fabiani Papæ, deceptus nimirum nomine Fabiani Expræfecti, parentis ſanctarum virginum Bibianæ atque Demetriæ, qui vixit temporibus Conſtantij & Iuliani Impp. cùm tamen Fabianum Papam conſtet martyrio coronatum eſſe ſub Decio Imperatore.

[e] Hermetis & ſoc.] Vſuardus etiam de his hac die, adſtipulanturque vet. manuſcr. Hos autem ſub Maximiano Imperatore paſſos eſſe, teſtantur etiam tabulæ Bononienſis eccleſiæ.

[f] Mauili.] Præclaro elogio hunc martyrem Tertullianus exornat, ſcribens ad Scapulam Præſidem; cui etiam exprobrat cladem diuinitus immiſſam in Africam in martyris vltionem. Scapulam autem Præſidem, cuius cùm hîc, tum apud Tertullianum mentio habetur, illum reor Tertyllum Scapulam, ad quem extat reſcriptum Commodi Imp. L. Diuus Marcus. ff. de offic. præſ. nam paulò poſt Commodum Seuerus imperat, ſub quo Scapula in Africa exercuit ſanctorum carnificinam, inter quos Mauilus, de quo agitur, martyrio coronatus eſt.

[g] Aquilini & ſoc.] De his etiam Beda hac die, qui fatetur horum Acta ſuis temporibus extare; quæ poſtmodum excidiſſe videntur. Agunt de ijſdem Vſuardus, Ado, & alij. Paſſos hos eſſe in perſecutione Wandalica, tradit Petrus in catal. lib. 2. c. 44. ex Adone, quem citat.

[h] Gregorij Epiſcopi.] De eodem vet. manuſcrip. huius res geſtas ſcripſit Gregorius Turonen. in vita ſanct. patrum cap. 7. qui de eodem agit de geſt. Franc. lib. 3. cap. 15. & 19. ex quibus apparet eum claruiſſe temporibus Theodorici filij Clodouei Regis Franc. Interfuiſſe reperitur Gregor. Lingon. Epiſcopus tribus Galliarum Concilijs, Epaunenſi, Aruernenſi, necnon etiam tertio Aurelianenſi, ſed huic per legatos tantùm. In tabulis Epiſcoporum Lingonien. quas deſcripſit Democh. decimus ſextus hic eius ſedis numeratur Epiſcopus. Mombrit. etiam de ipſo agit tomo 1. vit. ſanctorum.

[i] Rigoberti Epiſcopi.] Extant eius præclara Acta, quæ recitat Sur. to. 1. Floruit ijs temporibus, cùm Pipinus & Carolus Martellus regnum Francorum adminiſtrarent pro Childerico Rege; peruenitq. vſque ad tempora Hadriani Papæ, qui, ipſo defuncto, reiecto Milone, in locum eius ſubrogauit Turpinum, vt eius Acta teſtantur. de ipſo item Sigeb. in chron. anno 723. Ponitur hic in tabulis Democh. 28. eius ſedis Epiſcopus.

## 5 Nonis Ianuarij. Luna. E xxvj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | | | |

VIGILIA [a] Epiphaniæ Domini. Romæ ſancti Teleſphori [b] Papæ, qui ſub Antonino [c] Pio poſt multos labores pro Chriſti confeſſione illuſtre martyrium duxit. In Ægypto commemoratio plurimorum [d] ſanctorum Martyrum, qui in Thebaide ſub perſecutione Diocletiani diuerſo tormentorum genere cæſi ſunt. Antiochiæ ſancti Simeonis [e] monachi, qui in [f] columna ſtans multos annos vixit, vnde & Stylitæ cognomen accepit: cuius vita & conuerſatio extitit admirabilis. In Anglia ſancti Eduardi [g] Regis, virtute caſtitatis, & gratia miraculorum inſignis. Alexandriæ ſanctæ Syncleticæ [h], cuius res præclarè geſtas ſanctus Athanaſius litterarum monumentis commendauit. Romę ſanctæ Æmilianę [i] virginis, amitæ ſancti Gregorij Papæ, quæ vocante Tharſilla ſorore, quæ ad Deum præceſſerat, hac ipſa die migrauit ad Dominum. Eodem die ſanctæ Apollinaris [k] virginis.

## IANVARII 5.

VIGILIA [a] Eiphaniæ.] De qua Ordo Rom. Gregorius Turon. de geſt. Franc. lib. 10. c. 31. in Perpetuo Epiſc. Micrology. & alij qui agunt de diuinis offic. Celebrabatur etiam in eccleſia Africana vigilia Epiphaniæ, in qua ſanctus Eugenius Epiſcopus Carthaginenſis Felicem cæcum Dei virtute illuminauit, vt ſcribit Vict. de perſec. Wandal. libro 2. Egimus ſatis de vigilijs Eccleſiæ in Annalibus Eccleſ. Hîc autem illud vnum nequaquam diſſimu-



Digitized by Google

diſſimulandum videtur, nonnullos sffirmare, ſanctum Ambroſium perſuaſinne ſanctæ Monicæ, vſum vigiliarum ea de cauſa ab Eccleſia proſcripſiſſe, quòd Chriſtianorum plurimi illud noctis tempus ludendn ac choreas ducendn tranſigerẽt: quod firmant auctoritate ſermonis, qui S. Auguſtini nomine ſcriptus reperitur ad fratres de eremo; eſt ordine vigeſimus quintus. Hoc autẽ quid magis à veritate alienum poteſt excogitari, cùm eo tempore, quo ſancta Monica fuit Mediolani, occaſione perſecutionis Arianorum, ibidem vigiliæ vigilantiùs, ſanctiùs, puriùs, ac propenſiori ſtudio, quàm vnquam anteà, fuerint celebratæ? Nam præter lnngiores excubias, frequentiorem cœtum, concinnes ad populum, S. Ambroſius addidit vigiliis ſacros hymnns. Præſtò illis erat vnà cum ceteris ſancta Mnnica, & in eis (vt S. Auguſtinus ſcribit lib. 9. confeſſ. cap. 7.) primas partes tenebat. Quàm ſolerti ſtudio Mediolanenſis eccleſia ſacras vigilias ageret, accedat auctoritas ipſius S. Ambroſij, qui in ſermone in Pſal. 109. edit. Rnm. de feſto Pentecoſtes, commendans exactam vigiliarum obſeruationem, ait: Ieiunauimus Sabbato, vigilias celebrauimus, orationibus pernoctãter inſtitimus, &c. In eccleſia verò Africana tantum abeſt (quod preſefert ſermo ille) vt ea occaſinne demptæ fuerint nocturnę ſacrę vigilię, vt eædem maius tunc temporis acceperint incrementum, & in exactiorem purioremque religionis cultum fuerint reſtitutę. Nam vſus citharæ, qui ea occaſione irrepſerat, quod ſcriptum eſſet in Pſal. 70. Pſallam tibi in cithara ſanctus Iſrael, Auguſtini npera fuit ablatus, vt ipſe ſcribit concione 1. ſuper Pſalmum 32. Erant igitur in vſu vigiliæ nocturnæ, illæque puræ, & Chriſtiana obſeruatione digniſſimæ, vt idem teſtatur in concinne ad catechumenos contra Iudæos tom. 6. Ad quas etiam frequentandas ſuos conſueuit hortari, vt apparet ex ſerm. 251. de temp. Inſuper addimus, tantum abeſſe, vt occaſione chorearum, vel aliorum abuſuum, ſacræ vigiliæ fuerint abolitæ, vt in omnibus contrarium prorſus acciderit; nimirum vt ex ſacro religinſoque vſu vigiliarum ſublati fuerint perditiſſimi illius temporis mores, qui anteà irrepſiſſent. Eſt de his locus egregins S. Auguſtini in ſermone habito in die natali ſancti Cypriani, eſt ordine 115. de diuerſis, vbi hæc leguntur cap. 5. tom. 10. pag. 593. edit. Louan. Aliquando ante annos non valdè multos iſtum locum inuaſerat petulantia ſaltatorum. Iſtum tam ſanctum locum, vbi iacet ſancti martyris corpus (ſicut meminerunt multi qui ætatem habent) locum, inquam, tam ſanctum inuaſerat peſtilentia & petulantia ſaltatorum. Per totam noctem hîc cantabantur neſaria, & cantantibus ſaltabatur. Quando voluit Dominus per ſanctum fratrem noſtrum Epiſcopum veſtrum, ex qun hîc cœperunt ſanctæ vigiliæ celebrari, illa peſtis aliquantulùm reluctata, poſteà ceſſit diligentiæ, erubuit ſapientiæ, &c. Ex his omnibus luce clariùs cognoſces, cuius fidei ſit ſermo ille, qui nomine Auguſtini ad fratres de eremn circumfertur, quem cum alijs ſchola Louanienſis in hac recentiori editione reiecit in angulum. Nnn itaque Ambroſius, non Auguſtinus, nec quiuis alius Orthodoxorum, his temporibus vigilias nocturnas Eccleſiaſticas abrogauit, vel minuit: ſed impuriſſimus hæreſiarcha Vigilantius vigilias, ſui nominis hoſtis, impugnauit, ſicque minuere conatus eſt, vt nonniſi ſemel in anno, in Paſchali ſolemnitate vigilias peragendas eſſe iactaret. Hieronymus aduerſus Vigilant.

[b] Teleſphori Papæ.] De eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac vet. manuſcrip. In Romanis Pontificibus ea tantùm quæ ſpectant ad ſucceſſinnem, hîc annotare viſum eſt: in Annal. Eccleſiaſticis cetera vberiùs explicabimus. Quod itaque attinet ad ſucceſſinnem Teleſphori, agit in primis Irenæus aduerſus hæreſ. libro 3. cap. 3. Epiphan. hæreſ. 37. Euſeb. in chron. & hiſt. lib. 4. cap. 5. Optatus lib. 2. contra Parmen. Auguſt. epiſt. 165. ad Gener. Niceph. Epiſc. in chron. & alij complures recentiores.

[c] Sub Antonino Pio.] Hoc locn fortaſſe erit qui dubitet, quomodn ſub Antonino Pio Teleſphorus vel alij paſſi dicantur, cùm ſub eo pacem fuiſſe in Eccleſia, teſtetur Tertull. in apologet. Seuerus lib. 2. Oroſ. lib. 7. cap. 14. & alij. Conſtat etiam Antoninum prn Chriſtianis edictum ampliſſimum propoſuiſſe, vt ſcribit Euſeb. in chron. & hiſt. lib. 4. cap. 12. quod apud Iuſtinum martyrem leges in appendice apologiæ. Reſpondemus, martyrium Teleſphori vel aliorum contigiſſe ante ſcriptam à Iuſtino apologiam, & promnlgatum pro Chriſtianis edictum, prout idem teſtatur Euſebius hiſt. lib. 4. cap. 11. & 12. Porrò ex eadem Iuſtini apologia ſatis apparet, ante illud tempus, cùm idem imperaret Antoninus, non eſſe temperatum omnino à cæde Chriſtianorum; non quidem Imperatoris mandato, ſed ex ſententia Præſidum, & furnre Gentilium, conclamantibus illis contra fideles: ad quorum coërcendum furorem Iuſtinus (vt apparet) nobiliſſimam illam elaborauit apologiam Chriſtiano philoſopho dignam. Suppetunt & aliæ rationes, cur tempore pacis Eccleſiæ, vel ſub iuſtiſſimis Principibus multi reperiantur martyres paſſi: ſed ea quæ ſuprà diximus de temporibus Alexandri Imperatoris, & quæ paulò inferiùs dicturi ſumus de Traiann, ſatis ad hanc rem explicandam eſſe poterunt.

[d] Plurimorum ſanctorum martyrum.] Horum ſingulorum certamina Euſebius digeſſit in libro quem ſcripſit de Martyribus, qui non extat. Omnium verò ſimul agonẽ ſummatim complexus eſt hiſt. lib. 8. cap. 9. Cùm autem innumera ferè Ægyptiorum martyrum multitudo paſſa habeatur tam ex monumentis Gręcorum, quàm Latinorum ſcriptorum: de ea gente illud ad memoriam reuocaui, quod ſcribit Cicero lib. 5. Tuſcul. his verbis: Ægyptiorum morem quis ignorat? quorum imbutæ mentes prauitatis erroribus quamuis carnificinã priùs ſubierint, quàm ibim, aut aſpidem, aut ſelem, aut crocodilum violent; quorum ſi imprudenter quippiam fecerint, nullam pœnam recuſent. hæc Cicero. Porrò ſi olim Ægyptij tanti vitrum; quanti illos margaritum (vt habet parœmia) feciſſe putandum eſt, corroborante eos præſertim diuina gratia?

[e] Simeonis.] De eodem hac etiam die ceteri Latinorum, Græci autem 24. Maij, vt apparet ex Menologio. Huius adhuc viuentis quaſdam res geſtas cõſcripſit Theodoretus Epiſcopus Cyri libro ſanctorum Patrum Deum amantium c. 26. Euagrius etiam nonnulla lib. 1. hiſt. c. 13. & 14.

Niceph.

Niceph. lib. 14. c. 51. qui etiam teſtatur, Metaphraſtem vbetiùs eius Acta fuiſſe proſecutum, ſed non extant. de eo præterea ceteri Græcorum, vt Suidas, Cedrenus, Michaël Glycas; plura de eo in vita Danielis Stylitæ, & in Actis ſancti Theodoſij Cœnobiarchæ: ex Latinis Gregorius Turon. de gloria confeſſ. cap. 26. & alij recentiores. In vit. patrum par. 1. c. 48. eiuſdem Simeonis, incerto auctore, vita ſcripta reperitur. Huius egregia ſanctitas, admirandumque vitæ genus quod excoluit, non tantùm in Syria vbi agebat, ſed toto innotuit urbi: Romæ etenim, vt præſens, adeò notus fuit, vt opifices in omnium officinarum veſtibulis, alij in porticubus (vt ſcribit Theodoretus) imaginem eius affigerent; hinc vnuſquiſque (vt ait) ſibi auxilium ac tutelam parantes. In Galliis etiam noniſſima extitit eius fama, prædicante eius admirabilem ſanctitatem ſancta Genoueſa, quæ licet longè abſens, eum tamen velut præſentem diuinitus nouerat, vt conſtat ex eiuſdem ſanctæ Genoueſæ Actis. Plurimi eum fecerunt Imperatores Catbolici, vt Theodoſius Iunior, cuius adhuc legitur epiſtola ad illum ſcripta, inſerta in Actis Cōcilij Epheſini to. 5. c. 25. edit. Pclt. Scripſiſſe etiam ad ipſum reperitur Leo Magnus Imp. vt ſcribit Euag. hiſt. lib. 2. c. 9. De tempore quo vixit, ex Theodoreto eius primordia colligi poſſunt, dum ait columnam iam incoluiſſe temporibus Meletij Epiſcopi Antiocheni, qui ſub Valente Imp. vixit, deſiitq. ab humanis eo anno, quo celebrata eſt magna Synodus Conſtantinopolitana, Syagrio & Euchario Coſſ. qui numeratur annus à Chriſto, iuxta veriores chronographos, trecenteſimus octogeſimusprimus. Superuixit autem Simeon (vt ait Cedrenus) vſque ad quartum annum Leonis Magni Imp. quod etiam colligitur ex Actis Danielis Stylitæ: eſt annus is à Chriſto 460. qua ratione iam centenario maior obdormiſſe dignoſcitur. De tranſlatione reliquiarū eius facta Conſtantinopolim, & eccleſia in eius honorem erecta ab eodem Leone Imperatore, habetur mentio in Actis eiuſdem Danielis Stylitę. Non omittendum illud videtur, quoſdam eodem nomine deceptos ex duobus vnum conflaſſe Simeonem. Nam duos fuiſſe Simeones, ſeniorem, ac iuniorem, exploratum habetur. Præter ſeniorem de quo agimus, fuit etiam alius eiuſdem nominis & exercitationis, idemque dictus Stylita, quem à prædicto eſſe diuerſum, tempora, loca, maiorumq. teſtimonia declarant. Quonam tempore vixerit Simeon ſenior, iam vidimus. Iunior autem (vt auctor eſt Euagrius li. 6. cap. 22. qui eum nouit, & vſus eſt familiariſſimè) claruit temporibus Iuſtini Imperatoris vſque ad Mauritium. Extant eiuſdem Simeonis litteræ ad Iuſtinum Auguſt. recitatæ poſtmodum in actione quinta Nicęnæ ſecundę Synodi, vt eius teſtantur Acta; vbi & cognominatus eſt hic, Simeon Stylita admirandi montis, iiſdemque notis nuncupatur à Ioanne Damaſceno in orat. 3. de imag. circa finem. Sic enim eſt dictus, quòd (vt idem ſcribit Euagrius lib. 6. cap. 22.) vixit in columna ſeorſum in ſummo montis vertice poſita. Vixerunt prædicti ambo in Syria. Fuit & tertius Simeon Stylita in Cilicia, quadraginta ferè milliaribus ab Ægis ciuitate: huius meminit Sophronij Pratum ſpirit. cap. 57. hic percuſſus fulmine interiit: ex quo quidem genere mortis diuerſum hunc eſſe à prædictis duobus Simeonibus, nulla eſt dubitatio. De prædictis duobus Græci agunt in Menologio; de ſeniori (vt diximus) 24. Maij, de iuniori autem prima Septembris.

[f] In columna.] Super vnam columnam cellulam ex tabulis ſtruere, primus omnium docuit C. Męnius Rom. qui cùm ad ędificandā baſilicam domum ſuam venderet, excepit ſibi ius vnius columnę, ſuper quam tectum proiiceret cōpactum ex tabulis, vnde ipſe & poſteri eius munus gladiatorium ſpectare poſſent, quod tum edebatur in foro. hæc Aſcon. Ab eodem Męnio dicta eſt Męniana ſtructura, cuius poſteà fuit frequentior vſus; cuius meminit Feſtus in verb. Mæniana.

[g] Eduardi Regis.] Cuius egregia facta conſcripſit Alredus abbas, quæ retulit Sur in tom. 1. Hunc Alexander Papa Tertius adſcripſit Sanctorum numero; cuius rei geſtæ extant monumenta in appendice ad vitam eius. Habentur etiam in bibliotheca Vaticana litteræ Innocentij Quarti Rom. Pont. de celebratione diei feſti S. Eduardi Regis, in Regiſt. an. 2. num. 255. pag. 527. Obiit idem ſanctus anno Domini milleſimo ſexageſimoſexto.

[h] Syncleticæ.] Græci etiam de eadem hac die agunt, vt vidimus in Menologio. Tradit Niceph. Calliſt. lib. 8. c. 4. ſanctum Athanaſium ſcripſiſſe vitam Syncleticæ: eadem, inquit, ratione, qua ſcripſerat vitam Antonij; vt ſicut in hoc viri, ita in illa haberent mulieres, quod imitari aſſiduè poſſent. hæc ille. Vtinam extaret; deperijt enim non ſine graui totius orbis Chriſtiani iactura, quam expendimus ex ingenti emolumento, quod Eccleſia eſt conſecuta ex Antonij vita ab eodem auctore conſcripta. Eiuſdem nominis virginem Sedulius preſbyter in epiſtola ad Macedonium, quæ eſt præfatio Paſchalis operis, ſummis laudibus celebrat; necnon eius ſororem Perpetuam coniugij vinculo adſtrictam. Extant ſenioris Syncleticæ grauiſſimæ ſententiæ recitatæ atque deſcriptæ in Vit. patrum. Vixit Syncletica iunior iiſdem cum Sedulio temporibus, ſenior autem temporibus Conſtantini Imp.

[i] Æmilianæ.] Agit de ſancta Æmiliana S. Gregorius Papa homilia 38. quam refert, poſt multa præclarè geſta, hac die quieuiſſe in pace. Fuit alia ſancta Æmiliana, cuius nomine Romæ titulus erat: quę & vixit longè ante huius tempora: nam eius tituli habetur mentio in Concilio ſecundo Romano ſub Symmacho Papa.

[k] Appolinaris virg.] Eius res geſtas edidit Metaphraſtes; de quibus Lectorem monitum velim, ineſſe ibi errorem, dum filia Anthemij Imperatoris dicitur, qui poſt Seuerum imperauit in Occidente. Sciat potiùs hanc fuiſſe genitam Anthemio Conſulari viro religioſiſſimo, qui ſub Arcadio Imperatore geſſit Conſulatum, ad quem extat Ioannis Chryſoſtomi epiſtola 147. de quo & Theodoretus meminit lib. ſanct. patr. cap. 8. Habitus eſt autem hic velut Imperator, dum defuncto Arcadio, pro Theodoſio impubere adminiſtrauit Imperium.

xxv. F Octauo Idus Ianuarij. Luna. 6

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23
t u A B C D E f F G H M N P
24 25 26 27 28 29 30 1 1 2 3 4 5 6

EPIPHANIA[a] Domini. In territorio Rhemenſi paſſio ſanctæ Macræ[b] virginis, quæ in perſecutione Diocletiani, iubente Rictiouaro Præſide, cùm in ignem eſſet præcipitata, & permanſiſſet illæſa, dehinc mamillis abſciſſis, & ſqualore carceris afflicta, ſuper teſtas etiam acutiſſimas ac prunas voluta, orans migrauit ad Dominum. In Africa commemoratio plurimorum ſanctorum[c] Martyrum, qui in perſecutione Seueri ad palum[d] ligati, igne conſumpti ſunt. Rhedonis in Gallia ſancti[e] Melanij Epiſcopi & confeſſoris, qui poſt innumerabilium ſigna virtutum, iugiter cælo intentus, glorioſus migrauit à ſæculo. [f] Geris in Ægypto ſancti Nilammonis recluſi, qui dum ad Epiſcopatum traheretur inuitus, in oratione ſpiritum Deo reddidit.

# IANVARII 6.

EPIPHANIA[a] Domini. ] Græci etiam hac die eamdem celebrant ſolemnitatem, quam aliqui & Theophaniam dicunt; licet Greg. Nazianzenus Theophaniam appellet diem, quo Dominus Ieſus Chriſtus eſt natus: hanc autem diem, qua non tantùm aduentus Magorum, ſed etiam inter alia myſteria, Baptiſmatis Chriſti ſolemnitas agitur, vocat feſtum ſanctorum luminum, eo quòd baptiſmus etiã illuſtratio diceretur, vt apparet ex eiuſdem oratione In ſancta lumina; quo etiam nomine appellat eam Cyrillus monachus in Actis quæ de S. Euthymio exactè conſcripſit. Apud Ægyptios autem vna eademq. die Natalis Chriſti atq. baptiſmus agi conſueuit, vt conſtat ex homilia Ioannis Chryſoſtomi in Lucam c. 2. in Nat. Domini, to. 2. & Ioanne Caſſiano collat. 10. de oratione cap. 1. Epiphanius in panar. hæreſi 51. paulò diuerſus ab Ægyptiis, dicit, hac die, vel (vt habent alij codices) quinta huius, natum eſſe Dominum, baptizatum autem ante ſextum Idus Nouemb. hac autem die, qua & Ægyptij Natalem Domini celebrant, primum illud à Domino miraculum eſſe factum, cùm aquam mutauit in vinum. At S. Hieronymus in commentario ſuper Ezechielem cap. 1. hac ipſa die baptizatum tantùm fuiſſe Dominũ, non autem natum, affirmat. Conſultiùs itaque Occidentalis Eccleſia vna eademq. die, quam Epiphaniam appellat, aduentum Magorum, Chriſti baptiſmũ, & primum illud inſigne miraculum recolit. His diuinis myſteriis S. Auguſtinus ſerm. 32. de temp. qui eſt quartus Epiphaniæ, addit & quartum, nimirum excellens illud ſignum, quando quinque panibus quinque hominum millia Chriſtus pauit in deſerto. Paulinus in Natali 9. ſancti Felicis nonniſi prædicta tria myſteria ea die habita recenſet, ſicut & S. Maximus Taurinenſis. Celeberrimam fuiſſe ſemper Chriſtianis eiuſmodi ſolemnitatem, declarat Cæſarum præſentia, adeò vt ne impij quidem Principes ab ea celebritate abeſſent. Siquidem Iulianus Apoſtata, qui pallio Chriſtianæ ſimulatæ religionis latentem impietatem ſtudebat contegere, cùm eſſet in Gallijs, voluit ea die cum ceteris Chriſtianis ſacris intereſſe myſterijs, vt ſcribit Ammian. Marcellin. lib. 21. Id ipſum præſtitit Valens Imperator Arianus, vt de eo ſcribit S. Greg. Nazian. oratione in laudem Baſilij. Viſus enim fuiſſet à Chriſtiana fide prorſus extorris, qui tantis ſolemnibus non adeſſet. Theodoſius Imp. ſic huius diei celebritatem coli iuſſit, vt ſeptem diebus qui præcedunt, ac totidem qui ſubſequuntur, iudicialem ſtrepitum conticeſcere iuſſerit, vt L. 2. Cod. de ferijs.

[b] Macræ. ] De eadem hac die Beda, Vſuardus, Ado, conſentiuntque manuſcripta, Petrus item in catal. lib. 2. c. 50. Additũ hîc eſt, eam paſſam ſub Diocletiano Imperatore: nam Rictiouarum Præſidem, qui eam ſub titulo Chriſtianitatis damnauit, ſub eodem Imperatore exercuiſſe præfecturam, declarant Acta ſanctorum Criſpini & Criſpiniani, & aliorum Gallicanorum martyrum. Quod autem ad nomen Præſidis ſpectat, Rictiouarum in aliquibus antiquis codicibus in duas dictiones diſtinctum inuenimus in hunc modum, Rictius Varus; quæ lectio mihi magis arridet.

[c] Plurimorum martyrum. ] Reſtituti ſunt hi ex veteribus monumentis, quibus perbellè adſtipulatur Tertullianus in apologetico, vbi hæc circa finem habet, cùm in Gentiles inuehitur: Licet nunc Sarmenticios & Semaxios appelletis: quia ad ſtipitem dimidij axis reuincti exurimur. Is eſt habitus victoriæ noſtræ, hæc palmata veſtis; tali curru triumphamus, &c. Conſule de

his

ſi, temporibus Clodouei celebrato, vt eius Acta teſtantur. Scribit de Melanio Gregor. Turon. de gloria confeſſ. c. 55 & Petrus in catal. lib. 2. c. 49. Fuit & eiuſdem nominis Melanius alter Viromandenſis Epiſcopus, qui eadem vixit ætate, eidemq. Concilio præſens fuit. Alius inſuper Melanius Epiſcopus Rothomagenſis, de quo ſcribit Gregorius Turonenſis de geſtis Franc. lib. 7. c. 19.

[f] Geris in Ægypto S. Nilammonis.] Geris ciuitas eſt in Ægypto, diſtans à Peluſio ferè quinquaginta ſtadijs: cui præficiendus cùm eſſet à Theophilo Alexandrino Nilammon, antequam res ageretur (vt optauit & precibus impetrauit) in eadem cellula, qua clauſus tenebatur, diem obijt; vbi in eius memoriã templum eſt erectum, annuaq. ſtatuta commemoratio, vt ſcribit Sozomenus hiſt. lib. 8. c. 19. & Niceph. lib. 13. c. 17.

his ſcholion Pamelij ibi appoſitum 619.

[d] Ad palum ligati.] Ad palum ligabantur rei aliquando ad comburendum, vt hîc habes; aliquando verò ad torquendũ, vt legitur apud Suetonium in Claudio c. 34 De vtroque plura ſuppetũt exempla in Actis martyrum. Illi etiam qui ſecuri plectendi eſſent, ligabantur ad palũ, vt Valer. lib. 5. c. 8. dum ait: Virgis cęſos, & ad palum religatos ſecurí percuti iuſſit. eadem ſuprà lib. 3. c. 8. Rurſus etiam palus adigebatur per medium hominem vſque ad ſummum oris, ac ſic miſerè mori cogebatur. de quo ſupplicio Seneca lib. 2. ep. 14. ait: Cogita adactum per medium hominẽ, qui per os emergebat, ſtipitem, &c. De quo genere mortis Procop. lib. 1. de bello Wandalic. & alij.

[e] Melanij Epiſc.] De eo etiam Vſuardus. Hic reperitur interfuiſſe Concilio primo Aurelianen-

## 7 Septimo Idus Ianuarij. Luna. G xxiiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | | | |

RELATIO [a] pueri IESV de Ægypto. Eodem die natalis beati Luciani [b] Antiochenę eccleſię preſbyteri & martyris, qui ſatis clarus doctrina & eloquentia, paſſus eſt Nicomediæ ob Chriſti confeſſionem in perſecutione Maximini, ſepultuſque eſt Helenopoli in Bithynia: cuius laudes S. Ioannes Chryſoſtomus celebrauit. Antiochiæ S. Cleri [c] diaconi, qui pro confeſſionis gloria ſepties tortus, ac diu carcere maceratus, ad vltimum decollatus, martyrium conſummauit. In ciuitate Heraclea ſanctorum martyrum Felicis [d] & Ianuarij. Eodem die ſancti Iuliani [e] martyris. In Dania ſancti Canuti [f] Regis & martyris. Papiæ ſancti Criſpini [g] Epiſcopi & confeſſoris. In Dacia ſancti Nicetæ [h] Epiſcopi, qui feras & barbaras gentes Euangelij prędicatione mites reddidit ac manſuetas. In Ægypto beati Theodori [i] monachi, qui tempore Conſtantini Magni floruit ſanctitate, cuius ſanctus Athanaſius meminit in vita S. Antonij.

## IANVARII 7.

RELATIO [a] pueri Ieſu de Ægypto.] Agit de eadem Beda hac die, Vſuardus, Ado, & alij, quibus omnibus adſtipulantur vet. manuſcr. Id verò contigiſſe poſt ſeptimum Chriſti annum, pluribus demonſtrauimus in Annalibus Eccleſiaſticis.

[b] Luciani.] De eodem Latini omnes hac die, Græci autem agunt decimaquinta Octobris. Hunc ſub Maximino paſſum, Euſebius tunc viuens, ac geſta martyrum ſcribens, teſtatur lib. 9. cap. 5. Id ipſum Hieron. de ſcrip. Eccleſ. in Luriano. Errore factum videtur, vt tam Metaphraſtes, quàm Suidas eum ſub Maximiano martyrio occubuiſſe dicant. Præclariſſima hæc ſui ingenij reliquit monumenta, quæ à maioribus Lucianea ſunt appellata, cuius etiam nomine dicta eſt diuinæ Scripturæ verſio ab ipſo elaborata, quam Græci Communem, ſeu Vulgatam dixere, eaque (vt ſæpiùs teſtatur S. Hieronymus ad Chromatium epiſt. 107. & ad Suniam 131.) Orientales omnes qui interiacent à Conſtantinopoli Antiochiam vſque, ſunt vſi. Nouiſſimè demum, ea vrgente perſecutione grauiſſima, cùm apologiam pro Chriſtiana religione ſcripſiſſet, nobili corona martyrij eſt inſignitus. Non ſic tamen felix in diſcipulis fuit: nam præter Pelagiam Antiochenam, quæ eum ſectata, præclarum pro fide certamen ſubijt; ceteri in apoſtaſiam primùm eo tem-

pote perſecutionis ſunt prolapſi; poſtmodū reddita pace Eccleſiæ, ſe Ario coniunxere, vt ſcribit Niceph. lib.8. c.31. Porrò ijdem, quo illuſtriori gloriarentur auctore, non erubuerunt & ſanctiſſimum martyrem, quaſi auctorem hæreſis in crimen adducere, ſeſeque ab eodem Collucianiſtas appellare: eo etenim nomine Arius ſuos dicebat, ad quos ſcribebat epiſtolas. Extat adhuc exemplum litterarum Arij ad Collucianiſtas apud Epiphan. in panar. hæreſ. 69. & Theodoret. lib. 1. c. 5. Id aliquando, primis illis rerum exordijs, Catholici verum rati, in eumdem Lucianum declamarunt, vt feciſſe videtur ſanctus Alexander Epiſcopus Alexandrinus, ſcribens ad æquè ſanctum Alexandrum Conſtantinopolitanum Antiſtitem, cuius epiſtola recitatur à Theodoreto li. 1. hiſt. c.4. Tranſijt idem nomen ad poſteros; nam & Marius Victorinus lib. 1. aduerſus Arianos, eoſdem Lucianiſtas appellat. Ne quid autem de tanto martyre leuis ſuſpicionis in alicuius animum irrepat, ex ipſis etiam Arianorum actis, quàm pura ſinceraque eſſet Luciani fides, apparet. Siquidem Antiochiæ ijdem Conſtantij Imp. tempore conuenientes, vt abolerent nomen illud Conſubſtantialitatis, fidei profeſſionem ediderunt Luciani martyris, quam recitat Sozom. hiſt. lib. 3. c. 5. & Niceph. lib.9.c.5. In qua communis Filij cum Patre ſubſtantia, potentia, gloria, imago, & alia demum omnia inſunt, quæ Catholicæ Eccleſiæ filij profitentur: niſi tantum quòd Conſubſtantialitatis verbum illic non reperitur expreſſum; cuius occaſione & à Nicæno ſymbolo illud adimere conabantur. ſed nulla quidem in eo eſſe poterat culpa, eam vocem omittendo, quam ſcimus ad eludendos omnes Arianorum cauillos (vt pulchrè docet S. Athanaſius in decretis contra Arian. col. 381.) à ſacroſancta Nicæna Synodo primùm fuiſſe ſapienter appoſitam. Quod itaque religiosè vereque ante Nicænum Concilium Lucianus profiteri potuit, eo ipſo in damnationem eiuſdem vocis abuſi ſunt Ariani, ſicut & ipſam Scripturam etiam in prauum ſenſum ſæpiùs torquere non erubuerunt. Satis vel illud ſit ad S. Luciani defenſionem teſtimonium Athanaſij, qui dum in Synopſi, quam ad Conſtantem Auguſtum ſcripſit, de diuinis Scripturis agit, appellat Lucianum ſanctum magnum religioſumq. martyrem. Sed non prætereat (quod mente exciderat) nobile illud de martyre Luciano, quod eſt apud Origenem elogium, quo ait: Quòd autem ſecundùm ipſam hiſtoriā teſtis lacerati atque pernecati fuerint ſancti martyres, manifeſtum eſt atque irrefutabile. Nam poſt vniuerſa tormenta recludentes eos in carceres, & teſtas multas in eis ſternentes, & per quatuor partes eos impij extendentes, crudeli morte eos pernecabant. Ita conſummatus eſt beatus atque glorioſus Lucianus, lucidus vita, lucidus & fide, lucidus etiam tolerantiæ conſummatione. Ob hoc enim Lucianus cognominatus eſt tamquam lucidus, aut proprio lumine ſibi fulgens, aut alijs lucens. Hic namque beatus duodecim diebus ſupra teſtas multas extenſus, tertiadecima die eſt conſummatus; alijque innumeri ſancti martyres eodem modo mortem tranſeuntes conſummati ſunt. Hucuſque auctor, non tamen Origenes, vt præfert titulus: nam longè ante Luciani tempora ille obijt, nempe ſub Gallo & Voluſiano: Lucianus autem (vt vidimus) vltima perſecutione ſub Maximino eſt coronatus martyrio. Nec eſt quòd de alio Luciano ea ſcripta eſſe dici poſſint: nam eiuſmodi genere mortis, quod auctor recenſet, Lucianum, de quo agimus, eſſe ſublatum, eius Acta à Metaphraſte deſcripta declarant. Eius venerandum corpus poſt martyrium, delphinorum obſequio, Drepanum in Bithyniam delatum, egregia baſilica ab Helena Conſtantini matre fuit ornatum, qui & locum illum Imperialibus munificentijs auctum, Helenopolim appellauit, vt ſcribit Socrat. lib. 1. c. 13. & Niceph. hiſt. lib. 8. c. 31. Quòd hîc habetur, S. Ioannem Chryſoſtomum præclara oratione laudaſſe Lucianum: ſcias eam vt rem pretioſiſſimam aſſeruari in bibliotheca erudiriſſimi Card. Sirleti, prout ipſe mecum, vt de pretioſo margarito, gloriatus eſt. Agit & de Luciano Suidas in hiſtoricis, & alij.

[c] Cleri diaconi. ] De eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, manuſcr. ac ceteri, Petrus item in catalog lib. 2. c.54.

[d] Felicis & Ianuarij. ] Agit de his item hac die Vſuardus, conſentiuntque vet. manuſc.

[e] Iuliani. ] Sicut in veteri Rom. Martyrologio, ita & in manuſcrip. idem reperitur: quando autem, vel vbi paſſus ſit, latet.

[f] Canuti Regis. ] De eo plura Saxo Grammat. hiſt. Dan. lib. 13. Ioannes Magnus hiſt. Goth. lib.18.c.11.12.& 13. Floruit temporibus Gregorij Septimi Rom. Pont. circa an. Domini 1080. Fuit alius eiuſdem nominis Danorum Dux, qui & ipſe innocentiſſimè necatus eſt, & inter ſanctos relatus; de quo idem Saxo Grammat. & Ioannes Magnus lib. 18. c.14. & lib.19. c.7.

[g] Criſpini Epiſcopi. ] Claruit hic temporibus S. Leonis Papæ, interfuitque Mediolanenſi Concilio tunc congregato, vt conſtat ex ſynodica eiuſdem ad S. Leonem ſcripta. Succeſſit huic S. Epiphanius ſanctitate & eruditione non impar. Ennodius Ticinenſis Epiſcopus de eo in vita S. Epiphanij Epiſcopi, & in carmine quod ſcripſit, hæc habet de S. Criſpino:

*Salue ſancte parens, ſaluete ô ſæpè recepti*
*Criſpini cineres, ad cuius vota redundat,*
*Quicquid in hoc Chriſti miramur dogmate dignū, &c.*

Eiuſdem nominis fuit Epiſcopus Patauinus, qui vixit temporibus Conſtantij, cuius meminit Athanaſius in apolog. ad Conſtantium col. 316. d.

[h] Nicetæ Epiſcopi. ] Hic licet Dacorum eſſet Epiſcopus, optimè tamen notus fuit Romanis, quem S. Paulinus in 10. epiſt. ad Seuer. doctiſſimum etiam ac Romanis admirandum prædicat: peregrinari enim in Italiam ad loca ſancta conſueuit: de cuius reditu eidem Paulinus carmen ſapphicum perelegans ſcripſit, quo eius præclara geſta cecinit, & inter alia de Beſſis populis ad Chriſtum conuerſis meminit. Gens præ ceteris fera: nam (vt Strabo teſtatur) ob conſuetudinem latrocinandi, ijdem omnes proprio vocabulo ſunt appellati Latrones: de quorum ad Chriſtum conuerſione hæc ibi Paulinus:

*Nam ſimul terris, animiſq; duri,*
*Et ſua Beſſi niue duriores,*
*Nunc oues facti, duce te gregantur*
*Pacis in aulam.*

De his etiam S. Hieronymus epiſt. 3. ad Heliodorum: Beſſorum (inquit) feritas, & pellitorum turba populorum, qui mortuorum quondam in-

ferijs

Digitized by Google

ferijs homines immolabant, ſtridorem ſuum in dulce Chriſti fregerunt melos. Hæc Hieron. De Beſſis monachis prætereà habetur mentio in vita S. Theodoſij Cœnobiarchæ. Porrò de Niceta idem Paulinus turſum in Natali nono S. Felicis agit.

[l] Theodori. ] Duo reperiuntur fuiſſe Theodori; quorum alter, de quo hîc agitur in Martyrologio, diſcipulus fuit S. Antonij, cuius S. Athanaſius in vita eiuſdem Antonij meminit: alter verò etiam ſanctitate celebris fuit, cuius geſta narrantur in vita S. Pachomij, cuius diſcipulus extitit, de quo etiam mentio habetur in lib. vit. patrum part. 1. agit de eo & S. Nilus abbas in libro de oratione. Infrà quinto Kal. Ianuarij eius dies natalis agitur.

## 8 Sexto Idus Ianuarij. Luna. A xxiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | | | |

BELLOVACI in Galliis ſanctorum martyrum Luciani[a] presbyteri, Maximiani, & Iuliani: quorum duo vltimi à perſecutoribus gladio perempti ſunt: beatus autem Lucianus, qui cum S. Dionyſio in Galliam venerat, poſt nimiam cædem cùm Chriſti nomen viua vôce confiteri non timuiſſet, priorum ſententiam & ipſe excepit. Item S. Eugeniani[b] martyris. In Libya ſanctorũ martyrum Theophili[c] diaconi, & Helladij; qui primò laniati, ac teſtulis peracutis compuncti, demum in ignem coniecti, animas Deo reddiderunt. Hierapoli in Aſia S. Apollinaris[d] Epiſcopi, qui ſub Marco Antonino Vero ſanctitate atque doctrina floruit. Neapoli in Campania natalis S. Seuerini[e] Epiſcopi, fratris beati Victorini martyris: qui poſt multarum virtutum perpetrationem, plenus ſanctitate quieuit. Papię S. Maximi[f] Epiſcopi & confeſſoris. Metis S. Patientis[g] Epiſcopi. Eodem die apud Noricos ſancti Seuerini[h] abbatis, qui apud eam gentem Euangelium propagauit, & Noricorum dictus eſt Apoſtolus. Eius corpus ad Lucullanum[i] prope Neapolim diuinitus delatum, inde poſteà ad monaſterium S. Seuerini tranſlatum eſt.

## IANVARII 8.

LVCIANI & ſoc.[a] ] De his etiam hac die Beda, Vſuard. Ado, quibus & manuſcrip. aſſentiuntur. Meminit Luciani Petrus Cluniacenſis libro 1. epiſt. 2. Vincent. in ſpec. Antonin. prima part. tit. 6. cap. 26. §. 3. Petrus in catalog. libro 2. cap. 55. & alij. Agitur dè Luciano Bellouacenſi in Actis ſancti Quinctini, quæ extant apud Sur. tom. 5. die 31. Octob. In Actis ſanctorum Criſpini & Criſpiniani, habetur mentio de Luciano vnà cum Quinctino: ſed cùm ad tempora Diocletiani referatur, alius eſſe videtur ab hoc de quo hîc agitur, quem Petri Apoſt. diſcipulum eſſe tradunt.

[b] Eugeniani. ] Vſuardus item de ipſo agit hac die, nec non Wandelbertus qui hexametro carmine Martyrologium ſcripſit ante ſexcentos annos.

[c] Theophili & Helladij. ] Gręci etiam de ijſdem agũt hac die, vt ex Menolog. ipſorũ conſtat, vbi etiam crudele ipſorum martyrium enarratur.

[d] Apollinaris Epiſc. ] Huius celebris memoria eſt apud Euſebium libro 4. cap. 6. & lib. 5. cap. 15. & 18. de eodem S. Hieronymus de ſcrip. Eccleſ. & in epiſt. 84. ad Magnum. Recitantur ab Euſebio aliqua ſcriptionum eius fragmenta, in quibus ex eo præ ceteris animi ipſius candor effulget, dum nihil proprio ingenio ſe in rebus ſacris velle ſcribere, vel definire profitetur. Longè hic alius ab illo Laodiceno Apollinari, à quo Apollinariani ſeu Apollinariſtæ ſunt hæretici nuncupati, qui vixit temporibus Theodoſij ſenioris.

[e] Seuerini Epiſcopi. ] De quo etiam hac die Beda, Vſuard. Ado, ac ceteri omnes. Seuerini ac Victorini germanorum res geſtas pluribus ſcribit Ado ſub Non. Septemb. vbi & nos fuſiùs agimus,



Digitized by Google

mus, deq́ue veritate hiſtoriæ diſſerimus. Conſule ea quæ etiam notamus in Seuerino Septempedano infrà ad ſextum Idus Iunij.

[f] Maximi Epiſcopi.] De quo etiã tabulę Papienſis eccleſiæ, quas inde miſſas accepimus. feruntur eius Acta fuiſſe ſcripta à Paulo diacono. Succeſſit hic S. Epiphanio eiuſdem ciuitatis Epiſcopo: interfuit quarto & ſexto Concilio Romano pro Symmacho Papa aduerſus Laurentium, vt eorumdem Acta teſtantur. Eſt dictio Ennodij Ticinenſis in laudem eiuſdem Maximi, cuius eſt exordium, Prodit religioſæ votum conſcientiæ, &c.

[g] Patientis Epiſcopi.] Agitur item de eo in vet. manuſcrip. In tabulis Metenſium Epiſcoporum, quas deſcripſit Demochares, recenſetur hic quartus ordine eius ciuitatis Antiſtes. Fuit eiuſdem nominis alius Lugdunenſis Epiſcopus, de quo plura inferiùs tertio Idus Septembris.

[h] Seuerini abb.] Hic ipſe eſt dies natalis ipſius, vt eius teſtantur Acta, quę ſinceriſſimè ſcripta ſunt ab Eugipio abbate ad Paſchaſium, vt auctor eſt Iſidorus de vir. illuſtr. c. 13. deſcripſit eadem Surius to. 1. habemus in noſtra bibliotheca eadem Acta manuſcrip. vnà cum epiſtola Paſchaſij diaconi ad Eugipium, cùm accepiſſet ab eo vitam eiuſdẽ S. Seuerini. Obijt temporibus Odoacris Regis Italię, circa annũ Domini 482. Corpus autem ipſius tranſlatum fuiſſe in Lucullanum prope Neapolim, idem auctor affirmat. De eius eccleſia in Lucullano poſita, ſacriſque ipſius reliquijs, frequens mẽtio habetur in epiſtolis S. Gregorij Papæ, vt lib. 7. epiſt. 85. ad Fortunatum, lib. 8. epiſt. 18 ad Anthemium. Idem Pontifex dedicaturus Romæ eccleſiam eiuſdem ſancti nomine dictam, inde ſibi reliquias mitti poſtulauit, ſcribens ad Petrum diaconum epiſt. 19. lib. 2.

[i] Ad Lucullanum prope Neapolim.] Sic dicta villa à Lucio Lucullo Appoſitè hîc dictũ, Prope Neapolim: nam duo Luculli vixere eodẽ tempore, M. Lucullus, & L. Lucullus: ab illo in Tuſculano, ab iſto prope Neapolim extructæ ſunt ſumptuoſiſſimę villę. de vtriſq. meminit Varro lib. 3. de re ruſtica, cùm de vtriuſq. piſcinis agit, additq́ue ea ex cauſa à L. Lucullo montẽ eſſe perforatum; ſignans quidem famoſiſſimã cryptam Neapolitanam, quam Seneca lib. 7. epiſt. 58. deſcribẽs, ſic incipit: Nihil illo carcere longius, nihil illis faucibus obſcurius, &c. Si hęc cupis, conſule eum. De obitu vtriuſq. Luculli meminit idem Seneca libro de conſolatione ad Polybium cap. 33.

xxij. B Quinto Idus Ianuarij. Luna. 9

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | | | |

ANTIOCHIÆ ſub Diocletiano & Maximiano natalis ſanctorum Iuliani [a] martyris, & Baſiliſſæ virginis vxoris eius; quæ cum viro ſuo virginitate ſeruata, in pace vitam finiuit: Iulianus verò (poſtquam multitudo ſacerdotum, miniſtrorum Eccleſiæ Chriſti, quæ propter immanitatem perſecutionis ad eos confugerat, igne cremata eſt) Marciani Præſidis iuſſu plurimis tormentis cruciatus, capitalem ſententiam accepit: cum quo etiam Antonius preſbyter, & Anaſtaſius, quem ipſe Iulianus à morte ſuſcitatum, gratiæ Chriſti participem fecerat; & Celſus puer, vnà cum matre ſua Marcionilla, ac ſeptem fratres, alijq́. plurimi paſſi ſunt. In Mauritania Cęſarienſi ſanctę Marcianę [b] virginis, quę beſtijs tradita, martyrium cõſummauit. Smyrnę ſanctorũ martyrum Vitalis [c], Reuocati, & Fortunati. In Africa ſanctorum martyrum Epicteti [d], Iucundi, Secundi, Vitalis, Felicis, & aliorum ſeptem. Sebaſtę in Armenia S. Petri [e] Epiſcopi, fratris S. Baſilij. Anconę S. Marcellini Epiſcopi [f], qui vrbem illam (vt S. Gregorius ſcribit) diuina virtute ab incendio liberauit.

IANVARII 9.

IVLIANI & Baſiliſſæ [a].] De his hac etiam die Beda, Vſuardus, Ado, ac demum ceteri omnes recentiores. Horum Acta ex veteribus monumentis edidit Metaphraſtes, quæ habet Lipom. tom. 7. Mombrit. to. 2. & Sur. tom. 1. Habemus eadẽ in vet. manuſcr. Extat in Breuiario Toletano S. Iſidori ſacer hymnus, quo horum Acta egregiè deſcribuntur. Baſiliſſa autem licet martyrium non obierit, tamen quia multa grauiaq. paſſa eſt, & dux

martyrum

martyrum extitit, cenſita etiam inter martyres repetitur, præſertim à Venantio Fortunato in carmine quod ſcripſit de gaudijs & ſpe vitę ęternę. Horum omnium meminit ſanctus Eulogius Corduben. lib. 1. Memor. ſanct. ducens eoſdem ceteris in exemplum. Erat apud Antiochiam celeberrima eccleſia nomine Iuliani, de qua Procop. lib. 2. de bello Perſic. Adiunctum erat eidem monaſterium, cuius preſbyter fuit impius Neſtorius.

[b] Marcianæ.] Vſuardus, Ado, & alij de eadem hac die. Habet eius Acta Mombritius tom. 2. Vincentius in ſpecul. lib. 13. c. 36. 37. Petrus in catal. lib. 2. c. 58. Hęc etenim ob fractum ſimulacrum Dianę tertiò lenonibus data eſt proſtituenda; ſed diuino fulta præſidio ſemper intacta permanſit. Reſpondent his omnibus quę Tertullian. in apologetico in Gentiles exprobrat his verbis: Proximè ad lenonem damnando Chriſtianam potiùs quàm ad leonem, confeſſi eſtis labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœna & omni morte reputari. Nec quidquam tamen profuit. Exquiſitior quęque crudelitas veſtra, illecebra eſt magis ſectæ, &c. Agitur de eadem die 12. Iulij, qua nimirum reliquiæ eius tranſlatæ putantur.

[c] Vitalis, Reuocati, & Fort.] De his prætereà Vſuardus & Wandelbertus agunt, aſſentiunturque vet. manuſcr. ac recentiores omnes.

[d] Epicteti, Iucundi, & ſoc.] Ita vet. manuſcr. ex quibus reſtituti ſunt. Fuit Epictetus Epiſcopus Aſſuritanus in Africa, ad quem extat S. Cypriani epiſt. 64. edit. Pam. Paſſus eſt cum ſocijs ſub Decio Imp. Quanta autem præditus eſſet animi manſuetudine, ſatis docet in ea epiſtola teſtimonium Cypriani.

[e] Petri Epiſcopi.] Græci de eodem. Eius res geſtas nonnullas ſcribit Gregorius Nyſſenus eius germanus in epiſt. ad Leontium de S. Macrina, legitur apud Lipom. tom. 2. De eodem Theodoret. hiſt. lib. 4. c. 28. Niceph. lib. 11. c. 19. Migrauit ex hac vita temporibus Valentis Imp. De anniuerſaria die natalis eius meminit idem Gregorius in epiſt. ad Flauianum Epiſcopum.

[f] Marcellini Epiſcopi.] De ipſo agit S. Gregorius lib. 1. dialog. c. 6. Legimus eius Acta atque miracula poſt obitum facta in manuſcr. quæ accepimus ab eccleſia Anconitana. de eo etiam Petrus in catalog. lib. 2. c. 59.

## 10 Quarto Idus Ianuarij. Luna. C xxj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |

IN Cypro beati Nicanoris [a] diaconi de ſeptem primis; qui gratia fidei & virtute admirandus, glorioſiſſimè coronatus eſt. Romæ ſancti Agathonis [b] Papę [c], qui ſanctitate & doctrina conſpicuus quieuit in pace. Mediolani ſancti Ioannis [d] Boni Epiſcopi & confeſſoris. In Thebaide natalis beati Pauli [e] primi eremitę, qui à ſextodecimo ætatis ſuæ anno vſque ad centeſimum decimumtertium ſolus in eremo permanſit: cuius animam inter Apoſtolorum & Prophetarum choros ad cęlum ferri ab Angelis S. Antonius vidit. Eius autem dies feſtus decimooctauo Kalendas Februarij celebratur. Conſtantinopoli S. Marciani [f] preſbyteri.

## IANVARII 10.

NICANORIS [a].] De eodem hac die ceteri Latinorum; Græci autem de ipſo agunt ad 5. Kalend. Aug. vnà cum Procoro, Timone, & Parmena. De eo in Actis Apoſt. c. 6. Doroth. in ſynopſi ſcribit, hunc eodem die, quo S. Stephanus protomartyr, vnà cum multis occubuiſſe martyrio. ex quo dicendum eſſet, non in Cypro, ſed Ieroſolymis eſſe paſſum. Verùm in Cypro agi diem natalem eius, ob ſacrarum reliquiarum, quæ illic habentur, tranſlationem factam, contigiſſe potuit. At nec Dorothei adeò firma auctoritas in omnibus ſubſiſtit, vt ſæpè docuimus.

[b] Agathonis.] Eius res geſtas per lectiones diſtinctas habemus manuſcrip. In aliqua eccleſia eas legi conſueuiſſe, ex ijſdem ſatis liquet. De eius ſucceſſione, tam ex lib. de Rom. Pontific. quàm ex Indicibus Vaticanis, alijſque recentioribus ſcriptoribus, certa habetur ratio. Cetera de Ipſo cumulatè ſatis in Annalibus Eccleſiaſticis diximus.

[c] Papæ.] Putarunt nonnulli hanc vocem, Papa, complexã eſſe ex duabus dictionibus, vt idem ſit PA. PA. quod Pater Patrum, meritoq. Romano tantùm Pontifici tribui ſolitam. PA, pro patre poſitum in Saliari carmine, teſtatur Feſtus. Ne in his refellendis multùm immorer; ſciendum eſt, quòd etſi eiuſmodi titulus, Pater Patrum, tribui conſuenit Rom. Pontifici, vt totius Catholicæ Eccleſię Epiſcopo; nihilominùs Papę nomen diuerſum ab eo eſſe, & accipi ſolitũ à maioribus, exempla antiquarum inſcriptionum facilè monſtrant,

ſtrant; quorum vnum tantùm ſatis ſit hîc recitare. Extat ex Concilio prouinciali Epiri ad Hormiſdã Papam ſynodalis epiſtola ſcripta; cuius eiuſmodi eſt inſcriptio: Synodus veteris Epiri, Ioãnes, Mattheus, Conſtantinus, &c. domino noſtro per cuncta ſanctiſſimo & beatiſſimo Patri Patrum, Comminiſtro, ac Principi Epiſcoporũ Hormiſdę Papę. Incipit epiſtola: Si dignis pręmijs, &c. Exſcripſimus eã ex codice manuſ. Vaticano, integramq. exhibemus in Annal. Eccl. ſimulque alias, in quibus eadẽ habetur nomẽclatura. Cùm itaq. idem Hormiſda & Pater Patrũ, & Papa, vna eademq. inſcriptione dictus repetiatur; planè conſtat diuerſę ſignificationis eſſe vtramq. vocem. Porrò germana eſt eius interpretatio, vt à Gręca voce πάππας, id eſt, pater, deſcendat. Licet alij deducãt à πάππος, id eſt, auus. At verò in prima ſignificatione accipi conſueuiſſe vidimus: eoq. ſenſu accepta (vt ſcribit Walfridus Strabo de reb. Eccl. c 7.) tranſiit in dignitatis nomen, vt clerici venerandi eodẽ nomine appellarẽtur. poſteà tamen nomen illud cœpit eſſe peculiare Epiſcoporũ. vt iidem Papę dicerẽtur. Sunt de his innumera exempla apud Cyprianum, Hieronymũ, Auguſtinum, Rufinum, Prudẽtium, Sulpitium Seuerum, Sidonium Apollinarem, Venantium Fortunatũ, & nouiſſimè apud ſanctum Eulogiũ Cordubenſem, qui floruit anno Domini 850. Vſque enim ad illud tẽpus id nomen commune fuit omnibus Epiſcopis, licet frequẽtiùs ac peculiariùs tribui cõſueuiſſet Romano Pontifici: idque quiſq. facilè obſeruare poterit ex epiſtolis Caſſiodori. Ex his itaq. erroris arguitur Nicephorus lib. 14. c. 34. dum ait Cęleſtinum Romanum Pontificem conceſſiſſe ex priuilegio Cyrillo Epiſcopo Alexãdrino à ſe cõſtituto legato in SS. Concilio œcumenico Epheſino, vt Papa diceretur, ac vteretur mitra. Nam ſi Papę nomen tunc tẽporis (vt patet) cõmune erat omnibus Epiſcopis, quidnam eo nomine contulit Cęleſtinus Cyrillo: Non ſic quod Theodorus Balſ. in Nomocan. Photij tit. 8. c. 1. vbi ait à Cęleſtino cõceſſum eſſe Cyrillo, vt in ſacris ſolemnibus, more Romani Pontificis, phrygio vteretur, quo quidem (vt ait) ex eo tempore ſemper vſi ſunt Epiſcopi Alexãdrini. Quidnam verò phrygiũ eſſet, fuſiùs diſſeremus in noſtris Annalibus, cùm agemus de Concilio Epheſino, deq. litteris Cęleſtini ad Cyrillum datis. Sed quod ad Papę nomen pertinet, cùm futuris temporibus obtinuiſſet communis vſus, vt Papæ nomen tãtummodò Romano tribueretur Pontifici; & ſchiſmatici illud ſibi in odium eiuſdem Romani Præſulis faſtu ſuperbo vindicarent, aliaq. non conceſſa pręſumerent; Gregorius Septimus Papa anno à Chriſto Domino 1075. ſui verò Pontificatus anno tertio, ſexto Kal. Martij, Indict. 13. habuit Romę Synodum aduerſus ſchiſmaticos, vbi ſtatuit inter alia plura, vt PAPÆ nomen vnicum eſſet in vniuerſo orbe Chriſtiano, nec liceret alicui ſe ipſum vel alium eo nomine appellare. Hæc in regiſtro epiſtolarũ Gregorij Septimi, quod aſſeruatur in biblioth. Vaticana, vbi canones eius Synodi ſcripti habentur. Seruant id ipſum Gręci, vt nomine Papæ Romanum Pontificem intelligant, vt ex Nicetæ Choniatæ ſcriptis apparet.

[d] Ioannis Boni.] De quo tabulę eccleſ. Mediolanenſis, & Boſſius in Annal. Mediolan. agunt.

[e] Pauli primi eremitę.] Eius vitã ſcripſit ſanctus Hieronymus. Solutus eſt vinculis carnis anno ſexto Conſtantij Imp. agens iam ętatis annum decimumtertium ſupra cẽteſimum: nam Antonius, qui poſt eius obitum vixit annos quindecim (vt idem Hieronymus ſcribit in chron.) migrauit ex hac vita anno vigeſimoprimo Conſtantij, cùm iam anteà nonagenarius Paulum proximè moriturum inuiſiſſet, ac pòſt vixiſſet vſque ad annum centeſimum quintum. Meminit eiuſdem Pauli idem Hieronymus ad Euſtochium epiſt. 22. Porrò vitam eius, quam ſcripſit, miſit ad Paulum Concordienſem, vt teſtatur in epiſt. 21. in fine.

[f] Marciani.] Gręci de eodẽ pluribus in Menologio hac die. Hic ille qui opulentiſſimum patrimoniũ Chriſti amore profudit in pauperes, erexit eccleſias, & inter alia ędiculam illam Anaſtaſię, in qua Gregorius Nazianzenus collapſam fidem excitarat, in ampliſſimam baſilicam, ſecundùm propheticum illius oraculũ, auxit, ornauitque. Huius præclara geſta deſcripſit Metaphraſtes. habet eadem Lipom. to. 5. & Surius tom. 1. Alius Marcianus hic ab illo Nouatiano, qui vixit temporibus Valentis Imp. cuius etiam filias erudiuit. Hic autem claruit ſub Leone Imp. qui etſi & ipſe Nouatianis aliquãdo fauit, tamen extemplò referẽs pedem, ob ſinceram fidem Catholicam & egregiam ſanctitatem factus eſt œconomus Conſtãtinopolitanæ eccleſiæ. Alius inſuper eadem ætate vixit Marcianus in Syria apud Cyrum ciuitatem, profeſſione monachus, meritis clariſſimus, cuius res geſtas ſcripſit Theodoret. lib. ſanct. patr. cap. 3.

## xx. D Tertiò Idus Ianuarij. Luna. 11

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | | | |

ROMAE natalis S. Hyginij [a] Papæ, qui in perſecutione Antonini glorioſè martyrium conſummauit. In Africa B. Saluij [b] martyris, in cuius die natali S. Auguſtinus ſermonem habuit ad populum Carthaginenſem. Alexandriæ ſanctorum martyrum Petri [c], Seueri, & Leucij. Firmi in Piceno S. Alexandri

andri [d] Epiſcopi & martyris. Ambiani S. Saluij [e] Epiſcopi & martyris. Brunduſij S. Leucij Epiſcopi & confeſſoris. In Cappadocia in vico Magariaſſo ſancti Theodoſij [g] cœnobiarchæ, qui multa pro fide Catholica paſſus, in pace tandem quieuit. In Thebaide S. Palæmonis [h] abbatis, magiſtri S. Pachomij. Suppentoniæ [i] apud montem Soractem S. Anaſtaſij [k] monachi, & ſociorum, qui diuinitus vocati migrauerunt ad Dominum. Papiæ S. Honoratæ [l] virginis.

# IANVARII II.

HYGINII Papæ [a]. ] De eo Beda pridie huius diei, Ado, & alij hac die. De eius ſucceſſione agit libet de Rom. Pontificibus Damaſi nomine inſcriptus, Irenæus lib. 3. c. 3. Epiphan. in panar. hæreſ. 27. Euſebius in chron. & hiſt. lib. 4. c. 10. Optatus lib. 2. contra Parmen. Auguſt. epiſt. 165. Meminit eiuſdem Cyprianus in epiſtola 74. ad Pompeium. Sub perſecutione Antonini coronatum eſſe martyrio, idem lib. de Roman. Pontif. Euſebius in chron. & alij omnes teſtantur. Cetera de ipſo dixi in Annal. Eccleſ.

[b] Saluij. ] De eodem hîc Beda, ac ceteri Latinorum, nec non vet. manuſcrip. Meminit Poſſidius in Indiculo cap. 3. de ſermone S. Auguſtini habito de S. Saluio, & cap. 9. agit de alio eiuſdem auctoris tractatu in eiuſdem die natali habito. Ne quis autem aliqua occaſione in errorem ducatur, noſſe debet fuiſſe item in Africa alium Saluium, ſed pſeudomartyrem, ipſumque Donatiſtam ex parte Maximianiſtarum: quem alij Donatiſtarum, ſed ex factione Parmeniani, poſt multas illatas contumelias occiderunt, in cuius honorem ſuarum partium homines baſilicam erexerunt, adſcriptumque in ſuorum martyrum numerum coluerunt, vt ſcribit S. Auguſtinus aduerſus Parmen. lib. 3. cap. vlt. & contra Creſ. lib. 4. cap. 48. & 49.

[c] Petri, Seueri, & Leucij. ] De his etiam hac die Beda, Vſuard. Ado, ac reliqui omnes.

[d] Alexandri Epiſc. ] De eo etiam tabulę Firmanæ eccleſiæ, quas Romam allatas accepimus, licet in eis paſſionis tempus deſideretur.

[e] Saluij Epiſcopi. ] Alij Saluinum appellant. Hunc Sigebert. in chron. Saluum pro Saluio dicit, occiſumque tradit anno 33. Caroli Magni Imperatoris, anno Domini 801. de eodem Petrus in catal. lib. 2. cap. 65. In tabulis Epiſcoporum Ambianenſium ponitur Saluius quinto loco, vt conſtat ex Demochare, qui eas deſcripſit. Confundunt hunc nonnulli cum Saluio Epiſcopo Albigenſi, qui ſub Chilperico Francorum Rege doctrina claruit & ſanctitate, de quo Gregor. Turonen. hiſt. lib. 5. cap. 44.

[f] Leucij Epiſcopi. ] Reſtitutus eſt ex vet. manuſcript. Licet enim Brunduſinus eſſet Epiſcopus, Romæ etiam colebatur. Erat enim quinto ab Vrbe lapide eccleſia ſancti Leucij, cuius meminit S Gregorius lib 9. Regiſt. epiſt. 73. cumq. inde fuiſſent ablatæ eius reliquiæ, idem Pontifex alias eiuſdem ſancti ad ſe reliquias mitti iuſſit. Legimus Acta eius ab eadem eccleſia accepta erroribus quidem ſcatentia, ob maximam tum in perſonis, tum etiam in tempore diſcrepantiam. ponitur hîc confeſſor, ſicut in propria eccleſia colitur: cùm alioqui S. Gregorius appellet eum martyrem beatiſſimum.

[g] Theodoſij. ] Agunt præterea de eodem Græci hac die in Menologio. Spectatiſſimus fuit non tantùm ob exactã vitę monaſticę exercitationem, verùm etiam ob egregios labores pro fide Catholica aduerſus Acephalos hæreticos exantlatos. Florere cœpit temporibus Leonis Imp. peruenitque vſque ad tempora Iuſtiniani, cùm Ieroſolymitanæ eccleſiæ præeſſet Petrus, qui eius funus curauit. Extant eius res geſtæ omni acceptatione digniſſimæ à Metaphraſte ex antiquioribus monumentis deſcriptæ, quas habet Lipom. tom. 5. & Sur. to. 1. De eodem mentio habetur in vita S. Sabę abb. necnon apud Suidam in Anaſtaſio, & infrà in Theod. Monemus Lectorem fuiſſe eiuſdẽ nominis eodem ſæculo ſub Marciano Auguſto alium Theodoſium item Cœnobiarcham in eadem regione Palęſtinę verſatum, qui fuit hęreticus Eutychianus, homo nequiſſimus & inuaſor ſedis Ieroſolymitanæ, tempore Iuuenalis eius ſedis Antiſtitis, quem S. Leo Papa pellendum curauit; quem etiam conſtat ex Actis S. Euthymij à Cyrillo conſcriptis, fuiſſe ex humanis ſublatum eiuſdem Marciani Imperatoris tempore.

[h] Palæmonis. ] Huius res geſtæ habentur intextæ in vita S. Pachomij, quam habes apud Lipoman. tom. 6. & Sur. tom. 3.

[i] Suppentoniæ ad montem Soractem. ] De loco Suppentoniæ diu multumque laboraui: cumque non inuenirem quid certi afferrem, conſului tandem accolas regionis, qui ex veteribus monumentis locum ipſum optimè norunt, à quibus illud accepi: Monaſterium S. Anaſtaſij fuiſſe iuxta locum qui hodie dicitur, Caſtellum S. Elię, à Nepeſina ciuitate duobus milliarijs diſtans, vbi eſt adhuc nobilis ac vetus eccleſia nomine S. Eliæ atque S. Anaſtaſij Deo dicata, non longè à monte Soracte, illudque ipſum olim Suppentoniam appellatum eſſe.

[k] Anaſtaſij & ſoc. ] Iidẽ ex manuſcr. reſtituti ſunt, quorũ felicem exitũ ſcribit S. Greg. in Dial. lib. 1. c. 7. & 8. & in Regiſt. lib. 2. epiſt. 50. c. 89. Ind. 11. appellaturq. ibi Anaſtaſius de Pentumis.

[l] Honoratæ. ] De ipſa etiam hac die tabulæ eccleſiæ Papienſis. Fuit hæc ſoror S. Epiphanij Epiſc. Ticinenſis, ab eodem Deo conſecrata eo anno, quo reuerſus eſt Româ à legatione Anthemij Imp. Ticinum. fuit is annus Domini 471. vt habent Acta eiuſdem Epiphanij ab Ennodio fuſiùs ſcripta.

Pridie

Digitized by Google

xix. E Pridie Idus Ianuarij. Luna. 12

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | | | |

ROMÆ S. Tatianę[a] martyris, quę ſub Alexandro Imperatore vncis atq. pectinibus laniata, beſtiis expoſita, & in ignem proiecta, ſed nil læſa, gladio demū percuſſa migrauit in cælum. In Achaia S. Satyri[b] martyris, qui ante quoddam idolum tranſiens, cùm exſufflaſſet in illud, ſignans ſibi frontē, ſtatim idolū corruit; ob quā cauſam decollatus eſt. Eodem die S. Arcadij[c] martyris, genere & miraculis clari. In Africa ſanctorū martyrū Zotici[d], Rogati, Modeſti, Caſtuli, & coronę militū quadraginta. Conſtantinopoli ſanctorū Tigrij[e] presbyteri, & Eutropij lectoris, qui Arcadij Imperatoris tempore paſſi ſunt. Tibure S. Zotici[f] martyris. Epheſi paſſio ſanctorum[g] quadragintaduorū monachorum, qui ob cultum ſanctarum imaginum ſub Conſtantino Copronymo ſæuiſſimè cruciati martyrium compleuerunt. Rauennæ S. Ioannis[h] Epiſcopi & confeſſoris. Veronæ S. Probi[i] Epiſcopi. In Anglia S. Benedicti[k] abbatis & confeſſoris.

## IANVARII 12.

[a] TATIANÆ.] Græci etiam de eadem hac die agunt in ipſorum Menologio, vbi eius martyrium his paucis narratur: Certamen S. martyris Tatianę ex antiqua Roma: quæ, Alexandro imperante, oblata Præſidi, ingreſſa templum, precibus ſimulacra euertit, ac in terram colliſit. Quam ob cauſam verberatur, eiuſque palpebræ vncis dilacerantur; inde ſuſpenſa, pectinibus laniatur, abraſo capite decaluatur, igne & feris probatur; & illæſa permanens, percuſſa gladio, euolauit in cælum. hęc ibi de Tatiana. Eius Acta titulo virginis prænotata extant in cod. manuſcr. bibliothecæ noſtræ Congr. & copioſiora in veteri manuſc. S. Mariæ Maioris, quæ tamen aliqua caſtigatione indigere videntur.

[b] Satyri.] De eodem Beda, Vſuard. Ado, Petr. in catal. lib. 2. c. 66. ac reliqui recentiores.

[c] Arcadij.] De eo etiam Beda, & alij quos nuper recenſuimus auctores: vberiùs autem S. Zeno Epiſcopus Veronenſis, qui luculenta oratione eius Acta percurrit. eſt ſerm. 4. inuenies eumdē etiam ſeorſum à ceteris apud Lipom. tom. 2. Alius eſt Arcadius, qui in Africa paſſus eſt in perſecutione Wandalica, de quo inferiùs erit ſermo.

[d] Zotici & ſoc.] Reſtituti ſunt ijdē ex vet. manuſcr. Porrò horum Acta habemus in noſtra bibliotheca: eſt illorum exordium: Iam quaſi, &c.

[e] Tygrij & Eutropij.] De his etiam manuſcr. Paſſi ſunt hi Conſtātinopoli ſub Arcadio Imperatore, cùm, pulſo in exiliū S. Ioanne Chryſoſtomo, noluiſſent cum Arſacio intruſo communicare, ac de incendio baſilicæ paſſi eſſent calumniam. Horum certamina ſcribit Palladius in dialog. Sozom. lib. 8. cap. 24. Metaphraſtes, Leo Imp. & Georgius Alexan. in vita S. Ioan. Chryſoſt. Vide de his in primis eiuſdem S. Ioannis Chryſoſt. epiſt. 118. & 125. Extant hactenus duo impia Arcadij edicta, quorum altero cogebat pios cum Arſacio communicare; altero verò in eos, qui baſilicam incendiſſent, inquirendum præcepit. Conſule Codicē Theodoſ. tit. de Epiſc. & cleric. L. 37. & tit. de his qui pro religione contendunt. L. 6.

[f] Zotici.] De eodem tabulæ eccleſiæ Tiburtinæ. Agitur de eodem rurſus inferiùs die 10. Iunij in Getulio: non quòd diuerſi cenſeantur; ſed fortaſſe quòd altera die natalis, altera tranſlatio celebretur. dicturi ſumus ibi plura. Eius corpus conditū eſt ſub maiori altari, caput verò ſeorſum poſitum in vaſe, decēti honore colitur. Quòd autem arundinibus percuſſum martyrium conſummaſſe dixerimus, emendamus: haud enim fidelem nacti ſumus teſtem, qui ea ſe ex Actis eius deſcripſiſſe, per litteras ad me datas, teſtatus eſt: accepi poſt hæc Acta martyris, & nihil tale in eis reperi. Tu verò conſule quæ inferiùs notantur 10. Iunij in Getulio, cùm de eodem ſub Getulij nomine iterùm agitur. De vno eodemque martyre diuerſis diebus agi, ſæpè contigit, quòd altera die natalem, altera verò tranſlationem celebrare Eccleſia conſueuerit.

[g] Quadragintaduorum monachorum.] Græci eoſdem præcipuo honore habent. Inuenies horum Acta iuncta ſimul cum paſſione ſancti Stephani iunioris, tam inter Ioannis Damaſceni opera edit. Bil. quàm etiam apud Sur. to. 6. ad diem 28. Nouembr.

[h] Ioannis Epiſcopi.] De eodem tabulæ Rauennatis

uennatis eccleſiæ. Hic ſucceſſit Neoni, ad quem extat epiſt. 27. S. Leonis Papæ, licet in aliquibus exemplaribus pro Neone Leo ponatur, vt cap. Cùm itaque bapt. diſt. 4. Succeſſit Neon S. Petro Chryſologo. Hic de quo agitur Ioannes, ſecundus dictus eſt, qui liberauit Rauennam à furore Attilæ, vt ſcribit Ricobald. in Pomerio, & Hier. Rub. hiſt. Rauen. lib. 2. Ferunt eius acta ſcripta eſſe à Deſiderio Rauennate: quæ nondum vidimus. Extat Simplicij Papæ epiſtola ad Ioannem Rauen. Epiſcopum, data Conſule Seuerino; eſt is annus, iuxta Faſtos Onufrij, à Chriſto Domino 482. Itemque eiuſdem Ioannis meminit Gelaſius Papa in epiſtola ad Epiſcopos per Lucaniam & alios per diuerſas prouincias conſtitutos c. 1. ex qua redarguitur Hieron. Rub. dum libro 3. hiſt. Rauen. pag. 110. ante Gelaſij creationem mortuum iam fuiſſe Ioannem ſcribit. Data eſt ea Gelaſij epiſtola Aſterio & Præſidio Coſſ. anno Domini 494. vt ſcias ad quę tēpora Ioannes Secūdus peruenerit.

[i] Probi Epiſcopi.] De ipſo etiam tabulæ eccleſiæ Veronēſis, quas illuſtrauit auxitque Reuerendiſſ. Epiſcopus Veronenſis Auguſtinus Valerius, nunc verò ob præclara virtutum merita auctus ampliſſima Cardinalatus dignitate.

[k] Benedicti.] Beda eius diſcipulus ſe eius res geſtas ſcripſiſſe fatetur hiſtor. Angl. lib. 5. in fine. Huic enim ipſe natus annos ſeptem eſt traditus educādus in monaſterio, vt ipſe ſcribit in epitom. hiſt. in fine. Vixit Benedictus aliquamdiu Romæ vſque ad tēpora Agathonis Papæ, à quo iuſſus eſt reuerti in Angliam cum Ioanne Archicantore ad imbuendum populum illum Rom. Eccleſię diſciplinis, vt idem auctor ſcribit de geſt. Angl. lib. 4. c. 18. & lib. 5. c. 20. Quantum autem in patriam rediens laboris impenderit, idem narrat in ſermone habito in die natali eiuſdem S. Benedicti, qui habetur tom. 7. eiuſdem Bedæ oper.

## 13 Idibus Ianuarij. Luna. F xviij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | | | |

OCTAVA[a] Epiphaniæ Domini. Romæ via Lauicana coronæ ſanctorum Militum quadraginta[b], quas ſub Gallieno Imperatore pro confeſſione veræ fidei percipere meruerunt. In Sardinia S. Potiti[c] martyris, qui ſub Antonino Imperatore & Gelaſio Præſide multa paſſus, demum gladio martyrium conſecutus eſt. Singidoni in Myſia ſuperiori ſanctorum martyrum Hermyli[d] & Stratonici, qui poſt ſæua tormenta ſub Licinio Imperatore in Iſtrum flumen demerſi ſunt. Cordubæ ſanctorum martyrum Gumeſindi[e] presbyteri, & Seruidei monachi. Pictauis in Gallia natalis S. Hilarij[f] Epiſcopi & confeſſoris, qui ob Catholicam fidem, quam ſtrenuè propugnauit, quadriennio apud Phrygiam relegatus, inter alia miracula mortuum ſuſcitauit. Eius autem feſtiuitas ſequenti die celebratur. Cæſareæ in Cappadocia S. Leontij[g] Epiſcopi, qui ſub Licinio aduerſus Gentiles, & ſub Conſtantino aduerſus Arianos plurimùm decertauit. Treueris S. Agritij[h] Epiſcopi. In Verſiaco monaſterio S. Viuentij[i] confeſſoris. Amaſeæ in Ponto ſanctæ Glaphyræ[k] virginis.

## IANVARII 13.

[a] OCTAVA Epiphaniæ.] De ea Ordo Rom. de offic. Miſſæ, Amalar. lib. 4. cap. 34. Microlog. cap. 40. Ado, & alij, qui agunt de diuinis offic. Ante hos omnes Capitul. Regum Franc. libro 1. cap. 164.

[b] Militum quadraginta.] Agunt de iiſdem Beda, Vſuar. Ado, & alij, conſentiuntque vet. manuſcr. Quòd autem tam hi, quàm plerique alij martyres paſſi habentur Gallieno Imperatore; non ita quis accipiat, vt exiſtimet aliquam ab eo eſſe excitatam perſecutionem: nam idem Auguſtus (vt ſcribit Oroſius lib. 7. cap. 22.) parente Valeriano ab hoſtibus capto, pacem Eccleſiæ trepida ſatisfactione reſtituit. id ipſum affirmat Dionyſius Alexandrinus in epiſt. ad Ægyptios, extat

apud Euſeb. lib. 7. cap. 18. Habetur præterea eiuſdem Gallieni reſcriptum ad Epiſcopos, quo omnia loca religioſa, Chriſtianis olim adempta, illis mandauit reſtitui, vetuitque ne quis Chriſtianis negotium faceret: addidit aliud item reſcriptum, quo iiſdem cœmeteria more maiorum adeundi tribuit facultatem. Hæc omnia habes apud Euſebium hiſt. l. 7. c. 12. Sed quòd aliqui ſub Gallieno paſſi dicantur, id quidem prçter ſententiam Principis, vt etiam factū videmus ſub Antonino Pio & Alexandro Impp. de quibus ſuperiùs egimus.

[c] Potiti.] Accepimus eius Acta manuſcr. è Sardinia Romam miſſa. De eo etiam Fara de rebus Sardois. In Sardinia autem & Piſis agitur de Potito & Ephiſio Idibus Nouembris; ſed illa eſt tranſlatio.

[d] Hermyli, & Stratonici.] De iiſdem hac die Græci etiam in Menologio, vbi eorum martyrium paucis complexum deſcribitur. Porrò fuſiùs Metaphraſtes apud Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 1.

[e] Gumeſindi, & Seruidei.] Horum agonem & coronam ſcripſit ſanctus Eulogius in Memoriali ſanctorum lib. 2. cap. 9. Paſſi ſunt hi hac die, æra 890. à Chriſto autem anno 852.

[f] Hilarij Epiſcopi.] Hac etiam die de ipſo ceteri Latinorū. Scribit de eodem in primis S. Hieron. de ſcrip. Eccleſ. in apolog. aduerſus Rufin. in epiſt. 6. ad Florentium, in epiſt. 7. ad Lætam, ad Magnum epiſt. 84. aduerſus Luciferianos, aliiſque in locis, Seuer. lib. 2. ſacr. hiſt. Rufin. lib. 2. cap. 30. 31. Socrat. lib. 3. cap. 8. Sozom. lib. 3. c. 13. & lib. 5. c. 12. Fortunatus res geſtas Hilarij duobus libris conſcripſit, ſed ex multis vix pauca perſtrinxit: habet & Venantius Fortunatus de eodem epigramma lib. 2. de eius miraculis Gregor. Turon. de gloria confeſſ. cap. 2. Porrò de S. Hilario quis non miretur Centuriatorum inſcitiam, vel potiùs dolum? quorum illud præcipuum ſtudium eſt, vt tamquam emortuæ muſcæ perdant odorem vnguenti: dum vt ſanctiſſimo atque eruditiſſimo viro Galliarum ornamento, cuius ſcriptionibus, ac vitæ moribus omnes ipſorum hæreſes confutantur, notam inurant, hunc eumdem eſſe dicunt cum Hilario diacono, quem S. Hier. agens aduerſus Luciferianos, ob anabaptiſmum, in quod miſer lapſus inciderat, orbis Deucalionem appellat, cum quo quidem hic noſter nonniſi nomen commune habet, erat hic iam Epiſcopus Pictauienſis, multaque ob Catholicam fidem obierat certamina, iamque exul miſſus erat in Phrygiam, cùm ille diaconus eſſet, & in hæreſim lapſus excidit gradu ordinis. Collegimus vberiùs egregia tanti patris acta, & prout geſta ſunt, ſecundùm ordinem temporum diſpoſuimus in Annalibus Eccl.

[g] Leontij Epiſc.] Hic ille Leontius, de quo ſcribit S. Gregorius Nazianz. in oratione habita in funere patris, quòd iturus ad Nicçnū SS. Concilium, Nazianzum diuertens, ſuum patrem baptizauit. Ab hoc etiam celebris ille S. Gregorius Armenus fuit Epiſcopus ordinatus, vt eius Acta teſtantur, quæ recitat Metaphraſtes die 30. Septembris. Eiuſdē Leontij meminit ſanctus Athanaſius in oratione prima contra Arianos, recenſetque inter ceteros Catholicæ fidei vertices. Gregorius presbyter Cæſarienſis in oratione habita de ſanctis patribus Nicænæ Synodi his laudibus eum exornat, cùm ait: Angeli pacis Leontij Cæſarienſis eccleſiæ ſanctiſſimi Præſulis, antequam veniret in Nicænam Synodum, multi quidem emanarunt ſudores propter fidem: multi autem per ipſum martyres & victores athletæ proſtrauerunt aduerſarium, multique vſi vitæ eius doctrina, euaſere ciues cæleſtes, &c. Habet & Africa ſuum S. Leontium Epiſcopum Tagaſtenſem, de quo S. Auguſtinus ſerm. 13. de diuer. ibidem & de baſilica Leontina ab ipſo ſic dicta.

[h] Agritij Epiſc.] De eo etiam hac die Beda, Ado, & alij. claruit hic temporibus Conſtantini Magni Imp. interfuiſſeque reperitur Concilio Arelatenſi ſecundo, vt eiuſdem Acta demonſtrāt. ponitur hic vigeſimusquartus Treuerenſis Epiſcopus in tabulis Epiſcoporum eius eccleſiç, quas recitat Demochares de Sacrif. Miſſæ.

[i] Vincentij.] Vixit hic ſanctitate celebris temporibus Cōſtantij Imp. vt eius indicant Acta, quç ſummatim reſtricta refert Petr. in catal. l. 2. c. 71.

[k] Glaphyræ.] Eius res geſtas ſcripſit Ioannes presbyter eccleſiæ Nicomedienſis, qui illis ipſis temporibus vixit, intexuitque in Actis S. Baſilei Epiſcopi Amaſeç, quç habet Metaphraſt. ad diem 26. Aprilis: qui quidem vt Glaphyrç virginitatem tueretur, comparauit ſibi coronam martyrij ſub Licinio Imp. cuius petulantiam atque procaciam eadem virgo, vt Dauid olim coram Abimelech mutans ora, mira arte deluſit.

xvij. G **Decimonono Kal. Februarij. Luna.** 14

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | | | |

NOLÆ in Campania natalis S. Felicis[a] preſbyteri, qui (vt ſanctus Paulinus Epiſcopus ſcribit) cùm à perſecutoribus poſt tormenta in carcerem mitteretur, & cochleis ac teſtulis vinctus ſuperpoſitus iaceret, nocte ab Angelo ſolutus atque eductus fuit: poſtmodum verò ceſſante perſecutione, cùm vitæ exem-

Digitized by Google

exemplo ac doctrina multos ad fidem Chriſti conuertiſſet, clarus miraculis in pace quieuit. In Iudæa ſancti Malachiæ [b] Prophetæ. In monte Sina ſanctorum trigintaocto Monachorum [c] à Sarracenis ob Chriſti fidem interfectorum. In Ægypto in Raithi regione ſanctorum quadragintatrium [d] Monachorum, qui pro Chriſtiana religione à Blemmijs occiſi ſunt. Mediolani ſancti Datij [e] Epiſcopi & confeſſoris, cuius meminit beatus Gregorius Papa. In Africa ſancti Euphraſij [f] Epiſcopi. In Syria ſancti Iuliani [g] Sabæ ſenioris, qui Valentis Imperatoris tempore, fidem Catholicam Antiochiæ pænè collapſam, virtute miraculorum erexit. Neocæſareæ in Ponto ſanctæ Macrinæ [h] diſcipulæ beati Gregorij Thaumaturgi, auiæ ſancti Baſilij, quæ eumdem educauit in fide.

## IANVARII 14.

FELICIS [a]. ] De eodem hac die Beda, ac ceteri Latinorum. Huius cùm Acta, tum miracula ſcripſit carmine ſanctus Paulinus eiuſdem ciuitatis Epiſcopus, celebrans eumdem decem Natalibus, ex quibus Beda ſoluta oratione eiuſdem vitam deſcripſit, vt ipſe in fine operis profitetur. Scripſit & Marcellus presbyter res geſtas ſancti Felicis ad Leonem Epiſcopum. Habemus eas in vet. manuſcrip. quæ in quibuſdam eccleſijs legi conſueuerunt. Vix credi poteſt (ſuperant enim humanum captum) quot Deus per S. Felicem miracula ſit operatus: adeò etenim increbuit fama virtutum eius, vt ab extremis orbis finibus ad ſacrum eius ſepulchrum fideles ſupplices aduentarent. Obſtupuit hoc ipſum ſanctus Auguſtinus epiſt. 137. qui & de eodem agit libro de cura agenda pro mort. c. 16. Itemque S. Damaſus in carmine, quod de eo ſcripſit, vota perſoluens, hæc inter cetera:

*Qui ad te ſollicitè venientibus omnia præſtas,*
*Nec quemquam pateris triſtem repedare viantem,*
*Te duce ſeruatus, mortis quòd vincula rupi.*

Habentur cetera in Collectaneis poëtarum Chriſtianorum. Scribit adhuc de eo Greg. Turonen. libro de gloria mart. cap. 104. Erat & Romæ celebris ſolemnitas S. Felicis confeſſoris, in cuius die natali in eius baſilica S. Gregor. Papa habuit homil. 13. in Euang.

[b] Malachiæ Prophetæ. ] Græci autem in Menologio agunt de eodem ad tertium Non. Ianuarij. Putant Hebrei, Malachiam eſſe eumdem cum Eſdra. de his Hieron. in Malach. Proph. proœm. & in præfatione 121. refellitur ab eodem de Malachia Origenis opinio, qui eum eſſe Angelum humana carne indutum putanit. Cur autem à Iudæis Malachil (hoc eſt, Angelus) ſit appellatus, ſcribit ſanctus Epiphanius lib. de Proph. vita & & interit. cap. 22. de eodem Iſid. de vita & mort. ſanct. cap. 51. & Doroth. in ſynopſi cap. 12.

[c] Trigintaocto monachorum. ] Græci etiam de ijſdem agunt in Menologio. Sanctus Nilus abbas, qui dictorum martyrum ſuo tempore coronatorum res geſtas conſcripſit, cùm de his agit, Mortui ſunt (inquit) poſt ſeptimum diem Epiphaniæ Domini, qui eſt decimusquartus menſis Ianuarij. Ac paulò inferiùs: Interempti ſunt quoque alij multis antè temporibus; quorum quoque commemorationem, propter viæ longitudinem, & eorum qui congregantur multitudinem, eodem die peragunt, &c. Extat is ſancti Nili abbatis commentarius apud Sur. tom. 1. cui adſtipulatur Niceph. lib. 14. cap. 54. cùm de lucubrationibus ipſius agit. Contigit eiuſmodi grauiſſima incurſio barbarorũ in monaſteria Syriæ Palęſtinę & Ægypti anno decimonono Anaſtaſij Imp. Indictione ſecunda, vt colligitur ex Actis S. Ioannis Silentiarij, & Euthymij abbatis. Cedrenus autem eam reponit anno decimo eiuſdem Imp. De eadem graſſatione Sarracenorum mentio habetur in vita ſancti Sabæ abbatis, & in Prato ſpirit. cap. 4. & cap. 21. & in vit. Patrum.

[d] Quadragintatrium monachorum. ] Agunt de his etiam hac die Græci, vt conſtat ex ipſorum Menologio. Cæſi ſunt ijdem ſub incurſione Sarracenorum, qui dicti ſunt Blemmij, de quibus Niceph. lib. 14. cap. 54. De Blemmijs meminit Strabo lib. 17. & Flauius Vopiſc. in Valeriano, de ijſdem Procop. lib. 1. de bello Perſico: quos Chriſtianam fidem ſuſcepiſſe temporibus Iuſtiniani Imp. affirmat. De ijſdem autem ſcripſit fabuloſa Plinius nat. hiſt. lib. 5. cap. 8. in fine, ſed ex prædictis arguitur. Meminit & de Blemmijs Seuerus in dialog. 1. cap. 15.

[e] Datij Epiſcopi. ] Scribit de eo ſanctus Gregorius Papa lib. 3. dialog. cap. 4. Interfuit hic Synodo habitæ Conſtantinopoli à Vigilio Papa, in qua depoſitus eſt Theodorus Epiſcopus Cæſareæ Cappadociæ, cuius Acta habentur inter decreta eiuſdem Vigilij Papæ edita Iuſtiniani Imperatoris anno vigeſimoquinto, poſt Conſulatum Baſilij anno decimo; numeratur is annus à Chriſto nato 551. Celebrior redditur Datius, dum (vt ibidem S. Gregorius ſcribit) cauſa fidei eſt exactus, & confeſſor egregius Conſtantinopolim ſe contulit. Extat ad eumdem egregia Caſſiod. Var. epiſt. 27. lib. 12. De eo etiam Procop. de bello Goth. lib. 2. iterùm. Peruenit Datius ad ea tantùm tempora, quibus Narſes in Italiam venit aduerſus Totilam. cap. Non vos. 23. quæſt. 5. in fine. eſt is annus Domini 552. Ex his errare conuincun-

tur hi qui eius obitum ponunt anno Domini quingenteſimo ſexageſimoprimo

[f] Euphraſij Epiſcopi. ] vel Eucrathij, de quo etiam Vſuard. hac die. Fortaſſe hic ille Eucrathius, ad quem extat Cypriani epiſt. 61. qui etiam interfuiſſe reperitur Concilio Carthaginenſi ſub eodem Cypriano celebrato.

[g] Iuliani Sabæ. ] Græci itidem. Scribit plura de eo Theodoret. libro ſanct. patr. cap. 2. & hiſt. libro 3. cap. 19. & lib. 4. cap. 25. Hic ille Iulianus, quem ſanctus Ioannes Chryſoſtomus dignis laudibus exornat homil 21. in epiſt. Pauli ad Epheſ. Alius ille eſt Sabas, de quo inferiùs agitur Non, Nouemb.

[h] Macrinæ. ] Hæc ſenior dicta eſt reſpectu eius neptis, ſororis Baſilij Magni; hęc etenim auia fuit eiuſdem Baſilij, mater nimirum eius patris. Hæc enim illa, quæ temporibus Decij Imp. & ſucceſſorum vixit Neocæſareæ in Ponto, erudita à Magno illo Gregorio Thaumaturgo, vt idem Baſilius ſcribit epiſtola 64. ad Neocæſarienſes. Hæc item ipſa ſanctum Baſilium nepotem infantulum ſacris imbuit diſciplinis: quam ob cauſam ipſe eam ſuam in fide nutricem appellat, gloriaturque ſe eamdem retinere fidem, quam velut lac purum è pectore S. Macrinæ olim ebibiſſet, vt idem ſcribit Baſilius epiſt. 64. 75. & 79. Meminit eiuſdem nepos alter, ipſe Greg. Nyſſenus in epiſt. ad Leontium monachum de vita S. Macrinæ iunioris, de qua ſuo loco agemus inferiùs.

xvj. A Decimooctauo Kal. Februarij. Luna. 15

| | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | | | |

IN territorio Andegauenſi beati[a] Mauri abbatis, diſcipuli ſancti Benedicti, cuius diſciplinis ab infantia eruditus, quantum in eis profecerit, inter alia quæ apud eum poſitus geſſit (res noua, & poſt Petrum inuſitata) pedibus ſuper aquas incedens patefecit. In Gallias inde ab eo directus, conſtructo ibi celebri monaſterio, cui quadraginta annis præfuit, miraculorum gloria clarus in pace quieuit. In Iudæa ſanctorum Habacuc[b] & Michææ Prophetarum, quorum corpora ſub Theodoſio ſeniore diuina reuelatione reperta ſunt. Anagniæ ſanctæ[c] Secundinæ virginis & martyris, quæ ſub Decio Imperatore paſſa eſt. Caralis in Sardinia ſancti Ephiſij[d] martyris, qui in perſecutione Diocletiani ſub Flauiano iudice plurimis tormentis diuina virtute ſuperatis, demum abſciſſis ceruicibus victor migrauit in cælum. Nolæ in Campania ſancti Maximi[e] Epiſcopi. Aruernis in Gallia ſancti Boniti[f] Epiſcopi & confeſſoris. In Ægypto ſancti Macarij[g] abbatis, diſcipuli beati Antonij, vita & miraculis celeberrimi. Item beati Iſidori[h], ſanctitate vitæ, fide & miraculis clari. Romę ſancti Ioannis[i] Calybitę, qui aliquamdiu in angulo domus paternæ, deinde in tugurio in inſula Tiberina ignotus parentibus habitauit, à quibus in morte agnitus, clarus miraculis in eodem loco ſepultus eſt: vbi poſteà in eius honorem eccleſia conſtructa fuit.

## IANVARII 15.

MAVRI abbatis[a]. ] De eodem hac die Beda; & ceteri omnes. Huius in monachiſmo tyrociniũ ſcribit S. Gregorius Papa lib. 2. dialog. cap. 3 Fauſtus monachus cetera eſt proſecutus, ſcribens rerum geſtarum ipſius commentarium temporibus Bonifacij Tertij Rom. Pontificis: ſucceſſit hic Sabiniano. de eodem Fauſto ſcriptore agit Sigebertus de vir. illuſtr. cap. 32. Habemus in noſtra bibliotheca eamdem Fauſti ſcriptionem, alia tamen præfatione præpoſita, cuius eſt exordium, Poſtquam diuinitas, &c. Quod ſpectat ad Mauri tempora,

pora, oblatus eſt hic à patre Eutychio ſancto Benedicto, anno à Chriſto Domino quingenteſimo vigeſimotertio, manſitque apud eum annos viginti, deinde ab eo eſt miſſus in Gallias: vbi cùm annum quadrageſimumprimum ageret, qui & erat annus quadrageſimusprimus ab obitu ſancti Benedicti, migrauit ad Dominum; eſt autem is annus Chriſti quingenteſimus octuageſimusquartus. Hæc ex eius vitę Actis, ex vita S. Placidi, & ex Leone Oſtienſi collegimus: licet Acta Placidi nonnulla indigeant caſtigatione. ſed quod ad tempus ſpectat, conſule quæ dicta ſunt in Annalibus Eccleſ.

[b] Habacuc & Michææ. ] Agunt de eiſdem hac die ceteri Latinorum, Græci autem ſeorſum ab inuicem, de Habacuc 2. Decembris, de Michæa 24. Auguſti, vt vidimus in eorum Menologio. De eorum corporum inuentione, cuius hîc habetur mentio, ſcribit Sozom. hiſt. lib. 7. cap. vlt. Caſſiod. in Tripart. lib. 1. cap. 49. Niceph. lib. 12. cap. 48. De eorum ſepultura Epiphan. de vita & interit. Proph. cap. 13. & 18. Iſidorus de vit. & mort. ſanct. cap. 17. licet alterius potiùs quàm Iſidori illud ſit opus. Dorotheus in ſynopſi c. 3. Hieron. epiſt. 27. ſcribit ſepulchrum quondam Michææ Morasthi poſitum, mutatum fuiſſe in eccleſiam, quam ſancta Paula (vt ait) inuiſit religionis ergô.

[c] Secundinæ ] Eius res geſtas, præter illas quæ miſſæ ſunt Romam ab eccleſia Anagnina, reperimus etiam in vet. cod. manuſcrip. noſtræ bibliothecæ, quarum præfatio ſic exorditur: Martyrum triumphos, &c. Ex iiſdem Actis apparet, præfuiſſe eidem Eccleſiæ illis temporibus S. Magnum Epiſcopum, de quo ſuo loco inferiùs.

[d] Ephiſij. ] Huius martyrij Acta è Sardinia miſſa accepimus. Agit de eodem Fara de rebus Sardois.

[e] Maximi Epiſcopi. ] Agit de eodem ſanctus Paulinus in Natali S. Felicis quarto & quinto. Beda etiam pluribus in vita eiuſdem S. Felicis, & Marcellus presbyter in vita eiuſdem.

[f] Boniti Epiſcopi. ] De eodem hac die Vſuardus. Extant res geſtæ ipſius, quas Surius retulit in tomum primum. In tabulis Epiſcoporum Aruernenſis eccleſiæ hic ponitur quadrageſimus primus eius ſedis Antiſtes. Claruit temporibus Theodorici Quarti Francorum Regis.

[g] Macarij abb. ] Tam de Macario Ægyptio, quàm de eo qui Alexandrinus dictus eſt, ſatis ſuprà dictum ad quartum Nonas Ianuarij.

[h] Iſidori. ] Longè alium hunc exiſtimato ab illo Iſidoro, quem laudibus proſequitur Socrates lib. 6. cap. 9. Sozom. lib. 8. cap. 12. & 13. Rufinus lib. 2. cap. 4 & Euagrius Ponticus in vit. Patrum: nam ille ad Origeniſtas defecit, illorumque dux inuentus eſt, vt ſanctus Hieronymus de illo ſcribit epiſtola 65. ad Pammachium, & ad Cteſiphontem contra Pelagianos. hic autem alibi potiùs quàm in Ægypto vixiſſe videtur: nam de alio Iſidoro Ægyptio ſuperiùs actum eſt quarto Nonas Ianuarij.

[i] Ioannis Calibytæ. ] Græci etiam de eodem agunt hac die in Menologio. Habet eius Acta Metaphraſtes, quæ recitat Lipom. tomo 7. & Sur. tom. 5. Legimus alia manuſcripta ab illis paulò diuerſa. De eo meminit Niceph. hiſt. lib. 15. c. 23. Claruit, ſecundùm eumdem auctorem, Leonis Imperatoris temporibus, licet manuſcrip. ſub Theodoſio eum vixiſſe dicant. Extat peruetuſta ac nobilis memoria eiuſdem Romæ in inſula Tiberina, de qua hîc mentio habetur.

## 16 Decimoſeptimo Kal. Februarij. Luna. B xv.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | | | |

ROMÆ via Salaria natalis ſancti Marcelli[a] Papæ & martyris, qui ob Catholicæ fidei confeſſionem, iubente Maxentio [b] tyranno, primò fuſtibus cæſus, deinde ad [c] ſeruitium animalium cum cuſtodia publica deputatus, ibidem ſeruiendo amictu indutus cilicino, defunctus eſt. Marrochij in Africa paſſio ſanctorum martyrum ordinis Minorum, Berardi[d], Petri, Accurſij, Adiuti, & Othonis. Arelate ſancti Honorati[e] Epiſcopi & confeſſoris, cuius vita doctrina & miraculis fuit illuſtris. Opitergij ſancti Titiani[f] Epiſcopi & confeſſoris. Rhinocoluræ[g] in Ægypto ſancti Melæ[h] Epiſcopi, qui ſub Valente exilium & alia grauia pro fide Catholica paſſus, in pace quieuit. Fundis in Campania ſancti Honorati[i] abbatis, cuius meminit beatus Gregorius Papa. In monaſterio Pe-

ronæ ſancti Furſci[k] confeſſoris. Romæ ſanctæ Priſcillæ[l], quæ ſe, ſuaque martyrum obſequio mancipauit.

# IANVARII 16.

M Arcelli [a] Papæ.] De eodem hac die Beda, ac ceteri omnes. In Marcello Græci prorſus errare conuincuntur, dum eumdem eum putant cum Marcellino, vt Euſeb. in chron. Niceph. Epiſc. in chron. & Niceph. Calliſt. lib. 6. cap. 34. ſicut & feciſſe noſcuntur de Cleto & Anacleto. Porrò longè diuerſum eſſe Marcellum à Marcellino, Latini omnes, qui res Romanæ Eccleſiæ præ alijs calluerunt, abſque aliqua ambiguitate profitentur. Poſt librum de Rom. Pontific. & Vaticanos indices id ipſum Optatus Mileuit. lib. 2. contra Parmen. & Auguſt. epiſt. 165. ad Generoſum confirmant.

[b] Sub Maxentio.] Non autem ſub Maximiano, vt mendosè legitur in aliquibus codicibus: ſed inde videtur irrepſiſſe error, dum totum illud decennium, quod ſecutum eſt ab indicta perſecutione per Diocletianum & Maximianum (licet alij poſt eos ſucceſſerint in Imperium) illis tribuitur, atque ab eis perſecutio eſt denominata; de quo quidem innumera ſunt exempla. Quod autem ad Maxentium ſpectat, ſciendum eſt, ipſum primis illis temporibus, quibus inuaſit Imperium, quò etiam Chriſtianos ad ſui deuotionem alliceret, non tantùm præterita edicta aduerſus eos promulgata ſilere iuſſiſſe; verùm etiam quibus valuit officijs de ijſdem optimè meritum eſſe, ſeque eamdem religionem amplexatum eſſe ſimulaſſe, prout ſcribit Euſeb. hiſt. libro 8. cap. 26. & Optatus contra Parmen. lib. 1. His conſentiunt quæ S. Auguſt. refert in Bren. poſt collat. diei 3. cap. 13. ex Actis Donatiſtarum, bis verbis: Melchiades tunc Romanus presbyter miſit diaconos cum litteris Maxentij, atque etiam litteris Præfecti prætorio ad Præfectum Vrbis, vt eccleſiæ vtenſilia reciperent, quæ tempore perſecutionis ablata fuerant, &c. Poſt hæc autem (vt ſcribunt Oroſius, Victor, Eutropius, & alij) extinctis tyrannis Seuero & Alexandro, qui Maxentio negotium fecerant, omnia ſibi tuta ratus, cunctos deſpiciens, non tantùm in Chriſtianos, ſed & in quoſcumque Romanos ciues, ac præcipuè Senatores ſe crudeliſſimum præbuit, erga milites tantùm benignum; ad quos ſibi conciliandos, bis pro concione vſus eſt vocibus: Fruimini, diſſipate, & prodigite. Qualis autem quantáve fuerit eius ſæuitia, ſcribit Euſebius in vita Conſtantini libro 1. cap. 27. 28. & ſeq. & in hiſt. lib. 8. cap. 26. 27. Non tantùm enim Italiam, ſed & Africam immani feritate vexaſſe, cõſtat ex panegyrico dicto in Conſtantini laudem poſt debellatum Maxentium.

[c] Ad ſeruitium animalium.] Hìc opportunè interpretamur locũ illum, qui legitur in Marcello Papa in lib. de Roman. Pontific. qui fertur nomine Damaſi, vbi hęc de Marcello Papa: Damnatus eſt in Catabulum: cumque diebus multis ſeruiret in Catabulo, &c. Et paulò pòſt: Iuſſit Maxentius in eadem eccleſia interim plãcas exſterni, vt ibidem animalia Catabuli congregata ſtarent, & ipſis beatus Marcellus deſeruiret. Hæc ibi. Primùm autem quod ad plancas pertinet, appellat Feſtus plancas tabulas planas. Quod verò ſpectat ad Catabulum, quantum ex prædictis licet aſſequi, erat ſtabulum animalium, non quidem ſilueſtrium (loca enim illis deputata dicebantur Viuaria, quæ erant in angulo Vrbis, in regione quinta, prope portam Præneſtinam, longè ab his ædibus Lucinæ, vt ſcribit Procop. lib. 1. de bello Goth.) ſed iumentorũm, quæ publicæ vtilitati ad vehenda onera deſeruirent; vnde & Catabulenſes hi dicti eſſe reperiuntur, qui prædicta oneraria iumenta ductabant. Id intelliges ex epiſtola Theodorici Regis ad Feſtum, apud Caſſiod. Var. lib. 3. epiſt. 10. in qua hæc verba: Præſenti admonitione declaramus, vt marmora, quæ de domo Pinciana conſtant eſſe depoſita, ad Rauennatem vrbem per Catabulenſes veſtra ordinatione dirigantur. Rurſusque de Catabulenſibus lib. 4. ep. 47. idem Rex: Et ideò (inquit) quinquaginta ſolidorum mulctam non iam Veredarius, ſed Catabulenſis incurrat, quiſquis vltra centum libras Parhippum crediderit onerãdum. Eſt titulus de Piſtoribus & Catabulenſibus Cod. Theod. lib. 14. vbi & lib. 9. agitur de illis: erat enim Romę corpus Catabulenſium ex vili genere hominum, eidem planè muneri adſcriptorum.

[d] Berardi & ſoc.] Relati ſunt hi à Sixto Quarto Rom. Pont. inter ſanctos martyres: extatque de ea re diploma datum anno Domini 1481. Horum certamen deſcriptum habetur apud Surium hac die tom. 1. De ijſdem chron. Franciſcan. par. 1. lib. 4. per tot. & Theſ. conc. tomo 2.

[e] Honorati Epiſc.] De eodem hac die Beda, Vſuard. Ado, ac ceteri. Scribit S. Iſidorus de vir. illuſtr. cap. 16. S. Hilarium Epiſcopum Arelatenſem Honorati ſucceſſorem ſcripſiſſe eius vitam; quam quidem deperijſſe dolebamus; ſed eam latentem diu carie ſitúque obductam in lucem nuper edidit Genebrardus. Illam verò quæ tribus libris ſcripta reperitur, alterius potiùs quàm Hilarij eſſe conſtat: multa etenim habet, quæ indigent correctione, nec tanto eſt ſcriptore digna. Habuit idem Hilarius ſermonem luculentum in natali die S. Honorati. Succeſſit Honoratus de quo agimus, Patroclo, qui ſancti Herotis, diſcipuli ſancti Martini, ſedem inuaſit, vt ſcribit S. Proſper in chron. Præfuit Arelatenſi eccleſiæ S. Honoratus temporibus Theodoſij iunioris & Valentiniani Tertij Impp. cùm Romanam Eccleſiam regeret Cæleſtinus, ac poſt eum Sixtus. S. Eucherius in præfatione lib. 1. inſtruct. ad Salonium hęc de Honorato: Enutritus (inquit) es ab Honorato patre, illo, inquam, primò inſularum, poſteà Eccleſiarum magiſtro. Hæc idcircò Eucherius, quoniam ſanctus Honoratus antequam præficeretur eccleſiæ Arelatenſi, celebri illi cœnobio inſulæ Lirinenſis præfuerat abbas. Meminit eiuſdem Sidonius Apollinaris in carmine euchariſtico ad Fauſtum, in fine.

[f] Titiani Epiſcopi.] De eodem hac die Vſuardus, vet. manuſcr. & Petrus in catal. lib. 2. cap. 99.

[g] Rhino-

[g] Rhinocoluræ.] Poſita eſt in Ægypto Rhinocolura, cuius S. Melas fuit Epiſcopus: meminit eiuſdem ciuitatis Ioſephus Antiq. lib. 14. cap. 25. & alijs in locis. Meminit de eadem Epiphan. in panar. hæreſi 66. contra Manichæos; eamdemque alio nomine Neel dictam eſſe teſtatur à ſortibus, quòd illic Noe ſortibus diuiſit terram tribus filijs ſuis. Idem de eadem ciuitate agit in Ancorato, teſtaturque ſitam eſſe inter Ægyptum & Palæſtinam è regione maris Rubri. Eiuſdem nominis in Syria etiam ciuitas fuit, cuius mentionem facit Seneca lib. 3. de ira cap. 20. & Strabo lib. 16. qui & cur ſic dicta ſit, hiſtoriam narrant. Meminit eiuſdem etiam quæ eſt in Syria Ioſephus Antiq. lib. 13. cap. 24. edit Gelen.

[h] Melæ Epiſcopi.] Scribit de eo Sozom. hiſt. lib. 6. cap. 31. & Caſſiod. lib. 8. cap. 1. qui certamen eius pro fide Catholica aduerſus Valentem Imp. Arianum ſuſceptum narrant.

[i] Honorati abbatis] Huius Acta ſcripſit ſanctus Gregorius Papa lib 1. dialog. Fundanam eccleſiam nobiliorem reddidit S. Paulinus, qui poſteà fuit Nolanus Epiſcopus. Ipſe etenim agro Fundano diues, paruam illic poſitam eccleſiolam ac iam collabentem in anguſtiorem formam erexit, picturis ornauit, muneribus auxit, & ſacris reliquijs poſitis, dedicandam curauit, vt idem ipſe ſcribit Paulinus in epiſtola 12. ad Seuerum. Quod quidem egregium ſanctiſſimi viri monumentum tempore Longobardorum prorſus dirutum fuit, adeoque ea eſt eccleſia deſolata, vt opus fuerit, Agnellum eius ciuitatis Epiſcopum, iubente Gregorio Rom. Pontifice, Tarracinam migrare, vt conſtat ex Regiſt. lib. 2. epiſt. 13.

[k] Furſei.] De ipſo etiam hac die Beda, Vſuardus & alij. Agit de eodem item Beda de geſtis Angl. libro 3. cap 19. Aimo de geſt. Franc. libro 4. cap. 18. Trithem. de vir. illuſtr. ordin. ſanct. Bened. libro 3. cap. 86. & alij. Claruit circa annum Domini 650.

[l] Priſcillæ.] Plures fuerunt huius nominis ſanctæ mulieres, quarum illa antiquior, cuius mentio habetur in Actis Apoſt. cap. 18 & à Paulo ad Corinth. 1. cap. 16. de qua alia agitur die. Rurſus autem alia reperitur Priſcilla, de qua mentio fit in Actis ſanctarum Pudentianæ & Praxedis, cuius cœmeterij etiam Paſtor meminit in Actis ſanctæ Praxedis. Alia item Priſcilla reperitur in lib. de Rom. Pont. in S. Marcello Papa; licet complures codices non habeant ea quæ de cœmeterio nomine ſanctæ Priſcillæ via Salaria illic ponuntur; quod quidem Priſcillæ ſeniori Paſtor tribuit in dictis Actis S. Praxedis. Ceterùm in ipſo titulo Paſtoris, vbi erant thermæ Nouati, quæ & Timothinæ dictæ; ipſæ balnei inferiores cellæ inſtar porticuum ſibi concamerationc coniunctæ, quæ vſque in hanc diem cernuntur penè integræ, cœmeterij loco ad ſepeliendos ſublatos occultè martyres inſeruiſſe creduntur. Agitur autem de ſeniori Priſcilla, cuius Paſtor meminit, quæ & fuit Apoſtolorum diſcipula, mater verò Pudentis ſenatoris, vt Acta Pudentianæ, quæ habemus manuſcrip. quæ & paulò diuerſa recitat Mombrit. tom. 2. teſtantur.

## 17 Sextodecimo Kal. Februarij. Luna. C xiiij

| | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |

IN Thebaide [a] ſancti Antonij [b] abbatis, qui multorum monachorum Pater, vita & miraculis præclariſſimus vixit: cuius geſta ſanctus Athanaſius inſigni volumine proſecutus eſt. Eius autem ſacrum corpus [c] ſub Iuſtiniano Imperatore diuina reuelatione repertum, atque Alexandriam delatum, in eccleſia ſancti Ioannis Baptiſtæ humatum fuit. Apud Lingonas ſanctorum tergeminorum [d], Speuſippi, Eleuſippi, & Meleuſippi, qui cum auia ſua Leonilla martyrio coronati ſunt tempore M. Aurelij Imperatoris. Romæ Inuentio ſanctorum [e] martyrum Diodori presbyteri, Mariani diaconi, & ſociorum, qui ſub ſancto Stephano Papa, cùm in Arenario natalitia martyrum agerent, obſtructa à perſecutoribus ianua cryptæ, & diruta deſuper mole, ipſi quoque martyrium ſunt aſſecuti. Apud Bituricas depoſitio ſancti Sulpicij [f] Epiſcopi, cognomento Pij, cuius vita & mors pretioſa glorioſis miraculis

commendatur. Romæ in monaſterio ſancti Andreæ, beatorum monachorum Antonij[g], Meruli, & Ioannis, de quibus ſcribit S. Gregorius Papa:

# IANVARII 17.

IN Thebaide[a].] Hieronymus lib. de Hebraic. quæſt. Thebaidem eam putat eſſe regionem, quæ olim dicta eſt Geſſen, in qua habitauit Iacob Patriarcha cum filijs ſuis, cùm veniſſet in Ægyptum. Gen. cap. 45. & 46.

[b] Antonij abb.] Tam Latini quàm Græci de Antonio agunt hac die. Eſt vetus memoria in Actis S. Euthymij, quæ fideliſſimè ſcripſit Cyrillus monachus ante annos ferè mille & ducentos, hac eadem die ſanctos illos monachos natalem diem ſancti Antonij celebrare conſueuiſſe. Obijt diem humanæ vitæ, anno 21. Conſtantij Imp. vt S. Hieronymus teſtatum reliquit in chron. Scripſit egregia illius Acta S. Athanaſius: quæ quidem Euagrius, non ille Ponticus Origeniſta, ſed qui poſteà præfuit eccleſiæ Antiochenæ, in Latinum ſermoné conuertit, vt auctor eſt S. Hieron. de ſcrip. Eccleſ. in Euagrio. Præſtitit hoc ipſum idem Hieron. poſtulante Pammachio, vt ipſe profitetur, ad eumdem ſcribens, epiſt. 101. de opt. gen. interpret. quam illam eſſe putamus, quæ habetur præ manibus: Cumque (vt ipſe ait) in ea vertenda, more ſuo, non verba verbis, ſed ſententias reddiderit ſententijs; inde fortaſſe factum eſt, vt Gelaſius Papa eum non tam vertiſſe, quàm ſcripſiſſe Antonij vitam teſtetur, cùm ait: Vitas Patrum Pauli, Antonij, Hilarionis, & omnium eremitarum, quas tamen vir beatiſſimus deſcripſit Hieronymus, eum omni honore ſuſcipimus. Ea eſt vſus cautela Gelaſius, quoniam & Euagrius Ponticus ſcripſit vitas Pstrum, & miſcuit Origeniſtas nonnullos, quos idem Hieronymus notat ſcribens ad Cteſiphontem. Miror eoſdem quos ipſe reſpuit, hactenus ſub Hieronymi auctoris nomine latitare. Indicabimus eos, cùm, ſi Deo placuerit, ea de cauſa in vitas Patrum ſcholia pernéceſſaria elaborauerimus. Quod autem sd Antonium ſpectat, primus omnium Acta eius adhuc viuentis S. Athanaſius ab Arianis pulſus, Romam profugus attulit: quantum autem nobiles Romani ex illis profecerint, declarat idem Hieronymus ſcribens ad Principiam epiſtola 16. & ad Euſtochium 27. Quantum prætereà ceteris attulerint adiumenti, locuples teſtis eſt S. Auguſtinus lib. 8. confeſſ. cap. 6. Scripſerunt de Antonio Græcorum veteres hiſtorici Socrates, Sozomenus, & Theodoretus. meminit eiuſdem Chryſoſtomus homil. 8. in Matth. Latinorum Rufinus, ac plurimi ex recentioribus.

[c] Eius ſacrum corpus.] De inuentione corporis eius atque tranſlatione Alexandriam, id ipſum Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri profitentur: quam anno Domini 529. factam eſſe, ſcribit Sigeber. in chron. Marian. Scot. poſt Conſ. Lampadij & Oreſt. eſt annus Domini 531. Cuſpinianus anno 541. eamdem tranſlationem poſuit. Sed cùm ea de re eiuſdem temporis ſcriptorum teſtimonia minimè inueniantur; cui magis ex dictis auctoribus aſſentiamus, haud eſt liberum definire.

[d] Tergeminorum.] De his etiam ceteri Latinorum. Res geſtas eorum à Neone conſcriptas recitant Mombrit. to. 2. & Sur. to. 1. habent tamen, quod indiget caſtigatione, vt quod ibidem fertur, hos ſub Aureliano Imp. paſſos eſſe temporibus Polycarpi Epiſcopi. Nulla eſt prorſus cohærentia Polycarpi Smyrnæ Epiſcopi temporum cum Aureliano Imp. loco cuius Marcus Aurelius reſtituendus eſt, cuius tempore, ex Quarto Præſide, qui illic ponitur, hi paſſi noſcũtur. Quartus enim Conſularis temporibus Marci Aurelij, & Lucij Veri in Vrbe claruit; geſſit & Conſulatum vnà cum Lucio Vero: eſt frequens de Quarto mentio apud Herodianum & Iulium Capitolinum in Marco Aurelio. De horum ſanctorum martyrum tranſlatione agitur in vita ſancti Annonis Epiſcopi Colonienſis, lib. 1. cap. 38.

[e] Inuentio ſanctorum.] Hac die de ipſorum agitur inuentione, dies autem natalis Kalen. Decemb. Hiſtoriam inuentionis ex antiquis manuſcrip. recitat Sur. to. 1. Legimus eamdem in veteribus exemplaribus per ſex lectiones diſtinctam, vt olim in eccleſijs quibuſdam legi conſueuit. Inuenta ſunt horum corpora ſub Stephano Papa Sexto, temporibus Caroli Craſſi. Porrò Chryſanthi & Dariæ corpora, quæ in eadem crypta erant ſepulta, longè antè reperta ſunt; quę ſanctus Damaſus Papa verſibus sd eorum tumulum poſitis exornauit, vt ſcribit Gregorius Turonen. lib. de gloria martyrum cap. 38.

[f] Sulpitij.] De eodem Vſuardus, Ado, & alij. Dictus hic eſt Sulpitius Pius, reſpectu alterius Sulpitij eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, cognomento Seueri. De Sulpitio Pio ſcribit Gregor. Turonen. in proœm. hiſt. Dormientium, & Guibertus in apologia pro Seuero. Hic ſucceſſit Remigio Epiſcopo temporibus Gunthramni Regis Franc. anno Domini quingenteſimo octogeſimoſeptimo, vt idem teſtatur Gregor. hiſt. Franc. lib. 6. cap. 39. licet in vita eius, quam deſcripſit Sur. to. 1. habeatur ſucceſſiſſe Auſtregiſilo temporibus Clotarij Regis. ſed in his plus tribuimus Gregorio Turonenſi, cuius ſententiam certiſſimam reddunt Acta Concilij ſecundi Matiſconenſis, quod celebratum eſt anno vigeſimoquarto eiuſdem Regis Gunthramni: cui quidem Synodo Sulpitius interfuit atque ſubſcripſit. Temporibus enim Clotarij Regis, non Sulpitius, aut Auſtregiſilus, ſed Probatianus, Felix, Honoratus, & Arcadius Bituricenſi eccleſiæ præfuerunt, prout Concilia, quæ illius temporibus celebrata ſunt, indicant. Eadem cenſura caſtigandæ ſunt tabulæ Epiſcoporum Bituricenſium Demochar. in quibus & ille grauior error apparet, dum Sulpitius Seuerus putatur ille, qui interfuit Concilio ſecundo Matiſconenſi ſub Gunthramno Rege; cùm certum atque perſpicuum habeatur, illum Seuerum vixiſſe temporibus Theodoſij ſenioris, & eius filij Honorij Impp.

Impp. Secundùm Acta S. Auſtregiſili, quæ recitat Sur. tom. 3. adhuc tertium eiuſdem nominis ei eccleſiæ præfuiſſe Epiſcopum, dicere oportet. Sed ſatis de his. Sulpitius autem Pius, de quo agimus (vt ſcribit Aimo. lib. 4. cap. 16. & alij) migrauit ex hac vita anno Domini quingenteſimo nonageſimoquarto; ipſe eſt annus decimusſextus Childeberti Regis, quo eum obijſſe, auctor eſt Greg. Turon. hiſt. Franc. lib. 10. cap. 26. Habuit ſucceſſorem Euſtaſium.

[g] Antonij & ſoc.] De quibus pluribus agit ſanctus Gregorius Papa lib. 4. dialog. cap. 47.

## 18. Quintodecimo Kal. Februarij. Luna. D xiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | | | |

CATHEDRA [a] ſancti Petri Apoſtoli, qua primùm Romæ ſedit. Ibidem paſſio ſanctæ Priſcæ [b] virginis & martyris, quæ ſub Claudio Imperatore poſt multa tormenta martyrio coronata eſt. In Ponto natalis ſanctorum martyrum Moſei [c] & Ammonij, qui cùm eſſent milites, primò ad metalla damnati, nouiſſimè igni traditi ſunt. Ibidem ſancti Athenogenis [d] antiqui Theologi, qui per ignem conſummaturus martyrium, hymnum lætus cecinit, quem & diſcipulis ſcriptum reliquit. Turonis in Gallia ſancti Voluſiani [e] Epiſcopi, qui à Gothis captus, in exilio ſpiritum Deo reddidit. Ibidem ſancti [f] Leobardi recluſi, qui mira abſtinentia & humilitate refulſit. In Britannia ſancti Deicolæ [g] abbatis, diſcipuli beati Columbani. Nouocomi ſanctæ Liberatæ [h] virginis.

## IANVARII 18.

CATHEDRA [a] ſancti Petri.] De eadem ſolemnitate Beda, ac ceteri, vt Vſuardus, Ado, & antiquum Romanum Martyrologium manuſcr. In aliquibus antiquioribus Breuiarijs de Romanæ Cathedræ celebritate hac die poſitum habetur officium Eccleſiaſticum, vbi & hæc oratio deſcripta legitur: Omnipotens ſempiterne Deus, qui ineffabili ſacramento Apoſtolo tuo Petro principatum Romanę vrbis tribuiſti, vnde ſe Euágelica veritas per tota mundi regna diffunderet: præſta, quæſumus, vt quod in orbem terrarum eius prædicatione manauit, vniuerſitas Chriſtianæ deuotionis ſequatur. Hæc ex peruetuſto Breuiario, quod erat apud Illuſtriſſ. & Reu. D. Card. Sirletum S.R.E. Bibliothecariú. Ceterùm hanc ipſam ſacram ſolemnitatem, quę iam in aliquibus eccleſijs exoleuerat, ſanctiſſ. memoriæ Paulus Papa Quartus reſtituit, datis de ea re litteris Apoſtolicis anno Domini M. D. L V I I. octauo Idus Ian. Eſt illarum exordium: Ineffabilis diuinæ prouidentiæ altitudo, &c. De cathedra Petri Romæ poſita adeò notiſſima ac orbi conſpicua res eſt, vt nec hæreticus homo poſſit diſſimulare. Vnde grauiſſimus auctor Optatus Mileuitanus Parmenianum Donatiſtam compellat his verbis lib. 2. Negare non potes, ſcire in vrbe Roma à Petro primò cathedram epiſcopalem eſſe collocatam, &c. Omittimus hic omnium tam Latinorum quàm Gręcorum Patrum referre teſtimonia, cùm non ſit præſentis inſtituti, ac de his locupletiſſimè egerimus in Annalibus Eccleſiaſticis. Quod autem ad præſentem ſolemnitatem ſpectat, laudabilis in Eccleſia viguit antiquus vſus, vt dies anniuerſaria ageretur, qua quis alicui ſedi præfectus eſſet Epiſcopus. Id etenim tam in Occidentali Eccleſia, quàm in Orientali etiam obſeruatum, innumera ferè docent exempla. De conſuetudine Romanæ Eccleſiæ ſcribit S. Paulinus epiſt. 16. ad Seuerum: extant de ea re ſermones ſancti Leonis Papæ ea die habiti. Conuenire enim vndique ex Italia Epiſcopi tunc Romam conſueuerunt ad celebrandum natalem diem Romani Pontificis, vt pulchrè demonſtrat epiſtola Hilari Papæ ad Aſcanium ac ceteros Epiſcopos prouinciæ Tarraconenſis, dum in ea hæc leguntur: Lectis ergo in conuentu fratrum, quos natalis mei feſtiuitas congregauerat, litteris veſtris, &c. Quinam autem hi fuerint, ex quibúſve Italiæ ciuitatibus Romam confluxerint, indicant ipſę ſynodicæ tabulæ illic ſuperiùs recitatæ. Accipe & de vſu aliarum eccleſiarum exempla, vt illud, quod S. Ambroſius ſcribit de Felice Comenſi Epiſcopo lib. 8. ep. 60. edit. Rom. item quod ſanctus Auguſtinus habet de



Digitized by Google

de die natali Aurelij Epiſcopi Carthaginenſis ſer. 32. de verbis Domini in fine, deque ſuę ipſius etiam anniuerſaria die ordinationis homil. 24. & 25. De conſuetudine Orientalis eccleſiæ ſatis monent Græcorum Menologia, in quibus S. Baſilij, Ioannis Chryſoſtomi, & aliorum agitur ſedis eorum natalis dies. Quo etiam vſu & ratione Romana Eccleſia eam diem ſolẽniter agere conſueuit, quo Romanæ natalis eſt Cathedræ, quando (inquam) S. Petrus Romæ diuino conſilio primùm ſedere cœpit, tranſlata illuc ſede, quam ſeptem annos tenuit Antiochiæ. Porrò tanto celebrior hæc eſt ſolemnitas illa, qua Antiochiæ ſedit, quòd mobilis illa, vel ad tempus tantùm, ac quaſi per tranſitum ſita eſt; Romæ verò ſtabiliuit firmauitque Deus eamdem in æternum in Petri ſucceſſoribus permanſuram; quam (vt tradit Irenæus lib. 3. cap. 3.) doctrina munitam, traditionibus locupleratam, meritis illuſtratam, dotibus auctam, idem Apoſtolus vnà cum Paulo etiam ſanguine conſecrauit. Verùm hac die non illa tantùm ſolemnitas agi videtur, qua Petrus Romæ ſedere cœpit, ſed etiam ſacroſancta illa recolitur inſtitutio, qua à Domino Petrus, petra fundamentalis Eccleſiæ conſtitutus, perpetuæ ſtabilitatis promiſſionem, & claues regni cæleſtis accepit; quod in omnibus præſefert ſacrum officium eccleſiaſticum, ac præſertim in antiqua præfatione, quę ſcripta reperitur in Sacramentario S. Gregorij, quod vetuſtiſſimum habetur in Vaticano, vnde hæc deſcripſimus: Verè dignum, &c te laudare mirabilem in ſanctis tuis, in quibus glorificatus es vehementer, per quos Vnigeniti tui ſacrum corpus exornas, & in quibus Eccleſiæ tuæ fundamẽta conſtituis, quam in Patriarchis fundaſti, in Prophetis præparaſti, & in Apoſtolis condidiſti, ex quibus beatum Petrum Apoſtolorum Principem ob confeſſionem vnigeniti Filij tui, per os eiuſdem Verbi tui confirmatum in fundamento domus tuæ, mutato nomine, cæleſtium clauſtrorum Præſulem, cuſtodemque feciſti, diuino ei iure conceſſo, vt quæ ſtatuiſſet in terris, ſeruarentur in cęlis. In cuius veneratione hodierna die maieſtati tuę hęc feſta perſoluimus, ac gratiarum & laudis hoſtiam immolamus, per Chriſtum Dominum noſtrum, &c. Hæc ibi. At quoniam Petrus non Vrbis tantùm, ſed totius Catholicæ Eccleſiæ à Chriſto eſt inſtitutus Epiſcopus; meritò vniuerſalis Eccleſia eamdem in vniuerſo Chriſtiano orbe agit ſolemnitatem. Extant de ea ſermones duo ſancti Auguſtini, 15. & 16. de Sanctis, quorum priorem miramur reiectum in appendicem à ſchola Louanienſi, cùm nihil habeat quod Auguſtini eſſe impediat, ſed multa quę perſuadeant, vt vetuſta exemplaria, ipſa dicendi phraſis non diſſimilis, & quæ ibi tractantur de praua conſuetudine inferendi ad ſepulchra defunctorum cibum & potum, à qua populum auocare conatur. Porrò abuſum illum inoleuiſſe in Africa, idem auctor teſtatur lib. de moribus Eccleſiæ aduerſus Manichæos cap. 23. ſerm. de diuerſ. 120. & epiſt. 64. ad Aurelium, ante ipſum Tertull. lib. de Reſurrect. carn. Idem prauus vſus etiam irrepſit in Gallias, vt in ſolemnitate Cathedræ S. Petri ad ſepulchra mortuorum cibos inferrent, quem canon 34 ſecundæ Synodi Turonenſis antiquauit, prorſusque abrogauit. Habes de his & canones 68. & 69. Græc. Synod. à Martino Bracharenſi collectos, recitatos à Gratiano de conſecrat. diſtinct. 1. cap. Non oportet. Aſſeruatur hactenus in baſilica Vaticana ipſa cathedra lignea, in qua olim Romæ Petrus ſediſſe perhibetur. Nec quis hoc miretur: ſi enim ſedes ipſa lignea, cathedra Iacobi Apoſtoli, Ieroſolymitani Epiſcopi, poſt tot tantaque Iudaici populi naufragia, poſt illud pauendum Ieroſolymorum excidium, ſeruata nihilominùs eſt integra vſque ad tempora Conſtantini Magni Imp. (vt ſcribit Euſebius hiſt. lib. 7. cap. 14.) quam & ſucceſſores Epiſcopi decenti honore cuſtoditam ſunt venerati: quid tam mirum, Apoſtolorum verticis cathedram pari ſaltem fuiſſe diligentia conſeruatam? ipſa etenim, quis ſuper ſe ſederit, virtute miraculorum prædicat, in ligno arido viridem gratiam curationum conſecuta, cùm per eam Deus diuinam opem implorantibus, beneficia præſtare non deſinat. Conſeruatam nouimus etiam Alexandriæ cathedram Marci Petri diſcipuli, in qua ſucceſſores ob cæleſtem in ea ſplendorem diuinitus oſtenſum, inſidere in poſterum non ſunt auſi. Conſueuerunt maiores noſtri cathedras, ſedes ipſas Epiſcoporum, ad diuinum quoddam tribunal velis ornare. Vnde Pontius diac. in Actis S. Cypriani in fine hæc habet: Sedile autem erat fortuito linteo tectum, vt ſub ictu paſſionis Epiſcopatus honore frueretur. Hæc ille. Auguſtinus epiſt. 203. ad Maximinum hæc de cathedris velatis: In futuro iudicio non apſides gradatæ, nec cathedræ velatæ, nec ſanctimonialium occurſantium greges adhibebuntur ad defenſionem, &c. Linteatas appellat eas ſedes Pacianus epiſt. 2. ad Sympronianum de Nouatiano: Quem, inquit, conſecrante nullo, linteata ſedes accepit. Et Ennodius Ticinenſis in libello pro defenſione Synodi Rom. pro Symmacho: Ecce nunc ad geſtatoriam ſellam Apoſtolicæ confeſſionis vela mittunt, &c.

[b] Priſcæ.] De eadem hac die ceteri Latinorum. Hîc primùm ea opinio refellenda eſt, quæ affirmat, hanc illam eſſe Priſcam, cui Paulus Apoſtolus ſcribens ad Romanos cap. 16. ſalutem dicit: quam opinionem qui aſtruunt, addunt etiam hanc ſub illo Claudio Imperatore eſſe paſſam, qui in Imperio Neronem præceſſit. Sed hæc falſa omnino eſſe, ex ipſis Apoſtoli Actis arguuntur, quibus oſtenditur, Priſcam illam fuiſſe ſuperſtitem poſt obitum Claudij, vixiſſeque etiam Neronis temporibus. Ea etenim epiſt. Pauli ad Romanos ſcripta eſt (vt planè conſtat) eo tempore, quo (vt ipſe ait) receſſurus Corintho, Ieroſolymam verſus parabat iter: quando (vt pluribus monſtrauimus in Annalibus) defuncto Claudio, Nero adminiſtrabat Imperium. Idem Paulus Romæ cùm eſſet (vt omnibus liquet) temporibus Neronis (ſicut in epiſt. ad Romanos fecerat, mandans ſalutari Priſcam & Aquilam) ſcribens ſecundam epiſt. ad Timotheum, in eius cap. 4 eiſdem Priſcæ & Aquilæ ſalutem impartitur. Ex his itaque prædictus error arguitur: qui quidem inde prouenisſe videtur, quòd in Actis S. Priſcæ, de qua agimus, eius corpus ſepultum feratur in eccleſia Aquilæ & Priſcillæ, ſeu Priſcę ab Eutychiano Papa, vt Petrus in catal. lib. 2. cap. 96. in fine. Sed licet hanc aliam dicerent ab illa quæ Pauli epiſtolis commendatur, nihilominùs paſſam eſſe ſub illo primo Claudio, nemo poterit affirmare:

nam

nam eius Acta teſtantur coronatam eſſe martyrio anno tertio Claudij Imp. quo item anno ipſum defunctum eſſe confirmant: quæ quidem nequaquam accõmodari poſſunt primo Claudio, quem annos quatuordecim imperaſſe conſtat; ſed ſatis conueniunt ſecundo Claudio, quem licet Eutropius & Victor dicant imperaſſe duobus tantùm annis, tamen ſecundùm Trebellium, & veriorem per Conſules deductam annorum rationem, conſtat eumdẽ anno quoque tertio in Imperio vixiſſe, quod etiam ex Porphyrio in vita Plotini teſtatum inuenies. Si præterea anno tertio Claudij ſenioris dixerimus S. Priſcam conſummaſſe martyrium, ipſi certè & non Theclæ eſſent primæ deferendæ: cùm alioqui omnium tam Latinorum, quàm Græcorum ſententia, Thecla prima martyrum ex feminis dicatur. Qui autem Priſcam paſſam ſcribit Aſiatico & Cornelio Coſſ. id quidem proprio ingenio abſque alicuius teſtimonio. Legi enim ſanctæ Priſcæ Acta tam manuſcr. quæ habemus, quàm typis excuſa, & nihil eiuſmodi potui reperire. Ceterùm ſi dixerimus hanc (vt habent complura eiuſdem S. Priſcæ eccleſiæ monumenta) paſſam eſſe viuente Petro Apoſtolo ſub Claudio ſeniore: vtique affirmare neceſſe eſt in Actis eius errorem irrepſiſſe in numerum annorum Claudij, ac reſtituendum, paſſam eſſe anno eius Imperij decimotertio, nõ autem tertio Quod quidem haud impoſſibile videri debet: quandoquidem ante primam, quæ ſub Nerone facta eſt, perſecutionem, ſæpè vexatos atque repreſſos Romæ fuiſſe Chriſtianos, verba Taciti lib. 15. Annal. demonſtrare videntur, quibus ait: Repreſſaque in præſens exitialis ſuperſtitio rurſus erumpebat. Hęc ille, agens de perſecutione in eos à Nerone tunc excitata. Sic igitur haud adeò mirandum, ſi vltimis Claudij ſenioris tẽporibus S. Priſca martyrium paſſa dicatur; cùm præſertim (vt dictum eſt) id eius eccleſiæ vetera monumenta ſuadeant: nam inter alia, altare ibi ſanctus Petrus ſacraſſe traditur, quod & Edinerus in vita S. Anſelmi teſtatur lib 2. cùm agit de reliquijs S. Priſcę. Sed de his ſatis. Extat hactenus vetus titulus Romæ ſanctę Priſcę, cuius mentio habetur in ſecunda Synodo Romana ſub Symmacho Papa. Quod autem ad Claudium iuniorem ſpectat, complures martyres ſub eo paſſi reperiuntur. occiſo etenim Gallieno, cui ſucceſſit, protinus illius edicta pro Chriſtianis anteà promulgata, fuerunt abrogata, atque perſecutio illa à Gallieni parente excitata, ſua ſponte reuixit: quam idem Claudius, legibus contra Chriſtianos latis, auxit. In Actis etenim ſanctorum Marij & Marthæ legitur eius reſcriptum, quo iuſſit non tantùm Chriſtianos carceribus detentos, ſed etiam qui inuenti eſſent in vulgo, capite puniri. Sed eius impietati obſtitit Deus: nam (vt ſcribit Trebellius) tyrannorum factione compreſſus, à Chriſtianorum perſecutione, quam cœperat, reuocatur.

[c] Moſci & Ammonij ] De his item Beda, Vſuardus, Ado, & Petrus in catal. lib. 2 cap. 97.

[d] Athenogenis.] De quo extat egregium ſancti Baſilij elogium in lib. de Spiritu ſancto ad Amphilochium c. 29. qui eum & in teſtimonium citat de Diuinitate Spiritus ſancti. Fuit & alius eiuſdem nominis Sebaſtenus Epiſcopus, de quo ſuo loco inferiùs. Huius Athenogenis, de quo hîc agitur, eſſe commentarium illum pereruditum aduerſus Gentiles ſcriptum, quod fertur nomine Athenagoræ, aliquando ſum opinatus: cùm de Athenagora nulla penes Græcos vel Latinos mentio habeatur, Athenogenes verò Græcis notiſſimus fuerit tum doctrina, tum martyrij corona celebris. facilè potuit error irrepſiſſe, vt pro Athenogene, Athenagoræ nomine, librariorum vitio, ille commentarius ſit inſcriptus, quod tamen affirmare non auderem.

[e] Voluſiani Epiſcopi.] De ipſo Gregorius Turonen. in hiſt. Franc. lib. 2. cap. 26. & lib. 10. cap. 31. vbi auctor agens de Epiſcopis Turonenſibus ſuis prædeceſſoribus, hunc ſeptimum ordine numerat. vixit temporibus Childerici filij Clodouei Regis Francorum.

[f] Leobardi.] Huius res geſtas conſcripſit Gregor. Turonen. in lib. ſanct. patr. cap. vlt. Floruit circa annum Domini 583. cùm iam ipſe auctor præſideret Eccleſiæ Turonenſi.

[g] Deicolæ.] De eo Petrus in catal. lib 2. c. 98. & Trithem. de vir. illuſtr. ord. ſancti Benedict. lib. 3. cap. 61.

[h] Liberatæ.] De ipſa tabulæ eccleſiæ Comenſis, ibique eius Acta aſſeruari dicuntur.

## 19 Quartodecimo Kal. Februarij, Luna. E xij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | | | |

ROMÆ via Cornelia ſanctorum martyrum Marij [a] & Marthæ coniugum, & filiorum Audifacis & Abachum nobilium Perſarum, qui Romam temporibus Claudij Principis ad orationem venerant: è quibus poſt toleratos fuſtes, equuleum, ignes, vngues ferreos, manuumque præciſionem, Martha in Nympha [b] necata eſt, ceteri ſunt decollati, & corpora eorum incenſa.

Smyrnæ

Smyrnæ natalis beati Germanici [c] martyris, qui cùm primæuæ ætatis venuſtate floreret, ſub Marco Antonino & Lucio Aurelio, per gratiam virtutis Dei metum corporeæ fragilitatis excludens, ſponte præparatam ſibi beſtiam damnatus à iudice prouocauit; cuius dentibus comminutus, vero pani Domino IESV Chriſto, pro ipſo moriens, meruit incorporari. In Africa ſanctorum martyrum Pauli [d], Gerontij, Ianuarij, Saturnini, Succeſſi, Iulij, Cati, Piæ, & Germanæ. Apud Spoletum paſſio S. Pontiani [e] martyris, tempore Antonini Imperatoris: quem Fabianus iudex pro Chriſto vehementiſſimè virgis [f] cæſum iuſſit ſuper carbones nudis pedibus ambulare; à quibus nil læſus, equuleo & vncinis [g] ferreis iuſſus eſt ſuſpendi, & ſic in carcerem trudi, vbi angelica viſitatione meruit confortari: poſt quæ leonibus expoſitus, & plumbo feruenti perfuſus, tandem gladio percuſſus eſt. Laude ſancti Baſſiani [h] Epiſcopi & confeſſoris, qui aduerſus hæreticos vnà cum ſancto Ambroſio ſtrenuè decertauit.

## IANVARII 19.

MARII, Marthæ, & ſoc. [a]] Agit de his item hac die Beda, Vſuardus die ſequenti. Extant ipſorum Acta, quæ habet Sur. tom. 1. die 14 Februar. Mombrit. tom. 2. & alij. ſunt eadem apud nos in vet. manuſcr. De reliquijs ſanctæ Marthæ martyris meminit S. Gregor. lib. 3. dialog. cap. 30. Porrò horum omnium reliquias Romæ haberi in inſula Tiberina in eccleſia ſancti Ioannis Calybitæ nomine dicta, & in diaconia ſancti Hadriani, earumdem eccleſiarum vetera monumenta teſtantur.

[b] In Nympha.] Quis autem ſit locus ad Nymphas dictus, vbi hi, alijque nonnulli martyres paſſi reperiuntur, indicant eorumdem martyrum Acta in fine; feruntque fuiſſe locum via Cornelia milliario 13. ab Vrbe. erat ea via inter Aureliã & Triumphalem Longè diuerſæ Nymphę à Nymphæo, qui eſt fluuius in Latio, de quo Plin. lib. 3. cap. 5. Eſt & cœmeterium ad Nymphas dictum, via Nomentana, de quo Pan. de cœmet. cap. 3.

[c] Germanici martyris] Beda item ac ceteri Latinorum hac die. Eius nobile certamen ſcribit Euſeb. hiſt lib. 4. cap. 14. ex quo Nicephorus ac ceteri deſcripſerunt.

[d] Pauli, Gerontij, & ſoc.] Hi omnes reſtituti ſunt ex vetuſtiſſimo Martyrologio manuſcripto, quod Romæ in monaſterio ſancti Cyriaci in Thermis viui erat. Habemus illud apud nos: cumque vetus manuſcriptum Martyrologium citamus, illud præcipuè intelligimus, quod cetera, quæ vidimus, Martyrologia vetuſtate antecedit.

[e] Pontiani.] De eodem præterea Beda, ac reliqui omnes. habentur eius res geſtæ, quas Sur. recitat tom. 1. die 14. Ianuarij. Mentio de eodem habetur in Actis ſancti Conſtãtij Epiſcopi Peruſini.

[f] Virgis cæſum.] Licet ignominioſum ſit genus animaduerſionis cædere virgis, leuius tamen ceteris fuiſſe, argumento eſt L. vn. C. de emendat. ſeruor. & L. 2. de public. curſu, Cod. Theod. Diuerſorum generum reperiuntur animaduerſionis virgæ. Erant virgę vlmeę, quibus ſerui corripiebantur, vt apud Plautum frequens eſt inuenire, qui in Milite glorioſo:

*Niſi mihi ſupplicium vlmeum de te datur.*

Et in Aſinaria act. 2.

*Ipſos qui tibi ſubuectabant rure virgas vlmeas.*

Et act. 3.

*Vbi ſæpè ad languorem tua duritia dederis octo*
*Validos lictores vlmeis affectos lentis virgis.*

Hæc de virgis vlmeis.

Virgas autẽ magiſtratuum ex betulla fuiſſe confectas, auctor eſt Plinius nat. hiſt. lib. 16. cap. 18. cùm ait: Gallica hæc arbor mirabili candore atque tenuitate, terribilis magiſtratuum virgis, eadem circulis flexilis, item corbium ſportis. Hæc Plin. Vbi non eſſet betulla, ſalix has ſuppeditabat. Vnde Prudentius hym. 10. in Romano, cùm puer torqueretur iuſſu Præſidis:

*Impacta quoties corpus attigerat ſalix,*
*Tenui rubebant ſanguine vda vimina.*

Habes & virgas ſanguineas, quibus parricida, antequam culleo inſueretur, verberandus erat. ſed de his vberiùs, cùm agemus de culleo. Arbores, ex quibus dictæ virgæ ſumebantur, ab illis dicebantur infelices. Plin. lib. 16. cap. 16. illas dicit arbores infelices ac religione damnatas, quæ neque ſeruntur vnquam, neque fructum ferunt. eadem lib. 24. cap. 9. Lex Porcia virgas ab omnium ciuium Romanorum corpore amouit Sic Cic. orat. pro Rabir. At longè antè Valerius Publicola legem tulerat de non verberando ciue Romano. Valer. lib. 4 cap. 1. de animi moderatione. Verùm de Porciæ & Valeriæ legum differentia agit Liuius lib. 10. decade 1. Hæc fuit iuſta querela Pauli Apoſtoli, cùm virgis cæſus iuſſu magiſtratuum Philippẽſium, Cæſos, inquit, nos publicè indemnatos homines Romanos, &c. Act. 16. Verberandus iterùm, excepit ſe Romanum ciuem eſſe, dicens: Si hominem Romanũ & indemnatum licet vobis

vobis flagellare? Act. cap. 22. Ioſephus de bello Iud. lib. 2. cap. 14. in fine, quaſi pro monſtro habuit, quòd Cæſtius Florus Iudæos Romana ciuitate donatos virgis cecideꝛit, atque patibulo affixerit.

g Vncinis ferreis.] Erant vnci ad torquendum parati. de his Prudentius in Periſteph. hym. 5. *Stridentibus laniatur vncis*, &c. Ammian. Marcel. lib. 7. Intendebantur equulei, vncoſque parabat carnifex. & lib. 26. Vnci & cruentæ quæſtiones, &c. Meminit & Arnobius de vncis tortorijs lib. 1. prope finem. Erat adhuc vncus non tantùm ad torquendum, ſed ad trahendum reum ad pœnas inſtrumentum. vnde Iuuen. ſatyr. 10. *Impactus Seianus ducitur vnco.* Cicero in prima Philippica: Vncus impactus eſt fugitiuo illi. Sueton. in Tiber. c. 54 Cùm ei carnifex quaſi ex Senatus auctoritate laqueos & vncos oſtẽtaret, &c. Sidon. Apollin. epiſt. 7. lib. 1. in fine: Vncum, inquit, & gemonias, & laqueum per horas turbulenti carnificis perhorteſcens, &c. Inſuper vnco trahebantur aliquãdo corpora damnatorum. Seneca lib. 3. de ira: Cadauera quoque vncus trahens. Et Lamprid. in Commodo Imp. acclamatum dicit in Commodum: Carnifex vnco trahatur, more maiorum, cadauer vnco trahatur. dictum pluries. Habes & de his exemplum in Actis ſancti Sebaſtiani, vbi in fine hæc leguntur: In cloaca, quæ eſt iuxta Circum, quære, & ibi inuenies corpus meum pendẽs in vnco. Hęc ſanctus Sebaſtianus de corpore ſuo, quod vnco protractum fuerat in cloacam Maximam. Sunt & de his complura alia exempla, quæ breuitatis cauſa referre omittimus.

h Baſſiani Epiſc.] De ſancto Baſſiano agitur in Concilio Aquileienſi celebrato ſub Gratiano Imperatore, cui vnà cum S. Ambroſio interfuit; quocum etiam collaborauit aduerſus Iouinianum nouum hæreſiarcham: ſubſcriptus enim reperitur epiſtolæ ſancti Ambroſij ad Siricium Papam aduerſus illius ac ſociorum portentoſas hæreſes, lib. 1. epiſt. 7. edit. Rom. Meminit eiuſdem Baſſiani ſanctus Ambroſius in epiſt. quinta ad Felicem lib. 8. epiſt. 60. edit. Rom. itemque Paulinus in vita ſancti Ambroſij. Habet eius res geſtas fuſiùs ſcriptas Mombrit. tom. 1. Petrus in catal. lib. 2. cap. 101. & alij.

## 20 Tertiodecimo Kal. Februarij. Luna. F xj.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |

| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |

ROMÆ Natalis ſancti Fabiani[a] Papæ, qui tempore Decij martyrium paſſus, in cœmeterio Calliſti ſepultus eſt. Ibidem ad Catacumbas[b] S. Sebaſtiani[c] martyris, qui Diocletiano Imperatore cùm haberet principatum primę cohortis, ſub titulo Chriſtianitatis[d] iuſſus eſt ligari in medio campo, & ſagittari à militibus, atque ad vltimum fuſtibus cædi, donec deficeret. Nicææ in Bithynia S. Neophyti[e] martyris, qui quintumdecimum annum ætatis agens, flagris cæſus, in fornacem immiſſus, feris obiectus, cùm permaneret illæſus, & Chriſti fidem conſtanter profiteretur, gladio tandem occiſus eſt. Cæſenæ S. Mauri[f] Epiſcopi, virtutibus & miraculis clari. In Palæſtina natalis ſancti Euthymij[g] abbatis, qui zelo Catholicæ diſciplinæ, & virtute miraculorum tempore Marciani Imperatoris in Eccleſiã floruit.

## IANVARII 20.

FABIANI Papæ[a].] Beda, ac ceteri antiquorum, necnon recentiorum, de eodem agunt hac die. De cuius ſucceſſione pręter librum de Rom. Pont. agit etiam Euſebius in chron. & hiſt. lib. 6. c. 22. Optat. Mileuit. lib. 2. contra Parmenian. Aug. ad Generoſum epiſt. 165. Niceph. Epiſc. in chron. & alij. Hunc ſub Decio martyrio vita functum conſtat ex epiſt. cleri Romani ad Cyprianum, quæ recẽſetur 31. inter Cypriani epiſtolas edit. Pamel. ac etiam ex S. Epiphanio in lib. de menſuris & pond. & S. Hieron. de ſcript. Eccleſ. in Origene. Cetera de ipſo præſtitimus in Annal. Eccleſ. Corpus autem eius translatum eſſe à Sergio Iuniori in titulum Equitij, docet vetus inſcriptio, quæ in eadem eccleſia aſſeruatur.

b Ad Catacumbas.] Loquendi obtinuit vſus, vt Catacumbæ pro Catatumbia dicerentur: ex Græca enim & Latina dictione, compoſitum eſt nomen κατὰ iuxta, & tumbas, vt ſic locus ille, qui

ad fores eſt cœmeterij Calliſti, diceretur, Catacumbę, hoc eſt, iuxta tumbas eiuſdem cœmeterij, vbi eſt vetus ac nobilis memoria S. Sebaſtiani martyris, quæ numeratur inter ſeptem Vrbis eccleſias, Innocẽtij Papę & Honorij Imp. temporibus illuſtrata, vt docet illic poſteà vetus inſcriptio marmori inciſa. In Actis S. Cornelij Papæ Catacumbę, non Catatumbę dictus reperitur ille locus: ſic & in rebus geſtis S Sebaſtiani, ſicut in compluribus veteribus Martyrologijs: at verò apud S. Gregorium in regiſt. lib. 3. epiſt. 30. ad Catatumbas ſcriptum reperitur. Non tamen errasse dixerim, qui Catacumbas legunt; nam κατακύμβη, eſt locus cauus atque profundus, qualia Romæ præſertim cœmeteria eſſe ſolebant in arenarijs profundis cryptis excauata.

c Sebaſtiani.] De eodem hac die ijdem qui ſuprà auctores, Græci autem de ipſo agunt 18. Decembris. Deſcripſit ex antiquioribus monumẽtis eius res geſtas Metaphraſtes, quas habet Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 1. Habemus Latina exemplaria in veteribus codicibus. De eo prætereà S. Ambroſ. in Pſal. 118. S. Aug. in die natali ſanctorum Fabiani & Sebaſtiani tractatum habuit, eſt 100. de diuerſis. In Breuiario Tolẽtano extat ſacer hymnus, quo Sebaſtiani ac ſociorum Acta canuntur. De ſacris eius reliquijs agit S. Gregorius in dial. lib. 1. c. 10. qui idem ſanctus Pontifex in eius eccleſia habuit homiliam trigeſimamſeptimam. Eſt ipſa (vt diximus) via Appia ad cœmeterium Calliſti, vna ex ſeptem eccleſijs, non tantùm Vrbi, ſed & orbi Chriſtiano notiſſima. Egregium etiã ſancti martyris monumẽtum, veneranda eius imago opere muſiuo expreſſa atque hactenus integra extat in titulo Eudoxiæ ad Vincula S. Petri, ſenili aſpectu & barba: quod pictores admoneat, qui eum iuuenem palo alligatum perperàm pingunt. Diuino monitu etiam altare ibidem ad luem propulſandam erectum eſt tẽporibus Papæ Agathonis; cuius rei veritati adſtipulatur etiam Paulus diac. hiſt. de geſtis Longob. lib. 6. c. 5. vnde etiam prouenisse videtur, vt poſteri fideles eumdẽ ſanctum ad euitandam imminentem peſtis cladem cõſueuerint habere patronum. De eiuſdem martyris reliquijs tranſlatis in Galliam ſcribit Ado Viennen. in chron. anno 815. Sigebertus item anno 825. in chron. & Marian. Scot. anno 828.

d Sub titulo Chriſtianitatis.] Qualis eſſe conſueuiſſet eiuſmodi titulus Chriſtianitatis, habes exemplum in epiſtola eccleſiæ Lugdunẽſis, quam recitat Euſebius hiſt. lib. 5. cap. 1. his verbis: Cùm vndique per amphitheatrum circumduceretur Attalus martyr, tabula, in qua Latinis litteris hæc erat inſcriptio, præcedente: Hic eſt Attalus Chriſtianus, &c. Hæc ibi. Sunt de his alia in alijs Actis martyrum exempla. Præcedere conſueuit eiuſmodi titulus, vt Suet. in Caio cap. 32. monſtrat his verbis: Manibus abſciſſis atque ante pectus à collo pendentibus, præcedente titulo, qui cauſam pœnę indicaret, per cœtus epulantium circumduceretur, &c.

e Neophyti martyris.] De eodem agunt etiam Græci hac die, in quorum Menologio eius paſſio deſcribitur, & ad tempora Diocletiani refertur.

f Mauri Epiſcopi.] Scripſit eius res geſtas Petrus Damian. Legimus eas in codice manuſcrip. Card. Sirleti. Accepimus à Cæſenate eccleſia Acta ſanctorum Mauri & Seueri eius ciuitatis Epiſcoporum. Antiqua eſt eccleſia Cęſenas, cuius Epiſcopus nomine Florianus (vt ſcribit Optatus Mileuit.) tempore Melchiadis Papę interfuit Romano Concilio celebrato in cauſa Cæciliani Epiſcopi Carthaginen. Alius dictus Florus præſens fuit Romanę Synodo habitę ſub Agathone Papa, vt eius Acta declarant, quę ſunt inſerta in Sexta Synodo. Hic autem, de quo agimus, Maurus Epiſcopus reperitur interfuiſſe Rom. Concilio à S. Martino Papa & martyre celebrato, tenuiſſeque in eo locum Archiepiſcopi Rauennatis, vt eiuſdem Synodi Acta ſignificant.

g Euthymij abb.] Hæc dies natalis eius, cùm ſanctus, agens nonageſimumnonum ætatis annũ, ſub Leone Magno, anno decimoſexto eius Imperij, migrauit in cęlum: eſt is annus à Chriſto, iuxta Faſtos Onuphrij, 472. Scripſit eius Acta fideliſſimè quidem Cyrillus monachus, eiuſdem ſæculi ſcriptor. habet ea Metaphraſtes recenſita hac die, Lipom. to. 5 & Sur. to. 1. De eodem idem auctor in vita S. Sabæ, vbi & de natali eius hac die celebrari ſolito. De eodem Niceph hiſt. lib. 14. c. 30. 34. & 52. Spectatiſſimi ſunt ſancti huius labores, quos pro SS. Synodo Chalcedonenſi aduerſus hæreticos Eutychianos impendit. Hæc de S. Euthymio. Tu verò caue ne in altero fallaris eiuſdem nominis monacho, qui clarus habitus eſt in Ægypto temporibus Arcadij Imp. ſed in veritate non ſtetit: nam Origeniſmum profeſſus, factus eſt ſcandalum & ruina multorum. Scribit de ipſo S. Hieronymus ad Cteſiphontem, & Theophilus in epiſt. ad Epiphanium 67. apud Hieron.

## x. G Duodecimo Kal. Februarij. Luna. 21

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | | | |

ROMÆ paſſio ſanctæ Agnetis [a] virginis, quæ ſub Præfecto Vrbis Symphronio ignibus iniecta, ſed ijs per orationem eius extinctis, gladio percuſſa eſt. De ea beatus Hieronymus hæc ſcribit: Omnium gentium litteris atque linguis præcipuè in eccleſijs Agnes vita laudata eſt, quę & ætatem vicit & tyrãnum,

&

Digitized by Google

& titulum caſtitatis martyrio cõſecrauit. Athenis natale S. Publij [b] Epiſcopi, qui poſt S. Dionyſium Areopagitam Athenienſium eccleſiam nobiliter rexit, & præclarus virtutibus, ac doctrina prꝗfulgens, ob Chriſti martyrium glorioſè coronatur. Tarraconæ in Hiſpania ſanctorum martyrum Fructuoſi [c] Epiſcopi, Augurij & Eulogij diaconorum, qui tempore Gallieni, primò in carcerem truſi, deinde flammis iniecti, exuſtis vinculis, manibus in modum crucis expanſis, orantes martyrium compleuerunt: in quorum die natali S. Auguſtinus ſermonem ad populum habuit. Trecis S. Patrocli [d] martyris, qui ſub Aureliano [e] Imperatore martyrij coronam promeruit. In Gallijs in monaſterio Augienſi S. Meinardi [f] eremitæ à latronibus cæſi. Papiæ ſancti Epiphanij [g] Epiſcopi & confeſſoris.

# IANVARII 21.

AGNETIS [a]. ] De eadem hac die ceteri Latinorum agunt. Locus S. Hieronymi, qui hîc citatur, eſt in epiſt. 8. ad Demetriadem, iunctis ſimul quæ circa principium & in fine einſdem habentur epiſtolæ. Frequenter de ea S. Ambroſius, qui de eadem ſermonem habens, eumdem fuſiùs productum in tres libros digeſſit ſub titulo de Virginibus; de ea rurſus lib. 1. offic. c. 41. Fertur & epiſt. ad Virgines S. Ambroſij nomine lib. 4. epiſt. 34. editionis Romanæ, de cuius fide alibi pluribus egimus. Sanctus Auguſtinus de ea etiam ſer. 101. de diuerſ. vbi hæc de eius nomine: Virgo (inquit) quæ vocabatur erat: Agnes Latinè agnam ſignificat, Græcè caſtam. Prudentius ſacro hymno cecinit eius triumphum. S. Damaſus de ꝗadem & baſilica ipſius duo ſcripſit epigrammata, quæ habentur in collectaneis Chriſtianorum poëtarum. Habuit S. Gregorius Papa in eadem eccleſia homiliam 11. & 12. Meminit eiuſdem Fortunatus in vita S. Martini ex Seuero. De reliquijs eius tranſlatis Conſtantinopolim ſub Pulcheria Auguſta temporibus Marciani Imp. ſcribit Theodorus lector lib. 2. collect. & Niceph. lib. 14. c. 10. De tempore autem paſſionis eius etſi nullibi inueniatur expreſſum; ex his tamen, quæ in prædicta epiſt. 3. ſcripta habentur, ſatis apparet ipſam in vltima Eccleſiæ perſecutione fuiſſe martyrio coronatam: nam adhuc ſuperſtites aliquos auctor fuiſſe teſtatur, qui ea quæ de Agnete narrantur, oculis vidiſſent, eademque Conſtantiꝗ filiꝗ Conſtãtini retuliſſent. Extat non tantùm eius inſignis baſilica via Nomentana: ſed & ille locus, vbi eſt producta, vt eius virginitas violaretur, ſacroſanctus habetur, fornices ipſi nimirum Circi Agonalis. Sat conſtat auctoritate S. Hieron. in Iſa. c. 2. (vt prætermittam Gentilium poëtarum teſtimonia) in fornicibus ſpectaculorum manere conſueniſſe publica ſcorta, & alias publicæ libidinis illecebras, donec (inquit) ſub Conſtantino Imp. Chriſti Euangelio coruſcante, & infidelitas vniuerſarum gentium, & turpitudo deleta eſt. Hæc Hieron. Loquens de his turpiſſimis locis Cyprianus lib. de Spectacul. hæc ait: Si rurſum perrogem, quo ad illud ſpectaculum itinere perueneri; confitebitur, per lupanarium, per proſtitutarum nuda corpora, per publicam libidinem, per dedecus publicum, per vulgarem laſciuiam, per communem omnium contumeliam. Hꝗc Cyprianus, & alia plura de fornicibus theatrorum. Et in eam ſententiam Vibius apud Senecam in controuer. 2. lib. 2. Redoles (inquit) adhuc fuliginem fornicis. Ex eadem controuerſia, quàm infelix & miſeranda eſſet conditio virginis à lenone proſtitutæ, pluribus demonſtratur. Miſera includebatur cellula, in cuius fronte titulus ſuperpoſitus nomen virginis proſtitutæ & pretium conſtitutum indicabat; moxque fiebat concurſus libidinoſorum ad meretricem nouam. Hæc omnia habes apud Senec. in citato nuper loco lib. 2. cõtr. 2. Ex his omnibus diſce virtutem Chriſti, qui in tali diſcrimine poſitas virgines nouit ſæpiſſimè liberare. teſtantur hæc ipſa Acta martyrum, adſtipulaturque S. Baſilius, dum ait: Cùm ferueret perſecutionis immanitas, electꝗ virgines propter ſponſi fidem, ad illudendum impijs hominibus traditæ, corporibus inuiolatæ durarunt; eo ſcilicet, cuius gratia id perferebant, impiorum conatus in earum carne irritos arguente, & integra earum corpora non ſine prodigio & virtute cuſtodiente, &c. Hæc Baſilius lib. de vera virgin.

[b] Publij Epiſcopi. ] De ipſo hac eadem die Vſuardus, & Ado. Scribit Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus Publium hunc ſucceſſiſſe Dionyſio Areopagitæ in eccleſia Athenienſi, Publio autem ſuffectum eſſe Quadratum, apud Euſeb. hiſt. lib. 4. c. 22. & Hieron. de ſcript. Eccleſ. in Quadrato. Fuit aliquorum ſententia, hunc illum eſſe Publium, cuius patrem Melitæ Paulus (vt habent Act. Apoſt. c. 28.) curauit dyſenteria, quod etiam hîc Ado profitetur in Martyrologio.

[c] Fructuoſi Epiſc. & ſoc. ] Beda, Vſuardus, Ado, & alij de eodem hac die, qua etiam antiquitus agi conſueuiſſe demonſtrat S. Auguſt. ſer. 101. de diuerſ. edit. Louan. Scripſit eius & ſociorum res geſtas Prudentius hymno 4. Periſteph. Alia prætereà habentur eorum Acta ſoluta oratione conſcripta apud Sur. tom. 1. & Mombrit. tom. 1.

[d] Patrocli. ] De eodem Beda, ac ceteri. Eius Acta ſincera quidem recitat Sur. tom. 1. De ipſo

etiam Greg. Turon. lib. de gloria mart. c. 64. edit. Morel. Idem addit, huius Acta martyris ex Italia petita, collata fuiſſe cum his quæ in Gallijs apud clericum quemdam habebantur, eademque fidelia eſſe inuenta. Clarus etiam in Gallijs habitus eſt Patroclus alius, qui temporibus Childeberti Regis Francorum emicuit ſanctitate, de quo idem Gregor. de geſt. Franc. lib. 5. cap. 10.

[e] Sub Aureliano Imp.] Nona ordine ponitur hæc perſecutio ab Oroſio lib. 7. c. 23. & Auguſt. de ciuit. Dei lib. 18. cap. 52. à Seuero autem octaua numeratur. Aurelianus itaque cùm aliquandiu in pace agere Eccleſiam permiſiſſet, immò de eadem eſſet optimè meritus (nam aduerſus execrandum Paulum Samoſatenſem hæreſiarcham Antiochiæ damnatum, ſecundùm ſancita Patrum reſcripſit, vt tradit Euſebius hiſt. lib. 7. cap. 23. & 24.) tandem velut quodam inſano furore correptus, vltimo ſui Imperij anno, ſæuiſſimam in Chriſtianos perſecutionem concitauit. Legitur adhuc eius edictum in Chriſtianos promulgatum in Actis S. Symphoriani martyris. De eadem perſecutione idem Euſebius in chron. huncque licet dicat terrore vindictæ ab inſtituto reuocatum, cùm ſcribens edictum, eius brachium debilitaretur: tamen eumdem in ſentẽtia perſtitiſſe adhuc, nec fulmine cęlitus immiſſo reſiliuiſſe, ac tandem in itinere occiſum eſſe, tradit Oroſius lib. 7. c. 23. Quàm autem ſæua, licet breuis fuerit, hæc perſecutio, ex immanibus crudelibuſque ſupplicijs, quibus in ſuos milites Gentiles homines animaduertit, coniectare licet. Nam Flauius Vopiſcus in eius vita ſcribit, militem quemdam ob violata iura hoſpitij, duobus duris arborum ramis deorſum inflexis, manibus pedibuſque ligatum, relaxato mox illorum naturalis roboris impetu, ſcidiſſe medium. Si hæc in ſuos de Republica aliàs optimè meritos pœnarum genera commentus eſt; quid in Chriſtianos, quos deorum hoſtes & Imperij perduelles exiſtimabat, feciſſe putandum? Sed de his fuſiùs in Annal. Eccleſ.

[f] Meinardi.] Habentur eius Acta apud Surium tom. 1. Meginradum hunc appellat Sigebert. in chron. eumque martyrio vita functum teſtatur. Necatus eſt ſub Ludouico Quarto Imp. anno à Chriſto Domino 860. licet Sigebertus opinetur id contigiſſe anno 856. De eodem Trithem. de vir. illuſtr. ord. S. Bened. lib. 3. cap. 209.

[g] Epiphanij Epiſc.] Hac item die tabulæ Ticinenſes. Scripſit eius res geſtas Ennodius eiuſdem ciuitatis Epiſcopus, ſucceſſor ipſius: habet eas Sur. tom. 1. ſed non integras; prolixiores enim legi in bibliotheca Vatic. in cod. manuſcrip. Eiuſdem Ennodij etiam extat ibidem ſermo dictus in die natali ipſius, carmen inſuper de eodem. Claruit temporibus Anthemij & ſucceſſorum Impp. atque Odoacris Regis Italiæ. Claruit ijſdem temporibus alter Epiphanius, cognomento Scholaſticus, Caſſiodoro perfamiliaris, quem eruditiſſimum ſæpè nominat; à quo pariter complures Græcorum Patrum commentarios in Latinum eſſe tranſlatos affirmat lib. 1. Inſt. diuinar. lect. ſæpiùs, & in præfatione ad hiſt. tripartitam. De eodem Sigebertus de vir. illuſtr. cap. 12. Complura quæ huius ſunt, S. Epiphanio Epiſcopo Conſtantiæ in Cypro eſſe adſcripta reperi.

## ix. A Vndecimo Kal. Februarij. Luna. 22

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | | | |

VALENTIÆ in Hiſpania Tarraconenſi S.[a] Vincentij Leuitę & martyris, qui ſub Daciano impijſſimo Præſide carceres, famem, equuleum [b], diſtorſiones membrorum, laminas candentes, cratem ferream ignitam, aliaque tormentorum genera perpeſſus, ad martyrij præmium euolauit in cælum: cuius paſſionis nobilem triumphum Prudentius luculenter verſibus exequitur, & beatus Auguſtinus, ac ſanctus Leo Papa ſummis laudibus commendant. Romæ ad Aquas Saluias S. Anaſtaſij [c] Perſæ monachi, qui poſt plurima tormenta carceris, verberum, & vinculorum, quæ in Cæſarea Palæſtinæ perpeſſus fuerat, à Coſrhoe [d] Perſarum Rege multis pœnis affectus, ad vltimum decollatus eſt, cùm priùs ſeptuaginta ſocios in fluenta demerſos ad martyrium præmiſiſſet. eius caput Romam delatum eſt, vnà cum veneranda eius imagine, cuius aſpectu fugari dæmones, morboſque curari, Acta ſecundi Concilij Nicæni teſtantur. Ebreduni in Gallia ſanctorum martyrum Vincentij [e], Orontij, & Victoris, qui

qui in perſecutione Diocletiani martyrio coronati ſunt. Nouariæ ſancti Gaudentij [f] Epiſcopi & confeſſoris. Soræ ſancti Dominici [g] abbatis, miraculis clari.

# IANVARII 22.

VINCENTII [a].] De eodem hac item die cetera Latinorum Martyrologia. Putatur mendum eſſe in codice, dum Greg. Turon. de glor. mart. cap 90. air celebrati ſolitam ſolemnitatem S. Vincentij duodecimo Kalend. vndecimi menſis, vt textus ſit reſtituendus xj. Kal. vt hîc habetur. Huius Acta non tantùm Latinis, ſed & Græcis ob ſuam excellentiam ſunt facta conſpicua. A Latinis ea mutuatus deſcripſit Metaphraſtes, quæ Latinitati iterùm reſtituta habet Sur. tom. 1. Ipſa autem originaliter Latina legimus in vet. manuſcrip. quæ publico vſui erant quibuſdam eccleſijs, & inter alia in codice S. Mariæ ad Martyres: Prudentius eadem ſacro hymno complexus eſt in Periſteph. hym. 5. meminitque eiuſdem, cùm agit de martyribus Cæſarauguſtanis hym. 4. Habuit S. Auguſtinus in natali die ipſius (vt auctor eſt Poſſidius in Indiculo) tractatus quatuor, quorum duo habentur inter ſerm. de Sanctis 12. & 13. ceteri duo ſuperadditi à Pariſienſibus ſer. 8. & 9. Rurſus autem in eiuſdem natali habuit prolixum illum tractatum de Iacob & Eſau, vt apparet in fine ipſius: eſt de diuerſ. ſerm. 44. Alium adhuc exhibuit editio Louan. habitum in baſilica Reſtitutę, ſerm. de diuerſ. 102. extat de eodem ſermo S. Leonis Papæ. Meminit eiuſdem martyris Fortunatus lib. 7. ad Bod. ducem. ſcripſit idem epigramma de eius baſilica lib. 1. S. Bernar. de ipſo ſerm. patu. 66. De tunica ſancti martyris tranſlata & miraculis illuſtrata agit Gregor. Turon hiſt. de geſt. Franc. lib. 3. cap. 29. Ado Vien. in chron. anno 527. & Sigebert. an. 542. Alia de eiuſdem Vincentij miraculis agit idem auctor Gregor. de gloria mart. cap. 89. & 90. De eiuſdem martyris capite in eccleſia Cenomanenſi collocato à S. Domnolo Epiſcopo, eiuſdem Acta ſignificant, quæ habes apud Sur. die 16. Maij tom. 3. Fuerunt alij eiuſdem nominis illuſtres martyres in Hiſpania, de quibus ſuis locis inferiùs.

[b] Equuleum.] Fuiſſe equuleum tortorium lignum, omnes conſentiunt: eumdemque fuiſſe cochleatum ad extendendum & remittendum compoſitum, ijdem ex Nonio affirmant, cùm hęc dicat ille:

*Et vbi inſilui in cochleatum equuleum,*
*Ibi tolutim tortor*, id eſt, volubiliter torqueor.

Iſidorus lib. 5. orig. equuleum ab extendendo dictum putat. Cyprian. lib. de lapſis: Nunc equuleus extenderet. Cùm etenim equuleus intenderetur, corpora ſimul extendi neceſſe erat. vnde Ammianus Marc. lib. 14. Intendebantur equulei. Et Hier. epiſt. 49. ad Innoc. Cùm equuleus (inquit) corpus extenderet. Sigonius, etſi vir ſanè eruditus ſit, tamen cùm de equuleo egit, tam de eo, quàm de fidiculis, rem parum feliciter videtur aſſecutus lib. 3. de Iudicijs cap. 18. Confundit enim non tantùm equuleum cum caraſta, de qua plura nos 16. Martij, ſed etiam cum genere illo compedum, quo rei in carcere poſiti, iniectis ad quartum vel quintum foramen pedibus, ad ingem cruciatum ſic vincti detinerentur. Id habes ex epiſtola eccleſiæ Lugdunenſis apud Euſeb. lib. 5. cap. 1. quod genus torquendi Rufinus lib. 5. cap. 2. non impropriè, loco compedum, dixit neruum; Chriſtophorſonus autem propriùs craſſam compedem appellauit. De eodem genere compedum, quibus martyres in carcere poſiti diſtinebantur, eleganter Prudentius Periſteph. hym. 4. de S. Vincentio ait:

*In hoc barathrum conijcit*
*Truculentus hoſtis martyrem,*
*Lignoq; plantas inſerit*
*Diuaricatis cruribus.*

De ijſdem compedibus Euſeb. lib. 6. cap. 32. cùm agit de Origene: Multis, inquit, diebus pedes in compedes ligneos intruſi, diſtractione quadam ad quartum foramen diſtenti fuerunt. Et lib. 8. cap. 11. Poſt verbera in compedibus ligneis poſiti erant, & pedes alter ab altero ad quartum foramen diſtenti diſtrictique adeò, vt neceſſariò ſupini iacerent, nec poſſent propter plagarum vulnera recèns toto corpori inflicta, ſe vllo modo commouere. Et inferiùs cap. 14. de Apphiano martyre: In carcerem concluditur, in quo vnum diem noctemque vtroque pede compedibus ad cruciatum paratis, longè à ſe mutuo diſtento diuexatus, &c. Agit de ijſdem cõpedibus Metaphraſtes In Trophymo martyre. Ex his omnibus compedes ab equuleo eſſe longè diuerſos, qui non in carcere reum, nec eius tantùm diſtendebat pedes, ſed totum corpus ad foſſionem vngularum, quiſque poteſt facilè intelligere; cùm idem Euſebius diuersè admodum à compedibus deſcribat equuleum lib. 8. cap. 11. cùm ait: Quidam enim primùm manibus à tergo religatis, ligno appenſi, & machinis quibuſdam membra eorum vniuerſa diſtenta, diſtractaque, &c. Hæc de equuleo eſſe intelligenda, ea quæ S. Hieronymus epiſt. 49. ad Innocentium ſcribit, planè indicant, cùm ait: Cùm equuleus corpus extenderet, & ſordidas fœtore carceris manus poſt tergum vincula cohiberent, &c. Prudentius item ſic:

*Vinctum retortis brachijs*
*Surſum ac deorſum extendite,*
*Compago donec oſſium*
*Diuulſa membratim crepet.* Idem in Romano martyre hymno 10.

*Miſerum putatis, quòd retortis pendeo*
*Extentus vlnis, quòd reuelluntur pedes,*
*Compago neruis quòd ſonat crepantibus.*

Sunt hæc Romani martyris verba pendentis in equuleo. Quàm autem erret Sigonius dicto loco, cùm putet corpus in equuleo alligari fidiculis, idemque eſſe torquere fidiculis, quod equuleo diſtendi, dicemus paulo inferiùs.

Quænam eſſet equulei forma, haud facilè deſcribi poſſe videtur: & cùm multi in his laborauerint, neminem adhuc eam aſſecutũ fuiſſe cognoui; at nec ego id mihi arrogo. Deſcribam hic

tãtùm quæ ex veteribus accepi, ceteris rem ipſam exactiùs examinandam relinquens. Stipitem quemdam in equuleo fuiſſe, tradit S. Hieronymus dicta epiſt. 49. cùm ait: Crines ligantur ad ſtipitem, & toto corpore ad equuleum fortiùs alligato, vicinus pedibus ignis apponitur, vtrumque latus carnifex fodit, &c. Ex eodem ſtipite totam illam machinam Prudentius in Romano hym. 10. appellat noxialem ſtipitem, cùm ait:

*Iubet amoueri noxialem ſtipitem,*
*Plebeia clarum pœna ne damnet virum.*

Si adhuc fidem integram præſtas Actis S. Dorotheæ virginis & martyris, quæ extãt apud Surium tom. 1. die 6. Februarij, habes ex illis equuleum formam quodammodò expreſſiſſe crucis. ſunt ibi hæc verba Theophili pendentis in equuleo: Ecce modò Chriſtianus ſum, quia in cruce ſuſpenſus ſum: equuleus enim crucis quamdam ſimilitudinem gerit. Hæc ibi. Secundùm autem prædicta haud difficile eſſet deſcribere formam equulei, nimirum erectum ſtipitem validum & cochleatum, qui tranſuerſum habeat lignum, quod inteudatur ac remittatur, ad quod ligata membra diſtendantur tortoris arbitrio. Sed ab hac equulei imagine, vel alia huic perſimili cogit me diſſentire Ammianus Marcellinus, cùm hominem non rectum in equuleo extenſum docet, ſed curuum: ſic enim ait lib. 16. prope finem: Innocentes tortoribus expoſuit multos, aut ſub equuleo cœpit incuruos, &c. Clariùs autem lib. 18. his verbis: Quamquam incuruus ſub equuleo ſtaret, pertinaci negabat inſtantia. Hæc Ammian. quibus quidem alia à prædictis planè diuerſa equulei forma præſcribitur, qua quidem & vocis etymologiam poſſumus intelligere, vt equuleus ab equulo, quòd homo ad eum alligatus atque diſtenſus & accuruus quodammodò equuli formam præſeferret, ſit dictus. Verùm aduertas, ſic curuum ſub equuleo diſtẽdi hominem, vt tamen cælum verſus facies conuerſa eſſet, liberumque illi fuiſſe ſurſum oculos tollere, ac cælum aſpicere. Hæc habes ex S. Hieronymo dicta epiſt. 49. Ex his itaque omnibus quæ diximus, tibi formam equulei, vt lubet, effingito. De fidiculis iam agamus. Increbuit hactenus complurium error, vt fidiculas à fidibus deriuatas putarent, nihilque aliud eſſe fidiculas, quàm vincula neruea, quibus ad equuleum manus pedeſque hominis ligarentur; ſicque torquere fidiculis reum, idem eſſe quod ligatum in equuleo fidiculis hominem intendendo, oſſium commiſſuras cum immenſo dolore diſtrahere. Senſit hæc Sigonius lib. 3. de Iudic. c. 18. Sic etiam errauit in his & Valla lib. 1. dum ait, fidiculas eſſe inſtrumentum ex duobus obliquatis lignis compactum, ita dictum vel ab extorquenda fide, vel à nerueis funibus, quibus torquendi alligantur. Omittimus alias hîc referre complurium Iureconſultorum de fidiculis à veritate prorſus remotas ſententias. Miratus ſum vehementer, cùm ſanctus Iſidorus lib. 5. origin. exactè monſtrarit quid ſint fidiculæ, eruditos viros, eo prætermiſſo, in perquirendo de illis adeò laboraſſe, ac à rei veritate tantopere aberraſſe. Fidiculas enim idem eſſe quod vngulas, teſtatur, cùm ait: Vngulæ dictæ, quòd effodiant: hæ & fidiculæ, quia iis rei in equuleo torquentur, vt fides inueniatur. Hæc Iſidorus. Cùm itaque fidiculis æquè ac vngulis finderentur latera hominis in equuleo diſtenſi, eaſdem vngulas ea de cauſa dictas eſſe puto fidiculas, quòd reorum latera finderent, ſicque à findendo dictas fidiculas eſſe, quaſi findiculas: vel à fodicando, quòd illis latera reorum fodicarentur; dictaſque eſſe fidiculas, quaſi fodiculas. fodicare latera fidiculis, vſurpatum apparet ab Ammiano, vt dicemus paulò inferiùs. His in primis adſtipulatur Prudentius hym. 10. Periſteph. in Romano, cùm quas vocat fidiculas, eaſdem vngulas dicat. Sunt hæc verba Aſclepiadis iudicis:

*——— Vertat illum carnifex*
*In os loquentis, inq́; maxillas manum,*
*Sulcoſq́; acutos & fidiculas transferat:*
*Verboſitatis ipſe rumpatur locus.*

Et paulò pòſt, per fidiculas Aſclepiadem intellexiſſe vngulas, quæ mox auctor ſubdit, declarant his verſibus:

*Implet iubentis dicta lictor improbus,*
*Charaxat ambas, vngulis ſcribentibus,*
*Genas, cruentis & ſecat faciem notis.*
*Hirſuta barbis ſoluitur carptim cutis,*
*Et mentum adusque vultus omnis ſcinditur.*

Hęc Prudentius. Eodem ſenſu fidiculæ accipiuntur L. Decuriones. C. de quæſt. nam fidiculis torqueri Imperator appellat cruentam conditionem. Sic apud Ammianum lib. 29. qui hæc genera cruciamentorum recenſens, ait: Intercluduntur equulei, expediuntur pondera plumbea, cum fidiculis & verberibus. Cumque paulò inferiùs reorum maieſtatis latera dictis tormentis fodicata dicat, fidiculis id factum apparet. In hac eadem ſentẽtia fidiculas accipere tam apud Senec. lib. 3. de ira, quàm apud Valer. de patiẽtia lib. 3. c. 3. 4. 5. vel alios, nihil vetat. Tantùm apud Suetonium in Tiberio aliud genus cruciamenti inuenies dictas eſſe fidiculas, dum ait: Excogitauerat inter genera cruciatus etiam, vt larga meri potione per fallaciam oneratos, repentè veretris deligatis, fidicularum ſimul vrinæque tormento diſtenderet. Hæc Suetonius. Sed remotiſſimum eſt eiuſmodi genus tormenti ab eo quod in Actis SS. martyrum, aliiſque citatis locis per fidiculas teſtatum apparet. Inuenies frequenter equuleo iunctas eſſe fidiculas, vel vngulas; ea nimirum ex cauſa, quòd extento corpore in equuleo, fidiculis vel vngulis à tortoribus membra ſulcarẽtur, quibus aliquando ſuccederet ignis tormentum. Hæc cùm habeas in nonnullis Actis ſanctorum martyrum, ſanctus Cyprianus demõſtrat, dum ait lib. de lapſis: Nũc equuleus extenderet, nunc vngula effoderet, nunc flamma torreret. Et Auguſt. epiſt. 59. ad Marcellin. Non extendente equuleo, non ſulcantibus vngulis, non vrentibus flammis, &c. Eadem Hieronymus epiſt. 49. Prudentius ſæpè, & alij. Ante hos omnes Seneca lib. 3. controuerſ. 14 pluribus.

[c] Anaſtaſij Perſæ.] De eodem hac die ceteri Latinorum, Græci autem decimaquinta huius. Metaphraſtes eius ac ſociorum Acta deſcripſit: habet ea Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 1. Habemus in noſtra bibliotheca eiuſdem res geſtas à Gregorio quodam clerico è Græcis Latinè redditas, quibus pręmittitur præfatio, cuius eſt exordium: Vnigenitus Filius, &c. fortaſſe illa, quam malè tranſlatam Beda (vt ipſe ait) emendauit. Habetur illic inſuper poſt eadem Acta elegans hiſtoria de arreptitia puella virtute martyris liberata Romæ in eccleſia S. Mariæ ad Aquas Saluias: eo nomine

olim

Digitized by Google

olim ex ecclesia dicebatur, quæ poſteà ob illata illuc ſanctorum pignora Vincentij & Anaſtaſij, illorum nomine dicta eſt. Habet eadem historia miram conſenſionem cum his quæ Legati Apoſtolici Hadriani Papę in Concilio Nicęno ſecundo actione 4. teſtati ſunt de capite eiuſdem martyris vnà cum eius vultus imagine Romam tranſlato. Aſſeruatur eadem hactenus religiosè in eadem eccleſia, licet ſacræ imagini ab aliquo rei ignaro ſit inſcriptum nomen Pauli Apoſtoli, qui eodem in loco capite truncatus eſt. De paſſione ſancti Anaſtaſij eiuſque reliquijs Romam tranſlatis agit Beda de ſex ætat. ſub Heraclio Imp. Ado Viennen. in chron. anno 604. Sigebet. anno 620. Marian. Scot. martyrium refert anno 617. & tranſlationem in vrbem anno 626. reponit. Porrò conſtat S. Anaſtaſium conſummaſſe martyrium (vt eius Acta teſtantur) anno 17. Heraclij Imp. eſt is annus à Chriſto Domino 627. Quòd autem alij laqueo, alij verò gladio vitam finiſſe dicant: placent quæ in Græcorum Menologio de ea re ſcripta ſunt his verbis: Ipſius collo ita laqueo aſtricto, vt reſpirandi facultatem non haberet, poſtremò ſecuri percutitur, capite pro Chriſti fide abſciſſo. Hæc Græc. Menol. die 15. Ianuarij.

[d] Coſrhoe Perſarum Rege.] Ne de Coſthoe ambiguitas oriatur: noſſe debemus duos eiuſdem nominis fuiſſe Reges Perſarum; quorum ſenior regnauit temporibus Iuſtiniani Imp. & Iuſtini Iunioris, perueniтque vſque ad Tiberium, ac vita functus eſt anno Domini 579. vt ex Agath. colligitur lib. 4. pag. 538 regnauitque annos 48. Huic autẽ Coſrhoi ſucceſſit Hormiſda eius filius; quo extincto, ipſius filius nomine Coſrhoes regnum capeſſit, vt ait Niceph. hiſt. lib. 18. cap. 18. 21. & 22. Porrò Coſrhoes, de quo agimus, eſt ille iunior ſenioris nepos.

[e] Vincentij, Orontij, & ſoc.] De his etiam Beda, Vſuardus, Ado, & alij, pluribus autem Petrus in catal. lib. 2. c. 112.

[f] Gaudentij.] Nouatienſes hac item die celebrant natalem ipſius, tranſlationem autem iterùm factam, menſe Auguſti, & Octobris, vt conſtat ex tabulis eiuſdem eccleſiæ. Acta eius, tempore Leonis Epiſcopi ſucceſſoris, qui ſedit temporibus Pauli Papæ (vt teſtantur eiuſdem eccleſiæ tabulæ) conſcripta habet Mombrit. tom. 1. Claruit temporibus Theodoſij ſenioris & filiorum Impp. optimè notus Ambroſio, vt ex ijſdem Actis accipitur.

[g] Dominici abbatis.] De eo hæc Leo Cardinalis Oſtienſis in chron. Caſſin. lib. 2. c. 62. Hoc anno 1031. beatus Dominicus innumerabilium patrator miraculorum, multorumque cœnobiorum fundator apud Soram Campaniæ ciuitatem iam ferè octogenarius migrauit ad Dominum, ſepultuſque eſt in monaſterio Soræ vicino, quod nunc eiuſdem vocatur ex nomine. Hactenus Leo. Huius ſancti vitam ſcripſiſſe Albericum diaconum monachum eiuſdem ordinis, teſtatur idem Leo Oſtienſis in chron. lib. 3. cap. 33. qui eiuſdem etiam meminit eodem lib. 3. c. 18 & 38. & alibi. In Vaticana bibliotheca, in codice qui inſcribitur, Liber cenſuum, tam de eodem cœnobio, quàm de immunitate Sorani Epiſcopi, vt Romano tantùm Pontifici ſubditus ſit, habetur narratio.

## 23 Decimo Kal. Februarij. Luna. B viij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |

ROMÆ ſanctæ Emerentianæ[a] virginis & martyris, quæ adhuc catechumena, dum oraret ad ſepulchrum ſanctæ Agnetis, cuius fuerat collactanea, à Gentilibus lapidata eſt. Philippis in Macedonia ſancti Parmenæ[b], qui fuit vnus de ſeptem primis diaconis. Hic traditus gratiæ Dei, iniunctum ſibi à fratribus officium prædicationis plena fide conſummans, ſub Traiano[c] martyrij gloriam eſt adeptus. Cæſareæ in Mauritania ſanctorum martyrum Seueriani[d] & Aquilæ vxoris eius ignibus combuſtorum. Apud Antinoum Ægypti vrbem ſancti Aſclæ[e] martyris, qui poſt diuerſa tormenta pretioſam Deo animam, in flumen præcipitatus, reddidit. Ancyræ in Galatia S. Clementis[f] Epiſcopi, qui ſæpiùs cruciatus, tandem ſub Diocletiano martyrium conſummauit. Ibidem ſancti Agathangeli[g], qui eodem die ſub Lucio Præſide paſſus eſt. Alexandriæ S. Ioannis[h] Eleemoſynarij, eiuſdem vrbis Epiſcopi, miſericordia in

pauperes celeberrimi. Toleti ſancti Ildefonſi[i] Epiſcopi, qui ob ſingularem vitæ integritatem, ſuſceptamque defenſionem aduerſus hæreticos Dei genitricis virginitatem impugnantes, ab eadem candidiſſima veſte donatus eſt, ac demum ſanctitate celebris in cælum vocatus. In prouincia Valeriæ[k] ſancti Martyrij[l] monachi, cuius meminit B. Gregorius Papa.

## IANVARII 23.

EMERENTIANÆ[a].] De ipſa hac eadem die Beda, Vſuard. Ado, & alij. Acta paſſionis eius narrantur apud Ambroſium libro 4. epiſtola 34. edit. Romanæ.

[b] Parmenæ.] De quo Act. Apoſt. cap. 6. Beda ac ceteri Latinorum de eodem hac die, Græci autem vndecima Martij, ac iterùm tertia Maij, vt apparet ex eorum Menologio.

[c] Sub Traiano.] Perſecutio ſub Traiano tertia recenſetur ab Auguſtino de ciuit. Dei lib. 18. cap. 52. Oroſ. lib. 7. cap. 12. & Seuer. lib. 2. Quæ quidem non ex edictis Traiani ſumpſit exordium, ſed (vt ſcribit Euſeb. hiſt. lib. 3. cap. 26.) ſigillatim in vnaquaque ciuitate ſub eius Imperio ex ſeditione populi excitata eſt: cui tamen ex eiuſdem Imperatoris edictis magnum acceſſit additamentum: ſed poſteà litteris Plinij iunioris illo perſuaſo, ſic temperata eſt, vt prohiberet inquiri Chriſtianos, delatos tamen puniri, vt Tertullianus ſcribit in apologet. Poſſet fortaſſe alicui dubitationem facere, quid eſt quòd laudatiſſimus principum, idemque æquiſſimus (ſic etenim Gentilium omnium teſtimonio habetur) in Chriſtianos tantùm ſe iniquiſſimum atque ſæuiſſimum exhibuerit? Ad hoc primùm dicimus (quod quidem Patres in apologijs ſunt proſecuti) complures hæreticos, ac præcipuè Gnoſticos nomine Chriſtiano cenſitos, turpibus execrandiſque facinoribus impollutæ Chriſtianæ religioni ignominiam irrogaſſe, ſuiſque impuriſſimis obſcœnitatibus effeciſſe, vt genus, fides, nomen ipſum denique Chriſtianum blaſphemaretur inter Gentes: adeò vt (ſecundùm Domini futura prædicentis ſententiam) obſequium ſe Deo præſtare exiſtimarent, ſi Chriſtianos, vt nequiſſimum genus hominum, internecioni traderent, inuidioſumque nomen prorſus abolerent. Erant & aliæ mentitę vel ſimulatę cauſæ, quas in Annalibus ſigillatim recenſuimus, quibus principes perſuaſi, illi ipſi qui apud Gentiles habiti ſunt æquiores, ijdem ſæuiores in Chriſtianos ſe exhiberent, illis in hoc non diſſimiles, qui etiam Gentilium iudicio peſſimi fuerunt, vt Nero, Domitianus, & alij. Sed quod in primis Traiani animum in eoſdem vehementiſſimè incendit, illud fuit, quod ex litteris Plinij Secundi, quæ habentur lib. 10. epiſt. 103. accepit, nimirum Chriſtianum genus adeò innaluiſſe, ſicque illorum numerum auctum, vt idolorum templa deſerta deſolataque remanerent; & nedum in ciuitatibus, ſed & in vicis & agris ſacra deorum eſſent intermiſſa, & (vt ait) rariſſimus victimarum emptor inueniretur. Quibus ille acceptis, vt collabenti idolorum cultui conſuleret, ac dijs, quibus Imperium acceptum ferebat, rependeret gratias, Chriſtianos vt impios, deorumque contemptores è medio tollendos edixit; & quo magis erga deos pius, & reipublicæ ſtudioſus, eo ampliùs in Chriſtianos ſeuerus videri cupiebat. Sed explorata demum per eumdem Præſidem illorum innocentia, non vltrà inquirendos, ſed oblatos tantùm puniendos eſſe reſcripſit: de cuius adeò iniqua ſententia inquit Tertullianus in apologetico: O ſententiam neceſſitate confuſam! negat inquirendos, vt innocentes: mandat puniri, vt nocentes: parcit, & ſæuit; diſſimulat, & animaduertit, &c. Sed quonam pacto alij prædicant Traianum æquiſſimú & optimum omnium principem, qui erga ſe ipſum impuriſſimus, ac ob eam cauſam etiam iniquiſſimus fuit? id quidem ijdem ſcriptores Ethnici, qui cum laudibus tollunt, ſcriptis teſtatum reddunt; adeò vt ex eorum cenſura, non tantùm ex optimorum albo eum expungendum eſſe, ſed nec boni viri laudem mereri, immò inter turpes eſſe adnumerandum, quiſque ęquo iure cenſeret. Dio etenim & Spartianus grauiſſimi ſcriptores, quod verum eſt non diſſimulantes, eumdem adeò impurum fuiſſe narrant, vt etiam in ſenectute in maſculos inſaniſſe teſtentur. Iam ergo tam abductum in præceps hominem, datum in reprobum ſenſum, in ignominiam paſſionum, quis miretur Chriſtianis fuiſſe aduerſum? Hominem certè indigniſſimum, quem ab inferis eductum precibus S. Gregorij Papæ quidam ſcribant: quam opinionem fuſiùs in Annalibus Eccl. confutauimus, & friuolas rationes illorum, qui eam aſtruunt, & quoquo modo firmare conantur, exactè firmiterque hiſtoriæ veritate refellimus.

[d] Seueriani, & Aquilæ.] De his etiam hac die Beda, Vſuardus, Ado, Petrus in catalog. libro 3. cap. 16. & alij.

[e] Aſclæ.] Vſuardus de eodem hac die. Eius res geſtas recitat Metaphraſtes in Actis Thyrſi martyris 14. Decemb. quæ habentur apud Lipom. tom. 5. De eo item Petrus in catal. lib. 3. cap. 15.

[f] Clementis Epiſc.] De eodem hac die Græci in Menologio. Huius ſæpiùs iterata certamina deſcripſit ex antiquis monumentis Metaphraſtes, quæ recitat Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 1. De ipſo etiam Niceph. lib. 7. cap. 14. quem ait annis vigintiocto continuis vexationibus ob Chriſti fidem à Gentilibus agitatum. Sed multa in eis diſplicent, & ab eodem planè auctore, qui Georgij martyris Acta conſcripſit, videntur fuiſſe coagmentata.

[g] Agathangeli.] Gręci etiam de eodem hac die in Menologio Huius Acta habentur intexta cum rebus geſtis S. Clementis, de quo modò egimus. De eodem Niceph. lib. 7. & 14. qui de vtriſque

hæc

hæc ait: Eos omnes martyres, meo quidem iudicio, Clemẽs & cum ipſo Agathangelus ſuperauit.

[h] Ioannis Eleemoſynatij. ] Agunt itidem de eodem hac die Græci, licet natalis dies ſit tertia Februarij: puto hanc ipſam eſſe diem ordinationis eius, quam & natalem dici conſueuiſſe, & ſolemniter etiam celebrari, ſuprà diximus, dum egimus de Cathedra S. Petri. Scripſit admirandas eius res geſtas Leontius Epiſcopus Neapolis Cypri, cuius fidei ſubſcribunt Patres in S. Synodo Nicæna ſecunda Act. 4. & Ioannes Damaſcenus de imag. orat. 3. dum eum producunt teſtem aduerſus Iconoclaſtas. Eadem Ioannis Acta à Leontio ſcripta Anaſtaſius Bibliothecarius iuſſu Nicolai Romani Pontificis Latinitati donauit, vt auctor eſt Sigeb. de vit. illuſtr. cap. 57. in Leontio, & cap. 104. in Anaſtaſio: Eorum duplex reperitur editio atque tranſlatio inter ſe diuerſa; in quarum altera aliqua habentur, quæ in altera deſiderantur. vide apud Lipom. tom. 2. & Sur. tom. 1. Sedere cœpit ſub Heraclio Imp. vt eius Acta teſtantur, & non ſub Phoca (vt aliquis putauit) ſub quo ſedit Eulogius notiſſimus S. Gregorio Rom. Pontifici. Præfuit hic illi ſedi annos decem, vt ſcribit Niceph. in chron. Corpus eius Venetias tranſlatum eſſe tradunt.

[i] Ildefonſi Epiſc. ] Hunc alij Illefonſum, Alfonſum alij appellant: ſucceſſit Eugenio ſecundo einſdem ſedis Antiſtiti, imperante Heraclio, ſub Vitaliano Rom. Pont. & Receeſuintho Hiſpaniarum Rege, anno à Chriſto Domino 662. ſeditque annos nouem, & menſes duos, habuitque ſucceſſorem Quiricum, qui præfuit Synodo Toletanæ vndecimæ, anno quarto Bambæ Regis. Habentur Ildefonſi res geſtæ conſcriptæ à Iuliano einſdem vrbis Epiſcopo, quas refert Surius tom. 1. Porrò non tantùm inter ſanctos, ſed etiam inter celebres ſcriptores Eccleſiaſticos adnumeratur. Libuit hîc referre quæ in appendice operis illius, quod idem ſcripſit Ildefonſus de vit. illuſtr. legi in vet. manuſcrip. Vaticanæ bibliothecæ. Sunt hæc ad verbum deſcripta: Scripſit Ildefonſus quamplurimos libros luculento ſermone potiſſimos, quos inde in tot partibus cenſuit diuidendos: Id eſt, librum proſopopeiæ imbecillitatis propriæ, libellum de Virginitate S. Mariæ contra Infideles, opuſculum de proprietate perſonarum Patris & Filij & Spiritus ſancti, opuſculum annotationis de viris illuſtribus, opuſculum annotationis in ſacris, librum de cognitione baptiſmi, & de progreſſu ſpiritualium. Partis quoque ſecundæ liber epiſtolarum eſt, in quo ad diuerſos ſcribens, ænigmaticis formulis egit, perſonaſque interdum induxit, in quo etiam à quibuſdam luculentiora ſcriptorum reſponſa promeruit. Partem ſanè tertiam Miſſarum eſſe voluit hymnorum & ſermonum. Altioris denique partis liber quartus verſibus, proſáque contextus, in quo epitaphia, & quædam ſunt epigrammata adnotata. Scripſit & alia multa, quorum, varijs moleſtiarum occupationibus impeditus, aliqua cœpta, aliqua ſemiplena reliquit. Adſcitus autem in pontificatum nono glorioſi Receeſuinthi principis anno, nouem annis & duobus ferè menſibus clarus habitus fuit vitæ meritis, & recto regendi modo: expleto decimooctauo prædicti principis anno, ſequente die x. Kal. Febr. domicilio carnis exuitur, atque in eccleſia beatæ Leocadiæ tumulatur, ad pedes ſui conditus deceſſoris, cum quo creditur æterno frui receptaculo. Hactenus ibi. Quæ licet præter inſtitutum, tamen cùm nondum apud aliquem ea edita inuenerimus, hîc deſcribere operæpretium duximus. Reperimus eumdem ob ſolidam fidei conſtantiam, anchoram fidei, & ob dicendi facundiam, Chryſoſtomum appellatum aliquando, cùm citatur. Plura de eodem in flor. ſanct. vberiùs in theſaur. concion. tom. 2. Quòd autem ſanctus Ildeſonſus perſtringi admodum videatur in Cõcilio Francoſordienſi, quòd dixerit Chriſtum filium Dei adoptiuum ſecundùm carnem; non ita accipiendum eſt, vt more Neſtorianorum duas in Chriſto perſonas voluerit conſtituere, ſed duas diſtinguere naturas; impropriè licet, per perſonam, naturam ſignificans: ſicut econtrà Cyrillus Alexandrinus aliquando feciſſe videtur, cùm in Chriſto vnam tantùm dixerit eſſe naturam, nimirum naturam pro perſona accipiens in ſecundo anathematiſmo. Quod teſtatur etiam Leontius lib. de ſectis, & Ioan. Damaſc. de fid. orthodoxa lib. 3. cap. 40. Qua loquendi licentia Eutychiani abuſi, hæreſim de vna in Chriſto natura confirmare conati ſunt. Condonandum eſt Patribus, ſi aliquando impropria vſi ſunt voce, cùm ex eorumdem ſcriptis, quod de fide Catholica rectè ſenſerint, mille locis probari poſſit. Hæc eadem dicta ſint de ſanctis Epiſcopis Toletanis, Eugenio, & Iuliano, qui in eadam Synodo eadem dictione notantur.

[k] In prouincia Valeriæ. ] De hac prouincia ne alicui errandi tribuatur occaſio, ſicut accidiſſe vidimus, ſciendum eſt duas fuiſſe eiuſdem nominis prouincias; quarum alteram in Pannonia ita appellatam eſſe à Valeria filia Diocletiani Imp. auctor eſt Ammianus Marcellinus lib. 19. cuius meminit etiam S. Ambroſius de fide lib. 2. cap. 4. in fine, & Zoſim. hiſt. lib. 2. Erat & Valeria ciuitas ſic dicta ad ripam Danubij, cuius meminit Ennodius Ticin. in Actis S. Antonij monachi. ea itaque Valeria Pannoniæ dicitur ad differentiam Valeriæ prouinciæ in Italia, quæ dicta eſt à via Valeria, quæ à Tiburtinis incipiens, per Marſos tranſiens, Corfinium vſque ducebat, eratque eadem via ciuitas Valeria nomine. de his Strabo lib. 5. pag. 159. de hac ipſa hîc agitur in Martyrologio, deque ea ſcribit ſanctus Greg. Papa lib. 1. dialog. cap. 11. Hanc quidem prouinciam & Veſtini populi habitabant, cuius metropolis erat Amiternum, hodie Aquila. Amiterno autem diruto, loci illius Epiſcopi is erat titulus, N. Epiſcopus Caſtrorum Amiterninæ ciuitatis, vt apud S. Gregorium reperies lib. 1. dialog. c. 4. Conſtat autem tum ex locis ipſis, eorumque limitibus, tum ex ſanctorum memorijs, quæ illic hactenus aſſeruantur, S. Gregorium Papam, dum de Valeria prouincia mentionem habet, de hac vtique noſtra, quæ in Italia ſita eſt, & non de Pannonica, locutum fuiſſe. De eadem Valeria prouincia mentio habetur L. 5. tit. 30. quibus equorum vſus. Cod. Theod. lib. 9. planiùs Paulus diac. de geſtis Longobard. lib. 2. cap. 11.

[l] Martyrij monachi. ] Scribit de eo S. Gregorius lib. 1. dialog. cap. 11. Fuit & alius eiuſdem nominis ſanctus monachus, cuius idem meminit hom. 39. in Euangel.



Digitized by Google

vij. C **Nono Kal. Februarij. Luna.** 24

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29, 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | | | |

NATALIS S. Timothei [a] diſcipuli B. Pauli Apoſtoli, qui ab eodem Epheſi ordinatus Epiſcopus, poſt multos pro Chriſto agones, cùm Dianę immolantes argueret, lapidibus obrutus, paulò pòſt obdormiuit in Domino. Antiochiæ ſancti Babylæ [b] Epiſcopi, qui in perſecutione Decij, poſteaquam frequenter paſſionibus ſuis, ac cruciatibus glorificauerat Deum, glorioſæ vitæ finem ſortitus eſt in vinculis ferreis, cum quibus & ſuum corpus ſepeliri mandauit. Referuntur etiam paſſi cum eo tres pueri, Vrbanus, Prilidianus, & Epolonius, quos ille in fide Chriſti inſtruxerat. Neocæſareæ ſanctorum martyrum Mardonij [c], Muſonij, Eugenij, & Metelli, qui omnes igni traditi ſunt, & eorum reliquiæ in flumen diſperſæ. Fulginij S. Feliciani [d], qui à Victore Papa eiuſdem ciuitatis Epiſcopus ordinatus, poſt multos labores, in vltima ſenectute ſub Decio martyrio coronatur. Item ſanctorum martyrum Thyrſi [e] & Proiecti. Bononiæ ſancti Zamæ [f] primi eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, qui à S. Dionyſio Romano Pontifice ordinatus, illic Chriſtianam fidem mirificè propagauit. Item beati Surani [g] abbatis, qui tempore Longobardorum ſanctitate floruit.

## IANVARII 24.

TIMOTHEI [a].] Agunt de eodem hac die ceteri Latinorum, Græci autem vigeſima ſecunda huius, vt apparet ex eorum Menologio, & ex Euſtachio presbyt. in vita S. Eutychij Epiſc. Conſtantinopolitani. Notiſſimus hic eſt Pauli Apoſtoli diſcipulus, cuius tum in eius epiſtolis, tum etiam in Actibus Apoſtolorum eſt frequẽs mentio. Commentarius rerum geſtarum, martyrij, atque tranſlationis eius habetur apud Metaph. 22. Ianuarij. eadem omnia Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 1. Paſſionem Timothei à Polycrate ſcriptam fuiſſe, auctor eſt Sigeb. de vit. illuſt. cap. 3. ſed ignotum id prorſus Euſebio atque Hieronymo, qui agunt de Polycrate. Dictus eſt Timotheus primus Epiſcopus Epheſi, vt tradit Euſeb. hiſt. lib. 3. cap. 4. cui Oneſimum ſubrogatum eſſe ſcribit Ignatius ad Epheſios. Conſtat tamen ante Timotheum eccleſiam Epheſinam à Paulo atque à Ioanne Apoſtolis fuiſſe collectam & eruditam. vnde ad eos S. Ignatius: Cum Apoſtolis (inquit) in virtute Chriſti ſemper conuerſati eſtis, Paulo, Ioanne, & fideliſſimo Timotheo. Idem ſcribens ad Philadelphos, adnumerat eumdem Timotheum inter ſanctiſſimos viros, qui in virginitate vitam peregerunt. De eius tranſlatione agemus ſuo loco inferiùs.

[b] Babylæ Epiſc.] Beda ac ceteri omnes de eodem hac item die, Gręci autem agunt 4. Septemb. De tempore paſſionis Babylæ, conſtat maiorum auctoritate, eſſe paſſum ſub Decio. Id in primis Euſebius in chron. & hiſtor. lib. 6. cap 32. Confirmat hoc ipſum S. Epiphan. in lib. de menſuris & pond. & S. Hieronymus lib. de ſcriptor. Eccl. in Origene. His meritò maiorem adhibemus fidem, quàm Nicephoro Calliſto, & Metaph. qui dicunt ipſum paſſum ſub Numeriano Imp. qui ijdem certi arguuntur erroris, dum conſtat temporibus Numeriani nullum eius nominis Antiochenę eccleſię præfuiſſe Epiſcopum, prout apparet ex ſucceſſione Antiochenorum Epiſcoporum, quam Euſebius in primis, inde Nicephorus Conſtantinopolitanus Epiſcopus texuit. Ex quibus etiam & hi errare conuincuntur, qui eiuſdem ciuitatis duos Babylas excogitarunt. Alij autem, inter quos Nicephorus, cùm ponunt duos Babylas, alterum eorum Antiochenæ ſub Numeriano Imp. præfuiſſe eccleſiæ, alterum verò Nicomediæ dicunt fuiſſe Epiſcopum. Rurſus in Menologio eadem die 4. Septemb. de duobus agunt Babylis, de ipſo in

Digitized by Google

in primis Antiocheno Epiſcopo, atque de alio eius nominis ludimagiſtro, eodemque vnà cum octogintatribus pueris obtruncato. Non eſt hæc recens quæſtio. Suidas planè teſtatur diuerſas de Babyla fuiſſe ſententias, dicentibus alijs, eum ſub Decio, alijs verò paſſum ſub Numeriano: ad quas conciliandas, duos Babylas à prædictis eſſe excogitatos. In his autem, ſi meum licet interponere iudicium, antiquioribus tam Latinorum quàm Græcorum inhærens, vnum tantùm fuiſſe Babylam, eumdemque Epiſcopum Antiochenum, ſubſcribo. Quis enim ſibi perſuadeat, vt cùm penes Græcorum antiquos hiſtoricos tam frequens de Babyla Antiocheno ſit facta mentio, nullo vnquam in loco vel per occaſionem ſaltem, de altero Babyla æquè illuſtri, itemque cum pueris martyrio coronato ſit facta mentio? De certaminibus Babylę, & trium puerorum, quorum hîc recitantur nomina, S. Ioannes Chryſoſtomus ſæpiùs agit, nimirum in oratione contra Gentiles, in homilia de martyribus Iuuentino & Maximo, hom. 4. de Lazaro, & homil. 9. in epiſt. Pauli ad Epheſios. De eodem item Theodoret de Euangelica verit. lib. 10. De ipſo item & tribus pueris extat ſacer hymnus in Breuiario Toletano, Aldelmus etiam de laudib. virginitatis de eodem agit. At verò non ſimul cum ipſa morte finis fuit certaminis Babylæ; quin velut rediuiuus, grauiores contra Gentiles eſt aggreſſus pugnas: nam & more Samſonis oſſibus pugnans, in fugam vertit Philiſthæos. Huius enim illuſtris martyris oſſa Gallus Cęſar in Daphnem ad Antiochena ſuburbia tranſtulit, quò tanti martyris reuerentia inolitæ ibi Græcorum ſuperſtitiones ceſſarent, & effuſus deliciarum luxus contineretur. Res accidit ex ſententia: nam præſentiâ ſacrorum pignorum mox loquax illud Apollinis oraculum obmutuit, nec vltrà reſponſa dedit, prout ſcribit Sozom. hiſt. lib. 5. cap. 18. Cùm autem Imperium impius Iulianus Apoſtata accepiſſet, vt ſilentis Apollinis linguam ſolueret, inde tollendum Babylæ corpus Chriſtianis imperauit; quo tandem ſublato, & in locum priſtinum reſtituto, mox mutum idolum, & nonniſi ſui ſilentij cauſam fari permiſſum, illapſo de cęlo fulmine contritum eſt; ingenſque eius ædes cæleſti illo igne conflagrauit. Huius triumphi Babylæ extant antiquorum ſcriptiones, velut egregiæ columnæ victorijs illius inſculptæ in monumentum ſempiternum erectæ. Tantæ enim rei oculatus teſtis Ioan. Chryſoſtomus tunc adoleſcens interfuit, & (vt ipſe teſtatur) vidit, eademque ſcripſit præclara illa oratione contra Gentiles, & homil. 4. de laudibus Pauli. Id etiam & ceteri antiqui hiſtorici præſtiterunt, Rufinus lib. 1. cap. 35. 36. Sozom. lib. 5. cap. 19. Socrat. lib. 3. cap. 16. Theodoret. lib. 3. cap. 10. Euagrius lib. 1. cap. 16. & alij. Id factum eſſe 11. Kalend. Nouemb. Ammianus Marcel. Gentilis hiſtoricus lib. 22. teſtatur, licet homo Chriſtianis infenſus cauſam profiteri erubuerit.

[c] Mardonij & ſoc.] De ijſdem Beda etiam, Vſuardus, Ado, & alij, conſentiuntque vet. manuſcr. Petrus in catal. lib. 3. cap. 19. apud Zenocęſaream Mauritaniæ hos paſſos dicit; ſed mendosè ita illic legi putatur, cùm veteres omnes ab illa lectione diſſentiant.

[d] Feliciani Epiſc.] Huius res geſtas accepimos ab eccleſia Fulginate, ſed quæ caſtigatione aliqua indigeant. Scribit Sigebert. in chron. anno Chriſti 969. huius ſancti reliquias per Theodoricum Metenſem Epiſcopũ ſub Othone Imp. in Gallias fuiſſe tranſlatas. de ijſdẽ Crantz. in Sax. lib. 1. c. 9.

[e] Thyrſi & Proiecti.] Agitur de his pluribus in Breu. Toletano S. Iſidori, vbi etiam ſacer hymnus habetur, quo Thyrſi egregia facta deſcribuntur.

[f] Zamæ Epiſc.] De eodem tabulę eccleſiæ Bononienſis. Legi commentarium nondum typis excuſum de eccleſia Bononienſi, quo ſeries Epiſcoporum eius atque ipſorum res geſtæ narrantur, quem Sigonius vir quidem diſertus conſcripſit hortatu ampliſſimi Cardinalis Paleoti Archiepiſcopi Bononienſis.

[g] Surani abb.] De quo S. Gregor. lib. 4. dial. cap. 22. Prouinciæ illius quam Suram dictam Gregor. tradit, meminit Plin. lib. 3. cap. 14. poniturque inter Vmbros.

## 25 Octauo Kal. Februarij. Luna. D vij.

| | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | | | |

CONVERSIO[a] ſancti Pauli Apoſtoli, quæ fuit[b] ſecundo ab Aſcenſione Domini anno. Apud Damaſcum natalis ſancti Ananiæ[c], qui eumdem Apoſtolum baptizauit. Hic cùm Damaſci, & Eleutheropoli, alibique Euangelium prædicaſſet, ſub Licinio iudice neruis cæſus & laniatus, demum lapidibus oppreſſus martyrium conſummauit. Antiochiæ ſanctorum martyrum Iuuentini[d] & Maximi, qui ſub Iuliano Apoſtata martyrio coronati ſunt: in quorum die natali ſanctus Ioannes Chryſoſtomus ſermonem

monem ad populum habuit. Aruernis ſanctorum Proiecti [e] Epiſcopi, & Marini viri Dei, qui à proceribus eiuſdem vrbis paſſi ſunt. Item ſanctorum martyrum Donati [f], Sabini, & Agapis. Tomis in Scythia ſancti Bretannionis [g] Epiſcopi, qui mira ſanctitate & zelo Catholicę fidei ſub Valente Imperatore Ariano, cui fortiter reſtitit, in Eccleſia floruit. Atrebati in Gallijs ſancti Popponis [h] abbatis miraculis clari.

## IANVARII 25.

CONVERSIO [a] ſancti Pauli.] De ea Act. Apoſt. cap. 9. & 22. Agunt de eadem ſolemnitate hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij, adſtipulanturque vet. manuſcrip. Auguſtinus in ea ſermones plures habuit, 14. de Sanctis, & de diuerſis 34. 35. 36. edit. Louan. Eamdem feſtiuitatem vſu pręter-miſſam reſtituit Innocentius Papa Tertius.

[b] Quæ fuit ſecundo ab Aſcenſione Domini anno.] Eadem verba non tantùm in veteri Romano Martyrologio ſcripta reperiuntur, ſed etiam apud Vſuardum, atque antiquiora manuſcripta exemplaria leguntur. De tempore conuerſionis Apoſtoli diuerſæ admodum inter ſe ſententiæ reperiuntur. Fuit enim quorumdam opinio, ſanctum Paulum poſt ſeptennium ab Aſcenſione Domini Chriſto nomen dediſſe: idque ex Hippolyto Thebano Michaël Glycas in tertia Annalium parte, & Niceph. lib. 2. cap. 3. Euodij auctoritate confirmare nituntur; cenſentque omnes ij, poſt ſeptem annos ab Aſcenſione Domini ſanctum Stephanum lapidatum eſſe. Euſebius contrà, eam factam recenſet anno à Natiuitate Chriſti 34. & 19. Imperij Tiberij Cæſaris; id enim profitetur in chronico. Sed ſicut illa opinio falſa arguitur, ita & hæc etiam non ſubſiſtit. Prior confutatur, cùm tempus martyrij ſancti Stephani eodem anno Aſcenſionis Domini contigiſſe certum ſit, vt ſuo loco dicemus inferiùs. Poſterior autem certiſſimis rationibus refellitur. Cùm enim à lapidatione Stephani (quam, vt celebrat Eccleſia, 26. die Decembris contigiſſe ſuo loco infrà monſtrabimus) vſque ad Pauli conuerſionem non ampliùs quàm triginta dierum ſpatium intercedat; quomodo tot tantaque, à nece Stephani vſque ad conuerſionem Pauli tam breui tempore accidere potuerunt? Poſt enim eius martyrium (vt habent Acta cap. 8.) Saulus vaſtabat Eccleſiam, intrans per domos, & trahens viros & mulieres, ducebat in cuſtodiam: eo etiam tempore facta eſt diſperſio diſcipulorum per regiones, quando & Ananias Damaſcum profectus, ibi Euangelium prædicauit, conuertenſque ad fidem nonnullos, collegit Eccleſiam, deque ea re perlatus eſt nuntius Ieroſolymam: quem cùm accepiſſet Saulus (vt habent Act. cap. 9.) acceſſit ad Principem ſacerdotum, & petijt ab eo epiſtolas in Damaſcum ad ſynagogas: acceptas deferens & appropinquans Damaſco, admirabili modo ad Chriſtum conuertitur. Hæc quidem omnia ſi accuratè conſiderentur, non menſis vnius, ſed vix integri anni ſpatio impleri potuiſſe, perſpicuum eſt. Verior itaque eſt de anno ſecundo opinio prædicta, cui etiam ſubſcribit Oecumenius in Act. Apoſt. cap. vlt. Locus ille prope Damaſcum, ob tantæ rei memoriam, nobili eſt illuſtratus baſilica, cui alludere videtur S. Auguſtinus, cùm in dicto ſer. 34. hæc ait: Hodie in illis regionibus etiam ipſa loca teſtantur, quod tunc geſtum eſt, & nunc legitur & creditur. Extat egregium carmen S. Damaſi Papæ de conuerſione S. Pauli, in collect. Chriſtianorum poëtarum.

[c] Ananiæ.] De eodem hac die Beda, ac ceteri, Græci autem ad Kal. Octobris in Menologio, vbi habetur, eum non tantùm Damaſci Euangelium annuntiaſſe, ſed etiam Eleutheropoli in Palæſtina (prout hìc ſcribitur) ac demum egregium martyrium conſummaſſe.

[d] Iuuentini & Maximi.] Poſt natalem diem ſancti Babylæ in Antiochena eccleſia de his martyribus agebatur, vt auctor eſt S. Ioannes Chryſoſtomus in homilia habita in ipſorum die natali, quæ habetur tomo 3. in fine. Fuerunt hi Romani milites, quorum certamen ſcribit Theodoretus hiſt. lib. 3. cap. 14. vbi in fine hæc habet verba: Iſtos Antiochia velut ſtrenuos pietatis athletas venerata, magnifico tumulo mandauit, & ad hodiernum vſque diem quotannis feſto publico eos honorificè celebrat. Hæc ille. De his etiam Nicephorus lib. 10. cap. 12. in fine.

[e] Proiecti Epiſcopi, & Marini.] De Proiecto hac die etiam Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Horum res geſtas habet Surius tom. 1. Petrus in catalogo lib. 3. cap. 22. Paſſum Proiectum refert Sigebertus in chron. anno Domini 670. ſub Childerico Secundo Francorum Rege.

[f] Donati & ſoc.] De eis vet. manuſcrip. ex quibus etiam recentiores hac die.

[g] Bretannionis Epiſc.] Huius egregia certamina aduerſus Valentem Arianum Imp. ſcribit Sozomenus hiſtor. lib. 6. cap. 22. Niceph. lib. 11. cap. 29. Huic ſucceſſit Gerontius, qui interfuit œcumenicæ Synodo Conſtantinopolitanæ ſub Theodoſio Imperatore.

[h] Popponis abb.] Extant Acta eius, quæ fideliſſimè ſcripſit Euerhelmus abbas, quæ habet Sur. tom. 1. De eodem Sigebert. in chron. anno Domini 1048. Trithem. in chron. Hirſaugienſi, & de vir. illuſtr. ord. S. Bened. libro 3. cap. 242. Claruit ſub Henrico Imp. & Chunrado eius ſucceſſore.

Septimo

26 Septimo Kal. Februarij. Luna. E v.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | | | |

SMYRNÆ natalis S. Polycarpi [a], qui beati Ioannis Apoſtoli diſcipulus,& ab eo eiuſdem ciuitatis Epiſcopus ordinatus, totius Aſiæ princeps fuit: poſteà ſub Marco Antonino & Lucio Aurelio Commodo, ſedente Proconſule, & vniuerſo populo in amphitheatro aduerſus eum perſonante, igni traditus eſt,& cùm ab eo minimè læderetur, gladio cōfoſſus, martyrij coronam accepit: cum quo etiam alij duodecim ex Philadelphia venientes, in præfata vrbe martyrio conſummati ſunt. Hippone regio in Africa ſanctorum Theogenis [b] Epiſcopi & aliorum trigintaſex, qui in perſecutione Valeriani contemnentes temporalem mortem, coronam vitæ æternæ adepti ſunt. Apud Bethlehem Iudæ dormitio ſanctæ Paulæ [c] viduæ, matris Euſtochij virginis Chriſti: quæ cùm eſſet è nobiliſſimo Senatorum genere, renuntians ſæculo, & facultates ſuas pauperibus diſtribuens, ad Præſepe Domini ſe recepit: vbi multis virtutibus prædita, & longo coronata martyrio, ad cæleſtia regna tranſiuit: cuius vitam virtutibus admirandam ſanctus Hieronymus ſcripſit. In territorio Pariſienſi ſanctæ Bathildis [d] Reginæ, ſanctitate & miraculorum gloria illuſtris.

## IANVARII 26.

POLYCARPI [a]. ] De eodem hac die ceteri Latinorum, Græci autem 23. Febr. vt conſtat ex Menologio. Quæ verò hîc habentur, accepta noſcuntur à S. Hieronymo de ſcrip. Eccleſ. in Polycarpo. Paſſus eſt (vt ſcribit Euſeb. in chron.) anno ſeptimo Imperij Marci Aurelij Antonini, & Lucij Veri. Coſſ. Luc. Aurel. tertiùm & Quadrato. Eius nobile certamen & ſociorum à Smyrnenſi eccleſia exactè deſcriptum, idem Euſebius recitat hiſt. libro 4. cap. 14. Qualis autem quantúsve fuerit Polycarpus, S. Ignatij epiſtola ad ipſum ſcripta facilè ſignificat. Eius aduentum Romam & congreſſum cum Aniceto ſcribit ſanctus Irenæus aduerſus hæreſ. lib. 2. cap. 3. & Euſebius ex eodem auctore lib. 5. cap. 24. Extat inſignis epiſtola Polycarpi ad Philippenſes, cuius meminit S. Hieronymus, quam piæ memoriæ vir doctiſſimus pariter & religioſiſſimus Franciſcus Turrianus Societatis Ieſu, longè prolixiorem illa, quæ habetur typis excuſa, apud ſe eſſe Græcè ſcriptam, cùm viueret, teſtatus eſt: ſperámus eam vnà cum ceteris egregijs vetuſtatis monumentis, quę ſummo labore collegit, propediem eſſe edendam. De celebrando die natali ſancti Polycarpi hæc vbi ſuprà Smyrnenſis eccleſia: Nobis in vnum aliquando coactis, Dominus præſtabit, vt celebrem eius martyrij diem inſtar natalis feſti cum exultatione & gaudio quantum fieri poteſt maximo recolamus, &c. Conſueuiſſe legi in eccleſia ſancti Polycarpi, teſtatur Greg. Tur. de glor. mart. cap. 86.

[b] Theogenis Epiſcopi. ] De ipſo ac ſocijs item Beda, Vſuardus, ac ceteri hac die. Hic ille Theogenes Hipponenſis Epiſc. eſſe cognoſcitur, qui vnà cum S. Cypriano interfuit Concilio Carthaginenſi, vt ex eius Actis apparet, quæ habentur apud Cyprianum, & Auguſtinum in lib. 6. de baptiſmo contra Donatiſtas. Erat Hippone baſilica nomine S. Theogenis, cuius meminit ſanctus Auguſtinus ſerm. 101. de diuerſ. vbi ait: Quando audiſtis apud memoriā S. Theogenis: Offero tibi Petre, offero tibi Paule? numquam audiſtis, &c.

[c] Paulæ. ] De eadem Beda, Vſuardus, Ado, & alij die ſequenti. Porrò hac die, ſept. Kal. Februarij, tertia ſabbati, ex hac vita migraſſe, S. Hieronymus, qui ad filiam eius Euſtochium epiſt. 27. eius vitam præclarè conſcripſit, apertè teſtatur: qui & Conſules recitat anni obitus, Honorium ſextò, & Ariſtenetum; numeratur is annus, ſecundùm

Faſtos Onuphrij, à Chriſto 404. cùm S. Innocentius Romanæ præeſſet Eccleſiæ. Ne quis erret in Paulæ nomine; ſciendum eſt, fuiſſe aliam Paulam, iuniorem dictam, huius ſenioris neptem ex Toxotio filio & Læta genitam (vt ibidem Hieronymus ait) ex repromiſſione martyris: vouerunt enim eam parentes, antequam conciperetur, Domino. Ad eam adhuc infantulã inſtituendam S. Hieronymus parænetiẽam epiſtolam ſcripſit ad Lætam eius matrem, eamque Ieroſolymam mitti quamprimùm, eadem epiſtola vehementer rogauit. Eo tandem perlata, in monaſterio Bethlehemitico apud Euſtochiũ educata, cum eadem ſemper vixit poſt obitum Paulę auię. Hęc illa, cuius meminit idem Hieronymus in epiſt. ad Auguſt. 79. & 94. nam quo tẽpore eas dedit litteras, iam multò antè S. Paula ſenior ex humanis exceſſerat, vt pluribus docuimus in Annalibus Eccleſ.

[d] Bathildis.] De ipſa etiam Vſuard. Wandelbertus, & alij. Fuit hæc vxor Clodouei Secundi Francorum Regis, mater Clotarij, Childerici, & Theodorici Regum, vt ſcribit Aim. de geſt. Franc. lib. 4. c. 42. & 43. Quę eò ſanctior, quò viro impuriſſimo iuncta, non tantùm illius non eſt inquinata ſordibus, ſed & virtutibus aucta. Soluta viro, monaſterium petijt, vbi miniſtrãs ceteris, reliquum tempus vitæ tranſegit. Plura de ipſa leguntur in vita S. Wandregiſili Epiſcopi. Agit de ea Sigeb. in chron. anno 662. Petrus in catalog. lib. 3. c. 59. Trithem. de vir. illuſtr. ord. S. Benedicti cap. 112. Teſtatur Molanus eius Acta integra reperiri in monaſterio Rubræ vallis.

## iiij. F Sexto Kal. Februarij. Luna. 27

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | | | |

CONSTANTINOPOLI ſancti Ioannis [a] Epiſcopi, propter aureum eloquentiæ flumen cognomento Chryſoſtomi, qui verbo & exemplo Chriſtianę religioni plurimùm profuit, & poſt multos labores, in exilio vitam finiuit. Eius ſacrum corpus ſub Theodoſio Iuniore hac die Conſtantinopolim, indepoſteà Romam tranſlatum, in baſilica Principis Apoſtolorum conditum fuit. Soræ ſancti Iuliani [b] martyris, qui in perſecutione Antonini comprehenſus, cùm idolorum templum, dum ipſe torqueretur, corruiſſet, truncato capite, martyrij coronam accepit. In Africa S. Auiti [c] martyris. Ibidem ſanctorum martyrum Datij [d], Reatri, & ſociorum, qui in perſecutione Vuandalica paſſi ſunt. Item ſanctorum Datiui [e], Iuliani, Vincentij, atque aliorum vigintiſeptem martyrum. Romæ Vitaliani [f] Papæ. Apud Cenomanos depoſitio S. Iuliani [g] primi eiuſdem vrbis Epiſcopi, quem S. Petrus illuc ad prędicandum Euangelium miſit. In monaſterio Bobacenſi ſancti Mauri [h] abbatis.

## IANVARII 27.

IOANNIS [a] Chryſoſtomi.] Tam Latini quàm Græci de eodem agunt hac die, licet apud nonnullos Latinorum natalis hic dicatur dies; Græci tamen (vt vidimus in Menologio) tranſlationem eius hac die celebrant, quando ſub Theodoſio Iuniore & S. Proclo Epiſcopo Conſtantinopolitano Commanis corpus eius relatum eſt Conſtantinopolim. Ibi enim hæc leguntur: Relatio reliquiarum ſancti Ioannis Chryſoſtomi in vrbem Conſtantinopolitanam, in templum ſanctorum Apoſtolorum tempore Procli Patriarchę, & Theodoſij Minoris: celebratur autem dies feſtus, ſicut in decimatertia Nouembris. Hæc ibi. In eam etenim diem Græci transferunt natalem ipſius, quòd feſto Exaltationis ſanctę Crucis impediatur, quo die eum obijſſe omnes teſtantur: hanc etenim rationem ijdem in Menologio reddunt. Errat omnino, niſi ſit mendum in codice, Theodotus lect. dum libro 2. collectan. in fine dicit, die ſequenti, quinto Kal. Febr. corpus ſancti Ioannis Chryſoſtomi eſſe depoſitum ad ſanctos Apoſtolos: nam hac die, & non ſequenti id factum eſſe, omnes teſtantur. niſi velit dicere, hac die eſſe perlatum Conſtantinopolim, ſequenti verò in dicto loco reconditum:

Digitized by Google

tum : ſed tranſlationis & non depoſitionis agitur feſta dies. Facta eſt huiuſmodi ſolemnis tranſlatio ( vt ſcribit Marcellinus in chronico ) Theodoſio xvj. & Fauſto Coſſ. eſt is annus à Chriſto ſecundùm veriores chronograph. 438. cùm Sixtus Papa Romanæ præeſſet Eccleſiæ. Eius rei geſtæ hiſtoriam ſcribit Theodoretus lib. 5. cap. 36. Niceph. lib. 14. cap. 36. & 43. Theodorus lector in collectaneis lib. 2. circa finem, & Suidas. Vberiùs ceteris eam rem proſecutus eſt Coſmas Veſtiarius ſermone quem habuit in eadem ſolemnitate. Habemus eum in noſtra bibliotheca manuſcriptum, vbi etiam egregiam ſancti Procli Epiſcopi concionem nacti ſumus, quam habuit, cùm populum Conſtantinopolitanum hortaretur vt venerandum corpus Ioannis Chryſoſtomi ab Imperatore reſtituendum expoſceret. Eſt eius orationis exordium : Certè gratias ago Deo, &c. exſcripſimus eam in Annalibus. Hæc ſunt quæ ad tranſlationem ſpectant, cetera autem ſuo loco opportuniùs.

[b] Iuliani. ] Reſtituitur ex Martyrologio baſilicæ Vaticanæ. Viget in Sorana ciuitate eius martyris memoria, eo in loco poſita, vbi martyrium paſſus dicitur. Habentur illic & eiuſdem martyris Acta manuſcripta.

[c] Auiti. ] De eo Vſuardus hac die, & alij. Confunditur alicubi Auitus cum Adiuto, ſed longè diuerſi ſunt inter ſe : nam hic martyr in Africa paſſus dicitur ; ille autem abbas confeſſor in pago Carnotenſi claruit ſanctitate, de quo tamen hac etiam die agit Petrus in catalog. lib. 3. cap. 32.

[d] Datij & ſoc. ] De his vet. manuſc. ex quibus etiam recentiores hac die.

[e] Datiui & ſoc. ] Beda etiam de his agit, ſed mendosè pro Datiuo Dotum, vt exemplaria antiqua docent.

[f] Vitaliani Papæ. ] De eodem vet. manuſcrip. liber de Roman. Pontif. Beda de geſtis Anglor. lib. 4. cap. 12. cetera in Annal. Eccleſiaſtic. diximus.

[g] Iuliani Epiſc. ] Habentur eius Acta ſcripta à Lethaldo monacho, vt teſtatur Molanus ; meminit eiuſdem Petrus Cluniac. lib. 1. epiſt. 2. Petrus in catal. lib. 3. cap. 35. & alij.

[h] Mauri abb. ] Alij Marium pro Mauro legunt. eius vitam ſcriptam eſſe à Dinamio, teſtatur Sigeb. lib. de vir. illuſtr. cap. 115. & Petrus in catal. lib. 3. cap. 32.

## 28 Quinto Kal. Februarij. Luna. G iij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | | | |

ROMAE ſanctæ Agnetis [a] ſecundò. Ibidem ſancti Flauiani [b] martyris, qui ſub Diocletiano paſſus eſt. Apolloniæ ſanctorum martyrum [c] Thyrſi, Leucij, & Callinici, qui tempore Decij Imperatoris varijs tormentorum generibus cruciati, primus & vltimus abſciſſione capitis, medius cęleſti voce euocatus ſpiritum reddens, martyrium conſummarunt. In Thebaide ſanctorum martyrum Leonidis [d] & ſociorum, qui tempore Diocletiani palmam martyrij ſunt aſſecuti. Alexandriæ commemoratio [e] plurimorum ſanctorum martyrum, qui hac ipſa die factione Syriani Ducis Ariani, dum in eccleſia ſynaxim agerent, diuerſo mortis genere ſunt interempti. Item ſancti Cyrilli [f] eiuſdem vrbis Epiſcopi, qui Catholicæ fidei præclariſſimus propugnator, doctrina & ſanctitate illuſtris quieuit in pace. Cæſaraugustę ſancti Valerij [g] Epiſcopi. Conchæ in Hiſpania natalis ſancti Iuliani Epiſcopi [h], qui erogans in pauperes bona eccleſiæ, opere manuum ſibi more Apoſtolico victum quærens, clarus miraculis, quieuit in pace : cuius celebrior ſolemnitas agitur quinta Septembris. In monaſterio Rhemenſi depoſitio ſancti Ioannis presbyteri [i], viri Dei. In Palæſtina ſancti Iacobi [k] eremitæ, qui poſt lapſum diu in ſepulchro pœnitentiæ cauſa latuit, & clarus miraculis migrauit ad Dominum.

AGNETIS ſecundò. [a] ] Eſt hæc vetus huius diei inſcriptio: idq. ob eam cauſam, quoniã non de octaua primæ diei agitur, vt octaua dicatur; ſed quę die octaua oſtenſa eſt cęlitus viſio, celebratur. Recolitur enim hac die memoria, quando parentibus ad ſepulchrũ eius vigilantibus, choro ſanctarum virginum comitata apparuit, & gloriam ſempiternam ſibi à Deo largitam teſtata, conſolata eſt eos: prout continent eius res geſtæ, quæ habentur apud S. Ambroſium lib. 4. epiſt. 34. edit. Rom. De eadem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Vide prætereà quæ Durand. ſcribit lib. 7. cap. 3.

[b] Flauiani. ] De eodem vet. manuſcr. Petr. autem in catal. lib. 3. c. 41. Hic etenim cùm Romæ adminiſtraret Vicariam præfecturam, ad Chriſtum conuerſus, ad Centumcellas vnà cum ceteris martyrio coronatur. Extant eius res geſtæ, quæ aliqua indigent caſtigatione.

[c] Thyrſi, Leucij, & Callinici. ] Agunt de ijs Beda ac ceteri Latinorum hac die, Græci autem 14. Decembris, prout teſtatur Menolog. vbi etiam eorum martyrium deſcribitur. Integra autem ipſorum Acta recitat Metaphr. quæ habet Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 6. Penes Græcos Lucius pro Leucio ponitur, & aliqui legunt Gallenicum pro Callinico; ſed Martyrologij lectio magis arridet. Iuſtinianus Imp. in honorem S. Thyrſi martyris erexit eccleſiam, de qua Procop. lib. 1. de ædif. Iuſtiniani Imp. De alia olim erecta à Cæſario V. C. agit Sozom. hiſt. lib 9. c. 2.

[d] Leonidis & ſoc. ] De ijſdem hac die Gręci, adnumerantque inter eos Aſclam martyrem, de quo ſeorſum Latini ad x. Kal. Febr. Habentur eorumdem martyrum Acta recenſita à Metaphr. poſt res geſtas prædictorum ſanctorum Thyrſi & ſociorum, quas habet Lipom. tom. 5. & Surius tom. 6. De ceteris autem martyribus, qui ijſdem Actis continentur, infrà certis diebus agemus.

[e] Commemoratio plurimorum, &c. ] Scripſit horum miſerandam ſtragem eccleſia Alexandrina circulari epiſtola ad omnes Chriſti fideles, vbi hæc leguntur: Acta ſunt hæc poſt Conſulatum Arbetionis & Lolliani, v. Kal. vel (vt habent alij codices) prid. Kal. Febr. Eſt is annus à Chriſto (ſecundùm Faſtos Onuphrij) 356. De his Athanaſ. in epiſt. ad Solit. in fine, in apologia ad Conſtantium, ac etiam in apolog. de fuga ſua, Suidas etiam, & alij.

[f] Cyrilli Epiſc. ] De eodem hac die ceteri Latinorum, Græci autem in Menolog. 9. Iunij his verbis: Natalis S. Cyrilli, viri eruditiſſimi, & Catholicæ fidei propugnatoris egregij: quem Summus Pont. Cęleſtinus idoneum iudicauit, cui ſuas vices in Epheſino Concilio delegaret. Hæc ibi. Sedere cœpit S. Cyrillus poſt Theophilum (vt ſcribit Socrates lib. 7. cap. 7.) Honorio nonùm & Theodoſio quintùm Coſſ. Kalend. Nouemb. ſeditque annis 32. prout habent Acta SS. Concilij Chalcedonen. Act. 3. in libellis Athanaſij presbyteri, & Theodori diaconi. eadem Liberatus diac. in Breuiar. c. 10. & Niceph. in chron. Ex quibus omnibus luce clariùs apparet, ſedere cœpiſſe Cyrillum anno Chriſti 412. ac ſediſſe vſque ad annum 444. Hęc tam exacta annorũ Cyrilli ſupputatio, tam ad errores aliorum arguendos, quàm ne ipſe argueretur ab his qui aliter ſenſerunt, ſit poſita. De legatione Cyrilli extant adhuc litterę Cęleſtini Papę. De pallio eidem tunc ab eodem Cęleſtino conceſſo meminit Theodorus in Nomoc. Photij tit. 8 c. 1. De alijs inſignibus Niceph. lib. 14. c. 34. quem tamen ſuperiori cenſuræ ſubijcimus. Præclara eius certamina tam aduerſus Neſtorium quàm ſchiſmaticos Orientales exercita, produnt Acta Epheſina. Cetera autem aduerſus Anthropomorphitas, aduerſus Gentiles, & alios Eccleſiæ hoſtes ab eo geſta, per annos ſingulos ordine temporum digeſſimus in Annalibus. Hîc tamen admonitum velim Lectorem, ne Socrati de Cyrillo ſæpiùs obloquenti lib. 7. cap. 13. 14. 15. incautè nimis fidem adhibeat: nam Nouatianæ ſectæ addictus homo, erga Cyrillum ideircò parum æquus fuit, quòd ille ſtatim vt eſt creatus Epiſcopus, acre bellum aduerſus Nouatianos excitauit, qui tolerari ad eam diem fuerant; prout idem auctor queritur lib. 7. cap. 7. Porrò tanti Patris pręconia non vnius tantùm vel alterius inueniuntur teſtimonio comprobata, ſed duorum œcumenicorum Concil. Epheſini & Chalcedonenſis Actis celebrata, atque firmata.

[g] Valerij Epiſc. ] De eodem alij die ſequenti, vt in Breu. Toletano, & Flore ſanct. Cùm autem reperiatur S. Valerius Epiſcopus Cęſarauguſtanus interfuiſſe Concilio Eliberino; ſuborta eſt mihi dubitandi occaſio, num duo fuerint eiuſdem nominis Epiſcopi Cæſarauguſtani, quorum prior ſederit temporibus Daciani, qui ſub Maximiano & Diocletiano Impp. rexit Hiſpanias, quando & eius diaconus ſanctus Vincentius nobili martyrio triumphauit; poſterior autem vixerit temporibus Conſtantini, ſub cuius Imperio dicta Synodus Eliberina eſt celebrata; nam interfuit illi Oſius Epiſcopus Cordubenſis, qui præſens fuit ſacroſancto Concilio Nicæno. Auxit mihi Prudentius dubitandi occaſionem, dum Periſteph. hym. 4. agens de eiuſdem eccleſiæ martyribus, hæc de Vincentio & Valerijs pluribus:

*Inde Vincenti tua palma nata eſt,*
*Clerus hinc tantum peperit triumphum,*
*Hinc ſacerdotum domus infulata*
*Valeriorum.*

Hæc autem cùm optimo iure dici poſſe videantur: tamen vnum eumdemq. dicendum eſſe Valerium, qui ſedebat tempore quo ſanctus Vincentius martyrio coronatus eſt, cum eo qui interfuit Concilio Eliberitano, ſatis apertè demonſtrauimus ſecundo Annalium tomo, ex quo iſta in hac recenti editione corrigimus.

[h] Iuliani Epiſcopi. ] Quod ad Iulianum ſpectat, conſule quæ à nobis quinta Septembris notata ſunt.

[i] Ioannis presbyteri. ] De eodem Beda ac ceteri. Scribit Gregorius Turonen. libro de gloria confeſſ. c. 23. res geſtas cuiuſdam Ioannis presbyteri, non Rhemis (vt hîc habetur) ſed Turoni ſepulti; qua ratione alius ille eſſe videtur ab hoc de quo agimus. De alio Ioanne idem Gregorius Turon. de gloria confeſſ. cap. 87.

[k] Iacobi eremitę. ] Scripſit eius Acta Metaphr. quæ Lipoman. recitat tom. 7. & Surius tom. 1.



Digitized by Google

29 Quarto Kal. Februarij. Luna. A ij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | | | |

ROMÆ via Nomentana natalis ſanctorum martyrum Papiæ [a] & Mauri militum, tempore Diocletiani Imperatoris: quorum ora iuſſit Laodicius Vrbis Præfectus ad primam Chriſti confeſſionem lapidibus contundi, & ſic eos in carcerem trudi, ac poſteà fuſtibus cædi [b], atque ad vltimum plumbatis percuti, donec expirarent. Peruſiæ ſancti Conſtantij [c] Epiſcopi & martyris, qui vnà cum ſocijs ſub Marco Aurelio Imperatore ob fidei defenſionem martyrij coronam accepit. Edeſſæ in Syria ſanctorum martyrum Sarbelij [d] & Barbeæ ſororis eius, qui à beato Barſimço Epiſcopo baptizati, in perſecutione Traiani ſub Lyſia Præſide martyrio coronati ſunt. In territorio Tricaſſino ſancti Sabiniani [e] martyris, qui, iubente Aureliano Imperatore, pro fide Chriſti decollatus eſt. Mediolani ſancti Aquilini [f] preſbyteri, qui ab Arianis gladio in gutture tranſuerberatus, martyrio coronatur. Treueris depoſitio beati [g] Valerij Epiſcopi, diſcipuli ſancti Petri Apoſtoli. Apud Bituricas ſancti Sulpitij Seueri [h] Epiſcopi, diſcipuli ſancti Martini, virtutibus & eruditione conſpicui.

## IANVARII 29.

PAPIÆ & Mauri [a].] De his hac die Beda, Vſuard. & vberiùs Ado ex Actis S. Marcelli, ſeu potiùs Marcellini Papæ, in quibus horum certamina intexta habētur. Ipſorum corpora primùm à Sergio Iuniori Rom. Pontif. in titulum Equitij tranſlata (vt docet vetus inſcriptin in marmore ſculpta, eodem in loco poſita) inde à Gregorio Nono in ſancti Hadriani diaconiam, demum verò opera Illuſtriſſimi Auguſtini Cuſani Cardinalis, Sixto Quinto concedente, in noſtram eccleſiam S. Mariæ & ſancti Gregorij in Vallicella tranſlata fuere tertio Idus Februarij MDXC.

[b] Fuſtibus cædi.] Hi cùm ſint milites, fuſtibus cæduntur. Polybius auctor eſt libro de tribus politijs, duo in primis ſuppliciorum genera fuiſſe in militiæ diſciplina, decimationem, & fuſtuarium. De decimatione agemus inferiùs in notation. diei 22 Septembris in Mauritio. Modeſtinus quoque Iureconſultus inter pœnas militares fuſtium caſtigationem recenſet. Id ſupplicium eſt huiuſmodi: Accepto fuſte Tribunus vix tantùm attingit damnatum: quod vbi factum eſt; omnes qui in caſtris ſunt, cædentes eum fuſtibus, lapidibuſque, plerumque in ipſis caſtris conficiunt: at ſi qui euaſerint, nec ſic quidem ſeruari poſſunt. & quonam pacto, quibus nec in patriam redire liceret, neque aliqui ex neceſſarijs domi eos excipere auderent? Fuſte autem cædebatur, qui furto quippiam ex caſtris ſuſtulerat, quique falſum teſtimonium dixerat, & ſi quis ætatis flore abuteretur. Marcellus ſentire videtur, liberum cędi fuſtibus, flagellis ſeruum, &c. Hæc & alia de fuſtuario notat Cęlius Rhodig. lect. antiq. lib. 10. cap. 5. Erat etiam illud militare ſupplicium, cùm delinquenti militi ad dimittendum ſanguinem ſoluebatur vena. tam de eo, quàm etiam de pane ordeaceo, quo ignaui milites veſci cogebantur, Gellius libro 10. c. 2. Quod autem ad fuſtes pertinet, conſtat non tantùm milites Chriſtianos, ſed & ceteros fideles ea pœna affici ſolitos; quòd legibus Romanorum ex prudentum reſponſis cautum eſſet, vt qui ſe Deo plenos ſimularent, fuſtibus cæderentur. Paul. lib. 5. ſent. tit. 21. de vaticin. De fuſtibus, quibus ſæpè initiari conſueuit quæſtio Chriſtianorum, pulchrè Cyprian. epiſtola 77. ad Nemeſianum, Felicem, & alios.

[c] Conſtantij Epiſc.] Accepimus Acta ſancti Conſtantij manuſcr. ab eccleſia Peruſina, eademque apud nos aſſeruantur: ex quibus erroris arguitur, qui Conſtantium Herculani diſcipulum & ſucceſſorem fuiſſe dicit. Quiſnam autem fuerit ſucceſſor Herculani, vide inferiùs in not. diei 7. Nouembris, vbi agitur de Herculano.

[d] Sarbelij & Barbeæ.] De his Græci etiam; licet in aliquibus Menologijs hac die agatur,

in aliquibus autem ad xv. Kalend. Octobris, vbi & ipſorum martyrium ſic deſcribitur: Sarbelius idolorum ſacerdos vnà cum ſorore Barbea conuerſus eſt ad fidem Chriſti per Barſimæum Edeſſæ Epiſcopum, & ambo tenti; poſt grauiſſima tormenta Sarbelius inter duo ligna ligatus, ſectus eſt; ſoror autem capite truncata. Hæc ibi.

[e] Sabiniani. ] De quo item Vſuardus, & Petrus in catal. lib. 3. cap. 42. Vincentius in ſpec. lib. 10. cap. 165. Recitat eius res geſtas Mombrit. tom. 2 vit. Sanctorum.

[f] Aquilini. ] Tabulæ etiam eccleſiæ Mediolanenſis de eodem. Huius vitam ad Breuiarij Ambroſiani vſum accommodatam Galeſinus ex antiquis monumentis conſcripſit.

[g] Valerij Epiſcopi. ] Beda, Vſuardus, Ado, ac demum ceteri de eodem agunt hac die. Pauca quædam ex veteribus codicibus de Actis ipſius edidit Sur. tom. 1. Petrus Cluniacen. lib. 1. epiſt. 2. dum recenſet Epiſcopos à ſancto Petro in Gallias miſſos: Miſit, inquit, in Galliam, Treuerim, & Coloniam Maternum, Eucharium, & Valerium. De his etiam hæc Mar. Scot. lib. 2. ſex ætat. anno Dominicæ incarnationis 54. Claudij anno 12. Epiſcopatus Petri Romæ anno 8. Eucharius cum ſocijs Valerio atque Materno ad prædicandum Gallicis gentibus miſſi ſunt, &c. Inferiùs autem anno Domini 75. Valerium Euchario ſucceſſiſſe ſcribit. In tabulis autem Epiſcoporum Treuerenſium, quas Democh. edidit, Eucharius primo loco ponitur, deinde Maternus, tertius autem Valerius numeratur.

[h] Sulpitij Seueri Epiſcopi. ] De eodem vet. manuſcrip. ex quibus etiam Molan. in addit. ad Vſuardi Martyrologium, quod non tantùm reſtituit, & additionibus auxit, ſed & doctiſſimis annotationibus locupletauit, vir quidem in tot tantiſque hæreſeon tenebris pietate ac eruditione fulgentiſſimus. Memini me legiſſe huius Sulpitij Seueri vitam in Vaticana bibliotheca plut. 4. num. 234. Hic diſcipulus fuit ſancti Martini Epiſcopi Turonenſis. Admiratus eſt vehementer S. Paulinus ſuſceptum à Seuero vitæ inſtitutum, eùm primam ordine poſitam ad eum ſcripſit epiſtolam; adiecit poſtmodum alias ſubſequentes, quibus qualis quantúsve Seuerus eſſet, quaſi ex vnguibus leonem facilè quis intelliget. Gennadius de vir. illuſtr. cap. 19. dum ſcribit de Seuero, ait eum in ſenectute fuiſſe deceptum à Pelagianis, ſed facti mox pœnituiſſe; atque vt crimen expiaret, arctiſſimis ſe ſilentij vinculis coarctaſſe, ex eóque lapſu ad altiora virtutum culmina per pœnitentiam ſibi iter aperuiſſe. ſic enim diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, etiam mala. Fertur pro Seuero ſcripſiſſe apologiam Guibertus abbas, fundator monaſterij Gemblacenſis, ſanctitate clarus, cuius vitam ſcripſit Sigebertus eiuſdem monaſterij monachus, prout ipſe fatetur libro de viris illuſtribus cap. 169.

## B Tertio Kal. Februarij. Luna. 30

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | | | |

ANTIOCHIAE paſſio beati Hippolyti [a] presbyteri, qui Nouati ſchiſmate aliquantulùm deceptus, ſed operante gratia Chriſti correctus, ad vnitatem Eccleſiæ redijt, pro qua & in qua poſteà illuſtre martyrium conſummauit. Hic rogatus à ſuis, quænam ſecta verior eſſet; execratus dogma Nouati, eam fidem dicens eſſe ſeruandam, quam Petri cathedra cuſtodiret, iugulum præbuit. In Africa paſſio ſanctorum martyrum Feliciani [b], Philappiani, & aliorum centum vigintiquatuor. Edeſſæ in Syria ſancti Barſimæi [c] Epiſcopi, qui cùm Gentiles plurimos conuertiſſet ad fidem, & præmiſiſſet ad coronam, eos ſecutus eſt ſub Traiano cum palma martyrij. Ibidem ſancti [d] Barſen Epiſcopi, gratia curationum illuſtris, qui à Valente Imperatore Ariano in extremas illius regionis oras ob fidem Catholicam relegatus, vitam finiuit. Item beati Alexandri [e], qui in perſecutione Decij comprehenſus, longæuæ ætatis veneranda canicie & confeſſione iterata reſplendens, inter carnificum tormẽta reddidit ſpiritum. Ieroſolymis natalis ſancti Matthiæ [f] Epiſcopi,

ſcopi, de quo mira & plena fide geſta narrantur: qui ſub Hadriano[g] multa pro Chriſto perpeſſus, demum in pace quieuit. Romę ſancti Felicis[h] Papæ Tertij, qui pro fide Catholica plurimùm laborauit. Papiæ ſancti Armentarij[i] Epiſcopi & confeſſoris. In Malbodio Hannoniæ monaſterio ſanctæ[k] Aldegundis virginis, tempore Dagoberti Regis. Mediolani ſanctæ Sauinæ[l] feminæ religioſiſſimæ, quæ ad ſepulchra ſanctorum Naboris & Felicis martyrum orans, obdormiuit in Domino.

## IANVARII 30.

[a] HIPPOLYTI presbyt.] De eodem Beda, Vſuardus, Ado, & alij, adſtipulanturque vet. manuſcrip. Quæ hîc de ipſo habentur, fuſiùs ſcribit carmine Prudentius in Periſtephan. hym. 11. Ne tamen alicui errandi detur occaſio, ſciendum eſt, eumdem auctoré tres Hippolytos conflaſſe in vnum, videlicet militem, preſbyterum, & Epiſcopum, eorumque res geſtas quaſi vnius tantùm narraſſe: Hippolyti enim militis, quem S. Laurentius baptizauit, Hippolyti preſbyteri Antiocheni de quo agimus, atque Hippolyti Epiſcopi Portuenſis facta coniunxit. hi cùm nomine tantùm conueniant, locis, temporibus, vitæ ſtudijs, ac denique martyrij genere diſtinguuntur. Miles etenim paſſus eſt apud Vrbem, via Tiburtina, ſub Valeriano Imp. die 13. Auguſti, raptatus atque diſcerptus ab indomitis equis. Hippolytus hic, de quo agimus, preſbyter fuit Antiochenus ſub Fabio Epiſcopo, qui vixit temporibus Decij, vt conſtat ex Euſeb. chron. qui etiam in hiſt. lib. 6. cap. 35. 36. & 37. recitat epiſtolas Cornelij Rom. Pontif. & Dionyſij Epiſcopi Alexandrini ad Fabium Antiochenum in dogma Nouati propenſiorem. Hippolytus autem Epiſcopus Portuenſis doctrina clariſſimus ſub Alexandro Imper. merſus aquis in Portu Romano, die 22. Auguſti, martyrij coronam accepit. Vberiùs agemus de duobus reliquis infrà ſuis locis.

[b] Feliciani & ſoc.] Reſtituti ſunt ijdem ex veteri Martyrologio Romæ in eccleſia legi ſolito, cuius ſuprà meminimus.

[c] Barſimæi Epiſcopi.] De eodem Græcorum Menologiũ; vbi tam huius, quàm Sarbelij & Barbeæ martyrum, quorum memoria pridie huius diei agitur, habentur Acta ſummarim expreſſa.

[d] Barſen Epiſcopi.] Græci iidem. Huius res geſtas ſcribit Theodoret. hiſt. lib. 4. cap. 15. & Niceph. lib. 11. cap. 22. Huic ſucceſſit Eulogius, qui interfuit Concilio œcumenico Conſtantinop. ſub Theodoſio Imp.

[e] Alexandri.] De quo hac die Beda pluribus agit, ac etiam Ado, conſentiuntque vet. manuſcripta. Longè alius autem eſt Alexander hic ab illo Ieroſolymitano Epiſcopo, de quo ijdem 18. Martij.

[f] Matthiæ Epiſcopi.] Beda item, Vſuardus, Ado, ac ceteri. Ponitur hic octauus Ieroſolymorum Epiſcopus, seditque temporibus Hadriani Imp. & non Traiani, vt quidam voluerunt. De eo Euſeb. in chron. & hiſt. lib. 4. cap. 5. & Niceph. in chron. de ſucceſſione ſedis Ieroſolymitanæ.

[g] Sub Hadriano.] Numeratur hæc quarta ordine perſecutio à Seuero lib. 2. At verò Oroſ. lib. 7. c. 27. & Auguſt. de ciuit. Dei lib. 18. cap. 52. nullam ſub Hadriano numerant perſecutionem; quartam enim ponunt ſub Antonino: fortaſſe ea de cauſâ, quòd Tertullianus in apologet. nullum edictum dicat ab Hadriano aduerſus Chriſtianos promulgatum: tamen ex iam ſancitis Traiani legibus, quibus Chriſtianos delatos pœnæ ſubijciendos iuſſerat, adhuc ſub Hadriano gladium in Chriſtianos ſæuiſſe, par eſt credere. Non deerant enim ex Chriſtianorum hoſtibus Iudæis atque Gentilibus, qui abſq. ſubtili aliqua inquiſitione, quam Traianus edicto abrogarat, eos quotidie puniendos deferrent. Porrò vehementem ſub Hadriano factam fuiſſe aduerſus Chriſtianos perſecutionem, ſatis docent grauiſſimæ illæ tunc à ſanctis Patribus ſcriptæ apologiæ, quibus ſanè gladium perſecutionis à ceruicibus Chriſtianorum arcere conati ſunt, vt Quadratus & Ariſtides philoſophi, quorum ſanctus Hieronymus lib. de ſcrip. Eccleſ. ſumma cum laude meminit. Quis enim dubitet Hadrianum minimè ceſſaſſe à vexatione Chriſtianorum, qui ipſorum loca, quæ prę ceteris ſacroſancta Ieroſolymis erant, abominationibus idolorum profanauit atque fœdauit? vt ſcribit Seuer. lib. 2. Paulinus ad Seuer. epiſt. 11. Hieronym. epiſtola 13. & Ambroſ. in Pſal. 47. Aut quonam pacto ſe temperarit à gladio, qui Chriſtianos Alexandriæ degentes, datis litteris ad Seuerianum Ægypti Proconſulem, innumeris calumnijs proſciderit? Habentur illæ apud Spartianum in Saturnino tyranno. Quæ omnia ſi deeſſent, ſufficerent ſaltem litteræ vnæ Sereni Granij, quarum Euſeb. meminit in chron. an. 9. Hadriani, & lib. 4. hiſt. c. 8. ex quibus ſatis apparet, quòd etſi de Chriſtianis inſequendis ſilerent Imperatoris edicta, perſtreperent tamen vulgi clamores, quibus Chriſtiani paſſim petebantur ad necem; atque adeò, vt opus fuerit Præſides prouinciarum miſeratos illorum cladem, ea de re ſcribere ad Hadrianum; ipſum verò Imperatorem de compeſcendo populorum furore reſcribere ad Rectores prouinciarum. Eiuſmodi generis reſcriptum datum ad Minutium Fundanum Aſię Proconſulem extat apud Iuſtinum in fine apologiæ ad Antoninum, & apud Euſebium lib. 4. c. 8. Non imus inficias, Hadrianum in melius eſſe mutatum, adeoq. profeciſſe Chriſtianorum philoſophorum apologijs, vt templum Chriſto erigere, eumque inter deos recipere, & (quod mireris) templa in omnibus ciuitatibus abſque ſimulacris erigere, animo conceperit, vt de eo ſcribit Lampridius in Alexandro.

[h] Felicis Papæ. ] Præter ea quæ de ipſo habentur in lib. de Rom. Pontif. geſtiſque Synodicis, complura collegimus ex vet. manuſcr. deſcripſimuſque in Aunalib. Eccleſiaſt.

[i] Armentarij Epiſcopi. ] De eodem tabulæ Ticinenſis eccleſiæ, & Gual. qui eas locupletauit.

[k] Aldegundis. ] De eadem Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Plura de ipſa ſcripta reperies in vita ſancti Giſleni, quam habet Sur. tom. 5. Vide & Molan. in indic. ſanctorum Belgij, vbi etiam ponit aliam Aldegundem virginem filiam S. Baſini Regis & martyris, cuius vitam editurus proximè eſt R. P. Michael Ghierius abbas S. Iudoci in Nemore in finibus Arteſiæ, de qua agitur 20. Iunij. Hæc autem, de qua præſens eſt ſermo, floruit ſub Dagoberto Rege Francorum circa annum Domini ſexcenteſimum quadrageſimum.

[l] Sauinæ, aliàs Sabinæ. ] De ea etiam tabulæ eccleſ. Mediolan. à Galeſino egregiè illuſtratæ.

* C Pridie Kal. Februarij. Luna. 31

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | | | |

ROMAE via Portuenſi ſanctorum martyrum Cyri & Ioannis[a], qui poſt multa tormenta pro confeſſione Chriſti capite truncati ſunt. Alexandriæ natalis ſancti Metrani[b] martyris, qui ſub[c] Decio Imperatore cùm ad iuſſionem Paganorum[d] nollet impia verba proferre, illi totum eius corpus fuſtibus colliſerunt, vultumq. & oculos praeacutis calamis terebrantes, ipſum extra vrbem cum cruciatibus expulerunt, ibique lapidibus oppreſſum interemerunt. Ibidem ſanctorum martyrum Saturnini[e], Thyrſi, & Victoris. In eadem ciuitate ſanctorum martyrũ Tharſicij[f], Zotici, Cyriaci, & ſociorum. Cyzici in Helleſponto ſanctæ Triphenis[g] martyris, quæ plurimis tormentis ſuperatis, à tauro demum necata, martyrij palmam promeruit. Mutinæ ſancti Geminiani[h] Epiſcopi, miraculorum gloria illuſtris. Mediolani ſancti Iulij[i] preſbyteri & confeſſoris, tempore Imperatoris Theodoſij. Romæ ſanctæ Marcellæ[k] viduæ, cuius præclaras laudes beatus Hieronymus ſcripſit. Eodem die Tranſlatio[l] ſancti Marci Euangeliſtæ, cùm ſacrum eius corpus ex Alexandria Ægypti vrbe à barbaris tunc occupata Venetias allatum, ibidem in maiori eccleſia eius nomine conſecrata honorificentiſſimè conditum fuit.

## IANVARII 31.

ROMÆ via Portuenſi ſanctorum martyrum Cyri & Ioannis [a]. ] Sic etiam aliquot manuſcr. habent. Hæc autem non ita accipias velim, vt Romę hos paſſos exiſtimes; ſed quoniam prædictorum martyrum corpora Alexandriâ Romam tranſlata, illic ſunt poſita. Eſt enim via Portuenſi è regione baſilicę S. Pauli trans Tiberim vetus eccleſia vulgò dicta ſancta Paſſara, ſed in antiquis codic. S. Praxedis nomine appellata reperitur, in qua de prædictis SS. Cyri & Ioannis corporibus inciſa in marmore hæc leguntur carmina:

*Corpora ſancta Cyri renitent hî, atque Ioannis,*
*Quos quondam Roma dedit Alexandria magna.*

Tranſlationis hiſtoriam extare ferunt in codice peruetuſto diaconiæ S. Mariæ in via Lata. De eadem eccleſia prope Tiberim poſita meminit Ioannes diac. in vita S. Greg. Papæ lib. 4. c. 91. Non eſt itaque, vt quis aliquam fidem præſtet Petro, dum in catal. lib. 3. cap. 63. ait, hos Romæ paſſos eſſe; licet tempus, iudicem, & genera tormentorum, quibus afflicti fuerint, ſe ignorare profiteatur. miramur profectò hominem non incidiſſe aliquãdo in Acta ipſorum, quæ tam Græcis quàm Latinis fuere notiſſima: habemus & nos ea in quinto, ſeptimo, ac decimo tomo antiquorum codicũ manuſcr. qui aliquibus eccleſijs Romę vſui erant, vbi ſecundùm ordinem menſium ſcriptæ habentur

habentur ſanctorum vitæ: in his ergo Acta prędictorum martyrii nacti ſumus auctore Petro quodam, qui ea ſcripſit, expoſcente Gregorio Ioannis Conſularis filio. rurſus eadem inuenimus in manuſcrip. codice S. Mariæ ad Martyres; in quibus omnibus habetur expreſſum, hos paſſos eſſe Alexandriæ anno ix. perſecutionis Diocletiani Imp. tuncq́. etiam martyrium ſubijſſe tres ſanctas virgines, Theodoram, Theotiſtam, & Eudoxiam cum matre Athanaſia. Eadem omnia habentur Græcè edita penes Metaphraſt. hac die 31. Ianuar. quæ Latinè reddita habet Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 1. in quibus deſideratur tempus martyrij; habent tamen quædam ſuperaddita miracula, quæ apud dictos Latinos codices non inuenimus. Habuit Sophronius Epiſcopus Ieroſolymitanus pręclaram orationem de ijſdem martyribus, quæ citatur in Concilio Nicæno ſecundo Act. 4. & à ſancto Ioan. Damaſc. orat. 3. de imaginibus.

[b] Metrani, aliàs Metrę.] Agunt de ipſo hac die Beda, ac ceteri Latinorum: ſcripſit egregium certamen eius S. Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus. extat eius epiſtola de ea re ſcripta apud Euſebium hiſt. lib. 6. cap. 34. & Niceph. lib. 5. cap. 30.

[c] Sub Decio.] Cæſis Philippis patre ſimul ac filio Principibus Chriſtianis, Decio & Etruſco Coſſ. Decius accipiens Imperium, acerbiſſimam aduerſus Chriſtianos perſecutionem concitauit, quam ſeptimam ponunt ordine Hieron. de ſcrip. Eccleſiaſt. in Alexandro, Seuerus lib. 2. Oroſ. lib. 7. c. 21. & Auguſt. de ciuit. Dei lib. 18. cap. 52. Seueriſſimo enim edicto promulgato, vbique locorum Romani Imperij in eos ſæuiri voluit. Quale autem fuerit eiuſmodi edictum, Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus, qui tunc viuebat, hæc ſcribit: Decij edictum erat iam vulgatum, illudq́. tale profectò videbatur, quale Dominus prædixerat futurum, in quo terribiliſſima illa iam propemodum expectabatur ſententia: nimirum electos, ſi poſſibile eſſet, in errorem inducendos. Hinc omnes certè metu periculi obſtrepuerunt. Hæc Dionyſ. apud Euſeb. hiſt. lib. 6. cap. 34. De huius perſecutionis acerbitate cùm alij plures, tum S. Hieron. ſcribit in vita Pauli primi eremitę, & de ſcript. Eccleſ. in Origene, itemq́. S. Gregorius Nyſſen. in vita Gregorij Thaumaturgi. Perdurauit hæc perſecutio, quamdiu Decius vixit: de cuius Imperij tempore licet diuerſæ reperiantur ſententiæ, verior tamen videtur Euſebij & Caſſiodori chronographia, dicentium imperaſſe annum vnum ac menſes tres, quam & nos ſequimur in noſtris Annalibus, ex quibus etiam corrigas eà quæ ad chronographiam pertinentia in his Notis à nobis anteà poſita ab ijs diſcrepare noſcuntur. Quo quidem elapſo tempore, mox crudeliſſimus tyrannus meritas dedit pœnas impietatis; dum prælians aduerſus barbaros, in paludem incidens, cœno abſorptus, vltrà viſus non fuit, ita vt nec eius cadauer potuerit reperiri: eo prælio & eius filius Decius Minor occiſus eſt. Horum omnium integer teſtis eſt Aurelius Victor. Vnde autem acciderit, vt martyres paſſi poſt Decium, in perſecutione Decij paſſi dicantur; vel cur nonnumquam ſub nomine Decij & Valeriani vna eademque perſecutio cenſeatur, dicemus inferiùs ad quartum Idus Auguſti in Laurentio martyre.

[d] Ad iuſſionem Paganorum.] Eadem verba non tantùm in antiquo Martyrologio, ſed etiam apud Vſuardum ſunt ſcripta, eademq́ue vox etiam vſurpatur à Beda & Adone hac die in eodem Metrano martyre, licet Dionyſius apud Euſeb. lib. 6. cap. 34. eoſdem non Paganos, ſed Gentiles appellet. At quoniam diuerſo ſenſu hoc vocabulum accipitur ab Ethnicis, quàm à Chriſtianis ſumatur: non abs re fore exiſtimo, ſi originem nominis & cauſam varietatis adducam in medium, cùm frequens ſit vſus eius vocis; nec alicubi eam, mea quidem ſententia, ſatis explicatam inuenerim. Vt autem eius nominis origo petatur, ſciendum eſt, Paganos à pago dictos, pagoſq. à fontibus eſſe appellatos, quòd eadem aqua vterentur: aquas enim lingua Dorica πηγαὶ dictas eſſe, ſcribit Feſtus. Vnde & eleganter Perrotus: Fons Grędè πηγὴ dicitur: vnde ſimul plures domus ruſticæ, hoc eſt, plures villæ, pagus vocatur, quòd circa fontes condi huiuſmodi villæ conſueuerint; hinc Pagani dicti, quaſi eodem fonte potantes. Hæc ille. At verò poſteà vſu receptum eſt, vt non tantùm in pago degentes à Gentilibus dicerentur Pagani; ſed & omnes qui non eſſent adſcripti militiæ, atque in Paganico eſſe dicerentur, qui nondum inter milites cenſiti eſſent, vt conſtat ex L. 1. Cod. de militari teſtamento, & alijs. In eodem ſenſu etiam accipienda ſunt verba Tertulliani libro de corona militis, dum ait, Chriſtianum hominem militiæ adſcriptum eadem pro Chriſti nomine præſtare debere, quæ (inquit) fides Pagana condixit: ac ſi diceret: Eadem eſt lex Chriſtiani hominis militantis cum illa quæ fuerat illi præſcripta, cùm adhuc Paganus, nondum inter milites eſſet adnumeratus. Subdit & hæc verba in eamdem ſententiam: Nec enim delictorum impunitatem, martyriorum immunitatem militia promittit. Et paulò pòſt: Apud hunc (Chriſtum ſcilicet) tam miles eſt Paganus fidelis, quàm Paganus eſt miles infidelis, &c. quæ verba malè à Rhenano eſſe interpretata, quiſque facilè intelliget: miramurq́ue Pamelium virum eruditum cum eſſe ſecutum: nullo enim pacto Paganus illic pro Ethnico, ſed pro eo tantùm qui non eſt miles, ſumitur. Quòd autem Pagani poſteà appellati ſunt & ij qui non ſunt Chriſtiani, ſed Gentiles: non quidem antiqua, ſed recens fuit ea vocis ſignificatio: quæ licet reperiatur in eo ſenſu poſita in nonnullis vitis ſanctorum martyrum; eam tamen non ex illorum Actis olim conſcriptis, ſed ab illis qui poſtmodum eadem paraphraſticè deſcripſerunt, vel è Græco fortaſſe tranſtulerunt, vſurpatum ſcias, vt apparet hîc in Metrano, de quo hac die agitur in Martyrologijs: quod & Prudentius feciſſe videtur hymno 10. de ſancto Romano. Primus quem inuenerim antiquorum, qui Paganum pro Ethnico acceperit, eſt Optatus Mileuitanus, qui libro 3. contra Parmenianum ſic ait: Paganum vocas eum, qui Deum Patrem per Filium eius ante omnia rogauerit? Quicumque enim credidit, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti credidit: & tu eum Paganũ vocas poſt profeſſionem fidei? Si aliquid Chriſtianus (quod abſit) vnuſquiſque deliquerit, peccator dici poteſt, Paganus iterum eſſe non poteſt. Hæc Optatus. Et ſanctus Auguſtin. lib. 2. retract. cap. 43. Deorum falſorum cultores, inquit, vſitato nomine Paganos vocamus. Hæc ille. Et Honorius Imperator



Digitized by Google

rator eamdẽ vocem quaſi nouiter eo ſenſu vſurpatã declarat, cùm ait: Qui profano Pagani ritus errore, ſeu crimine polluuntur, hoc eſt, Gentiles, nec ad militiam admittantur, &c. L. 21. de Pagan. C. Theod. Eodẽ ſenſu accepta ea vox reperitur in alijs reſcriptis Imperatorum Chriſtianorum, vt conſtat C. Theod. & Iuſtinian. tit. de Paganis.

Vnde autem Pagani appellati ſint cultores idolorum, diuerſorum antiquorum ac recentiorum ſententias recenſebimus. Philaſtrius libro de hæreſibus cap. 3. ex Heſiodo Græco poëta, quem citat, ait fuiſſe Deucalionis & Pyrrhæ filium Paganum nomine, eumdemq. Regem, quem poſteri vt deum coluerunt, atque ab eo Pagani ſunt denominati. Iſidorus lib. 8. origin. ſic ait: Pagani ex pagis Athenienſibus dicti, vbi exorti ſunt: ibi enim in locis agreſtibus & pagis Gentiles lucos idolaque ſtatuerunt, & à tali initio Pagani vocabulum ſortiti ſunt. Hæc Iſidorus. Eſt aliorum eiuſdem vocis tropologicus ſenſus: Beda enim pluries, vt in Cantic. lib. 6. c. 30. & in Marcum capite 15. in Luc. lib. 6. c. 23. & homilia in feriam tertiam Palmarum: Pagani, inquit, à villis ſunt dicti, eò quòd ſint longè à ſupernę ciuitatis habitatione. Rurſum Alciatus & alij Paganos aiunt dictos eſſe Gentiles, eò quòd non ſint adſcripti Chriſtianę militiæ, qua quis aduerſus diabolum certaturus, arma capeſſit. Hæ ſunt aliorum de eius nominis ſignificatione ac deriuatione ſententiæ. Quod autem me magnoperę reddit ancipitem, atque à Philaſtrij & Iiſdori opinione maximè diſtrahit, illud eſt: Quid ergo, ſi tam vetus eſt in eo ſenſu eius nominis interpretatio, vt idolorum cultores Pagani dicti ſint, quòd nec in diuinis ſcripturis, neque apud auctores Ethnicos ante tempora Conſtantini, vel Conſtantij eius filij alicubi ea vox eo ſenſu vſurpata reperitur? id quidem, vt à prædictis diſſentiam, cogit. At nec illis acquieſco, qui eius nominis interpretationem per tropologiam & non proprium germanumque ſenſum deducunt. Dicam quid in re ambigua ſentiam. Opinor quidem à temporibus Chriſtianorum Imperatorum eam vocem in eam tranſiſſe ſignificationem, vt Pagani dicerentur Gentiles, ea nimirum ex cauſa, quòd legibus Imperatorum clauſis idolorum delubris, ſacriſque vetitis; Gentiles ſic ſua ipſorum ſuperſtitione excluſi, Pagos adirent, illicque ſuos deos colerent, ac clandeſtina ſacra peragerent. In pagis enim & villis illorum ſuperſtitionis cultum fuiſſe frequentem, docet Cicero lib. 2. de legibus. Erant enim illic celebria feſta, Paganalia dicta, feriçq. Paganicę, quorum omnium meminit Varro lib. 5. de lingua Latina. Vnumquemque Gentilium in ſuo agro habuiſſe partem aliquam dijs ſacratam, in qua eos colerent, auctor eſt Cenſorinus lib. de die natali cap. 1. Prædictis his omnibus ea conſentiunt, quæ ſcribit Plinius in epiſt. ad Traianum, dum queritur, iam ob cultum Chriſtianæ religionis non tantùm (vt ait) in ciuitatibus, ſed & in vicis & agris ſacra deorum eſſe intermiſſa; ſicque accidiſſe, vt Ethnicus homo, quòd in pagis deos coleret, diceretur Paganus. In hanc ſententiam Romanus martyr apud Prudentium ſic ait:

*Non erubeſcis, ſtulte, pago dedite?*

Idemque aduerſus Symmachum libro primo in fine hæc habet:

*Nec pago implicitos per debita culmina mundi*
*Ire viros prohibet, &c.*

Sicque pago deditos, pagoq. implicitos Gentiles ipſos vocat. Vſque etenim ad tempora Honorij Imp. quæ erat in pagis idololatria, adhuc reſidua fuiſſe videtur. Vnde ſanctus Auguſtinus, qui iiſdẽ temporibus vixit, ſerm. 6. de verbis Dom. Hæc de idolis: Multi Pagani habent iſtas abominationes in fundis ſuis. Numquid accedimus & confringimus? priùs enim agimus, vt idola in eorum cordibus cõfringamus, &c. hęc Auguſt. His conſentiunt ea quæ decreta ſunt in Concilio quinto Carthaginenſi eodem tẽpore celebrato; nimirum, vt peterent ab Imp. vt quæcumque reſiduæ eſſent ſuperſtitiones Gentilium ſiue in ſimulacris, vel in lucis, vel arboribus, omnino delerentur. can. 15. Conc. 5. Carthag. Sicq. ex his omnibus iure dici poſſe videtur, Paganos Gentiles homines ſic à pago eſſe dictos, quòd excluſi ciuitatibus, in pagis adhuc idola colerẽt. Sanctus Zeno Epiſcopus Veronen. in Pſalm. 49. de triplici genere ſacrificiorum hæc habet: In prædijs autem veſtris fumantia vndique ſola fana non noſtis. In ſingulis pagis fuiſſe locum dicatum dijs tutelaribus, actaque ibi feſta Paganalia dicta, teſtatur Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 1. hiſt. Rom. qui plura habet de origine Paganorum: additque Paganis etiam olim militare fuiſſe conceſſum. Cùm autem militia priuati eſſent, probro vertebatur aliquem dici Paganum. Vnde illud Tacit lib. 3. hiſtor. Mox infeſtus Prætorianus: Vos, inquit, niſi vincitis, Pagani. Sub Chriſtianis verò Imperatoribus Gentiles (vt dictum eſt) eiuſmodi nota ignominiæ affecti ſunt. Tunc verò ipſos extra militiam poſitos, à militibus ac ceteris Chriſtianis Paganos eſſe dictos, ſicque in poſterum eodem cenſitos eſſe nomine, facilè contingere potuit. Hæc eſt noſtra de nomine Pagani ſententia; quam ſic proponimus, vt ceteris meliora afferentibus parati ſimus libenter aſſentiri.

[e] Saturnini & ſoc.] De his etiam Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri: tempus autem martyrij incertum habetur.

[f] Tharſicij & ſoc.] Reſtituti ſunt ijdem ex vetuſtiſſimo Martyrologio monaſterij S. Cyriaci in Thermis, cuius ſuprà meminimus.

[g] Triphenis.] Agunt de eadem hac die Græci in Menologio.

[h] Geminiani Epiſcopi.] Vide eius res geſtas apud Mombrit. tom. 1. & Petr. in catal. li. 3. c. 57. quas eiuſmodi eſſe comperies, vt emendatione vehementer indigeant: quod nuper pręſtitiſſe videtur Ioannes Vareſanius, qui adiecit nonnulla miracula eiuſdẽ Sancti virtute patrata. Interfuiſſe reperitur Geminianus Epiſcopus Synodo habitæ Mediolani aduerſus Iouinianum hæreſiarcham, cui præſens ſubſcripſit per Aprum preſbyterum, vt apparet ex ſynodica epiſtola tunc ad Siricium Papam directa. extat apud S. Ambroſ. epiſt. 7. lib. 1. edit. Rom. licet ibi, cuius fuerit ciuitatis Epiſcopus, non exprimatur. Fuit & alius Geminianus Epiſcopus, qui vixit tẽporibus S. Leonis Papæ, quem vnà cum Domitiano Epiſcopo idem Rom. Pont. legatum miſit Conſtantinopolim ad Leonem Imp. qui redeuntes, Gennadij Epiſc. Conſtantinopolitani litteras eidem Pontifici Romano reddiderunt, vt apparet ex eiuſdem Leonis epiſt. 100. ad Gennadium. Quarũ autem

ciuitatum

Digitized by Google

ciuitatum hi fuerint Epiſcopi, non inuenimus. Si autem hunc Geminianum, qui vixit ſub Leone Papa, quis putauerit eſſe Epiſcopum Mutinẽſem, optimè illi conuenirent res geſtę cum Attila. Sed de his prolixior eſſet habenda diſputatio.

[i] Iulij presbyteri.] De eodem tabulæ eccleſiæ Mediolanenſis. Eius Acta, vtcumque ſint, recitat Mombrit. tom. 2. Nouarienſes eumdẽ ſibi Iulium vendicant; qui etiam hac die de ipſo agunt ac eius ſocio Iuliano, habentq́. de his priuatum officium eccleſiaſticum publicè recitari ſolitum.

[k] Marcellę viduę.] De clariſſimæ feminæ ſanctitate & eruditione extat egregia epiſt. S. Hieronymi 16. ad Principiam: in alijs epiſtolis ceteriſq. eius ſcriptionibus Marcella eſt ſępe in ore, ſemper in calamo: numquam tamen ſatis laudata. Ipſa etenim prima in Vrbe monaſticã vitam ab Athanaſio Alexandrino Epiſcopo ſibi traditã, ingentibus animis calcans faſtũ nobilitatis, exercuit. Ipſa itidem prima hęreſes Origenis vnà cum libro Periarchon à Rufino tranſlato Romam inuectas, ac in animos plurimorũ illapſas, in ipſumq́. Apoſtolicum thronum quodammodò irrepere pręſumẽtes, incredibili fidei zelo & animi conſtantia detexit, atque damnandas curauit. Hęc & alia de ipſa S. Hieronym. cuius etiam auctoritate obijſſe conſtat paulò poſt Vrbem ab Athalarico expugnatam, anno à Chriſto quadringenteſimo decimo.

[l] Tranſlatio S. Marci.] Quonam tempore eiuſmodi trãſlatio facta ſit, diuerſa à diuerſis ſcripta reperimus. Referemus primo loco illorũ, quos non probamus, ſententiam. Sigebertus in chron. anno Domini 471. ſub Simplicio Rom. Pont. factam refert: quam quidem ſententiam à veritate nimiùm diſcrepare, cùm euidens ratio, tum etiam ceterorum omnium auctoritates facilè monſtrãt. Id ipſum ferè Petrus in catal. lib. 2. cap. 61. qui rei geſtæ texens hiſtoriam (niſi legatur mendosè) ait, eam tranſlationem factam anno Domini 465. ſub Iuſtiniano Duce, & Vrſo Epiſcopo, quorum tempora poſt multa ſæcula inciderunt. Nactus ſum aliquando codicem manuſc. in bibliotheca Vatic. ſub num. 44. plut. 1. ibique ſcriptum legi, eam tranſlationem factam eſſe anno à Chriſto 800. ibidem & de eccleſia ſancti Marci, quam abſolutam ſcribit auctor anno 1071. Sabellicus autem, qui res Venetorum plus ceteris calluiſſe videtur, id contigiſſe ſcribit ſub Iuſtiniano Venetorum Duce, cuius magiſtratus incidit in annum 831. nam annis 809. pater eius Angelus, Particiacus dictus, Dux creatus adminiſtrauit Rempublicam annis 22. His conſentire videtur Platina, dum ait, eiuſmodi tranſlationem factam ſub Gregorio Quarto Rom. Pont. qui ſedere cœpit anno 828. ſeditque annos 16. At cùm prædictum Iuſtinianum duobus tantùm annis fuiſſe in magiſtratu dicant, neceſſe eſt affirmare eius Pontificis anno quarto, vel quinto eam tranſlationem eſſe factam. Conſtat autem longè à veritatis ſcopo aberrare omnes, qui eam ante quingenteſimum, vel ſexcenteſimum Chriſti annum referunt; cùm numquam illis temporibus Alexandrina ciuitas fuerit ſub Sarracenorum dominio, quando ea accidiſſe omnes fatentur.

# FEBRVARIVS.

## I Kalendis Februarij. Luna. D xxix.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | | | |

NATALIS ſancti Ignatij [a] Epiſcopi & martyris, qui tertius [b] poſt beatum Apoſtolum Petrum Antiochenam rexit eccleſiam, atque in perſecutione Traiani damnatus ad beſtias [c], Romam vinctus mittitur, vbi præſente Traiano, circumſedente Senatu, immaniſſimis pœnarum ſupplicijs primò affectus, leonibus dehinc obijcitur; quorum dentibus præfocatus, hoſtia Chriſti efficitur. Smyrnæ S. Pionij [d] preſbyteri & martyris, qui poſt apologias pro fide Chriſtiana conſcriptas, poſt ſqualorem carceris, vbi multos fratrum ad martyrij tolerantiam ſuis exhortationibus roborauit, cruciatibus multis vexatus, clauis confixus, & ardenti rogo ſuperpoſitus, beatum pro Chriſto finem ſortitus eſt: cum quo & alij quindecim paſſi ſunt. Rauennæ ſancti Seueri [e] Epiſcopi, qui ob præclara merita ſigno columbæ fuit electus. Trecis S. Pau-

S.Pauli [f] Epiſcopi, cuius vita virtutibus claruit, & mors pretioſa miraculis commendatur. Eodem die ſancti Ephræm [g] Edeſſenæ eccleſiæ diaconi, qui poſt multos labores pro fide Chriſti ſuſceptos, ſub Valente Imperatore ſanctitate & doctrina conſpicuus quieuit in Domino. In Scotia ſanctæ Brigidæ [h] virginis, quæ cùm lignum altaris tetigiſſet in teſtimonium virginitatis ſuæ, ſtatim viride factum eſt.

# FEBRVARII 1.

IGNATII [a]. ] De eodem hac die ceteri Latinorum, Græci autem ad 20. menſis Decembris, vt conſtat ex Menologio. Contigit eius martyrinm vndecimo anno Traiani Imp. vt ſcribit Euſeb. in chron. & S. Hieron. de ſcrip. Eccleſ. in Ignatio. Quibus erroris arguũtur, qui dicunt paſsũ anno tertio Traiani, vt inter alios Zonaras; vel anno nono eiuſdem, vt Michael Syncellus in Dionyſio. Ado Viennen. licet dicat eum martyrium obijſſe anno vndecimo Traiani, tamen cùm addit, ſub Conſulatu Attici & Marcelli, & ipſe errat: nam prędicti Marcelli Conſulatus anno ſeptimo Traiani Faſtis adſcribitur, vndecimo autẽ eius Imperatoris anno Gallus & Bradua adierunt Conſulatum. Martyrium S. Ignatij deſctipſit ex antiquioribus monumentis Metaphraſtes. Porrò Ignatij effigiem ipſæ eius epiſtolæ viuam ac germanam exprimunt, quæ omnium ſanctorum Patrum & ſacrorum Conciliorum auctoritate probantur. Reperimus inter vetuſta monnmenta Vaticanæ bibliothecæ perbreuem ſermonem S. Heronis, eiuſdem S. Ignatij diſcipuli ac ſucceſſoris, quo etiam enixiùs eumdem interpellat, vt quem in fide erudierat, protegere ſuis precibus non deſineret. Inteximus eum in Annalibus Eccleſiaſticis: prolixiores nimis fuiſſemus, ſi hîc exſcribere, vel præclara omnia de Ignatio Patrum elogia recenſere voluiſſemus. De tranſlatione corporis eius iterùm facta, ſuo loco inferiùs: hîc autem de ſucceſſione ipſius modò reſtat ſoluenda ambiguitas, quæ ſequitur.

[b] Qui tertius poſt beatum Apoſt. Petrum Antiochenam rexit eccleſiam.] Primus enim Petrus, ſecundus Euodius, tertius Ignatius eſt ſubſtitutus Epiſcopus Antiochenus. Id etenim non obſcurè Euſebius in chron. & hiſt. lib. 3. c. 16. & S. Hieron. lib. de ſcrip. Eccleſ. in Ignatio, & alij hos ſecuti profitentur: quod ipſe Ignatius abſque vlla ambiguitate teſtari videtur in epiſt. 12. ad Antiochenos, cùm ait: Mementote Euodij beatiſſimi patris veſtri, qui primus poſt Apoſtolos gubernacula eccleſię veſtrę ſortitus eſt. Hęc cùm ita ſe habeant, quid eſt quod S. Ioannes Chryſoſtomus, eiuſdem eccleſię olim preſbyter, in præclara illa oratione quam habuit de tranſlatione corporis eius Româ Antiochiam, abſque vlla hæſitatione aſſeuerat, Ignatium immediatè ſucceſſiſſe Petro? quod & confirmare videtur Felix Rom. Pontifex in epiſtola quam ſcripſit ad Zenonem Imp. quæ recitatur in Quinta Synodo Conſtantinop. Act. 1. vbi ait S. Ignatium dextera Petri fuiſſe ordinatum Epiſcopum eccleſiæ Antiochenæ. Inſuper & Theodoretus in Immutabili dialog. 1. hæc ait: De illo enim Ignatio omnino audiſti, qui per magni Petri dexteram Pontificatum ſuſcepit, &c. Quid ad hæc dicimus? Non aliud ſanè, niſi quod coniectura nobis perſuademus; vt ſicut olim Clemens Romanus, quamuis ordinatus à Petro, ceſſit tamen Lino & Cleto, ſic & Ignatius Euodio locum dare voluerit. Nec verò inanis hæc cuiquam eſſe fictio videatur: nam ex libris Conſtitutionum Clementis, quas non omnino deſpexiſſe viſi ſunt Patres, hæc quæ dicimus, ſatis probari poſſunt: in libro enim ſeptimo cap. 46. duo dicuntur electi eſſe Antiochiæ Epiſcopi, Ignatius à Paulo, & Euodius à Petro. Neque hoc quidem adeò mirandum: nam propter exortum ibi diſſidium, alterum ijs qui ex Gentibus ad Chriſtum veniſſent, alterum verò ijs qui ex Circumciſione credidiſſent, Epiſcopum præfici oportuit; quod optimè ex ijs conijcere licet, quæ S. Paulus ſcribit ad Galatas cap. 2. Compoſita autem diſſenſione, cùm in vnum lapidem angularem Iudæi ſimul & Gentiles conueniſſent, non vltrà duobus, ſed vno tantùm Epiſcopo opus erat: ſicque Ignatius ceſſit Euodio, atque ita in ſerie Epiſcoporum Antiochenorum primo loco Petrus, ſecundo Euodius, tertio verò poneretur Ignatius, quia iterùm ſedit poſt Euodium. Puto tamen irrepſiſſe errorem in citatum locum Clementis, dum Euodius à Petro, & Ignatius à Paulo dicantur ſubſtituti Epiſcopi, cùm potiùs ſecundùm prædictorum auctoritatem, Petrus Ignatium ordinauerit. Vtcumque ſit, optima ratione Ignatius & ſecundus & tertius dici poteſt Epiſcopus Antiochenus: ſecundus nimirum, quia ab Apoſtolo ordinatus, eius loco ſedit: tertius, quia ea ratione qua diximus, cedens Euodio, poſt ipſum iterùm ſedit. Vide inſuper quæ de his ſunt ſcripta à Turriano in Conſtit. Apoſt. c. 46.

[c] Damnatus ad beſtias. ] Quòd Chriſtianos frequenter reperias damnatos ad beſtias, id ea de cauſa contigiſſe putamus, quòd eiuſmodi ſupplicium vilioribus in primis perſonis à legibus irrogabatur, vt L. 3. ff. ad leg. Corn. de ſicar. Cumq. Chriſtiani apud Gentiles talis eſſent æſtimationis (vt habes pluribus apud Tertullian. in apol.) idcircò frequens erat illa aduerſus eos vulgi conclamatio: CHRISTIANI AD LEONEM. id ipſe in apologet. Vel ſic: CHRISTIANI AD BESTIAS. ita idem in exhortat. ad caſtitat. Nec quis putet aduerſus vulgares perſonas tantùmodò ſic à Gentilibus conclamatum, ſed & aduerſus Epiſcopos. Vnde Cyprianus in epiſt. 55. ad Cornelium Papam hęc de ſe ipſo: Toties ad leonẽ petitus in Circo. & paulò pòſt item: Clamore popularium ad leonem denuò poſtulatus in Circo, &c. Eadem de eodem Cypriano Pontius diaconus in vita ipſius: vt ſcias ea verba Cypriani in dicta

epiſtola,

epiſtola, non ad Cornelium, vel alium eſſe referenda, ſed ad ipſum, ab eo de ſe ipſo dicta. Sunt de his alia innumera ferè exempla.

[d] Pionij. ] De eodem Beda hac die, ac ceteri Latinorum; Græci autem (vt apparet ex Menologio) agũt vndecima Martij; in quo paſſus ponitur in perſecutione Decij Imp. quod eiuſdem Pionij martyrij Acta teſtantur, quæ à nobis diligentiùs cognita, legitima inuenta ſunt atque ſincera: quorum planè auctoritate & nos in eam ſententiã libentiùs imus, vt affirmemus, Pionium paſſum eſſe ſub Decio: quod & profeſſi ſumus in Annalibus Eccleſiaſticis, vbi eorumdem Actorum fidem multis teſtificationibus certam firmamq́. reddidimus. At excuſabilis planè error, qui in Latinis omnibus Martyrologijs in hanc diem poſitus legitur, dum in his Pionius paſſus habetur ſub Marco Aurelio & Lucio Vero; cùm id ipſum teſtari videatur expreſsè Euſebius lib. 4. cap. 14. ad finem, dum ait, teſtimonio epiſtolæ Smyrnenſis eccleſię, Pionium eodem planè tempore quo Polycarpus ſubijſſe martyrium: at non de perſecutionis tempore, ſed de anni menſe epiſtolam locutam eſſe, Pionij Acta inde exſcripta declarant, in quorum exordio hæc leguntur: Vigeſimatertia menſis Februarij, cùm Sabbatum magnum inſtaret, natalis ſcilicet beati martyris Polycarpi, vigente Decij perſecutione, Pionius preſbyter & ſocij comprehenſi ſunt. Et in fine: Hæc acta ſunt Iulio Proculo Quinctiliano magiſtratum gerẽte, Conſule Meſſio Quincto Traiano Decio, & Grato ſecundùm. Quòd autem diuerſis diebus Latini à Græcis celebrent feſta Pionij ac Polycarpi; multę, vt in alijs, cauſæ adduci poſſent, nempe reliquiarum inuentio, aut tranſlatio, depoſitio, ſeu in honorem ipſorum martyrum eccleſiæ dedicatio.

[e] Seueri Epiſc. ] Beda etiam de eo hac die, tabulęq́. Rauennates. De Seueri ſucceſſione, ambigua omnis & incerta ſcripta reperiũtur. Nam primùm in Actis ipſius quę Sur. recitat to. 1. habetur eum vixiſſe eodem tempore, quo Geminianus Epiſcopus Mutinenſis. Rurſus autem Hieron. Rub. qui ſcripſit res eccleſiæ Rauennatis, agens lib. 2. de obitu Seueri, confutat illam hiſtoriam de Seuero & Geminiano; at verò ſcribens de eiuſdem Seueri ordinatione, creatum dicit Epiſcopum temporibus Aureliani Imperatoris, cùm Gaius Pontifex Romanæ præeſſet Eccleſiæ: quod quidem nullatenus mihi probatur; nam reperitur Seuerus Epiſcopus Rauennas interfuiſſe atque ſubſcripſiſſe Concilio Sardicenſi, habito Rufino & Euſebio Coſſ. vt indicant eius Synodi Acta, & Athanaſius in apologia 2. vbi etiam recenſentur nomina Epiſcoporum, qui illi Synodo interfuerunt. Porrò ſi dixerimus Seuerum ordinatum temporibus Aureliani Imp. & Gaij Pontificis, ſediſſeq; vſque ad Sardicenſe Cõcilium; neceſſe eſſet affirmare eumdem vixiſſe in Epiſcopatu annos ad minus ſexagintaquatuor: nam Gaius Papa ſub Aureliano creatur, anno Chriſti 283. Concilium autem Sardicenſe celebratum eſt anno 347. qui quidem annorum numerus nimiùm diuturnus videtur, cùm præſertim grauiſſimarum Eccleſiæ perſecutionum tempora annis illis includãtur. Rurſus autem non ſatis video, quonam pacto idem auctor ſub eiuſdem Aureliani temporibus eumdem Seuerum ſcribit ſucceſſiſſe Marcellino, ſi paulò ante Concilium Sardicenſe ſedebat Agapitus: id etenim non hic, vel ille abſque auctore ſcriptus codex, ſed Synodica Acta teſtantur; nam Concilio Romano habito ſub Conſulatu Feliciani & Maximiani, aliàs Titiani (vt in fine ipſius notatum habetur) ſub Iulio Papa, inter alios Epiſcopos Agapitus Rauennas legitur interfuiſſe: decem verò annis ab eo tempore celebratum eſt Concilium Sardicenſe, cui reperitur (vt diximus) interfuiſſe ac ſubſcripſiſſe Seuerus Rauennas Epiſcopus, de quo agimus. Nec eſt quòd quis quoquo modo ex falſa nota Indictionis ſextę ibi poſitę dicere poſſit, Concilium illud eſſe celebratum poſt Concilium Sardicenſe: nam ſucceſſores horum Epiſcoporum, qui huic Synodo interfuerunt, reperiuntur præſentes fuiſſe Concilio Sardiceno: nempe quòd Benedictus, qui huic Synodo præſens fuit, habuit ſucceſſorem Fortunatianum, qui interfuit Concilio Sardiceno, vixitq́. etiam temporibus Liberij Papæ, habuitq́ue ſucceſſorem Chromatium. Rufus item Epiſcopus Carthaginenſis, qui eidẽ Synodo interfuit, habuit ſucceſſorem Gratum, qui etiã Sardiceno Concilio præſens fuit: cui poſteà ſucceſſit Aurelius, qui ſedit temporibus etiam Honorij Imperatoris. Iulius Mediolanen. qui inter alios Epiſcopos eiuſdem Synodi numeratus habetur, ſucceſſorem habuit Protaſium, qui Sardicenę Synodo interfuit: eique eſt ſuffectus Dionyſius, poſt quem intruſus Auxentius. Cùm ex his certiſſimè conſtet, dictum Romanum Concilium ſub Iulio celebratum ante Sardicenſe, in eoq́ue Agapitum Rauennatem Epiſcopum interfuiſſe; poſtq́ue inde in Sardicenſi reperiatur ſubſcriptus Seuerus; neceſſariò dicendum eſt, Seuerum poſt Agapitum, nec anteà, ſed Iulij ſedis tempore, ſub Conſtante & Conſtantio ſedere cœpiſſe. Ex his itaque, quo tempore Seuerus ſedere cœperit, cuíve ſucceſſerit, ſatis compertum habetur. Hæcq́ue licet Synodicis Actis ſatis certa habeantur, aliquid adhuc tamen firmitatis nanciſcuntur ex ea vita Seueri, quam Mombrit. recitat tom. 2. vbi exactè ponitur tempus creationis Seueri, Conſtantio quartùm & Conſtante tertiùm Coſſ. quorum Conſulatum ponit Caſſiodorus ante Amantium & Albinum Conſules, cùm prædicti Augſti agerent in Imperio annum octauum: licet alibi ponatur idem Conſulatus Conſtantij & Conſtantis poſt prædictorum Amantij & Albini Conſulatum, qui eſt annus decimus eorumdem Auguſtorum, ante Concilium Sardicẽſe anno vno, quod vndecimo ipſorum anno eſt celebratum. Si itaque adhuc contenderint Seuerum ſucceſſiſſe Marcellino, dicant neceſſe eſt, alium ab iſto illum fuiſſe Seuerum, vel poſt Agapitum alium ſediſſe Marcellinum, quod nec ipſi admittunt. de his ſatis. De eodem S. Seuero extat ſermo Petri Damiani. De tranſlatione reliquiarum eius, ac vxoris Vincentiæ, & filię Innocentiæ Moguntiam, ſcribit Sigeb. in chron. anno Domini 824.

[f] Pauli Epiſcopi. ] Agunt etiam de ipſo Beda, Vſuard. Ado, Petrus in catal. lib. 3. cap. 71. & alij. In tabulis Epiſcoporum Trecenſium ponitur hic trigeſimuſquartus: habes eas apud Democh. de ſacrific. Miſſæ.

[g] Ephræm. ] De eodem hic Beda & alij, Gręci autem 28. Ianuarij, vt apparet ex Menologio. Huius celebris ſanctitas & eruditio non tantùm Syris, atque Meſopotamis, penes quos vixit, fuit

conſpicua, ſed fines ſuos egreſſa, longè lateq. diffuſa, tum Græcis, tum Latinis optimè nota atque perſpecta euaſit: tantæque eum exiſtimationis eſſe habitum, & ad tantam veniſſe claritudinem ſcribit S. Hieronymus, vt poſt lectionem Scripturarum publicè in nonnullis eccleſijs eius ſcripta recitarentur. Huius primordia ſi quis repetat, vnde eum magis admiretur, inueniet: Niſibi enim natus (vt ſcribit Sozom. hiſt. lib. 3. cap. 15.) admirabilis illius Iacobi Epiſcopi fuit alumnus, eruditionis diſcipulus, & ſanctitatis heres. Habuit de eo egregium encomium S. Greg. Nyſſen. quod recitat Lipom. tom. 2. Simeon Metaph. ex antiquis monumētis deſcripſit eius Acta. Mentio habetur de ipſo in vita S. Baſilij, quę fertur nomine Amphilochij, itemq. in vita Abrahę eremitæ: ſed nullibi, mea ſententia, feliciùs, quàm in ſuis ipſius ſcriptis, tum doctrinæ, tum ſanctitatis elucet eius imago. S Hieronymus de ipſo agens in lib. de ſcrip. Eccleſ. eum ex hac vita deceſſiſſe ſcribit ſub Valente Imp. quando præclarum illum ſcripſit commētarium, qui dicitur Teſtamentum Ephræm. habet eum Lipom. tom. 3. & Sur. tom. 1. quo inter alia Vitalianos hæreticos cauendos monet. iſti à Vitale Antiocheno ſunt dicti, cuius meminit S. Hieronymus ſcribens ad Damaſum. Porrò Vitaliani Apollinarianis manus dederunt vltimis eiuſdem Valentis temporibus. Conſtat Ephrēm reliquiſſe poſt ſe complures diſcipulos doctrinæ & ſanctitatis alumnos, præter Paulinum, quem ſcribit Gennad. de vir. illuſtr. cap. 3. primatus amore lapſum eſſe in hæreſim, reclamante licet ac reſiſtente magiſtro. Rurſum verò plura de Ephræm habes apud Vitas Patrum c. 17. Eſt verò de hoc quod gratulemur ætati noſtræ: ſiquidem eruditus vir Gerardus Voſſius Belga, quocum magna mihi intercedit familiaritas, ſcripta ſancti Ephræm ſumma cum diligentia perquiſita, & ex præcipuis Italiæ bibliothecis collecta, Latinitati daturus eſt: reddetque noſtris temporibus Syrum Theologum Latinè loquentem, cui Græcè dicendi ſanctus Baſilius olim tribuiſſe facultatem traditur.

[b] Brigidæ virginis.] De eadem item Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Habentur quædam eius Acta apud Sur. tom. 1. Verùm longè prolixiora legi in vet. cod. manuſcrip. monaſterij S. Cęciliæ trans Tiberim, vigintiquatuor diſtincta capitibus, ſcripta à quodam, nomine Cogitoſo. Incipit: Me cogitis, fratres, &c. Habet de eadem in fine verſus quoſdam. De tempore obitus eius Marianus Scotus ſcribit in chron. clauſiſſe diem extremum anno tertio Iuſtini ſenioris Imperatoris: eſt is annus à Chriſto ſecundùm Faſtos Onuphrij 521. Sigebertus autem in chron. diem obijſſe ſcribit anno Domini 518.

## xxviij. E Quarto Nonas Februarij. Luna. 2

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | | | |

PVRIFICATIO [a] beatæ Mariæ Virginis, quæ à Græcis Hypapante Domini appellatur. Romæ via Salaria paſſio ſancti Aproniani [b] commentarienſis, qui adhuc Gentilis, cùm ſanctum Siſinium è carcere educeret, vt Laodicio Præfecto præſentaret, vocemq; è cælo factam audiret, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi; credens baptizatur, & poſteà in confeſſione Domini finem vitæ capitali ſententia accepit. Item Romæ ſanctorum martyrum Fortunati [c], Feliciani, Firmi, & Candidi. Cæſareæ in Palæſtina ſancti Cornelij [d] centurionis, quem beatus Petrus Apoſtolus baptizauit, & apud præfatam vrbem Epiſcopali honore ſublimauit. Aurelianis ſancti Floſculi [e] Epiſcopi. Cantuariæ in Anglia natalis ſancti Laurentij [f] Epiſcopi, qui poſt ſanctum Auguſtinum eam eccleſiam gubernauit, & Regem ipſum ad fidem conuertit.

## FEBRVARII 2.

PVRIFICATIO [a].] De eadem ſolemnitate Beda, ac ceteri Latinorum, Græci etiam hac die, vt conſtat ex Menologio & nouel. conſtituit. Emmanuelis Imp. de ferijs. In vetuſtis codicibus inuenimus multifariàm appellatam eſſe eius diei celebritatem: nimirum dici feſtum Simeonis & Annæ, Pręſentationis, Occurſus, & quod vſu receptum magis eſt, Purificationis, à Græcis autem Hypapante, ſeu Hypante, ὑπαπάντη, vel ὑπάντη.

ὑπάντη. eſt enim ἀπαντᾷν obuiàm ire officij gratia, & occurrere; quo verbo vtitur Eccleſia, & rem quoque ipſam ſatis explicat in Inuitatorio nocturni officij, cùm ait: Ecce venit ad templum ſanctum ſuum dominator Dominus: Gaude & lætare Sion, occurrens Deo tuo. Humilis autem occurſus adhuc magis exprimitur voce ὑπαπάντη. Sub Iuſtiniano Imp. ſolemnitatem hanc Conſtantinopoli celebrari cœptam eſſe, tam Græci quàm Latini teſtantur auctores, Niceph. hiſt. libro 17. cap. 28. Paulus diac. ſeu potiùs (vt aliàs diximus) Ioannes diaconus in hiſt. Miſcel. anno 15. Iuſtiniani Imp. licet Georg. Cedren. in comp. anno 9. Iuſtini Imp. ſub eodem Iuſtino ſeniore Imp. eamdem celebritatem inſtitutam ſuiſſe dicat. Sigebert. in chron. anno Chriſti 542. occaſionem huius diei celebrandæ declarat his verbis: Conſtantinopoli, mortalitate magna inſurgente, ſtatuta eſt ſolemnitas beatæ Mariæ, quæ Græcè ὑπαπάντη, id eſt, obuiatio dicitur, &c. Eſt qui putet nullam Nicephoro tribuendam eſſe fidem de tempore ſolemnitatis huius, ea potiſſimùm ratione perſuaſus, quòd dicat reperiri tum Gregorij Nazianzeni, tum aliorum Patrum homilias in eadem ſolemnitate dictas; affirmans homiliam ſancti Gregorij Nazianzeni tam celebrem, inſcriptam Ad ſancta lumina, in huiuſmodi feſto die Occurſus Domini eſſe habitam: at verò eam die Epiphaniæ, quo etiam Græci celebrare conſueuerunt Chriſti baptiſmum, habitam eſſe, ſuperiùs, dum egimus de Epiphania Domini, apertè demonſtrauimus. Ego ſanè illud aſſeuerare non dubito, nullum vel Latinorum vel Græcorum Patrum, qui ante Iuſtinianum Imp. vixerunt, ſermonem in feſto die Occurſus Domini ſcriptum reliquiſſe: niſi quis accipiat Patrum commentarios in ſecundum caput Lucæ Euang. quo rei geſtæ hiſtoria enarratur, quæ vel ab illis explicata eſt in ſuis ipſorum commentarijs, vel certè de ea ad populum verba ſecerunt; vt apud Latinos S. Auguſtinus feciſſe videtur, qui in ſermone quodam habito in die Natalis Domini multa de Simeone Domino occurrente recenſet. eſt hic ſermo de temp. 13. quem laudabiliter Dei Eccleſia huic aptauit ſolemnitati. Eiuſmodi generis ferè ſunt homiliæ Patrum, quas Surius deſcripſit tom. 1. Sed aliud prorſus eſt Chriſti Domini ſacta laudibus prædicare, aliud eorum cauſa feſtos dies indicere & celebrare. Conſtat autem Gelaſium Romanum Pontificem, qui annis triginta ante Iuſtiniani tempora Romanæ Eccleſię pręfuit, huius diei celebrandæ in Occidentali Eccleſia aperuiſſe viam, dum Lupercalia menſe Februario agi ſolita (vt ſcribit Varro lib. 5. de ling. Lat.) Romæ ad ea tempora permanentia legibus Eccleſiaſticis abrogauit. Extat eiuſdem Pontificis de ea re eruditiſſimus commentarius aduerſus Andromachum ſenatorem ac ceteros Romanorum, ſtudioſos Lupercalium. habemus illum manuſcriptum in noſtra bibliotheca, quem & exſcripſimus integrum in Annalibus Eccleſiaſticis. eſt eius exordium: Sedent quidam in domibus ſuis neſcientes neque quę loquãtur, &c. Iure itaque opinamur, abrogatis Lupercalibus, Romæ (ſicut in multis accidit) eiuſmodi fuiſſe ſolemnitatem introductam: quam paulò pòſt, Iuſtiniani temporibus (vt vidimus.) Orientalis Eccleſia ea occaſione recepit. Miſſa ea die dici ſolita, in Sacramentario ſancti Gregorij, quod manuſcr. legimus in Vaticano, inſcribitur: AD COLLECTAM: eò quòd eleemoſymę publicè colligerentur, quas indici cõſueuiſſe ab ipſo Rom. Pont. indicant ſermones quinque S. Leonis Papæ de collectis habiti; in quorum tertio, alludens idem Pontifex ad prædictas Gentilium ſuperſtitiones ea die magis magiſque exerceri ſolitas, ait: Quoties cæcitas Paganorum in ſuperſtitionibus ſuis eſt intentior, tunc præcipuè populus Dei orationibus & operibus pietatis inſtaret, &c. Addidit huic ſolemnitati Sergius Papa (vt habet Ordo Rom.) litanias ſic inſtitutas, vt exeunte clero cum populo ab eccleſia S. Hadriani, procederet cum cereis ad talem vſum benedictis ad baſilicam S. Mariæ Maioris. Nec quis putet eumdem etiam cereorum vſum ab eodem Sergio eſſe inſtitutum: nam S. Eligius Epiſcopus Nouiomenſis, qui ante Sergij tempora vixit, obijtque (vt ſcribit Sigeb. in chron.) anno Domini 665. in ſermone, quem in ea ſolemnitate habuit, pluribus diſſerit de eo myſterio cereorum. Porrò ante Chriſti aduentum, cereorum in ſingulos diſtributio à Gentilibus fieri conſueuit in Saturnalibus, quæ agebantur menſe Decembri, vt tradit Macrob. libro 1. Saturn. Putamus (ſicut & de multis alijs contigit) vſum illum ſuperſtitionis Gentilium ſacris ritibus expiatum, ac ſacroſanctũ redditum, in Dei Eccleſiam eſſe laudabiliter introductum. Olim autem (vt auctor eſt Beda libro de temp. ratione cap. 10.) non tantùm in celebritate Purificationis beatiſſimæ Virginis, ſed & in ceteris eiuſdem Dei genitricis feſtiuitatibus eiuſmodi diſtributio cereorum fieri conſueuit. Reddimus verba eius, quò hæc certiora habeantur. Sunt hæc ipſa: Sed hanc luſtrandi conſuetudinem benè mutauit Chriſtiana religio, cùm in menſe eodem, die ſanctæ Mariæ, plebs vniuerſa cum ſacerdotibus ac miniſtris hymnis modulatæ vocis per eccleſias, perque congrua vrbis loca procedit, datoſque à Pontifice cuncti cereos in manibus geſtant ardentes: & augeſcente bona conſuetudine, id ipſum in ceteris quoque eiuſdem beatæ Matris & perpetuæ Virginis feſtiuitatibus agere didicit, &c. Hæc Beda. Scripſit de eadem celebritate ſermonẽ Authbertus abb. Caſſinenſis, alium item ſanctus Bruno Epiſcopus Signiæ, vt teſtatur Petrus diac. lib. de vir. illuſtr. mon. Caſſin. c. 13. & 34. Extant prætereà de eadem re tres ſermones ſancti Bernardi, totidemque Abſalonis abb. & ſex Guerrici abb. Agunt de eiuſdem ſolemnitatis myſterio Albin. de diuin. offic. Amal. lib. 3. cap. 43. Microlog. cap. 48. Rupert. abb. de diuin. offic. lib. 3. c. 25. & alij omnes, qui de eiuſmodi ſacris Eccleſiæ functionibus libros ſcripſerunt. Concilium Moguntinum, quod celebratum eſt ſub Carolo Magno, eiuſdem ſolemnitatis meminit c. 36. itemque capitul. Regum Franc. lib. 1. cap. 164. lib. 2. c. 35. & lib. 6. c. 186.

[b] Aproniani.] De eodem hîc Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Habentur eius res geſtæ adnexæ Actis S. Marcellini Papæ, quæ ſub nomine S. Marcelli recitat Sur. tom. 1. Commentarienſis hic fuiſſe dicitur. Erat Commentarienſis carcerum cuſtos, qui in commentariolo coniectos in carcerem ſcribere ſolitus erat, de quo ordine tam militiæ palatinæ, quàm caſtrenſis, vide quæ inferiùs notata habentur die 27. Martij.

[c] Fortunati & Feliciani. ] Agit de his etiam Vſuardus, aſſentiunturque vet. manuſcrip.

[d] Cornelij Centur. ] De eodem Beda ac ceteri Latinorum hac die; Græci autem in Menologio ad 13. Septembris. De functione autem epiſcopatus eccleſiæ Cæſarienſis, de quo hîc agitur, mentio habetur etiam apud Clementem conſtitut. libro 7. cap. 47. licet Metaphraſtes ſermone in natali Apoſtolorum 29. Iunij dicat Cornelium factum eſſe Epiſcopum Ilij; ſed id nullius auctoritate probatur. Acta Cornelij ex vetuſtioribus monumentis deſcripſit Metaphraſtes ad 13. Septembris. Quod ſpectat ad ſedem Cæſarienſem, ea occaſione, quòd ex conuerſione Cornelij (Deo monente) illic primùm apertum eſt oſtium fidei Gentibus, meruit ſingulari prærogatiua exaltari, vt non Ieroſolymitana, ſed ipſa fieret metropolis Palæſtinæ: quod non tantùm conſtat ex Concilij Nicæni can. 7. ſed etiam auctoritate ſancti Hieronymi epiſt. 61. ad Pammachium, & ex Actis Porphyrij Gazenſis Epiſcopi, quæ recitat ex Marco diac. Metaphraſtes die 26. Februarij. Iuuenalem Ieroſolymitanæ ſedis Epiſcopum hæc iura mutare conatum ſanctus Leo Papa repreſſit epiſt. 62. Quamobrem manifeſtè errare conſtat Theodorum Balſam. in expoſitione can. 7. Nicæni Concilij, dum affirmat ex Nicæni Concilij decreto eccleſiam Ieroſolymitanam inſtitutam eſſe ſedem Patriarchalem, quæ nec tempore Leonis Papæ, ipſo refragante, eam dignitatem conſequi potuerit. Sed de his pluribus in Annalibus. Non omittimus, quòd adhuc ætate ſancti Hieronymi, Cæſareæ domus Cornelij Centurionis in eccleſiam iam mutata, ſuperſtes erat; quam pietatis ergô ſancta Paula Româ veniens Ieroſolymam, in itinere inuiſit, vt idem ſcribit Hieronymus epiſt. 27.

[e] Floſculi Epiſcopi. ] De quo etiam hac die Vſuardus, Ado, & alij, Petrùs in catalogo lib. 11. cap. 47. In tabulis Epiſcoporum Aurelianenſis eccleſiæ, quas deſcripſit Democh. de ſacr. Miſſę. hîc ponitur decimus tertius eius ciuitatis Epiſcopus, Proſperi ſucceſſor, ad quem extat epiſt. Sidonij Apollinaris 15. lib. 9.

[f] Laurentij Epiſcopi. ] Huius egregia facta proſecutus eſt Beda in hiſtoria de geſtis Anglorum libro 2. cap. 4. 6. & 7. vbi hac illum die ex vita migraſſe teſtatur. Narratur autem in catalog. ſcriptorum Britanniæ, ſcriptam fuiſſe vitam eius à Gothzelino monacho S. Bertini. Agit de eodem Trithemius de vir. illuſtr. ord. S. Benedicti libro 4. cap. 49. claruit circa annum Domini 620.

xxvij. F **Tertio Nonas Februarij. Luna.** 3

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | | | |

SEBASTÆ in Armenia paſſio ſancti Blaſij [a] Epiſcopi & martyris, qui multorum patrator miraculorum, ſub Agricolao Præſide poſt diutinam cæſionem, atque in ligno ſuſpenſionem, vbi ferreis pectinibus carnes eius diruptæ ſunt; poſt teterrimum carcerem, & in lacum demerſionem, vnde ſaluus exiuit, iubente eodem iudice, vnà cum duobus pueris capite truncatur. Ante eum verò ſeptem mulieres, quæ guttas ſanguinis eius defluentes, dum torqueretur, colligebant, deprehenſæ quòd eſſent Chriſtianæ, poſt dira tormenta gladio percuſſæ ſunt. In Africa ſancti Celerini [b] diaconi, qui decem & nouem dies cuſtodia carceris ſeptus, in neruo [c] & ferro, varijſque pœnis glorioſius fuit Chriſti confeſſor: & dum inexpugnabili firmitate certaminis ſui aduerſarium vicit, vincendi ceteris viam fecit. Item ſanctorum martyrum Laurentini [d] eius patrui, Ignatij auunculi, & Celerinæ [e] auię, qui anteà martyrio coronati fuerant: de quorum omnium glorioſis laudibus extat beati Cypriani epiſtola. Ibidem ſanctorum martyrum Felicis [f], Symphronij, Hippolyti, & ſociorum. In oppido Vapingo ſanctorum Tigidis [g] & Remedij Epiſcoporum, Lugduni ſanctorum Lupicini [h] & Felicis itidem Epiſcoporum. Eodem

dem die ſancti Anſcharij [i] Bremenſis Epiſcopi, qui Sueuos & Danos ad fidem Chriſti conuertit.

## FEBRVARII 3.

BLasii Epiſcopi. [a] ] Agunt de eodem hac die Beda & alij, Græci autem vndecima huius menſis. Huius martyrij ac ſociorum eius Acta Metaphraſtes paraphraſticè proſecutus eſt: quæ etiam deſcripſit Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 1. Habemus eorumdem Latina exemplaria peruetuſta, quæ in quibuſdam eccleſijs legi conſueuerunt, quibus ipſorum res geſtæ fuſiùs explicantur, tempuſque perſecutionis deſcribitur, videlicet ſub Diocletiano Imp. quod quidem in Metaphraſte deſideratur: Mombrit. præterea recitat eorumdem Acta tom. 1. & alij plerique. Mentio habetur de eodem ſancto Blaſio Epiſcopo in Actis ſanctorum martyrum Euſtratij, Auxentij, & ſociorum in fine. habes ea ex Metaphraſte apud Surium tom. 6.

[b] Celerini. ] De eodem Beda, ac ceteri Latinorum hac die. Pluribus de ipſo Cyprianus epiſtola 16. 23. 34. Cenſetur hic idem Celerinus cum eo, de quo ſcribit Cornelius Papa ad Fabium Antiochenum Epiſcopum. Extat epiſtola apud Euſebium hiſtor. libro 6. cap. 35. vbi eum præclaro hoc ornat elogio: Celerinus, vir qui Dei clementia adiutus, omnia tormentorum genera maxima tolerantia pertulerat, & corporis imbecillitate vi ac robore fidei confirmata, ſtrenuè ac viriliter de aduerſario victoriam reportauerat, &c. Erat hic enim optimè notus Cornelio Papæ: nam ei Cyprianus ad ipſum dabat Romam litteras, vt conſtat ex libro de Rom. Pontificibus in Cornelio, & ex Cypriano epiſtola 16. Fungebatur etenim Celerinus apud Cyprianum munere tabellarij, vel potiùs dicam legati. Moris enim erat, cùm Epiſcopus ad Epiſcopum ſcriberet, non cuilibet ignoto homini litteras credere, ſed tantùm alicui eccleſiæ miniſtro, cuius fides & probitas eſſet in omnibus explorata. Huius quidem rei cùm innumera exempla ſuppetant, ſatis ſit allegare teſtimonium eiuſdem Cypriani in epiſtola 24. cùm ait: Vrgente cauſa, clero in Vrbe conſiſtenti litteras me miſiſſe ſciatis: & quoniam oportuit me per clericos ſcribere (ſcio autem noſtros plurimos abſentes eſſe, paucos verò, qui illic ſunt, vix ad miniſterium quotidiani operis ſufficere) neceſſe fuit nouos aliquos conſtituere, qui mitterentur. Feciſſe me autem ſciatis lectorem Saturum, & hypodiaconum Optatum confeſſorem, &c. Extat egregia huius Celerini epiſtola ad Lucianum apud Cyprianum 21. edit. Pamel. rurſus alia Luciani ad ipſum ſcripta 22.

[c] In neruo. ] Eſt neruus ferreum vinculum, quo pedes impedirentur, quo etiam & ceruices implicarentur, vt Feſtus eſt auctor: ſunt de his apud Plautum nonnulla exempla. Item & Iſidorus libro 9. origin. Neruus eſt, inquit, vinculum ferreum, quo pedes vel ceruices impediuntur. Eſt de neruo apud Gellium libro 11. cap. vltimo feſtiua Catonis ſententia, qua dicere ſolebat: Priuatorum fures in neruo & compedibus ætatem agunt: publici in auro & purpura viſuntur.

[d] Laurentini & ſociorum. ] De his etiam Beda ac ceteri. Horum meminit ſanctus Cyprianus epiſtola 34. aitque ſe eorum annuam agere commemorationem, ſicut & ceterorum martyrum. Sunt hæc eius verba: Sacrificia pro eis ſemper (vt meminiſtis) offerimus, quoties martyrum paſſiones & dies anniuerſaria commemoratione celebramus. At quòd dicit, Pro eis offerre, non ſic accipias, quaſi pro eis orarent ſacrificantes: ſed quòd in eorum commemorationem ſacra agerent; vt declarat Auguſtinus ſerm. 17. de verb. Apoſt. cap. 1. & in Ioannem tract. 84.

[e] Celerinæ auiæ. ] Erat in Africa illuſtris memoria ſanctę Celerinæ, de cuius baſilica habetur mentio in titulo ſermonis 236. S. Auguſtini de temp.

[f] Felicis & ſoc. ] Reſtituti ſunt hi omnes ex vetuſtiſſimo codice manuſcrip. monaſterij ſancti Cyriaci in Thermis.

[g] Tigidis & Remedij Epiſcoporum. ] Agit de his Vſuar. etiam, adſtipulantur vet. manuſcr.

[h] Lupicini & Felicis Epiſcoporum. ] Beda de Lupicino tantùm, de quo etiam Wandelbertus. Ponitur hic Lugdunenſis eccleſiæ Epiſcopus 24. vel 28. ſecundùm diuerſas tabulas, quas deſcripſit Democh. Felix autem cùm in illis non inueniatur, alterius ciuitatis Epiſcopus exiſtimatur.

[i] Anſcharij Epiſcopi. ] Scripſit eius inſignia facta Rembertus eius diſcipulus, ac in eamdem ſedem Epiſcopus ſucceſſor. Plura etiam de eo habentur in vita eiuſdem Remberti, quam habet Sur. tom. 1. die 4. Febr. item Albert. Crantz. in hiſt. eccleſ. Saxon. lib. 20. & in Sax. lib. 2. cap. 25. & 29. & Trith. de vir. illuſt. ord. S. Bened. lib. 4. c. 84. Ordinatus hic fuit Epiſcopus Bremenſis anno à Chriſto Domino 833. temporibus Gregorij Quarti Rom. Pont. qui ad eumdem miſit pallium; & (vt Trithemius ait) à Sergio Papa Secundo in Archiepiſcopum ſublimatus eſt Bremenſis eccleſiæ, cùm anteà Hamburgenſis fuiſſet conſecratus Epiſcopus.

xxvj. C **Pridie Nonas Februarij. Luna.** 4
25.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22
t u A B C D E f F G H M N P
23 24 25 26 27 28 29 1 30 1 2 3 4 5

ROMÆ ſancti Eutychij [a] martyris, qui illuſtre martyriũ conſummauit, ſepultuſq. eſt in cœmeterio Calliſti: cuius ſepulchrũ ſanctus Damaſus Papa verſibus exornauit. Foroſempronij ſanctorum martyrum Aquilini [b], Gemini, Gelaſij, Magni, & Donati. Thmuis in Ægypto paſſio beati Philęę [c] eiuſdẽ ciuitatis Epiſcopi, & Philoromi tribuni militũ, qui in perſecutione Diocletiani, cùm à cognatis & amicis ſuaderi non poſſent vt ſibi parcerent, ambo datis ceruicibus palmas à Domino meruerunt: cum quibus etiam innumera multitudo fidelium ex eadem vrbe, paſtoris ſui ſequens exemplum, martyrio coronata eſt. Eodem die ſancti Remberti [d] Bremenſis Epiſcopi. Trecis ſancti Auentini [e] confeſſoris. Peluſij in Ægypto ſancti Iſidori [f] monachi, meritis & doctrina conſpicui. Eodem die ſancti Gilberti [g] confeſſoris.

## FEBRVARII 4.

EVTYCHII [a].] Reſtitutus eſt ex antiquis monumentis. Huius cùm Acta exciderint, libuit ſaltẽ eius epitaphium, cuius hîc habetur mentio, à Damaſo Papa ſcriptum, recitare, quo martyrij eius cognitio habeatur. Extat inciſum in tabula marmorea in eccleſia ſancti Sebaſtiani ad cœmeterium Calliſti, via Appia. Eſt huiuſmodi:

*Eutychius martyr crudelia iuſſa tyranni,*
*Carnificumq́; vias pariter tunc mille nocendi*
*Vincere quod potuit, monſtrauit gloria Chriſti:*
*Carceris inluuiem ſequitur noua pœna per artus:*
*Teſtarum fragmenta parant, ne ſomnus adiret.*
*Bis ſeni tranſiere dies, alimenta negantur.*
*Mittitur in barathrum ſanctus, lauat omnia ſanguis*
*Vulnera, quæ intulerat mortis metuenda poteſtas.*
*Nocte ſoporifera turbant inſomnia mentem.*
*Oſtendit latebra inſontis quæ membra teneret.*
*Quæritur, inuentus colitur, fouet, omnia præſtat.*
*Expreſſit Damaſus: meritum venerare ſepulchrum.*

Corpus S. Eutychij è dicto cœmeterio Calliſti tranſlatum eſt ad baſilicam S. Laurentij, in Damaſo dictam, ad Theatrum Pompeij.

[b] Aquilini & ſoc.] De his etiam hac die Beda, Vſuardus, & vet. manuſcripta, ex quibus in veriorem lectionem textus eſt reſtitutus, qui dicebat: Romę in Foro Sempronij, &c. Nam ex Foris Romę poſitis, quę decem & nouem numerantur, nullum ex illis Sempronij dicebatur. Cùm itaque in vetuſtioribus codicibus abſque Romę nomine ſic tantùm legeretur, In Foro Sempronij; cumq́ue & Beda etiam ita legeret: in hunc modum eſt germana lectio reſtituta. Optimè nota eſt ciuitas in Vmbria Foroſempronium dicta, cuius & meminit Plinius libro 3. c. 14. & alij. Agit de ijſdem martyribus Wandelbertus in ephemerid. & Petrus in catal. lib. 3. cap. 82.

[c] Philææ & Philor.] Beda item hac die, ac ceteri omnes. Porrò martyrij Acta Philææ & Philoromi ſcribit Euſebius hiſt. lib. 8. cap. 10. & 11. Paſſi ſunt hi anno primo perſecutionis Diocletiani Imperatoris, vt idem auctor teſtatur lib. 8. cap. 12. in fine. De ijſdem alij complures agunt, quos omittimus referre, cùm omnes eadem ex eodem auctore deſcripſerint.

[d] Remberti Epiſcopi.] Huius res geſtas ex antiquis eius eccleſiæ monumentis edidit Surius tom. 1. hac die. Sanctus Bauo abb. Corbeienſis ſcripſit ſancti viri inſigne miraculum, quod inuenies apud Albertum Crantz. qui plura habet de Remberto in hiſt. eccleſ. Saxon. lib. 2. cap. 2. 10. & 11. Succeſſit hic ſancto Anſchario, de quo pridie huius diei. Claruit ſub Ludouico Pio Imp. & eius filijs. Accepit hic pallium à Nicolao Primo Romano Pont. Exceſſit ex hac vita anno Domini 888. vt idem auctor teſtatur.

[e] Auentini.] Irrepſerat huic nomen Epiſcopi, ſicut etiam apud Vſuardum in prima editione Molani; qui in ſecunda id emendauit, auctoritate (vt apparet) Gregorij Turonenſis, qui in libro de gloria confeſſ. cap. 68. non dicit ipſum fuiſſe Trecenſem Epiſcopum, ſed miniſtrum S. Lupi Trecenſis Epiſcopi. Cui veritati adſtipulantur etiam tabulę Epiſcoporum eius eccleſię, quas Democh. edidit lib. de ſacrif. Miſſæ. in quibus ſanè nullus eius nominis legitur Trecenſis Epiſcopus.

[f] Iſidori.] Gręci etiam de eodẽ hac die in Menologio. Scribit de Iſidoro Peluſiota Euagrius Scholaſt. li. 1. c. 15. Suidas, Photius in bibl. & Niceph. hiſt. li. 14. c. 28. 30. & 53. Fuit hic S. Ioannis Chryſo-

Chryſoſtomi diſcipulus, & celebris inter Eccleſiaſticos ſcriptores Græcos. Extant eiuſdem Iſidori Peluſiotæ tres libri epiſtolarum nuper à Billio Latinitate donati, & Pariſijs impreſſi. Claruit temporibus Theodoſij Iunioris, multa nobilia relinquens poſteris & ſanctitatis & ſcriptorum monumenta. Huius Iſidori eſt aurea illa ſententia prædicata in Concilio 2. Niceno Act. 1. qua dicitur: Templi nulla ratio, quòd non ornatur imagine. eamdem etiam ſanctus Ioannes Damaſcenus exſcripſit libro 3. de imaginibus.

ᵍ Gilberti, aliàs Giliberti, ſiue Guiberti.] Fuit is fundator nobilis monaſterij Gemblacenſis. Wicbertum hunc vocat Sigebertus, quem è vita migraſſe ait anno Domini 962. De eodem Petrus in catalog. libro 2. cap. 83. & Molanus in Indic. & in natal. ſanct. Belg. Eius vitam à Sigeberto eiuſdem cœnobij monacho ſcriptam retulit Surius in tom. 3. die 23. Maij.

## 5 Nonis Februarij. Luna. A xxiiij. xxv.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |

CATANÆ in Sicilia natalis ſanctę Agathę [a] virginis & martyris, quæ temporibus Decij Imperatoris ſub Quinctiano iudice poſt alapas & carcerem, poſt equuleum & torſiones, poſt mamillarum abſciſſionem, poſt volutationem in teſtulis & carbonibus, tandem in carcere Deum precando conſummata eſt. In Ponto commemoratio plurimorum [b] ſanctorum martyrum, quorum alij in perſecutione Maximiani plumbo liquenti perfuſi, alij acutis arundinibus in vnguibus cruciati, ac multis horrendis tormentis vexati, iiſdemque ſæpiùs iteratis, palmas à Domino & coronas illuſtri paſſione meruerunt. Alexandriæ ſancti Iſidori [c] martyris, qui in perſecutione Decij à Numeriano exercitus duce pro fide Chriſti capite cæſus eſt. Viennæ beati Auiti [d] Epiſcopi & confeſſoris, cuius fide, induſtria, atque admirabili doctrina ab infeſtatione Arianæ hæreſis Galliæ defenſæ ſunt. Brixinone ſanctorum Epiſcoporum * Genuini [e] & Albini, quorum vita miraculis extitit glorioſa. * Ingenuini.

## FEBRVARII 5.

AGATHÆ [a].] Beda ac ceteri Latinorum, necnon & Græci in Menologio de eadem agunt hac die. Eius præclara Acta tam Latinis quàm Græcis fuere notiſſima; ea etenim Gręcis edidit Metaphraſtes, quę Latina reddita habet Lipom. to. 5. & Sur. tom. 1. Ipſa autem Latina exemplaria reperiuntur in vetuſtis codicibus, qui vſui erant eccleſijs, quos & Paſſionaria, ſeu Sanctotalia vulgò appellabant. Habemus in noſtra bibliotheca in vno eorum eiuſdem Agathæ Acta cum die & Coſſ. annotata. Paſſa nimirum fertur hac die, Decio tertiùm Conſule. Numeratur in Faſtis Onuphrij hic annus à Chriſto 252. cùm Cornelius Papa Romanæ Eccleſiæ præeſſet: ex quibus ſanè Beda & alij emendandi ſunt, qui eam dicunt paſſam temporibus Diocletiani Imp. Scripſit prętereà de eius die natali ſacrum hymnum S. Damaſus Papa. Incipit: *Martyris ecce dies*, &c. habetur in collectaneis poëtarum Chriſtianorum. Duo inſuper hymni ſcripti leguntur in Breuiario Toletano S. Iſidori, quibus canuntur eius triumphi. Meminit eiuſdem Venant. Fortun. in carmine de gaudijs vitæ æternæ, & lib. 8. in carm. de virginitate; itemque Aldelmus in lib. de laude virginit. In Vrbe natalis eius ſolemniter agi conſueuit: nam in ſacramentario S. Gregorij ſpecialis eius diei præfatio legitur. Erat in Vrbe, & hactenus permanet celebris memoria S. Agathę in Suburra dicta, cuius meminit S. Gregorius in regiſtro lib. 3. epiſt. 19. quam olim ab Arianis vendicatam idem S. Gregorius Catholico cultui mancipauit, vt ipſe ſcribit lib. 3. dialog. cap. 30. Hadrianus Papa in epiſtola ad Carolum Magnum Imp. de imagin. affirmat eamdem fuiſſe à S. Gregorio picturis ſacris ornatam, diuerſis (vt ait) hiſtorijs tam in muſiuo, quàm in coloribus. Porrò illis temporibus, quibus Gothorum illuſtres viri ciuitate Romana donati, ibidem Conſulatus & præfecturas geſſerunt, ea eccleſia peculiari vſui Gothorum ceſſit, quorum Ricimer Conſularis vir potentiſſimus, gener Anthemij Auguſti illum locum

marmorum cruſtis, & nobilibus picturis muſiuo opere intextis, quibus ſacroſanctæ Saluatoris & duodecim Apoſtolorum imagines exprimuntur, magnificentiſſimè ornauit. Declarat id enim vetus inſcriptio, quæ ibidem in apſide his verbis legitur: FL. RICIMER V. I. MAGISTAR VTRIVSQVA MILITIÆ PATRICIVS ET EXCONS. ORD. PRO VOTO SVO ADORNAVIT. Poſt hæc autem cùm Reges Gothi, ijdemque Ariani Romæ regnarent, illorum ſacerdotes eamdem ſibi vt propriam quaſi hereditario iure vendicarunt, tenueruntque, donec Roma & Italia pulſi ſunt.

[b] Plurimorum ſanctorum martyrum.] Horum certamina egregia ſummatim complexus eſt Euſeb. hiſt. libro 8. cap. 24 narrans paucis illorum ſæuiſſimos cruciatus; paſſoſque refert anno nono perſecutionis Diocletiani & Maximiani Imperatorum.

[c] Iſidori mart.] Agunt de eo hac item die Græci in Menologio. paſſus traditur ſub Decio Imperatore. extant eius Acta apud Metaphraſtem, quæ & deſcripſit Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 1. hac die.

[d] Auiti Epiſc.] De eo etiam Beda, ac ceteri hac die. Hic Alcimus Auitus dictus eſt: pluribus agit de ipſo Ado eiuſdem Viennenſis ſedis Epiſc. in chron. anno 492. Iſidorus de vir. illuſtr. c. 23. Greg. Turonen. de geſtis Franc. lib. 2. cap. 34. & alij. Interfuit Auitus, ſubſcripſitque Concilio Epaunenſi, citatur in Concil. Turonen. ſecundo can. 21. & 22. meminit eiuſdem Sidon. libro 8. epiſt. 11. ad Lupum, necnon Ennodius in vita ſancti Epiphanij Epiſcopi Ticinenſis fuſiùs ſcripta. Extat eius ſepulchri epitaphium carmine ſcriptum, vbi in fine hæc leguntur ſoluta oratione: Claruit ſub Zenone & Anaſtaſio Impp. ſepultus in monaſterio SS. Petri & Pauli apud ſenatoriam Viennenſium vrbem. Extant eiuſdem egregij auctoris quinque libri carminum, quibus ſacram Geneſim verſu heroico cecinit; liber inſuper de laude caſtitatis ad Fuſcinam ſororem, necnon etiam homilia de inſtitutione Rogationum. Habemus inſuper nobile monumentum ſanctiſſimi viri, epiſtolam manuſcrip. ad Hormiſdam Papam, datam tertio Kalend. Februarij, Conſule Agapito. eſt eius exordium: Dum religionis ſtatui, &c. itemque eiuſdem Hormiſdæ ad eumdem redditam epiſtolam ſub eodem Cōſulatu xv. Kalend. Martij, incipit: Qui de his quæ ad diſciplinam Catholicam pertinent, &c. Intexuimus eas integras in Annalib. Eccleſ. Eiuſdem nominis Auitus Epiſcopus Aruernorum doctrina pariter & pietate inſignis claruit circa annum Domini 580. ſub Chilperico Rege Franc. qui (vt ſcribit Greg. Turon. hiſt. Franc. lib. 5. cap. 11.) omnes Iudæos Aruernis conſiſtentes ſupra quingentos conuertit ad fidem Chriſti. Ad hunc extant duo epigrammata Venantij Fortunati lib. 3. quibus auctor immenſas eius laudes celebrat. Sæpiùs de eo Greg. Turon. tam libro de gloria martyrum, quàm de gloria confeſſor. meminit de eo, cùm de Aruernenſi eccleſia habet ſermonem: quod frequenter accidit.

[e] Genuini & Albini Epiſcoporum.] Aliqui codices pro Genuino legunt Ingenuinum, cuius meminit Paulus diaconus de geſtis Longob. li. 3. cap. 12. Scripſit eius vitam Barthol. Tridentinus. De Genuino & Albino ſimul Petrus in catal. L. 3. c. 85. Fuit prior Epiſcopus Sabionenſis, qui cùm temporibus Longobardorum in exilium pulſus eſſet, ibi mortuus eſt: corpus autem eius Brixinonem tranſlatum eſſe, aſſociatumq. ſancto Albino Epiſcopo Brixinonenſi, idem auctor teſtatur.

## xxiij. B Octauo Idus Februarij. Luna. 6

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | | | |

CÆSAREÆ in Cappadocia natalis ſanctę Dorotheę [a] virginis & martyris, quæ ſub Sapricio illius prouinciæ Præſide primùm equulei extenſione vexata, dehinc palmis diutiſſimè cæſa, ad vltimum capitali ſententia punita eſt: in cuius confeſſione Theophilus quidam ſcholaſticus [b] ad Chriſti fidem conuerſus, & mox equuleo acerrimè tortus, nouiſſimè gladio cæſus eſt. Eodem die ſanctorum martyrum Saturnini [c], Theophili, & Reuocatę. Emeſſæ in Phœnicia ſancti Siluani [d] Epiſcopi; qui cùm eidem eccleſię annis quadraginta pręfuiſſet, ſub Maximino Imperatore vnà cum duobus alijs obiectus feris, membratimque diſcerptus, martyrij palmam accepit. Aruernis in Gallia ſancti Antholiani [e] martyris. Eodem die ſanctorum Epiſcoporum Vedaſti [f] & Amandi [g], quorum vita

vita & mors plurimis miraculis extitit glorioſa: è quibus prior Atrebatenſium, alter verò Traiectenſium rexit eccleſiam. Bononiæ ſancti Guarini [h] Epiſcopi Cardinalis Prænestini, vitę ſanctitate conſpicui.

## FEBRVARII 6.

DOROTHEÆ. [a] ] De ipſa etiam hac die Beda, Vſuard, Ado, & alij: Beda addit Chriſtianam, ſeu Chriſtetam & Calliſtam martyres; quas, cùm excidiſſent à fide, Dorotheæ monitis, audacioribus animis iterato certamine, igne fortiores inuĕtas, corona martyrij decorauit. Porrò Dorotheę res geſtas & ſociarum ſacer hymnus celebrat, qui extat in Breuiario Toletano: deſcribit etiam eius Acta Aldelmus libro de laude virginit. Thomas de Kempis de eadem martyre ſermonem habuit: Mombrit. inſuper tom. 1. Recitat eius res geſtas item Sur. tom. 1. Aliam ab iſta Dorotheam fuiſſe conſtat eam, cuius Rufinus meminit lib. 8. ſuæ paraphraſis ad Euſeb. cap. 17. licet Euſebius ſcribens eius hiſtoriam lib. 8. cap. 27. nomen non exprimat.

[b] Scholaſtici. ] Qui dicti ſint Scholaſtici, habes ex Tacito libro de orat. & alijs. Eo nomine nuncupati ſunt rhetores, & declamatores litium fictarum, qui deinde tranſirent ad tractandas veras. In eadem ſententia Plinius lib. 4. epiſt. 3. ad Nepotem, vbi ait eoſdem à fictis litibus tranſire ad cauſas cĕtumuirales, quas in baſilicis orabant, ſpectante populo: de ijſdem eodem libro epiſt. 14. ad Maximum, & epiſt. 18. ad Mauricum. Ante ipſum Seneca in lib. declamat. & lib. controuerſ. Talis erat S. Hieronymus, dum adhuc iunior Romę eſſet, vt ipſe teſtatur his verbis: Aliquoties cùm adoleſcentulus Romę controuerſias declamarem, & ad vera certamina fictis in litibus exercerer, currebam ad tribunalia iudicum, &c. Hęc ipſe in comment. in epiſt. ad Galat. cap. 2. Scholaſtici etiam ipſi Aduocati dicti reperiuntur: ſic in Concil. Sardicen. cap. 13. & L. 2. C. de luctis aduoc. lib. 12. & L. 1. de concuſſion. aduocat. Cod. Theod. & Syneſ. epiſt. 1. & 2. ad Domitianũ Scholaſt. Dicere ſcholaſticè, idem eſt quod rem aliquam rhetoricè pertractare: ſic Gennad. de vit. illuſtr. in Salniano, & Greg. in regiſtro libro 7. epiſt. 63. Verùm hodie ſcholaſticè dicere, idem eſt quod rem per controuerſiam diſputare: vnde & Theologi Scholaſtici illi ſunt dicti, qui res diuinas logicè diſputando perquirunt; idque non impropriè: nam ſcholas pro controuerſijs, ſeu diſputationibus Cicero lib. 1. Tuſcul. vſurpaſſe videtur, cùm ait: Dierum quinque ſcholas (vt Græci appellăt) in totidem libros contuli. Scholares autem etſi à ſcholis dicti ſint, non tamen ijdem qui Scholaſtici. dicebantur enim ſcholę cuiuſq. ordinis claſſes. Erant ſcholę militię caſtrenſis, & militiæ palatinę, quarum eſt frequens mentio in Cod. Theod. & (vt mittamus dicere de ſcholis ludi litterarij) erant & ſcholæ eccleſiaſticę diuerſi ordinis; vt ſchola cantorum, cuius frequĕs eſt mentio apud veteres qui agunt de diuinis officijs; ſchola notariorum, ſchola ſubdiaconorum, quarum meminit ſanctus Gregorius in regiſt. lib. 7. epiſt. 17. & aliæ diuerſorũ ordinum, à quibus & ſcholares dicti, non ſcholaſtici: ſicque intelligas locum illum in Actis martyrij ſancti Cypriani, in fine, cùm hæc habet: Inde cum cereis & ſcholaribus in area cuiuſdam Candidi procuratoris cum magno triumpho ſepultum eſt, &c. Scholares enim appellat auctor diuerſarum claſſium clericos.

[c] Saturnini & ſoc. ] De his etiam vet. manuſcrip. atque recentiores.

[d] Siluani Epiſc. ] Gręci etiam de eodem Siluano agunt hac die in Menologio. Eius res geſtas habet Euſebius hiſt. lib. 8. cap. 25. & lib. 9. c. 5. & Niceph. lib. 9. cap. 16. & 27. ex quibus ceteri.

[e] Antholiani. ] De eodem Beda, Vſuardus, & alij. De eius corporis inuentione Gregor. Turonen. de glor. mart. cap. 65. & hiſt. Franc. lib. 1. cap. 33. Acta tam ipſius, quàm aliorum martyrum Aruernenſium, ſcripta eſſe à ſancto Proiecto Epiſcopo Aruernenſi, Molanus teſtatur: ea nondum vidi.

[f] Vedaſti. ] Beda item ac ceteri. Huius egregia facinora ſcripſit Albinus Flaccus, quæ deſcripta habentur apud Sur. tom. 1. Miracula ipſius feruntur ſcripta ab Aimone. Fuit hic ordinatus Epiſcopus à ſancto Remigio Rhemenſi Epiſcopo anno Domini 542. Sedit vſque ad annum 570, quo ex hac vita migrauit, vt ſcribit Sigebert. in chron. Celebris eſt memoria monaſterij ſancti Vedaſti Atrebatenſis, multorum ſcriptorum monumentis conſignata.

[g] Amandi. ] De eo etiam ijdem qui ſuprà, Beda, ac ceteri. Huius vitæ Acta (vt auctor eſt Sigeber. de vir. illuſtr. cap. 106.) ſcripſit metro Milo monachus monaſterij S. Amandi, ſcientia clarus; ſed non apparent: extant autem eadem ſoluta oratione, quæ eidem Miloni tribuuntur; habet ea Surius tom. 1. hac die. Plura de eodem ſcripta ſunt à Nothgero Epiſcopo Leodienſi in vita S. Landoaldi, quam recitat Surius tom. 2. die 19. Martij. ibi de acceſſu eius ad ſanctum Martinum Romanum Pontif. & alijs: pluribus item de eo in vita ſancti Bauonis apud Surium tom. 5. Oct. 1. in Actis ſancti Giſleni; ibi de eius obitu, & de viſione tunc oſtenſa ſanctę Aldegundi. De eadem apud eumdem Surium tom. 5. die nona Octobris. Sigebertus in chron. eum natum ſcribit anno Domini 571. obijſſe verò anno 661. nonageſimum ſuæ ætatis annum agentem. De eo Trithem. item de vir. illuſtr. ord. ſancti Benedicti lib. 3. cap. 4. & lib. 4. cap. 135. & Molanus in Indic. ſanctorum Belgij. Ad hunc Amandum extat ſancti Martini Papæ epiſtola, quam inuenies tom. 2. Conciliorum.

[h] Guarini Epiſc. ] De eo tabulæ eccleſiæ Bononienſis. Vitam eius ſcripſit Auguſtinus Ticinenſis, quæ extat apud Surium tom. 7. vbi legitur, eum eſſe creatum Epiſcopum Prænestinum à Lucio Secundo Romano Pontifice.

Septi-

xxij. C **Septimo Idus Februarij. Luna.** 7

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25
t u A B C D E f F G H M N P
26 27 28 29 1 2 3 4 3 4 5 6 7 8

ROMVALDI [a] abbatis monachorum Camaldulenſium Patris, cuius dies natalis agitur tertiodecimo Kalend. Iulij. Auguſtæ in Britannia natalis beati Auguli [b] Epiſcopi, qui ætatis curſum per martyrium explens, æterna præmia ſuſcipere meruit. In Phrygia ſancti Adauci [c] martyris, qui ex Italia genere clarus, & omni ferè dignitatum gradu ab Imperatoribus honoratus, dum adhuc Quæſtoris officio fungeretur, martyrij corona pro fidei defenſione dignatus eſt. Item plurimorum ſanctorum [d] martyrum vrbis vnius ciuium, quorum dux erat idem Adaucus; qui cùm omnes Chriſtiani eſſent, & conſtanter in fidei confeſſione perſiſterent, à Maximino Imperatore igne conſumpti ſunt. Heracleæ ſancti Theodori [e] ductoris militum, qui Licinio imperante, poſt multa tormenta truncatus capite, victor migrauit in cælum. In Ægypto ſancti Moyſis [f] Epiſcopi venerabilis, qui primùm in eremo vitam ſolitariam duxit; deinde, petente Mauuia Regina Sarracenorum, Epiſcopus factus, gentem illam ferociſſimam magna ex parte ad fidem conuertit, & glorioſus meritis quieuit in pace. Lucæ in Tuſcia depoſitio ſancti Richardi [g] Regis Anglorum. Bononiæ S. Iulianæ [h] viduæ.

## FEBRVARII 7.

ROMVALDI [a] abb.] Eius feſtum Clemens VIII. Pontifex Max. duplicis officij ritu hac die celebrari præcepit, qua ipſius corpus Fabrianum oppidũ in Piceno tranſlatum, ibi honorificè conditum fuit in eccleſia S. Blaſij ordinis Camaldulenſis, vbi magna veneratione piè colitur. Vide quæ infrà de eodem ſancto notantur 19. Iunij.

[b] **Auguli Epiſc.**] De eo hac die Beda, Vſuardus, Ado, Wandelbertus, & Petrus in catal. lib. 3. cap. 105. Quo autem tempore paſſus ſit, hactenus mihi obſcurum.

[c] **Adauci.**] Fuit hic genere Italus, apud Imperatorem inter primos adnumeratus, paſſuſque eſt anno octauo perſecutionis Diocletiani Imperatoris. Scribit eius res geſtas Euſebius hiſtor. lib. 8. cap. 13. ex quo Niceph. lib. 7. cap. 10. qui eum Adauctum appellat

[d] **Plurimorum ſanctorum martyrum.**] Eorumdem certamen deſcribit Euſebius lib. 8. cap. 13. & Niceph. lib. 7. cap. 10. Horum meminit Lactantius lib. 5. cap. 11. dum Gentilibus ſuam ipſorum exprobrat ſæuitiam, aitque: Vnus in Phrygia vniuerſum populum cum ipſo pariter conuenticulo concremauit, &c.

[e] **Theodori duct.**] Græci etiam de ipſo agunt hac die in Menologio, feſtumque diem celebrant, vt conſtat ex Nouel. conſtit. Emmanuelis Imp. quam habes apud Theod. Balſ. in Nomoc. Photij tit. 7. cap. 1. Alius eſt item Theodorus, qui ad differentiam huius, cognomento dictus eſt Tyro, de quo pluribus acturi ſumus ad diem 9. Nouemb. Ob nominis tamen conuenientiam alter pro altero acceptus aliquando reperitur. Huius res geſtas ab Augaro quodam, qui ſpectaculo præſens fuit, conſcriptas recitat hac die Metaphraſtes, quas retulit Lipom. in tom. 5. & Surius in tom. 1.

[f] **Moyſis Epiſcopi.**] De eodem Beda, ac ceteri Latinorum. Proſecuti ſunt autem res geſtas ipſius in primis Rufin. hiſt. lib. 2. cap. 6. Socrat. lib. 4. cap. 29. Sozom. hiſt. lib. 6. cap. 38. Theodoretus lib. 4. cap. 2. Huius Moyſis alumni fuerunt Chriſtiani illi, qui ſub eadem Mauuia Regina Conſtantinopolitanam ciuitatem poſt Valentis Imp. interitum à Gothis obſeſſam, quaſi diuinitus miſſi, liberauere, vt ſcribit Socrat. hiſt. lib. 5. cap. 1. & Sozom. lib. 7. cap. 1. Fuit & alius Moyſes anachoreta, Æthiops dictus, de quo Græci in Menologio 28. Auguſti.

[g] **Richardi Regis.**] Huius res geſtas deſcri-

plit

pſit Sur. tom. 1. hac die. Vixit temporibus Zachariæ Papæ, qui ſedere cœpit an. Dom. 741.

[h] Iulianæ.] De eadem tabulæ eccleſiæ Bononienſis. Iulianam viduam laudibus cumulat ſanctus Ambroſius in exhortat. ad virgines; ſed illa (vt apparet) Florentiæ nobiliſſima femina claruit, quę erexit illic illuſtrem Baſilicam, quam ſanctus Ambroſius dedicauit, locupletauitq. ſacris reliquijs ſancti Agricolæ martyris, quas Bononiâ ſecum tulerat. Floruit ijſdem ferè temporibus Iuliana Romana clariſſima femina, filia ſanctę Probę, & mater S. Demetriadis ex illuſtri Aniciorum familia, ipſáq. non minùs ſanctorum Patrum præconio commendata; laudat enim eam S. Hieronymus ſcribens ad Demetriadem epiſt. 8. Innocentius Rom. Pontif. ad eamdem epiſt. 13. S. Auguſtin. epiſt. 43. & 179. ac denique Ioannes Chryſoſtom. ſcribens ad eam ipſam epiſt. 169. qua legatos à ſe Romam ad Innocentium Papam miſſos commendat. Dicta eſt hęc Tyrannia Anicia Iuliana, vxor Q. Clodij Hermogeniani Olybrij V. C. vt produnt antiquæ inſcriptiones marmoribus inciſæ, quas deſcripſimus in Annalib. Eccleſiaſt. Eiuſdem familiæ & nominis claruit Conſtantinopoli Iuliana, inſigni pietate mulier, temporibus Iuſtini ſenioris Imp. cuius habemus manuſcrip. epiſt. ad Hormiſdam Rom. Pontif. quam etiam intexuimus in Annalib. Eccleſ.

## 8 Sexto Idus Februarij. Luna. D xxj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | | | |

ROMÆ ſanctorum martyrum Pauli [a], Lucij, & Cyriaci. In Armenia Minori natalis ſanctorum martyrum Dionyſij [b], Æmiliani, & Sebaſtiani. Alexandriæ paſſio ſanctæ * Cointhæ [c] martyris, tempore Decij Imperatoris: quam * Quintæ Pagani correptam, ad idola perducentes, adorare cogebant; quod cùm illa execrans recuſaret, pedes eius vinculis innectentes, & eam per plateas ciuitatis trahentes, horrendo ſupplicio diſcerpſerunt. Conſtantinopoli natalis ſanctorum martyrum monachorum [d] monaſterij Dij [e], qui ob defenſionem fidei Catholicę, cùm ferrent litteras ſancti Felicis Papæ aduerſus Acacium, diriſſimè cæſi ſunt. In Perſide commemoratio [f] ſanctorum martyrum, qui ſub Cabade Rege Perſarum ob Chriſtianam fidem diuerſis ſupplicijs necati ſunt. Papiæ ſancti Iuuentij [g] Epiſcopi, qui ſtrenuè in Euangelio laborauit. Mediolani depoſitio ſancti Honorati [h] Epiſcopi & confeſſoris. Viroduni in Gallia ſancti Pauli [i] Epiſcopi, miraculorum gloria illuſtris.

## FEBRVARII 8.

PAVLI & ſoc. [a] ] Reſtituuntur ijdem ex ſępiùs citato vet. manuſc. Martyrologio monaſterij S. Cyriaci. Vbi cùm nec tempus, quo paſſi ſunt hi, vel alij, qui ibidem habentur martyres, exprimatur; quis mirari non debet: nam S. Gregorius Papa ad Eulogium ſcribens epiſt. 29. lib 7. Indict. 1. dum de Romano Martyrologio, quod vſui erat, meminit, ait, nomina, loca, & diem paſſionis in eo poſita haberi; de tempore autem nihil teſtatur.

[b] Dionyſij & ſoc. ] Agunt de his hac item die Vſuardus, Ado, Wandelbertus, conſentiuntque vet. manuſcrip.

[c] Cointhæ, aliàs Quintæ. ] De eadem Beda hac die, ac ceteri Latinorum. Scribit certamen eius Dionyſius Alexandrinus ad Fabium Epiſcopum Antiochenum, apud Euſeb. hiſtor. libro 6. cap. 34. Nicephorus ex eodem auctore libro 5. cap. 30.

[d] Martyrum monachorum. ] De his Nicephorus hiſt. lib. 16. c. 17. in fine ex Baſilio Cilice. Extant Felicis Papæ litteræ de anathemate Acacij Epiſcopi Conſtantinopolitani poſt legationem Vitalis & Miſſeni Epiſcoporum miſſam Conſtantinopolim, quas dicti ſancti martyres vulgauere, quam ob cauſam ſubiere martyrium. Erant hi monaſterij Acœmetarum; quorum, illis calamitoſiſſimis temporibus, quibus Alexandrina,

Antio-

Antiochena, & Conſtantinopolitana, ac demum ferè omnes Orientis eccleſię deſciuerũt à Catholica vnitate, ſincera fides & zelus enituit. Iocipit epiſtola Felicis Papę ad Acacium: Multarũ tranſgreſſionum teperiris obnoxius, &c. data v. Kalend. Auguſti, Venantio V. C. Cooſule. eſt aoous à Chriſto (ſecundùm Faſtos Oouphrij) 484. quo & prædicti forti occubuere martyrio, quòd dictas litteras per Turum Defeoſorem allatas publicare, & eidem Acacio mira conſtantia atque arte porrigere non ſint vetiti. at pluribus de his io Annalib. Eccleſiaſt. egimus.

[e] Monaſterij Dij.] Fuit Dius nomine Archimandrita ſanctitate celebris, cuius diem oatalem Græci celebrant 19. Iulij, vt conſtat ex eorum Menologio: huiuſq. nomine appellatum eſt monaſterium Dij, de quo agitur. Sicque illum locum intelligas Ierosol. Synodi Act. 1. vbi meotio habetur de atrio Dijtico: ſicut enim monaſterium, ita & atrium, ab eodem ſic eſt nuncupatum.

[f] Sanctorum martyrum.] De his etiam Georgius Cedren. anno 22. Anaſtaſij Imp. qui ait: Perſecutus eſt Cabades, qui fuit Rex Sarracenorum, aliquando Chriſtianos: tuncque ingens in eis virtus miraculorum effulſit: nam cùm quoſdam vncis gladijs concidiſſet, illi nihiloſeciùs poſteà ambulauerunt. Hæc ipſe. De his Niceph. hiſt. lib 16. cap. 36. in fine. & hiſt. Miſcel. ex Theophane lib. 15. Addit Nicephorus eumdem Regem poſt hæc fauiſſe Chriſtianis.

[g] Iuuentij.] Confunditur Iuuetitius & Eueotius aliquando. Agitur de Iuuentio iterùm pridie Idus Septembris. Accepi ex litteris eccleſię Ticinenſis, ante annos quinque fuiſſe inuẽtum Euentij venerandũ corpus cum huiuſmodi ioſcriptione: HIC IACET CLARVS MIRACVLIS EVENTIVS. Opinatus ſum aliquando, Euentiuin alium eſſe à Iuueotio, amboſque Epiſcopos Ticinenſes, diuerſiſque temporibus claruiſſe; & quem dicunt Euentium, vixiſſe temporibus Theodoſij Imperat. Reperitur enim Eueotios ſubſcriptus epiſtolæ Synodicæ S. Ambroſij de damnatione hæreſis Iouiniani ad Siriciũ Papam lib. 1. epiſt. 9. edit. Rom. quẽ & illũ eſſe exiſtimaui, qui in Concilio Aquileiẽſi mendosè ſcriptus reperitur Euentius Epiſcopus Citineoſis: vt reſtituendus textus eſſet, Ticinenſis. Sed quoniam in recentiori editione S. Ambroſij Romæ facta, Ceneteoſis, pro Citinenſi poſitum habetur, ampliùs non laboro.

[h] Honorati Epiſc.] Tabulæ Mediolaneoſes nuper diligentia viri eruditi Galeſini reſtitutæ de eodem agunt: memioit eiuſdem Honorati Paulus diac. de geſtis Longob. lib. 2. cap. 12.

[i] Pauli Epiſcopi.] Huius Acta in primis Bertharius mira breuitate ſcripſit: alia ſuperaddita habet Sur. tom. 1. hac die. ſummatim verò Trithem. de vir. illuſtr. ord. ſancti Benedicti lib. 3. cap. 258. Claruit temporibus Dagoberti Regis Francorum: ordinatuſque eſt Virdunenſis Epiſcopus anno Domioi 621. recenſeturque xiij. eius ſedis Antiſtes, vt Democh. de ſacr. Miſſ. ex tab. eccleſ. Virdunen. teſtatur.

## xx. E   Quinto Idus Februarij. Luna.   9

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | | | |

ALEXANDRIÆ natalis ſanctæ Apolloniæ [a] virginis, cui perſecutores tempore Decij dentes omnes primùm excuſſerunt: deinde constructo ac ſuccenſo rogo, cùm comminarentur viuam ſe eam incenſuros, niſi cum eis impia verba proferret; illa paululùm intra ſemetipſam deliberans, repentè ſe de manibus impiorum proripuit, & in ignem quem parauerant, maiori ſancti Spiritus flamma intus accenſa, ſponte proſiliuit, ita vt perterrerentur etiam ipſi crudelitatis anctores, quòd promptior inuenta eſſet ad mortem femina, quàm perſecutor ad pœnam. Romæ paſſio ſanctorum martyrum [b] Alexandri, & aliorum trigintaocto coronatorum. Soli in Cypro ſanctorum martyrum Ammonij [c] & Alexandri. Antiochiæ S. Nicephori [d] martyris, qui ſub Valeriano Imperatore capite cæſus, martyrij coronam accepit. In Africa in caſtello Lemelenſe ſanctorum martyrum Primi [e] & Donati diaconorum, qui cùm altare in eccleſia tutarentur, à Donatiſtis occiſi ſunt. In monaſterio Fontanella ſancti Anſberti [f] Rhotomagenſis Epiſcopi. Canuſij in Apulia ſancti Sabini [g] Epiſcopi & confeſſoris.

APOLLONIÆ [a].] De eadem hac item die Beda, Vſuardus, Ado, ac Latinorum ceteri. Egregium certamen eius ſcribit Dionyſius Alexandrin. in epiſt. ad Fabium Epiſcopum Antiochenum, apud Euſebium lib. 6. cap. 44. & Niceph. lib. 5. cap 30. Baptiſta Mantuan. eiuſdem agonem egregio carmine cecinit.

[b] Alexandri & ſoc.] Reſtituuntur ijdem ex vet. cod. manuſcrip. monaſterij S. Cyriaci.

[c] Ammonij & Alexandri.] Agunt de ijſdem Beda, Vſuardus, & alij omnes hac die, conſentiuntque vet. manuſcrip. Licet alia, Ægyptus, loco Cypri ponant, & alia habeãt Soli, loco Suevi, eſtque mea ſententia verior lectio. Soli dicta eſt ciuitas in Cypto, de qua Strabo lib. 14. & alij.

[d] Nicephori.] Græci etiam de eodem in Menologio hac die. Extant res geſtæ eius à Metaphr. deſcriptæ, quas Lipom. retulit in tom. 5. & Sur. tom. 1.

[e] Primi & Donati.] De his martyribus, locoque vbi paſſi fuerunt, Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parmenianum ſcribit, aitque: Cùm altare defenderent diaconi Catholici, tegulis plurimi cruentati ſunt, duo occiſi ſunt, Primus filius Ianuarij, & Donatus filius Nini, vrgentibus & præſentibus coëpiſcopis veſtris ſuperiùs memoratis, &c. Innumera ferè fuit multitudo Catholicorum in Africa, quam abſtulit furor Donatiſtarum, & rabies Circumcellionum: de quibus ſæpiſſimè Auguſtinus meminit, eoſque vt martyres honore dignos monſtrat epiſt. 158. ad Marcellin. Erat etiam Carthagine illuſtris martyr, Prima dicta, in cuius honorem Iuſtinianus Imp. nobilem erexit baſilicam, cuius meminit Procop. lib. 6. de ædific. Iuſtianiani Imp.

[f] Ansberti Epiſc.] Huius vitam ſcripſit Anſgardus monachus, quam deſcripſit Sur. to. 1. hac die. Plura de ipſo in vita S. Audoeni eius prædeceſſoris ſcribit Odo diaconus, quam recitat Surius tom. 4. die 24. Auguſti: vbi cùm dicit cap. 29. S Audoenum ex hac vita migraſſe anno à Christo Domino 677. ſatis poteſt intelligi quo tempore eius ſucceſſor Ansbertus ſedere cœperit; nam (vt habent Acta ipſius) mox in locum Audoeni ſubrogatus eſt: aſſentiũtur ijs ea quæ ſcribit Odo, dum narrat, an. Domini 682. Indictione 10. Anſbertum in Epiſcopatu egiſſe annum 5. Obijt autem anno Domini ſexcenteſimo nonageſimoquinto, vt eadem Acta teſtantur. De eodem Trithem. de vir. illuſtr. ord. S. Benedicti lib. 4. cap. 52. Molan. in Indic. SS. Belg. Petrus in catal. lib. 3. cap. 108. & alij. Ex prædictis corrigendus eſt Sigeb. in chron. dum ait, prædeceſſorem Ansberti Audoenum ex hac vita migraſſe anno Domini 690. Adſcribitur Ansbertus eius ciuitatis Epiſcopus vigeſimusſecundus in tabulis Democh.

[g] Sabini Epiſcopi.] Agit pluribus de Sabino Epiſcopo Canuſino S. Greg. Papa lib. 2. dialog. cap. 15 & lib. 3. cap. 5. Porrò integra Acta eius habemus in antiquo manuſcrip. codic. noſtræ bibliothecæ, ac in fine eorum plura ſubduntur miracula ab eo facta poſt obitum. Eſt vitę exordium: Voluntati tuæ, ſumme Pontifex, &c. Habetur ibidem, eum ſediſſe annis quinquagintaduobus, atque hac die ex hac vita migraſſe. Conſentiunt his quæ de longæua ætate eius ibidem leguntur, ea quæ ſcribit S. Gregorius, cùm ait, eumdem ob longum ſenium, oculorum lumine orbatum eſſe. Fuit quidem non tantùm vitæ ſanctitate ſpectatiſſimus, ac barbaris ipſis hoſtibus reuerendus, ſed in obeundis muneribus Eccleſiaſticis vigilantiſſimus: ſiquidem functus eſt legatione Apoſtolica Conſtantinopoli aduerſus Anthimum hæreticum Patriarcham Conſtantinopolitanum, poſt Conſulatum Beliſarij, Indict. 14. ann. Domini 536. vt apparet ex Actione 1. Quintæ œcumenicæ Synodi. Mentio habetur de eodem S. Sabino in Actis S. Placidi martyris, quæ ſcripta à Gordiano feruntur.

10 ## Quarto Idus Februarij. Luna. F xix.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | | | |

ROMÆ ſanctorum martyrum Zotici [a], Irenæi, Hyacinthi, & Amantij. Ibidem via Lauicana [b] ſanctorum decem militum [c] martyrum. Item Romæ via Appia ſanctæ Soteris [d] virginis & martyris, quæ (vt ſcribit ſanctus Ambroſius) nobili genere nata, parentum Conſulatus & præfecturas ob Christum contempſit; iuſſaque immolare, non acquieſcens, grauiter & diutiſſimè alapis cæſa eſt: & cùm cetera quoque pœnarum genera viciſſet, percuſſa gladio, læta migrauit ad ſponſum. In Campania ſancti Sil-

 uiani

* Pariſiẽſi

uiani [e] Epiſcopi & confeſſoris. In Stabulo Rhodis [f] in territorio * Senenſi ſancti Guilielmi [g] eremitæ. Apud montem Caſſinum ſanctæ Scholaſticæ [h] virginis, ſororis ſancti Benedicti abbatis, qui eius animam inſtar columbæ migrantem è corpore in cælum aſcendere vidit. In pago Rhotomagenſi ſanctæ Auſtrebertæ [i] virginis, miraculis celebris.

# FEBRVARII 10.

ZOTICI & ſoc. [a] ] Agit de ijſdem Vſuardus, Ado, & alij. Non quidem ſub Decio paſſi ſunt, vt nonnulli perperàm opinantur: habemus etenim in noſtra bibliotheca eorum Acta peruetuſta, in quibus martyrio coronati dicuntur ſub Hadriano Imp. & Licinio, aliàs Iunio Conſulati, in fundo Capreoli, via Lauicana, decimo ab Vrbe lapide. In Auentino in vinea Capranicorum, è regione hortorum Farneſiorum, ſupereſt adhuc ædes in memoriam ſancti Zotici erecta, in cuius parietibus, more maiorum, eius martyrij hiſtoria depicta cernitur: adeſt & Cõfeſſio, vbi aliquãdo ſancti martyris corpus aſſeruatum fuiſſe conijci poteſt

[b] Via Lauicana, aliàs Labicana. ] Incipiebat (vt auctor eſt Strabo) via Labicana à porta Eſquilina, ex qua etiam & via Prænestina: illa enim Labicos, hæc autem Præneſte ducebat. Extra portam Eſquilinam de ſontibus olim ſupplicia ſumi conſueuiſſe, auctor eſt Tacitus lib. 2. Annal. cùm ait: In P. Martium Conſules extra portam Eſquilinam, cùm claſſicum canere iuſſiſſent, more priſco aduerſũte. Et Suetonius in Claudio cap. 25. hæc ipſa: Ciuitatem Romanam vſurpantes in campo Eſquilino ſecuri percuſſit. Ad hæc alludit Horatius 5. epod. cùm ait: *Pòſt inſepulta membra deferent lupi, & Eſquilinæ alites*. Notat illic Porphyrio, in regione aggeris extra portam Eſquilinam ſolita fuiſſe pauperum corpora comburi, vel proijci. De eadem re Cicero orat. pro Cluentio hæc ait: Extra portam Eſquilinam in arenarias quaſdã perductus occiditur. Cæl. Rhodig. antiq. lect. libro 10. cap. 17. tum ex Varrone, tum ex alijs demonſtrat, extra portam Eſquilinam fuiſſe publicum locum, quem dicebant Puticulos: quoniam illic eſſent ſepulchra, in quę plebeiorum cadauera inſerebantur: Sic dicti Puticuli, vel Puticulæ (vt idem Varro auctor eſt) quòd putreſcebant ibi cadauera proiecta. Feſtus item agit de puticulis, vetuſtiſſimumq́ue genus eſſe ait ſepulturæ in puteis fieri ſolitum. Extant eiuſmodi ſepulchrorum ſpecies in arenarijs cryptis cœmeteriorum extra Vrbem poſitis. Sed non omnes in puticulis ſepeliebantur: nam Martialis lib. 1. epigrammatum ad Alcinam de puero defuncto:

*Labicana leui ceſpite velat humus.*

Lege autem duodecim tabul. intra Vrbem mortuos ſepeliri vetitum erat. Cic. lib. 2. de legib. & L. 3. ff de ſepulch. violat. Licet olim in domo ſua quiſque ſepeliretur, vt teſtatur Iſid. orig. lib. 15. cap. 11. Eam autem legem duodecim tab. de non ſepeliendo mortuum intra Vrbem, contrario vſu pænè abolitam reſtituit Theodoricus Rex Italiæ. Eſt cap. 111. At ea omnia iura Leo Imp. nouel. conſt. 53. irrita prorſus reddidit. Quod autem pertinet ad viam Labicanam, de qua agimus; complures martyres extra portam Eſquilinam, more maiorum, cùm paſſi eſſent; eorum corpora à Chriſtianis ſublata inſerebantur in cœmeterium, quod ea via erat nobile, ſanctorum Marcellini & Petri nomine dedicatum. Verùm ea omnia intra eamdem portam Eſquilinam, in vicum, ad Vrſum pileatum dictum, in cœmeterium quod ſancti Anaſtaſij Papæ nomine appellatum eſt, putantur illata; qui locus hodie dicitur Sancta Bibiana. Panuin. de cœmet. 22.

[c] Decem militum. ] De his item Beda, Vſuar. Ado, & alij: paſſi ijdem dicuntur via Lauicana.

[d] Soteris. ] De ea Beda ad diem 6. Februar. Vſuard. autem & Ado hac die: ſed quòd habent paſſam in Oriente, mendum irrepſiſſe, certum eſt. Vetus illud exemplum Martyrologij monaſt. S. Cyriaci ſic habet: Romę via Appia paſſio S. Soteris virginis. aſſentitur huic lectioni antiquum Martyrologium Caſſinenſe, & alia: roboranturque hæc auctoritate S. Ambroſij, qui dum de ea agit in exhortatione ad virgines prope finem, & lib. 3. de virg. Romanam fuiſſe genere, ortamq́ue parentibus Conſularibus, nec alibi quàm Romæ paſſam eſſe ſignificat. Quod autẽ ſpectat ad tempus martyrij, in Actis S. Pancratij martyris, quæ deſcribit Sur. tom. 3. die xij. Maij, hæc verba leguntur: Eodem tẽpore paſſa eſt ſacratiſſima virgo Soteris nobili genere orta, Diocletiano IX. & Maximiano VIII. Coſſ. vt manifeſtum eſt. Hęc ibi. Eſt is annus à Chriſto Domino ſecundùm Faſtos Onuphrij 304. Quod autem ſpectat ad nomen ipſum Soteris; ipſum inditum compluribus Romanis feminis, cognoſcere potes ex antiquis inſcriptionibus ab Aldo editis lib. de orthograph. rat. pag 350. 366. & alijs locis. Erat cœmeterium nomine ſanctæ Soteris, quod reſtaurauit Stephanus Papa II. vt auctor eſt Anaſtaſius in Actis eiuſdem Stephani Papæ. habemus ea apud nos manuſcripta. Corpus autem eiuſdem S. Soteris tranſlatum eſt à Sergio Iuniori Papa in titulum Equitij, vt docet vetus inſcriptio marmori inciſa, illic poſita.

[e] Siluiani Epiſc. ] Agit de eodem Beda hac die. Varia lectio reperitur in manuſcr. dum alia Siluianum, Siluanum, ſiue Siluinum alia habet. Quòd autem hîc fuiſſe ponatur Epiſcopus in Campania, nec cuius fuerit ciuitatis Epiſcopus declaretur: in re ambigua quid dicamus, non habemus: niſi quòd inuenimus claruiſſe tẽporibus Symmachi Papę Siluianũ, ſiue Siluinum Epiſcopum Veliternum, qui interfuit Romanis Concilijs tunc aduerſus ſchiſmaticos habitis. Sciendum prætereà, quòd licet ea ciuitas in Volſcis ponatur ab antiquis, vt Liu. lib. 2. & Dionyſ. lib. 7. & alijs: obtinuit

obtinuit tamen loquendi vſus, vt eadem prouincia & Campania diceretur: probant hæc Acta Synodica Romani Concilij ſub Agathone, in quibus ſubſcriptus reperitur Placentius Epiſcopus Veliternus prouinciæ Campaniæ. Extat ea Synodus deſcripta in Actione quarta Sextæ Synodi œcumenicæ: id & de pleriſque alijs accidit.

[f] In Stabulo Rhodis in territorio Senenſi.] Error irrepſerat, vt pro Senenſi, Pariſienſe territorium in nonnullis codicibus ſcriptum haberetur. Porrò ex Actis eiuſdem S. Guilielmi, quæ fideliſſimè ſcripta ſunt à Theobaldo Epiſcopo, prędictus error manifeſtus apparet, dum deſcribuntur finitima loca. Idem enim auctor cap. 18. & 21. cùm agit de eius vltimo aduentu in Tuſciam, meminit de Silua Liuallia, de Caſtellione, Caſtro Burianenſi, Monte Petritio, & Stabulo Rhodis, quod hodie dicitur Malauallis, poſita in agro Senenſi; quo in loco extat vetus memoria eiuſdem ſancti, nimirum eccleſia, ac monaſterium; ibique venerabile ſepulchrum eiuſdem habetur, vbi ſacrum corpus eius conditum fuit, licet pars eius translata fuerit Caſtellionem, quod à prędicto loco tribus milliaribus diſtat, ibique condita in eccleſia ſancti Ioannis Baptiſtæ. Hæc accepimus fida relatione, atque certa atteſtatione religioſorum fratrum Auguſtinianorũ, qui prædicto monaſterio in Stabulo Rhodis poſito præſunt, eadē nobis ſuggerente optimo & erudito viro Ren. D. F. Auguſtino Finizano Apoſtolicę ſedis Sacriſta.

[g] Guilielmi.] Hic ille, quem ſpirantem minarum & cędis, tamquam alterum Saulum, in diſcipulos Domini Catholica vnitate coniunctos, & ſæuo ſchiſmate perturbantem Eccleſiam ſanctus Bernardus abbas Claraualleníis ad Eccleſiæ coniunctionem reduxit, induxitque ad ſæculi contemptum, & Chriſti humilitatem amplectendam, prout conſtat ex Bernar. abb. Bonæuallis in vita S. Bernardi. Eius autem res geſtas locupletiùs proſecutus eſt Theobaldus Epiſcopus, quas exſcripſit Sur. tom. 1. Scripſit eaſdem Albertus eius diſcipulus, quas & Cornelius Grapheus carmine cecinit. Migrauit ex hac vita anno Domini 1156. ſepultus (vt dictum eſt) in Stabulo Rhodis, in agro Senenſi.

[h] Scholaſticæ.] De eadem etiam hac die Beda, Vſuardus, Ado, alijque omnes. Huius Acta ſcripſit S. Gregor. Papa lib. 2. dialog. cap. 33. & 34. Extat apud Bedam tomo 7. ſermo de S. Scholaſtica, carmenque additum in laudem eius: quæ quidem alterius eſſe auctoris reperimus in noſtra bibliotheca in antiquis manuſcrip. nimirum Bertharij abbatis Caſſinenſis. Confirmat hoc ipſum Petrus diac. bibliothec. Caſſin. in lib. de vir illuſtr. monaſterij Caſſinen. cap. 12. vbi agens de S. Berthario, ſcripſiſſe eum dicit homiliam de ſancta Scholaſtica: teſtatur idem auctor cap. 34. S. Brunum Epiſcopum Signienſem de eadem ſcripſiſſe ſermonem. Aldelmus Epiſcopus etiam tam ſoluta oratione, quàm carmine laudauit ſanctam Scholaſticam lib. de virginit.

[i] Auſtrebertæ.] Vſuardus item de ea agit hac die. Habentur eius vitæ Acta, quæ refert Sur. to. 1. Floruit temporibus Dagoberti Regis Franc. circa annum Domini 640. Errare autem conuincitur Petrus in catal. lib. 3. cap. 111. dum putat hanc ſororem fuiſſe Ansberti Epiſcopi, vt eius Acta planè demonſtrant.

## 11 Tertio Idus Februarij. Luna. G xviij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| à | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | | | |

IN Africa natalis ſanctorum martyrum [a] Saturnini presbyteri, Datiui, Felicis, Ampelij, & ſociorum, qui conuenientes ad Dominicum ex more celebrandum, in perſecutione Diocletiani à militibus comprehenſi, ſub Anolino Proconſule paſſi ſunt. In Numidia commemoratio plurimorum [b] ſanctorum martyrum, qui in eadem perſecutione comprehenſi, cùm iuxta Imperatoris edictum diuinas ſcripturas tradere noluiſſent, grauiſſimis excruciati ſupplicijs, occiſi ſunt. Hadrianopoli ſanctorum martyrum Lucij [c] Epiſcopi, & ſociorum eius: qui ſub Conſtantio ab Arianis multa perpeſſus, in vinculis martyrium conſummauit: ceteri verò nobiliores ciuium, cùm Arianos in Sardicenſi Concilio tunc damnatos recipere noluiſſent, à Philagrio Comite capitalem ſententiam exceperunt. Lugduni ſancti Deſiderij [d] Epiſcopi Vienenſis & martyris. Rauennæ ſancti Caloceri [e] Epiſcopi & confeſſoris.

Mediolani ſancti Lazari[f] Epiſcopi. Capuæ ſancti Caſtrenſis[g] Epiſcopi. In caſtro Nantonienſi ſancti Seuerini[h] abbatis monaſterij Agaunenſis, cuius precibus cultor Dei Rex Clodoueus à diutina infirmitate liberatus eſt. In Ægypto ſancti Ionæ[i] monachi virtutibus clari.

# FEBRVARII 11.

SATVRNINI & ſoc.[a]] De his non tantùm vetus Rom. Martyrolog. ſed & alia pleraque manuſcripta agunt hac die; Vſuardus autem iuxta ritum eccleſiæ Africanæ agit die ſeqnenti. Horum autem omnium martyrum Acta, prout excepta ſunt à notarijs, & relata in Proconſularia geſta, integra habentur. Deſcripſit ea Surius tom. 1. hac die. Porrò ſciendum eſt, hæc illa ipſa eſſe, quorum S. Auguſtinus meminit ex geſtis cum Donatiſtis in breuic. collat. diei 3. cap. 17. his verbis: Geſta martyrum, quibus oſtendebatur tempus perſecutionis, Conſulibus facta ſunt Diocletiano nouies, & Maximiano octies, pridie Idus Februarij, &c. Et paulò pòſt: Sicut in geſtis martyrum monſtrabatur, qui confitebantur in paſſionibus ſuis, ſe Collectam ac Dominicum egiſſe, &c. Si quis autem hæc, & alia quæ ibidem ſanctus Auguſtinus ſcribit, attentè legat, conferatque cum prædictis martyrum Actis, eadem omnino eſſe conſpiciet. Hæc autem Acta Donatiſtæ in ea collatione certam ob cauſam, quæ ibi expreſſa eſt, produxerunt, & quidem germana & vera, ita vt Catholici Epiſcopi nihil exciperent. Scito tamen eadem poſteà ab iiſdem Donatiſtis additione & appendice eſſe deprauata, mentientibus ea de Menſurio Epiſcopo Carthaginenſi, quę hactenus ibi in fine leguntur. Intelliges autem calumnias Donatiſtarum de Menſurio laudatiſſimo Epiſcopo Carthaginenſi, ſi conſulas ea quæ de eodem ſcribit Optatus Mileuitanus lib. 1. contra Parmenianum, & quæ Auguſtinus in breuic. diei 3. cap. 13. & de vnico baptiſ. contra Petil. cap. 16. Tu intereà, Lector, ea Acta martyrum germana atque ſincera percurras inoffenſo pede, ea, inquam, quæ de quæſtionibus publicis excepta ſunt à notarijs: cetera autem quę prope finem de Menſurio aliiſque habentur, vt commentum Donatiſtarum euita.

[b] Commemoratio plurim.] Hos ipſos martyres abſque dubio ſignare S. Auguſtinus videtur in geſtis cum Donatiſtis, in breuic. collat. diei tertiæ cap. 13. cùm ait: Recitantur etiam ſcripta Secundini Tigiſitani ad eumdem Menſorium pacificè data: vbi ipſe narrauit, in Numidia perſecutores quid egerint: & qui comprehenſi ſcripturas ſanctas tradere nolentes, & multa mala paſſi, & grauiſſimis ſupplicijs excruciati, & occiſi ſunt, eoſque honorandos pro martyrij ſui merito commendauit, &c. Hæc Auguſtinus.

[c] Lucij Epiſcopi & ſoc.] Horum nobiliſſimum certamen pro fide Catholica exanclatum deſcriptum inuenies à S. Athanaſio in epiſtola ad ſolitariam vitam agentes col. 459. meritóque tanto auctore tanta martyrum conſtantia meruit monumentis perpetuis commendari.

[d] Deſiderij Epiſcopi.] De eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Lugduni ſcias poni, non quòd fuerit Epiſcopus Lugdunēſis, ſed quia apud Lugdunum occiſus eſt, vt hîc optimè notat Ado. Agit de eodem Beda 23. Maij, qua die martyrio occubuit: nam hac die Viennam in ſuam ſedem priſtinam venerandum corpus eius translatum eſt. Hic iubetur occidi iuſſu Brunichildis Reginæ Francorum: cauſam iniquiſſimam narrat Ado eiuſdem ſedis Epiſcopus in chron. ann. Domini 583. Recenſet eius exilium Sigebertus in chron. anno 608. necem verò anno 612. Vixit temporibus ſancti Gregorij Papæ, qui ad eum ſæpiùs dediſſe litteras reperitur, quæ habentur in regiſt. lib. 5. epiſt. 54. lib. 7. epiſtola 116. libro 9. epiſt. 48. & lib. 12. epiſt 5. De eodem prætereà fit mentio in Actis ſancti Columbani abbatis, vbi cap. 26 de exilio & nece eius agitur.

[e] Caloceri Epiſcopi.] De eodem tabulæ Rauennates, quæ tradunt hunc fuiſſe diſcipulum ſancti Apollinaris, eoque abſente, illam eccleſiam adminiſtraſſe, deinde poſt alios quintum ordine ſubrogatum, ac demum temporibus Antonini Pij quieuiſſe in pace. Rub. hiſt. Rauen. lib. 1. eadem apud Sur. tom. 7.

[f] Lazari Epiſcopi.] De eo item tabulæ Mediolanenſis eccleſiæ. Extat de eodem egregium epigramma ab Ennodio Ticinenſi Epiſcopo in laudem eius conſcriptum.

[g] Caſtrenſis Epiſcopi.] De eodem tabulæ eius eccleſiæ. Extant eius Acta, quorum eſt exordium: Textus ſacræ hiſtoriæ edocet, &c. Sunt ibi nonnulla, quæ cenſura indigent. Vide quæ notauimus inferiùs ad Kalend. Septembris. In Priſco ſancti Caſtrenſis venerandum corpus extat in metropolitana eccleſia Montis regalis in Sicilia, vbi & hi verſus inſcripti ſunt:

*Conſeruat nautas, & dæmonis eripit ira,*
*Quem priùs obſeſſo de corpore fecit abire.*

Eſt in eadem ciuitate antiqua eccleſia ſub eiuſdem ſancti inuocatione, aliáque ibidem extant eiuſdem vetera monumenta. Petrus diaconus in libro de vir. illuſtr. monaſt. Caſſinen. cap. 6. teſtatur Laurentium monachum Caſſinenſem ſcripſiſſe verſibus vitam ſancti Caſtrenſis Epiſcopi.

[h] Seuerini abbatis.] Vſuardus de eodem hac die. Scripſit eius res geſtas Fauſtus eius diſcipulus, quas in compendium redactas edidit Surius tomo 1. De eodem Trithem. de vir. illuſtr. ord. S. Bened. lib. 3. cap. 257. & Petrus in catal. lib. 3. cap. 115.

[i] Ionæ abb.] Cuius Acta deſcripta inuenies in vita S. Pachomij abb. apud Lipom. tomo 6. Græci de Iona abbate agunt in Menologio die 21. Septembris. Sed diuerſus omnino hic eſt ab illo: nam Sabaita ille dictus, quòd in Palæſtina in monaſterio S. Sabæ exercuit vitam monaſticam: hic autem Ægyptius, quòd in Ægypto vixit ſub diſciplina S. Pachomij.

## Pridie Idus Februarij. Luna. A xvij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | | | |

BARCINONÆ in Hiſpania ſanctæ Eulaliæ [a] virginis, quæ tempore Diocletiani Imperatoris equuleum, vngulas, flammaſque perpeſſa, demum cruci affixa, glorioſam martyrij coronam accepit. In Africa ſancti Damiani [b] militis & martyris. Carthagine ſanctorum martyrũ Modeſti [c] & Iuliani. Apud Beneuentum ſancti Modeſti [d] Leuitæ & martyris. Alexandriæ ſanctorum Modeſti [e] & Ammonij infantum. Antiochiæ ſancti Meletij [f] Epiſcopi, qui pro fide Catholica ſæpè exilium paſſus, demum Conſtantinopoli migrauit ad Dominum: cuius virtutes ſanctus Ioannes Chryſoſtomus & Gregorius Nyſſenus ſummis laudibus celebrarunt. Conſtantinopoli ſancti Antonij [g] Epiſcopi tempore Leonis Sexti Imperatoris. Veronæ ſancti Gaudentij [h] Epiſcopi & confeſſoris.

## FEBRVARII 12.

EVLALIÆ [a].] Beda, Vſuardus, Ado, & alij de eadem hac die. Duæ eiuſdem nominis traduntur Eulaliæ in Hiſpania clariſſimæ virgines, eædemque martyres, ac ijſdem perſecutionis temporibus paſſę, ſub vno eodemque Præſide Datiano, imperantibus Diocletiano & Maximiano, ſed diuerſis locis ac diebus, diſparique pœnarum genere, prout earumdem diuerſa Acta ſignificant. Hæc etenim, de qua agimus, Barcinone cruci affixa, nobile certamen exegit. Illa autem Emeritæ igni tradita, martyrij coronam accepit, cuius agonem Prudentius in Periſteph. egregio carmine cecinit. De vtraque illud æquè legitur, ad inſtar columbæ animam viſam è corpore egredientem, cælum conſcendere. Huius, de qua agimus, Acta ſacro hymno in Breuiario Toletano ſancti Iſidori inuenimus celebrata. de hac eadem Eulalia Barcinonenſi ſanctus Eulogius meminit in memor. ſanct. lib. 1. Flos ſanct. Hiſpan. pluribus, & Theſaur. concion. tom. 2.

[b] Damiani.] De eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, conſentiuntque vet. manuſcrip.

[c] Modeſti & Iuliani.] Reſtituti ſunt ijdem ex prædicto antiquo exemplari.

[d] Modeſti Leuitæ.] Petrus diaconus Caſſinen. in libro de vir. illuſtr. monaſterij Caſſinen. cap. 21. teſtatur vitam ſancti Modeſti ſcriptam eſſe ab Alberico eiuſdem monaſterij diacono.

[e] Modeſti & Ammonij.] Vſuardus ac ceteri omnes agunt de ijſdem. Tot ſanctorum eiuſdem nominis ſub vna die coacervationem ea de cauſa à maioribus aliquando factam animaduertimus, quòd natalis alicuius martyris dies incertus eſſet; vt eſt exemplum de Columba Cordubenſi, cuius quamdiu natalis dies latuit, eadem die qua agitur ſolemnitas Columbę Senonen. eius commemoratio celebrari conſueuit, vt ſuo loco dicetur inferiùs.

[f] Meletij Epiſcopi.] Græci etiam de Meletio agunt in Menologio hac die. Encomium ſancti Ioannis Chryſoſtomi de Meletio, quod hîc citatur, habet Lipom. tom. 5. & Surius tom. 1. quod germanum eſſe, nouit Synodus Nicæna ſecunda, in cuius Actione quarta ex eo fragmentum recitatur. Extat etiam egregia oratio Gregorij Nyſſeni dicta Conſtantinopoli in conuentu Patrum, in eius funere. Eumdem ſanctus Gregorius Nazianzenus mirificè laudat in carmine de vita ſua, agitque de eius aduentu Conſtantinopolim, de obitu, funere, & reductione corporis Antiochiam; alludensque ad nomen eius, hæc ait his iambicis:

*Qui erat reapſe quod audiebat nomine,*
*Mores habebat atque nomen melleum, &c.*

Sequitur recenſere egregios labores eius pro Catholica fide exantlatos. Obijt idem Conſtantinopoli poſt œcumenicam Synodum celebratam, cui ſubſcripſit. De eius item obitu, atque tranſlatione tunc Antiochiam facta agit Socrat. lib. 5. cap. 8. & 9. & Sozom. lib. 7. cap. 10. Illud autem hoc loco neceſſariò admonendum duximus, ne de eius ſanctitate dubitatio aliqua vel ſuſpicio poſſit oriri, eò quòd ſederit in ſchiſmate aduerſus Paulinum Epiſcopum Antiochenum; cùm præſertim, conſulente Hieronymo Damaſum epiſt. 57. & 58. cui potiùs inhærere deberet, Meletio, Paulinóve, an Vitali, quem ſibi delegerant Apollinariſtæ Epiſcopum Antiochenum; de Paulino reſpondiſſe

Damaſum, certum ſit, eò quòd ab eo idem Hieronymus ordinatus eſt presbyter. Sed ſciendum eſt, conſtare S. Baſilij teſtimonio, S. Damaſum (vt accidere ſolet) falſis quibuſdam relationibus fuiſſe deceptum: quem excuſans, hæc ait idem Baſilius: Non admiror iſtud: quidam enim ignorant ea quæ in iſtis partibus fiunt: quidam autem etſi videantur ſcire, certando magis, quàm veritatem dicendo, eis referunt: & illos quidem nihil mirum eſt ignorare veritatem, aut occultare cauſam, propter quam ad ſcribendum Paulino perductus eſt beatiſſimus Epiſcopus Athanaſius, &c. Hęc & alia S. Baſilius de cauſa adiudicata Paulino à Romano Pontifice, cuius ſententiam ſecutus Athanaſius eidem plus detulit. Extat hæc Baſilij epiſtola ad Terentium, quam in edit. Nutiana inuenies pag 764. Quidquid ſit, cōſtat etiam inter Meletium & Paulinum fuiſſe tranſactum, (vt ſcribit Socrates lib. 5. cap. 5. Sozomenus lib. 7. cap. 3.) ac ita in vnitate totius Eccleſiæ abſoluta Synodo œcumenica, in Domino quieuiſſe.

[g] Antonij Epiſcopi.] Scripſit eius res geſtas Nicephorus philoſophus, quas retulit Surius in tom. 1. De eius electione & obitu agit etiam in compendio. Migrauit è vita annò à Chriſto Domino nongenteſimo primo.

[h] Gaudentij Epiſcopi.] De eodem tabulæ eccleſię Veronenſis illuſtratę cōmentario R. D. Auguſtini Valerij eius ſedis Epiſcopi S. Rom. Eccl. Card. vbi de eo pag. 7. & 39.

## xvj. B Idibus Februarij. Luna. 13

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | | | |

ANTIOCHIÆ natalis ſancti Agabi[a] Prophetæ, de quo beatus Lucas in Actibus Apoſtolicis ſcribit. Rauennæ ſanctarum Fuſcæ[b] virginis, & Mauræ nutricis eius, quæ Decio imperāte multa ſub Quinctiano Præſide perpeſſæ, demum gladio transfixæ, martyrium conſummarunt. Melitinæ in Armenia ſancti Polyeucti[c] martyris, qui in perſecutione eiuſdem Decij multa paſſus, martyrij coronam adeptus eſt. Lugduni ſancti Iuliani martyris[d]. Tuderti ſancti Benigni[e] martyris. Romæ S. Gregorij[f] Papæ Secundi, qui Leonis Iſaurici impietati acerrimè reſtitit, & ſanctum Bonifacium ad prædicandum Euangelium in Germaniam miſit. Andegaui depoſitio S. Lucinij[g] Epiſcopi, venerabilis ſanctitatis viri. Lugduni S. Stephani[h] Epiſcopi & confeſſoris. Reate S. Stephani[i] abbatis, miræ patientiæ viri: in cuius tranſitu (vt refert beatus Gregorius Papa) ſancti Angeli, ceteris etiam videntibus, adfuerunt.

## FEBRVARII 13.

AGABI[a].] De quo Act. Apoſt. cap. 11. & 21. Agit de eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij.

[b] Fuſcæ & Mauræ.] Agitur de his etiam hac die in tabulis eccleſiæ Rauen. quarum martyrij Acta ſummatim collecta recitat Petrus in catal. lib. 3. cap. 129. & Rub. hiſt. Rauen. lib. 1. in fine. Eadem apud Sur. tom. 7.

[c] Polyeucti.] De eodem hac die Beda, Vſuard. & alij, Græci autem in Menologio 9. Ianuarij: porrò ex Actis eius quæ Metaphraſtes deſcripſit, quæ habet Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 1. martyrio occubuiſſe 10. Ianuarij conſtat. hîc fortaſſe tranſlatio celebratur. Mentio habetur de eo in Actis S. Euthymij, quem eius martyris repromiſſione procreatum ſcribit Cyrillus monachus. De miraculis ad ſepulchrum eius fieri ſolitis ſcribit Gregorius Turon. de gloria martyrum cap. 103. Meminit eiuſdem & in hiſt. lib. 7. cap. 6.

[d] Iuliani.] De eodem vet. manuſcrip. & monumenta eccleſ. Lugdun. quæ citat Galeſin. in Martyrologio.

[e] Benigni.] De eo etiam vetera monumenta eccleſiæ Tudertinæ, quæ vidimus, impartita nobis à Reuerendiſſ. D. Angelo Cæſio eius ciuitatis Epiſcopo, quibus etiam teſtatum habetur, eius martyris corpus religiosè aſſeruatum haberi in monaſterio monialium, quod dicitur, de Militijs.

[f] Gregorij Secundi.] Beda, Ado, & alij de eodem hac die. De rebus geſtis eius aduerſus Leonem Iſauricum, de quibus hîc agitur, inter alia multa, ſatis eſſe poteſt hîc recenſere teſtimonium

Hadriani

Hadriani Rom. Pont. in epiſtola ad Carolum Magnum de imaginibus, his verbis: Dominus Gregor. Papa Secundus, iunior, vnà cum ſeptuagintanouem ſanctiſſimis Epiſcopis ante Confeſſionem beati Petri Apoſtolorum principis præſidens, vnà ſimul multorum ſanctorum Patrum teſtimonia roborantes, venerari ac adorare ſacras imagines cenſuerunt, &c. Inferiùs item plura de eodem id generis. Extat inſuper eiuſdem epiſtola de cultu ſanctarum imaginum ad Germanum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, quæ recitata habetur in Act. 4. Nicæni ſecundi Concilij. De rebus geſtis eius cum S. Bonifacio Epiſcopo Moguntino, cuius hîc etiam mentio habetur, inuenire eſt in Actis eiuſdem Bonifacij, quæ habet Sur. to. 3. die 5. Iunij. Cetera autem de Gregorio fuſiùs egimus in Annal. Eccleſ. quæ per ſingulos annos digeſſimus.

[g] Lucinij, aliàs Licinij.] De eodem hac die Vſuardus. Andegaui cùm hîc ponatur, ſcias non fuiſſe Epiſcopum Andegauenſem; ſed (vt ſcribit Greg. Turon. lib 2. Franc. hiſt. c. 39.) patriâ Andegauẽſis, præfuit Eccleſiæ Turonen. Idem Greg. lib. 10. cap. 31. vbi texit catalogum Turonenſium Epiſcoporum, recenſet eum nonum ordine, eiuſque res geſtas paucis perſtringit. Claruit temporibus Clodouei Regis Francorum, atque vndecimo ſuæ ſedis anno ex hac vita migrauit, vt idem ſcribit vbi ſuprà lib. 2. cap. 43.

[h] Stephani Epiſc.] Agit de eodem Beda hac die. Succeſſit hic S Ruſtico, recenſeturque vigeſimusſextus vel ſeptimus Lugdunenſis eccleſiæ Epiſcopus, ſecundùm diuerſas tabulas, quas Democh. de ſacrif. Miſſæ deſcripſit.

[i] Stephani abb.] Agit de ipſo ſanctus Gregorius Papa lib. 4. dialog. cap. 19. & homil. in Euangel. 35. vbi eumdem virum valdè ſanctum, & virtute patientiæ ſingularem appellat.

## 14 Sextodecimo Kal. Martij. Luna. C xv.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | | | |

ROMÆ via Flaminia natalis beati Valentini[a] preſbyteri & martyris, qui poſt multa ſanitatum & doctrinæ inſignia fuſtibus cæſus & decollatus eſt ſub Claudio Cæſare. Item Romæ ſanctorum martyrum Vitalis[b], Feliculæ, & Zenonis. Interamnæ ſancti Valentini[c] Epiſcopi & martyris, qui poſt diutinam cædem cuſtodiæ mancipatus, cùm ſuperari non poſſet, mediæ noctis ſilentio eiectus de carcere, decollatus eſt iuſſu Placidi vrbis præfecti. Ibidem ſanctorum Proculi[d], Ephebi, & Apollonij martyrum, qui cùm ad corpus ſancti Valentini vigilias agerent, iuſſu Leontij Conſularis comprehẽſi, gladio cæſi ſunt. Alexandriæ ſanctorum martyrum Baſſi[e], Antonij, & Protolici, qui demerſi ſunt in mare. Item ſanctorum martyrum Cyrionis[f] preſbyteri, Baſſiani lectoris, Agathonis exorciſtæ, & Moyſis, qui omnes igne combuſti euolauerunt ad cælum. Ibidem ſanctorum[g] Dionyſij & Ammonij decollatorum. Rauennæ ſancti Eleuchadij[h] Epiſcopi & confeſſoris. In Bithynia ſancti Auxentij[i] abbatis. Apud Surrentum ſancti Antonini[k] abbatis, qui è monaſterio Caſſinenſi à Longobardis deuaſtatò in ſolitudinem eiuſdem vrbis ſecedens, ibidem ſanctitate celebris obdormiuit in Domino: cuius corpus multis quotidie miraculis, & præſertim in liberandis energumenis effulget.

## FEBRVARII 14.

VALENTINI[a].] Beda item, Vſuardus, Ado, & alij hac eadem die. Extãt eius Acta ac ſociorum, quæ Surius recitat tom. 1. vnde & ceteri accepiſſe noſcuntur. Agitur de eodem in Sacramentario S. Gregorij Papæ. In huius martyris honorem Theodorus Papa erexit eccleſiam via Flaminia, vt conſtat ex libro de Roman. Pontificibus in Theodoro.

[b] Vitalis, Feliculæ, & Zenonis.] De ijs etiam

Beda, Vſuardus, Ado, Wandelbertus, & alij eadem die.

c Valentini Epiſc.] De eo etiam Beda, Vſuardus, & alij. Habetur eius Acta, quæ retulit Mombrit. in tom. 2. vit. ſanct. & Sur. tom. 1. Habemus eorumdem vetuſtiora exemplaria manuſcrip. in noſtra biblioth. Paſſus hic videtur temporibus perſecutionis Gentilium Romanorum Imperatorum, vt eius Acta ſignificant. Porrò de alio Valentino eiuſdem ciuitatis Epiſcopo meminit Petrus in catal. lib. 1. cap. 15. qui (vt ait) vixit temporibus Iuſtini Imperatoris.

d Proculi & ſoc.] De ijs etiam ijdem qui ſuprà auctores. Horum paſſionis Acta intexta habentur cum rebus geſtis S. Valentini, quorum modò meminimus; licet in eis non vna eademque die cum eo paſſi habeantur. Alius ab hoc eſſe videtur Proculus Interamnenſis Epiſcopus, de quo infrà ad xviij. Kal. Maij.

e Baſſi & ſoc.] De his item Beda hac die, Vſuardus, Ado, & alij. Petrus in catal. libro 3. cap. 124. alios plures addit, quorum & recenſet nomina.

f Cyrionis & ſoc.] De his omnibus ijdem qui ſuprà auctores agunt hac eadem die.

g Dionyſij & Ammonij] Agunt de his item Beda, Vſuardus, Ado, & alij, conſentiuntque vet. manuſcripti.

h Eleuchadij Epiſc.] De eodem tabulæ eccleſiæ Raueonatis. Petrus Damiani in die natali S. Eleuchadij ſermonem habuit, quem inuenies apud Sur. tom. 7. hac die. Fuit hic vnus ex diſcipulis S. Apollinaris, ab ipſo ad fidem conuerſus, de quo etiam Hier. Rub. hiſt. Rauen. lib. 1. vbi eum migraſſe ex hac vita ſcribit an. Domini 112.

i Auxentij abb.] Agunt de eodem hac die Græci in Menologio. Huius res geſtas purè germanèque conſcriptas habet Metaphraſtes hac die, ex quo Lipom. deſcripſit tom. 5. & Sur. to. 1. Meminit eiuſdem Niceph. hiſt. lib. 14. cap. 52. in fine. De eius tyrocinio ſcribit Sozom. hiſt. lib. 7. cap. 21. in fine. Peruenit ætate vſque ad Zenonem Imperatorem, vt eius Acta teſtantur.

k Antonini abb.] Plura de ipſo in monumentis eccleſiæ Surrentinę, quibus tam eius res geſtę, quàm miracula poſt obitum facta intexuntur: edidit eadem Paulus Reg. Migrauit ex hac vita (vt ferunt) anno Domini 625. Honorio Rom. Pont. Quę autem noſtra ętate ad ſepulchrum eius admiranda fiunt, eademq; crebriùs iterantur, percepi non à quibuſuis narrata, ſed à ſinceriſſimis prudẽtiſſimiſque ſacerdotibus, qui interfuerunt.

## xiiij. D Quintodecimo Kal. Martij. Luna. 15

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | | | |

BRIXIÆ natalis ſanctorum martyrum Fauſtini a & Iouitæ, qui ſub Hadriano Imperatore, poſt multa præclara pro Chriſti fide ſuſcepta certamina, victricem martyrij coronam acceperunt. Romæ ſancti Cratonis b martyris, qui cum vxore ſua & vniuerſa domo à beato Valentino Epiſcopo baptizatus, non multò pòſt vnà cum illis martyrio conſummatus eſt. Interamnæ ſanctæ Agapis c virginis & martyris. Item natalis ſanctorum martyrum Saturnini d, Caſtuli, Magni, & Lucij. Vaſione in Gallijs ſancti Quinidij e Epiſcopi, cuius mortem in conſpectu Domini pretioſam miracula crebra teſtantur. Capuæ ſancti Decoroſi f Epiſcopi & confeſſoris. In prouincia Valeriæ ſancti Seueri g preſbyteri, de quo beatus Gregorius ſcribit, quòd fuſis lacrymis defunctum reuocauit ad vitam. Antiochiæ ſancti Ioſeph h diaconi. Aruernis ſanctæ Georgiæ i virginis.

## FEBRVARII 15.

FAVSTINI & Iouitæ. a] De ijſdem hac die Beda, Vſuardus, ac ceteri. Habentur eorum res geſtæ vberiùs enarratæ. edidit eas Mombrit. tom. 1. & Sur. to. 1. Paſſi dicuntur ſub Imperatore Hadriano, ac coram ipſo: quod nos tunc accidiſſe putamus, cùm ille anno ſecundo ſui Imperij, tertiùm gerens Conſulatum, ex vrbe in Gallias profectus eſt, vt ſcribit Spartianus in Hadriano. Agitur de ijſdem martyribus in Actis S. Marciani

Epiſcopi

Epiſcopi Dertonenſis, quæ recitat Mombrit. tom. 2. Non eſt quòd mireris, ſi Hadrianus perrecturus in Gallias, ad carnificinas martyrum conſtiterit Brixiæ: cùm ſemel enim monſtra illa ferinos animos imbuiſſent, auidiſſimi erant illorum ſpectaculorum, in quibus miſeri homines excogitatis artibus torquerentur. Sit tibi ſatis in exemplum, quæ Suetonius ſcribit in Claudio cap. 34. cùm ait: Tormenta quæſtioonum, pœnaſque parricidarum repręſentabat, exigebatque coràm. Cùm ſpectare antiqui moris ſupplicium Tiburi cōcupiſſet, & deligatis ad palum noxijs, carnifex deeſſet: accitum ab Vrbe, ad veſperam vſque opperiri perſeuerauit. Hæc Suetonius de Claudio, quo quidem longè moleſtior nobis fuit Hadrianus, de quo agitur.

[b] Cratonis.] Agunt de eodem ijdem qui ſuprà, Beda, ac ceteri. Eius Acta adnexa ſunt vitæ S. Valentini Epiſcopi Interamnenſis, à quo etiam ad fidem perductus & baptizatus fertur.

[c] Agapis.] De qua hac item die Beda, Vſuard. Wandelbertus, & alij recentiores aguot.

[d] Saturnini & ſoc.] Beda hìc agit de Saturnino & Caſtulo: ceteri autem redditi ſunt ex prædicto Martyrologio manuſcripto.

[e] Quintidij Epiſcopi.] De eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, aſſentiunturque vet. manuſcripti.

[f] Decoroſi Epiſc.] Claruit hic temporibus Agathonis Romani Pontificis, repeciturque interfuiſſe ac ſubſcripſiſſe Romano Concilio ſub eodem Pontifice celebrato, anno à Chriſto nato 680. vt apparet ex eiuſdem Concilij Actis, quæ intexta habentur in Sexta Synodo Act. 4.

[g] Seueri presbyt.] Agit de eodem hac die Ado. Admiratur eius ſanctitatem S. Gregorius lib. 1. dialog. cap. 12.

[h] Ioſeph diaconi.] Beda, Vſuardus, ac ceteri de eodem hac die, Græci autem 3. Aprilis, vt apparet ex eorum Menologio. Fuit hic ſacrorum hymnorum ſcriptor, qui temporibus Theophili Imp. ob cultum ſanctarum imaginum factus eſt confeſſor illuſtris. De eo egit Niceph. lib. 21. cuius libri tantùm habetur ſummarium.

[i] Georgiæ virg.] De ea ſcribit Gregor. Turonen. lib. de glor. confeſſ. cap. 34.

## 16 Quartodecimo Kal. Martij. Luna. E xiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | | | |

NATALIS beati Oneſimi[a], de quo S. Paulus Apoſtolus ad Philemonem ſcribit; quem etiam poſt ſanctum Timotheum Epheſiorum Epiſcopum ordinauit, prædicationiſque verbum illi commiſit. Hic vinctus Romam perductus, ac pro fide Chriſti lapidatus, primò ibidem ſepultus fuit; inde ad locum vbi Epiſcopus fuerat ordinatus, corpus eius delatum eſt. Cumis in Campania Tranſlatio ſanctæ Iulianæ[b] virginis & martyris, quæ Nicomediæ ſub Maximiano Imperatore primùm à patre ſuo Africano grauiter cæſa, deinde ab Euilaſio Præfecto, cui nubere recuſarat, variè cruciata, & poſtmodum in carcerem detruſa, vbi palàm cum diabolo conflixit; demum flammas ignium, & ollam[c] feruentem ſuperans, capitis decollatione martyrium conſummauit. In Ægypto ſancti Iuliani[d] martyris, cum alijs quinque millibus. Cæſareæ in Palæſtina ſanctorum martyrum Ægyptiorum Eliæ[e], Ieremiæ, Eſaiæ, Samuelis, & Danielis, qui cùm ſpontaneè miniſtraſſent confeſſoribus in Cilicia ad metalla damnatis, inde reuertentes, comprehenſi, & à Firmiliano Præſide ſub Maximino Imperatore ſęuiſſimè torti, gladio demum percuſſi ſunt. Poſt quos ſanctus Porphyrius[f] Pamphili martyris famulus, & S. Seleucus[g] Cappadox, qui iteratis certaminibus ſæpè vicerant, rurſus cruciati, alter incendio, gladio alter martyrij coronam acceperunt. Brixiæ ſancti Fauſtini[h] Epiſcopi & confeſſoris.

ONESIMI [a]. ] De eodem Beda, Vſuardus,& alij omnes, Grçci autem pridie huius diei in Menologio. Laudatur egregiè ab Apoſtolo ſcribente ad Philemonem. S. Ignatius epiſt. 14. ad Epheſios eumdem præclaro elogio commendat, meminitque eiuſdem in epiſt. 12. ad Antiochenos. Habentur eius Acta, quæ ex veteribus monumentis Metaphraſtes in lucem prodidit, & Lipom. recitat tom. 5. Sur. autem tom. 1. Paſſus reperitur ſub Traiano Imp. & Tertullo Vrbis præfecto. Nicephorus lib. 3. cap. 11. prorſus conuincitur errare, dum ſcribit eum ſub Domitiano conſummaſſe martyrium. Si enim conſtat poſt ſanctum Ignatium fuiſſe ſuperſtitem, certumque habetur, eumdem Ignatium anno Traiani Imperatoris vndecimo martyrio coronatum; quonam pacto effici poteſt, vt ſub Domitiano Oneſimus martyrio occubuerit? Errat planè in Oneſimo, ſicut & in Dionyſ. Areopagita, de quo ſuo loco inferiùs. Vixit iiſdem ferè temporibus Oneſimus Epiſc. Byzantinus, tertius ordine, de quo Niceph. Epiſc. in chron. & Niceph. Calliſt. lib. 8. cap. 6. Alius adhuc extitit eius nominis Epiſcopus Sueſſionenſis ſanctitate celebris, cuius meminit Molanus in Indic. ſanctorum Belg. cuius natalis agitur 13. Maij.

[b] Iulianæ. ] Beda item ac ceteri Latinorum hac die, Græci autem in Menologio die 21. Decembris. Extant eius Acta apud Metaphraſtem, ex quo Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 1. Habemus eadem in vet. cod. manuſcrip. è Græco Latinè reddita à Petro quodam, qui ea ad Petrum Neapolitanum Epiſcopum direxit, vt docet eius præfatio. Ponitur ibidem paſſa anno à Chriſto nato 290. De reliquijs eius meminit S. Gregorius Papa in epiſt. ad Fortunatum Epiſcopum Neapolit. 84. & 85. lib. 7. ſub eius diœceſi enim ſanctę martyris corpus quieſcebat.

[c] Ollam feruentem. ] De huiuſmodi genere tormenti mentio habetur lib. 2. Machab. cap. 7. Recenſet Ioſeph. lib. de Machab. ad Polyb. ollam æneam inter exquiſita tormenta, quam & his verbis deſcribit: Carnificum manibus ollę æneæ imponitur (hoc pœnali ſupplicio nomen eſt) prælo gyrato, ſanctum caput ad genua pellitur: ſicque corpore deorſum redacto, pugil in eam quam diximus ollam miſerrimè deluit. Hæc ibi, ex verſione Eraſmi, quem alium ab eo qui communiori vſu habetur præ manibus, textum nactum eſſe putandum; niſi eum turpiter ſæpiùs hallucinatum, immò impudenter ex animi ſententia mutaſſe verba velimus affirmare, cùm Græcus textus ſe aliter habeat.

[d] Iuliani. ] De eodem iidem qui ſuprà Latinorum auctores; at Græci in Menologio de ipſo agunt die 21. Iunij, vbi & breui compendio certamen eius deſcribunt, paſſumque eſſe in perſecutione Diocletiani, ſub Marciano Prçſide, eumdemque à S. Ioanne Chryſoſtomo celebri oratione laudatum, ibidem teſtantur. Fuit clarus item in Ægypto Iulianus Epiſcopus Alexandrinus, qui primo anno Commodi Imp. ſedere cœpit, de quo Euſeb hiſt. lib. 5. cap. 9. & alij.

[e] Eliæ, Ieremiæ, & ſoc. ] Scripſit horum certamen Euſeb. hiſt. lib. 8 cap. 11. Hi etenim, vt ad Chriſtum conuerſi ſunt, profana ſibi indita à parentibus nomina reſpuentes, ſanctorum Prophetarum ſibi imponi nomina cupierunt. Scribit Dionyſius Alexandrinus, peculiare olim fuiſſe nuper conuerſis ad fidem, vt Apoſtolorum, aliorumque ſanctorum, quorum fidem eſſent amplexi, etiam ſibi nomina ſumerent. Apud Euſeb. lib. 7. cap. 20. In eamdem ſententiam plura diſſerit S. Ioannes Chryſoſtomus homil. 21. in Geneſ. multiſque inculcat, non nomina Gentilium & auorū eſſe filijs imponenda, ſed ſanctorū, qui virtutibus effulſerunt, & Dei amicitia digni fuerunt.

[f] Ad metalla damnatis. ] Differentiam ponit Iureconſultus L. Aut damnum. ff. de pœn. inter damnatos ad metalla, & ad opus metalli. grauioribus enim premebantur vinculis, qui ad metalla damnati erant. De ærumnis Chriſtianorum, qui ea pœna damnati eſſent, habes egregiam epiſtolam Cypriani 77. ad Nemeſianum, Felicem, & collegas Epiſcopos. Damnabantur Chriſtiani etiam ad alia opera publica, vt ad fodiendam arenam, ad lapidicinas, & alia, vt eorum Acta teſtantur. Illa tantùm pœna immunes fuiſſe videntur, quæ dicebatur, ad ludum, de qua Vlpianus L. Aut damnum. §. qui ad ludum. ff. de pœnis. & Paul. lib. 5 ſentent. tit. 17. & L. 2. de abolit. Cod. Theod. Id enim accidiſſe arbitr... humanitate Gentilium, ſed potiùs verecundia Chriſtianorum; vt qui mallent duriora quæque ſupplicia perpeti, quàm inter gladiatores, ferarum venatores, comœdos & tragœdos, pyrrhicharios & ſaltatores in theatro connumerari, nec ea agere, quæ vel ſpectare tantùm Chriſtianis erant interdicta, vt Cyprian. de ſpectac. Cùm alioqui ſicut feminas ad lenones, ita viros ad ludum eſſe damnatos, appareat ex Clemen. conſt. lib. 5. cap. 1. vbi hæc verba: Si quis Chriſtianus propter nomen Chriſti & charitatem erga Deum ac fidem ab impijs ad ludos, aut ad beſtias, aut ad metallum fuerit damnatus, &c. Vetuit poſtmodum Valentinianus Imp. vllum Chriſtianorum ob quoduis facinoroſum delictum ad ludum damnari, L. 8. de pœn. Cod. Theod.

[g] Porphyrius. ] Agit pluribus de eodem Euſeb. hiſt. lib. 7. cap. 20. alij inſuper ex eodem auctore eadem deſcripſerunt.

[h] Seleucus. ] Huius anteactæ vitæ curſum Euſebius lib. 8. cap. 22. teſtatum reliquit.

[i] Fauſtini Epiſcopi. ] Recenſetur is ſeptimus Brixianæ eccleſ. Epiſcopus. de eo. & Galeſin.

Tertio-

17 Tertiodecimo Kal. Martij. Luna. F xij.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 1 2 3 4 5 6
t u A B C D E f F G H M N P
7 8 9 10 11 12 13 14 13 14 15 16 17 18

ROMÆ paſſio ſancti Fauſtini[a], quem alij quadragintaquatuor ſecuti ſunt ad coronam. In Perſide natalis beati Polychronij[b] Epiſcopi Babylonis, qui in perſecutione Decij, ore lapidibus cæſo, manibus extenſis, oculos ad cælum eleuans, emiſit ſpiritum. Concordiæ ſanctorum martyrum Donati[c], Secundiani, & Romuli, cum alijs octogintaſex eiuſdem coronæ conſortibus. Cæſareæ in Palęſtina ſancti Theoduli[d] ſenis, qui ex familia Prę̨ſidis Firmiliani, martyrum excitatus exemplo, cùm Chriſtum conſtanter confiteretur, cruci affixus, martyrij palmam nobili triumpho promeruit. Ibidem ſancti Iuliani[e] Cappadocis, qui exoſculans necatorum martyrum corpora, vt Chriſtianus delatus, & ad Præſidem ductus, lento igne iuſſus eſt comburi. In pago Taruanenſi ſancti Siluini[f] Epiſcopi Toloſani. In Scotia ſancti Fintani[g] preſbyteri & confeſſoris.

## FEBRVARII 17.

FAVSTINI & ſoc. [a]] Reſtituti ſunt ijdem ex eodem exemplari vetuſtiſſimo, cuius ſæpiùs antè meminimus.

[b] Polychronij Epiſc.] De eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, Wandelbertus, ac ceteri. habentur eius Acta ante vitam S. Laurentij apud Sur. tom. 4. die 10. Auguſti, ſed multùm ſanè ambigua. Quod autẽ ad Decium ſpectat, conſtat quidem illum aduerſus barbaros prælijs difficillimis decertaſſe, vt ſcribit Aurelius Victor, Eutropius in Decio, & Paulus Oroſ. lib. 7. cap 21. & licet de Perſis nulla apud eos mentio habeatur, veriſimilis tamen eſt coniectura, Perſas bello laceſſiſſe, vexaſſeque; aduerſus quos etiam Valerianum ſucceſſorem, Imperij heredem, infeliciter pugnaſſe conſtat, vt Trebellius ſcribit in Valeriano. Satis liquet tempora Decij ſcriptorum inopia remãſiſſe obſcuriſſima, eaq́ue tantùm de eo facta eſſe perſpicua, quæ de perſecutione ab ipſo in Chriſtianos excitata produnt Chriſtianorum ſcriptiones, & Acta ſanctorum martyrum. Fuit eiuſdem nominis S Polychronius Epiſcopus Virdunenſis in Gallia, diſcipulus S. Lupi Trecenſis, de quo habetur mentio in Actis eiuſdem S. Lupi in fine, apud Sur. tom. 4. die 29. Iulij.

[c] Donati & ſoc.] Agit de ijſdem hac die Vſuardus, adſtipulanturque vet. manuſcrip.

[d] Theoduli.] Euſebius, qui eius martyrium ſcribit lib. 8. cap. 22. paſſum refert anno ſeptimo perſecutionis Diocletiani & Maxim. Impp.

[e] Iuliani Cappadocis.] Idem auctor Euſebius eius certamen deſcribit lib. 8. c. 22. eumdemq́ue etiam perſecutionis anno ſeptimo martyrio coronatum teſtatur.

[f] Exoſculans necatorum martyrum corpora.] Conſueuiſſe Chriſtianos oſculari ſacra martyrum vulnera, habes etiam ex Prudentio in Periſteph. hym. 5. de S. Vincentio his verſibus:

*Ille vngularum duplices*
*Sulcos pererrat oſculis.*

Et in fine:

*Per quam trementes properi*
*Exoſculamur lectulum.*

Admouit & Conſtantinus Magnus Imp. labra cicatricibus ſanctorum martyrum. Theodoret. hiſt. lib. 1. cap. 11. Datum eſt crimini à Cæciliano diacono Carthaginenſi Lucillæ feminæ apud Optatum, non quòd os martyris ori admoueret, ſed quòd importuno tempore, & os illud non eſſet martyris vindicati, hoc eſt, recepti. Optat. lib. 1. contra Parmen. Deoſculationem pro adoratione poni in antiquis ſacris litteris, notatum habes à S. Hieron. ad Pammachium in apolog. aduerſus Rufin. Id ipſum fuiſſe in vſu apud Gẽtiles, ex Plinio & Apuleio obſeruat Cæl. Rhodig. lect. antiq. lib. 10. cap. 8. in fin. Apud Minucium Felicem in Octauio id expreſſum quoque habes his verbis: Cęcilius ſimulacro Serapidis denotato (vt vulgus ſuperſtitioſiùs ſolet) manum ori admouens, oſculum labijs preſſit. Hæc ille. Vide notata ibi in margine edit. Rom. ann. Domini 1583. quibus adde quod Lucianus ſcribit lib. de Sacrific. Adorare oſculo manum, eſſe ſacrificium pauperum, & quid vltrà offerant non habentium.

[g] Siluini

[g] Siluini Epiſc.] De eo etiam Vſuard. hac die. Eius Acta haberi teſtatur Molanus in Indiculo ſanctorum Belgij, vbi plura de ipſo; redditque rationem, cur hunc Vſuard. appellet Epiſcopum Taruanenſem, prout etiam à nonnullis eſt creditus, eò quòd in Morinis mirãda religione enituit, & virtute miraculorum claruit, apud quos etiam diem obijt, anno (vt ait) à Chriſto nato 715.

[h] Fintani presbyt.] Vſuardus item de eo hîc agit, conſentiuntque manuſcrip.

## xj. G Duodecimo Kal. Martij. Luna. 18

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | | | |

IERosolymis natalis beati Simeonis [a] Epiſcopi & martyris, qui filius Cleophæ, & propinquus Saluatoris ſecundùm carnem fuiſſe traditur. Hic Ieroſolymorum Epiſcopus poſt Iacobum fratrem Domini ordinatus, in perſecutione Traiani multis ſupplicijs affectus, martyrio conſummatus eſt, omnibus qui aderant, & iudice ipſo mirantibus, vt centum viginti annorum ſenex crucis ſupplicium fortiter conſtanterque pertuliſſet. Apud Oſtia Tiberina ſanctorum martyrum Maximi [b] & Claudij fratrum, & Præpedignæ vxoris Claudij, cum duobus filijs Alexandro & Cutia: qui cùm eſſent præclariſſimi generis, iubente Diocletiano, tenti ſunt, atque in exilium deportati, deindè incendio concremati odoriferum martyrij ſacrificium Deo ipſi obtulerunt: quorum reliquiæ in flumen proiectæ, & à Chriſtianis perquiſitæ, iuxta eamdem ciuitatem ſepultæ ſunt. In Africa ſanctorum martyrum Lucij [c], Siluani, Rutuli, Claſſici, Secundini, Fructuli, & Maximi. Conſtantinopoli ſancti Flauiani [d] Epiſcopi, qui cùm fidem Catholicam Epheſi propugnaret, ab impij Dioſcori factione pugnis & calcibus percuſſus, atque in exilium actus, poſt triduum vitam finiuit. Toleti ſancti Helladij [e] Epiſcopi & confeſſoris.

## FEBRVARII 18.

SIMEONIS Epiſc. [a]] Beda, Vſuardus, ac ceteri Latinorum de eodem agunt hac die, Græci autem in Menologio 27. Aprilis. Eius martyrium ab Hegeſippo egregiè conſcriptum Euſebius recitat lib 3. cap. 26. ex quo etiam ceteri complures eadem deſcripſere: eumdem conſobrinum Domini; natum ex Cleopha fratre Ioſeph, idem auctor affirmat lib. 3. cap. 10. qui & in chronico tradit, eumdem conſummaſſe martyrium anno decimo Traiani Imp.

[b] Maximi, Claudij, & ſoc.] De his item Beda, Vſuardus, Ado, atque alij omnes. Habentur horum res geſtæ iunctæ ſimul Actis S. Suſannæ, apud Sur. tom. 4. die 11. Auguſti: ex quibus & ceteri, qui de his ſcribunt, quos recenſere omittimus, accepiſſe noſcuntur.

[c] Lucij, & ſoc.] Hos omnes reſtitutos ſcias ex eodem codice peruetuſto, cuius ſæpè meminimus: prætermiſſi ſunt aliàs fortaſſe, quòd nec ciuitas vbi paſſi, nec tempus ibidem haberetur expreſſum.

[d] Flauiani Epiſcopi.] De eodem Græci agunt in Menologio hac die; vbi teſtantur Flauianum actum in exilium, & confectum ærumnis obijſſe, idque ex ſententia Marcellini Comitis in chron. ſub Protogene & Aſterio Coſſ. vbi ait eum exulaſſe factione Dioſcori & Saturnini. Sed hęc quidem omnia repugnare videntur Actis ſacroſancti Concilij Chalced. In Actione etenim prima & tertia Euſebius Dorilæi, & in Actione quarta Archimandritæ Catholici, oblato S. Synodo libello, conclamarunt aduerſus Dioſcorum, ſanctum Flauianum factione Dioſcori necatum eſſe;

id

id ipſum etiam Liberatus diaconus in breuiar. hæreſ. Neſtor. & Eutych. exactè deſcribit cap. 12. factumque refert, antequam Epheſo receſſiſſent Epiſcopi. Id etiam Euagrius Scholaſt. hiſt. lib. 2. cap. 2. id denique Nicephorus (vt prætereà recentiores) pluribus teſtatur lib. 14. c. 47. Ceterùm contigit vtrumque eſſe verum: nimirum Flauianum à Dioſcoro ita vt aiunt malè habitum, ſicque affectum continuò miſſum eſſe in exilium, & tertia die vita functum. Confirmantur hæc ex libro manuſcrip. qui habetur in bibliothèca Vatic. num. 1855. in quo deſcriptæ habentur complures epiſtolę Rom. Pontif. vbi ineſt libellus incerti auctoris, ſed quem tamen ſui ſæculi res ſcripſiſſe conſtat. eſt eius exordium: Noſtro quidem ſæculo, ſed interuallo temporis Neſtorius & Eutyches, &c. In eo igitur hæc de Flauiano leguntur: Ducitur in exilium Flauianus, & apud Epypam, quæ éſt ciuitas Lydiæ, ſeu ſuperueniente, ſeu ingeſta morte, defunctus eſt. Hæc ibi de exitu Flauiani, dum duceretur in exilium. Eſt illa hæc ciuitas Lydiæ, quam Ptolemæus Hypepam vocat, & apud Plinium deprauatè legitur Euippa, lib. 5. cap. 29. Contigit obitus Flauiani ſub Conſulatu Aſterij & Protogenis, menſe Auguſto, poſtquam Hilarus diaconus legatus Apoſtolicus inde clàm aufugiens, Romam redijt ad S. Leonem Papam. Ne quis ergo miretur, ſi idem Pontifex in litteris quas dedit ad Theodoſium & Pulcheriam Auguſtos, & quas etiam ad alios tertio Idus Octobris ijſdem Coſſ. dedit, nihil de Flauiani nece meminerit: nam, quod poſt diſceſſum Hilari fuit factum, ignorans, putans adhuc viuere Flauianum, ad eum etiam eadem die ſcripſit epiſtolam. Celebratur hac die ſolemnis tranſlatio, quando venerandum corpus eius per Marcianum Auguſtum & S. Pulcheriam coniugem ſummo cum honore Conſtantinopolim tranſlatum eſt, cuius tranſlationis meminit S. Leo Papa in epiſt. 44. ad Marcianum Auguſt. ſub Conſulatu Adelphij data: eſt is annus, ſecundùm Faſtos Onuphrij, à Chriſto nato 451. Ex quibus planè conuincitur errare Nicephorus lib. 14. cap. 49. dum eam tranſlationem factam dicit ſub Theodoſio Minore Imp. Extant prætereà de ea re litteræ S. Pulcheriæ ad S. Leonem Papam, quæ recitantur in præambulis Concilij Chalcedonenſis. Mirificis laudibus S. Flauianum proſecuti ſunt Patres, ij pręſertim, qui Chalcedonem ad Concilium conuenerũt; vbi inter alia eius pręconia, hęc in Actione vndecima ſunt acclamata: Flauiano æterna memoria: ecce vltio, ecce veritas: Flauianus poſt mortem viuit, martyr pro nobis exorat: Flauianus poſt mortẽ fidem expoſuit, &c. Accedat ad eius laudem conſtitutio Marciani Imp quę habetur in L. Quoniam. C. de Epiſc. & cleric. cuius de Flauiano promulgatæ ſanctionis habes integrum exemplar in Actione tertia eiuſdẽ Conc. Chalced. prope finem. Secundus Abel appellatur à Sebaſteno Epiſcopo in epiſt. ad Leonem Imp. Extat tom. 2. Conc. recent. edit. De reſtituendo nomine eius in diptycha, & abolenda memoria Eutychij, extat L. Quoniam. C. de Epiſc. & cleric. Ceteras autem eius res geſtas, tam ſynodicas, quàm priuatas, intexuimus in Annal. Eccleſiaſticis, per annos ſingulos ſeruata temporũ ratione.

[e] Helladij Epiſcopi. ] Huius Acta ſummatim complexus eſt S. Ildefonſus in libro quem ſcripſit de vir. illuſt. quem nacti in Vaticana bibliotheca, diligenter exſcripſimus: at quoniam eumdem nondum editum ſcimus, operæpretium viſum eſt, hîc ea recitare, quæ de ſancto ſanctus ſuis ſcriptis teſtata reliquit his verbis: Helladius Epiſcopus poſt Auraſium ſedis eius adeptus eſt locum. Hic cùm regiæ aulæ illuſtriſſimus, publicarumque rector exiſteret rerum, ſub ſæculari habitu votum monachi explebat & opus: nam ad monaſterium meum illud Agalienſe, cuius me ſuſceptio monachum tenuit (quod munere Dei, perenniſque ac patentis ſanctitatis decore, & opinabile cunctis & palàm eſt totis) cùm ſæpè diſcurſantium negotiorum ductus itinere perueniret, remota clientum ſæculariſque pompa decoris, adeò monachorum peculiaritatibus inhærebat, vt turmis iunctus eorum, ſtipularum faſciculos ad clibanum deportaret. Cumque inter decorem inſolentiamque ſæculi, ſolitudinis & amaret & ſectaretur arcana: celeri fuga, relictis omnibus quæ eſſe nouerat mundi, adijt ſanctum monaſterium, quod frequentauerat voto; venit permanſurus optati voti vſu. Ibi factus monachus, pariter meritis & ſtudijs ſanctis vitam monachorum debitè rexit, & ſtatum monaſterij totius rei communis diuitijs cumulauit. Ex hoc, feſſis pęnè ſenio artubus, ad Pontificatus apicem euocatur: & quia vocaretur victus pariter & inuitus, illic maiorum virtutum exempla, quàm monachus, dedit: quia ſtatum mundi, quem contempſit virtute, magna perhibetur rexiſſe diſcretione; miſerationes eleemoſynarumque copias tam largiter egenis contuliſſe probatur, ac ſi illius ſtomacho putares inopum & artus pendere & viſcera confoueri. Scribere renuit, quia quod ſcribendum erat, quotidianæ operationis pagina demonſtrauit. Me, ad monaſterium rediens memoratum, vltimo vitæ tempore Leuitam fecit: ſenex obijt, decem & octo annos ſacrum regimen tenuit, temporibus Siſibuti, Suntillani, & exordijs Siſenandi Regum. Beatus habitus fuit, & poſt beatam gloriam cæleſtis regni bona plenus ſenectute promeruit. Hactenus de S. Helladio S. Ildefonſus, qui mox ad eius ſucceſſorem Iuſtum calamum vertit. De eodem Rodoric. Tolet. libro 2. cap. 17. & alij recentiores.



Digitized by Google

x. A Vndecimo Kalend. Martij. Luna. 19

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | | | |

ROMÆ natalis ſancti Gabini[a] preſbyteri & martyris, fratris beati Caij Papæ, qui à Diocletiano diu in cuſtodia vinculis afflictus, pretioſa morte cæli gaudia comparauit. In Africa ſanctorum martyrum Publij[b], Iuliani, Marcelli, & aliorum. In Palæſtina commemoratio ſanctorum monachorum[c], & aliorum martyrum, qui à Sarracenis ſub duce Alemundaro ob fidem Chriſti ſæuiſſimè cæſi ſunt. Ieroſolymis ſancti Zambdæ[d] Epiſcopi. *Solis Solijs* ſancti Auxibij[e] Epiſcopi. Apud Beneuentum ſancti Barbati[f] Epiſcopi, qui ſanctitate celebris, Longobardos & eorum ducem ad Chriſtum conuertit. Mediolani S. Manſueti[g] Epiſcopi & confeſſoris.

## FEBRVARII 19.

[a] GABINI, vel Gabinij.] De eo Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Iuncta ſunt eius Acta rebus geſtis ſanctæ Suſannæ. habet eas Sur. tom. 4. die 11. Auguſti. Paſſus eſt Diocletiano ſextùm & Conſtantio ſecundùm Coſſ. vnà cum Caio Papa ipſius germano, vt legitur in libro de Roman. Pontificibus. In prædictis autem rebus geſtis S Suſannæ de domo Gabini in eccleſiam conuerſa hæc leguntur: Caij Epiſcopi domus beati Gabini domui propinqua erat, atque ex illo tempore Chriſtianorum ſtatio deputata eſt in duabus ædibus vſque ad hodiernum diem. Factum eſt hoc Romæ in regione ſexta, apud vicum Mamuri, ante Saluſtij forum. Hæc ibi. Ex qua loci deſcriptione facilè apparet, eam fuiſſe domum Gabini, quæ nunc dicitur eccleſia ſanctæ Suſannæ, ac domum Caij eccleſiam illi propinquam, cuius duntaxat ſuperſunt veſtigia ex aduerſo poſita.

[b] Publij & ſoc.] Agit de his etiam Beda, Vſuardus, & alij recentiores hac die.

[c] Sanctorum monachorum.] Iiſdem cæſi ſunt hi Sarracenorum incurſionibus, quarum mentio habetur in rebus geſtis ſancti Ioannis Silentiarij, quas refert Metaphraſtes die 13. Maij, itemque in vita S. Sabæ abb. apud eumdem die 5. Decembris, ac in Actis etiam ſancti Euthymij abb. quæ idem recitat die 20. Ianuarij: cōſentiunt ijſdem, quæ habentur in prato ſpirituali, cap. 21. & 99. Vna eademque perſecutio Sarracenorum ſanctos monachos diuerſis in locis poſitos vexauit, diuerſiſque diebus occidit: vt non mireris, ſi inferiùs de monachis cæſis à Sarracenis ſæpè agatur. Scias autem ipſum Sarracenorum principem Alemundarum ad Chriſti fidem tandem eſſe conuerſum, vt ſcribit Niceph. hiſt. l. 17. c. 35. hiſtor. Miſcel. ex Theophane lib. 15. & alij.

[d] Zambdæ Epiſcopi.] De eo ſcribit Euſeb. in chron. & hiſt. lib. 7. cap. vlt. in fine, Epiphanius in panar. hæreſ. 66. licet in mendoſo codice Baza legatur. De eo item Niceph Epiſcopus in chron. de Epiſc. eccleſ. Ieroſol. & Niceph. Calliſt. lib. 6. cap. 34. Adſcribitur hic trigeſimusnonus eius ſedis Epiſcopus; ſucceſſit Hymenæo, ſeditque temporibus Diocletiani Imperatoris.

[e] Auxibij Epiſcopi.] Agunt de eodem Græci in Menolog. hac die. Eius Acta habet Metaphraſtes, quæ Lipom. retulit in tom. 5. & Sur. tom. 1. Fuit proximus Apoſtolorum temporibus; nam à S. Marco Euangeliſta baptizatus fertur.

[f] Barbati Epiſcopi.] De eo vet. manuſcrip. & inter alia Martyrologium Caſſineuſe. Habemus eius Acta ſincerè ſcripta: eſt eorum exordium: Sicut euidentiſſimè, &c. Interfuit Synodo Romæ celebratæ temporibus Papæ Agathonis, anno Domini 680. eidemque ſubſcripſit, prout eius Concilij Acta indicant, quæ inſerta ſunt in Actione quarta ſextæ Synodi œcumenicæ Conſtantinopolitanæ.

[g] Manſueti Epiſcopi.] De eodem tabulæ Mediolanenſis eccleſiæ. Claruit idem temporibus Agathonis Rom. Pontificis: nam ipſe etiam interfuit præfatæ Synodo Romanæ, eidemque ſubſcripſit, vt einſdem Synodi indicant Acta inſerta in Act. quarta ſextæ Synodi. Habemus manuſcriptam epiſtolam erudit iſſimam eiuſdem Manſueti Epiſcopi ad Conſtantinum Imperatorem Conſtantinopolitanum, dignam tanto viro, tantæque ſedis Epiſcopo: incipit: Si apicem Imperialis faſtigij, &c.

Decimo

Digitized by Google

20 Decimo Kal. Martij. Luna. B ix.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
22 23 24 25 26 27 28 29 1 2 3 4 5 6 7 8 9
t u A B C D E f F G H M N P
10 11 12 13 14 15 16 17 16 17 18 19 20 21

TYRI in Phœnicia commemoratio beatorum[a] martyrum, quorum numerum ſolius Dei ſcientia colligit, qui ſub Diocletiano Imperatore à Veturiò militum magiſtro multis tormentorum generibus ſibi inuicem ſuccedentibus occiſi ſunt; primò quidem flagris toto corpore dilaniati, inde diuerſis beſtiarum generibus traditi, ſed ab illis diuina virtute nil læſi, pòſt addita feritate ignis ac ferri, martyrium conſummarunt. Horum glorioſam multitudinem ad victoriam incitabant Tyrannio[b], Siluanus, Peleus, & Nilus Epiſcopi, ac Zenobius preſbyter, qui felici agone vnà cum illis martyrij palmam adepti ſunt. In Cypro inſula ſanctorum martyrum Pothamij[c] & Nemeſij. Conſtantinopoli ſancti Eleutherij[d] Epiſcopi & martyris. In Perſide natalis ſancti Sadoth[e] Epiſcopi, & aliorum centum vigintiocto, qui ſub Sapore Rege Perſarum, cùm Solem adorare renuiſſent, crudeli nece præclaras ſibi coronas compararunt. Catanæ in Sicilia ſancti Leonis[f] Epiſcopi, qui virtutibus atque miraculis coruſcauit. Eodem die ſancti Eucherij[g] Epiſcopi Aurelianenſis, qui eo magis miraculis claruit, quo pluribus inuidorum calumnijs fuit oppreſſus. Tornaci in Gallijs S. Eleutherij[h] Epiſcopi & Confeſſoris.

## F E B R V A R I I 20.

[a] COMMEMORATIO beat. mart.] Agunt de ijſdem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Horum Acta ſummatim complexus eſt Euſeb. lib. 8. cap. 7. ex eodem Niceph. hiſt. libro 7. cap. 7. ac ceteri.

[b] Tyrannio, Siluanus, &c.] De his item Euſebius hiſt. lib. 8. cap. 25. & Niceph. lib. 7. cap. 16. De ſingulis agitur certis diebus natalis dies.

[c] Pothamij & Nemeſij.] Beda item de his agit, additque Didymum; Vſuardus autem & Martyrius de duobus tantùm.

[d] Eleutherij Epiſc.] De eodem & Græci. ponitur hic octauus ordine Byzantius Epiſcopus, ſeditque annis ſeptem, vt tradit Niceph. eius ſedis Epiſc. in chron. De eo etiam Nicephorus Calliſt. libro 8. cap. 6. Narrat idem auctor libro 15. cap. 23. pauendum iudicium eiuſdem ſancti aduerſus clericum impuriſſimum, editum temporibus S. Gennadij Epiſcopi Conſtantinopolitani, & Leonis Imp. indeque penes nonnullos excommunicatio S. Eleutherij in ore verſatur vſque hodie. Licet potiùs imprecatio, quàm excommunicatio dici debeat.

[e] Sadoth & ſoc.] Alibi, Sadhoc, vel Saduch, legitur. De ijſdem Græci in Menologio hac die. Horum omnium Acta ex antiquis codicibus edidit Metaphraſtes: habet ea Lipom. tomo 5. & Surius tomo 1. Paſſi ſunt hi ſub Sapore Rege Perſarum, qui vixit temporibus Conſtantini, ac eius ſucceſſoris Conſtantij, peruenitque vſque ad tempora Valentiniani, & Gratiani eius filij Impp. vt auctor eſt Ammian. Marcellin. lib. 27. qui illum eam ob cauſam Saporem longæuum appellat. Succeſſit Sadoth, de quo agimus, Simeoni, qui ſub Conſtantino martyrio vita functus eſt: ipſe autem Sadoth paſſus eſt temporibus Conſtantij. De his etiam ſcribit Sozom. lib. 2. cap. 8. 9. & 10.

[f] Leonis Epiſc.] Agunt etiam de eodem Græci in Menologio, magnorumque miraculorum effectorem prædicant.

[g] Eucherij Epiſc.] Extant eius Acta, quæ deſcripſit Surius tom. 1. Claruit temporibus Caroli

Martelli Principis Francorum, à quo multa & grauia paſſus eſt: ſed quas pœnas dederit apud inferos eius anima, & quàm terribile iudicium de humato cadauere Deus oſtenderit, vide ibidem capite 6. quæ & nuper in Decretorum libro ſunt deſcripta 16. q. 1. De eo Sigeb. in chron. anno Domini 723. Trithem. de vir. illuſtr. ord. S. Bened. lib. 3. cap. 192. & lib. 4. cap. 186. Paul. Æmil. lib 2. de geſt. Franc. Ioan. Placentius in catal. Epiſc. Leodienſium, & Molan. in Indic. Sanctorum Belgij. Adſcribitur hic in tabulis Democh. trigeſimustertius ſedis Aurelianenſis Epiſcopus.

[h] Eleutherij Epiſcopi.] De eo autem Beda die ſequenti. Huius res geſtas breui compendio ſcribit Molanus in Indic. Sanctorum Belg. eumque ordinatum dicit Epiſcopum anno Domini 484. ſediſſeque annos 45. tranſlatum verò corpus eius anno 881. De Eleutherij pueritia, ordinatione, & obitu habes in vita S. Medardi à Fortunato conſcripta, cap. 2. & 18.

## viij. C Nono Kalend. Martij. Luna. 21

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | | | |

IN Sicilia natalis ſanctorum martyrum [a] ſeptuagintanouem, qui ſub Diocletiano per diuerſa tormenta confeſſionis ſuæ coronam percipere meruerunt. Adrumeti in Africa ſanctorum martyrum Veruli [b], Secundini, Syricij, Felicis, Seruuli, Saturnini, Fortunati, & aliorum ſexdecim, qui in perſecutione VVandalica ob Catholicæ fidei confeſſionem martyrio coronati ſunt. Scythopoli in Palæſtina ſancti Seueriani [c] Epiſcopi & martyris. Damaſci ſancti Petri Mauimeni [d], qui cùm diceret Arabibus quibuſdam ad ſe ægrotum venientibus: Omnis qui fidem Chriſtianam Catholicam non amplectitur, damnatus eſt, ſicut & Mahumet pſeudopropheta veſter, ab illis necatus eſt. Rauennæ ſancti Maximiani [e] Epiſcopi & confeſſoris. Metis ſancti Felicis [f] Epiſcopi. Brixiæ ſancti Paterij [g] Epiſcopi.

## FEBRVARII 21.

MARTYRVM ſeptuagintanouem. [a]] Agit de iiſdem hac die Beda, Vſuardus, Ado, Petrus in catal. lib. 3. c. 138. & alij recentiores.

[b] Veruli & ſoc.] De his etiam Beda & Vſuardus. Quòd hic additum eſt, hos paſſos eſſe in perſecutione Wandalica, ex dicto vetere manuſcripto ſcias reſtitutum.

[c] Seueriani Epiſc.] Scribit de eius nece per hæreticos Eutychianos illata Niceph. libro 15. cap 9. De eadem hæreticorum perſecutione tunc in Catholicos in Palæſtina graſſante agit Euag. lib. 2. cap. 5. Cyrillus monachus in Euthymio, apud Metaphraſt. die 20. Ianuarij. Habetur mentio etiam de Seueriani Epiſcopi nece in litteris Marciani Imp. datis tunc temporis ad monachos Palæſtinæ: habentur tomo 2. Concil. recent. edit. Eſt ſecunda ordine epiſtolarum illuſtrium virorum pro S. Synodo Chalcedonenſi. S. Leo Papa eo tempore ad ſedandam eam ſeditionem, & ad comprimendum furorem hæreticorum, ſcripſit ad Marcianum Imp. & ad Pulcheriam & Eudociam A A. nec non etiam ad monachos Palæſtinæ, quò illorum turbatos animos conciliaret.

[d] Petri Mauimeni.] Græci etiam de eodem agunt. De eius martyrio habes ex Theophane in hiſt. miſcel. libro 22. anno 2 Conſtantini Sexti Imp. vbi hæc etiam recitantur: Hunc declamationibus ſermonum honorauit ſanctus pater noſter Ioannes, qui cognominatus eſt Chyſooras propter auream & fulgidam Spiritus ſancti gratiam, quæ in ipſo tam in verbo, quàm in vitæ actu effloruit: quem videlicet Conſtantinus Imp. impius propter eminentem orthodoxiam eius anathemati ſubijciebat, & pro Manſur, quod eius auitum nomen eſt, quodque redemptus interpretatur, ſenſu Iudaico, nouum Eccleſiæ magiſtrum, Manſeron, mutato nomine, vocitabat. Hæc ibi: per quæ planè conſtat intelligi ſanctum Ioannem Damaſcenum, iuxta ea quæ de eodem ſcribit Suidas. Paſſus eſt hic anno Domini 742. ſecundùm Faſtos Onuphrij, ſecundùm verò Græcorum ſupputationem anno 745. Sigebert.

Digitized by Google

gebert. tamen in chron. recenſet eius martyrium anno 745.

[e] Maximiani Epiſcopi. ] De eodem hac die tabulæ Eccleſiæ Rauennatis. Conſecratus hic eſt Epiſcopus ſub Conſulatu Baſilij quinto, ann. Domini 546. De eo pluta Hier. Rub. hiſt. Rauen l. 3.

[f] Felicis Epiſc. ] De eodem ex tabulis Metenſis eccleſiæ Molan. in addit. ad Vſuard. Ponitur hic tertius Metenſis ſedis Epiſcopus, ſeditque annos 42. vt habent tabulæ Democh.

[g] Paterij Epiſc. ] De eodem tabulæ eccleſiæ Brixianæ. Numeratur 23. eius ſedis Epiſcopus, poſt S. Philaſtrium autem 16. prout Rampert. in ſerm. de S. Philaſt. affirmat.

## 22 Octauo Kal. Martij. Luna. D vij.

| | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | | | |

ANTIOCHIÆ Cathedra [a] ſancti Petri Apoſtoli, vbi primùm diſcipuli cognominati [b] ſunt Chriſtiani. Hierapoli in Phrygia beati Papiæ [c] eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, qui ſancti Ioannis Senioris auditor, Polycarpi autem condiſcipulus & ſodalis fuit. Salaminæ in Cypro ſancti Ariſtionis [d], qui (vt idem Papias teſtatur) fuit vnus de ſeptuagintaduobus Chriſti diſcipulis. In Arabia commemoratio plurimorum [e] ſanctorum martyrum, qui ſub Maximino Imperatore ſæuiſſimè cæſi ſunt. Alexandriæ ſancti Abilij [f] Epiſcopi, qui ſecundus poſt beatum Marcum eiuſdem ciuitatis Epiſcopus, ſacerdotium virtute conſpicuus miniſtrauit. Viennæ ſancti Paſchaſij [g] Epiſcopi, eruditione & morum ſanctitate præclari.

## FEBRVARII 22.

ANTIOCHIÆ Cathedra [a]. ] Sedere cœpit Petrus Antiochiæ vltimo Tiberij Imp. anno, & à Chriſto nato trigeſimonono, prout exactè Euſebius ſcribit in chron. De vſu priſtino celebrandæ diei Cathedræ, cùm ſcilicet aliquis Epiſcopus alicui præficeretur eccleſiæ, ſatis diximus ſuprà in feſto die Romanæ Cathedræ. Quod autem attinet ad Cathedram Antiochenam, miratus ſum vehementer R.P. Onuphriū Panuinium, virum alioqui eruditum, ſed citò nimis ex humanis præreptum, vt non potuerit ſuas lucubrationes emendare, nouam quamdam hactenus inauditam, nec ab aliquo excogitatam opinionem de Cathedra Antiochena adſtruere conatum eſſe: dum in ſuis ad Platinam additionibus, abſque vllius antiquorum vel recentiorum teſtimonio affirmat, Petrum Romæ primùm, ac demum ſediſſe Antiochiæ. Quæ quidem opinio quàm ſit falſa, quàm aduerſa ſinceræ veritati, quàm denique faueat nouantibus qualemcumque occaſionem captantibus, quotque ex ea ſequantur abſurda, vix credi poteſt. Legi aduerſus huiuſcemodi nouam opinionem eruditiſſimum commentariolum R. D. Siluij Antoniani; pientiſſimi ac diſertiſſimi viri, cuius cenſuræ ſcriptiones meas ſubiicere conſueui: expectamus ſi aliquando ab inuito poterimus extorquere eius editionem, ſimulque è latebris Chriſtianæ modeſtiæ ipſius cetera feraciſſimi ingenij monumenta in publicum vindicare. Tu interim, Lector, accipe de ea re hæc teſtimonia ſanctorum Patrum. Poſt Anacletum, Antherum, Marcellum, & alios, ſatis tibi inſtar omnium poteſt eſſe ſancti Hieronymi auctoritas in comment. epiſt. ad Galat. cap. 2. & de ſcriptoribus Eccleſiaſt. in Petro. Si ex hiſtoricis hæc cupis, habes Euſebium, qui primùm in ea facultate locum tenet, quique in chronico hæc ait: Petrus natione Galilæus, Chriſtianorum Pontifex primus, cùm primùm Antiochenam Eccleſiam fundaſſet, Romam proficiſcitur, ibi Euangelium prædicans, vigintiquinque annis eiuſdem Vrbis Epiſcopus perſeuerat. Hæc Euſebius, quem ceteri Græcorum (ne laborem omnes enumerando) abſque aliqua controuerſia ſecuti ſunt, à quibus nec Latinorum aliquis diſſenrit. Hæc etiam ſanctus Leo in ſerm. 1. in natali Apoſtolorum: Gelaſius Papa in Romano Concilio, vbi actum eſt de libris apocryphis, eadem profeſſus eſt: id Pelagius Papa in epiſtola ad Benignum, & Greg. Papa ad Eulogium libro 6. epiſtola 37. id denique alij omnes qui de ea re egerunt, abſque aliqua dubitatione teſtati ſunt. De leuiſſimis autem quibuſdam obiectionibus, quæ aduerſus

hæc ſiue ab Onuphrio, ſiue ab alio eius ſtudioſo obijciebantur, conſule quæ diximus in 1. tomo Annal.

ᵇ Cognominati ſunt Chriſtiani.] Id Lucas Act. cap. 11. Qua autem ratione id acciderit, ſanctus Athanaſius in diſputatione contra Arium eiuſmodi affert cauſam: Omnes, inquit, qui credebant in Domino noſtro Ieſu Chriſto, non Chriſtiani, ſed diſcipuli tantummodò vocabantur: & quia multi nouorum dogmatum auctores extiterant, doctrinæ obuiantes Apoſtolicę; omnes ſectatores ſuos diſcipulos nominabant; nec vlla erat nominis diſcretio inter veros falſoſque diſcipulos, ſiue Chriſti, Doſithæi, ſiue Iudæ cuiuſdam, ſiue Ioannis ſectatores, qui ſe quaſi Chriſti Eccleſiæ confitebantur; quin potiùs vno diſcipulorum nomine cenſebantur. tunc Apoſtoli conuenientes (ſicut Luca narrante, Acta teſtantur) omnes diſcipulos vno nomine Chriſtianos appellant, diſcernentes à communi diſcipulorum vocabulo; & vt diuini per Iſaiam oraculi ſermo compleretur, quo ait cap. 62. Seruientibus mihi vocabitur nomen nouum, &c. Hæc Athanaſius. Porrò & hoc ipſum nomen non poſt multum temporis hæretici æmulati ſunt, Carpocratianique primùm vſurparunt, vt ſcribit S. Epiphan. hæreſ. 27. Hos ſecuti ſunt ceteri, irrogantes contumelias tanto nomini falſa doctrina, ac morum prauitate: quam ob cauſam (vt conqueſti ſunt ſæpè Patres apologijs) execrandum factum eſt aliquando Gentilibus nomen Chriſtianum, adeò vt ipſum ſolum abſque aliqua noxa (vt ſcribit pluribus Tertullianus in apologetico) eſſet in crimen.

ᶜ Papiæ.] De eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. De Papia ſcribit ſanctus Irenæus, quem recitat Euſebius hiſt. libro 3. cap. 33. Idem Euſebius cap. 30. Hieron. de ſcrip. Eccleſ. in Papia. Extabant eius ſcripta vſque ad eiuſdem Hieronymi tempora, vt ipſe ſcribit epiſtola 28. ad Lucinium. Eadem de eo Niceph. libro 3. cap. 18. & 20. Hîc monitum velim Lectorem, ne qua ſuſpicio de Papia in mentem irrepat, eò quòd aſſertor fuerit improbatæ ſententiæ de mille annis, vnde dicti ſunt hæretici Millenarij: nam ſancta Dei Eccleſia Catholica aliquamdiu de ea re ſuperſedit iudiciumque ſuſpendit, nec aliquid de his qui ea ſentiebant, definiuit; cùm præſertim non vulgares homines, ſed ſanctiſſimi atque doctiſſimi viri id affirmarent, vt poſt Papiam Irenæus, Iuſtinus martyr (mittimus Tertullianum & Nepotem extra claſſem Catholicorum vagantes) Lactantius, Victorinus, Seuerus, & alij, prout teſtatur S. Hieronymus in comment. ſuper Ezech. cap. 36. lib. 11. & in procem. lib. 18. in Iſaiam. De quorum ſententia idem auctor in Ierem. cap. 19. lib. 4. hæc habet: Quæ, licet non ſequamur, tamen damnare non poſſumus: quia multi Eccleſiaſticorum virorum & martyrum iſta dixerunt: & vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet, & Domini cuncta iudicio reſeruentur. Hæc S. Hieron. quo tempore nihil adhuc ab Eccleſia de ea re fuiſſe definitum apparet. Paulò pòſt autem cùm Apollinaris hæreſiarcha hanc de Millenario ſententiam niteretur adſtruere, totiſque neruis defendere conaretur, atque vt dogma Catholicum ſtabilire, ſcriberetque (vt ait ſanctus Hieron. in procem. lib. 18. in Iſaiam) duo volumina aduerſus Dionyſium Alexandrinum, qui de ea re contra Irenæum librum ediderat: mox in eum atque alios Millenarios zelus ſanctorum Patrum exarſit, ita vt in hæreſim ac patronum eius liberiùs inueherentur: cùm præſertim ille adderet alias ad eam opinionem impietates, diceretque homines reſurrecturos eſſe ad legem, circumciſionem, & ſabbata ſeruanda, ad cibos electos, vt olim, & templum materiale constructuros. id de eo ſcribit S. Baſilius in epiſtola 74. ad Occidentales. Tunc autem, ſicut ceteræ prauæ opiniones Apollinaris, ita hæc de Millenario à Damaſo Papa Romæ putatur eſſe damnata.

ᵈ Ariſtionis.] De eodem Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Meminit de Ariſtione Papias, quem refert Irenæus apud Euſebium lib. 3. cap. 33. & Hieron. de ſcrip. Eccleſ. in Papia.

ᵉ Plurimorum ſanct. mart.] Horum agonis Euſebius hiſt. lib. 8. cap. 24. meminit.

ᶠ Abilij Epiſcopi.] De eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Scribit de Abilio Euſeb. in chron. eum ſedere cœpiſſe anno quarto Domitiani Imp. & cùm ſediſſet annos tredecim, ſub Nerua Imp. ex hac vita migraſſe. Ex his reſtituendus eſt locus eiuſdem Euſebij in editione Chriſtophorſoni lib. 3. cap. 12. cùm ait: Quarto anno Domitiani Anianus primus eccleſiæ Alexandrinæ præfuit: qui cùm annos vigintiduos in eo munere compleuiſſet, exijt è vita: in cuius locum ſuffectus eſt Abilius. Hæc ibi; ſed ſic reſtituenda, vna tantùm mutata dictione, vt dicat: Quarto anno Domitiani, Anianus, qui primus eccleſiæ Alexandrinæ præfuit, cùm annos vigintiduos, &c. quam lectionem confirmant etiam ea quæ idem Euſebius ſcribit lib. 2. cap. 23. vbi ait, octauo anno Neronis Imperij Anianum poſt Marcum ſedere cœpiſſe.

ᵍ Paſchaſij Epiſc.] Beda item & Ado de eo hac die. De Paſchaſio Epiſc. Viennen. ſcribit Ado in chron. floruiſſe videlicet temporibus Conſtantini, cùm Melchiades Romanæ præeſſet Eccleſiæ. Succeſſiſſe huic videtur ſanctus Verus, qui reperitur interfuiſſe Concilio Arelatenſi 2. ſub Conſtantino Imp. & Siluestro Romano Pontifice celebrato, vt apparet ex Actis eiuſdem Synodi. Ex his redduntur ambigua, quæ idem ſcribit Ado, Verum ſediſſe temporibus Traiani; & quòd ait, Paſchaſio fuiſſe ſuffectum Claudium. ſed de his in Vero pluribus infrà ad Kalendas Auguſti.

Septi-

23 Septimo Kal. Martij. Luna. E vj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23, | 24 | | | |

*In Anno Biſſextili omittitur* Vigilia ſancti Matthiæ Apoſtoli: *quia transfertur in ſequentem diem, quæ eſt* 24.

VIGILIA[a] ſancti Matthiæ Apoſtoli. Apud Sirmium beati Sireni[b] monachi & martyris, qui, iubente Maximiano Imperatore, tentus, cùm ſe Chriſtianum eſſe confiteretur, capite cæſus eſt. Ibidem natalis ſanctorum ſeptuagintaduorum[c] martyrum, qui martyrij certamen in præfata vrbe conſummantes, regna manſura perceperunt. Romæ ſancti Polycarpi[d] preſbyteri, qui cum beato Sebaſtiano plurimos ad fidem Chriſti conuertit, atque ad martyrij gloriam exhortando perduxit. In ciuitate Aſturicenſi ſanctæ Marthæ[e] virginis & martyris ſub Decio Imperatore, & Paterno Proconſule. Conſtantinopoli S. Lazari[f] monachi: qui cùm ſacras imagines pingeret, Theophili Imperatoris Iconoclaſtæ iuſſu diris ſupplicijs excruciatur, & manus ei candenti ferro comburitur: ſed Dei virtute ſanatus, abraſas imagines ſanctas pingendo reſtituit, ac demum in pace quieuit. Brixiæ ſancti Felicis[g] Epiſcopi. Hiſpali in Hiſpania ſancti Florentij[h] confeſſoris. Tuderti ſanctæ Romanæ[i] virginis, quæ à ſancto Silueſtro Papa baptizata, in antris & ſpeluncis cæleſtem vitam duxit, & miraculorum gloria claruit. In Anglia ſanctę Milburgis[k] virginis, filiæ Regis Merciorum. Et alibi aliorum, &c.

¶ *In anno Biſſextili bis pronuntiatur* Sexto Kalendas Martij, *& eadem Luna, ſcilicet die* 24. *&* 25. *Prima die, id eſt* 24. *hoc modo*: Sexto Kalend. Martij. Luna, *quota fuerit. Deinde*, Vigilia ſancti Matthiæ Apoſtoli. Item commemoratio plurimorum ſanctorum Martyrum, & Confeſſorum, atque ſanctarum Virginum. ℟. Deo gratias. *Secunda die, id eſt* 25. Sexto Kalend. Martij. Luna... In Iudæa, &c. *vt in ſequenti lect.*

## FEBRVARII 23.

VIGILIA S. Matthiæ[a].] De eadem Beda, & Microlog. cap. 47. atque alij recentiores.

[b] Sireni.] De ipſo etiam Beda, ac ceteri. Hic cùm dicatur fuiſſe monachus: ſatis apparet ex Euſeb. hiſt. lib. 8. cap. 22. Maximiani temporibus fuiſſe monachos, & ex eis quamplurimos coronatos eſſe martyrio, vt & Seleucus, de quo ſuprà egimus. quin & ipſe ſanctus Antonius martyrij cupidus conuolauit Alexandriam, ſed conſequi non potuit, vt ſcribit S. Athanaſius in vita ipſius. Agit etiam de Sireno Petrus in catal. libro 3 cap. 147. licet eum etiam Epiſcopum fuiſſe dicat.

[c] Septuagintaduorum martyrum.] Alij legunt ſexagintaduos tantùm; ſed ex pluribus manuſcrip. prædictus numerus habetur certior, prout etiam Petrus in catal. lib. 3. cap. 150.

[d] Polycarpi.] De eodem Beda, Vſuardus, & alij. Habentur eius Acta iuncta rebus geſtis S. Sebaſtiani apud Sur. tom. 1. die 20. Ianuarij.

[e] Marthæ.] Tabulæ eius eccleſiæ. Eius Acta paucis enarrantur in theſaur. concion. tomo 2. die 23. Februarij.

[f] Lazari monachi.] Agunt autem Græci de eo die 17. Octob. quando ex Cithienſi vrbe tranſlatum eſt corpus eius Conſtantinopolim, vt teſtatum habetur in dicto Menologio, ea die. Scribunt de Lazaro Zonaras in tertia parte Annal. in Theophilo Imp. Cedrenus in eodem, & alij.

[g] Felicis Epiſcopi.] De quo tabulæ eccleſiæ Brixian. Recenſetur hic vigeſimus à tempore Philaſtrij eius ſedis Epiſcopi, ſucceſſitque Dominico, vt ſcribit Rampertus eius ciuitatis Epiſcopus, cùm agit de tranſlatione ſancti Philaſtrij.

[h] Florentij.] Agitur de eo in flore ſanctorum Hiſpan. vbi & ſepulturæ eius epitaphium recitatur: itemque in theſaur. concion. tomo 2. die vigeſimatertia Februarij.

[i] Romanæ.] De ea tabulæ eccleſiæ Tudertinæ, vnde etiam eius Acta accepimus. Claruit temporibus Conſtantini, cùm ſanctus Silueſter præeſſet Romanæ Eccleſiæ.

[k] Milburgis.] Fertur eius vita ſcripta eſſe à Gothzelino monacho S. Bertini, deque ea re teſtimonium eſt in catal. ſcrip. Britan. Agit de ea etiam Molanus in addit. ad Vſuardum.

## v. F Sexto Kal. Martij. Luna. 24

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | | | |

IN Iudæa natalis ſancti Matthiæ Apoſtoli[a], qui poſt Aſcenſionem Domini ab Apoſtolis in locum Iudæ proditoris ſorte electus, pro Euangelij prædicatione martyrium paſſus eſt. Romæ ſanctæ Primitiuæ[b] martyris. Cæſareæ in Cappadocia ſancti Sergij[c] martyris, cuius geſta præclara habentur. In Africa ſanctorum martyrum Montani[d], Lucij, Iuliani, Victorici, Flauiani, & ſociorum, qui fuerunt ſancti Cypriani diſcipuli, & ſub Valeriano Imperatore martyrium conſummarunt. Rhotomagi paſſio ſancti Prætextati[e] Epiſcopi & martyris. Treuiris ſancti Modeſti[f] Epiſcopi & confeſſoris. In Anglia ſancti Edilberti[g] Regis Cantiorum, quem ſanctus Auguſtinus Anglorum Epiſcopus ad fidem Chriſti conuertit. Ieroſolymis prima inuentio[h] capitis Præcurſoris Domini.

## FEBRVARII 24.

MATTHIÆ Apoſt.[a]] Latini omnes de eo agunt hac die, Græci autem IX Auguſti, vt conſtat ex Menologio, & ex conſtitutione Emmanuelis Imp. tit. de ferijs. Præter illa quæ de ipſo leguntur in Act. Apoſtol. cap. 1. ſcribunt eum non tantùm in Iudæa, ſed etiam in vlteriori Æthiopia Euangelium prædicaſſe, vt Sophron. apud Hieron. de ſcrip. Eccl. Niceph. libro 2. cap. 40. Doroth. in ſynop. De prædicatione in Iudæa meminit Iſid. de vit. & obit. ſanct. cap. 81. Matthiæ nomine ferebatur Euangelium, quod à Gelaſio in Romano Concilio eſt reiectum inter apocrypha, cap. ſancta Rom. diſt. 15. eadem æſtimatione iam antè habitum ab Origene homil. 1. in Luc. & ab Euſeb. lib. 3. cap. 25. Eiuſdem item claſſis exiſtimatæ ſunt traditiones nomine Matthiæ editæ, ex quibus Marcion ſuam ipſius hæreſim adſtruebat, vt ſcribit Clemens Alexand. lib. 2. ſtrom. cap. 7. qui ex eis quædam recitat fragmenta, & Euſeb. hiſtor. lib. 3. cap. 23. Acta etiam Matthię, quę ſcripta feruntur ab Abdia, vt ſpuria reijciuntur. Habetur mentio de Matthia apud Dionyſium Areopagitam de Eccleſ. hierarch. c. 5. par. 3. Fertur ſermo de S. Matthia, quem alij Auguſtino, Bedę autem alij tribuunt. Scribit Petrus diac. Caſſinen. ſcriptum fuiſſe ab Authperto abbate Caſſinen. ſermonem de eodem Apoſtolo, quem legimus in codice manuſcr. S. Mariæ ad Martyres. Incipit: Inclytam gloriam, &c. Habemus & nos eumdem charactere Longob. conſcriptum.

[b] Primitiuæ.] De ea conſentiunt vet. manuſcrip. quorum ſuprà meminimus.

[c] Sergij.] De eo etiam Beda, Vſuardus, Ado, & alij hac die. Alius cenſetur hic ab illo Sergio, qui vnà cum S. Baccho pro Chriſti fide certauit, de quo ſuo loco inferiùs.

[d] Montani, Lucij, & ſoc.] Reſtituti ſunt ijdem ex vet. manuſcr. Habentur eorum Acta germana, quæ recenſet Sur. tomo. 1. hac die. De Montano, Lucio, Iuliano, & Victorico mentio habetur ſeparatim in diuerſis epiſtolis ſancti Cypriani. De Montano in epiſtola Celerini, apud eumdem epiſt. 21. De Victorico in inſcriptione epiſtolæ 54. De Lucio & Iuliano ſæpè, & in Concilio Carthag. ſub eodem Cypriano. An autem hi

noſtri

noſtri ijdem ſint cum illis, non auderem affirmare; licet iiſdem paſſi reperiantur temporibus, ac in eadem regione.

[e] Prætextati.] Recenſetur hic xvij. eius ſedis Epiſcopus ſecundùm tabulas Democh. Reperitur interfuiſſe Concilio Turonenſi 2. Pariſienſi 1. & Aurelianenſi 5. quibus & ſubſcripſit. Claruit ſub Childeberto Rege circa annum Domini 580. de quo Gregor. Turon. hiſt. Franc. lib. 5. cap. 18. lib. 7. cap. 16. & lib. 8. cap. 20. & 31. vbi de nece ipſius, itemque lib. 9. cap. 20. Quod pertinet ad antiquam familiam & nomen Prætextati, conſule Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 6.

[f] Modeſti Epiſc.] De eo etiam Molan. in addit. ad Vſuard ſecundæ editionis.

[g] Edilberti Regis.] De quo plura Beda de geſt. Angl. lib. 1. cap. 25. 32. 33. & lib. 2. cap. 3. 4. & 5. Ad hunc S. Gregor. Papa ſcripſit epiſtolam 60. lib. 9. regiſt. extat eadem apud Bedam lib. 1. cap 32. Migrauit ex hac vita anno Domini 616. vt idem teſtatur Beda in epitome. Ex qua emendatur quòd idem dixerat lib. 2. cap. 5. eum deceſſiſſe anno Domini 613. nam (vt ipſe ait) viginti & vnum annos regnauit ab eo tempore quo Auguſtinus eſt profectus in Angliam.

[h] Prima inuentio capitis Præcurſ.] De eadem capitis inuentione hac die Beda, Vſuardus, Ado, conſentiuntque ver. manuſcrip. Græci etiam in Menologio hac item die agunt de eadem Rurſusque viij. Kalend. Iunij aliam celebrant inuentionem, quando Comanis, vbi in aureo vaſe latebat, iterùm repertum, Conſtantinopolim tranſlatum eſt. Conſule ea quæ notantur infrà ad quartum Kalend. Septembris.

## 25 Quinto Kal. Martij. Luna. G iiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | | | |

IN Ægypto natalis ſanctorum martyrum Victorini [a], Victoris, Nicephori, Claudiani, Dioſcori, Serapionis, & Papiæ, ſub Numeriano Imperatore: quorum duo primi pro confeſſione fidei exquiſita ſuppliciorum genera conſtanter tolerantes, capite plectuntur; Nicephorus poſt craticulas candentes, igneſque ſuperatos, minutatim conciſus eſt; Claudianus & Dioſcorus flammis incenſi, Serapion verò & Papias gladio cæſi ſunt. In Africa ſanctorum martyrum Donati [b], Iuſti, Herenæ, & ſociorum. Romæ natalis ſancti Felicis [c] Papæ Quarti*, qui ſancti Gregorij Papæ atauus fuit; de quo is refert, quòd ſanctæ Tharſillæ nepti apparens, illam ad cæleſtia regna vocauit. Conſtantinopoli ſancti Tharaſij [d] Epiſcopi, eruditione & pietate inſignis, ad quem extat Hadriani Papæ Primi epiſtola pro defenſione ſanctarum imaginum. Nazianzi ſancti Cæſarij [e], fratris beati Gregorij Theologi, quem idem Gregorius inter agmina beatorum ſe vidiſſe teſtatur.

*Tertij.

## FEBRVARII 25.

VICTORINI, Victoris, & ſoc. [a]] De his hac item die Beda, Vſuardus, & Ado pluribus, Petrus etiam in catal. lib. 3. cap. 151. Græci autem in Menolog. ad diem 31. Ianuarij.

[b] Donati, Iuſti, & ſoc.] Beda de iiſdem hac die, qui & ceterorum recenſet ſingula nomina. In vet. Martyrol. monaſterij S. Cyriaci, præter hos recenſitos, ſuperadduntur & alij quadragintaquatuor. Videntur hi illi eſſe, quos Lucianus in epiſtola 22. apud Cyprian. refert, & inter alios nominat Donatum & Herenem; licet Pamelius in annot. eiuſdem epiſtolæ, auctoritate cuiuſdam alterius manuſcrip. bibliothecæ Guilielmitarum Burgenſium, diuerſis diebus illos eſſe paſſos affirmet; nos autem Romano plus deferimus.

[c] Felicis Papæ.] Cùm hic Felix, de quo hac die agitur, dicatur atauus S. Gregorij Papæ, cuius idem S. Gregorius meminit homil. 38. in Euang. & libro 4. dialog. cap. 16. exiſtimauit Ioannes diacon. in vita S. Gregorij libro 1. cap. 1. & Leo Oſtienſ. in chron. Caſſin lib. 1. c. 1. in fine, hunc eſſe quartum eius nominis Roman. Pontificem.

Ego

Ego autem in eam ſententiam ſum propenſior, vt opiner, non Felicem Quartum, ſed Tertium fuiſſe atauum S. Gregorij; idque non leuibus rationibus perſuaſus: nam Felix Tertius Romanus fuit, Quartus autem Samnis natione, & patriâ Beneuētanus: at perſpicuum eſt omnibus, S. Gregorium non ex Samnitibus originem ducere, ſed ab antiquis Romanis ſenatoribus; quod & ipſe Ioannes diac. abſque vlla dubitatione confirmat. Ad hæc addimus: ſi quis numeret annos, menſes, & dies, quibus ſedit Felix Tertius, inueniet ipſum ex hac vita migraſſe hac ipſa die, quinto Kal. Martij, quod & diligenter obſeruauit Panuin. in Faſtis: Felix autem Quartus obijſſe dicitur quarto Idus Octob. licet fortaſſe ob tranſlationem agatur commemoratio natalis eius 30. Ianuarij. Ad poſtremum ſi tempora attendamus, quibus vixit vterque Felix: magis congruit, vt Felix Tertius, quàm Quartus, atauus S. Gregorij dici debeat: ſi enim numeres annos ab obitu Felicis Tertij vſque ad electionem S. Gregorij Papæ iam ſenis, intercurriſſe inuenies annos nonagintaocto: ſi autem recenſeas annos ab eo tempore quo Felix Quartus ex hac vita deceſſit, vſque ad eiuſdem S. Gregorij Pontificatum; annos tantùm ſexaginta numerabis. Hac itaque habita vtriuſque Felicis temporis ratione, æquius eſſe videtur, vt Felix Tertius potiùs dicatur eius atauus, quàm Quartus; qui eodem S. Gregorio iam nato, geſſit Pontificatum.

[d] Tharaſij Epiſcopi.] Agunt de eodem hac die Gręci etiam. Acta autem eius ſcripſit Ignatius diaconus cuſtos vaſorum, vt Suidas teſtatur in Ignatio Habet ea Lipom. to. 5. & Sur. tom. 1. De eodem prætereà ſæpiùs habetur mentio in Actis ſecundæ Nicænæ Synodi. Obijt humanæ vitæ diem anno à Chriſto Domino 806. multis pro fide Catholica laboribus exantlatis.

[e] Cæſarij.] Huius egregia facta eius germanus S. Gregorius Nazianzenus in ea oratione, quam habuit in funere ipſius, feliciter explicat. De eodem plura in carmine de rebus ſuis. Locus hîc citatus, habetur in fine eius orationis his verbis: Te Cęſarium ipſum videbo non iam peregrinantem, non iam ab alijs funere elatum, non iam hominum animos mœrore ac miſeratione permouentem, ſed clarum, inſignem, & ſublimem; qualis ſæpè mihi in ſomnis viſus es, ô fratrum chariſſime, & fratrum amantiſſime, ſiue cupiditate mea, ſiue ipſa veritate hanc mihi formam repræſentante. Hæc Greg. citat eumdem locum S. Ioan. Damaſc. in oratione de his qui in fide migr. Extāt eiuſdem Cæſarij dialogorum libri quatuor erudititiſſimi nuper editi: licet Billius in ſuis obſeruationibus eius eſſe neget. Corrigitur ibidem ab eo error Nicephori de Cæſario.

iij. A    Quarto Kal. Martij. Luna.    26

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | | | |

PERGE in Pamphilia natalis beati Neſtoris[a] Epiſcopi, qui in perſecutione Decij cùm die noctuque orationi inſiſteret, poſtulans vt grex Chriſti cuſtodiretur, comprehenſus, ac nomen Domini mira libertate & alacritate confeſſus, iuſſu Pręſidis Pollionis equuleo crudeliſſimè tortus eſt, ac demum cùm ſe Chriſto ſemper adhæſurum conſtanter profiteretur, crucis ſuſpendio victor migrauit in cælum. Ibidem paſſio ſanctorum[b] Papiæ, Diodori, Cononis, & Claudiani, qui S. Neſtorem martyrio præceſſerunt. Item ſanctorum martyrum Fortunati[c], Felicis, & aliorum vigintiſeptem. Alexandriæ ſancti[d] Alexandri Epiſcopi, glorioſi ſenis, qui poſt beatum Petrum eiuſdem ciuitatis Epiſcopum, Arium presbyterum ſuum hæretica impietate deprauatum, & diuina veritate conuictum, de Eccleſia eiecit, ac poſteà inter trecentos decem & octo Patres in Nicæno Concilio eumdē damnauit. Bononiæ S. Fauſtiniani[e] Epiſcopi, qui eam eccleſiam, Diocletiani perſecutione vexatam, verbo prædicationis firmauit & auxit. Gazæ in Palæſtina S. Porphyrij[f] Epiſcopi, qui tempore Arcadij Imperatoris Marnam[g] idolum, eiuſque templum euertit, ac multa paſſus quieuit in Domino. Florentię S. Andreæ

dreæ [h] Epiſcopi & confeſſoris. In territorio Archiacenſi S. Victoris [i] confeſſoris, cuius laudes ſanctus Bernardus conſcripſit.

## FEBRVARII 26.

NESTORIS Epiſc. [a]] De eo etiam Beda, Vſuardus, & Ado. Ipſius Acta extant apud Sur. tom. 5. Alius hic ab eo, de quo Niceph. libro 7. cap. 15. & Metaphraſtes in Demetrio.

[b] Papiæ & ſoc.] Eadem Acta S. Neſtoris continent horum certamina. Paſſi ſunt hi ſub eadem Decij perſecutione ante Neſtorẽ conſummatum.

[c] Fortunati & Felicis.] Redditi ſunt ij ex prędictis vet. manuſcr. Diuerſi prorſus cenſentur ab illis, quorum natalis eſt dies 11. Iunij; quod ſaltem ex ſociorum numero potes intelligere.

[d] Alexandri Epiſc.] Beda, Vſuardus, Ado, ac cæteri de eodem hac die. Meminit huius ſæpiùs S. Athanaſius, qui inter alia, in oratione ſecunda contra Arianos, hæc in eos: Noſtis (inquit) quomodo beatus Alexander vſque ad mortem contra hanc hæreſim depugnauit, & quot tribulationes, quantos labores, quamquam iam ſenex, in decrepita ætate ſuſtinnerit, qui & ipſe ad Patres appoſitus eſt. Hæc Athanaſius eius in Epiſcopatu ſucceſſor. De eo etiã Epipbanius in panar. hæreſ. 69. Pluribus Theodoret. hiſt. lib. 5. cap. 2. Socrat. hiſt. lib. 1. cap. 3. Sozom. lib. 5. cap. 14. & Caſſiod. ex eiſdem. Extat huius egregia epiſt. ſcripta ad Alexandrum Epiſc. Conſtantinopolitanum contra Arium; ex qua ipſa, qualis quantúsve fuerit, poteſt exiſtimari. Recitat eam Theodoret. hiſt. lib. 1. cap 6. Interfuit SS. Nicæno Concilio, atque ſequenti anno, qui numeratur à Chriſto nato 326. ex hac vita migrauit. Claruerunt ijſdem temporibus eiuſdem nominis duo alij illuſtres ſanctitate Epiſcopi, Alexander Conſtantinopolitanus, quem diximus, de quo agunt Græci in Menolog. 30. Auguſti; & Alexander Epiſcopus Theſſalonicenſis, cuius extat epiſtola ad Athanaſium, deſcripta in apologia ſecunda eiuſdem Athanaſij. de hoc Græci in Menologio ad ſeptimum diem Nouembris.

[e] Fauſtiniani Epiſcopi.] De eo præterea tabulæ eccleſiæ Bononienſis: recenſetur eiuſdem ſedis ſecundus Epiſcopus. Scripſit de eodem Sigonius in hiſtoria de eccleſia Bononienſi.

[f] Porphyrij Epiſc.] De eodem Græci iterùm agunt in Menologio, hac nimirum die, & ſecunda Martij. Extant eius Acta fideliſſimè ſcripta à Marco diac. quæ deſcripſit Metaphraſtes; eadem Latinè reddita habet Lipom. tom. 5. & Sur. to. 5. Interfuiſſe hic reperitur Synodo Theopolitanæ habitæ in cauſa Pelagij, vbi tantus hæreſiarcha ſubdolè recantauit palinodiam, de quo S. Auguſtinus de pec. orig. lib. 1. cap. 10.

[g] Marnam idolum.] Famoſiſſimum erat Gazæ in Palæſtina idolum, Marnas dictum, celeberrimumque templum eius. Marnam Gazenſes Iouem appellabant, vt auctor eſt Marcus diac. in Actis S. Porphyrij; qui etiam teſtatur, non ſolùm Marnæ templum Gazæ fuiſſe, ſed & Apollinis, & aliorum Gentilium deorum: de Apollinis templo Gazę poſito meminit Ioſephus antiq. lib. 13. c. 21. edit. Gelen. Porrò Marnæ templum erat omnium celeberrimum, quod egregiè ab eodem Marco diacono deſcribitur: de eo ſæpè S. Hieronymus meminit, in vita S. Hilarionis, in epiſt. 7. ad Lætam, cùm ait: Marnas luget incluſus, & euerſionem templi iugiter pertimeſcit. Et in Iſa. cap. 7. cùm inquit: Serapium Alexandriæ, & Marnæ templum Gazæ in eccleſias Domini ſurrexerunt. Hæc Hieron. Adſcribenda ſunt hæc S. Porphyrio, prout eius Acta teſtantur.

[h] Andreæ Epiſc.] De eodem tabulæ eccleſiæ Florentinæ. Plura de ipſo in vita S. Zenobij, cui in Epiſcopatu ſucceſſit. Extat apud Sur. tomo 3. die 25. Maij.

[i] Victoris.] De eo ſcripſit officium Eccleſiaſticum ſanctus Bernardus (vt ipſe teſtatur in epiſt. 352. ad Guidonem abbatem) continens ſermones duos, quibus eiuſdem ſancti laudes & res geſtas complexus eſt; item hymnum & reſponſoria duodecim cum antiphonis vigintiſeptem & alia, iuxta conſuetos ſacri ordinis ritus. Id præſtitit S. Bernardus, expoſcente eodem Guidone abb. Habes dictos ſermones in editione Niuel. pag. 55. & 56.

27 Tertio Kalend. Martij. Luna. 

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | | | |

ROMÆ natalis ſanctorum martyrum [a] Alexandri, Abundij, Antigoni, & Fortunati. Alexandriæ paſſio ſancti Iuliani [b] martyris: qui cùm ita [c] podagra conſtrictus eſſet, vt neque incedere, neque ſtare poſſet, vnà cum duobus famulis, qui eum in ſella geſtabant, Iudici offertur; quorum alter fidem negauit,

gauit, alter nomine Eunus cum Iuliano in confeſſione Chriſti perdurans, ambo ſimul camelis impoſiti, per totam vrbem circumduci iubentur,& flagris laniari,ac tandem incenſo rogo [d],hinc inde ſpectante populo, comburi. Ibidem ſancti Beſæ [e] militis, qui cùm inſultantes in prædictos martyres cohiberet,delatus ad Iudicem, pro fide conſtanter agens, capite truncatus eſt. Hiſpali in Hiſpania natalis ſancti Leandri [f] eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, cuius prædicatione & induſtria Viſigothorum gens,adiuuante Reccaredo eorum Rege, ab Ariana impietate ad Catholicam fidem conuerſa eſt. Conſtantinopoli ſanctorum confeſſorum Baſilij [g] & Procopij,qui tempore Leonis Imperatoris pro cultu ſanctarum imaginum ſtrenuè decertarunt. Lugduni ſancti Baldomeri [h] viri Dei,cuius ſepulchrum crebris miraculis illuſtratur.

## FEBRVARII 27.

ALEXANDRI & ſoc. [a]] De his etiã hac die Beda;licet Theſſalonicæ mendosè, loco Romæ, & deprauatè pro Antigono, Androgonus in eo legatur: quæ omnia ex vet. manuſcrip. ſunt emendata, in quibus additur & Ianuarius.

[b] Iuliani. ] De Iuliano & Euno agunt etiam hac die Beda, Vſuar. Ado & alij. Horum martyrium conſcripſit Dionyſ. Epiſcopus Alexandrinus in epiſt. ad Fabium Antiochenum, quam recitat Euſeb. hiſt lib.6. cap.34. & Niceph. libro 5. cap.30. Paſſi ſunt temporibus Decij Imperatoris.

[c] Podagra conſtrictus eſſet.] De ſiſtendo iudicio ægroto homine, vide quæ de lege duodecim tabularum lepidè diſputat Phauorinus cum Sexto Cæcil. Iureconſ. apud Gelium lib. 20. c. 1.

[d] Incenſo rogo comburi. ] Quòd tam frequenter legas in Martyrol. vel in ipſis Actis martyrum, Chriſtianos poſt multa tormenta igni traditos; eam puto ob cauſam eſſe factum, quòd cùm penes Gentiles Chriſtiani haberentur magica arte imbuti, eos vt magos puniebat Gentilitas: ea enim pœna afficiendos eſſe magos, eorum legibus ſtatutum erat. Paul. lib. 5. ſenten. tit. 23. Pro Chriſtianis hiſce calumnijs impetitis complures antiq Patrum ſcripſere apologias.

[e] Beſæ ] Agit de eo idem Dionyſ. in epiſt. ad Fabium Epiſc. Antiochenum : habetur apud Euſebium lib. 5. cap. 30. ex quo alij eadem referunt.

[f] Leandri Epiſc. ] De eo etiam Beda, Vſuard. Ado, ac ceteri. S. Gregorius de eo ſæpiùs, vt qui vſus eſt eo familiariſſimè, antè etiam quàm Pontifex eſſet, prout declarat in præfatione Moralium. De eodem inſuper lib. 3. dialog. cap. 31. Extant prætereà eius epiſtolæ ad eum ſcriptæ in regiſt. lib. 1. epiſtola 41. lib. 4. epiſtola 46. & lib. 7. epiſt. 125. Iſidor. de vir. illuſtr. cap. 28. recenſet eius ſcripta. Reperitur idem S Leander interfuiſſe primo Concil. Hiſpalenſi, habito anno 5. Reccaredi Regis, æra 628. à Chriſto autem nato anno 590. Idem S. Leander habuit luculentam orationem de laude Eccleſiæ, & conuerſione gentis Gothorum ad fidem Catholicam, quam exſcripſimus ex codice manuſcr. quem reperimus in bibliotheca Sfortiana, vbi habentur & aliæ Synodi Toletanæ nondum typis excuſæ. Adnumerat Trithem. S. Leandrum inter profeſſores regulæ S. Bened. lib. 2. cap 9 & lib 4. cap. 130. de vir. illuſt. ord. S. Bened. Obijſſe ferunt anno Domini 603. De eodem in theſaur concion. to. 2. die 12. Martij.

[g] Baſilij & Procopij. ] Græci etiam de his agunt hac die, vt apparet ex eorum Menologio, vbi eorum Acta paucis enarrantur.

[h] Baldomeri. ] De eo itẽ hac die Beda, Vſuar. Ado, & alij, conſentiuntque vet. manuſcripti.

j. C Pridie Kalend. Martij. Luna. 28

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | | | |

ROMÆ natalis ſanctorum martyrum Macarij [a], Rufini, Iuſti, & Theophili. Alexandriæ paſſio ſanctorum Cærealis [b], Pupuli, Caij, & Serapionis. Ibidem commemoratio [c] ſanctorum preſbyterorum, diaconorum, & aliorum plurimorum,

qui

qui tempore Valeriani Imperatoris, cùm peſtis ſæuiſſima graſſaretur, morbo laborantibus miniſtrantes, libentiſſimè mortem oppetiere; quos velut martyres religioſa piorum fides venerari conſueuit. In territorio Lugdunenſi, locis Iurenſibus, depoſitio S. Romani[d] abbatis, qui primus illic eremiticam vitam duxit, & multis virtutibus ac miraculis clarus, plurimorum poſteà Pater extitit monachorum. Papiæ Tranſlatio corporis ſancti Auguſtini[e] Epiſcopi ex Sardinia inſula, opera Luithprandi Regis Longobardorum.

## FEBRVARII 28.

MACARII & ſoc.[a]] De his agitur in vet. manuſcript. præcipueque in veteri Martyrolog. monaſterij Caſſinenſis.

[b] Cærealis & ſoc.] Beda etiam de his hac die, conſentiuntque vet. manuſcrip. monaſterij ſancti Cyriaci, in quibus adduntur Clandianus & Iuſtus.

[c] Commemoratio ſanctorum presbyt.] Horum res geſtas multis laudibus proſecutus eſt ſanctus Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus in epiſtola quam ſcripſit ad Hieracem Epiſcopum: extat apud Euſebium hiſt. lib. 7. cap. 16. & 17. vbi in fine hæc leguntur: Ex Patribus qui virtute erant præſtantiſſimi in hunc modum mortem oppetiuerunt, quorum nonnulli erant presbyteri, alij diaconi, quidam è populo virtutis ergô multùm laudati: adeò vt iſtud mortis genus, quod propter incredibilem pietatem & robuſtam fidem ſuſcipiebatur, nihil à martyrij ſplendore abeſſe videretur. Hæc Dionyſius.

[d] Romani abb.] De eo Beda, Vſuardus, Ado, & alij hac die. Non hic ille Romanus eſt, qui ſanctum Benedictum in ſpecu aluit, de quo agitur natalis dies 22. Maij: ſed eſt Romanus germanus S. Lupicini, quorum Acta Gregorius Turonenſis ſcribit in vit. ſanct. patr. cap. 1. De eodem Romano & Lupicino plura in vita ſancti Eugendi apud Sur. tom. 1. die 1. Ianuarij. Loca Iurenſia, quorum hîc habetur mentio, ſic dicta ſunt fortaſſe à Iura monte, Cæſaris commentarijs illuſtrato, qui diuidit Sequanos ab Heluetijs. Sed ſunt eius textus aliæ lectiones; vt quæ dicit, Locis virentibus, prout legunt Beda, Vſuardus, & Ado: alia quæ habet, Locis Lorenſibus, eáque ex hiſtoria prædictorum ſanctorum: Lorenſis enim dicta eſt eremus (vt ibidem ſcribit Gregorius Turon.) vbi ſanctus Romanus vnà cum Lupicino fratre excoluit monaſticam vitam temporibus Chilperici Regis Francorum, circa annum Domini 565. Porrò Lorenſis eremus (inquit Gregorius) inter Burgundiam & Alemanniam ſita, Auenticæ adiacet ciuitati. Vſitatior tamen ea reperitur lectio, vt dicat (vt hîc habetur) Locis Iurenſibus: nam & ſanctus Eugendus horum diſcipulus, in Actis eius, quę extant apud Surium tom. 1. Iurenſis monachus appellatus reperitur.

[e] Tranſlatio corporis ſancti Auguſtini.] Huius tranſlationis meminit Paulus diac. de geſtis Longobard. lib. 6. cap. 14. & Beda, qui illis temporibus vixit, lib. de ſex ætat. in fine, vbi ait: Luithprandus audiens, quòd Sarraceni, depopulata Sardinia, etiam loca fœdarent illa, vbi oſſa ſancti Auguſtini Epiſcopi propter vaſtationem barbarorum olim tranſlata & honorificè fuerunt condita; miſit, & dato magno pretio accepit, & tranſtulit ea in Ticinum, ibique eum debito tanto Patri honore recondidit. Hæc Beda. Porrò ea olim in Sardiniam ex Hipponeregio delata fuerunt, cùm à Traſamundo Wandalorum Rege Ariano Africani Epiſcopi relegati eſſent in eam inſulam, temporibus Symmachi Papæ, id in primis operante ſancto Fulgentio Epiſcopo Ruſpenſi, anno à Chriſto Domino (vt probabilius opinamur) quingenteſimo quarto. At verò eo tempore non tantùm corpus, ſed mitram eiuſdem & baculum paſtoralem, aliaſq; ſanctorum reliquias ab eiſdem Epiſcopis illuc tranſlatas fuiſſe, auctor eſt Fara de rebus Sardois. Ticinum autem tranſlatum eſſe venerandum eius corpus tradit Marian. Scot. anno Domini 734. Ado verò in chron. anno 718. & Sigeb. anno 721. Extat de hac tranſlatione Ticinum facta Petri Oldradi Archiepiſcopi Mediolanenſis epiſtola ad Carolum Magnum, data anno Domino ſeptingenteſimo nonageſimo ſexto: eſt eius exordium: Opus quod celſitudo veſtra, dum in vrbe Mediolanenſi moraretur, &c. Habetur illic in fine epiſtolæ, factam eſſe hanc tranſlationem, cùm Gregorius Papa Secundus Romanæ Eccleſiæ præſideret.

I MAR-

Digitized by Google

# MARTIVS.

*D Kalendis Martij. Luna. 1

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | | | |

ROMÆ ſanctorum martyrum [a] ducentorum ſexaginta, quos iuſſit primò Claudius pro Chriſti nomine damnatos extra portam Salariam arenam fodere, deinde in amphitheatro militum ſagittis interfici. Item natalis ſanctorum martyrum Leonis[b], Donati, Abundantij, Nicephori, & aliorum nouem. Maſſiliæ ſanctorum martyrum Hermetis[c] & Hadriani. Heliopoli ſanctæ Eudociæ[d] martyris, quæ in perſecutione Traiani à Theodoto Epiſcopo baptizata, & ad certamen munita, Vincentij Præſidis iuſſu percuſſa gladio, martyrij coronam accepit. Eodem die ſanctæ Antoninæ[e] martyris, quæ in perſecutione Diocletiani cùm Gentilium deos irriſiſſet, poſt varios cruciatus in vaſe quodam incluſa, in paludem vrbis Ceæ demerſa eſt. Apud ciuitatem VVerdam ſancti Suitberti[f] Epiſcopi, qui tempore Sergij Papæ apud Friſones, Batauos, & alios Germaniç populos Euangelium prędicauit. Andegaui ſancti Albini[g] Epiſcopi & confeſſoris, viri præclariſſimæ virtutis & ſanctitatis. Apud Cenomanos ſancti Siuiardi[h] abbatis. Peruſiæ Tranſlatio ſancti Herculani[i] Epiſcopi & martyris.

## MARTII 1.

MARTYRVM ducentorũ, &c. [a]] De his item Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Habemus horum res geſtas vnà cum actis ſancti Valentini presbyteri apud Sur. die 14. Februarij. De quibus monemus Lectorem, ne, cùm nomen Calliſti in illis poſitum legerit, putet illum eſſe Romanum Pontificem ita appellatum; qui non ſub Claudio Iuniore Imperatore, ſed longè antè ſub Macrino Aug. ſedit.

[b] Leonis, Donati, & ſoc.] Reſtituti ſunt ijdem ex dicto vetuſto Martyrologio monaſterij ſancti Cyriaci.

[c] Hermetis & Hadriani.] Vſuardus de ijſdem hac die, conſentiuntque vet. manuſcrip.

[d] Eudociæ.] Græci itidem de ipſa hac die in Menologio, vbi etiam ijſdem ferè verbis eius paſſio habetur expreſſa.

[e] Antoninæ.] Agunt de ea etiam hac die Græci in Menologio, vbi eius certamen paucis deſcribitur. De Cea inſula, vnde & ciuitas eſt dicta, agit Plinius, Antonin. & alij. Quodnam illud fuerit vas, quo Antonina ob id quòd deos Gentilium irriſiſſet, incluſa eſt; conſule ea quæ notata habentur inferiùs de ſupplicio decreto aduerſus irriſores legum, die 28. Iulij.

[f] Suitberti Epiſc.] Beda, Vſuard. Ado, & alij hac die. Extãt eius Acta à Marcellino presbytero fideliſſimè ſcripta. Agit de eo item Beda hiſt. Anglor. lib. 5. cap. 12. Obijt diem anno Domini 717. De eodem etiam Trithemius de vir. illuſtr. ordinis ſancti Benedicti lib. 3. cap. 165.

[g] Albini Epiſcopi.] De ipſo etiam Beda & Vſuardus. Scripſit eius vitam Fortunatus presbyter, vt teſtatur Greg. Turon. de glor. confeſſ. c. 96. vbi de ſanctis Albino atque Martino agit; recenſet eam Surius tom. 2. Reperitur hic interfuiſſe Concilio Aurelianenſi tertio, habito an. 26. Childeberti Regis Francorum, anno à Chriſto (ſecundùm Faſtos Onuphrij) 540. Hinc errare conuincitur Trithem. de vir. illuſtr. ord. ſancti Benedicti lib. 3. c. 103. dum ait eum vixiſſe an. Domini 720. Alius hoc vetuſtior fuit ſanctus Albinus, cui S. Maximus Epiſcopus Regienſis erexit baſilicã,

vt

vt ſcribit Dinamius in vita ſancti Maximi: eſt fortaſſe ille ſanctitate celebris Epiſcopus Catalaunenſis, diſcipulus S. Lupi Trecenſis Epiſcopi, de quo habetur mentio in Actis eiuſdem ſancti Lupi in fine, apud Sur. tom. 4. die 29. Iulij. Alius inſuper fuit S. Albinus Epiſcopus Lugdunenſis, de quo inferiùs xvij Kalend. Octob.

[h] Siuiardi abb.] Huius Acta recitat Surius tomo 2. Claruit temporibus Theodorici Regis Francorum, cuius regni anno octauo ex hac vita migrauit.

[i] Tranſlatio S. Herculani.] Plura de ipſo vide inferiùs ſeptima Nouemb. qua die natalis ipſius celebritas agitur.

## 2 Sexto Nonas Martij. Luna. E xxix.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 |

ROMÆ via Latina ſanctorum martyrum [a] Iouini & Baſilei, qui paſſi ſunt ſub Valeriano & Gallieno Imperatoribus. Itẽ Romæ plurimorum ſanctorum [b] martyrum, qui ſub Alexandro Imperatore & Vlpiano Præfecto diu cruciati, ad extremum capitali ſententia damnati ſunt. In Portu Romano ſanctorum martyrum Pauli [c], Heraclij, Secundillæ, & Ianuariæ. Cæſareæ in Cappadocia ſanctorum martyrum Lucij [d] Epiſcopi, Abſalonis, & Lorgij. In Campania commemoratio ſanctorum octoginta [e] martyrum; qui cùm nollent carnes immolatas comedere, nec caput capræ adorare, à Longobardis [f] ſæuiſſimè cæſi ſunt. Romæ ſancti Simplicij [g] Papæ & confeſſoris. In Anglia ſancti Ceaddæ [h] Epiſcopi Merciorum & Lindisfarnorum, cuius præclaras virtutes Beda commemorat.

## MARTII 2.

IOVINI & Baſilei [a].] De his Beda, Vſuardus, Ado, Petrus in catal. lib. 3. cap. 169. & alij recentiores.

[b] Plurimorum ſanctorum.] Additum eſt nomen Vlpiani Præfecti ex vet. manuſcrip. Conſtat etenim, eum crudeliſſimum fuiſſe in perſequendis Chriſtianis, vt diximus ſuprà, dum egimus de temporibus Alexandri Imperatoris. Agunt de his martyribus hac item die Beda, Vſuardus, Ado, & alij.

[c] Pauli, & Heraclij.] Beda de Paulo tantùm agit, & Heraclium omittit, ſed reſtituitur ex dictis vet. manuſcrip.

[d] Lucij & ſoc.] Beda legit Lucam, pro Lucio; ponitque ſeorſum ſocios, nominibuſque eorum deprauatis: ſed vt ſic poneretur, vetuſta dicta exemplaria monuerunt.

[e] Octoginta martyrum.] Horum hiſtoriam ſcribit S. Gregorius Papa lib. 3. dialog. cap. 27. & 28. Conſtat hos martyres paſſos eſſe anno Domini quingẽteſimo ſeptuageſimonono: quẽ quidem prætaxatum annorum numerum hac ratione ſupputamus. Affirmat enim dicto loco S. Gregorius, hos paſſos eſſe ante annos fermè quindecim ab eo tempore quo hæc ſcribebat in ſuis dialogis, cùm videlicet ageret in Pontificatu annos quatuor, quod conſtat ex lib 4. dialog. c. 36. vbi agens de peſtilentia, quæ primo ſui Pontificatus anno contigit, ante triennium ab eo tempore contigiſſe teſtatur. Si igitur à prædicto anno 579. vſque ad quartum annum Gregorij Pontificatus enumeres interlapſos illos annos quindecim, dicto tempore eos martyrium conſummaſſe comperies.

[f] A Longobardis ſæuiſſimè cæſi.] Obtinuit vſus, vt Longobardi pro Langobardis dicantur: Langobardos enim à maioribus eſſe dictos, complurium auctoritate probatur: ſic appellat eos Cornel. Tacit. lib. 2. Annal. & lib. de morib. German. Velleius Paterculus itidem in hiſt. lib. poſter. pag. 135. noſtrorum autem S. Proſper in chron. ſub Conſulatu Auſonij & Olybrij. ſic & Paul. diac. de geſt Longob. ſed in his non immoror. Quod autẽ ad Longobardorum Chriſtianitatem pertinet, Procopius clariſſimus hiſtoricus, qui vixit temporibus Iuſtiniani Imp. lib. 2. de bello Gothico, cùm agit de Longobardis, eos non Gentiles fuiſſe & idololatras, ſed Chriſtianę fidei profeſſores, abſque dubietate teſtatur. Quo autem tempore ad fidem Chriſtianam venerint, nulla quidem apud Paulum diaconũ, qui eorum geſta eſt proſecutus, reperitur mentio. Ex his autem quæ in dialogis Gregorius Papa ſcribit, colligitur, Longobardorum alios fuiſſe idololatras, vt hi dé quibus hîc agitur, quos caput capræ immo-

laſſe auctor eſt idem S. Gregor. dialog. libro 3. cap. 28. (Baccho enim hircos Gentiles conſueuiſſe immolare, teſtatur Varro lib. 1. de re ruſtic. redditque cauſam. Auctor etiam eſt Minucius Felix in Octauio, conſueuiſſe Gentiles immolare atque colere caput verueccis. Greg. Papa lib. 7. epiſt. 5. ad Brunichildem Reginam Francorum ſcribens, conqueritur adhuc ſupereſſe in Gallijs qui animalium capita immolarent.) Alios Chriſtianos fuiſſe, ſed Arianos, conſtat ex his quæ idem narrat lib. 3. dialog. cap. 29. & in regiſt. lib. 2. epiſt. 2. Alios autem Chriſtianos Catholicos extitiſſe, colligitur ex libro 3. regiſt. epiſtola 2. & 4.

[g] Simplicij Papæ.] De quo eodem die Beda, Ado, & alij. Tiburi præſertim eius natalis ſolemnitas agitur, ibique eius ſacras reliqoias haberi accepimus. Sunt apud nos nonnullæ eius epiſtolæ, quas deſcripſimus in Annal. Eccleſiaſticis, vbi de ipſo pluribus egimus.

[h] Ceaddæ Epiſc.] De eo ſcribit Beda hiſt. de geſt. Angl. lib. 3. cap. 28. & lib. 4. cap. 3. vbi agit de eius obitu. Idem in epitome recenſet eius ordinationem anoo Domini 664. Claruit (vt idem ſcribit) temporibus Vitaliani Pontificis.

xxviij. F

## Quinto Nonas Martij. Luna. 3

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | | | |

CÆSAREÆ in Palæſtina ſanctorum martyrum Marini [a] militis, & Aſterij Senatoris, in perſecutione Valeriani: quorũ prior accuſatus à commilitonibus quòd eſſet Chriſtianus, & interrogatus à Iudice, cùm Chriſtianum ſe eſſe voce clariſſima teſtaretur, martyrij coronam capitis abſciſſione ſuſcepit: cumque Aſterius corpus martyris capite truncatum, ſubiectis humeris & ſubſtrata veſte qua induebatur, exciperet, honorem quem martyri detulit, continuò ipſe martyr accepit. In Hiſpania natalis ſanctorum martyrum Hemiterij [b] & Cheledonij, qui cùm apud Legionem Gallecíæ vrbem in caſtris militarent, exurgente perſecutionis procella, pro confeſſione nominis Chriſti plurimis tormentis afflicti, Calagurrim vſque perducti, atque ibi martyrio coronati ſunt. Eodem die paſſio ſanctorum Felicis [c], Lucioli, Fortunati, Marciæ, & ſociorum. Item ſanctorum militum Cleonici [d], Eutropij, & Baſiliſci, qui in perſecutione Maximiani ſub Aſclepiade Præſide crucis ſupplicio feliciter triumpharunt. Brixiæ ſancti Titiani [e] Epiſcopi & confeſſoris. Bambergæ ſanctæ Chunegundis [f] Auguſtæ, quæ Henrico Primo Imperatori nupta, cùm virginitatem ipſo annuente ſeruaſſet, bonorum operum meritis cumulata, ſancto fine quieuit, & poſt mortem miraculis claruit.

## MARTII 3.

[a] MARINI & Aſterij.] De his item hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij omnes. Horum certamina, quæ Cæſareæ Palæſtinæ ſubiere, Euſebius eiuſdem ciuitatis Epiſcopus exactè deſcribit libro 7. c. 14. à quo etiam Niceph. lib. 6. c. 13. & 14. & alij eumdem ſecuti auctorem. De reliquijs S. Marini martyris meminit Ioan. Damaſc. orat. 3. de imag.

[b] Hemiterij & Cheledonij.] De his etiam ijdem qui ſuprà, Beda, & alij. Horum paſſionis triumphos Prudentius ſacro hymoo cecinit; deque pio fideliſſimo cultu eius exhiberi ſolito hæc ibi eleganter pangit:

*Illitas cruore ſancto*
*Nunc arenas incola*
*Confrequentant obſecrantes*
*Voce, votu, munere.*
*Exteri, necnon & orbis*
*Huc colonus aduenit*, &c.

In breuiario Toletano inſtitutionis S. Iſidori, duo

præterea

præterea habentur ſacri hymni, quibus eorumdem martyrum Acta & laudes canuntur. Agit de iiſdem Greg. Turonen. lib. de gloria martyr. c. 93. Meminitque eorumdem S. Eulogius lib. 1. mem. ſanct. mart. Nouiſſimè de iiſdem in flore ſanct. Hiſpan. & in theſaur. concion. tom. 2.

[c] Felicis, Lucioli, & ſoc.] Beda de his hac die, adſtipulanturque vet. manuſcrip.

[d] Cleonici & ſoc.] Agunt de his etiam Græci in Menolog. hac die, eorumque Acta ſummatim complexa referunt.

[e] Titiani Epiſcopi.] De quo tabulæ eccleſiæ Brixianę. Rampertus Epiſcopus in ſerm. de tranſlat. S. Philaſtrij huius meminit, nonumque ponit ordine ab ipſo Philaſtrio; à primo autē eius ciuitatis Epiſcopo hic numeratur decimusquintus.

[f] Chunegundis Auguſtæ.] Extant eius Acta, quæ Sur. retulit in tom. 2. De eadem Trithem. de vir. illuſtr. ord. S. Bened. lib. 3. cap. 159. Albert. Crantz in Saxon. Metrop. lib. 5. cap. 5. & alij plures, res Germanorum proſecuti. Claruit ſanctitate circa annum Domini 1030.

## 4 Quarto Nonas Martij. Luna. G xxvij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | | | |

ROMÆ via Appia natalis ſancti Lucij [a] Papæ & martyris, qui primò in perſecutione Valeriani ob Chriſti fidem exilio relegatus, & poſtmodum diuino nutu ad Eccleſiam ſuam redire permiſſus, cùm plurimum aduerſus Nouatianos laboraſſet, martyrium capitis obtruncatione compleuit: quem ſanctus Cyprianus ſummis laudibus celebrauit. Romæ item via Appia ſanctorum martyrum nongentorum [b], qui poſiti ſunt in cœmeterio, ad ſanctam Cæciliam. Eodem die S. Caij [c] Palatini [d] in mare demerſi, & aliorum vigintiſeptem. Nicomediæ ſancti Hadriani [e] martyris, cum alijs vigintitribus, qui omnes ſub Diocletiano Imperatore martyrium crurifragio conſummarunt: cuius memoria ſexto Idus Septembris, quando eius corpus Romam tranſlatum fuit, potiſſimùm agitur. Item paſſio ſanctorum Archelai [f], Cyrilli, & Photij. Apud Cherſoneſum paſſio ſanctorum Epiſcoporum Baſilij [g], Eugenij, Agathodori, Elpidij, Ætherij, Capitonis, Ephræm, Neſtoris, & Arcadij. Vilnæ in Lituania B. Caſimiri [h] filij Caſimiri Regis, quem Leo X. Romanus Pontifex in beatorum numerum retulit.

## MARTII 4.

LVCII Papæ [a].] Agunt de eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. De huius ſucceſſione Euſeb. in chron. & hiſt. lib. 7. cap. 2. Optat. lib 2. contra Parmen. & Auguſt. epiſt. 165. Extat ad Lucium Papam epiſt. Cypriani, tanto viro digna, 58. edit. Pam. Eiuſdem meminit ſcribens ad Stephanum Rom. Pont. epiſt. 67. Huius exilium contigit ſub Gallo & Voluſiano Imperatoribus, ſub quibus item, cùm poſtliminio reuerſus eſſet, martyrij coronam accepit, Valeriano & Gallieno Conſulibus. De his pluribus diſſeruimus in Annalibus. Cur autem hic ponatur S. Lucius iſta paſſus in perſecutione Valeriani, vide quæ diximus in iiſdem Annalibus, & infrà 10. Auguſti.

[b] Martyrum nongentorum.] De his iidem qui ſuprà, Beda, Vſuardus, & alij. Quòd autem hìc habetur; hos poſitos eſſe in cœmeterio ad S. Cæciliam, non ſic accipias, vt fuerit aliquod cœmeterium ita dictum: ſed quòd in ipſo cœmeterio Calliſti locus erat, dictus ſanctæ Cæciliæ, cuius ibidem adhuc memoria perſeuerat in marmore ſcripta, iuxta quem locum hi ſepulti erant martyres. De tempore paſſionis eorum nihil prorſus penes antiquos: ſi quis autem tempus deſcribit, additque Conſules, id coniectura tantùm ſua facere videtur.

[c] Caij & ſoc.] De his item hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij.

[d] Palatini.] Etſi commune id ſit nomen omni-

bus qui militant in Palatio ex familia Imp. tamen erat peculiaris ordo militiæ Palatinæ, vt apparet ex tit. de Palatinis, Cod. lib. 12. & Cod. Theod. lib. 6. tit. 30. Minores hi erant Comitibus, atque his qui dicebantur Agentes in rebus: hi in diuerſas prouincias ad diuerſa negotia mittebantur, aliquando etiam ad exigendum cenſum, vt conſtat ex conſtit. nouella Theodoſij & Valentiniani Impp. tit. 43. de Palatin. in his quæ nuper à Petro Pith. ſunt editæ, pag. 36.

[e] Hadriani & ſoc. ] Agit de his item Beda. Extant eorum Acta, & quidem germana, quæ habes apud Sur. tom. 5. die 8. Septembr. & Mombrit. tom. 1. Porrò de Hadriano & ſocijs Græci agunt in Menologio 26. Auguſti. Illuſtriſſimus ſanè martyr Hadrianus, qui licet paſſus ſit Nicomediæ in Bithynia, Romæ etiam clariſſimus eſt habitus, cuius peruetuſta memoria extat apud arcum Seueri, de qua mentio habetur in Ordine Romano: ibi ſacrum corpus eius Nicomediâ tranſlatum, reconditum eſt, eademque inter veteres Cardinalium diaconias connumeratur. Eſt ſermo Honorij Auguſtodunenſis de S. Hadriano: cetera autem de tranſlatione eius inferiùs ad ſextum Idus Septembris dicentur.

[f] Archelai & ſoc. ] Græci etiam de his agunt hac die in Menologio.

[g] Baſilij & ſoc. ] De his itidem Græci in Menologio hac die.

[h] Caſimiri. ] Extant eius Acta ſcripta accuratè à Zacharia Ferrerio Vicentino, Epiſcopo Gardenſi, legato Apoſtolico in Polonia: qui etiam auctoritate Romani Pontificis diuinas preces, ſacros hymnos, ac denique integrum officium eccleſiaſticum in eius honorem recitandum conſcripſit. Obijt hic ſanctus anno à Chriſto Domino milleſimo quadringenteſimo octogeſimonono.

## xxvj. A Tertio Nonas Martij. Luna. 5

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | | | |

ANTIOCHIÆ natalis ſancti Phocæ [a] martyris, qui poſt multas, quas pro nomine Redemptoris paſſus eſt iniurias, qualiter de antiquo illo ſerpente triumphauerit, hodie quoque populis eo miraculo declaratur, quòd ſi quiſpiam à ſerpente morſus fuerit, vt ianuam baſilicæ martyris credens attigerit, confeſtim euacuata virtute veneni ſanatur. Cæſareæ in Palæſtina ſancti Hadriani [b] martyris, qui primò in perſecutione Diocletiani iuſſu Firmiliani Præſidis ob Chriſti fidem leoni obiectus, deinde gladio iugulatus, martyrij coronam accepit. Eodem die paſſio ſanctorum Euſebij [c] Palatini, & aliorum nouem martyrum. Cæſareæ in Palæſtina S. Theophili [d] Epiſcopi, qui ſub Seuero Principe ſapientia & vitæ integritate conſpicuus emicuit. Item in Palæſtina ad ripam Iordanis S. Geraſimi [e] anachoretæ, qui tempore Zenonis Imperatoris floruit.

## MARTII 5.

PHOCÆ [a]. ] De eo etiam hac die Beda, Vſuardus; Ado, & alij Latinorum, Græci autem in Menologio 22. Septembris. Alius hic eſt ab illo eiuſdem nominis Epiſcopo, qui paſſus eſt ſub Traiano, de quo inferius 14. Iulij. Quæ hìc de Phoca martyre habentur, in Gregorio Turon. etiam leguntur lib. de gloria martyr. cap. 99. Extat autem de eodem Phoca præclara oratio S. Aſterij Epiſcopi Amaſeæ, cuius quidem mentio habetur in Nicæna ſecunda Synodo: ex eaque hæc ibi leguntur: In regia ciuitate Italiæ principe & totius mundi regina celebratur Phocas martyr, & extructa eſt ei ædes inſigni pulchritudine; non minùs autem colunt Romani Phocam, quàm Petrum & Paulum. Hæc S. Aſterius hyperbolicè. Eidem martyri Baſilius Imp. ingentem baſilicam erexit Conſtantinopoli, quam etiam celebri monaſterio auxit, vt ſcribit Cedren. in Baſilio Imp.

[b] Hadriani. ] Agunt Græci de hoc Hadriano Palæſtino 4. Februarij: ſed malè ſub Decio paſſum ferunt: ſiquidem eius gentilis Euſebius lib. 8. cap. 21. in fine, coronatum eſſe martyrio, teſtatur, in perſecutione Diocletiani & Maximiani Impp.

[c] Euſebij & ſoc. ] De his item Beda, Vſuardus, & alij, quibus aſſentiuntur vet. manuſcrip.

[d] Theo-

[d] Theophili Epiſc.] De eo Euſebius hiſt.lib.5. cap. 21. & 26. & Hieron. de ſcript. Eccleſiaſt.& alij. Hic inter Orientales Epiſcopos, ſub Victore Rom. Pontifice, aduerſus Quartodecimanos magis magiſque inualeſcentes ſtrenuè ſe geſſit. Ad hunc potiùs ſcripta videtur Victoris Papæ epiſtola, quæ mendosè inſcripta eſt ad Theophilum Epiſcopum Alexandrinum, quem conſtat vixiſſe temporibus Theodoſij Iunioris Imperatoris.

[e] Geraſimi.] Græci in Menologio agunt de Geraſimo pridie huius diei. Conſtat tamen ex Cyrillo monacho, qui iiſdem cum Geraſimo vixit temporibus, in Actis ſancti Euthymij, quæ ſcripſit, ipſum deceſſiſſe quinta Martij, Indict. decimatertia, ſub Conſulatu ſecundo Zenonis Aug. qui annus ex ſupputatione recentiorum ponitur, à Chriſto nato quadringenteſimus ſeptuageſimusquintus. multa ibi de Geraſimo habet idem auctor, necnon in vita S. Sabæ abb. apud Lipom. tomo 5. & Sur. tomo 6. In Actis item ſancti Quiriaci anachoretæ agitur de eius obitu: habentur apud Sur. tomo 5. De alijs admirandis eiuſdem rebus geſtis habes in Prato ſpirituali cap. 107. Cedrenus in compend. ſub Zenone, & alij. Ex illis aliqua ſcriptor ille vitæ ſancti Hieronymi, de quo agemus inferiùs, & quis fuerit oſtendemus, eidem S. Hieronymo falsò adſcripſit.

## 6 Pridie Nonas Martij. Luna. B 25. xxv.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |
| t | u | A | B | C | D | E | F | f | F | G | H | M | N | P | | |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | | | |

NICOMEDIÆ natalis ſanctorum martyrũ Victoris [a] & Victorini, qui per triennium cum Claudiano, & Baſſa vxore eius, tormentis multis afflicti, & retruſi in carcerem, ibidem vitæ ſuæ curſum impleuerunt. Terdonæ S. Marciani [b] Epiſcopi & martyris, qui ſub Traiano pro Chriſti gloria occiſus coronatur. Conſtantinopoli ſancti Euagrij [c], qui tempóre Valentis à Catholicis electus Epiſcopus, ab eodem Imperatore in exilium miſſus, migrauit ad Dominum. In Cypro ſancti Cononis [d] martyris, qui ſub Decio Imperatore pedibus clauis confixis, ante currum iuſſus currere, in genua procumbens, in oratione reddidit ſpiritum. Item paſſio ſanctorum quadragintaduorum martyrum [e], qui in Amorio comprehenſi, & in Syriam perducti, illic egregio peracto certamine, victores palmam martyrij perceperunt. Bononiæ S. Baſilij [f] Epiſcopi, qui à ſancto Silueſtro Papa ordinatus, verbo & exemplo creditam ſibi eccleſiam ſanctiſſimè gubernauit.

## MARTII 6.

VICTORIS & Victorini [a].] De his Beda, Vſuard. Ado, Petrus in catal. lib. 3. c. 180. Agunt itẽ Græci de Victore & Victorino 31. Ianuar. quos tamen non Nicomediæ, ſed Corinthi ſub Decio Imperatore paſſos affirmãt: ſed fortaſſe illi ab his ſunt diuerſi.

[b] Marciani Epiſcopi.] Extant eius Acta, quæ ex antiquioribus monumentis Mombrit. recitat tom. 2. breui autem compendio Petrus in catal. lib. 3. cap. 189. Paſſus eſt (vt eadem Acta teſtantur) ſub Hadriano Imperatore.

[c] Euagrij Epiſc.] Græci itidem. Porrò de eo ſcribit Socrates hiſt. lib. 4. cap. 13. Adſcribitur hic trigeſimus Epiſcopus Conſtantinopolitanus à Nicephoro Epiſc. in chronico. Vixit eodem ſæculo Euagrius S. Hieronymi perneceſſarius; qui, defuncto Paulino, ſubrogatus eſt Antiochenus Epiſcopus: alius item Euagrius, natione Ponticus, aliquando clarus eodem ſæculo vixit, ſed Origenis labe conſperſus, extra claſſem Catholicorum eſt eiectus: in quẽ ſępè inuehitur idem S. Hieron.

[d] Cononis.] De eo etiam Græci in Menologio hac die agunt; quem Nazareth oriundũ, præclaris certaminibus pro fide ſuſceptis nobilitatũ ferũt, dum breui compendio martyriũ eius deſcribunt.

[e] Quadraginta duorum martyrum.] Græci etiam de his hac die in Menologio: recenſentque inter ipſos Theodorum, Conſtantinum, Theophylum, & Baſſum.

[f] Baſilij Epiſc.] De eo item tabulæ Bononienſis eccleſiæ, & Sigon. libro de eccleſ. Bononien. de quo ſuprà.

xxiij. C Nonis Martij. Luna. 7

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |
| t | u | A | B | C | D | E | ſf | F | G | H | M | N | P | | | |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | | | |

IN monaſterio Foſſenouæ prope Tarracinam ſancti Thomæ[a] Aquinatis confeſſoris & doctoris, ordinis Prædicatorum, vitæ ſanctitate, & Theologiæ ſcientia illuſtris. Tuburbi in Mauritania natalis ſanctarum martyrum Perpetuæ[b] & Felicitatis; quæ cùm eſſet prægnans (vt S. Auguſtinus ait) expectata, iuxta leges, vt pareret, dum parturiebat, dolebat; obiecta feris gaudebat: paſſique ſunt cum eis Reuocatus[c], Saturninus, & Secundolus; quorum vltimus quieuit in carcere, reliqui omnes beſtijs traditi ſunt, ſub Seuero Principe. Cæſareæ in Palæſtina paſſio ſancti Eubuli[d], qui cùm eſſet ſocius ſancti Hadriani, biduo poſt illum laniatus à leonibus, & gladio trucidatus, vltimus omnium in ea ciuitate martyrij coronam accepit. Nicomediæ ſancti Theophili[e] Epiſcopi, qui ob cultum ſanctarum imaginum in exilium pulſus, illic defunctus eſt. Peluſij in Ægypto ſancti Pauli[f] Epiſcopi, qui eadem ex cauſa exul occubuit. Brixiæ ſancti Gaudioſi[g] Epiſcopi & confeſſoris. In Thebaide ſancti Pauli[h] cognomento Simplicis.

## MARTII 7.

THOMÆ Aquinatis[a].] Celeberrimi Doctoris Acta ſcripta fuſiùs habentur à Dauid Romæo, Paulo Regio, & Surio tom. 2. Plura S. Antoninus in 3. parte tit. 23. cap. 7. & ſeq. Extare dicuntur in bibliotheca Vaticana Apoſtolicæ litteræ Gregorij Decimi Rom. Pontificis ad ipſum ſcriptæ, quibus eum vocauit ad Lugdunenſe Concilium: illas autem Clementis Quarti ad ipſum datas legi in illius regiſtro. Relatus eſt inter ſanctos à Ioanne XXII. Papa, cuius canonizationis extãt litteræ Apoſtolicæ. Vix quiſquam enarrare ſufficeret, quot vir ſanctiſſimus atque eruditiſſimus Theologorum præconijs celebretur; quantumque eius illibatæ doctrinæ à ſanctis Patribus in SS. œcumenico Tridentino Concilio conſidentibus fuerit acclamatum: iureque ob eam cauſam à ſanctiſſimæ memoriæ Pio Quinto Rom. Pontifice inter celebriores Doctores Eccleſiæ fuit adnumeratus, dum huius diei celebritatem ijſdem ſacris ſolemnibus peragi voluit, quibus Bonifacius Octauus Papa ſanctorum quatuor Doctorum Gregorij, Ambroſij, Auguſtini, & Hieronymi feſtiuitates celebrandas conſtituit. Extat de his ſacrum diploma datum an. Domini 1567. tertio Idus Aprilis, Pontificatus eius anno ſecundo.

[b] Perpetuæ & Felicitatis.] De his etiam hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri. Harum frequenter meminit S. Auguſtinus, digniſque laudibus celebrat, vt in tractatu habito de tempore barbar. eſt quintus de diuer. ibique capite 5. item in Pſalmum 47. ac de origine animæ ad Vincentium lib. 3. cap. 9. & lib. 4. cap. 18. rurſus etiam ad Renatum lib. 1. cap. 10. ac denique ſerm. de cultura agri, cap 4 tom. 9. pag. 318. edit. Louan. Scribit Poſſidius in Indiculo, S. Auguſtinum tres tractatus habuiſſe in harum martyrum die natali, quos excidiſſe dolemus. In ſacro Canone Miſſæ Perpetuæ & Felicitatis nomina recenſentur. Meminit Tertullianus de ipſarum altera, Perpetua ſcilicet, libro de anima; ex quo errare conuincuntur hi, qui has paſſas referunt temporibus Gallieni: nam Tertullianus, qui de ea ſcribit, vixit ſub Seuero Imp. Expectata eſt Felicitas vt pareret, iuxta L. Prægnantis. ff de pœn. cui S. Auguſtinus videtur alludere. Eiuſmodi legem ab Ægyptijs primò latam, & ab ijs à Græcis acceptam, eandemque ad Romanos dilapſam, auctor eſt Plutarchus libro de his qui ſerò à numine puniuntur, cap 4. Poſita erant harum ſacra corpora Carthagine in maiori baſilica, vt auctor eſt Victor Epiſc. Vtic. libro 1. de perſecut. Wandal. Eamdem puto eſſe baſilicam, ab eademque Perpetua martyre denominatam, de qua in præfatione ſecundi Concilij Carthaginenſis mentio habetur: ibi enim Perpetua Reſtituta appellatur eccleſia,

cleſia, in qua dicta Synodus eſt celebrata. Eſt præterea altera Felicitas inſignis martyr, de qua inferiùs ſexto Idus Iulij.

[c] Reuocatus & ſoc.] Ex eorumdem Actis Vſuardus, Ado, & Petrus in catalog. libro 3. cap. 182. agunt hac die.

[d] Eubuli.] Græci etiam. Scribit de Eubulo Euſebius hiſt. lib. 8. cap. 21. in fine, paſſumque refert anno ſeptimo perſecutionis Diocletiani Imperatoris.

[e] Theophili Epiſcopi.] Agunt de eo item Græci in Menolog. hac die, eiuſque pro fide Catholica certamen paucis deſcribunt.

[f] Pauli Epiſcopi.] Itidem de eo Græci hac die in Menologio agunt, eademque referunt, quæ hîc ponuntur.

[g] Gaudioſi Epiſcopi.] De eo etiam tabulæ eccleſiæ Brixianæ. Ponitur in tabulis duodecimus eius eccleſiæ Epiſcopus: à Philaſtrij autem tempore, qui numeratur eius ſedis Epiſcopus ordine ſeptimus, ſextus ponitur à Ramperto Epiſcopo Brixiano in ſerm. de tranſlat. S. Philaſtrij.

[h] Pauli Simpl.] Græci etiam de eo in Menologio hac die. Fuit diſcipulus Antonij Magni, vixitque temporibus Conſtantini Imperatoris. Plura de ipſo in vit. Patrum par. 1.

## 8 Octauo Idus Martij. Luna. D xxiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | | | |

APVD Antinoum Ægypti vrbem natalis ſanctorum martyrum Philemonis[a] & Apollonij diaconi, qui tenti, & ad Iudicem adducti, cùm conſtanter idolis ſacrificare renuiſſent, perforatis calcaneis per ciuitatem horribiliter tracti, nouiſſimè gladio cæſi martyrium compleuerunt. Item ibidem paſſio ſanctorum Ariani[b] Præſidis, Theotici, & aliorum trium, quos Iudex ſubmerſos in mare necauit; ſed delphinorum obſequio corpora eorum ad littus delata ſunt. Nicomediæ ſancti Quinctilis[c] Epiſcopi & martyris. Carthagine ſancti Pontij[d] diaconi beati Cypriani Epiſcopi, qui vſque ad diem mortis illius cum ipſo exilium ſuſtinens, vitæ & paſſionis eius egregium volumen reliquit, atque in ſuis paſſionibus Dominum ſemper glorificans, coronam vitæ promeruit. Item in Africa ſanctorum Cyrilli[e] Epiſcopi, Rogati, Felicis, item Rogati, Beatæ, Hereniæ, Felicitatis, Vrbani, Siluani, & Mamilli. Toleti in Hiſpania depoſitio B. Iuliani[f] Epiſcopi & confeſſoris, ſanctitate & doctrina celeberrimi. In Anglia ſancti Felicis[g] Epiſcopi, qui Orientales Anglos ad fidem conuertit.

## MARTII 8.

PHILEMONIS & Apollonij[a].] De his Vſuardus hac die, Græci autem in Menologio ad xviiij. Kal. Ianuarij, vnà cum Thyrſo, Lucio, & Callinico, & ſocijs; quorum omnium Acta ſcripſit Metaphraſtes ex vetuſtioribus monumentis; retulit ea Lipom. in tom. 5. & Sur. in tom. 6. De his etiam in vit. Patrum par. 1. cap. 19.

[b] Ariani Præſidis, & ſoc.] Agit de his omnibus Vſuardus, Græci autem in Menologio quinta Iunij. Erat Arianus ferociſſimus omnium perſecutor, prout prædicta Acta martyrum Thyrſi & ſociorum indicant: res geſtæ etiam Paphnutij martyris, quas recitat Metaphraſtes ad 28. Aprilis, necnon Acta Sabini martyris, de quo Lipom. tom. 6. & Sur. tom. 2. die 13. Martij, perſecutiones ab eo excitatas referunt. de eius autem conuerſione atque martyrio agitur in Actis prædictorum martyrum Thyrſi, Lucij, Callinici, & ſociorum, apud Metaphraſt. die 14. Decembr.

[c] Quinctilis Epiſcopi.] Beda de eo hac die, additque Capitolinum, ſed Quinctilium, pro Quinctili: adſtipulantur item ver. manuſcr.

[d] Pontij diac.] De eo Beda, Vſuardus, Ado, & vet. manuſcripta. Agit de Pontio Hier. de ſcriptoribus Eccleſiaſt. Cõfundunt hunc nonnulli cum

Pontio

Pontio qui paſſus eſt in Gallijs; ſed alius ille à Pontio Carthaginenſi diacono, qui & Carthagine quieuit, notiſſimus ob ſcripta à ſe Acta S. martyris Cypriani. De Pontio autem in Gallia martyre inferiùs agitur pridie Idus Maij.

[e] Cyrilli Epiſcopi & ſociorum.] Agit de his Beda, & alij eum ſecuti, conſentiuntque vet. manuſcrip.

[f] Iuliani Epiſcopi.] De eo hac die in breuiario Toletano, Vſuardus autem 6. huius. Succeſſit hic Quirico Epiſcopo, quem præceſſit S. Ildefonſus ſucceſſor S. Eugenij: interfuit Concilio Toletano duodecimo, celebrato anno primo Eringij Regis, à Chriſto autem 680. vt ex eius Actis conſtat, licet mendoſus codex Iulium pro Iuliano dicat in ſubſcriptione Epiſcoporum, ſed rectè cap. 1. Sedit autem annos decem, menſem vnum, & dies ſeptem; migrauit ex hac vita anno Domini 691. Mirum quidem dictu, communi omnium pænè errore irrepſit, vt omnes hunc appellent Iulianum cognomento Pomerium, eiuſque ſcriptiones eodem inſcribant cognomine. Quàm autem diuerſus ſit à Iuliano Pomerio hic de quo agimus, longum quod extat inter vtrumque temporis interuallum facilè perſuadet: nam Iulianus Pomerius vixit temporibus Gelaſij Papæ; quod ex eo cognoſces, dum Gennadius ſcribens ad eumdem Pontificem librum illum de vir. illuſtr. (vt ipſe teſtatur cap. 100.) cùm agit de Pomerio cap. 98. illum adhuc viuere teſtatur. & ne quis exiſtimet Pomerium illum de quo ſcribit Gennadius, alium eſſe à Iuliano Pomerio de quo vertitur controuerſia, conſulat Iſidorum de vir. illuſtr. cap. 12. & Honorium Auguſtod. cap. 12. & intelliget vnum eumdemque eſſe; quem (vt diximus) conſtat floruiſſe temporibus Gelaſij Papæ circa annum Domini 495. At verò Iulianus Epiſcopus Toletanus, de quo hîc agitur, poſt annos ferè ducentos vixit. Prætereà Iulianus ille Pomerius, natione Maurus, presbyter tantùm, in Gallijs vixiſſe dicitur, vt tam Gennadius, quàm Honorius atteſtantur, nec reperitur fuiſſe eccleſiæ alicuius Epiſcopus. Accedit etiam, quòd eumdem Iulianum Pomerium Iſidorus inſimulat hæreſis Tertulliani, cùm in libris quos ſcripſit de natura animæ, illam conatus eſt affirmare eſſe corpoream: quæ quidem indigna ſunt, quæ tribuantur Iuliano Epiſcopo Toletano, fidei Catholicæ integritate probatiſſimo. Certè in vita huius antiquitus ſcripta, quam citat Vaſæus in Annalibus Hiſp. nullam prorſus de huiuſmodi cognomine fieri mentionem affirmat. Trithem. cùm agit de ſcrip. Eccleſ. in eumdem errorem lapſus eſt, vt vnum eumdemque putarit Iulianum Pomerium cum Iuliano Epiſcopo Toletano. Cautiùs quidem Sigebertus, qui in lib. de viris illuſtr. cap. 54. & 56. alium eſſe Iulianum Pomerium ab Epiſcopo Toletano demonſtrat. Vnde autem errandi occaſio prouenerit, inueſtigemus. Conueniunt nomine, atque ſacrarum litterarum profeſſione, dum vterque inter ſcriptores Eccleſiaſticos adnumeratur; &, quod maius eſt, eiuſdem facultatis & nominis commentarios ediderunt. Scripſit enim ille Pomerius (vt teſtatur S. Iſidorus de vir. illuſt. cap. 12. itemque Honorius) commentarium tribus libris diſtinctum, quem Prognoſticon appellauit, de vitæ futuræ contemplatione: elaborauit idem opus ſanctus Iulianus Epiſcopus Toletanus totidem libris diſtinctũ, eodemque nomine Prognoſticon nuncupatum; vnde (vt diximus) accepta eſt erroris occaſio. Porrò ſi quis legerit Prognoſticon Iuliani Epiſcopi Toletani, longè aliud eſſe illud opus ab eo inueniet, quod Pomerius elaborauit: nam ſæpiùs citat in eo S. Gregorium Papam, quem conſtat longè poſt illius Pomerij tempora vixiſſe. At quod omnem prorſus aufert difficultatẽ: in eodem opere idem Toletanus Epiſcopus allegat plus decies Iulianũ Pomerium. Ad poſtremũ, cùm in eo commentario idem profiteatur ſe habuiſſe præceptorem S. Eugenium; quis ſit auctor, & quo vixerit tẽpore, apertè ſignificat. Huius etiam, & non Iuliani Pomerij (vt falsò inſcribitur) eſt ille egregius commentarius cõtra Iudæos ad Eringium Regẽ; vbi in fine auctor, cùm numeret ab incarnatione Domini vſque ad illud tempus, quo librũ abſoluit, annos ſexcentos octogintaſex; longè alium ſe eſſe ab illo declarat.

[g] Felicis Epiſc.] De eo ſcribit Beda hiſt. de geſt. Angl. lib. 2. cap. 15. Floruit circa annum Domini ſexcenteſimum trigeſimum.

xxij. E **Septimo Idus Martij. Luna.** 9

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | | | |

APVD Sebaſten Armeniæ natalis ſanctorum Quadraginta [a] militum Cappadocum, qui tempore Licinij Imperatoris ſub Præſide Agricolao poſt vincula & carceres teterrimos, poſt cæſas [b] lapidibus facies * in rigens ſtagnum [c] miſſi ſunt, vbi gelu conſtricta eorum corpora diſrumpebantur, ac demum crurifragio martyrium conſummarunt. Erant autem inter eos nobiliores Cyrion & Candidus: quorũ omnium præclaras glorias ſanctus Baſilius,

*nudi ſub dio expoſiti ſunt.

Baſilius, alijq́ue Patres ſcriptis ſuis celebrarunt. Nyſſæ depoſitio ſancti Gregorij [d] Epiſcopi, fratris beati Baſilij Magni, vita & eruditione clariſſimi, qui ob fidei Catholicæ defenſionem ſub Valente Imp. Ariano ciuitate ſua pulſus eſt. Barcinone in Hiſpania S. Paciani [e] Epiſcopi, tam vita quàm ſermone conſpicui, qui tempore Theodoſij Principis in vltima ſenectute finem vitæ ſortitus eſt. In Morauia ſanctorũ Epiſcoporum Cyrilli [f] & Methodij, qui multas illarum regionũ gentes cum earum Regibus ad fidẽ Chriſti perduxerunt. Romę beatę Franciſcę [g] viduæ, nobilitate generis, vitæ ſanctitate, & miraculorum gratia celebris.

# MARTII 9.

QVADRAGINTA militum [a]. ] Tam Latini, quàm Græci de ijſdem agunt hac die. Extat de his egregius ſermo S. Baſilij; duæ inſuper ornatiſſimæ orationes S. Gregorij Nyſſeni, ſeu potiùs vna, duobus diebus vix abſoluta ob frequentiſſimum cœtum, quo impediente, eam prima die abſoluere minùs licuit. Horum Acta ex vetuſtioribus monnmentis accepta edidit Metaphraſtes, eaque haber Lipom. tom. 7. & Sur. to. 2. Fuerunt omnes (vt ſcribit ſanctus Baſilius) natione Cappadoces, ex diuerſis ciuitatibus otiundi. De inuentione reliquiarum ipſorum operâ S. Pulcherię Auguſtæ ſcribit Sozom. lib. 9. c. 2. Niceph lib. 14. cap. 10. & Beda de ſex ætat. Aliæ autem eorumdem ſanctorom reliquiæ, quæ aſſeruabantur Cæſareæ Cappadociæ in monaſterio ſanctarum virginum, à nepte S. Baſilij, diuino monitu, conceſſæ ſunt S. Gaudentio Epiſcopo Brixiano, dum in regiones illas Dei nutu peregrinaretur: qui tamquam ingentem adeptus theſaurum, ſummo perfuſus gaudio, illas detulit in Italiam, quas in baſilica à ſe erecta honorificentiſſimè collocauit, & in eius dedicatione habuit homiliam, qua non ſolùm rei geſtæ hiſtoriam retexit; verùm etiam occurrens tacitæ de ſanctis reliquijs obiectioni, hæc ait: Licet enim cineres exuſtorum corporum mandato perſecutoris in fluuium iacerentur; non defuerunt religioſæ manus, quæ partem cineris vel furto eriperent, vel pretio compararent. Hæc Gaudentius. Præter hæc etiam conſtat ex prædictis eorumdem martyrum Actis, ipſas teliquias in profluentem proiectas, diuina operante virtute, ad fluminis ripam eſſe delatas, & ab Epiſcopo Petro ſumma cum diligentia collectas. De loco martyrij idem S. Gaodentius affirmat, paſſos eſſe Sebaſte ciuitate metropolitana Minoris Armeniæ. Erexit baſilicam Conſtantinopoli in honorem prędictornm martyrum Tiberius Imp. quam Mauritius eius ſucceſſor abſoluit. hiſt. Miſcel. lib. 17. anno quinto Mauritij Imp.

[b] Cæſas lapidibus facies. ] Polybius libro 6. dum recenſet ſupplicia militaria, non tantùm illos cædi ſuſtibns, ſed etiam contundi lapidibus ſolitos narrat, prout etiam in hos milites factum apparet. de ceteris autem militaribus pœnis notauimus ſuprà die 29. Ianuarij, dicturi & inferiùs ſuo loco de decimatione in Mauritio martyre, die 22. Septembris.

[c] In rigens ſtagnum miſſi ſunt. ] Eadem ferè S. Baſilins in oratione de Quadraginta mart. his verbis: Igitur ſancti Dei ſub dio pernoctare in ſtagno quodam iuſſi ſunt, quod pro mœnibus ciuitatis erat, &c. Sic interpres, ſed turpiter lapſus, dum pro περὶ ὃν ἡ πόλις κατῴκηται, dixit, pro mœnibus ciuitatis erat: cùm alioqui ipſe Baſilius diſertè deſcribat, media in vrbe, atque in ſtagno, circum quod vrbs habitabatur, martyres fuiſſe cruciatos: dubium non eſt, ſtagnum frigidarij ibi iuxta calidarium de more fuiſſe extructũ. Eadem videtur affirmare Greg. Nyſſen. orat. 2. de ijſdem martyribus, vbi hæc verba: Imperat tyrannus, vt gelu athletæ excruciati extinguantur, &c. Certè niſi vitium ſit in tranſlatione, cùm gelu ſit concretio aquæ ex frigore; prædictos in aquam poſitos eſſe, quiſque intelligit. Confirmare hæc videntur, quæ paulò pòſt ſequuntur, his verbis: Vnanimiter vniuerſi hoc occupato loco, qui publicis tunc balneis vacabat, quaſi & ipſi lauacro corpora curaturi & exterſuri, haud cunctanter tunicarum amictum deponebant. Paulò pòſt item ſic: Elementorum quidem natura congelationi ſuccumbebat: martyrum verò natura quaſi indomita & inuicta erat. Itemq́ue inferiùs: Defluebant digiti gelu paulatim carptimq́ue exciſi. S. Ephræm Syrus quoque in ea oratione quam habuit de ſanctis Quadraginta martyribus, expreſſum habet eoſdem paſſos in ſtagno. Hæc omnia autem multò planiora apud Metaphraſtem ac vetera Martyrologia habentur expreſſa: quæ tamen redduntur ambigua ex his quæ inferiùs de ijſdem ſanctis martyribus idem S. Baſilius eadem oratione, vitioſa tranſlatione confuſa, ſcribit his verbis: In terra primùm exerciti, deinde in aëre ſub dio; poſtremò igne crematos aqua excepit, &c. Significare volens hiſce quatuor elementis eo ordine ſic eſſe probatos, vt poſtremò eos igne crematos tunc aqua exceperit, & non priùs; ſed ſub nudo aëre nudos expoſitos, fuiſſe frigore cruciatos. In eamdem ſententiam S. Gaudentius Epiſcopus Brix. in ſermone quem habuit de dedic. baſil. illorum deſcribens certamen, hæc habet: Iudex proſpiciens regionis naturam nimijs rigentem frigoribus, tempus etiam, quo maxima hiemis aſperitas, Aquilone flante, violentiùs incumbebat, montes niuibus, pruinis arua tegebantur: ſtagnum quoque vrbi, in qua iſta gerebantur, ſubiacens longè lateq́ue diffuſum, validiſſimo gelu durante, iter ſolidum plauſtris gementibus accommodabat. hac ergo vi loci, & temporis imma-

immanitate perſpecta, ſacrilegij Gentilis exactor iſtud ſupplicij genus ſanctis adhibere imperat, vt nudati corporibus, religati in aperti aëris pruinoſa duritie pernoctarent, balneis non longè ſub conſpectu eorum fumantibus, vbi velox remedium victis callidus perſecutor, animas eorum magis interficere geſtiens, promittebat, &c. Hæc Gaudentius, qui in eas (vt diximus nuper) regiones peregrinatus, eorumdem ſanctorum martyrum ſacras reliquias à S. Baſilij nepte accipere meruit. Secundùm itaque S Baſilium, & S. Gaudentium, poſita eſt hìc in margine alia diuerſa lectio. Quæ conciliari facilè poſſit, ſi dixerimus balnei frigidarium altè concretum longo hiemis tempore, vt ingentia deſuper ſubire onera potuiſſet, in eoque ſic glacie conſtricto ſub dio poſitos eſſe martyres frigore cruciandos. Quod autem abſque eo quod dimitterentur in ſtagnum, plus ſatis eſſet ad cruciatum, nudos eos exponi ſub dio; docent ea quæ de immanitate frigoris & algoris illarum regionum, ex his quæ paſſi ſunt Romani milites illic agentes in expeditione ſub Corbulone, ſcribit Corn. Tacit. lib. 13. his verbis: Ambuſti multorum artus vi frigoris, & quidam inter excubias exanimati ſunt; annotatuſque miles, qui faſcem lignorum geſtabat, ita præriguiſſe, vt manus oneri adhærentes, truncis brachijs deciderent. Hæc Tacit. Nec præterimus, quod ſanctus Ioannes Chryſoſtomus, qui in Armenia exulauit, pluries ſuis epiſtolis queritur de eius regionis frigoris immanitate, præſertim ad Olympiadem ſcribens epiſt 4. & 6. Plutarchus in Lucullo inter genera tormentorum recenſet ſtationem ſub dio, ardente Sole, & frigoris tempore in luto ac glacie. Rurſum verò in eadem Armeniæ prouincia paſſi reperiuntur alij quadragintaocto numero martyres, quorum meminit Gregorius Turonenſis hiſt. lib. 10. cap. 24. & de gloria martyrum cap. 96. & Sigebert in chron. anno 58.

[d] Gregorij Epiſc. ] Vſuardus item hac die de eo, Græci autem in Menologio quarto Idus Ianuarij. Plura de ipſo S. Gregorius Nazian. in oratione dicta in laudem Baſilij: ſcripſitque ad eum egregiam epiſtolã, qua ipſum è rhetoricis ſtudijs ad ſacros perſcrutandos libros reuocauit: eſt epiſt. 43. Sunt & aliæ ab eodem ad ipſum ſcriptæ, videlicet, 34. 35. 36. 37. 42. 95. & 142. Quomodo autem in exilium actus ſit ab Arianis ob fidei Catholicæ defenſionem, meminit ſanctus Baſilius epiſtola 10. idemque ipſe Gregorius de re ipſa in epiſtola ad Olympium monachum de vita ſanctæ Macrinæ ſororis. Poſt Valentis Imp. Ariani obitum, ab Antiochena Synodo ad reparãdas Orientales eccleſias iam collapſas deſtinatus eſt, vt idem ipſe in eadem epiſtola teſtatur. Alia inſuper honorificentiſſima legatione functus eſt, cùm à SS. œcumenico Concil. Conſtantinopolitano ſub Theodoſio habito ad viſitandas eccleſias Arabiæ miſſus eſt, vt ipſe ſcribit in epiſtola ad Flauianum. Tantus denique fuit, vt inter præcipuos Catholicæ fidei patronos adnumerari, & ſanctione Imperiali laudari mereretur. eſt conſtitutio Theodoſij Imp. L. 3. de fide Cath. Cod. Theod. De eodem S. Hieron. tamquam de homine ſatis ſibi cognito cùm eſſet Conſtãtinopoli, ſcribit lib de ſcrip. Eccleſ. Vixit autem vſque ad vltimam ſenectutem: conſtat enim eum interfuiſſe aliæ Synodo Conſtantinopolitanæ habitæ anno decimoſexto Theodoſij Imp. qui eſt annus Domini trecẽteſimus nonageſimusquartus, vt apparet ex illius Synodi Actis apud Theodorum Balſ. in nomoc. Photij pag. 390. & 391. Hunc etiam plurimùm celebrat Suidas, eique inter illuſtres illius temporis oratores primas defert. Vincẽtius Lerinẽſis in libro aduerſus hæreſes eumdem eiuſmodi exornat elogio: S. Gregorius Nyſſenus, fidei, conuerſationis, integritatis, & ſapientiæ merito frater Baſilio digniſſimus. Niceta in ſchol. 19. ad orat. Greg. Nazian. in funere Baſilij, dicit hunc fuiſſe aliquando coniugio obligatũ; idque teſtatur Niceph. hiſt lib. 15. c. 19. Annuit hoc ipſemet in libro de laude virgin. Coniugem appellatam eſſe Theoſebiam, inſignẽque fuiſſe ſanctitate mulierem, teſtatur S. Gregorius Nazian. epiſt. 95. ad ipſum Gregorium ſcripta, cùm eum de obitu illius conſolatur.

[e] Paciani Epiſcopi ] De eo item Vſuardus hac die, aſſentiunturque vet. manuſcrip. Agit de Paciano ſanctus Hieronymus lib. de ſcrip. Eccleſ. in ipſo, & in Dextero eius filio: qui in ſæculo etiam clarus, præfectura Prætorij fuit decoratus; ad quẽ idem ſanctus Hieronymus inſcripſit librum de ſcriptoribus Eccleſiaſticis: porrò Dexter eruditione inſignis ſcripſit hiſtoriam ad ſanctum Hieronymum, prout ipſe teſtatur de ſcript. Eccleſ. in Dextero, & in apologia aduerſus Rufinum lib. 2. Extant Paciani opuſcula ad Symphorianum de Catholico nomine, & parænesis de pœnitentia, atque etiam de baptiſmo opuſculum.

[f] Cyrilli & Methodij Epiſcoporum. ] Habentur horũ res geſtæ in breuiario religioſiſſimæ Polonorũ eccleſiæ, ſex lectionibus ſecundùm ritũ Eccleſiaſticum diſtinctæ. Dicti ſunt ambo Morauorum & Slauorum Apoſtoli; & licet Methodio Morauia tantùm tribuatur, tamẽ ex regiſtro Ioannis Octaui Papæ ſatis apparet etiam Methodium fuiſſe Slauorũ Epiſcopum: qui ordinatus ab Hadriano Secũdo Rom. Põtifice prædeceſſore eiuſdẽ Ioannis Octaui, ab eo ad Slauorũ populum miſſus fuit, prout eiuſdẽ Ioannis Papæ indicãt litteræ ad ipſum Regẽ datæ decima Iunij, Indict. 12. an. Domini 879. qui item ad eumdem Methodium ſcripſit epiſtolã 202. datã eodem die & anno quo ſuperior ad Regem, qua eum vocat Romam, vt de fide, quam illis gentibus prædicaret, redderet rationem: falſis enim quibuſdam calumnijs fuerat accuſatus, aliter docere, quã ipſe accepiſſet à Romana Eccleſia: qui anno ſequẽti Indict. 13. menſe Iunio Romam venit, & in Synodo cauſam dixit: probataq; ſua fide, obtinuit quod optabat à Rom. Pontifice; nimirum vt Slauorum lingua laudes Deo dicere, & ſacra peragere licitè poſſet; ita tamen, vt priùs Latina lingua Euangelium coram populo legeretur. Extat de his omnibus epiſtola eiuſdẽ Ioãnis Papæ 252. data 12 Iunij, Indict. 13. ad Slauorum Principem. Reuerſus S. Methodius ad Slauos, cùm vberes fructus de Euangelica prædicatione colligeret, grauiſſima fuit perſecutione vexatus; quem idem Pontifex, datis ad eum litteris, eſt conſolatus, epiſt. 278. dat. Kal April. Indict. 14 Habetur in dictis eorumdem Actis, ipſorum operâ corpus S. Clementis Romani Pont. Romam fuiſſe delatum, & in baſilica S. Clemẽtis reconditum: ſed de his conſule quæ habentur in die natali ſancti Clementis inferiùs. Porrò ijdem Romæ morientes, miraculis clari ſepulti ſunt; quorũ ſacras reliquias nuper ſub altari in eiuſdem

eccleſiæ

Digitized by Google

eccleſiæ ſacello peruetuſto repertas eſſe accepi. Agit de ijſdem Martinus Polonus io ſuppur. temporum, aooo Doioini 859. Æneas Siluius hiſt. Boëm. libro 1. cap. 13. Mart. Chromer. de reb. Polon. lib. 3. & alij plures.

g Franciſcæ viduæ.] Legi ex archiuo eius monaſterij duos manuſcrip. codices, quibus eius præclariſſima acta, & miracula quidem inſignia, quibus tam viuens adhuc, quàm etiam poſt obitum claruit, teſtibus examinatis, ſunt ſcriptorum monumentis perpetuis conſignata.

## 10 Sexto Idus Martij. Luna. F xxj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |

APAMEÆ in Phrygia natalis ſanctorum martyrum Caij [a] & Alexandri, qui (vt ſcribit Apollinaris Hierapolitanus Epiſcopus in libro aduerſus Cataphrygas hæreticos) in perſecutione Marci Antonini, & Lucij Veri, glorioſo martyrio coronati ſunt. In Perſide paſſio ſanctorum quadragintaduorum [b] martyrum. Corinthi ſanctorum martyrum Codrati [c], Dionyſij, Cypriani, Anecti, Pauli, & Creſcentis, qui in perſecutione Decij & Valeriani, ſub Iaſone Præſide, gladio cæſi ſunt. In Africa ſancti Victoris [d] martyris, in cuius ſolemnitate ſanctus Auguſtinus ad populum tractatum habuit. Ieroſolymis ſancti Macarij [e] Epiſcopi & confeſſoris, cuius hortatu loca ſancta à Conſtantino & Helena expurgata, & ſacris baſilicis illuſtrata ſunt. Lutetiæ Pariſiorum depoſitio S. Droctouei [f] abbatis, diſcipuli beati Germani Epiſcopi. In monaſterio Luxouienſe ſancti Attalæ [g] abbatis, miraculis clari.

## MARTII 10.

CAII, & Alexandri [a].] De his item hac die Beda, Vſuardus, Ado, & vet. manuſcrip. Eorum martyrium ſcripſit ſanctus Dionyſ. Epiſcopus Alexandrious: extat apud Euſeb hiſt. lib. 5. c. 15. in fioe.

b Quadragintaduorum martyrum.] Agunt de his etiam ijdem qui ſuprà, Beda, ac ceteri.

c Codrati, & ſoc.] Græci item de his hac die in Menologio, quorum egregium martyrium ex veteribus monumentis ſcripſit Metaphraſtes, quod & recitat Lipom. tom. 7. & Sur. tom. 2.

d Victoris.] Scribit Poſſidius in Indiculo c. vult. S. Auguſtinum io eius die natali tractatum habuiſſe. Plures reperiuntur eiuſdem nominis in Africa martyres, vt ille inter alios, quem ſcribit Lucianus in epiſtola ad Celerinum, vnà cum ſocijs in carcere fame occubuiſſe. eſt 12. apud Cyprian. edit. Pamel.

e Macarij Epiſcopi.] Interfuit hic Magno Nicæno Concilio aduerſus Arium, cui ſemper ab exordio naſcentis hęreſis acerrimè reſtitit, vt eiuſdem Arij litteræ teſtaotur, quas recitat S. Epiphanius in panar. hæreſ. 69. & Niceph. lib. 8. cap. 9. Extat ad hunc ipſum Conſtantini Imp. epiſtola apud Socrat. lib. 1. c. 2. Plura de eo Rufin. lib. 1. c. 2. Sozom. lib. 1. cap. 3. & alij, qui ab ijſdem acceperunt. Ne quis autem Macarij nomine decipiatur; ſcire debet, fuiſſe eiuſdem oomiois, eiuſdemque ſedis Epiſcopum temporibus Iuſtiniani Imp. qui ob hæreſim Origeniſtarum ſede excidit: de quo ſcribit Euagrios hiſt. lib. 4. cap. 36. licet tandem cantans palinodiam, fuerit reſtitutus.

f Droctouei abb.] De eo etiam Vſuardus, & Aim. de geſt. Franc. libro 3. cap. 16. claruit circa anoum Domini quingenteſimum ſeptuageſimum.

g Attalæ abb.] Beda item, Vſuardus, Ado, & alij hac die. Scripſit eius vitam fideliſſimè Ionas abbas, quæ habetur apud Bedam tom. 3. quam & Sur. retulit in tom. 2 Eſt autem de eodem mentio in vita S. Walerici apud Sur. tom. 2. die 1. April. Sigeb. in chron. an. 624. Petrus in catal. lib. 3. c. 190. & Trithem. de vir. illuſtr. ord. ſancti Benedicti lib. 3. cap. 71.

xx. G Quinto Idus Martij. Luna. 11

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | | | |

CARTHAGINE ſanctorum martyrum [a] Heraclij & Zoſimi. Alexandriæ paſſio ſanctorum Candidi [b], Piperionis, & aliorum viginti. Laodiceæ in Syria ſanctorum martyrum Trophimi [c] & Thali, qui in perſecutione Diocletiani poſt multa ſæuaq. tormenta coronas gloriæ ſunt aſſecuti. Antiochiæ commemoratio plurimorum [d] ſanctorum martyrum, quorum alij Maximini Imperatoris mandato candentibus craticulis ſuperpoſiti, non ad mortem, ſed ad diuturnum cruciatum aſſati, alij alijs ſæuiſſimis affecti ſupplicijs ad palmam martyrij peruenerunt. Item ſanctorum Gorgonij [e] & Firmi. Cordubæ ſancti Eulogij [f] presbyteri, qui eiuſdem vrbis martyribus in perſecutione Sarracenorum adiungi meruit, quorum pro fide certamina ſcribendo fuerat æmulatus. Sardis ſancti Euthymij [g] Epiſcopi, qui ob cultum ſanctarũ imaginum à Michaële Imperatore Iconoclaſta in exilium miſſus, demum Theophilo imperante martyrium conſummauit. Ieroſolymis S. Sophronij [h] Epiſcopi. Mediolani S. Benedicti [i] Epiſcopi. In finibus Ambianenſium ſancti Firmini [k] abbatis. Carthagine ſancti Conſtantini [l] confeſſoris. Babuci in Hernicis S. Petri [m] confeſſoris, miraculorum gloria inſignis.

## MARTII 11.

[a] HERACLII, & Zoſimi [a]. ] Agit de his Beda hac die, additq. Alexandrum. Petrus in catal lib. 3. cap. 191. Hiradum pro Heraclio legit, additq. tres alios martyres: ſed ſeorſum eos eſſe ponendos, docent antiqua manuſcripta.

[b] Candidi, & Piperionis. ] De his item Petrus in catal. lib 3. cap. 191. vnà cum prædictis, alijque recentiores.

[c] Trophimi, & Thali, aliàs Thalei. ] Agunt de his etiam Græci in Menologio hac die; paſſique dicuntur ſub Diocletiano Imperatore, & Aſclepiade Præſide Laodiceæ.

[d] Plurimorum ſanctorum. ] Scribit horum martyrium Euſebius hiſt lib. 8. c. 24. ex quo Nicephorus lib. 7. c. 11. & alij.

[e] Gorgonij, & Firmi. ] De his etiam Vſuardus in 2. edit. Molani, conſentiuntque manuſcripta.

[f] Eulogij. ] Vſuardus de eo 20. Septembris. Porrò hic dies natalis eius: nam martyrio coronatus habetur quinto Idus Martij, die ſabbati, hora nona, vt teſtantur Acta ipſius, quę ſcripſit Aluarus Cordubēſis eius ſodalis: ſed feliciùs, mea ſententia, ſua ipſius ſcripta viuam ipſius imaginem reddunt. Hic ille pręclarus Chriſti athleta, qui, cedētibus ceteris, vexillum confeſſionis aduerſus Arabum impietates erexit, ac plurimos ad martyrij coronam perduxit; quorum triumphos ipſe in carcere poſitus ſcripſit. Extant, hac noſtra ętate è latebris antiquitatis eruta, pręclariſſima ſcriptorum ipſius monumenta, quæ Apoſtolicum ſpiritum redolent, & puriſſimam priſtinā illam ſinceritatem præſeferunt: edidit eadem, ac ſcholijs illuſtrauit eruditus vir Ambroſius Moralis hiſtoricus regius. S. Eulogij corporis tranſlatio contigit æra 898. anno à Chriſto Domino 860.

[g] Euthymij Epiſcopi. ] Græci etiam de hoc agunt in Menolog. hac die. pleraq. dè eo Georg. Cedren. in comp. in Mich. Balbo, & Zonar. Annal. in eodem Imp.

[h] Sophronij Epiſcopi. ] Gręci itidem in Menologio hac die, his verbis: Sancti Patris noſtri Sophronij Patriarchę Ieroſolymitani ex ciuitate Damaſco, multiplici eruditione, diuinarũ litterarum ſcientia, & pietate inſignis. Hęc ibi: Floruit hic temporibus Heraclij Imp. ſucceſſitq Modeſto Epiſcopo, temporibus Honorij Papę, anno Domini 634. Errare conſtat eos qui dicunt eum ſediſſe tantũ annos duos; nam peruenit vſque ad

tempora

tempora Ioannis Quarti Romani Pontif. quando habuit Ieroſolymis Synodum aduerſus Monothelitas, & Synodicam ſcripſit ad eumdem Ioannem Papam, vt habetur in hiſt. Miſcel. libro 18. anno 2. Heraclij Imp. & lib. 19. anno 26. eiuſdem Imper. Cedren. In comp. anno 20. eiuſdem Imp. & Zonar. in 3. par. Annal. in Heraclio. Illa ipſa Synodica recognita eſt in Sexta Synodo Act. 13. atque Patrum omnium conſenſu probata fuit. Citatur eiuſdem Sophronij titulo Pratum ſpirituale à ſecunda Synodo Nicæna Act. 4. & à ſancto Ioanne Damaſceno orat. prima de imaginibus. Alius ab hoc ille Sophronius, de quo agit ſanctus Hieronymus lib. de ſcript. Eccleſ. qui (inquit) apprimè eruditus nonnulla conſcripſit, & opuſcula mea in Græcum ſermonem elegantiſſimè tranſtulit, &c.

[i] Benedicti Epiſcopi.] De eo tabulæ eccleſiæ Mediolan. & Paulus diaconus de geſtis Longob. lib. 6. cap. 10. his verbis: Fuit autem idem venerabilis Epiſcopus Benedictus vir egregiæ ſanctitatis, de quo per vniuerſam Italiam bonæ opinionis fama flagrauit. Floruit temporibus Heraclij Iuſtiniani Imperatoris, & Ariperti Iunioris Regis Longobardorum, qui regnare cœpit anno Domini ſeptingenteſimo ſexto.

[k] Firmini abb.] De eo Kalendarium Ambianenſis eccleſiæ, aliaque vet. monumenta eiuſdem.

[l] Conſtantini.] Molanus in addit. ad Vſuardum de eodem agit hac die.

[m] Petri.] Huius res geſtas accepimus à Reuerendiſſ. Flaminio Philonardo Epiſcopo Aquinate, viro optimo & erudito.

12 Quarto Idus Martij. Luna. A xix.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | | | |

ROMÆ ſancti Gregorij [a] Papæ, & Eccleſiæ Doctoris eximij, qui ob res præclarè geſtas, atque Anglos ad Chriſti fidem conuerſos, Magnus eſt dictus, & Anglorum Apoſtolus appellatus. Item Romæ ſancti Mamilliani [b] martyris. Nicomediæ paſſio beati Petri [c] martyris, qui cùm eſſet cubicularius Diocletiani Imperatoris, & liberiùs de immenſis martyrum ſupplicijs quereretur, iubente eodem, in medium adducitur, ac primò ſuſpenſus, diutiſſimè flagris torquetur, deinde aceto ac ſale perfuſus, ad vltimum in craticula lento igne aſſatur, ſicque verè Petri extitit & fidei heres & nominis. Ibidem ſanctorum Egdunij [d] presbyteri, & aliorum ſeptem, qui ſinguli diebus ſingulis ſuffocati ſunt, vt ceteris metus incuteretur. Conſtantinopoli ſancti Theophanis [e], qui ex ditiſſimo pauper monachus effectus, ab impio Leone Armeno pro cultu ſacrarum imaginum biennio detentus in carcere, inde in Samothraciam deportatus, ibidem ærumnis confectus reddidit ſpiritum, multiſque miraculis claruit. Capuæ ſancti Bernardi [f] Epiſcopi & confeſſoris.

## MARTII 12.

GREGORII Papæ. [a]] De eo Beda, ac ceteri Latinorum; Græci etiam in Menologio hac die, qui habent eius res geſtas, ſed perpaucas ex multis, quas Metaphraſtes deſcripſit: eas recitat Lipom. tom. 7. Latinorum autem ſcripſit eius Acta Paulus monachus Caſſinenſis, tempore Caroli Imp. vt auctor eſt Sigeb. lib. de vit. illuſtr. cap. 80. Poſt eum Ioannes diaconus temporibus Ioannis Octaui Papæ, & Caroli Calui Imp. Habet ea Lipom. tom. 4. & Sur. tom. 2. ſed in nonnullis corrigendus, vt patefecimus in Annalib. Eccleſiaſt. De Gregorij creatione agit Greg. Turonen. qui illis temporibus vixit, lib. 10. de geſtis Franc. cap. 1. Iſidorus præterea de eo lib. de vir. illuſtr. cap. 27. & ſanctus Ildefonſus de vir. illuſtr. cap. 2. qui his laudibus eum exornat: Ita, inquit, cunctorũ meritorum claruit perfectione ſublimis, vt excluſis omnium virorum illuſtrium comparationibus, nihil illi ſimile demonſtraret antiquitas: vicit enim ſanctitate Antonium, eloquentia Cyprianũ, ſapientia Auguſtinum, &c. enumerat poſt hæc

eius ſcripta. Conſtat quidem teſtimonio Synodi Toletanę nctauę c. 2. eum in ethicis aſſertionibus cunctis Eccleſiæ Doctoribus præferendũ eſſe. De eo prætereà ſcribit Beda hiſt. de geſt. Angl. lib. 2. cap. 13. Paulus diac. de geſt. Longob. lib. 3. cap. 11. & 12. Prat. ſpirit. c. 192. Ioan. Damaſc. orat. de fid. defunct. Leo Oſtienſ. in chron. Caſſin. lib. 1. & alij ferè innumeri. Olim autẽ, cùm tempore Quadrageſimę ſanctorũ natalitia minimè celebrarentur, trãſlata erat ea ſolemnitas in diem qua fuerat ordinatus, vt ſcribit Radulph. de nbſeru. can. c. 16.

[b] Mamiliani. ] Beda de eo hac die, ſed Maximilianum eum appellat. Agitur de ipſo in Actis ſancti Vrbani Papæ, & S. Cæciliæ, apud Sur. die 22. Nouemb. tom. 6.

[c] Petri. ] De eo item Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Scripſit eius egregium certamen Euſeb. hiſt. lib. 8. cap. 6. & ex eo Niceph. lib. 7. cap. 5. & alij acceperunt.

[d] Egdunij, aliàs Migdonij. ] De quo ijdem qui ſuprà, Beda, & alij. Paſſus reperitur Migdonius vnà cum Petro, de quo egimus, in perſecutione Diocletiani, vt & teſtantur Acta Indes & Domnæ apud Metaphraſtem 26. Decemb. quæ refert Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 6. & Niceph. lib. 7. cap. 5. ex quibus hos illos ipſos eſſe, locus, tempus, & perſonæ demonſtrant; licet hiſtoria de ipſis diuerſa feratur.

[e] Theophanis. ] Gręci etiam de eo in Menologio hac die: cuius Acta deſcribit Metaphraſtes, quæ habet Lipom. tom. 7. & Snr. tom. 2. Cedrenus de ipſo agit in compend. in Leone Armeno. Alius hic ab illo Theophane, qui eadem ex cauſa multa ac grauia paſſus eſt ſub Theophilo Imp. vt idem auctor teſtatur in Theophilo, & Zonar. in 3. par. Annal. in Leone, & Theophilo.

[f] Bernardi Epiſcopi. ] De eodem tabulæ eccleſiæ Capuanæ.

## xviij. B Tertio Idus Martij. Luna. 13

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | | | |

NICOMEDIÆ natalis ſanctorũ martyrum Macedonij [a], Patriciæ vxoris eius, & Modeſtæ filiæ. Nicææ ſanctorũ martyrum Theuſetę [b], & Horris filij eius, Theodorę, Nymphodoræ, Marci, & Arabiæ, qui omnes pro Chriſto igni traditi ſunt. Hermopoli in Ægypto ſancti Sabini [c] martyris, qui multa paſſus, tandem proiectus in flumen martyrium conſummauit. In Perſide ſanctæ Chriſtinæ [d] virginis & martyris. Cordubæ ſanctorum Ruderici [e] preſbyteri & Salomonis martyrum. Conſtantinopoli ſancti Nicephori [f] Epiſcopi, qui paternarum traditionum propugnator acerrimus, Leoni Armeno Imperatori Iconoclaſtæ pro cultu ſanctarum imaginum ſe conſtanter oppoſuit, à quo mulctatus exilio, ibidem quatuordecim annis longum ducens martyrium, migrauit ad Dominum. Apud Camerinum ſancti Anſouini [g] Epiſcopi & confeſſoris. In Thebaide depoſitio ſanctæ Euphraſiæ [h] virginis.

## MARTII 13.

MACEDONII & ſoc. [a] ] De his Beda, Vſuardus, Adn, & alij hac die, Petrus item in catal. lib. 3. c. 198. Qun autem tempore paſſi ſint, nullus antiquorum prodit. Ponant qui velint ad libitum annos & Conſules; nobis certè niſi ex certis anctoribus quidquam affirmare, religio eſt.

[b] Theuſetæ & ſoc. ] Agunt de his etiam ijdem qui ſuprà, Beda, ac ceteri recentintes.

[c] Sabini. ] De eo item hac die Gręci in Menolog. Huius res geſtas ex antiquis monumentis recitat Metaphraſtes, quas & deſcripſit Lipom. to. 7. & Sur. tom. 2. Paſſus eſt in perſecutione Diocletiani ſub Ariano Pręfecto, de quo ſuprà 8. Martij.

[d] Chriſtinæ. ] Græci itidem de ea in Menologio hac die.

[e] Ruderici & Salomonis. ] Scribit de his S. Eulogius in apologetico, paſſniſque refert hac die, anno Domini 857. æra (vt numerat) 895.

[f] Nicephori Epiſcopi. ] Agunt de eo hac die Græci in Menolog. Metaph. habet eius Acta, quæ retulit Lipom. in tom. 7. & Sur. tom. 2. De eo Zonar. & Georg. Cedren. in Leone Armeno Imp. & hiſt. Miſcel. ex Theophane lib. 24. Meminit eiuſdem Theoſterictus in oratinne quam habuit de ſancto Niceta, quæ extat apud Metaphr. die 3. Aprilis. Scripſit hic, de qun agimus, Nicephorus nonnulla, & inter alia chronographiam, quam citare conſueuimus, Synodicam inſuper ad Leonem Papam Tertium, ad quem prouocauit, cùm iniuſtè accuſaretur. Legi eiuſdem aliam inſignem epiſtolam manuſc. ad eumdem Leonem Pontif.

in

in bibliotheca S. Mariæ ſuper Mineruam, quam poſteà reperi typis excuſam, ac poſt Acta Concilij Epheſini editionis Contianæ poſitam.

[g] Anſouini Epiſcopi. ] De eo tabulæ eccleſiæ Camerin. quas inde miſſas accepimus.

[h] Euphraſiæ. ] Vſuardus de eadem hac die, Græci autem in Menolog. 25. Iulij. Eius res geſtas ex manuſcrip. codice Sur. deſcripſit tom. 2. Ioannes Damaſcenus ex eius Actis, vt legitimè ſcriptis, petit auctoritatem orat. 3. de imagin. Claruit temporibus Theodoſij Imp. Alia ab iſta eſt Euphraſia Nicomedienſis, quæ mira arte eluſit procaciam laſciuientis iuuenis, de qua Niceph. lib. 7. cap. 13.

## 14 Pridie Idus Martij. Luna. C xvij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | | | |

ROMÆ natalis ſanctorum quadragintaſeptem [a] martyrum, qui baptizati ſunt à beato Apoſtolo Petro, cùm teneretur in cuſtodia Mamertini [b] cum coapoſtolo ſuo Paulo, vbi nouem menſes detenti ſunt: qui omnes ſub deuotiſſima fidei confeſſione Neroniano gladio conſumpti ſunt. In Africa ſanctorum martyrum Petri [c] & Aphrodiſij, qui in perſecutione VVandalica martyrij coronā perceperunt. Carrhis in Meſopotamia S. Eutychij [d] patricij, & ſociorū, qui ab Euelid Arabum Rege ob fidei confeſſionē intercempti ſunt. In prouincia Valeriæ ſanctorum duorum [e] monachorum, quos Longobardi ſuſpendio necauerunt in arbore: in qua, licet defuncti, ab hoſtibus ipſis auditi ſunt pſallere. In ea etiam perſecutione diaconus eccleſiæ Marſicanæ in confeſſione fidei capite truncatus eſt. Halberſtatti in Germania dormitio beatæ Mathildis [f] Reginæ, matris Othonis Primi Imperatoris, humilitate & patientia celebris.

## MARTII 14.

QVADRAGINTASEPTEM martyrum [a]. ] De his Beda, Vſuardus, & Ado hac die. Agitur de horum agone in Actis ſanctorum martyrum Proceſſi & Martiniani, quę habet Sur. tom. 4. die 2. Iulij. De his item Petr. in catal. lib. 3. cap. 199.

[b] In cuſtodia Mamertini. ] Sic appellatus reperitur carcer ille, qui nobilitatus vinculis ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, aliorumque ſanctorum martyrum, ad radices Capitolij, ſupra locum quem hodie Forum dicunt, poſitus, ſubterraneos habens deſcenſus, à Chriſtianis ſtatutis diebus, religionis ergô, frequenti cœtu inuiſitur, atque in honore habetur. Præſefert illius carceris ſpeciem, qui à Salluſtio in Catil. ſic deſcribitur: Eſt locus in carcere, quod Tullianum appellatur, vbi paulatim deſcendens ad læuam circiter duodecim pedes humi depreſſus, eum muniunt vndique parietes, atque inſuper camera lapideis fornicibus iuncta, & inculta tenebris, odore fœda, atque terribilis eius eſt facies. Hæc Salluſtius de loco carceris Tulliani: de eodem & Varro lib 4. de lingua Lat. his verbis: Carcer à coërcendo, quòd exire prohibentur. In hoc pars quæ ſub terra, Tullianum; ideò quòd additum à Tullio Rege: quòd Syracuſis, vbi ſimili de cauſa cuſtodiuntur, vocantur Latomiæ, & de Latomia tranſlatum, quòd hîc quoque lapidicinæ fuerunt. Hęc Varro. Et vt ex noſtris aliquid afferamus, in Actis ſanctorum Chryſanthi & Darię hęc ſcripta habentur de carcere Tulliano: Coniectus eſt igitur in carcerem Tullianum profundiſſimum ac teterrimum atque fœdiſſimum, &c. Ex his autem multi in eam ſententiam ducti ſunt, vt opinati ſint Tullianum carcerem illum ipſum eſſe, quem dicimus Mamertinum; de quo eſt præſens ſermo. Certè ſunt complura, quę me à prędictorū ſentētia diſtrahunt, coguntq. vt exiſtimem Tullianū carcerem in alia parte Capitolij fuiſſe poſitū, iuxta locum quem & maiores noſtri carcerem Tullianum dixiſſe reperiuntur; vbi & eſt eccleſia, antiquus titulus, dictus ſancti Nicolai in carcere Tulliano, quod nomen hactenus perſeuerat. In ea Capitolij regione fuiſſe antiquum carcerem, in primis demonſtrat Plinius, dum lib. 7. cap. 36. affirmat partem carceris, quo capitalium criminum rei tenebantur, ad locum vſque, vbi poſteà Theatrum Marcelli erectum eſt, perueniſſe. Porrò Theatrum



Digitized by Google

Marcelli inter rupem Tarpeiam ac Tiberim eſſe conſtructum, nullus eſt qui dubitet. Ruſus idem Plinius ex antiquo Romanorum horologio, qua parte Capitolij fuerit carcer, declarat his verbis: A Columna Mænia ad carcerem inclinato ſidere, ſupremam pronuntiabat. Hęc Plin. lib. 7. cap. vlt. quibus ſignificatur, Occidentem verſus poſitum eſſe antiquum carcerem: nam Solis occaſum fuiſſe ſupremam diei tempeſtatem dictam, ex lege xij. tab. auctor eſt Macr. Saturn. l. 1. c. 3. referetque verba legis, quę hęc ſunt: Solis occaſus ſuprema tempeſtas eſto. Hęc ille. De his & Cenſorin. de die natali c. 19. Cùm itaq. Sol in Occidentem declinans, carcerem (vt ſcribit Plinius) haberet aduerſum: proculdubiò alius ille fuiſſe videtur ab eo, quem dicimus Mamertinum, de quo agimus, qui ſpectat ad Orientem. Ad hæc inſuper planè conſtat, quòd ex loco carceris abſq. dubio intelligitur ſitus carceris: at cùm dicat Feſtus fuiſſe locum in carcere dictum Robur, ex quo pręcipitarentur malefactorum genus, illumq. item dictum eſſe Saxum Tarpeium, quòd eſſet in rupe Tarpeia, quę vergebat ad Tiberim, idq. Liuius, Plutarchus, Dio, atque alij demum omnes teſtentur; reliquum eſt, vt dicamus, illorſum fuiſſe antiquũ carcerem, vbi & erat rupes Tarpeia. Conſentiunt his, quæ nuper ex Varrone recitauimus, dum ait, in ſimilitudinem Latomiarum Syracuſanarum à Tullio Rege additum eſſe carcerem ſubterraneum in lapidicinis; cùm nulla Capitolij pars illi operi magis apta videatur: nam partes reliquę, vt depreſſę, mœnibus fultæ erant, vt videmus in carcere Mamertino, alijſq. locis, quos ſaxo quadrato extructos fuiſſe conſtat. At nec his repugnant quæ ſcribit Liuius, Foro imminentem fuiſſe conſtructum carcerem: immò & prędicta confirmant, cùm & Dionyſius etiam dicat, rupem Tarpeiam Foro ſupereminentem fuiſſe. ſunt hęc verba eius: Duci eum iuſſit in ſuperſtantem Foro collem. Eſt enim is collis rupes vaſta, vnde mos eſt eis, deijcere aduerſarios. Hęc ille de ſitu Fori, & rupe Tarpeia. Vetus inſuper tabula deſcriptionis antiquæ Vrbis è ruderibus paucos ante annos effoſſa, ea parte contra rupem Tarpeiam poſitum eſſe Forum Romanum, apertè demõſtrat. His etiam conſentiũt, quæ Cic. in 7. Verrin. ſcribit de triumphantibus, his verbis: Cùm de Foro in Capitolium currum flectere incipiunt, illos adduci in carcerem iubet, captiuos ſcilicet, qui ducebantur in triumphum. Ex pręd ictis itaque apparet antiquum carcerem apud rupem Tarpeiam fuiſſe, eiuſque locum, ſeu partem carceris dictam Robur, in ipſa rupe fuiſſe. Erat loci illius, quod ſaxum Tarpeium dictum eſt, quo præcipitabantur criminoſi, eiuſmodi facies, quam apud Senecam lib. 1. controu. 3. Aurelius Fuſcus deſcribit his verbis: Erat pręruptus locus, & immenſę altitudinis. Stat moles abſciſſa in profundum frequentibus exaſperata ſaxis, quæ aut elidant corpus, aut de integro grauiùs impellant: inhorrent ſcopulis enaſcentibus latera, & immẽſę altitudinis triſtis aſpectus. Electus potiſſimùm locus, ne damnati ſæpiùs deijciantur. Hæc ille. Et apud eundem Cornelius Hiſpan. in declamat. 3. lib. 1. Erat, inquit, altitudo montis etiam ſecurè aſpicientibus horrenda, &c. Lege duodecim tab. id cautum erat: Qui falſum teſtimonium dixerit, ſaxo Tarpeio deijcitor. id Gellius lib. 20. cap. 1. in fine. Scribit Tacitus li. 2. Lucium Pituanium magum ſaxo Tarpeio deiectum. Itemq. Apuleius in ea oratione, qua magię crimẽ à ſe alienum defendit, hæc ait: O mirum commentum, ô ſubtilitas digna carcere & Robore. Cùm autem conſtet magos è Robore præcipitati ſolitos: quis dubitet complures Chriſtianorũ (cùm à Gentibus malefici haberentur) eo mortis genere accepiſſe coronã martyrij? Etenim non tantùm magos, ſed & alios pleroſque grauis facinoris reos è ſaxo præcipitari ſolitos, cùm Seneca in controuerſijs, tum alij docent. Quod item ad pręcipitationem reorum pertinet, nec illud prætermittimus: E ſaxo reum criminis præcipitare, non tantùm Romæ in vſu fuit, ſed & penes Gręcos eadem viguit conſuetudo, vt habes apud Valer. Max. lib. 1. c. 8. exter. 8. Quod autem ſpectat ad Romanum antiquum carcerem, in ea ſumus ſententia (quod & ex pręd ictis colligi poteſt) fuiſſe illum ampliſſimum; cùm nonniſi vnus in tanta Vrbe, ad detinendos capitalium criminum reos, fuiſſe olim carcer reperiatur: nam carcer ille, qui dicebatur Centumuirorum, in regione nona poſitus, cuius meminit Publius Victor, & Sextus Rufus, & alij complures antiquorum, illos tantùm continebat, qui litigarent, & obnoxij eſſent ære alieno. Centumuirorum tribunal tantummodò lites iudicabat, nec habebat ius gladij, vt auctor eſt Cicero lib. 3. de leg. & lib. 1. de orat. & alij. His itaque de antiquo Romæ carcere ad rupẽ Tarpeiam poſito dictis, iam de Mamertino carcere, de quo hîc agitur, diſſeramus. De eo non tantùm mentio habetur in Actis ſanctorum martyrum Proceſſi & Martiniani, ſed & in alijs, vt S. Laurentij, in quibus tamen priuatus carcer appellatur; in Actis ſanctorum Abundij & Abundantij; in rebus geſtis ſanctorũ martyrum Euſebij presbyteri, Marcelli diaconi, & ſoc. in Actis inſuper S. Calliſti Papę, necnon S. Stephani Romani Pontif. & alijs. Cur autem dictus ſit carcer ille Mamertinus, haud facile erit aſſequi. Potuit namque ſic dici à Mamerte, qui (vt docet Varro lib. 4. de lingua Latina) idem quod Mars, ſignificat, & Mamertinus idem quod Martius, & à Mamerte Mamercus, & Mamerca familia: cùm alioqui reperiantur nonnulli Romanorum nobiliſſimi ex alijs familiis nomine Mamertini. Temporibus Traiani Mamertinus adminiſtrauit præfecturã Vrbanam, vt patet ex Actis S. Clementis Papæ apud Sur. tom. 6. Rurſus meminit Lampridius in Commodo de Mamertino, qui eiuſdem Imper. anno tertio vnà cum Rufo geſſit Conſulatum. Alius adhuc fuit Mamertinus ex Flauia familia, qui tempore Iuliani Apoſtatę vnà cum Neuitta creatus eſt Conſul, de quo Symmachus l. 10. epiſt. 53. Si ab aliquo pręd ictorũ nomen accepiſſe illum carcerem velis: non tamen putes à quopiam pręd ictorũ fuiſſe extructum. Siquidem vetus inſcriptio in eius fronte poſita auctores demõſtrat, qui erexerunt: eſt huiuſmodi: C. VIBIVS C. F. M. COCCEIVS NERVA EX S. C. Geſſerunt iidem vnà ſimul Conſulatũ, vt & alia vetus docet inſcriptio, quæ ab Aldo in lib. de orthograph. ratione ex antiquis monumentis deſcripta reperitur his verbis:

M. COCCEIO NERVA<br>
C. VIBIO RVFINO COSS.<br>
IVLIA PRIMA PATRONO SVO.

Creati ſunt hi Coſſ. anno 718. ab Vrbe cond. Imp Aug. anno 7. Ex qua quidẽ inſcriptione Dio in primis, itemq Faſti Conſulares Caſſiodori, penes

Digitized by Google

nes quos ponitur collega Cocceij Neruæ Publicola, ſunt ſupplendi. Anctor eſt Tacitus lib. 3. Annal. Auguſtum ſub ſuo Conſulatu ſexto, ad correctionem perditiſſimorũ, qui inoleuerant, morum, acriora paraſſe vincula, atque iodidiſſe cuſtodes. Ex his videmus Regum ac Impetatotũ temporibus Romę carcerẽ auctum, ac nouiter extructum eſſe; contrà verò, Chriſtianis imperannbus: nam Cooſtantino ac ſucceſſoribus Auguſtis vſque ad Phocam ſummæ laudi datum eſt, quòd cùm ampliſſima erexerint ędificia, carcerẽ tamen (vt olim erat) humilẽ reliquerint ac debilem, vt auctor eſt Glyc. Annal. libro 4. Carcer itaque Mamertinus SS. Apoſtolotũ Petri & Pauli, aliorumq. ſanctorum martyrũ vinculis conſecratus, ex quo deſiere ſuperſtitioſę Gentilitatis Imperatores, deſijt etiam eſſe criminoſorum ergaſtulum, ac mutatus eſt in eccleſiam. Nam ex quo Chriſtiani homioes ſumpſerunt habenas Imperij, noo ampliùs quempiam inuenies dettuſum in catcerem Mamertinum, ſed atrocium crimioum rei in Tiberinam inſulã conijciebantur. Habes de his exemplum apud Sidonium Apollinarem lib. 1. epiſt. 7. cùm agit de Aroando illo Galliarum Pręfecto, maieſtatis reo; qui conuictus crimine, in eam inſulam coniectus eſt; illic (vt ait) vncum, & gemonias, & laqueum expectans. Hactenus de carcere Mamertino. Præter hos quos recenſuimus famoſos carceres, vt Tullianum, Latomias Syracnſanas, & Mamertinum, nominati & alij reperiuntur: nempe Barathrum Athenis, à ſcriptoribus pęnè omnibus decaotatũ, Ceada Spartæ, vbi vncini erant ioſernè atque ſupernè diſpoſiti: meminit amborũ Suidas in verbo Barathrum. Teterrimus quoque erat carcer Cyxicenus, dictus, Profundum maris, de quo inferiùs dicturi ſumus xx. Septemb. not. c. Rutſum Carthaginis obſcutiſſimus catcer erat, Ancon dictus, cuius item Suidas meminit in verbo ἀγκών. Monemus adhuc Lectorẽ, Chriſtianos perſecutioois tempore, nõ tantùm in prædictum carcetem Tullianum & Mamertinum mancipatos eſſe, ſed ſępè etiam apud priuatorum domos militari cuſtodia eſſe detentos. Suppetũt de his ex Actis martyrum plurima exempla: nam in tebus geſtis S. Stephani Papę & martyris inuenies Lucillam datam Maximo, & Sempronium traditũ Tertullo cuſtodiendum. In Actis S. Calliſti Papę reperies Dalmatium Simplicij ſenatoris curæ commiſſum; & io Actis S. Alexaodri Papę habes Hermetem traditũ Quirino Tribuno. Suot & alia de his exempla. Dicebaot eiuſmodi cuſtodia, liber carcer, quo etiam capitalium crimioum rei derinebantur, vt habes expreſſum à Salluſtio in Catilinario, dum agit de coniurationis ſocijs traditis ſingulis ſenatoribus cuſtodiendis, his verbis: Decreuit ſeoatus, vt abdicato magiſtratu Lentulus, itemq. ceteri in liberis cuſtodijs habeantur. Itaque Lentulus P. Lentulo Spiotheri, qui tunc ædilis erat, Cethegus Q. Cornificio, Statilius C. Cæſari, Gabinius M. Craſſo, Cæparius Cn. Terentio ſenatori tradunrur, &c. Libero carcere & S. Paulum Apoſtolum Romæ deteotum habent Act. Apoſt. cap. 28. Habes de eodem carcere libero not. in L. 1. & L. Diuus Pius. ff. de cuſt. reorum. Conſtat etiam priuatum carcerẽ legibus vetitum, de quo L. vn. C. de priuat. carc. & Cic. in Verr. 7. meminit, Chriſtiaoos experiri eſſe coactos. eſt de his inter alia perſpicuum exemplum de S. Anaſtaſia à Publio viro priuato carcere afflictata. At de his ſatis.

[c] Petri & Aphrodiſij. ] Agit de his etiam Vſuardus hac die, & alij recentiores.

[d] Eutychij & ſoc. ] Quorum martyrium narratur in Miſcel. hiſt. ex Theophane lib. 21. his verbis: Eodem anno, quo Eulid interfecit Chriſtianos captiuos in omni ciuitate, inter quos & Eutychius filius Mariani Patricij martyr verus oſtenſus eſt in Carthis Meſopotamię, vbi & reliquię eius ſanitates per Dei gratiã operantur, multi alij per ſaoguinem conſummati ſunt. Hæc ibi eo anno, quo obiit Leo III. Imp. & regnare cœpit Conſtantinus Sextus: is anous à Gręcis ponitur, à Chriſto 733. à Latinis autem recẽtioribus ſeptiogeoteſimus quadrageſimusprimus numeratur.

[e] Duorum monachorum. ] De his ſcribit ſaoctus Greg. lib. 4. dial. cap. 21. Item de diacono eccleſiæ Marſicanę, de quo hîc item agitur, eod. lib. cap. 23.

[f] Mathildis Reginæ. ] De ea pluribus Luithprand. Ticin. lib. 4. cap. 7. Witich. Sax. lib. 3. Albert. Crantz. in Metrop. Saxon. lib. 3. miręque ſanctitatis fuiſſe feminã ferunt. Fuit eiuſdem nomiois alia Mathildis virgo, de qua Trithem. de viris illuſt. ord. S. Bened. lib. 3. cap. 222. hæc ait: Mathildis filia Regis Henrici Imp. Primi, ſoror beati Brunonis Colonienſis Archiepiſcopi, virgo ſanctæ conuerſatioois, multis effulſit clara virtutibus: ad haoc Witichindus monachus Corbeienſis hiſtoriam & geſta Saxonum ſcripſit. Claruit anno Domini 930. Hæc ille. Extitit etiam alia Mathildis clariſſima femina, Comitiſſa, eccleſiæ propugnaculum, & vindex eccleſiaſticæ libertatis aduerſus ſchiſmaticos Principes, ad quam ſcriptæ extant egregiæ epiſtolæ Gregorij Septimi Romani Pontificis.

# DE LOCO CARCERIS TVLLIANI

## SENTENTIÆ ASSERTÆ DEFENSIO.

*DVM ſecundam hanc in Romanum Martyrologium Notationũ meditarer editionẽ, hoc ipſo anno Dom.* M. D. LXXXVIII. *opportunè accidit, vt ab Vgonio erudito viro, qui humaniores litteras hic in Vrbe publicè profitetur, lingua Italica ſcriptus liber ederetur de Stationibus Vrbis: vbi in ſtatione trigeſimaſecunda noſtram ſentẽtiam de carcere Tulliano impugnat. At quoniã non Tractatus, ſed Notationes ſcribere fuit conſilium, haud licuit orationi laxiores habenas dimittere. Nunc autem quoniã ad rerum noſtrarũ defenſionem impellimur, paululũ liceat ex anguſtis Notationum limitibus in latiorem diſputationis campũ progredi. Ignoſcat Lector,*

ſi ad hæc præter inſtitutũ diuertimus, ipſeq́ auctor (rogamus) boni cõſulat, hacq́ nos nõ altercandi libidine, ſed veritatis ſtudio, atque adeò coactas eſſe conatos, intelligat. Quod igitur ipſo ſuæ narrationis ingreſſu, dum de carcere Tulliano à me aſſertas rationes refellit, nouæ cuipiã innititur lectiani Sextij Rufi & Publij Victaris, vt quod legitur apud eas: Carcer C. virorum: legendũ eſſe dicat: Carcer CL. xvir. primiſq́ litteris non numeri nata, ſed Claudij nomen exprimatur, vt dicere velit: Carcer Claudij Decemuiri: ſicq́ ipſe legens, noſtrã lectianẽ vt peregrinam reſpuit: dignum exiſtimo, vt in limine noſtræ defenſionis de his iu primis agamus. Dum igitur legitimam ait eſſe lectionem, Carcer Cl. xvir. me autem nan admittere illam; ſed legere, C. Vir. consra omnium ſententiam, & receptam ab omnibus lectionem: miratus ſum hominẽ eruditum præteriſſe Onuphrium Panuinium, qui in recenſendis Vrbis antiquitatibus, ſentẽtia omnium erudisorum, eſt facilè princeps. Ipſe enim dum in primo lib. Commentariorũ Reſpublicæ Romanæ, exſcripſit opuſcula Sextij Rufi, & P. Victoris, nec niſi ex antiquis codicibus facta collaſione plurium exemplarium ex diuerſis Italiæ bibliothecis acceptarũ, ſic legit Sext. Rufum in regione quæ dicta eſt Circus Flaminius: CARCER C. VIRORVM. & in Pub. Victore in eadem regione Vrbis: CARCER C. VIRORVM, alias CLX. VIRORVM. ſicq́ apparet quæ ſit germana & quæ ſpuria lectio, cùm ipſe Onuphrius in eodem libro à ſe deſcripto abſq. alia ambiguitate legat, Carcer C. virorum. Ipſum ergo in primis arguat, oſtendatq́ quiſnam antiquorum ſcripsarũ, vt ipſe, legerit; vetuſtioreſq́ pramat codices, quibus ſua lectio confirmetur, & Onuphrij & aliorum plurimorũ antiquorũ codicum conuellatur, & adſcititia eſſe monſtretur; quæ & ex rebus geſtis certam ſibi vendicet auctaritatẽ, nimirum ex Iudicia celeberrimo Centumuirûm: de quo quidem, ne immorer ſingulas antiquorũ retexere ſententias, legat, qui hæc cupit, Sigonium lib. 1 de Iudicijs cap. 22. vbi in primis, auctore Feſta, inſtitutum ait Iudicium, ex ſingulis tribubus ternis cooptatis, numero centum quinque Iudicum, ſed quò faciliùs appellarẽtur, Centumuiros dictos: additq́ alia ex alijs. Ad hos ſpectabat iudicia, quæ ciuilia dicimus, iudicare; vnde & cauſæ ſunt dictæ Centumuirales, & Centumuirale iudiciũ: cùm econtrà capitales cauſæ decernerentur in Senatu, à quo Triumuiri, Capitales dicti, cõſtituti erant, qui cuſtodiam carceris haberent; vt cùm in ſontes animaduerti oporteret, interuentu earum fieret, vt idem auctor lib. 3. de Iudic. cap. 7. pluribus tradit. Sic igitur patet nihil pertinuiſſe ad Centumuiros, vel ad Centum quinque, carcerem illum, quo cohiberentur delinquentes, qui ſi ab his, qui ei præeſſent, nomẽ accepturus fuiſſet, carcer potiùs Triumuirûm dici debuiſſet. Poſita igitur germana lectione Centumuirorum, nihil eſt quod eludi poſſit ſententia Plinij ſuperiùs recitata de parte carceris Tulliani, extendente ſe vſque ad ſibi proximũ Theatrum Marcelli. Stat ergo firma cõcluſio, vnum illum carcerem, nimirum capitaliũ criminum, Tullianum dictum, à Plinia eſſe ſignificatum.

Hæc verò cùm tam aperta ſint, vt refutari nullatenus poſſint: qui tamẽ aduerſam ſententiam ſectati, dixerunt carcerem Mamertinum eumdem eſſe cum Tulliana; eum verò qui ponitur à Plinio fuiſſe prope Theatrum Marcelli, ab illo diuerſum, ab Appio Claudia eſſe ædificatum ad ciues Romanos tyrannica poteſtate coërcendas: nituntur probare id etiam Liuij auctoritate, cùm lib. 3. decad. 1. Virginius de Appia Claudio tyrannicè agente hæc ait: Illi carcerem ædificatum eſſe, quòd domiciliũ plebis Romanæ vocare ſit ſolitus. Sed mirar hũc illos verbis iſtis ſenſum accommadaſſe, vt ab Appio velint dicere carcerem ædificatum, cùm potiùs illi, nempe vt in eũ ipſe detruderetur, ſcilicet qui illum dixiſſet eſſe Romanæ plebis domiciliũ, & non vt ab eo fuerit ædificatus: quem ſenſum eſſe germanum, nec aliquam pati poſſe calumniam, idem qui noſtra impugnat auctar ingenuè profitetur: tamen ipſe probabili, vt ait, coniectura exiſtimandum eſſe tradit, carcerem illum ab Appio Claudio ædificatum eſſe, cuius meminit Sext. Rufus, & P. Victar; ſubditq́ id manifeſtiùs probari ex verbis C. Claudij à Liuio paulò inferiùs recitatis, quibus ait: Is magno iam natu, cùm ad pericula eius deprecanda rediſſet, cuius vitia fugerat, ſordidatus cum gentilibus clientibuſq́ in Foro prenſabat ſingulos, orabatq́ ne Claudiæ genti eam iniuſtam maculam vellent, vt carcere & vinculis viderentur digni; virum honoratiſſimæ imaginis futurum ad paſteros, legum latorem, conditoremq́ Romani iuris iacere vinctum inter fures nocturnos & latrones. ] At quid hæc de Claudio dicta, ne carceri manciparetur, commune habent, vt carcer ſit à Claudio ædificatus? vel certò quòd in eum cõiectus ſit, velit ab eo denominatũ, cùm in eum non vnus ipſe nobiliũ ciuium Romanorũ, ſed innumeri diuerſis tẽporibus detruſi fuerint? Sed nec inſuper eidem ſuffragatur lectio S. Rufi & P. Victoris, quã refellimus. Sed ad hæc omnia, liberat nos prarſus amnibus anguſtijs Iuuenalis ſatyr. 3. in fine, dum tradit antiquitus tẽpore Regum & Tribunorum non niſi vnum carcerem delinquentium fuiſſe Romæ: ſic enim ait:

Felices proauorum atauos, felicia dicas
Sæcula, quæ quondam ſub Regibus atque Tribunis

Viderunt

Viderunt vno contentá carcere Romam.
Si vnus igitur in Vrbe ſub Tribunis perſeuerauit carcer: quinā alius fingi poteſt ab Appio Claudio ædificatus, vel aliter denominatus? De Tribunis autem dum mentionē facit Iuuenalis, ſi velimus intellexiſſe de Tribunis militum, conſtat poſt extinctū A. Claudiū, quatuor tantùm Conſulatibus interlapſis, mutato ſtatu Reipub. creari cœptos Tribunos militum Conſulari auctos poteſtate. Si ergo poſt extinctum A. Claudium adhuc ſub Tribunis perſeuerabat carcer vnus in Vrbe: quid laborandū, vt dicāt ab Appio Claudio alium carcerem eſſe ædificatum, vel ab ipſo denominatum? Contigit enim magiſtratū Decemuirum deſiiſſe anno trecenteſimo quinto ab Vrbe condita, & vſque ad ea tempora vixiſſe A. Claudium, ac denique poſt quatuor Conſulatus, anno ab Vrbe condita trecenteſimo nono, per Tribunos militum cœptam eſſe adminiſtrari Rempublicā; quorum tempore (vt diximus) vnus tantū erat carcer in Vrbe. Si autem quis velit Iuuenalis verba eſſe intelligenda de Tribunis plebis; cùm is magiſtratus in Rom. Repub. longiori tempore perdurarit; dicere oporteret, quamdiu hi permanſerunt, nonniſi vnum in Vrbe fuiſſe carcerem. Sic igitur cùm de vno tantùm in Vrbe carcere tam patens ac certa ſit Iuuenalis aſſertio; & vbinā fuerit, Plinij teſtimonio ſatis perſpectū exploratumq́; habeatur: nullus prorſus ampliùs dubitādi locus relictus eſt. Nam ſicut noſter Vgonius dicebat, alterius carceris aſſertione omnes à nobis de loco carceris Tulliani firmas rationes poſſe eludi atque diſſolui; eodem quoq. modo ſtatuta atque penitus ſtabilita ſententia de vno tantū carcere delinquentiū, cetera omnia redduntur prorſus irrita, quæ tā ab ipſo quàm ante ipſum ab alijs cumulata ſunt argumēta.

At ſicut ipſe locū Plinij tam patentem nouo excogitato carcere fruſtrà niſus eſt accommodare: ita pariter locum Feſti æquè perſpicuum de loco carceris perperā tentauit eludere. Nam cùm ille dicat, eſſe locum in carcere, Robur dictum, quo præcipitabatur malefactorū genus; dumq́; Flaccus hæc de Robore addat: Video carcerem publicum ſaxis ingentibus ſtratum, anguſtis foraminibus & oblongis lucis vmbrā recipiētibus: in hunc abiecti rei Robur Tullianum aſpiciunt, &c.] ipſe putat, Robur, non dici locum carceris (vt Feſtus expreſſè declarat) ſed Robur eſſe cippum, ad quem innixi rei capite plecterentur, vel aliquod aliud genus tormentorum; Lucretijq́; citat hos verſus:

Carcer, & horribilis de ſaxo iactus eorum,
Verbera, carnifices, Robur, pix, lamina, tedę.

Sed videat ſi penes antiquos legerit vmquam damnatorū aliquem ad Robur vel cippum eſſe percuſſum: qui tantùm (quod notauimus ſuperiùs die 6. Ianuarij) ad palū alligati ſecuri percuti ſoliti erant: ſiue vmquā ab antiquis dictū inuenerit, aliquem tortū Robore: ſed tantùm (quod ad hæc ſpectat) Robur dictum eſſe locum carceris duriorem, quem Plautus in Curcul. Act. 5. Robuſtum appellat carcerem, cùm ait: Ego vos ambo dabo in Robuſto carcere, vt pereatis:] quòd illic collocarentur qui præcipitandi eſſent de quo, ſecundùm Feſti ſententiam, Valerius Max. lib. 6. cap. 3. de ſeuerit. 4. Quinetiam, inquit, familiares eorum, ne Reipublicæ inimicis amicus eſſe vellet, de Robore præcipitati ſunt.] His igitur de Robore tam perſpicuè explicatis, haud locus eſſe poteſt nouæ eius vocis interpretationi. nam etſi verum eſſet, Robur eſſe cippum, vel inſtrumentū tortorium; tamen cùm à Feſto, tum à Valerio poni pro loco ex quo delinquētes præcipites darentur, eumq́; locum in carcere eſſe idem dicat Feſtus: certè illa ex parte fuiſſe carcerem, vbi Robur erat, negari nullatenus poteſt; niſi qui dixerit totum Capitolium fuiſſe vnum carcerem, ipſumq́; integrum occupaſſe montem à Septemtrione in Meridiem: quod neminē adeò vecordem puto dicturum, maximè qui nouerit omnia reliqua Capitolij ædificia. Firmatis igitur in hunc modum rationibus de carcere Tulliano à me in Notationibus poſitis, reliquum eſt, vt quæ ab ipſo pro ſua, ſuorumq́; quos ſectatur, ſententia confirmanda afferuntur, in medium adducamus. Ac primùm quidem illud ex Liuio, dum ait de carcere Tulliano: Carcerem ad terrorem increſcentis audaciæ in media Vrbe imminens Foro ædificauit.] quaſi hæc nō poſſint adſcribi loco à nobis poſito carceris Tulliani, quod non ſit in medio Vrbis, nec Foro imminens, vt à Liuio ponitur. Verùm hæc omnia firmiorem reddunt noſtram rationem: nam columna milliaria, ſiue dicere velimus, Milliarium aureum, quod diceretur in medio Vrbis ſitum, locatum erat (vt Plinius lib. 3. cap. 5. tradit) in capite Fori Romani. At vbi eſſet Forum Romanum, Tacitus lib. 1. hiſt. de eodem Milliario aureo agens, ſub æde Saturni fuiſſe poſitum tradit, ſic de Othone dicens: Per Tiberianam domum in Velabrū, inde in Milliarium aureum ſub ædem Saturni pergit.] Eadem fermè verba habet Suetonius itidem in Othone c. 6. At cùm omnium ferè ſententia, ac potiſſimū Onuphrij lib. 1. Reipub. Rom. pag. 181. exploratiſſimum ſit, ædem Saturni poſitam vbi nunc viſitur ædicula S. Saluatoris in Statera, ſeu in Aerario dicta, prope eccleſiam S. Mariæ in Porticu: liquidò cernitur Liuius, locum carceris deſcribendo, intellexiſſe de loco à nobis aſſerto, vbi à Panuinio ponitur vmbilicus Vrbis: non quidē, puto, vt tamquam ex punctis deductis lineis ad circumferentiam,

ille

*ille medius Vrbis locus omnino eſſet, ſed quòd ille antiquior eſſet locus Vrbis, vbi (vt Feſtus in verbo, Soturnio, teſtatur) ante Vrbem cōditam & ante bellum Troianū coſtrum ſtatutum eſſet cum aro Saturni, ex quo mons proximus Soturnius dictus eſt, qui poſteò nominotus eſt Copitolium. Eadem & Dionyſius Halic. lib. 1. aramq́, illi primū dicatam ait, iuxto viam, qua à Foro in Copitalium aſcenditur. Optimè igitur à Liuio locus carceris deſcribitur in medio Vrbis. Sed quòd addis Foro imminentē carcerem fuiſſe: hac vt intelligontur, exactiùs exquirendum eſt, vbinō eſſet Farum Romanum. Licet autē ex loco carceris Tullioni à nobis tam patenter demōſtrato, perſpicuè aquè poſsit intelligi vbinam Farum eſſet, cui carcerē imminere Liuius tradit: tamen quò hac mogis magiſq́; perſpecto reddātur, hic reddimus in primis locū Dionysij Holic. lib. 7. Antiq. Rom. ſic dicētis: His dictis, iuſsit eum duci in imminentem Foro tumulū: eſt outem lacus vaſto rupe borrendus, vnde ſolent damnatos pracipites dare.] Et ſuprà lib. 3. Cùm indicaſſent imminentē Foro tumulū, qui Tarpeius dictus, nunt Capitolinus vocatur, &c.] Et item lib. 5. de P. Valerio: Domū ſibi in loco inuidsoſo extruebat, collem eligens imminentē Fora, voldè altum & praruptum, quem Romani Veliam vocant] nempe eminentiorē partē Tarpeij collis. Ex his igitur alyſq́; tum dictis, tum maximè dicendis, perſpicuè liquet Forum Romanū infro Tarpeium montē fuiſſe poſitum. Sed quòd carcerem non tantū prope Forum, ſed ipſi Foro imminere Liuius dicat; egregiè eumdem locum deſcribit: nam cùm rupi Copitalina aliquo ex parte carcer coniungeretur, quòd validior pors eius, Rabur dicto, ibi poſita eſſet; ſotis congruè Foro carcerem eminentiorē fuiſſe dixit; cùm praſertim Farum Romanum depreſſius eſſet. vnde Plautus in Curcullione, cùm ea loca deſcribit, & quid in ſingulis ogeretur refert, ſic primùm à foro piſcario incipit:*

Symbolarum collatores apud forum piſcarium.
In foro infimo boni homines atque dites ambulant.
In medio, propter canalem, ibi oſtentatores meri, &c.

*His igitur ſic de loco carceris declaratis, tontū abeſt vt Liuius noſtra deſtruot, vt illis potiùs adſtipuletur otque conſentiat, eumdemq́; concinnè deſcripſiſſe videatur. Rurſum verò quad obijcit de eo quòd dicitur à Cicerone in tertia Catilinario, & de Diuinotione lib. primo, nimirum procepto Aruſpicum ſtatuam Iouis ad Solem orientem Forumq́; ſpectantem ex Occidentali parte eſſe conuerso, quod & Dio li. 37. teſtotur; ac proinde Forum poſitum fuiſſe in Orientali parte Copitolij: Ad hac primùm dicimus, ſicut tota Capitolij aduerſa pars ad Occidentem ſpectore dicitur: ita integro huic oppoſito regio cōuerſo rectè ponitur ad Orientē. quomobrem & Forum in extrema eius parte paſitū rectè vergere dicitur ad Orientem: nec quid prohibet, vt carcer, qui imminere Foro traditur, in eadē porte eſſe nō poſsit: cùm praſertim per Forum Romanū non tontùm illud, quod Magnū ſeu Vetus dictum habetur, intelligatur: ſed ipſa integra octoua regio à S. Ruſo, P. Victore, & olijs ſcriptoribus ſic nominata habeotur; in qua etiā olia pluro fora ponātur. Hac qui non cōſideras, in deformes errores incidat neceſſe eſt. Nam & templū Pacis adſificotum prope Forū à Suetonio in Veſpaſ. c. 9. idcircò ponitur quòd ſcilicet contiguum eſſet regioni octaua, dicta Forū Romonū, cùm olioqui ipſum poſitum eſſet in regione quarta, qua etiā ab ipſo denominato, Templū Pacis (vt habet S. Ruſus, & P. Victor, & alij) dici conſueuit. Nec rurſum ad rem pertinet illud Virgilianum de Euandro & Aeneo ab ipſo citatum:*

——— Paſſimque armenta videbant
Romanoq́ Foro & lautis mugire carinis.]

*Quoſi non potuiſſent, qua longius eſſent, hinc inde ſpectare atque audire boues mugientes. Cetero his leuiora habentur; qua omnio iiſdem à nobis poſitis rationibus refelluntur: quibus tamen olias adhuc addimus, in primiſq́; illud petitū ex Dione lib. 56. qui cùm ogit de Seiano, ſic dicit: Nulla interiecta moro, ea die prope carcerem in adem Concordia cāuenit Senatus.] Ex eo opporet fuiſſe carcerem prope Concordia adem. At vbi fuerit illud templū, complures hallucinatos reperimus; qui manifeſta ratione ab antiquariibus redorguuntur: ſemel enim errore lopſi de ſitu Fari, & loco carceris Tulliani, in alios complures ferri neceſſariò compulſi ſunt. Quamobrem, qui vnus mihi inſtar omnium eſt, Seruius Grammaticus, Roma verſatus, vbinā fuerit Concordia ades, quod oculis ſpectauis, conſcripſit, dicens in 2. Aeneidas, Saturni templum fuiſſe onte Cliuum Capitolinum, vbi ades erat Cancordia. Sic igitur ex laco Saturni templi, vbi ades Concordia eſſet, & qui etiam dictus fuiſſet Cliuus Capitalinus, facilè poteſt intelligi. Porrò Saturni templū, de quo eſt ſermo, tum à Morliano, tum etiam à Panuinio rem exactiùs perueſtigonte, aliiſq́; etiom pluribus abſque cātrouerſia poni prope eccleſiam S. Moria in Particu, in ade S. Saluatoris in Statera, ſeu in Aeraria dicti, certum eſt: nam & Prudentius lib. 1. aduerſus Symmachum ogens, planè demonſtrat Tiberim verſus templum Saturni fuiſſe, cùm ait:*

Fluminis ad ripam ſtatuā Saturnia vobis.

*Quod quidem, haud dubium eſt, ipſum potiſſimùm diu Roma verſatum vidiſſe: quapropter & illorſum fuiſſe templum Concordia & Cli-*

nunt

num Capitolium, dicere neceſſe eſt. His concordat, quod Feſtus in verbo, Senacula, tradit, ædẽ ſcilicet Concordiæ poſitam fuiſſe inter Capitolium & Forum: nam prope Forum fuiſſe, pariter eſt demonſtratum. Scimus tamen aliam ædem Concordiæ fuiſſe in Area Vulcani, in regione quarta, de qua Liuius lib. 9. in fine decad. 1. ſed de ea nihil ad rem, de qua agitur.

Quòd inſuper idem Feſtus dicat in verbo, Saturnia, fuiſſe templum Saturni in imo Cliuo Capitolino; errare quidem conuincuntur, qui Cliuum Capitolinum viam aliquam arbitrati ſunt, per quam in ipſum ſummum Capitolium aſcenderetur: nam ea ex parte nullus patebat aſcenſus in Capitoliũ, niſi in rupem Tarpeiam per ſcalam centum graduũ, cuius etiam meminit Tacitus lib. 3. hiſtor. & Ouidius hoc verſu:

Quà fert ſublimes alta Moneta gradus.

De aſcenſu Capitolij per gradus, hæc quoque à Dione lib. 43. de Cæſare triumphante ponuntur: Cæſar verò gradus in Capitolio genibus ingreſſus conſcendit. ] & de Claudio libro 60. Tum per gradus in Capitolio genibus aſcendens, &c.] Conſentit verò his quæ dicta ſunt de Cliuo Capitolino Dionyſius Halic. libro 6. in principio ſic dicens: His Coſſ. ferunt templum Saturno dicatum in Cliuo Capitolino, quà à Foro aſcenditur.] In eamdem ſententiam hæc Ouidius:

Inde velut nunc eſt, per quem deſcenditis, inquit,
Arduus in valles & fora Cliuus erat.

Quòd igitur ea ex parte Capitolij nullus eſſe poſſet Cliuus, qui ſurſum ad ſummũ Tarpeium collẽ duceret, repugnante natura loci, ſed tantùm ſcala illa centum graduum ibi eſſet; nec rurſum in alia Capitolij parte cliuus eſſet, niſi (vt vidimus) prope Forum iuxta templũ Saturni & ædem Concordiæ: ex his, inquam, cogimur pariter exiſtimare, locum illum à maioribus dictum eſſe Cliuum Capitolinũ, aſcenſum ipſum modo leuem, olim autem difficiliorem, quà è via deorſum poſita prope eccleſiam S. Mariæ in Porticu ſurſum aſcenditur verſus eccleſiã S. Mariæ Conſolationis dictam; quem olim fuiſſe eminentiorem atque longiorẽ, nullum eſt dubium: nam licet aggeribus ex ædificiorum ruinis congeſtis repletus fuerit, tamen adhuc Cliui ſpeciem retinet. His rectè accommodantur, tum quæ à Feſto dicuntur in verbo Sterc. fuiſſe in medio Cliui angiportum, qui locus clauderetur porta, quæ dicta eſt Stercoraria; tum ea quæ ait Varro li. 5. de ling. Latina: Eo die ex æde Veſtæ ſtercus verritur, & per Capitolinum Cliuum in locum defertur certum.] Nam ſi ex æde Veſtæ ſtercus verrebatur, & efferebatur per Cliuum Capitolinum in ipſum angiportum; cùm nulli ſit dubium ædem Veſtæ non in Capitolio fuiſſe, ſed foris, in loco (vt pluribus diſputat Marlian. lib 2. cap. 11.) vbi nunc ſita eſt eccleſia S. Mariæ Gratiarum, hoſpitali S. Mariæ Conſolationis coniuncta: quomodo in Capitolium ſummum aſcendebat Cliuus intus poſitus, & non magis extrà, vt in eius angiportum delatum fimum, inde (vt idem auctor lib. 2. cap. 8. ait) inferretur in Tiberim? Quis vmquam dicet à Veſtæ æde collectum fimum ſurſum in Capitolium deferri per Cliuum, & non magis deorſum per Cliuum in angiportum, & in flumen?

Qualis autem fuerit eius loci facies, Tacitus cùm agit de Vitellianis, occupatũ Capitolium ab aduerſarijs oppugnantibus, hæc ait lib. tertio hiſtoriarum: Cito agmine forum & imminentia foro templa prætervecti, erigunt aciem aduerſus collem vſque ad primas Capitolinæ arcis fores. ] & paulò pòſt de his qui intus Capitolium erant, ſic ait: Erant antiquitùs porticus in latere Cliui dextera ſubeuntibus; in quarũ tectum egreſſi, ſaxis teguliſq; Vitellianos deturbabant.] dexteram partem Capitolij nominat, quæ reſpicit Meridiem, ſecundũ Numæ dimenſionem, quæ læuam partem dixit ad Septemtrionẽ poſitam, dexterã ad Meridiem, vt eſt apud Liuium lib. 1. decad. 1. Extant adhuc ibi proximè aliqua veſtigia porticus Capitolinæ, nimirum compaginationes in rupe exciſæ. Sicq; videas Cliuum extra Capitolium fuiſſe, illius tamen porticui inhærentem; vt ex his quæ idẽ auctor tradit inferiùs, liquet; dum primam pugnam inter illos initam deſuper tecta templorũ, ac Capitolinam porticum, Cliuo Capitolino mediũ poſito, recẽſet; quam factam eſſe conſtat extra ipſum Capitolium: nam hæc ſubdit idem Tacitus, narrãs quid poſt hæc fuerit conſecutum: Tum diuerſos Capitolij aditus inuadũt; iuxta lucũ Aſyli, & quà Tarpeia rupes centũ gradibus aditur. Improuiſa vtriſq; vis, &c.] Si igitur (vt multi exiſtimarunt) Cliuus Capitolinus ab imo vſque ad ſummum Capitolij euntibus via erat: quid opus fuit Vitellianis, alios quibus aſcenderẽt, quærere aditus, & ex tectis templorũ pugnare; Cliuo medio prætermiſſo, quo ad Capitoliũ pateret aſcẽſus? His verò de Cliuo ſic narratis, ad ædem Concordiæ, cuius occaſione digreſſi ſumus, redeamus; quam, auctore Dione, diximus prope carcerem fuiſſe ſitam. Affirmare videtur hoc ipſum Lampridius, dum eam Curiæ coniunctã tradit, ſic dicẽs: Cùm Senatus frequens in Curiam, hoc eſt, in ædẽ Concordiæ cõueniſſet, &c.] Curiam quidem fuiſſe in foro, certum eſt: de qua & Liuius lib. 3. decade 1. Agite dum hic Curiam circumſederitis, & forum infeſtum feceritis, & carcerem impleueritis principibus, &c.] Ex his igitur quæ dicta ſunt, manifeſtò apparet, Carcerem, Curiam, Ærarium, & Forum fuiſſe ſibi coniuncta. Quibus egregiè

reſpon-

*reſpondẽt, quæ Vitruuius lib.5. c.2. ſic ſcribit: Aerarium, Carcer, Curia, ſunt Foro iungenda.] His omnibus, Tiberim verſus, propinquæ erant ſcalæ Gemoniæ, per quas vnco tracta in forum è carcere cadauera damnatorum in flumen eijciebantur. Vnde Valerius Maximus lib.6. c.9. de ſeuerit.13. ait: In ſcalis Gemonijs iacens magno eum horrore totius fori Romani conſpectum eſt, &c.] Ex quibus patet (vt dictum eſt) in ea parte Tiberim verſus ſitum fuiſſe forum Romanũ prope ſcalas Gemonias, ac prope carcerem; de quo hæc Dio lib.60. in fine: Qui necantur in carcere, magnis vncis in forum carnifices, ac in profluentem protrahunt.] Sed de his ſatis.*

*At demum quòd item ait Vgonius, carcerem Mamertinũ, illum ipſum eſſe Tullianum, quòd eamdem prorſus repræſentet ſpeciem carceris Tulliani, quæ deſcribitur à Salluſtio, quam recitauimus ſuperiùs in Notationibus: non eſt quòd in his diutiùs immoremur; cũ ex inſculpta in facie eius ædificij inſcriptione, à quo illud fuerit excitatum, & quo tempore, ſatis ſuperq́; fuerit demõſtratum; cùm ridiculũ planè ſit, illum à Salluſtio eſſe deſcriptũ carcerẽ velle dicere, quem longè poſt Salluſtij tempus conſtat fuiſſe erectum. Quòd verò nullam ſpeciem carceris dicat reddere in præſentia locum dictũ in carcere Tulliano cogitet vir prudens ex frequentiſſimis ſummiſq́; Vrbis ædificijs collapſis altiſſimos eſſe ſuperiniectos aggeres: inſuper meminiſſe etiam debet, ipſo auctore Varrone, conſtare, partem illam carceris, quæ Tulliani cuſtodia dicebatur, deorſum preſſam ſub terra poſitã fuiſſe. ſunt hæc enim verba Varronis lib.4. de lingua Latina: In carcere pars quæ ſub terra, Tullianum, ideò, quòd additum à Tullo Rege.] Si igitur olim Tullianus carcer erat ſub terra; quanto depreſſius, ſuper inducto ruderum aggere, modò eſſe neceſſe eſt?*

*Stat igitur firma de vno tantùm carcere Romæ ſub Regibus atq. Tribunis ex Iuuenale aſſerta ſententia, illumq́; eſſe Tullianum, locumq́; tenuiſſe, vbi nunc eſt eccleſia S. Nicolai, dicta in carcere Tulliano, & alia illi contigua: quippe cùm nonniſi vnus carcer in tanta Vrbe eſſet, fuiſſe ampliſſimum, dicere opus eſt. Hæc ſi tam vera, tamq́; certa accipiantur: de Foro Romano, Curia, æde Concordiæ, templo Saturni, ipſoq́; Aerario, & Cliuo Capitolino, vbinam ſita fuerint, erit facilis demonſtratio; cùm è contra ex loco carceris errore ſemel accepto, omnia ſimul loca confundi, reddi ambigua, ac perperàm poni (vt à compluribus hactenus factum vidimus) eruditos quoſlibet perfacilè putem intellecturos.*

xvj. D **Idibus Martij. Luna.** 15

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | | | |

CÆSAREÆ in Cappadocia paſſio ſancti[a] Longini militis, qui latus Domini lancea perforaſſe perhibetur. Eodem die natalis S. Ariſtobuli[b] Apoſtolorum diſcipuli, qui curſu prædicationis peracto, martyrium conſummauit. Theſſalonicæ ſanctæ Matronæ[c] ancillæ cuiuſdam Iudææ, quæ cùm occultè Chriſtum coleret, & furtiuis orationibus quotidie eccleſiam frequentaret, à domina ſua deprehenſa, & multipliciter afflicta, nouiſſimè robuſtis fuſtibus vſque ad mortem cæſa, in confeſſione Chriſti incorruptum Deo ſpiritum reddidit. Eodem die ſancti Menigni[d] fullonis, qui ſub Decio paſſus eſt. In Ægypto ſancti Nicandri[e] martyris, qui cùm ſanctorum martyrũ reliquias ſtudioſè perquireret, & ipſe martyr effici meruit ſub Diocletiano Imperatore. Cordubæ ſanctæ Leocritię[f] virginis & martyris. Romę natalis ſancti Zacharię[g] Papæ, qui Dei Eccleſiam ſumma vigilantia gubernauit, & clarus meritis quieuit in pace. Reate ſancti Probi[h] Epiſcopi, cui morienti Iuuenalis & Eleutherius marty-

martyres adfuerunt. Romæ ſancti Speciosi [i] monachi, cuius animam germanus eius ferri vidit in cælum.

## MARTII 15.

LONGINI [a]. ] De eo etiam hac die Vſuardus, Græci autem 16. Octobris in Menologio, adduntque natalem diem duorum militum, qui cum eodem pro Chriſti nomine paſſi ſunt. Longini res geſtas habet Metaphraſtes eadem die 16. Octobr. ex quo Lipom. tom. 6. & Sur. tom. 2. aliqua de eo Petrus in catal. lib. 3. c. 201. S. Longini venerandum corpus Romæ aſſeruari percepi in eccleſia ſancti Auguſtini.

[b] Ariſtobuli. ] Græci etiam de eo in Menologio hac die. Meminit huius Paulus ad Rom. cap. 16. Dorotheus in ſynopſi ſcribit, hunc eſſe miſſum ad Britannos prædicationis Euangelicæ cauſa, quod & Græci profitentur in dicto Menologio.

[c] Matronæ. ] De ea Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Agunt Græci de eadem 27. huius menſis in Menolog. Fuit & alia Matrona, Pergenſis dicta, de qua Metaphraſt. agit 8. Nouembris, & Sozom. hiſt. lib. 7. cap. 21. Duæ aliæ eiuſdem nominis habentur martyres: quarum alterius vigeſima Martij, alterius verò decimaoctaua Maij dies natalis agitur inferiùs. Rurſus verò duæ aliæ Matronæ nomine martyres paſſæ habentur in Africa ſub Diocletiano Imperatore, vnà cum pluribus alijs, quorum res geſtæ ex Proconſularibus Actis deſcriptæ habentur apud Surium die vndecima Februarij in Saturnino & ſocijs. Exiſtimamus harum alteram illam eſſe, quę apud Capuam in Campania habetur in honore: eò enim puramus tranſlatam ab Epiſcopis Africanis profugis tempòre perſecutionis Wandalicæ, vt de multis alijs ſanctorum martyrum reliquijs accidit, vt de Caſto, Æmilio, Marcellino, & Saturnino dicimus die 5. Octobr. Ad eiuſmodi coniecturam quidem libentiùs in re obſcura nos adduci patimur, quàm fidem præſtare Áctis quibuſdam nulla ex parte ſubſiſtentibus, quibus dicitur Matrona ex Luſitania Capuam conceſſiſſe.

[d] Menigni. ] Græci etiam hac die de eo in Menologio, vbi ſummarim complexa eius Acta referunt.

[e] Nicandri. ] Græci itidem de eo hac die in Menologio, reſque ipſius geſtas compendio ibidem narrant.

[f] Leocritiæ, aliàs Locritiæ. ] De hac ſcribit Aluarus in vita ſancti Eulogij presbyteri & martyris: vbi legitur, ſanctum Eulogium quinto Idus Martias conſummaſſe martyrium, & quarta pòſt die Locritiam, de qua agimus, eſſe decollatam, corpuſque eius proiectum in flumen Betim. Habetur ibidem ſacer hymnus de ſanctis Eulogio & Locritia.

[g] Zachariæ Papæ. ] De eo Ado pridie huius diei; ſed hic eſt dies natalis eius: cuius res præclariſſimè geſtas per annos ſingulos intexuimus in Annalibus Eccleſ. Succeſſit hic Gregorio Papę Tertio, anno Domini ſeptingenteſimo quadrageſimoprimo.

[h] Probi Epiſcopi. ] Scribit de eo ſanctus Gregorius libro 4. dialog. cap. 12. Fuit & alius Probus, de quo ibidem ſanctus Gregorius, atque etiam cap. 17. & 19.

[i] Speciosi. ] De eo ſcribit idem S. Gregorius lib. 4. dialog. c. 8. ex quo ceteri accepere.

16 Decimoſeptimo Kal. April. Luna. E xv.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | | | |

ROMÆ paſſio ſancti Cyriaci [a] diaconi, qui poſt longam carceris macerationem liquata pice perfuſus, & in cataſta [b] extenſus, attractus etiam neruis, & fuſtibus cæſus, ad vltimum cum Largo & Smaragdo, & alijs viginti, iubente Maximiano, capite truncatus eſt. Horum tamen feſtiuitas ſexto Idus Auguſti recolitur, quo die à beato Marcello Papa eorum corpora ſunt leuata, ac venerabiliter tumulata. Aquileiæ natalis beati Hilarij Epiſcopi [c], & Tatiani diaconi, qui ſub Numeriano Imperatore & Beronio Præſide, poſt equuleum atque alia tormenta, vnà cum Felice, Largo, & Dionyſio martyrium terminarunt. In Lycaonia ſancti Papæ [d] martyris, qui ob

Chriſti fidem verberibus cæſus, vngulis ferreis [e] laceratus, clauatis calceis incedere iuſſus eſt; deinde arbori alligatus, migrans ad Dominum, eamdem arborem ex ſterili reddidit fructuoſam. Anazarbi in Cilicia ſancti Iuliani [f] martyris, qui ſub Marciano Præſide diutiſſimè cruciatus, demum in ſacco vnà cum ſerpentibus incluſus, in mare demerſus eſt. Rauennæ ſancti Agapiti [g] Epiſcopi & confeſſoris. Coloniæ ſancti Heriberti [h] Epiſcopi, ſanctitate celebris. Aruernis depoſitio ſancti Patricij [i] Epiſcopi. In Syria S. Abrahæ eremitæ [k], cuius res geſtas beatus Ephræm diaconus conſcripſit.

## MARTII 16.

[a] CYRIACI. ] De eo Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Habentur eius ſimulque ſociorum Acta iuncta rebus geſtis S. Marcelli Papę apud Sur. 16 Ianuar. Fuit Romæ titulus ſancti Cyriaci in Thermis, penes quem & monaſterium monialium erat, quod ipſum etiam excidit; cuius loci Martyrologium peruetuſtum habemus in noſtra bibliotheca, ex quo nonnulla vetuſtatis monumenta hîc deſcripta habentur. Eſt mentio tituli ſancti Cyriaci in Synodo ſecunda Romana ſub Symmacho Papa, & in regiſtro ſancti Gregorij lib. 9. epiſt. 22. qui cùm vetuſtate collapſus eſſet, à Sixto Papa Quarto ad eccleſiam ſanctorum Quiriaci & Iulittæ tranſlatus eſt: ſed nuper à Sixto Papa Quinto ſtatio, quæ ibi erat, eſt reſtituta in Diaconia S. Mariæ in Via lata, cui inhærebat eiuſdem Cyriaci monaſterium, quod diximus, monialium.

[b] In cataſta extenſus. ] Diuerſa ſignificatione cataſta tam apud Gentiles ſcriptores, quàm etiam Chriſtianos, ac penes ipſa Acta martyrum accepta reperitur. Aliquando pro machina longæ ac magnę compedis formam habente, qua ſerui detenti, venales exponebantur. ſic apud Plin. libro 35. cap. vlt. Stat. 2. ſilu. Perſ. ſat. 6. Mart. lib. 6. & 10. & alios. Erat & cataſta inſtrumentum torquendi, diuerſum tamen ab equuleo, de quo habes in Actis S. Dorotheæ, & in Actis S. Marcelli Papę & martyris, & alijs. In eo ſenſu Saluianus Maſſil. de recto iudic. lib. 3. Scalas, inquit, ſibi quodammodò de equuleis, cataſtiſque fecerunt, martyres videlicet. Et Gilda Sapiens in orat. inuect. in ord. Eccleſ. ait: Multo digniùs profectò, vt ad carcerem, aut cataſtam pœnalem, quàm ad ſacerdotium traheremini. Cataſta Inſuper aliquando ſuggeſtum ſignificat lignis compactum, quem vulgò dicimus, tabulatum. In hoc ſenſu in Actis ſanctorum martyrum Mariani lectoris & Iacobi, quæ quidem germana eſſe noſcuntur, hęc habentur: Erat illic cataſta non vno tantũ, ſed multis diſtincta gradibus & ſublimi aſcenſu, &c. apud Sur. tom. 2. die 3. Aprilis. Super eiuſmodi cataſtam eleuabantur cruciandi martyres, quo illorum tormenta poſſent ab aſtantibus conſpici: ſicque intelligas locum Prudentij in Romano martyre hymno 10. cùm ille ſuſpéſus equuleo ſuper cataſtam concionabatur ad populum, dicens:

*Audite cuncti, clamo longè, prædico,*
*Emitto vocem de cataſta celſior.*

Erat etiam cataſta cratis ferrea ad comburendum parata, de qua idem Prudentius Periſteph. in Laurentio, hymno 2. ſic canit:

*Poſtquam vapor diutius*
*Decoxit exuſtum latus,*
*Vltrò è cataſta Iudicem*
*Compellat affatu breui:*
*Conuerte partem corporis,*
*Satis crematus iugiter.*

Idem Periſteph. hymno 1.

*Verbera poſt vim crepantum*
*Poſt cataſtas igneas, &c.*

Et Ioſephus lib. de Machab. ad Polyb. his verbis de eadem cataſta: Exhibentur lebetes, cataſtæ frixoriæ, &c. Paulò inferiùs ſic: Igni in cataſta martyr obijcitur. Hæc iam ſatis de cataſta.

[c] Hilarij, & Tatiani. ] Agit de his item hac die Vſuardus, Petrus in catal. lib. 3. cap. 203. & hiſt. eccleſiæ Aquileien. lib. 2.

[d] Papæ martyris. ] De eo etiam Græci in Menologio, vbi & pluribus eius martyrij cruciatus narrantur.

[e] Vngulis ferreis. ] Erant vngulæ biſulcæ; ſic Prudentius eas frequenter appellat, vt Periſt. hym. 1.

*Ille virgas & ſecures,*
*Et biſulcas vngulas*
*Vltrò fortis expectabat.*

Idemque hymno 5.

*Ille vngularum duplices*
*Sulcos pererrat oſculo.* Et hymno 10.
*Coſtas biſulcis exarandas vngulis.*

Dictæ ſunt autem vngulæ, quòd ea inſtrumenta ferarum imitarentur veſtigia; quarum cùm referrent exemplum, eodem etiam dicta nomine inuenies L. 1. C. de emendatione ſeruorum: Ferarum, inquit, vnguibus latera perſecando. ſed in Cod. Theod. eod. tit. ſic: Ferarum veſtigijs latera perſecando.

[f] Iuliani ] Gręci etiam de eo hac die in Menologio, vbi & certamen eius deſcribitur.

[g] Agapiti Epiſcopi. ] De eo tabulæ eccleſiæ Rauennatis. Reperitur hic interfuiſſe Romano Concilio ſub Iulio Papa habito, anno primo Conſtantij & Conſtantis AA. Qua ratione ſuprà diximus, hunc præceſſiſſe Seuerum, & non ei ſucceſſiſſe: nam anno vndecimo prædictorum Imperatorum habita eſt Synodus Sardicenſis, cui præſens fuit Seuerus, atque ſubſcripſit.

[h] Heriberti Epiſc. ] Scripſit eius res præclarè geſtas Rupertus abbas Tuitienſis, quas retulit Sur. tom. 2. Porrò egregia ſanctiſſimi viri miracula Lambertus Leodienſis ſcriptis mãdauit.

Sigebert.

Sigebert. de eo agens in chron. ordinatum eum refert Epiſcopum anno à Chriſto Domino 977. ex humanis autem deceſſiſſe anno 1021.

[i] Patricij Epiſcopi. ] De eo Vſuardus hac die. Miratus ſum hunc non recenſeri in tabulis Democharis inter Epiſcopos Aruernenſes: puto errore prætermiſſum; niſi alterius fortaſſe fuerit ciuitatis Epiſcopus.

[k] Abrahæ Eremitę.] Gręci autē in Menologio 29. Octob. Scripſit S. Ephręm eius Acta, quę extant apud Lipom. tom. 2. meminitq́ eiuſdem in libello, qui Teſtamentū Ephręm inſcribitur. recitat & Metaphraſtes eius res geſtas fuſiùs enarratas: habet eaſdē Lipom. tom. 6. & Sur. tom. 2. hac die. Sozom. meminit de Abraham S. Ephræm diſcipulo lib. 3. cap. 15. & Nicephorus lib. 9. c. 16.

## 17 Sextodecimo Kal. April. Luna. F xiiij.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 1 2 3 4
t u A B C D E f F G H M N P
5 6 7 8 9 10 11 12 12 13 14 15 16 17

IEROSOLYMIS ſancti Ioſeph [a] ab Arimathia nobilis decurionis, diſcipuli Domini; qui eius corpus de cruce depoſitum in monumento ſuo nouo ſepeliuit. Romæ ſanctorum Alexandri [b] & Theodori martyrū. Alexandriæ commemoratio plurimorum ſanctorum martyrum [c], qui à Serapidis cultoribus comprehenſi, cùm idolum adorare conſtanter renuiſſent, ſæuiſſimè cæſi ſunt, tempore Theodoſij Imperatoris: qui mox reſcriptum dedit, vt Serapidis templum deſtrueretur. Conſtantinopoli ſancti Pauli [d] martyris, qui ſub Conſtantino Copronymo cùm ſanctarum imaginum cultum defenderet, igne combuſtus eſt. In Hibernia natalis ſancti Patricij [e] Epiſcopi & confeſſoris, qui primus ibidem Chriſtum euangelizauit, & maximis miraculis & virtutibus claruit. Cabilone in Gallijs ſancti Agricolæ [f] Epiſcopi. Niuigellæ in Brabantia ſanctæ Gertrudis [g] virginis, quæ clariſſimo genere orta, deſpiciens mundum, & toto vitæ ſuæ curſu in omnibus ſanctitatis officijs ſe exercens, Chriſtum ſponſum in cælis habere meruit.

## MARTII 17.

IOSEPH ab Arimath. [a] ] De quo Matth. cap. 27. Marc. cap. 15. Luc. cap. 23. & Ioannes cap. 19.

[b] Alexandri, aliàs Nicandri, & Theodori. ] Reſtituti ſunt hi ex eo quod diximus vet. manuſcrip. exemplari. Nicandri & Theodori martyrum corpora tranſlata ſunt à Sergio Iuniori Papa in titulum Equitij, vt vetus inſcriptio marmori inciſa illic poſita teſtatur.

[c] Plurimorum ſanctorum mart. ] Agit de his Rufin. hiſt. li 2. c. 22. Socr. li. 5. c. 16. & 17. Sozom. lib. 7. c. 15. & 16. Niceph. li. 12. c. 25. & 26. De ſubuerſione Serapidis ſcripſit Sophronius æqualis S. Hieronymo inſignē librum, vt ipſe Hieron. teſtatur lib. de ſcrip. Eccleſ. in Sophronio. Meminit S. Auguſtinus de Serapidis ruina lib. de diuinat. dęmonū; de eius verò cultu & vana Ægyptiorum ſuperſtitione latè de ciuit. Dei lib. 18 c. 5. & 6 De eiuſdē templi ruina S. Hieron. ad Lætam epiſt. 7. & ex externis Eunapius Sardianus. Sciendum præterea, in locum deiecti Serapidis extructam fuiſſe baſilicam nomine S. Ioannis Baptiſtæ, in quam illatæ ſunt eiuſdem ſancti reliquiæ, vt ſcribit Rufinus vbi ſuprà; eam Theophilus dedicauit quarto Kal. Septembris, vt ſcribit Beda de ſex ætat. in Iuliano: idem Acta de inuent. capitis eiuſdem ſancti Ioannis in princ. De origine autem eius templi conſule Tacitum Annalium l. 20.

[d] Pauli martyris. ] Agunt de eodem hac die Græci in Menologio. paſſus reperitur circa annum Domini octingenteſimum.

[e] Patricij Epiſc. ] De eo Beda, Vſuardus, Ado, & alij hac die. Huius res geſtas ſcripſit Probus Hibernus, vt apparet in fine eius vitæ, quæ extat apud Bed. tom. 3. De puteo S. Patricij hiſtoriam recenſet Mombrit. tom. 2. Cùm autem in prædictis auctoribus, quos citauimus, legatur ſanctus Patricius primus omnium Scotis prædicaſſe Euangelium, & ad Chriſti fidem eoſdem perduxiſſe: nos maiorē fidem adhibere cogimur S. Proſpero

Aquitano, qui illis tẽporibus vixit, ac rem geſtam ob oculos pęnè habuit: ipſe in chronico in Conſulatu Dionyſij & Florentij, & iterũ in Cõſulatu Baſſi & Antiochi teſtatur, Scotos, antequã S. Patricius prædicationẽ Euangelij aggrederetur, conuerſos ad fidem fuiſſe per Palladium, quem Rom. Eccleſię diaconum S. Cęleſtinus Papa illuc ad prędicandum Euangelium miſerat. Agit de hoc etiã idem Proſper lib. aduerſus Collatorem in fin. Beda hiſt. de geſt. Angl. lib. 1. c. 13. & libro de ſex ætat. & Marian. Scot. lib. 2. ſex. ętat. anno Domini 432. Ex his itaq. erroris arguitur Probus, dum ait, Palladium, intactis rebus Scotorum, ab illis fuiſſe repulſum, ac in munere quo fungebatur archidiaconatus, eſſe defunctum; cùm prædicti omnes affirment, illum ordinatũ eſſe à Cælęſtino primũ Scotorum Epiſcopum, cui ſucceſſit ſanctus Patricius conſecratus ab eodem Cęleſtino Papa; qui & ad Hibernos miſſus, ibi per annos quadraginta in ſignis atque mirabilibus prędicans, totam inſulam Hibernam conuertit ad fidem. Hæc etiam teſtatur Mar. Scot. vbi ſuprà. Scribit Sigeb. in chron. ſanctum Patricium obiiſſe anno Domini 491. annos natum 122. De eodem ſancto Patricio habetur mentio in Actis S. Winuualoci abbatis: extant apud Sur. tom. 2. die 3. Martij; fuit enim illi æqualis.

[f] Agricolæ Epiſc.] Scribit de eo Greg. Turon. hiſt. de geſt. Franc. lib. 5. c. 20. & 45. Interfuit ſubſcripſitq. quarto & quinto Concilio Aurelianenſi, vt eorum Acta indicant: celebratum eſt autem quintum illud Concilium anno 38. Childeberti Regis Franc. qui numeratur an. Domini 552. Hęc ponimus, vt tẽpora quibus vixit Agricola cognoſcantur. Scribit de eodẽ elegans epigramma Venant. Fortunat. lib. 3. Meminit eiuſdem Fortunat. in Actis S. Germani Epiſcopi Pariſiorum cap. 7. Aim. de geſt. Franc. lib. 3. cap. 42. Sedit (vt ſcribit Gregorius Turon. vbi ſuprà) annos 48. vixitq. annos 83. Reperitur interfuiſſe etiã primo Lugdunenſi Concilio vnà cum ſancto Nicetio Epiſcopo Lugdunenſi; quæ Synodus celebrata eſt temporibus Gunthramni Regis, & Ioannis Papæ Tertij.

[g] Gertrudis.] De ea etiam hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Recitat eius Acta Sur. tom. 2. ſed perpauca quidem, & longè breuiora his quæ teſtatur Molanus reperiri tribus libris digeſta Niuellæ Brabantiæ oppido. Plura de eadem idem auctor in Indiculo SS. Belg. vbi refert eam ex hac vita migraſſe anno 664. quod etiam teſtatur Sigeb. in chron. & Trithem. de vir. illuſt. ord. ſancti Bened. lib. 3. cap. 113. Relata eſt in ſanctorum claſſem ex decreto Honorij Papæ Tertij.

## xiij. G Quintodecimo Kal. Aprilis. Luna. 18

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | | | |

CÆSAREÆ in Palęſtina natalis beati Alexandri Epiſcopi[a], qui de Cappadocia ex propria ciuitate, vbi erat Epiſcopus, ſanctorum locorum deſiderio Ieroſolymam veniens, cùm Narciſſus eiuſdem vrbis Epiſcopus iam ſenex eccleſiam regeret, diuina reuelatione eius gubernacula ſuſcepit: poſtmodum verò in perſecutione Decij, cùm iam longæuæ ætatis veneranda canitie præfulgeret, ductus Cæſaream, & clauſus in carcere, ob confeſſionem Chriſti martyrium compleuit. Auguſtæ ſancti Narciſſi[b] Epiſcopi, qui primus in Rhætia Euangelium prædicauit: deinde in Hiſpaniam profectus, cùm Gerundæ multos ad Chriſti fidem conuertiſſet, ibidem in perſecutione Diocletiani cum Felice diacono martyrij palmam accepit. Nicomediæ ſanctorum decem millium[c] martyrum, qui pro Chriſti confeſſione gladio percuſſi ſunt. Item ſanctorum martyrum Trophimi[d] & Eucarpij. In Britannia ſancti Eduardi[e] Regis, qui dolis nouercæ necatus, multis miraculis claruit. Ieroſolymis S. Cyrilli[f] Epiſcopi, qui ab Arianis multas fidei cauſa perpeſſus iniurias, & ab eccleſia ſua ſæpè pulſus, tãdem ſanctitatis gloria clarus in pace quieuit; cuius intemeratę fidei Synodus œcumenica, Damaſo ſcribens, pręclarum teſtimonium dedit. Lucæ in Tuſcia natalis ſancti Frigidiani[g] Epiſcopi, virtute miraculorum illuſtris: cuius feſtiuitas quartodecimo Kalend.

Decem-

Decembris, quando eius corpus tranſlatum fuit, potiſsimùm recolitur. Mantuæ ſancti Anſelmi [h] Epiſcopi & confeſſoris.

## MARTII 18.

[a] ALEXANDRI Epiſc.] Beda itē, Vſuardus, Ado, & alij, Gręci autem in Menologio 15. Maij. Res geſtas ipſius ſcribit Euſebius hiſt. li. 6. c. 7. 8. & 32. Hieronymus de ſcript. Eccleſ. in Alexandro, Niceph. ex prædictis lib. 5. c. 9. & 10. & alij recentiores.

[b] Narciſſi Epiſc.] Auguſtę autem agitur 29. Octob. Nec mirum, ſi (quod ſæpè accidit) alio die in Romano Martyrologio, alio verò alibi de eodē agitur ſancto: ſiquidem alicubi tranſlatio, vel eius eccleſiæ dedicatio, vel, quod de Epiſcopis accidit, ordinatio celebratur. Porrò ea die 29. Octob. agitur de Narciſſo Epiſcopo Ieroſolymitano, hîc autem de Auguſtano Epiſcopo, quem eius gentis appellant Apoſtolum. Scimus autem aliquos confundere hos duos Narciſſos ſimul; vt videtur feciſſe Petrus in catal. li. 7. c. 28. dum Ieroſolymitano tribuit Afræ martyris conuerſionē: alios econtrà diſtinguere hunc à Narciſſo Gerundenſe, qui vnà cum Felice illic martyrium paſſus eſt. Porrò tam in Actis S. Afræ martyris, quā in flore ſanct. Hiſp. vnus idemq. eſſe fertur: quibus & adſtipulantur qui ſcripſerunt Annales Hiſp. vt Ant. Beuter, & Ioan. Vaſæus. Illuſtratur tumulus eius multis miraculis; quorum illud eſt celeberrimum ſub Petro Rege Aragonum, quando capta Gerunda per Carolum Siciliæ & Philippum Francorum Reges, ex ſepulchro S. Narciſſi, quod violare attentarunt milites, muſcarum examen egreſſum, in exercitum infeſto agmine irruens, ingentem cladem intulit, & in fugam egit, à cœptiſq. deſiſtere coëgit. Contigerunt hæc 8. Septembris, anno Domini 1286. Ex his apud eos in prouerbium abierunt Muſcæ S. Narciſſi. De Felice diacono, cuius hîc habetur mentio, meminit etiam S. Eulogius in mem. ſanct. Sed de eo plura infrà 1. Auguſti.

[c] Decem millium mart.] Græci de his etiam in Menologio hac die. Nec ſanè mirandum eſt, non tantùm eos de quibus hoc loco agitur, ſed alia multa prætereà martyrum millia pro Chriſti nomine Nicomediæ fortiſſimè occubuiſſe, in quorū certamina ſæpè incurrimus: nam Diocletianus Imperator ſæuiſſimam illam perſecutionem excitans, Nicomedię reſedit, illicq. de Chriſtianis immaniſſimam carnificinam exercuit, vt produnt Acta martyrum, Euſeb. lib. 8. & alij.

[d] Trophimi & Eucarpij.] Græci item de his hac die in Menologio agunt.

[e] Eduardi Regis.] Extant eius res geſtæ, quas ex antiquis manuſc. edidit Sur. tom. 2. De eodem plura in vita ſancti Dunſtani Epiſcopi, & in Actis S. Edithę virginis, eius germanę. Necatus eſt anno à Chriſto Domino 981. cùm regnaſſet annis quatuor. De celebratione diei feſti S. Eduardi Regis extat epiſtola Innocentij Papæ Quarti in Vaticana bibliotheca, in regiſtro ipſius, an. 2. pag. 527.

[f] Cyrilli Epiſc.] Agunt de eo Græci etiā hac die in Menologio. Meritò pro S. Cyrillo teſtimonium œcumenicæ Synodi hîc citatur: quod ſatis eſſe videtur ad apologiā aduerſus eos, qui fidem Catholicam ipſius ſuſpectā habuere. Extat eiuſmodi S. Synodi elogium de Cyrillo in Synodica, apud Theodoret. li. 5. c. 9. ad Damaſum Papam his verbis: Eccleſiæ Ieroſolymitanæ, quæ eſt omniū mater, reuerendiſſimū ac ſanctiſſimū Cyrillum Epiſcopum vobis oſtendimus, tum ab Epiſcopis prouinciæ (vt canon vult) iampridem eſſe creatum, tum plurima prælia aduerſus Arianos varijs in locis confeciſſe. Hæc Patres. Plures eiuſdem nominis, aliumq. poſt alium Ieroſolymis temporibus Conſtantij Imp. ſediſſe, refert S. Hieronymus in chronic. anno vndecimo eiuſdem Conſtantij Imp. Cùm autem idem de ſcript. Eccleſ. in Cyrillo dicat, eum ab Arianis Principibus ſæpè pulſum exilio, ſatis inſinuat fidem ipſius Catholicam probatam atque teſtatam. Vixit vſque ad annum octauum Theodoſij Maioris, vt idem Hieron. eſt auctor. Recenſetur hic annus (ſecundùm Faſtos Onuphrij) Chriſti Domini 386. Habentur eius Acta nuper collecta operâ Ioannis Grodecij, cuius etiam diligentia Catecheſes, aureum planè opus, diu occultatæ prodiere in lucem.

[g] Frigdiani, aliàs, Frigidiani.] De eo legimus Lucenſes tabulas Romam allatas. Scribit de ipſo S. Greg. Papa lib. 3. c. 9. & alij ex eodem auctore.

[h] Anſelmi Epiſc.] De eo etiam tabulæ eccleſiæ Mantuanæ, eiuſdemque vetera monumenta à Galeſino ad vſum Breuiarij accommodata.

19 Quartodecimo Kal. April. Luna. A xij.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 1 2 3 4 5 6
t u A B C D E f F G H M N P
7 8 9 10 11 12 13 14 14 15 16 17 18 19

IN Iudæa natalis ſancti Ioſeph [a] ſponſi beatiſſimæ Virginis Mariæ. Surrenti ſanctorum martyrum Quincti [b], Quinctillæ, Quartillæ [c], & Marci cum alijs nouem. Nicomediæ ſancti Pancharij [c] Romani, qui ſub Diocletiano truncatus capite, martyrij coronam accepit. Eodem die ſanctorū Apollonij [d] & Leontij Epiſcoporum. Gandaui ſanctorū Landoaldi [e] presbyteri Romani, & Amantij diaconi: qui à ſancto Martino Papa ad prædican-

dum Euangelium miſſi, multis poſt obitum ſunt illuſtrati miraculis. Apud Pinnenſem ciuitatem natalis beati Ioannis [f], magnæ ſanctitatis viri, qui de Syria ad Italiam veniens, & conſtructo illic monaſterio, multorum ſeruorum Dei per quatuor & quadraginta annos Pater exiſtens, clarus virtutibus quieuit in pace.

## MARTII 19.

IOSEPH [a].] De eo hac die Ado & alij, Græci autem 26. Decembris in Menologio. Huius res geſtas non ab alijs, quã à teſtibus præordinatis à Deo, ab ipſis, inquã, ſanctis Euangeliſtis conſcribi meruerunt. Omittimus hîc de ſanctiſſimo viro innumera ſanctorum Patrum elogia, ſilemus & miracula recenſere. De eius ætate, virginitate, & obitu pluribus diſſeruimus in Annalibus Eccleſ. Erat eius nobile ſepulchrũ in valle Ioſaphat, prope tumulũ S. Simeonis ſenis, vt legitur apud Bedam lib. de locis ſanctis cap. 6. Sancti Ioſeph vita ex diuerſis auctoribus collecta habetur in theſaur. concion. to. 2. Iſidorus Iſolanus ſcripſit de donis S. Ioſeph commentariom ad Hadrianum VI. Rom. Pont. Extat de eodem carmen Bonad. lib. 3. monod. 16.

[b] Quincti & ſoc.] Beda, Vſuardus, Ado, & alij de ijſdem hac die agunt.

[c] Pancharij.] Græci etiam hac die in Menologio agunt de eodem.

[d] Apollonij & Leontij.] De his vetus Martyrol. Rom. cui adſtipulantur manuſcr. nullibi tamen, cuius eccleſię Epiſcopi fuerint, habetur expreſsũ.

[e] Landoaldi & Amantij.] Scripſit horum res geſtas Nodgerus Epiſcopus Leodienſis, quas habet Sur. to. 2. Plura Molanus in Indic. SS. Belgij.

[f] Ioannis.] De eo pluribus Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Habet eius Acta Mombrit. tom. 2. vit. ſanct. Petrus in catalog. lib. 3. c. 207. Trithem. de vir. illuſtr. ord. S. Bened. lib. 3. cap. 283. vbi eum virum ſanctum & doctum prædicat. de ciuitate, cuius hîc mentio habetur, varia admodum lectio reperitur, cũ alij habeant Pennatenſem, alij Pinnatiẽſem, Pinnenſem alij, ſeu Pennẽſem, vel Pennateoſem, vt Trithemius: porrò magis germana lectio probatur, vt Pennẽſem dicat; eſt enim Pennenſis ciuitas apud Veſtinos, vt ſcribit Ptolem. lib. 3. tab. 6. & Plin. l. 3. c. 12. In lib. enim de Pontificibus Rom. in Zacharia Papa hæc legimus: Eidem Tranſamundo ſe ſubdiderunt Marcicani, Furocenſes, atque Valuenſes, ſeu Pennenſes, aliàs Pinnenſes, &c. vulgò dicitur, Ciuita de Penna.

xj. B Tertiodecimo Kal. Aprilis. Luna. 20

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ

21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 1 2 3 4 5 6 7

t u A B C D E f F G H M N P

8 9 10 11 12 13 14 15 15 16 17 18 19 20

IN Iudæa S. Ioachim [a] patris beatiſſimæ Virginis genitricis Dei Marię. In Aſia natalis S. Archippi [b] commilitonis beati Pauli Apoſtoli, cuius ipſe in epiſtola ad Philemonem, & ad Coloſſenſes meminit. In Syria ſanctorum martyrum Pauli [c], Cyrilli, Eugenij, & aliorum quatuor. Eodem die ſanctorum Photinę [d] Samaritanę, Ioſeph & Victoris filiorum, itemque Sebaſtianĩ ducis, Anatolij, Photij, Photidis, Paraſceues, & Cyriacę germanarum: qui omnes Chriſtum confeſſi, martyrium ſunt aſſecuti. Amiſi in Paphlagonia ſanctarum ſeptem mulierum [e], Alexandrę, Claudię, Euphraſiæ, Matronę, Iulianæ, Euphemię, & Theodoſię, quæ in cõfeſſione fidei cæſæ ſunt; eaſque ſecutæ ſunt Derphuta, & ſoror ipſius. Apolloniæ ſancti Nicetæ [f] Epiſcopi, qui pro ſanctarum imaginum cultu eiectus in exilium, reddidit ſpiritum. In monaſterio Fontanellæ S. Vulfranni [g] Epiſcopi Senonenſis, qui relicto Epiſcopatu, ibidem clarus miraculis deceſſit è vita. In Britannia depoſitio ſancti Cuthberti [h] Epiſcopi Lindisfarnenſis, qui à pueritia ad obitum vſque ſanctis operibus & miraculorum ſignis effulſit. Senis in Tuſcia beati Ambroſij [i] Senenſis, ordinis Prædicatorum, ſanctitate, prædicatione, & miraculis clari.

MAR-

IOACHIM [a].] De eo autẽ Gręci agunt 9. Septemb. in Menologio. De S. Ioachim etſi nihil expreſſum habeatur in diuinis Scripturis; tamẽ patrem fuiſſe Dei genitricis Mariæ, ex certis probatiſq. maiorũ traditionibus S. Patres tam Latini quàm Græci abſq. aliqua difficultate affirmarunt. id in primis S. Epiphanius, qui res Hebræorũ præ ceteris calluiſſe videtur, in panar. hęreſ. 79. & in orat. de laudibus S. Mariæ Deiparę. item S. Ioannes Damaſc. qui pluribus agit de laudibus S. Annæ & Ioachim tribus illis orationibus habitis in die natali Dei genitricis Mariæ. S. Auguſtinus agẽs contra Fauſtum Manichæum lib. 23. c. 9. etſi neget in libris canonicis genealogiam Dei genitricis recenſeri; Ioachim tamen, quem ille ex tribu Leui ſacerdotem fuiſſe dicebat, eumdem ex tribu Iudæ potiùs proueniſſe contendit. Non prætermittimus dicere, Gnoſticos hæreticos excogitaſſe portentoſum quemdam librum inſcriptum, Stirps Mariæ: quem vt alienum ab Eccleſia Catholica ſanctus Epiphanius procul reijcit in panar. hæreſi 26. At nihil ex illo Patres accepiſſe certum eſt; idque loca Epiphanij nuper citata ſatis indicant.

[b] Archippi.] De eo Paulus Apoſtolus ad Coloſſ. c. 4. & ad Philem. Agunt de eodem hac die Vſuardus, Ado, & alij.

[c] Pauli & ſoc.] De his item Vſuardus, & alij eum ſecuti.

[d] Photinæ Samaritanæ.] Agunt de ea item Græci hac die in Menologio, feruntq. eamdem fuiſſe mulierem Samaritanã, de qua Ioan. Euang. c 4. In vet. Martyrol. Caſſin. de eadem agitur, eademq. fuiſſe affirmatur. Eius caput Romę apud S. Paulum à monachis Caſſinenſibus aſſeruatur.

[e] Septem mulierũ.] De his etiam Gręci in Menolog. hac die: ibiq. earumdẽ nomina recitantur, inter quas & Paraſceue recẽſetur. Agunt Gręci de Paraſceue ſeorſum itidem in Menologio ad ſext. Kalend. Auguſti, paſſamq. tradunt tẽporibus Antonini Imp. Romanamq. genere fuiſſe ſcribunt; quã diuerſam eſſe ab hac, de qua hîc cum ceteris agitur, facilè exiſtimo. Theod. Balſam. in ſexta Synodo Conſtantinop. can. 63. hæc ait: Nicolaus Muzalon Patriarcha, cùm vitam S. Paraſceues, quæ in quodam Callicratiæ vico colebatur, à quodam Vicario ineptè & indoctè, ac ſancta angelica viuendi ratione indignè compoſitam inueniſſet, eam igni mandari iuſſit; & diacono Baſilio mandauit, Deo gratam & acceptã eius vitam cõſcribere. Hęc Theodorus; qui & de Metaphraſte, quem conſtat in eo genere plurimum laboris inſumpſiſſe, hæc ait: Magna itaque beato Metaphraſti agenda eſt gratia, qui martyricas pro veritate foſſas non ſine multis laboribus & ſudoribus repurgauit & exornauit, ad Dei laudem, & ſanctorum martyrum perennem gloriam. Hæc ille.

[f] Nicetæ Epiſcopi.] Græci itidem de eodem hac die in Menologio agunt.

[g] Vulfranni Epiſc.] Scripſit eius res geſtas Ionas abbas: habet eas Sur. tom. 2. Plura de eo in vita S. Wilebordi apud Sur. tom. 6. Molan. in Indic. SS. Belg. Trithem. de vir. illuſtr. ord. S. Bened. lib. 3. cap. 168. Petrus in catal. lib. 3. cap. 213. & alij. Migrauit ex hac vita anno Domini ſeptingenteſimo vigeſimo.

[h] Cuthberti Epiſc.] De eo Beda, Vſuardus, Ado. Eius Acta Beda exactè conſcripſit; habentur to 3. qui & in pręfatione hiſt. de geſt. Angl. fatetur ſe ſcripſiſſe vitam ipſius, non tantùm ſoluta oratione, ſed etiam verſu heroico. Idem de eo lib. 4. hiſt. Angl. cap. 27. 28. & 29. Sedere cœpit anno Domini 685. Migrauit è vita anno 688. Sigebertus autem anno 687. diem obijſſe affirmat.

[i] Ambroſij Senenſis.] Extant eius Acta iuſſu Honorij IIII. Summi Pont. conſcripta à quatuor Theologis eiuſdẽ ordinis ipſi Ambroſio contẽporaneis, typis excuſa, quę magnã redolẽt pietatem. De eo S. Antonin. 3. par. chron. tit. 23. c. 10. §. 5. & c. 11. §. 1. & tit. 24. c. 14. §. 15. & B. Raimundus Capuanus in vita S. Catharinę Senen. li. 2. c. 35. vbi teſtatur illũ ſuo tempore & centũ annis anteà multis claruiſſe & adhuc clarere miraculis. Leander Albert. de viris illuſtr. ord. Præd. in vita eiuſdem ſancti per Sebaſt. Flamin. & in vita B. Iacobi de Meuania per Barthol. Mortariũ conſcripta. Ioan. Nider in Pręceptorio, pręcep. 1. c. 6. in fine, vbi teſtatur feſtiuitatẽ ipſius celebrari de licentia Romani Pontificis. Anton. Luſitanus in chronico eiuſdẽ ord. anno 1260. & 1262. & 1280. & 1285. vbi ait feſtũ huius ſanctiſſimi viri feria ſexta ante Dominicam Paſſionis celebrari Senis multa cum pompa, & Senatus populiq. Senenſis concurſu & munificentia, quo die in illius honorem à ſeruili opere omnis feriatur populus. Ferdinand. de Caſtigl. 1. par. hiſt. S. Dominici, lib. 3. c. 49. 51. 52. & 53. & alij pręterea, quos breuitatis cauſa omittimus. Migrauit ex hac vita anno Dom. 1286. die 20. Martij. Hunc Martyrologio Romano adſcribi S. D. N. Clemens VIII. meritò præcepit.

21 Duodecimo Kal. April. Luna. C 2.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | | | |

. IN monte Caſſino natalis ſancti Benedicti [a] abbatis, qui monachorum diſciplinam in Occidente pænè collapſam reſtituit, ac mirificè propagauit: cuius vitam virtutibus & miraculis glorioſam beatus Gregorius Papa conſcripſit. Alexandriæ commemoratio ſanctorum martyrum [b], qui ſub Con-

ſtantio Imperatore & Præfecto Philagrio, irruentibus Arianis & Gentilibus, in eccleſia in die Paraſceues cæſi ſunt. Eodem die ſanctorum martyrum Philemonis [c] & Domnini. Catanę ſancti Birilli [d], qui à beato Petro ordinatus Epiſcopus, cùm multos Gentilium conuertiſſet ad fidem, in vltima ſenectute quieuit in pace. Alexandriæ beati Serapionis [e] anachoretæ & Epiſcopi Thmueos [f], magnarum virtutum viri, qui Arianorum furore in exilium actus, migrauit ad Dominum. In territorio Lugdunenſi ſancti Lupicini [g] abbatis, cuius vita ſanctitatis & miraculorum gloria fuit illuſtris.

## MARTII 21.

BENEDICTI abbatis [a]. ] Beda ac ceteri Latinorum de eo hac die, Gręci autem in Menolog. 14. huius, his verbis: Sancti Patris noſtri Benedicti multorum monaſteriorũ Patris celeberrimi, pietate & miraculorũ multitudine illuſtris. Hęc ibi. Huius pręclariſſimas res geſtas cõplexus eſt toto ſecundo libro dialogorum S. Gregorius Papa: plurima item de eo in vita ſancti Mauri, necnon in vita S. Placidi. Marcus monachus S. Bened. (vt ſcribit Sigeber. de vir. illuſtr. c. 35.) Acta S. Benedicti ex Greg. lib. 2. dialog. ſcripſit heroico carmine: Adalbertus autem monachus Floriacen. (vt idem auctor teſtatur c. 101. & 102.) ſcriptis mãdauit volumen miraculorum eius, quæ ad ipſius ſepulchrũ ſunt facta: quod opus Annonius monachus eſt proſecutus. Bertharius abbas Caſſinenſis etiam ſcripſit de vita, obitu, & miraculis S. Benedicti volumen, vt teſtatur Petrus diac. Caſſin. de vir. illuſtr. monaſt. Caſſin. c. 12. Idemq́. eodem lib. cap. 18. refert Victorem Rom. Pont. ex abbate Caſſinen. ſcripſiſſe quatuor libros de miraculis S. Benedicti, quę facta ſunt in cœnobio Caſſin. Vitam eius carmine fuiſſe ſcriptam etiam à Rainaldo monacho Caſſin. idem Petrus affirmat ibidem c. 17. Paulus diaconus Aquileienſis ſcripſit ſacros hymnos de eodem, vt idem refert cap. 8. Bruno autem Epiſcopus Signienſis ex monacho Caſſinenſi ſcripſit homiliam de eodem legi ſolitam in ea eccleſia die natali eiuſdem, quod teſtatur idem Petrus c. 34. Addidit & Guerricus abbas Igniacenſis ſermones tres, Odo abbas Floriacen. ſermonem vnum de eadem ſolemnitate. De eodem pręterea Paulus diac. de geſt. Longob. li. 1. cap. 17. Leo Oſtienſis lib. 1. chron. Caſſinen. & alij plures. Petijt eremum S. Benedictus (vt ex hiſtoria Caſſin. probamus in Annalibus) anno à Chriſto Domino quadringenteſimo nonageſimoquarto. Obdormiuit autem in Domino ſecundùm aliquos anno quingenteſimo quadrageſimoſecundo, vel ſecundùm Leonem Oſtienſem quingenteſimo quadrageſimotertio. Verùm de his conſule quę diximus in iiſdem noſtris Annalibus.

[b] Sanctorum martyrum. ] Scribit de his ſanctus Athanaſius epiſtolã ad Orthodoxos omnes, quo cunctis innoteſceret Catholicorum conſtantia, & Arianorum ſæuitia: agit & de his in apologia ſecunda: Socrates etiam li. 2. cap. 8. Sozom. lib. 3. cap. 5. Theodoret. libro 2. cap. 4. Cæſi ſunt hi Conſtantio tertiùm & Conſtante ſecundùm Coſſ. anno à Chriſto Domino (iuxta Faſtos Onuphrij) trecenteſimo quadrageſimoſecundo.

[c] Philemonis & Domnini. ] De his item Græci hac die in Menologio agunt.

[d] Birilli Epiſcopi. ] Græci etiam de eo hac die in Menologio. Diuerſus planè hic Birillus à Berillo, de quo agit ſanctus Hieronym. de ſcript. Eccleſ. quem vixiſſe dicit temporibus Alexandri Imp. & ſucceſſorum eius.

[e] Serapionis anachoretæ & Epiſc. ] De eo Beda, Vſuardus, Ado, & alij; licet eum tantùm dicant anachoretam: verùm inſignem illum Serapionem ab Athanaſio fuiſſe ordinatum Epiſcopum, conſtat ex epiſtola eiuſdem Athanaſij ad Dracontium. Extat de eo Alexandri Epiſcopi Theſſalonicę ad Athanaſium epiſtola, quam intexuit idem Athanaſ. in apolog. 2. Agit de eodem S. Hieronymus libro de ſcript. Eccleſ. & in epiſtola ad Magnum 84. Ad hunc Serapionem extat epiſtola inſignis eiuſdem S. Athanaſij aduerſus eos, qui muſſitare incipiebant, Spiritum ſanctum eſſe creaturam: item commentarius de blaſphemia in Spiritum ſanctum, & epiſtola alia de morte Arij, & ſtatu illius temporis. Eiuſdem nominis Serapio cognomento Syndonius claruit ſanctitate, de quo plura Palladius in Lauſiacis.

[f] Thmueos. ] Sic dicta ciuitas in Ægypto ab hirco, vt teſtatur ſanctus Hieronymus contra Iouin. lib. 2. Thmuis, inquit, interpretatur hircus. Meminit eiuſdem ciuitatis Caſſian. collat. 14. c. 4. & collat. 16. c. 1. Poſita hæc ciuitas erat in ea prouincia Ægypti, dicta, Scethi; quæ & à Scythis Orientalibus Scythia appellata ſæpiùs reperitur: à Scythis enim Ægyptios fuiſſe debellatos, auctor eſt Iuſtinus hiſtor. libro 2. De eremo Scethi, quę & Scythiæ dicitur, frequens eſt mentio apud Pallad. in Lauſiac. Euagr. Caſſian. Sozom. Niceph. & alios. De vrbe Scethi, & Scythiaca regione meminit Ptolem. libro 4. Quòd dicta ciuitas Thmueos in Scethi fuerit, conſtat ex epiſt. S. Germani Epiſcopi Capuani & aliorum legatorum ad Hormiſdam Papam, quam habemus apud nos manuſcr. in qua hæc leguntur de monachis Scethi, ſeu Scythiæ: Iſti de ſua prouincia Epiſcopos accuſant, inter quos eſt Paternus Thmuitanæ ciuitatis Antiſtes, &c.

[g] Lupicini. ] De eo etiam hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Scripſit res geſtas ipſius Gregorius Turon. in vit. ſanct. Patr. c. 1. Fuit & alius

alius Lupicinus reclusus ſanctitate conſpicuus, de quo idem auctor eod. lib. cap. 13. De eodem Lupicino, de quo agimus, plura habes in Actis S. Eugendi, apud Surium tom. 1. die 1. Ianuarij.

22 Vndecimo Kal. April. Luna. D ix.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
23 24 25 26 27 28 29 30 1 2 3 4 5 6 7 8 9
t u A B C D E f F G H M N P
10 11 12 13 14 15 16 17 17 18 19 20 21 22

NARBONÆ in Gallia natalis ſancti Pauli[a] Epiſcopi, Apoſtolorum diſcipuli, quem tradunt fuiſſe Sergium Paulum Proconſulem, qui à beato Apoſtolo Paulo baptizatus, & cùm in Hiſpaniam[b] pergeret, apud Narbonam relictus, ibidem Epiſcopali dignitate donatus eſt: vbi prædicationis officio non ſegniter expleto, clarus miraculis migrauit in cælum. Tarracinæ ſancti Epaphroditi[c] Apoſtolorum diſcipuli, qui à beato Petro Apoſtolo Epiſcopus illius ciuitatis ordinatus fuit. In Africa ſanctorum martyrum Saturnini[d] & aliorum nouem. Eodem die natalis ſanctarum martyrum Callinicæ[e] & Baſiliſſæ. Ancyræ ſancti Baſilij[f] presbyteri & martyris, qui ſub Iuliano Apoſtata grauiſſimis cruciatibus affectus, animam Deo reddidit. Carthagine ſancti Octauiani[g] archidiaconi, & multorum millium martyrum, qui ob fidem Catholicam à VVandalis cæſi ſunt. Ibidem ſancti Deogratias[h] Epiſcopi Carthaginenſis, qui plurimos à VVandalis captiuos ab Vrbe ductos redemit, alijſque ſanctis operibus celebris quieuit in Domino. Auximi in Piceno ſancti Benuenuti[i] Epiſcopi. In Suetia ſanctæ Catherinæ[k] virginis, filiæ ſanctæ Brigittæ. Romæ ſanctæ Leæ[l] viduæ, cuius virtutes & ad Deum tranſitum ſanctus Hieronymus ſcribit.

## M A R T I I 22.

[a] PAVLI Epiſcopi. ] Agit de eo Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri, licet diuerſis diebus: nam Vſuard. prid. Id. Decemb. Ado verò ad 11. Kal. Febr. Meminit huius Prudentius in Periſteph. hymno 4. cùm ait:

*Surget & Paulo ſpecioſa Narbo.*

Item Greg. Turon. de geſt. Franc. lib. 1 cap. 30. vbi tamen manifeſtè errat, dum eum vnà cum alijs, quos illic recitat, tempore Decij Imp. in Gallias perueniſſe teſtatur. De eodem Petrus Clun. lib. 1. epiſt 2. & alij plures ex recentioribus.

[b] Cùm in Hiſpaniam pergeret. ] Eadem quæ hîc habentur de profectione S. Pauli in Hiſpanias, prædicta omnia Martyrologia atteſtantur: id ipſum tam Latini, quàm Græci Patres affirmant: à quibus diſſentire videtur Gelaſius Papa, cuius ſententia recitata habetur 22. q. 2. cap. Beatus Paulus. Sunt ea verba Gelaſij prolata in Synodo Romæ habita, in qua actum eſt de abſolutione Miſeni Epiſcopi anteà damnati: habemus eam apud nos manuſcriptam. Sed re vera eò tendit ſententia eius, vt Paulus, Deo aliter diſponente, quod tunc ſe facturum pollicitus eſt, minùs implere potuerit: non autem vt [illegible]eget omnino, numquam Paulum in Hiſpanias adueniſſe. De profectu autem eius in Hiſpanias, vt de re certa, ſcribit S. Athanaſius in epiſtola ad Dracontium: id ipſum S. Hieronymus, qui apocryphis non facilè adhibere fidem conſueuit, in Iſai. c. 11. & in Amos c. 5. hoc & profitetur ſanctus Cyrillus Ieroſol. catecheſi 17. S. Epiphanius in Panar. hæreſ. 27. S. Ioan. Chryſoſt. homil. 76. in Mat. & homil. 7. de laudibus Pauli, Theodoretus in comment. epiſt. 2. Pauli ad Timoth. cap. 4. in epiſt. ad Philip. c. 1. & ſuper Pſalm. 116. S. Gregorius Papa lib. 31. moral. cap. 22. in fin. S. Iſidorus de vit. & obit. ſanct. c. 71. licet non putetur eius illud opus. Extat in bibliotheca Card. Sirleti libellus Hippolyti martyris de duodecim Apoſtolis, quo firmiter auctor aſſerit, S. Paulum prædicaſſe Euangelium in Hiſpania: profitetur id ipſum Sophro-

Sophronius Epiſcopus Ieroſol. in ſermone in natali Apoſt. Ado Viennen. in chron. Michael Glyc. & alij ex recentioribus plurimi, quos prӕterimus; ſatis eſſe arbitrati, tot tantorumq́ue Patrum vnam omnium de eadem re ſententiam retuliſſe. Sed de his locupletiùs agimus in Annalibus.

[c] Epaphroditi. ] De quo Paulus ad Philip. c. 2 & 4. Prӕfectum hunc fuiſſe eccleſiӕ Tarracinenſi, eſt auctor Metaphraſt. in ſerm in natal. Apoſt. die 29. Iunij: Dorotheus autem in Synopſi ait, Adriӕ eum datum Epiſcopum.

[d] Saturnini & ſoc. ] De his etiam Beda agit hac die. Multi eius nominis paſſi habentur in Africa: quorum nec illum prętereamus, de quo eſt tam nobile teſtimonium S. Celerini martyris in epiſtola ad Lucianum, his verbis: Salutat te Macarius cum ſororibus, &c. paulò poſt: Saturninus, qui & ipſe luctatus eſt cum diabolo, qui & Chriſti nomen eſt fortiter confeſſus, qui & in pœna vngularum fortiter eſt confeſſus, &c. eſt epiſt. 21. apud S. Cyprian. edit. Pamel.

[e] Callinicӕ & Baſiliſſӕ. ] Agunt de his item Grӕci hac die in Menologio.

[f] Baſilij presbyteri. ] De eodem hac die Grӕci in Menologio his verbis: Sancti martyris Baſilij presbyteri Ancyranӕ eccleſiӕ, qui cùm in Chriſtiana confeſſione conſtanter perſiſteret, Iuliano Apoſtata Imp. & Saturnino Prӕſide Ancyrӕ, poſt multos cruciatus Chriſti martyr volauit in cęlum. Hӕc ibi. agit de eo Sozom. lib. 5. c. 10. Ne autem alicui errandi daretur occaſio, vt quis exiſtimaret hunc illum eſſe Baſilium item Ancyranũ, ſed Epiſcopum Arianum, qui iiſdem tẽporibus vixit: idcircò hîc presbyteri nomen, & quę ſequuntur, videntur expreſſa. Ad omnẽ autem prorſus tollendam ambiguitatẽ de Baſilio Epiſcopo: ſciendum eſt, illum nõ occubuiſſe martyrio ſub Iuliano, ſed poſt illum fuiſſe ſuperſtitẽ: nam obtulit vnà cum alijs Arianis libellũ Ioiniano Imperatori, quo ſe Nicęnӕ fidei profeſſorem eſſe teſtatus eſt, vt ſcribit Sozom. hiſt lib. 6. c. 4. Quod autem ſpectat ad Iuliani Apoſtatӕ perſecutionem, in qua Baſilius presbyter, de quo agimus, paſſus eſt; exploratũ habetur, ipſum potiùs dolis egiſſe, quàm armis ſęuiſſe: tamen (vt de eo ſcribit S. Gregorius Nazianzenus oratione prima in Iulianum) ita ſe ille comparauit, vt vtriſq. vteretur ad libitum; & licet nullo promulgato in Chriſtianos edicto, tamen tum populo, tum etiam magiſtratibus, ipſiſq. prouinciarum rectoribus non obſcurè ſignificaret, ſibi fore gratiſſimum, ſi omnes vbiq. Chriſtianӕ religionis delerentur cultores. Quanta inde in Chriſtianos clades euenerit, ex his etiam quӕ ab hiſtoricis Eccleſiaſticis & Patribus ſcripta ſunt, opinari cuique facile eſt. Verùm eius perſecutionis maiora ea fuere certamina, quӕ non ferro, ſed auro; non vulneribus, ſed muneribus; nec ſӕuitijs, ſed blanditijs ſunt illata. ſed ea fuerunt quӕdam tantùm pręludia atrocioris certaminis, ſi licuiſſet: nam profecturus in expeditionem contra Perſas, vouit ſe, cùm rediret victor, dijs ſuis Chriſtianorum ſanguine litaturum; inſuper etiam in cunctis Chriſtianorum eccleſijs Veneris ſimulacrum collocaturum. Hӕc Greg. Nazianz. oratione 2. in Iulianum, Ioan. Chryſoſt. orat. aduerſus Gentiles, & Theodoret. hiſt. lib. 3. cap. 18. Hӕc ſummarim de perſecutione Iuliani; ſed longè pluribus in Annalibus Eccleſiaſticis egimus.

[g] Octauiani archidiaconi. ] Gregor. Turon. hiſt. de geſtis Francorum lib. 2. c. 3. in fin. tam de ipſo quàm ceteris in Africa tunc paſſis meminit.

[h] Deogratias Epiſc. ] Victor Vtic. de ipſo plura libro 1. de perſecutione Wandal. Succeſſit hic Quoduultdeo, qui ſubrogatus eſt Capreolo, qui per legatum interfuit SS. Concilio Epheſino: ipſe autem Capreolus in locum Aurelij fuerat ſubrogatus. Sedit Deogratias annis tribus; inde verò S. Eugenius ſubſtituitur. Hęc ex Vict. & Vinc. Lir.

[i] Benuenuti Epiſc. ] De eo tabulӕ eccleſiӕ Auximanę, quas inde allatas vidimus. Claruit viuens & poſt obitum plurimis miraculis. Vixit circa annum Domini 1260. Extitit & alius eiuſdem nominis fama celebris, de cuius miraculis inquirendis Gregorius Papa Nonus mandatum dedit. Eſt de his epiſtola in eius regiſtro anno octauo ſui Pontificatus, à Chriſto Domino 1234.

[k] Catherinӕ. ] Huius res geſtę extãt apud Sur. tom. 2. Migrauit ex hac vita anno Domini 1381.

[l] Lex. ] De hac S. Hieronymus epiſtola 24. ad Marcellam. Fuit hӕc vidua, & non virgo, vt putauit aliquis: idq́ue ſatis docet epiſtola eiuſdem Hieron. 15. de laudibus Aſellӕ ad Marcellam.

## viij. E Decimo Kalend. April. Luna. 23

| | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |
| t | u | | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 11 | 12 | | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |

IN Africa ſanctorum martyrum Victoriani [a] Proconſulis Carthaginis, & duorum germanorum Aquiſregienſium, item Frumentij, & alterius Frumentij mercatorum, qui in perſecutione VVandalica ( vt ſcribit Victor Africanus Epiſcopus ) ſub Hunnerico Rege Ariano pro conſtantia Catholicӕ confeſſionis immaniſsimis ſupplicijs cruciati, egregiè coronati ſunt. Item in Africa ſancti Fidelis [b] martyris. Ibidem ſancti Felicis [c], & aliorum

aliorum viginti. Cęſareæ in Palæſtina ſanctorum martyrum Niconis [d], & aliorum nonagintanouem. Item Coronæ ſanctorum martyrum Domitij [e], Pelagiæ, Aquilæ, Eparchij, & Theodoſiæ. Antiochiæ S. Theoduli [f] presbyteri. Cęſareæ S. Iuliani [g] confeſſoris. In Campania ſancti Benedicti [h] monachi, qui à Gothis in ardenti clibano incluſus, ſequenti die inuentus eſt illæſus.

## MARTII 23.

VICTORIANI & ſoc. [a] ] De eo hac die Beda, Ado, Vſuardus, ac ceteri. Scribit autem horum omnium ſanctorum certamina Victor de perſecutione Wandal. lib. 3.

[b] Fidelis martyris. ] De quo etiam vet. manuſcript. ex quibus reſtituitur.

[c] Felicis & ſoc. ] Beda item, & Wandelbert. de his hac die, alijq́ue recentiores.

[d] Niconis & ſoc. ] De his item hac die Græci in Menologio.

[e] Domitij & ſoc. ] Agunt de his etiam Græci in Menologio hac die.

[f] Theoduli. ] De eo item Vſuardus, Ado, & Wandelbertus, licet pro Theodulo Theodorum nonnulli legant: ſed huic lectioni adſtipulantur vetuſtiora exemplaria ſuperiùs citata.

[g] Iuliani. ] De eo etiam Vſuardus, & Wandelbertus, aſſentiunturq́. vet. manuſcripta.

[h] Benedicti. ] Scribit de eo ſanctus Gregorius Papa lib. 3. dialog. cap. 18. & Sigebert. in chron. anno 538.

## 24 Nono Kalend. Aprilis. Luna. F vij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | | | |

ROMÆ ſanctorum martyrum Marci [a] & Timothei, qui ſub Antonino Imperatore martyrio coronati ſunt. Ibidem ſancti Epigmenij [b] presbyteri, qui in perſecutione Diocletiani ſub Turpio Iudice gladio cæſus, martyrium conſummauit. Item Romæ paſſio beati Pigmenij [c] presbyteri, qui ſub Iuliano Apoſtata pro fide Chriſti præcipitatus in Tiberim, necatus eſt. Cæſareæ in Palæſtina natalis ſanctorum martyrum Timolai [d], Dionyſij, Pauſidis, Romuli, Alexandri, alterius Alexandri, Agapij, & alterius Dionyſij, qui in perſecutione Diocletiani ſub Vrbano Præſide ſecuri percuſſi, vitæ coronas meruerunt. In Mauritania natalis ſanctorum Romuli [e] & Secundi fratrum, qui pro Chriſti fide paſſi ſunt. Tridenti paſſio ſancti Simeonis [f] pueri à Iudæis ſęuiſſimè trucidati, qui multis poſteà miraculis coruſcauit. Synnadæ in Phrygia ſancti Agapiti [g] Epiſcopi. Brixiæ ſancti Latini [h] Epiſcopi. In Syria ſancti Seleuci [i] confeſſoris.

## MARTII 24.

MARCI & Timothei [a]. ] Reſtituti ſunt ij ex vet. manuſcript. monaſterij ſancti Cyriaci de quo ſuprà.

[b] Epigmenij. ] Mentio de eo habetur in Actis ſancti Creſcentij martyris, quem idem Epigmenius baptizauit. Accepimus ea ab eccleſia Peruſina.

[c] Pigmenij. ] De eo, Beda Vſuardus, Ado, & alij. Habentur eius res geſtæ in Actis S. Bibianæ, licet ea admodum ſint deprauata. Dicturi ſumus de his inferiùs ſuo loco.

[d] Timolai & ſoc. ] Agit de his Euſeb.

hiſtor. libro 8. cap. 15. vbi hos omnes hac die martyrium conſummaſſe anno ſecundo perſecutionis Diocletiani, affirmat. Securi percuſſi cùm hi omnes dicantur; errare conuincuntur, qui ſecuris vſum intermiſſum fuiſſe tradunt. Sed quid dicam de temporibus Diocletiani, cùm etiam ſub Theodorico Rege Italiæ eiuſmodi animaduerſionem perſeueraſſe conſtet ex Caſſiodoro variar. lib. 11. c. 40 vbi hæc verba: Abſtine noxiam, lictor, ſecurim, &c. Prudentius etiam in Periſteph. hymno 1, ſic:

*– prabenda ceruix ad bipennem publicam.*

[e] Romuli & Secundi. ] De his Vſuardus, & Wandelbertus; licet alicubi Secundolus, pro Secundo, legatur.

[f] Simeonis pueri. ] Huius martyrium ſcripſit Ioannes Tiberinus eodem quo paſſus eſt anno, habet illud Surius tom. 2. Necatus eſt anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimoquinto. De eo etiam Molanus in addit. ad Vſuardum.

[g] Agapiti. ] De eodem Beda, & Vſuardus; licet mendosè Agabus, vel Agabius, legatur alicubi. De eodem Agapito Epiſcopo Syonadorum agit Suidas his verbis: Hunc Euſebius Pamphili multùm celebrat, mentionem faciens ingentium eius miraculorum, vt ſunt tranſlationes montium & fluminum, & mortuorum reſuſcitationes; quem, dum eſſet miles, Maximinus occidere voluit, quòd multos eius facta ſupra modum mirari videret. Hæc Suidas. Ex quibus apparet, librum nonum Euſebij, vbi de Maximino agitur, apud nos non haberi integrum, cùm hæc & alia multa ibi deſiderentur: niſi velis hæc ſcripſiſſe Euſebium non eo lib. hiſt. ſed in commentarijs quos de Martyribus ſe ſcripſiſſe teſtatur.

[h] Latini Epiſc. ] Tabulæ Brixianæ eccleſiæ de eodem. Ibidem nobile vetuſtatis monumentum extat, quo eiuſdem Latini eccleſiaſticæ functiones ſic deſcriptæ habentur: FL. LATINO EPISCOPO AN. III. M. VII. PRESB. AN. XV. EXORC. AN. XII. ET LATINILLÆ. ET FL. MACRIANO LECTORI. FL. PAVLINA NEPTIS B. M. P. Habes illud deſcriptum ab Aldo libro de orthograph. rar. pag 589.

[i] Seleuci. ] De eodem Beda & Vſuardus hac die: licet Beda ſimul iungat Seleucum & Agapitum, vel (vt mendosè legitur) Agabum. Habet alia lectio ſic; Seleuciæ S. Agapio. in quam lectionem cùm incidiſſem, in mentem venit Agapitus, aliàs Agapetus Epiſcopus Seleuciæ, qui interfuit SS. Nicæno Concilio, cui & ſubſcripſit. Verùm omnes ferè codices diſtinctum ponunt Agapitum à Seleucio, vt hîc legitur.

## vj. G Octauo Kalend. April. Luna. 25

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |

ANNVNTIATIO [a] beatiſſimæ Virginis genitricis Dei Mariæ. Romæ ſancti Quirini [b] martyris, qui ſub Claudio Imperatore poſt facultatum amiſſionem, poſt carceris ſqualorem, poſt multorum verberum afflictionem, gladio interfectus eſt, & in Tiberim proiectus: quem Chriſtiani in inſula Lycaonia inuenientes, in cœmeterio Pontiani condiderunt. Ibidem ſanctorum ducentorum [c] ſexagintaduorum martyrum. [d] Sirmij paſſio ſancti Irenæi [e] Epiſcopi & martyris, qui tempore Maximiani Imperatoris ſub Præſide Probo primùm tormentis acerrimis vexatus, deinde diebus plurimis in carcere cruciatus, nouiſſimè abſciſſo capite conſummatus eſt. Nicomediæ ſanctæ Dulæ [f] ancillæ cuiuſdam militis, quæ pro caſtitate ſeruanda occiſa, martyrij coronam promeruit. Ieroſolymis commemoratio ſancti Latronis [g], qui in cruce Chriſtum confeſſus, ab eo meruit audire: Hodie mecum eris in paradiſo. Laodiceæ ſancti Pelagij [h] Epiſcopi, qui ob fidem Catholicam tempore Valentis exilium & alia paſſus, quieuit in Domino. Piſtorij ſanctorum confeſſorum Barontij [i] & Deſiderij. In Antro inſula Ligeris fluminis

nis ſancti Hermelandi [k] abbatis, cuius glorioſa conuerſatio miraculorum præconio commendatur.

## MARTII 25.

ANNVNTIATIO [a]. ] Tam Latini quàm Græci de eadem ſolemnitate hac die agunt, vt conſtat ex omnibus Martyrologijs ac Menologijs. Sanctus Auguſtinus libro 4. de Trinitate cap. 5. hæc ait: Sicut à maioribus traditum, ſuſcipiens Eccleſiæ cuſtodit auctoritas, octauo Kalend. Aprilis conceptus creditur, quo & paſſus, &c. De eius diei celebritate, vt de re antiqua, mentio habetur in Sexta Synodo cap. 52. apud Theodor. Balſ. pag. 228. Extat inſignis oratio in ea ſolemnitate habita, quæ adſcribitur ſancto Athanaſio; quam tamen aliquando Cyrillo potiùs tribuendam putaui; cùm ibidem auctor tam acriter pugnet contra dogma Neſtorij, quem longè poſt Athanaſium vixiſſe conſtat. in eius orationis exordio hæc de ea celebritate leguntur: Primùm hoc memoriæ ſubijciendum, feſtum hoc vnum eſſe ex Dominicis feſtis, atque adeò primarium & prorſus venerandum, vtpote quod pro ordine & digeſtione rerum, quæ in Euangelijs de Chriſto prædicantur, ſacroſanctum habeatur: quippe in quo de Filij Dei è cælis deſcenſu agatur, &c. Extant inſuper de Annuntiatione Dominica duo ſermones ſancti Auguſtini, licet ipſorum poſterior ab aliquibus tribuatur ſancto Fulgentio: alij inſuper extant ſancti Petri Chryſologi. Scripſit ſanctus Ioannes Damaſcenus de eodem myſterio & ſolemnitate ſacrum hymnum. Extant & aliæ luculentæ orationes Heſychij presbyteri, & Andreæ Ieroſolymitani, tres Abſalonis abbatis, & totidem Guerrici abbatis Igniacenſis, & aliorum tam Græcorum, quàm Latinorum, quos omittimus recenſere. His omnibus longè antiquiorem prodidit ex ſuo antiquitatum promptuario Illuſtriſſimus ac Reuerendiſſ. Cardinalis Sirletus conſcriptam à ſancto Gregorio Thaumaturgo, quam eruditiſſimus R. D. Wilielmus Lindanus Epiſcopus Ruremundenſis, Romæ dum eſſet, ab eo acceptam, Latinitati donauit: eſt eius exordium: Hodie angelica acie hilariores ſplendeſcunt Dei laudes, &c. Extat præterea de eadem ſolemnitate feſtiua epiſtola Theodoreti 25. Agebatur olim in multis eccleſijs ea ſolemnitas ad xv. Kalend. Ianuarij; ea nimirum ex cauſa, quòd Quadrageſimæ tempus luctui potiùs & mœrori deberetur, vt apparet ex Concilio Laodicenſi cap. 51. idque Toletana decima Synodus in Hiſpania faciendum indixit can. 1. quod etiam in alijs eccleſijs agi conſueuiſſe teſtatur. De eadem ſolemnitate Ordo Rom. Sacramentarium ſancti Gregorij, alijque plures, qui agunt de diuinis officijs, vt Microlog. cap. 48. Radulf. cap. 16. ac ceteri.

[b] Quirini. ] De eo Beda, Vſuardus, Ado & alij. Extant eius res geſtæ in Actis ſancti Valentini presbyteri, apud Surium tom. 1. die 14. Februarij. Petrus item in catal. lib. 3. cap. 232.

[c] Ducentorum ſexagintaduorum martyrum. ] De his in vet. manuſcript. quibus aſſentitur Vincentius lib. 10. cap. 98. ſpec. hiſt.

[d] Sirmij. ] Erat Sirmium metropolis totius Illyrici, vt conſtat ex Concilio Aquileienſi tempore Gratiani Imperatoris celebrato: ſed deuaſtata ab Attila Hunnorum Rege illa regione, translatum eſt ius metropolis in eccleſiam Theſſalonicenſem; ac demum à Iuſtiniano Imperatore redacta eſt ſub Prima Iuſtinianca. Hæc habes in authent. conſt. eiuſdem Iuſtiniani Imperatoris tit. de priuileg. Primæ Iuſtinian. in addit. nouel. collat. 10. titulo 12. Olim autem lege Vatinia prouincia Illyrici iungebatur Galliæ Ciſalpinæ, vt auctor eſt Suet. in C. Iulio cap. 22. Perſeueraſſe aliquamdiu eam prouinciarum aggregationem, ex eo poteſt intelligi, quòd ſanctus Ambroſius electionem Sirmienſis Epiſcopi ſedulò curans, illuc profectus, ea in re ius præcipuum ſibi debitum vindicauit, vt conſtat ex Paulino in vita ſancti Ambroſij.

[e] Irenæi Epiſc. ] De eo etiam Beda, Vſuardus, Ado, & alij; Græci autem x. Kalend. Septembris in Menologio, vbi & certamen eius paucis deſcribitur, conſentiens Latinis in omnibus: Petrus item in catalog. lib. 3. cap. 229. de eo agit.

[f] Dulæ. ] Beda item, Vſuardus, Ado, & Petrus in catalog. libro 2. cap. 230. & alij recentiores.

[g] S. Latronis. ] Dimam hunc plerique appellant: ſed quoniam id ex apocryphis proditur, ea de cauſa hîc nomen proprium conſultò prætermiſſum videtur. De Cruce & Latrone extat homilia S. Ioannis Chryſoſtomi, & ſancti Ambroſij ſermones duo, 49. & 50. edit. Rom. Reperiuntur autem S. Dimæ Latronis nomine nonnulla ſacella dicata, & memoriæ erectæ eodem titulo.

[h] Pelagij Epiſcopi. ] De eo plura Theodoret. hiſt. lib. 4. cap. 12. & Nicephorus ex eo libro 11. cap. 21. Præſens fuit ſancto Concilio Antiocheno pro ſtabilienda Nicæna fide, vt ſcribit Sozom. lib. 6. cap. 4. & Nicephorus lib. 10. cap. 40. Interſuit etiam SS. Concilio œcumenico Conſtantinopolitano ſub Theodoſio Imperatatore, cui & ſubſcripſit, vt eius Synodi Acta demonſtrãt, & Nicephorus lib. 12. c. 11. Eius ſpectatiſſima fides Theodoſij Imp. ſanctione laudatur, & imitanda proponitur, L. 3. de fide Cathol. Cod. Theod.

[i] Barontij, & Deſiderij. ] Horum Acta è Piſtorienſi eccleſia Romam miſſa accepimus.

[k] Hermelandi. ] De eo Vſuardus hac die. Sigebert. in chron. recenſet eius obitum anno Domini ſexcenteſimo nonageſimo. Extant res geſtæ ipſius, quas recitat Surius tom. 2.

v. A Septimo Kalend. Aprilis. Luna. 26

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |

ROMAE via Lauicana ſancti Caſtuli [a] martyris, qui cùm eſſet Zetarius Palatij, & hoſpes ſanctorum, à perſecutoribus tertiò appenſus, tertiò auditus, in confeſſione Domini perſeuerans, miſſus eſt in foueam, & dimiſſa ſuper eum maſſa arenaria, martyrio coronatus eſt. Ibidem coronæ ſanctorum martyrum Petri [b], Marciani, Iouini, Theclę, Caſſiani, & aliorum. Pentapoli in Libya natalis ſanctorum martyrum Theodori [c] Epiſcopi, Irenæi diaconi, Serapionis & Ammonij lectorum. Sirmij ſanctorum martyrum Montani [d] preſbyteri, & Maximæ, qui ob Chriſti fidem in flumen demerſi ſunt. Item ſanctorum martyrum Quadrati [e], Theodoſij, Emmanuelis, & aliorum quadraginta. Alexandrię ſanctorum martyrum Eutychij [f], & aliorum, qui Conſtantij tempore ſub Georgio Epiſcopo Ariano pro fide Catholica gladio cæſi ſunt. Eodem die ſancti Ludgeri [g] Epiſcopi Monaſterienſis, qui Saxonibus Euangelium prędicauit. Cæſarauguſtæ in Hiſpania ſancti Braulij [h] Epiſcopi & confeſſoris. Treuiris ſancti Felicis [i] Epiſcopi.

## MARTII 26.

CASTVLI [a].] De eo Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Paſſus eſt tempore Diocletiani Imp. cuius Palatij Zetarius erat. Quid ſit Zeta, vnde Zetarius dicitur, ex Plinij epiſtol. lib. 2. epiſt. 7. & li. 6. epiſt. 5. explicat hîc Molanus: erat enim locus capax vnius lecti cum duabus ſellis, qui velis obductis & reductis modò adijciebatur cubiculo, modò auferebatur. Mentio habetur de Caſtulo Zetario in Actis S. Sebaſtiani martyris in fin.

[b] Petri & ſoc.] Reſtituti ſunt ex vet. manuſcrip. Agit de his etiam Galeſinus hac die.

[c] Theodori Epiſcopi & ſoc.] De his item Beda, Vſuardus, & alij. Pentapolitana prouincia, cuius hîc mentio habetur, dicta eſt, ſecundùm Plinium, etiam Cyrenaica, cuius frequens eſt mentio in epiſtolis Syneſij Epiſcopi, & in litteris Dionyſij Alexandrini apud Euſebium.

[d] Montani, & Maximæ.] Agunt de his Beda, Vſuardus, Ado, Wandelbert. & Petrus in catalog. lib. 3. cap. 233. Cùm autem Montanum & Maximam audis, ne quid tibi ſubrepat ob ſimilitudinem nominum, de Montano illo & Maximilla, qui fuerunt hęreſiarchę Cataphrygarum dogmatis: qui nec martyres occubuere; ſed (vt ſcribit Apollinaris Hierapolitanus Epiſcopus apud Euſebium lib. 5. cap. 15.) arrepti malo ſpiritu, ſibi ipſis laqueo mortem conſciuere: hi autem pro Chriſti fide certantes, in mare merſi ſunt.

[e] Quadrati & ſoc.] De his item hac die Gręci in Menologio.

[f] Eutychij & ſoc.] Agit de his martyribus ſanctus Athanaſius in epiſt. ad ſolit. col. 479. necnon in apolog. 2. col. 335. & 336. vbi Ægyptiorum Arianorum ſæuitiam, & conſtantiam, qua Catholici atrocia paſſi ſunt, pluribus ſcribit. Ægyptios inter furendum crudeliſſimos fuiſſe, ſcribit Polyb. lib. 15.

[g] Ludgeri Epiſc.] De eodem Beda, & Ado. Extant eius res geſtæ ſcriptæ à monachis Verdenenſibus, quas recitat Sur. tom. 2. Trithem. de viris illuſtr. ord. ſancti Benedicti lib. 3. cap. 196. & libro 4. cap. 187. Albertus Crantz. in Metrop. Saxon. lib. 2. cap. 16. & hiſt. Saxon. lib. 1. cap. 5. dictumque tradit Apoſtolum Saxonum. Claruit temporibus Caroli Magni Imperatoris. obijt autem anno Domini octingenteſimo nono.

[h] Braulij Epiſc.] Hic ſucceſſit Ioanni ſuo germano, ſeditque fermè annis viginti, temporibus Seſinandi, Chintillę, Tulgani, & Chindaſunti Regum, vt de eo ſcribit S. Ildefonſus lib. de vir. illuſt. Interfuit Cõcilijs Toletanis quarto, quinto, & ſexto, vt ex eorũ Actis apparet. Extant duę eius epiſtolæ ad S. Iſidorum, quatuor autem Iſidori ad ipſum ſcriptæ. Inuentum eſt venerandum corpus eius, reuelante ſancto Valerio Epiſcopo, anno

Domini

Domini 1270. tranſlatū reconditumq. ſolemniter fuit in eccleſia S. Mariæ Maioris. Hæc ex antiquis monumentis eiuſdem eccleſiæ Cæſarauguſtanæ, quæ Romam miſſa accepimus. De eo inſuper in floribus ſanct. & in theſauro conc. tomo 2.

[i] Felicis Epiſcopi. ] Duos eius nominis recenſet Marian. Scotus Epiſcopos Treuerenſes; Felicem primum, qui ſucceſſit Celſo, quem & martyrem fuiſſe ſcribit; alium item, qui tertius poſt ſanctum Paulinum ſedit, qui & temporibus Maximi tyranni adhęſit ſchiſmaticis: hi quidem, atque plerique alij, quos idem auctor recenſet, deſiderantur in tabulis Democharis, in quibus vnus tantùm recenſetur Felix, qui ſucceſſit Celſo, de quo hîc agi exiſtimamus: qui fortaſſe deſideratur in tabul. Treuerenſibus, eò quòd ſchiſmaticus fuit: id enim idem Marianus Scotus teſtatur anno Domini 379. de quo pariter agitur in Concilio Taurinano can. 5. Verùm qui cum Martino lapſus eſt, cum eodem pariter ſurrexit, & dignus eſt habitus, qui ſicut idem ſanctus Martinus, inter ſanctos receptus ſit.

## 27 Sexto Kalend. Aprilis. Luna. B iiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | | | |

DRIZIPARÆ in Pannonia ſancti Alexandri [a] militis, qui ſub Maximiano Imperatore poſt multos pro Chriſto agones ſuperatos, multaque miracula edita, martyrium capitis abſciſſione compleuit. Eodem die ſanctorum Phileti [b] ſenatoris, Lydiæ vxoris, & filiorum Macedonis & Theoprepidis: itemque Amphilochij ducis, & Cronidæ commentarienſis [c], qui pro Chriſti confeſſione cæſi ſunt. In Perſide ſanctorum martyrum Zanitæ [d], Lazari, Marotæ, Narſetis, & aliorum quinque, qui ſub Sapore Rege Perſarum ſæuiſſimè trucidati, martyrij palmam meruerunt. Saliſburgi ſancti Ruperti [e] Epiſcopi & confeſſoris, qui apud Bauaros & Noricos Euangelium mirificè propagauit. In Ægypto ſancti Ioannis [f] eremitæ, magnæ ſanctitatis viri, qui inter cetera virtutum inſignia etiam prophetico ſpiritu plenus, Theodoſio Imperatori victorias de tyrannis Maximo & Eugenio prædixit.

## M A R T I I 27.

ALEXANDRI [a]. ] De eo Vſuardus. De eius ſepulchro à Caiano profanato, & terribili vltione qua vltus eſt Deus ſceleſti hominis impietatem, lege hiſt. Miſcellā, quę fertur nomine Pauli diac. lib. 17. in anno duodecimo & decimooctauo Mauritij Imp.

[b] Phileti & ſoc. ] Agunt de his Græci hac die in Menologio, paſſique referuntur ſub Hadriano Imperatore.

[c] Commentarienſis. ] Qui ſint Commentarienſes, in L. De his. C. de cuſtodia reorū, declaratur his verbis: Niſi intra triceſimum diem ſemper Commentarienſis ingeſſerit numerum perſonarum, varietatem delictorum, clauſorum ordinem, ętatemq. vinctorum: officium viginti auri libras ærario noſtro iubemus inferre, &c. Spectabat ad eumdem vinctorum cuſtodia, vt L. Commentarienſem. C. eod. Eſt inſuper & aliud genus Commentarienſium; vt illi, quibus commentarij Imp. committebantur: eorum etenim manu Acta apud Fiſcum ſubſcribi ſolebāt, vt Paulus L. In fraudē. §. A debitore. ff. de iure Fiſci. Repetitur etiam Commentarienſis nomen eſſe ordinis & promotionis in militia caſtrenſi, ſicut Princeps, Accenſus, & Cornicularius, de quo Aſcon. in orat. 3. in Verrem: eoque ſenſu accipitur in L. 1. C. ad leg. Iul. de ambit. De eodem & Cælius Rhodig. antiq. lect. lib. 17. cap. 10. Dicti reperiuntur in caſtrenſis militię ordine Commentarienſes Actarij, ſeu Actuarij, quorum pitacijs & ſchedulis erogabatur militaris annona: de quibus eſt mentio L. 11. 13. & 16. C. de erog. milit. annon. & L. 15. de numerarijs. Cod. Theod. De Actar. in antiqua inſcriptione ſic: ACTARIVS LEG. VII. &c. apud Aldum de orthograph. pag. 339.

[d] Zanitæ, & ſoc. ] Item Græci. Porrò horum martyrij Acta iuncta habentur rebus geſtis ſanctorum Ionæ & Barachiſij, apud Metaphraſten, quæ recitat Lipom. tom. 7.

[e] Ruperti Epiſcopi. ] Extant eius præclaræ



Google

res geſtæ, quas retulit Sur. in tom. 2. Floruit temporibus Childeberti Secundi Regis Francorum, & Theodoberti eius filij. Hic Bauariæ Apoſtolus dici meruit. De eodem plura in Annal. Boiorum. Fuit & ſanctitate conſpicua eius neptis nomine Erentrudis abbatiſſa, de qua Trith. de vir. illuſtr. ord. S. Bened. lib. 3. cap. 206. cuius dies natalis agitur prid. Kal. Iulij.

f Ioannis eremitæ. ] Agunt de eo hac die Beda, ac ceteri Latinorum, Græci autem Idibus Decembris. Egregia eius ſanctitas meruit clariſſimorum virorum ſcriptionibus illuſtrari. Scribit enim de eo S. Hieronymus ad Cteſiphontem contra Pelagianos, S. Auguſtinus de ciuit. Dei lib. 5. cap. 26. & de cura agenda pro mort. cap. 17. Rufin. hiſt. lib. 2. c. 32. Theod. hiſt. lib. 5. c. 24. Sozom. lib. 7. c. 22. Euagrius in vit. patr. cap. 1. Nicephorus lib. 12. c. 29. Proſper Aquit. in chron. Arcadio tertiùm & Honorio ſecundùm Coſſ. Caſſiod. trip. lib. 9 cap. 55. hiſt. Miſcel. lib. 13. in Theodoſio, & Palladius in Lauſiacis c. 22. qui eum vidit, & familiariter vſus eſt.

iij. C Quinto Kalend. April. Luna. 28

| | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | | | |

CÆSAREÆ in Palæſtina natalis ſanctorum martyrum Priſci [a], Malchi, & Alexandri: qui in perſecutione Valeriani cùm in ſuburbano agello ſupradictæ vrbis habitarent, atque in ea cæleſtes martyrij proponerentur coronæ, diuino fidei calore ſuccenſi, vltrò Iudicem adeuntes, cur tantum in ſanguinem piorum deſæuiret, obiurgant: quos ille continuò pro Chriſti nomine beſtijs tradidit deuorandos. Tarſi in Cilicia ſanctorum martyrum Caſtoris [b] & Dorothei: Item ſanctorum Phileti [c] & ſociorum, qui ſub Hadriano Imperatore martyrium ſuſceperunt. In Africa ſanctorum martyrum Rogati [d], Succeſſi, & aliorum ſexdecim. Romæ S. Sixti [e] Tertij Papæ & confeſſoris. Apud Nurſiam ſancti Spei [f] abbatis, miræ patientiæ viri, cuius anima cùm ex hac vita migraret, in columbæ ſpecie à cunctis fratribus viſa eſt in cælum aſcendere. Cabilone in Gallijs depoſitio ſancti Gunthramni [g] Regis Francorum, qui ſpiritalibus actionibus ita ſe mancipauit, vt relictis ſæculi pompis, theſauros ſuos eccleſijs & pauperibus erogaret.

MARTII 28.

a PRISCI [a], Malchi, & Alexandri. ] De his hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Agit de his Euſeb. hiſt. lib. 7. cap. 11. Niceph. lib. 6. c. 11. atque ex eodem Euſebio ceteri recentiores.

b Caſtoris & Dorothei. ] Vſuardus etiam de his hac die, conſentiuntque vet. manuſcripta.

c Phileti & ſoc. ] Agunt de ijſdem Græci in Menologio, vbi & nomina reliquorum habentur expreſſa, nimirum Lydiæ vxoris eius, Macedonij & Theoprepidi filiorum, Amphilochij ducis, & Chronidæ commentarienſis.

d Rogati & Succeſſi. ] Agit de his Beda hac die. Leguntur in Synodica ad Cornelium Papam eorumdem nominum Epiſcopi Africani apud Cyprian. epiſt. 54. Extat & epiſt. 82. Cypriani ad Succeſſum de perſecutione nuper excitata per Valerianum Imperatorem. An autem ijdem ſint, non audeo affirmare.

e Sixti Tertij. ] De eo hac Beda, Ado, & alij. Præter ea quę de ipſo habentur in libro de Rom. Pont. alia plurima hinc inde expiſcati digeſſimus in Annalibus Eccleſ. idcircò ex inſtituto noſtro hìc breuiores ſumus: cùm alioqui eius res geſtæ ſint ampliſſimæ, quæ volumine prægrandi potiùs, quàm breui annotatione indigeant.

f Spei abb. ] Scribit eius inſignes virtutes S. Gregorius Papa lib. 4. dialog. cap. 10. vnde accepta hæc ſunt, quæ hìc de eo ſunt poſita.

g Gunthramni Regis. ] De eo hac die Beda, Vſuard. Ado, & alij. Scribit de eo Gregorius Turon. de glor. martr. cap. 76. & in hiſt. de geſtis Franc. lib. 4. c. 24. & ſequen. Paulus diaconus de geſtis Longobard. lib. 3. cap. 17. Petrus in catal. lib. 4. cap. 8. Obijt idem (vt ſcribit Sigebertus in

chron.

chron. anno Domini quingenteſimo nonageſimoſeptimo. De eius miraculis, cùm adhuc viueret, agit Greg. Turon. hiſt. Franc. lib. 9. c. 21. Moritur anno 33. ſui regni, ſepultuſque fuit in baſilica ſancti Marcelli, quam in ſuburbano Cabilonenſi erexit.

## 29 Quarto Kal. Aprilis. Luna. D ij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | | | |

IN Perſia ſanctorum martyrum Ionæ [a] & Barachiſij, ſub Sapore Rege Perſarum: quorum Ionas preſſus in cochlea, confractis oſſibus, medius diſſectus eſt; alter, oppletis faucibus, pice ardenti ſuffocatus. Heliopoli apud Libanum ſancti Cyrilli [b] diaconi & martyris, cuius iecur diſciſſo ventre auulſum Gentiles ſub Iuliano Apoſtata feraliter depaſti ſunt. Nicomediæ paſſio ſanctorum martyrum Paſtoris [c], Victorini, & ſociorum. In Africa ſanctorum confeſſorum Armogaſtis [d] Comitis, Maſculæ [e] Archimimi, & Saturi regiæ domus procuratoris, qui tempore VVandalicæ perſecutionis ſub Geiſerico Rege Ariano pro cõfeſſione veritatis multa & grauia perpeſſi ſupplicia atque opprobria, curſum glorioſi certaminis impleuerunt. In vrbe Aſtenſi ſancti Secundi [f] martyris. In monaſterio Luxouienſi depoſitio ſancti Euſtaſij [g] abbatis, diſcipuli ſancti Columbani, qui fermè ſexcentorum monachorum Pater fuit, & vitæ ſanctitate conſpicuus, etiam miraculis claruit.

## MARTII 29.

IONÆ & Barachiſij [a].] Habentur eorum Acta ſinceriſſima, ſcripta ab Iſaia Adami filio, qui præſtò fuit: deſcripſit eadem Lipoman. tom. 7. & Sur. tomo 2.

[b] Cyrilli diaconi.] Agunt de eodem Græci hac die in Menologio. Scribit eius certamẽ Theodoretus hiſt. lib. 3. c. 6. item & Suidas in hiſt. Addunt Græci & Marcum Epiſcopum Arethuſium, quem ſub eodem Iuliano Apoſtata multa grauiaque paſſum tradunt Greg. Nazian. orat. prima in Iulianum, Theodoret. vbi ſuprà cap. 6. Caſſiod. trip. lib. 6. c. 12. & alij. At Romana Eccleſia non recipit Marcum illum inter ſanctos, quem conſtat Arianum fuiſſe, & Arianorum anteſignanũ. Decepit nonnullos Gregorij Nazianzeni de ipſo elogium. porrò eum laudandi alia fuit eius ratio: ipſe enim aduerſus Apoſtatam duabus illis orationibus acerrimè inuectus, illorum omnium Chriſtianorum virtutes obijcit & exprobrat, quos ille fuerat inſecutus; adeò vt eadem ex cauſa etiam Conſtantium Auguſtum Arianum in cælum ferre illius comparatione viſus ſit. An autem Marcus Arethuſius ad Catholicam Eccleſiam ſit reuerſus, nullum eſt teſtimonium: immò contrarium potiùs videtur: nam in Concilio Antiocheno poſt interitum Iuliani habito temporibus Iouiniani Auguſti, in quo Arianorũ anteſignani, more ſuo cum Principe mutantes & fidem, cantarunt palinodiam; nulla prorſus de Marco Arethuſio mentio habetur in illa ſerie Epiſcoporum, quam recenſet Socrat. libro 3. cap. 21. & Sozom. libro 6. cap. 4. Quod autem ſpectat ad ſæuiſſimam rabiem Heliopolitanorum aduerſus Chriſtianos exercitam; idem Iulianus Apoſtata, in cuius gratiam hæc omnia agebantur, hæc habet in Miſopogone: Hi deorum templa quamprimùm reſtituerunt; ſepulchra verò atheorum omnia, ſigno à me nuper dato, euerterunt, ita clari & erecti animis, vt ſcelera eorum, qui deos violarunt, acriùs etiam, quàm mea ferebat voluntas, vindicarint. Hæc Iulianus Apoſtata Imp.

[c] Paſtoris & ſociorum.] Agunt de his etiam Maurolycus, & Galeſinus: adſtipulantur & vet. manuſcrip.

[d] Armogaſtis Comitis.] De eo item Beda, Vſuardus, & Ado. Scripſit eius Acta Victor lib. 1. de perſecut. Wandal. in fine.

[e] Maſculæ Archimimi.] Alia lectio ex vetuſto Victoris exemplari ſic habet: Archimimi Maſculani: quaſi ex Maſcula ciuitate nobiliſſima in Africa: quæ lectio magis arridet Molano in annotat. ad Vſuardum ſecundæ edit. Probarem eamdẽ, ſi perſuadere mihi aliquis poſſit, Archimimum fuiſſe aliquando nomen proprium Chriſtiani alicuius: nam ſi ſcenici, & hiſtriones, & alij

id generis non admittebantur ad ſacrum baptiſma, niſi priùs eadem ludicra exercitia abdicaſſent; quomodo inſignis obſcœnitatis nomen cum baptiſmate non ablutum fuiſſet atque mutatum? Itaque magis placet, vt ſecundùm magis communem lectionem, hic Maſcula dictus ſit proprio nomine, cognomento Archimimus: fortaſſe ea de cauſa, quòd eam artem aliquando exercuiſſet, & nomen inde acceptum (vt accidit in his, quæ aliorum pendent arbitrio) numquam potuerit abolere. Niſi magis placeat lectio Cochleanæ editionis, vbi non Archimimus, ſed Archiminus legitur; cui lectioni benè arridet & Maſculanus. Agit de Maſcula & Saturo idem Victor lib. 1. in fine.

[f] Secundi.] In Actis S. Marciani Epiſcopi Dertonenſis plura habétur de eo; recitat ea Mombrit. tom. 2. vit. ſanct. Petrus in catalogo li. 4. c. 12. Legimus Acta eius perbreuia, paſſumque vidimus tempore Hadriani ſub Sapritio Vicario. Delata ſunt ad nos etiam ab eccleſia Aſtenſi de eiuſdem martyris manifeſtatione & tranſlatione authentica ſcripta, quæ apud nos aſſeruantur. Fuit & alius item Secundus, qui paſſus eſt temporibus Diocletiani, quinto Kalend. Septembris, cuius res geſtas habet idem Mombrit. tom. 2. agitque de tranſlatione corporis eius Taurinum facta.

[g] Euſtaſij abb. aliàs Euſtatij, vel Euſtachij.] De quo Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Scripſit vitam eius Ionas Abbas, quam habes apud Bedam tom. 3. & Surium tom. 2. licet eam nonnulli Bedæ adſcripſerint; ſed auctorem eſſe Ionam, teſtatur Sigebertus de vir. illuſtr. c. 61. qui agit de eodem in chron. anno Domini 624. & Trithem. de vir. illuſtr. ordinis ſancti Benedicti lib. 3. cap. 70.

## j. E Tertio Kalend. April. Luna. 30

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | | | |

ROMÆ via Appia paſſio beati Quirini [a] Tribuni, qui à ſancto Alexandro Papa, quem habebat in cuſtodia, cum omni domo ſua baptizatus eſt, & ſub Hadriano Imperatore traditus Aureliano Iudici, cùm in confeſſione fidei perſiſteret, poſt linguæ abſciſſionem, equulei ſuſpenſionem, manuumque ac pedum detruncationem, agonem martyrij gladio conſummauit. Theſſalonicæ natalis ſanctorum martyrum Domnini [b], Victoris, & ſociorum. Conſtantinopoli commemoratio ſanctorum plurimorum [c] martyrum Catholicæ communionis, quos Conſtantij tempore Macedonius hæreſiarcha inauditis tormentorum generibus cruciatos occidit: nam inter cetera, fidelium mulierum vbera inter labra arcarum compreſſa diſſecuit, & candenti ferro combuſſit. In caſtro Siluanectenſi depoſitio ſancti Reguli [d] Arelatenſis Epiſcopi. Aureliani in Gallia ſancti [e] Paſtoris Epiſcopi. Syracuſis ſancti Zoſimi [f] Epiſcopi & confeſſoris. In monte Sina ſancti Ioannis [g] Climaci abbatis. Apud Aquinum ſancti Clinij [h] confeſſoris.

## MARTII 30.

QVIRINI [a].] De eo Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Habentur eius res geſtæ in Actis ſancti Alexandri Rom. Pontif. apud Sur. tom. 3. die 3. Maij, ex quibus ceteri acceperunt. Cùm autem paſſus dicatur vltimo Traiani anno, mendum ineſſe certum eſt; cùm non ſub Traiano, ſed anno decimotertio Hadriani martyrio coronatus ſit, vt diximus in Annalibus.

[b] Domnini & Vict.] Vſuardus de his etiam, Beda autem de Domno & alijs ab his diuerſis. De Domnino Theſſalonicenſi, de quo hîc agitur, Græci habent ad Kalend. Octobris in Menologio, vbi eius Acta ſummatim complexa narrantur; paſſumque ferunt in perſecutione Maximiani Imp. Agunt itidem de Domnino Theſſalo, qui Nicomediæ primùm, inde in Meſopotamia grauiſſima paſſus eſt.

[c] Sanctorum plurimorum martyrum.] Crudeliſſimas carnificinas Macedonij hæreſiarchæ in Catholicos ſcribit Socrat. hiſt. libro 2. cap. 12. vbi ait ad ter mille & centum quinquaginta eius factione necatos eſſe: idem cap. 30. Sozom. libro 3. cap. 8. Metaphraſtes in Paulo

Epiſcopo

Epiſcopo Conſtantinopolitano, vj. Nouemb. apud Lipom. tomo 6. Appoſitè hîc additum videtur, Communionis Catholicæ; quoniam & Nouatiani hæretici, cùm & ipſi ſanctiſſimæ Trinitatis in diſtinctione perſonarum conſubſtantialem Deitatem profiterentur, ab eodem Macedonio grauia paſſi ſunt. Agit de his martyribus etiam Suidas in hiſtoricis, verbo, Macedonius.

[d] Reguli. ] De eo Vſuardus. Ferunt hunc fuiſſe diſcipulum ſancti Ioannis Apoſtoli. Habet eius res geſtas Mombritius tomo 2. Antoninus 1. par. tit. 28. §. 2. Petrus in catalogo lib. 4. c. 15. Adſcribitur hic ſecundus eius ſedis Epiſcopus, ſubrogatus ſancto Trophimo.

[e] Paſtoris Epiſcopi. ] De eo apud Adonem. Agit de eodem Petrus in catalogo libro 12. numero 104. & Maurol. hac die.

[f] Zoſimi Epiſcopi. ] Agunt de eodem Græci hac die in Menologio.

[g] Ioannis Climaci. ] Græci item de eo in Menologio hac die. Scripſit res geſtas eius Daniel monachus, quas recenſet Sur. tomo 2. Porrò animæ illius diuina quædam effigies multò clariùs perſpicitur in eius ſcriptis. Vixit non longè poſt tempora Iuſtiniani Imp. ac poſt S. Sabam abbatem, cuius ea quæ ſcribit, aliquando confirmat auctoritate.

[h] Clinij. ] De eo antiqua monumenta eccleſiæ Aquinatis, nobis communicata à R. D. Flaminio Philonardo eius ſedis Epiſcopo.

## 31 Pridie Kalendis Aprilis. Luna. F *

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 |

THECVÆ in Palæſtina ſancti Amos [a] Prophetæ, quem Amaſias ſacerdos frequenter plagis afflixit, & filius eius Oſias vecte per tempora transfixit: qui poſteà ſemiuiuus in patriam deuectus, ibidem expirauit, ſepultuſque eſt cum patribus ſuis. In Africa ſanctorum martyrum Theoduli [b], Aneſij, Felicis, Corneliæ, & ſociorum. In Perſide ſancti Beniamin [c] diaconi, qui cùm Dei verbum non deſiſteret prædicare, ſub Iſdegerde Rege vnguibus arundinibus acutis confixus, & ſpinoſa ſude per aluum tranſmiſſa, martyrium conſummauit. Romæ ſanctæ Balbinæ [d] virginis, filiæ beati Quirini martyris, quæ à ſancto Alexandro Papa baptizata, poſt deuictum huius ſęculi curſum ſepelitur via Appia iuxta patrem ſuum.

## MARTII 31.

AMos Prophetæ [a]. ] Vſuardus etiam de eo agit hac die. Vitam eius ſcribit ſanctus Epiphanius libro de vit. & interit. Prophet. cap. 12. De eo item Hieron. in procem. in Amos, & in Iſaiam cap. 1. vbi ait alium hunc fuiſſe ab eo quem Iſaiæ Prophetæ patrem fuiſſe ipſe ſcribit cap. 1. cùm (vt ait) nec nomen idem ſit apud Hebræos. De eodem apud S. Iſid. de vit. & mort. ſanct. cap. 43. & Doroth. in ſynopſi cap. 2.

[b] Theoduli & ſociorum. ] Vſuardus mendosè legit Diodolum: Beda agit tantùm de Aneſio. De his etiam Wandelbertus, adſtipulanturque vet. manuſcripta.

[c] Beniamin diaconi. ] Græci de eodem hac die in Menologio, celebrantque ſimul natalem ſancti Abdæ Epiſcopi & ſociorum Perſarum. Scribit de his Theodoretus hiſt. libro 5. cap. 38 & ex eo Nicephorus libro 14. cap. 20. Concitata eſt hæc perſecutio ab Iſdegerde Rege Perſarum in fine regni ipſius, vt idem Theodoretus ſcribit lib. 5. cap. 38. licet dicat Socrat. lib. 7. cap. 18. hanc perſecutionem factam eſſe ſub Bararane eius filio. Sed verius videtur, cœptam eſſe ſub Iſdegerde Rege, & ſub eius filio auctam, vt ſcribit Cyrillus monachus in Euthymio. Marcellinus in chron. inchoatam hanc refert Theodoſio nonùm & Conſtantio tertiùm Coſſ. eſt is annus à Chriſto quadringenteſimus vigeſimus: eamque annis triginta perduraſſe ſcribit Theodoretus li 5. cap. 38. Meminit eiuſdem perſecutionis S. Auguſtinus de ciuitate Dei lib. 18. cap. 12.

[d] Balbinæ. ] Beda, Vſuardus, Ado, & alij omnes de ea hac item die. Acta eius intexta ſunt in rebus geſtis ſancti Alexandri Papæ, apud Surium tom. 3. die 3. Maij. Ex quibus plures qui de eadem ſcripſere, quos non numeramus, acceperunt. Antiquus eſt Romæ titulus ſanctę Balbinæ, cuius mentio eſt in Romana Synodo ſub Gregorio Papa, in eius regiſtro lib. 4. epiſt. 44. Indict. 13.

# APRILIS.

xix. G Kalendis Aprilis. Luna. 1

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | | | |

ROMÆ paſſio ſanctæ Theodoræ[a] ſororis illuſtriſſimi martyris Hermetis, quæ ſub Hadriano Imperatore ab Aureliano Iudice affecta martyrio, ſepulta eſt iuxta fratrem ſuum via Salaria, non longè ab Vrbe. Eodem die ſancti Venantij[b] Epiſcopi & martyris. In Ægypto ſanctorum martyrum[c] Victoris & Stephani. In Armenia ſanctorum martyrum Quinctiani[d] & Irenæi. Conſtantinopoli ſancti Macarij[e] confeſſoris, qui ſub Leone Imperatore pro aſſertione ſanctarum imaginum in exilio vitam finiuit. Gratianopoli ſancti Hugonis[f] Epiſcopi, qui multis annis in ſolitudine vitam exegit, & miraculorum gloria clarus migrauit ad Dominum. Apud Ambianum ſancti VValerici[g] abbatis, cuius ſepulchrum crebris miraculis illuſtratur.

## APRILIS 1.

THEODORÆ [a]. ] De ea item hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Certamen eius habetur in Actis S. Alexandri Papæ, apud Surium tom. tertio, die tertia Maij.

[b] Venantij Epiſcopi. ] Beda etiam, Vſuardus, Ado, ac ceteri; licet nullus dicat, cuius fuerit ciuitatis Epiſcopus, vel quo tempore paſſus ſit. Corpus eius aſſeruatur in oratorio, quod dicitur ſancti Venantij, apud Baptiſterium Conſtantini, vnà cum corporibus ſancti Domnionis Epiſcopi & aliorum ſanctorum martyrum, quorum omnium dies anniuerſaria agitur hoc eodem menſe, tertio Idus Aprilis. Cùm autem ea omnia tranſlata fuerint è Dalmatia & Iſtria à Ioanne Papa Quarto; par eſt credere, ſanctum Venantium alicuius illarum prouinciarum ciuitatis fuiſſe Epiſcopum. Extat ibidem in apſide, ſicut & ceterorum, imago eiuſdem S. Venantij muſiuo opere compacta. Hæc in monumentis SS. eccleſiæ Lateranenſis. Claruit in Africa alius Venantius Thyniſæ Epiſcopus, titulo confeſſionis illuſtris, qui interfuit Concil. Carthaginenſi ſub Cypriano, vt conſtat ex illius Synodi Actis.

[c] Victoris & Stephani. ] Vſuard. de ijſdem hac die. Licet hi conueniant nomine, cenſentur tamen diuerſi à Victore & Corona, de quibus idem Vſuard. agit pridie Idus Maij: nam hi in Ægypto, illi in Syria paſſi leguntur.

[d] Quinctiani & Irenæi. ] Agunt de his hac die Græci etiam in Menologio.

[e] Macarij. ] Græci item de eo in Menologio hac die, ibique illius tum fortia certamina pro fide Orthodoxa ſuſcepta, tum etiam miracula paucis narrantur.

[f] Hugonis Epiſc. ] Hunc egregium ſanctitate virum Innocentius Papa Secundus retulit inter ſanctos, mandauitq; Guidoni Carthuſiæ Priori, vt eius res geſtas conſcriberet: habentur ipſæ apud Surium tom. 2. Eſt autem hic ille Guido, ad quem extant ſcriptæ duæ epiſtolæ S. Bernardi, 11. & 12. vbi plura de laudibus Carthuſianorum. Inuiſit aliquando idem Bernardus Hugonem, quo ſicut familiariſſimè, ita etiam honorificentiſſimè vſus eſt, vt conſtat ex vita ſancti Bernardi lib. 3. cap. 1. Plura de eodem in vita ſancti Brunonis apud Surium tom. 5. die octaua Octobris. Petrus Cluniac. lib. 2. cap. 28. Vincentius lib. 27. c. 8. & 12. Petrus Surius de vit. Carthuſianorum, & alij.

[g] VValerici abb. ] De eo hac item die Beda, Vſuard. autẽ tertio Idus Decemb. Extant Acta ipſius apud Sur. tom. 2. Scriptam fuiſſe vitam eius à Rangiberto abbate, tradit Molanus in annotat. ad Vſuardum: idem inſuper ab incerti nominis ſcriptore eius res geſtas narratas teſtatur. De eo item Vincentius lib. 23. cap. 23. & 24. Petrus in catalog. lib. 4. c. 21. Trithemius de vir. illuſtr. ordinis ſancti Benedicti lib. 3. cap. 78. Fuit hic diſcipulus ſancti Columbani, vixitque circa annum Domini ſexcenteſimum vigeſimum.

Quar-

## 2 Quarto Nonas Aprilis. Luna. A xxviij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | | | |

SANCTI Franciſci [a] de Paula, ordinis Minimorũ inſtitutoris, quem virtutibus & miraculis clarũ Leo X. Sanctorum numero [b] adſcripſit. Cæſareæ in Paleſtina natalis S. Amphiani [c] martyris, qui in perſecutione Maximini cùm Vrbanum Præſidem idolis immolantem arguiſſet, ſeſè dilaniatus, ac pedibus lino in oleum intincto, eoq; incenſo obuolutis [d], acerbiſſimè cruciatus, demum in mare demerſus, tranſiens per ignem & aquam, eductus eſt in refrigerium. Ibidem paſſio ſanctæ Theodoſiæ [e] virginis Tyriæ, quæ in eadem perſecutione cùm ſanctos confeſſores ante tribunal ſtantes publicè ſalutaſſet, atque rogaſſet, vt cùm ad Dominum perueniſſent, ſui recordarentur, à militibus tenta, & ad Vrbanum Præſidem ducta, eius iuſſu lateribus & mammis ad interiora vſque dilaniatis, in mare tandem proijcitur. Lugduni ſancti Nicetij [f] eiuſdem vrbis Epiſcopi, vita & miraculis clari. Apud Comum ſancti Abundij [g] Epiſcopi & confeſſoris. Apud Lingones ſancti Vrbani [h] Epiſcopi. In Palæſtina depoſitio ſanctæ Mariæ [i] Ægyptiacæ, quæ Peccatrix appellatur.

## A P R I L I S 2.

[a] FRANCISCI de Paula [a].] Huius præclaræ res geſtæ expreſſæ habentur in bulla canonizationis eius data à Leone X. Rom. Pont. quam retulit Surius tom. 2. Porrò ſingula eius Acta miraculaque à Dauid Romeo Neapolitano Latino ſermone copioſiſſimè ſunt conſcripta, & Italicè à R.P. Paſſarino ordinis Minim. Generali. Migrauit vir ſanctus ex hac vita anno Dom. 1507. Nonnulla de ipſo habes in theſ. con. tomo 2. Anno autem Domini 1586. auctoritate S. D. N. Sixti PP. V. idem ſanctus illatus eſt in Kalendarium Romanum cum officio duplici. Extant de his litteræ Apoſtolicæ.

[b] Sanctorum numero adſcripſit.] Conſtat quidem, peruetuſtum fuiſſe morem in Eccleſia Catholica, vt nullus, nec martyr quidem, abſque aliqua præuia diſcuſſione & approbatione, inter Sanctos recenſeretur, quos pietas Chriſtiana, more maiorum, colere cõſueuit. Quod enim ad martyres ſpectat; eſt de ea re egregius locus Opt. Mileuitani l. 1. aduerſus Parmenianum, cùm de Lucilla potenti ac factioſa femina Donatiſtarum patrona hęc ait: Cùm correctionẽ archidiaconi Cæciliani ferre nõ poſſet, quę ante ſpiritualem cibum & potum os neſcio cuius martyris, ſi tamen martyris, libare dicebatur: & cùm præponeret calici ſalutari os neſcio cuius hominis mortui, etſi martyris, ſed nondum vindicati; correpta, cum confuſione irata diſceſſit, &c. Quibus planè Optatus ſignificat, nefas fuiſſe venerari reliquias martyris alicuius non vindicati, hoc eſt, nondum probati & recepti. Moris enim erat, vt cùm aliquis martyrio occubuiſſet, Epiſcopus, ſub cuius ditione id accidiſſet, rem geſtam ſcriberet ad Primatem Epiſcopum; à quo maturè, adhibitis in conſilium collegis Epiſcopis, an inter martyres eſſet recipiendus, decernebatur. Cuius rei ritum & ordinẽ ſatis monſtrant ea quæ S. Auguſtinus ſcribit in breuic. coll. diei 3. c. 13. dum habet, quòd Secundus Tigiſitanus Epiſcopus in Numidia ſcripſit ad Menſurium Epiſcopum Carthaginenſem de his qui in ea prouincia tunc feliciter martyrio occubuiſſent, eò quòd ſacros codices, iuxta Diocletiani edictum, tradere noluiſſent: quos omnes martyrũ honore & cultu eſſe dignos, ille reſcripſit. Qui idem Menſurius alijs quibuſdam paſſis, nomen martyris & venerationem deferẽdam eſſe, certis ex cauſis negauit, vt ibid. c. 13. idem teſtatur: quinam autem hi eſſent, ſubdit his verbis: Quidam etiam in ea epiſtola facinoroſi arguebantur, & fiſci debitores, qui occaſione perſecutionis vel carere vellẽt onerosa multis debitis vita, vel purgare ſe putarent, & quaſi abluere facinora ſua, vel certè acquirere pecuniam, & in cuſtodia delicijs perfrui de obſequio Chriſtianorum, &c. Hi etenim (vt paulò ſuperiùs ibidem dicitur) his ex cauſis ſe offerebant perſecutoribus non rogati, vltroq. dicebant, ſe habere ſacras ac diuinas ſcripturas, quas tradituri non eſſent: quos ipſos Menſurius inter martyres recenſeri vetuit. quod quidem Donatiſtas offendit: qui

in

in eumdem Africę Primatem, ac etiam in eius archidiaconum inuidiam & odium concitarũt. Sed de his aliàs. Erat autem pernecesſaria huiuſmodi de martyribus inquiſitio, nõ tantùm ob prędictas cauſas: ſed quoniam & hęretici atque ſchiſmatici aliquando pro Chriſti nomine à perſecutoribus tormẽta pati videbantur & morĩ; & quidem ipſis ferè naſcentis fidei exordijs, cùm omnia martyrum ſanguine redundarẽt, vt ſcribit Euſeb. hiſt. li. 4. c. 14. prope finem, li. 5. c. 15 & li. 8. c. 20. in fine, & S. Auguſtinus de Donatiſtis ſæpè teſtatur: quos omnes, vt alienos à fide & cõmunione Catholica, Dei Eccleſia reſpuere conſueuit; cùm ex ſententia Cypriani, & Auguſtini, omniumq. Orthodoxorum, quidquid aliquis extra Eccleſiã patitur, non martyrium cenſendum, ſed dicenda ſit pœna perfidiæ. Hæc de his quæ ſpectant ad martyres. Poſſumus ex his inferre: Si de illis qui pro Chriſto occidebãtur, tamen de eorum fide & charitate, ſine qua nihil prodeſt, etiam ſi det quis corpus ſuum ita vt ardeat, tam exquiſitam perueſtigationẽ haberi moris fuit; ſanè mirum videri non debet, ſanctam Dei Eccleſiam veritatis columnam maius ſtudium, multoq. exactiorem diligentiam adhibere ſolitã in adſcribendo ceteros Sanctorum numero. Vt & meritò tanti ponderis negotium non Primati, vel Patriarchę alicui, ſed ipſi tantùm Romano Pontifici, pro ſumma ei à Chriſto Domino in beatiſſimo Petro Apoſtolo tradita poteſtate, ſit creditum. De his ſatis: nam de canonizatione Sanctorum ſcimus commentarios eſſe editos, alioſque complures, tam ſacros Theologos, quàm Canonici iuris conſultos de his agere; quos conſulat, qui cetera auidiùs cupit.

[c] Amphiani.] Beda de eodem hac die; ſed tamen perperàm hunc iungit cum alijs quos ponit in Africa: niſi fortaſſe ille, de quo agit, ſit alius ab iſto. Vſuardus & Ado de eodem Nonis Aprilis: apud quos etiam mendosè legitur, Apud Cæſaream Lyciæ; cùm potiùs apud Cæſaream Palæſtinæ metropolim, atque hac die martyrem effectum, teſtetur Euſebius eiuſdem ciuitatis Epiſcopus lib. 8. c. 14. & 15. recenſeatq. inter eos martyres, qui paſſi ſunt anno tertio perſecutionis Diocletiani Imp. Græci autem de eodem in Menologio hac die, & Metaphraſtes; licet de Lycia & ipſe (vt diximus) errare videatur.

[d] Obuolutis.] Hoc genus cruciamenti ſpeciem quamdam pręſefert tormenti illius acerbiſſimi, quod veteres dicebant Tunicam moleſtam: quæ ignium alimentis illita & intexta (vt Seneca docet epiſt. 14.) ac mox ſuccenſa, cruciabiliter obuolutos nocentes, qui ſceleris comperti grauioris forent, amburebat. Eſt & Iuuenalis ſatyra 8. de tunica moleſta is verſus:

*Auſi quod liceat tunica punire moleſta.*

[e] Theodoſię.] De eadem tam Latini, quã Gręci hac die; apud aliquos autem mendosè Theodora pro Theodoſia legitur. Irrepſit error apud nonnulla Martyrologia, vt loco Cęſareę Palęſtinę, ponatur Cęſarea Cappadociæ: rati ſunt enim auctores illorum, diuerſam eſſe Theodoſiam Cappadocem à Theodoſia Palæſtina; eò quòd illa capite truncata, hęc autem in mare demerſa dicatur. Sed præter illa quę de Theodoſia ſcribit Euſebius hiſt. lib. 8. c. 17. habemus in noſtra bibliotheca eius vitam vberiùs ſcriptã antiquo charactere, cuius eſt exordium: In illis diebus, &c. vbi Præſes, ſub quo paſſa eſt, ponitur, Vrbanus ſcilicet; quem conſtat, eodem Euſebio auctore, illis tẽporibus perſecutionis Diocletiani vſque ad ſuum obitum adminiſtraſſe pręfecturam Palęſtinæ. Ex Imperatore itaque atque Præſide, non duas, ſed vnam tantummodò fuiſſe Theodoſiam, compertùm habemus; eamdemq. eſſe Palęſtinam, & non Cappadocem. Nam & cùm in mare conſtet eſſe demerſam; quonam pacto hæc Cęſareæ Cappadocię fieri potuerunt, quę à mari lõgiſſimè, in meditullio eius prouincię ſita eſt? Idq. etiam (vt modò coſmographos citare prætermittamus) teſtatur Gregor. Nazianz. orat. in laudem Baſilij, cùm ait: Nos procul à mari degimus. Cùm itaq. nomen, ætas, ſpontanea fidei profeſſio, tempus perſecutionis, dies martyrij, nomen Præfecti, ac loci ſimul conueniant; vna tantùm dicenda eſt Theodoſia, hęcq. illa Cęſareę Palęſtinæ ſub Vrbano Præſide paſſa, de qua agimus; quam etiam Græcos celebrare in Menologio, ex ipſorum verbis exploratum habetur; quæ ſunt huiuſmodi: Die ſecunda Aprilis ſanctæ virginis Theodoſiæ, quæ ex vrbe Tyro originem ducens, cùm decimumoctauum annum ageret, Vrbano Præſidi Palæſtinæ oblata, & Chriſti fidem liberè profeſſa, ac flagris cæſa, in mare deiecta, Deo ipſi ſpiritum reddidit. Hæc in dicto Menologio peruetuſto Cardin. Sirleti. De ea ibidem iterùm ad ſext. Kal. Iunij, ijſdem ferè verbis, & de Vrbano Pręſide Palęſtinę, & demerſione in mare habetur mentio: de Cęſarea autẽ Cappadocię nec verbum quidem, quemadmodum nec de capitis abſciſſione. Quòd autem de eadem iterũ agunt, contingit, vt in alijs multis ſanctis, quòd nõ tantũ dies natalis, ſed tranſlationis ſacrarum reliquiarũ, vel dedicationis eccleſię ab ijſdem ſolemnitas celebretur.

[f] Nicetij Epiſc.] De eo Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri. Plura de Nicetio Lugdunenſi Greg. Turon. dé geſt. Franc. lib. 5. cap. 5. & 20. in vit. ſanct. Patr. c. 8. & lib. de glor. confeſſ. c. 61. 62. & 63. Claruit tẽporibus Iuſtini Iunioris Imp. cùm Romanæ Eccleſiæ præſideret Ioannes Papa Tertius, circa annum Domini 570. Interfuit primo Concilio Lugdunenſi, vt eius Acta teſtantur. Vixit eodem ſæculo alius eiuſdem nominis S. Nicetius Epiſcopus Treuerenſis, de quo Beda & Vſuardus ſecunda edit. Mol. Kalend. Octobris; qui reperitur interfuiſſe Concilio Aruernenſi, habito poſt Conſulatum Paulini Iunioris, qui numeratur annus à Chriſto quingenteſimus quadrageſimusprimus. Narrat eius egregia opera Gregorius Turonen. in vit. ſanct. Patr. c. 17. Scribit de eo elegans epitaphium Venantius Fortunatus libro tertio.

[g] Abundij Epiſc.] Celebris hic quidem tum ſanctitate, tum eruditione Epiſcopus reperitur interfuiſſe Synodo Mediolanenſi ſub Euſeb. Epiſcopo, tempore S. Leonis Papæ; licet alicubi, errore librarij, Abundantius pro Abundio ſubſcriptus inueniatur. Huic etiam ad reparandas acerbiſſimas clades Orientalis Eccleſiæ ex illo Latrocinio Epheſino nuper illatas S. Leo Papa maximi ponderis credidit legationem, vt teſtantur eiuſdem Pontificis litteræ ad Theodoſium Imperatorem 34. & ad Pulcheriam Auguſt. 36. Qui quidem vnà cum eiuſdem legationis collegis ex ſententia feliciſſimeque negotium confecit. Habita enim tunc Synodo, in primis Conſtantinopolitanum Epiſcopum Anatolium, Maximum Antiochenum, alioſque lapſos Epiſcopos ad Catholi-

cam

Digitized by Google

cam fidem & Eccleſiæ vnitatem redeuntes ſuſcepir, eoſdemque ſedibus reſtituit. Legi fragmenta eius Synodi, necnon epiſtolam Theodoreti Cyri Epiſcopi tunc ad eumdem Abundium ſcriptam. Habet ea omnia Mombrit. tomo primo de vit. ſanctorum. Egi de his pluribus in Annalibus Eccleſiaſticis.

[h] Vrbani Epiſcopi. ] De eo Molanus in additione ad Vſuardum hac die. Ponitur hic eius ſedis Epiſcopus ordine ſextus in tabul. Democharis de ſacrificio Miſſæ.

[i] Mariæ Ægypt. ] Vſuardus item hac die, Greci autem in Menologio pridie huius diei. Eius res geſtas ſcriptas eſſe à Sophronio Epiſcopo Ieroſolymitano, teſtatur Nicephorus hiſt. lib. 7. cap. 5. Citantur eędem in Nicæna ſecunda Synodo Act. 4. & à S. Ioan. Damaſceno in orat. 3. de imaginibus in fine. Latinè eas reddidit Paulus diaconus, non ille Aquileienſis hiſtoricus, ſed Neapolitanus, cuius meminit Sigebertus de vir. illuſtr. c. 69. Habentur in vit. Patrum. Porrò Hildebertus Epiſcopus Cenomanenſis eadem Acta metro cecinit, vt de eo refert Henricus de vir. illuſtr. cap. 8. Claruit Maria Ægyptiaca temporibus Iuſtini ſenioris Imperatoris, circa annum Domini quingenteſimum atque vigeſimum. Extat de eadem carmen Bonad. Santon lib. 3. monod. 29. Vixit iiſdem ferè temporibus alia item ex meretrice pœnitens, Maria dicta, Tarſenſis patriâ, quæ in monaſterio apud Ægas poſito exercuit vitam monaſticam, de qua mentio habetur in Prato ſpirituali cap. 31.

3 ## Tertio Nonas Aprilis. Luna. B xxvij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | | | |

TAVROMENII in Sicilia ſancti Pancratij [a] Epiſcopi, qui Chriſti Euangelium, quod à ſancto Petro Apoſtolo illuc miſſus prædicauerat, martyrij ſanguine conſignauit. Tomis in Scythia natalis ſanctorum martyrum Euagrij [b] & Benigni. Theſſalonicæ paſſio ſanctarum virginum Agapis [c] & Chioniæ ſub Diocletiano Imperatore: quæ cùm Chriſtum negare nollent, primò in carcere maceratæ, poſteà in ignem miſſæ, ſed à flammis intactæ, ibi oratione ad Dominum fuſa, animas reddiderunt. Tyri ſancti Vlpiani [d] martyris, qui in perſecutione Maximiani cum aſpide & cane inſutus culleo [e], in mare demerſus fuit. In monaſterio Meditij in Oriente ſancti Nicetæ [f] abbatis, qui ob cultum ſanctarum imaginum ſub Leone Armeno multa paſſus eſt. In Anglia ſancti Richardi [g] Epiſcopi Ciceſtrenſis, ſanctitate & miraculorum gloria conſpicui. Ibidem ſanctæ Burgundoforæ [h] abbatiſſæ & virginis.

## APRILIS 3.

PANCRATII Epiſc. ] De eo item hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri; Græci autē in Menologio quinto Idus Iunij; vbi legitur, hunc Antiochenū genere ſanctum Petrum ſecutum, ab eo Siculis eſſe prępfectum Epiſcopū. Agit de eodem Nicephorus hiſt. lib. 2. cap. 35. Metaphraſtes in ſerm. in die natali Apoſt. De eodem in Actis S. Marciani Epiſcopi, quæ accepimus ab eccleſia Caietana.

[b] Euagrij & Benigni. ] De his etiam hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri.

[c] Agapis & Chioniæ. ] Beda, Vſuardus, Ado, & alij agunt de his hac die, de Irene autem harum ſorore Nonis Aprilis; Græci autem de tribus ſororibus ſimul ſextodecimo Kal. Maias. Diſcrepare videntur à Græcis Latini, dum hi virgines, illi verò mulieres tantùm has dicunt; licet Tertul. lib. de velan. virg. mulieris nomine virgines etiam comprehendi, pluribus diſputet. Cur verò Latini his diebus agant, Gręci autem diuerſo, nobis hactenus incompertum, cùm pręſertim nulla ipſarum illis paſſa diebus reperiatur. Extant etenim ipſarum Acta ſincera & pura, prout à notarijs exceptoribus ad verbum ſcripta ſunt; in quibus de Irene, quæ nouiſſima omnium paſſa eſt, hæc in fine leguntur: Conſummata eſt in Conſulatu Diocletiani nono, Maximiani autem octauo, Kalend. Aprilis, &c. Recitat ea integra Metaphraſt. quæ Latinè

Latinè reddita habet Lipom. tomo 7. & Sur. tom. 2 prima die Aprilis. Agit de iiſdem Niceph. hiſt.lib.7.cap.14 necnon Aldelm. lib.2. de virg.

[d] Vlpiani.] Huius martyris ſęuiſſimum ſupplicium, parricidis tantũ ſolitum irrogari, deſcribit Euſeb.hiſt.li.8.c.15.ex quo & ceteri deſcripſerũt.

[e] Inſutus culleo.] Saccus is erat ex corio factus, quo cum cane, gallo, ſerpente, & ſimia incluſus parricida mergebatur in mare, ex pręſcripto legis Romanorum, quam tulit Pompeius in ſuo Conſulatu, de qua Modeſtinus, ff. ad legẽ Pompeiam de parricidis. Non tamen Pompeius fuit cullei ſupplicij primus inuentor: Cicero enim, qui ante latam legẽ Pompeiam de parricid. habuit orationẽ illam pro Roſcio Amerino, cùm de cullei ſupplicio agit, à maioribus dicit illud fuiſſe excogitatum: at dum ibidẽ de cullei pœna eleganter diſputat, rationemq. reddit, cur maiores viuum hominem culleo inſutum in flumẽ deijci præceperint; cùm nullam habeat mentionẽ de gallo, ſerpente, & cane; ſatis apparet, illud ipſum cullei ſuppliciũ à maioribus inuentum, & à Pompeio illis pœnis auctum, & in necatores etiam propinquorum ac patronorũ fuiſſe extenſum: cùm alioqui olim omne homicidium diceretur parricidium, vt auctor eſt Feſtus verb. parricid. quæſtores. Quinetiam temporibus Tarquinij Regis conſtat M. Tullium, aliàs Attilium Duumuirum inſutum culleo, & in mare proiectum, non quidem ob parricidium, ſed quòd ſacros libros deſcribendos dediſſet, vt teſtatur Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 4. & recitat Valer. Max. lib.1. c. r. 13. Decretum posteà ſupplicium cullei in parricidas Publicium Malleolum, matre occiſa, primùm fuiſſe expertum, tradit Liu. libro xviij. In Rhet. ad Heren. verba antiquæ legis recitantur, quæ ſunt huiuſcemodi: Si quis parentes occiderit, vel verberarit, ei damnato obuoluatur os folliculo lupino, ſoleæ ligneæ pedibus inducantur, & in carcerem ductus, ibi ſit tantiſper, dum paretur culleus, in quem coniectus in profluentem pręcipitetur. Hæc ibi. Colligit & Cuiac. lib.9. Paratitl. tit.17.ex ſententia Hadriani, damnatum culleo, illo incluſum, ſupra plauſtrum imponi ſolitum, quod traherent boues nigri, ac ſic ad mare deferri. De eodem ſupplicio Iuuenal. ſatyr. 13. his verſibus:

*Et deducendum corio bouis in mare, cum quo*
*Clauditur aduerſis innoxia ſimia fatis.*

Porrò tam acerbum ſupplicium ob nimiam ſui atrocitatẽ vſu deſierat, vt ſcribit Paulus I. C. li. 5. ſentent. tit. 24. ad leg. Pomp. de parric. his verbis: Etſi anteà inſuti culleo in mare pręcipitabantur, hodie tamen viui exurũtur, vel ad beſtias dantur. Hęc Paul. Sic etiam exhorruit pœnam cullei Auguſtus Imp. (vt auctor eſt Suetonius in Octauio c. 33.) quòd ne ex lege cogeretur irrogare pœnam cullei, reum parricidij à confeſſione diſtraheret, ita reum compellans: Certè patrem tuum non occidiſti. Hæc Suet. Ex his perpende immanitatem & furorem Gentilium in Chriſtianos, quos ſæuiora parricidis cogebãt ſubire ſupplicia; vt pœna cullei in parricidas abolita, in Chriſtianos innocẽtiſſimos tantũ ſui atrocitate vigeret. At Conſtantinus Imp. reſcribens ad Verinũ Vicarium Africę, eamdem legem in vſum priſtinum, nempe in parricidas reuocauit, L. 1. tit. de parricid. Cod. Theod. Non pręteremittimus, quòd apud Senecam li.7. declam.1. inuenies & culleum ligneum, ſic dicta nauis exarmata, in quam reus impoſitus, maris diſcrimini committeretur: quo ſupplicio ſæpè damnatos eſſe Chriſtianos, inuenimus.

[f] Nicetæ abbatis.] Græci etiam de eo hac die in Menologio. Res geſtas ipſius Theoſterictus eius diſcipulus ſcripſit luculenta oratione. Recitant eam Metaphraſtes, Lipom. tom. 7. & Sur. tom. 2. Vixit temporibus Tharaſij Epiſcopi Conſtantinopolitani, à quo preſbyter ordinatus fuit, circa annum Domini 780.

[g] Richardi Epiſc. ] Huius Acta duobus libris complexus eſt Radulphus Ciceſtrenſis, quæ deſcripſit Sur. tom. Hunc Vrbanus Papa Quartus (vt idem teſtatur auctor lib. 2. cap. 15.) adſcripſit ſanctorum numero. Habemus in noſtra bibliotheca exemplaria plurimarum litterarum Vrbani Quarti, vbi etiam litteræ de canonizatione eiuſdem Richardi ſcriptę leguntur. eſt ipſarum exordium: In cælesti, &c. num. 268. Claruit ſub Innocentio Quarto Rom. ad quem confugit vexatus perſecutione Regis Anglorum.

[h] Burgundoforæ.] Eius præclaras res geſtas ſcripſit Ionas abbas, licet Bedæ aliqui tribuant: extant apud Bedam tom. 3. Habetur de eadem mentio in vita ſancti Columbani cap. 12. Claruit circa annum Domini 610.

25. xxvj. C Pridie Nonas Aprilis. Luna. 4

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | | | |

THESSALONICÆ ſanctorum martyrũ Agathopodis [a] diaconi & Theoduli lectoris, qui ſub Maximiano Imperatore & Fauſtino Præſide ob Chriſtianæ fidei confeſſionem, alligato ad collum ſaxo, in mare demerſi ſunt. Mediolani depoſitio ſancti Ambroſij [b] Epiſcopi & confeſſoris, cuius ſtudio, inter cetera doctrinæ & miraculorum inſignia, tempore Arianæ perfidiæ

diæ tota ferè Italia ad Catholicam fidem conuerſa eſt [c]. Hiſpali in Hiſpania ſancti Iſidori [d] Epiſcopi, ſanctitate & doctrina conſpicui, qui zelo Catholicæ fidei, & obſeruantia Eccleſiaſticæ diſciplinæ Hiſpanias illuſtrauit. Conſtantinopoli ſancti Platonis [e] monachi, qui pluribus annis aduerſus hæreticos ſanctarum imaginum effractores inuicto animo decertauit. In Palæſtina ſancti Zoſimi [f] anachoretæ, qui funus ſanctæ Mariæ Ægyptiacæ curauit.

## APRILIS 4.

Agathopodis, & Theoduli [a].] Græci etiam de his agunt hac die in Menologio. Horum Acta ex antiquis monumentis eruta edidit Metaphraſtes: habet ea Lipom. tom. 7. & Sur. tom. 2.

[b] Depoſitio ſancti Ambroſij.] De eadem Beda hac die, & pridie Kalend. Aprilis, ceteri omnes hac item die. De tempore obitus ſancti Ambroſij Paulinus in vita ipſius teſtatur, non interceſſiſſe triennij ſpatiú ab obitu Theodoſij Imp. ad mortem S. Ambroſij. Rurſus etiam exploratú habetur ex Concilio Carthaginenſi tertio can. 48. S. Ambroſium non vixiſſe vltra annum Conſulatus Attici & Cęſarij: nam eodem anno ex eadem Synodo ſcripta eſt conſultatio ad Siriciú Papam, & ſanctú Simplicianum S. Ambroſij ſucceſſorem, menſe Septemb Nec eſt quòd quis dicat, errorem eſſe in Conſulibus, videlicet vt canon ille ſit alterius Concilij ſequéti anno celebrati, & ſub canonibus prędicti Concilij recenſitus: nam ſequenti anno, eo menſe Siricius Papa, ad quem ea ſcripta eſt cóſultatio, non erat ampliùs in humanis: ſiquidē eo anno, Coſſ. Honorio quartùm & Eutychiano, 8. Kalend. Martij ex hac vita migrauit. Contradicit his etiam Paulini auctoritas, dum ait, ferè triennio, & non poſt trienniú à morte Theodoſij ſuperuixiſſe Ambroſium. Hæc de tempore eius obitus: quibus ſi aduerſari videas Gregorium Turonenſem, nihil vltrà habemus dicere; niſi, quòd non plus ei tribuo, quàm illi concedat Hilduinus vir eruditus in Areopagiticis ad Ludouicú Pium Imp. Tu interim conſule quę inferiùs ſcripta ſunt die vndecima Nouembris in S. Martino. De ętate autem, collegimus ex ſcriptis eius, habita diligēti ratione temporú, vixiſſe annos ſexagintaquatuor: quod pluribus monſtrauimus in Annal. Eccleſ. & in vita eiuſdē S. Ambroſij, quam contexuimus ex antiquis Patribus, ipſiuſq. ſcriptis, ceteriſq. vetuſtatis monumentis, id nobis pręcipiente Illuſtriſſimo ac Reuerēdiſſimo D. Felice à Montealto tituli S. Hieron. Cardinale ampliſſimo; qui ad ſummum Catholicæ Eccleſiæ Pontificatum euectus, eamdem typis excuſam in fronte tomi quinti operum S. Ambroſij, in quibus reſtituendis & illuſtrandis feliciſſimè laborauit, collocari præcepit.

[c] Tota ferè Italia ad Catholicam fidem conuerſa eſt.] Habent Beda, Vſuardus, Ado, & alij, totam Italiam ſtudio S. Ambroſij ad fidem Catholicam eſſe conuerſam. Scias autem hæc verba non aliunde mutuata, quàm à S. Hieronymo, qui dum in chronico, anno vndecimo Valentiniani Imp. agit de obitu Auxentij & electione S. Ambroſij, hęc ait: Poſt Auxentij ſeram mortem, Mediolani Ambroſio conſtituto, omnis ad fidem rectam Italia conuertitur. Hęc Hieronymus quæ (ſi conſulas hiſtoriæ veritatem) intelliges hyperbolicè dicta eſſe, vt interdum fieri ſolet. Nam Damaſo Papa ſedente, ceteræ partes Italiæ, excepta Gallia Ciſalpina, vbi Auxentius vixerat, & Iuſtina Auguſta Arianorum patrona hęreſim illam fouebat, Catholicam fidem, Nicęnumq. ipſum ſymbolum profitentes pacificè agebant. Iampridem enim ex eo tempore, quo Conſtantius Imperator è vita exceſſerat (vt idem ipſe teſtatur Hieronymus contra Luciferianos) Catholici Epiſcopi ab exilio reuocati fuerunt, quando & S. Euſebio Epiſcopo Vercellenſi, reſtituta fide Catholica, redeunte, in eius aduentu Italia (vt ait idem Hieronymus) lugubres veſtes mutauit. Tunc etiam (vt idem auctor teſtatur) Epiſcopi Occidentales, qui in Conciliabulo Ariminenſi lapſi fuerant, perpetrati erroris ſtatim pœnitentes, vnà cum fide Catholica, etiam ſedes, indulgente Romano Pontifice, receperunt: nec alicubi ſub Catholico Principe Valentiniano in Occidentali Eccleſia vexatio contigit, præterquam in Gallia Ciſalpina, vbi Iuſtina Auxentio ceteriſque Arianis ibi degentibus quibus poterat ſtudijs fauebat; ſed defuncto Auxentio, Ambroſius creatus Epiſcopus illi fortiter reſtitit, mulieriſque inſaniam paſtorali zelo coërcuit, ac denique collapſam Catholicam fidem ibidem, vel in finitimis locis reſtituit: ſicque intelligas Hieronymi verba, vt dicere velit, opera Ambroſij actum eſſe, vt ſic tota Italia ad Catholicam fidem conuerſa diceretur, quòd pars illa quæ remanſerat ab hæreticis occupata, ab eo reſtituta, nulla iam ex parte eſſet hæretica.

[d] Iſidori Epiſc.] De eo Vſuardus & alij hac die. Pluribus de ipſo ſcribit S. Braulius Epiſcopus Cęſarauguſtanus, qui & eius ſcripta recenſuit, ex quo ceteri. habes ea apud Sur. tom. 2. In cod. manuſcrip. operum S. Iſidori legi, eumdē eſſe natum patre Seueriano, Præfecto vrbis Carthaginis; habuiſſe fratres Leandrum Epiſc. Hiſpal. & Fulgentium Epiſc. Carthagin. ac ſororem Florētiam virginem, omnes ſanctitate claros. Floruerunt in Hiſpania eiuſdem nominis plures doctrina & probitate nobiles viri: quos omnes præceſſit tempore Iſidorus Epiſc. Cordubenſis, ob idque Senior appellatus: vixit enim temporibus Honorij Imp. Nouit eum S. Auguſtinus, atque Paulus Oroſius illi æqualis; ad quem Iſidorus ipſe ſcripſit commentarios in quatuor libros Regum, vt ſcribit Trithem. lib. de ſcrip. Eccleſ. Poſt illum eſt Iſidorus, Iunior dictus, de quo hîc agimus, qui ſucceſſit S. Leandro, interfuiſſeq. repetitur Hiſpalenſi

ſecundo Cõcilio, & Toletano quarto. De eo etiam agit S. Ildeſonſus in lib. de vir. illuſtr. quem & ſediſſe ait annis ferè quadraginta. Hunc Patres, qui conuenerunt ad Concilium Toletanum octauum, can. 2. eiuſmodi encomio celebrant: Noſtri ſæculi doctor egregius, Eccleſiæ Catholicæ nouiſſimum decus, præcedentibus ætate poſtremus, doctrinę comparatione non infimus, atque, quod maius eſt, ſæculorum finitorum doctiſſimus, cum reuerentia nominandus Iſidorus in libro ſententiarum, &c. Fuit & tertius Iſidorus, Pacenſis Epiſcopus, qui & chronicon barbaricè admodũ ſcripſiſſe reperitur, de quo Vaſęus meminit in chron. Hiſpan. his ipſis verbis: Iſidorus Pacenſis Epiſcopus etiam ſcripſit chronicon Hiſpaniæ; cuius ſi eſt chronicon illud, quod eius titulo prænotatum vidi, portentum potiùs dixerim, quàm chronicon: adeò prodigioſè ſcribit, & Gothicè potiùs, quã Latinè. Hęc ille. Ex quibus certè errаſſe arguitur, qui hunc illum eſſe putauit Iſidorum, qui collegit epiſtolas Romanorum Pontificum atque Concilia, qui & in eius voluminis exordio commentariolũ edidit de ordine celebrandi Concilij. Errant & Hincmarus Rhemenſis Epiſcopus, Trithemius, & alij qui illam collectionem tribuunt Iſidoro Hiſpalenſi. Id quidem in primis refellitur, quòd Braulius, & Ildefonſus, qui illis vixere temporibus, catalogum texẽtes ſcriptorum ipſius, nullam prorſus mentionem de eo opere habuerunt. Inſuper omnis de ea re dubitatio tollitur, dum auctor operis, ibidem agens de ordine celebrandi Concilij, recitat verba primi canonis vndecimi Concilij Toletani, atque etiam in pręfatione meminit Agathonis Papæ: porrò longè ante eius Synodi ac Papæ Agathonis tempora Iſidorus Hiſpalenſis ex humanis deſierat. In antiquis manuſcrip. codic. hunc Iſidorum collectorem Conciliorum, Mercatorem cognomento dictum inuenimus, vt in his, quos in noſtra bibliotheca habemus: at in nuper impreſſis, non Mercator, ſed Peccator inſcriptus reperitur, ſecundùm morem nonnullorum antiquorum Patrum, qui humilitatis ergô ſe ſic inſcribere & ſubſcribere conſueuerunt. Irrepſit, puto, error, vt Mercator, pro Peccator, ſit ſcriptus. Cùm autem eiuſdem collectionis auctor recenſendo in ſua præfatione Synodos vniuerſales, ſextam vltimo loco ponat; manifeſtum eſt poſt dictam ſextam Synodum vixiſſe, nec ad ſeptimæ tempora perueniſſe. quam ob cauſam, cùm collectores ſacrorum canonum recenſemus, quintum hunc ordine numeramus, primoq́. loco ponimus Dionyſium Exiguum, inde Ferdinandum diaconũ, tertiò Martinum Bracharenſem Epiſcopum, quartò Creſconium, ac demum poſt hos omnes Iſidorum. Hęc de Latinis collectoribus, habita exactè cuiuſque eorum temporis ratione. Græcorum autem collectorum alia eſt cauſa. De Iſidoro, de quo hîc agitur, vide quæ collecta ſunt in Theſauro concion.

[e] Platonis monachi.] Græci etiam de eodem agunt hac die in Menolog. Scripſit eius Acta Theodorus Studita luculenta oratione, quam recitat Lipomanus tom. 7.

[f] Zoſimi.] Agunt itidem de eo Gręci hac die in Menolog. Porrò eius res geſtas ſcriptas eſſe à Sophronio Epiſcopo Ieroſolymitano, eſt auctor Nicephorus lib. 17. c. 5. De eo etiam Euagr. Scholaſt. hiſt. lib. 2. c. 7. Claruit temporibus Iuſtini & Iuſtiniani Impp. Fuit eadem circa tempora alius Zoſimus Cilix, de quo in Prat. ſpiritual. cap. 123. Eſt præclarum elogium de Zoſimo Iuſtiniani Imp. authen. de monach. collat. 1. tit. 5.

25. xxiiij. D **Nonis Aprilis. Luna.** 5

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |

THESSALONICÆ ſanctæ Irenes[g] virginis, quæ cùm ſacros libros contra Diocletiani edictum occultaſſet, poſt tolerantiam carceris, ſagitta percuſſa eſt, & igne cremata iuſſu Dulcetij Præſidis, ſub quo & ſorores eius ſimul Agape & Chionia paſſæ anteà fuerant. In Leſbo inſula paſſio quinque[b] ſanctorum martyrum. Eodem die ſancti Zenonis[c] martyris, qui detracta pelle, pice illitus, in ignem coniectus eſt. In Africa paſſio ſanctorum martyrum[d], qui in perſecutione Geiſerici Regis Ariani in die Paſchæ in eccleſia cæſi ſunt: quorum lector, dum in pulpito Alleluia[e] cantaret, ſagitta in gutture transfixus eſt. Venetiæ in Britannia Minori ſancti Vincentij[f] confeſſoris, cognomento Ferrerij, ordinis Prædicatorum, qui potens opere & ſermone, multa millia infidelium conuertit ad Chriſtum.

APRI-

IRENES [a]. ] De ea hac etiam die Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri, Gręci autem ſextodecimo Kalend. Maias: licet eius Acta, quę habet Lipom. tom. 7. manifeſtè teſtentur ipſam obijſſe martyriū Kal. Aprilis, Diocletiano nonùm & Maximiano octauū Coſſ. qui numeratur annus Domini (ſecundùm Faſtos Onuphrij) 304. De ea inſuper ac ſororibus plura in Actis S. Anaſtaſię, quę extant apud Sur. 25. Decemb. tom. 6. Niceph. de eadem li. 4. c. 14. Quę autem hîc habentur, quòd ſagitta percuſſa eſt, atque igni inde tradita; in prędictis quidem Actis de ſagitta nulla fit mentio, quod tamen Latini omnes profitētur. Vide ſuperiùs notata tertio Non April. in Agape & Chionia. In honorem S. Irenes martyris Iuſtinianus Imperator excitauit nobilem ecclesiam, vt tradit Procopius lib. 1. de ędific. Iuſtiniani Imp. Ante ipſum Marcianus Imp. (vt ſcribit Nicet. Chon. lib. 7. Annal.) id ipſum prętitit.

[b] Quinque martyrum. ] Græci item hac die in Menologio de ijſdem agunt.

[c] Zenonis. ] Agunt etiam de eo Gręci hac die in Menologio, vbi & paſſio eius paucis narratur.

[d] Sanctorum martyrum. ] De his agit Victor Vricenſis Epiſcopus de perſecutione Wandal. lib. 1. prope finem.

[e] Alleluia cantaret. ] Victor ibidem hęc verba: Lector vnus pulpito ſiſtens, Alleluiaticum melos canebat, &c. Vſum canendi hanc vocē in eccleſia ex Aggæo Propheta prouenire, qui primus omnium cantauit Alleluia, cùm nouam templi ſtructurā vidit, teſtatur S. Epiphanius lib. de Prophet. vit. & interit. c. 20. idq. ſecundùm Tobię prophetiam c. 13. cùm alioqui multi Pſalmi Alleluia titulo inſcripti ante illorū tempora haberentur. Hanc quidem vocem peculiarem eccleſiæ Ieroſolymitanæ Romanam Eccleſiam ab ea eſſe mutuatam opera S. Hieronymi, temporibus Damaſi, ſcribit S. Gregorius in regiſt. lib. 7. indict. 2. epiſt. 63. licet S. Aug. in Pſalm. 106. teſtetur antiquam eam eſſe Eccleſię traditionem. In eccleſia Africana tantùm tempore Quinquageſimæ cantari Alleluia moris eſſe, idem affirmat; additque de tempore diuerſas fuiſſe eccleſiarum diuerſarum conſuetudines, ad Ianuar. epiſt. 109. c. 17. homil. 16. & in Pſalm. 110. Quòd autem narrat Sozom. li. 7. c. 19. ſemel tantùm in anno eam vocem Romæ ſolitam decātari, omnino errare videtur: nam eiuſmodi vſum non Romanę Eccleſię, ſed Vigilantij hęreſiarchæ dogma fuiſſe teſtatur S. Hieronymus in Vigilant. cuius etiam auctoritate exploratū habetur, in ſacris etiam officijs defunctorum Romæ eiuſmodi vocem cani conſueuiſſe: ſic enim ait epiſt. 30. ad Oceanum de funere Fabiolæ: Sonabant Pſalmi, & aurata tecta templorum reboans in ſublime quatiebat Alleluia. In eccleſia Gallicana eumdem vſum viguiſſe, affirmare videntur Acta ſanctę Radegundis libro 2. Romæ itidem cum primis elementis ea etiam voce infantes imbui ſolitos, idem ſanctus Hieronym. ſcribit epiſtola 7. & 27. In Palæſtina autem eadem voce ſymbolica excitari ac vocari ſolitos monachos ac monachas ad diuinas preces, idem refert epiſt. 27. Erat & Alleluia carmen muſicum ruſticorum: cùm etenim illi ruſticum opus agerent, Alleluia cantabant, vt idem teſtatur epiſtola 17. De ſignificatione autem vocis huius idem pluribus agit ſcribens ad Marcellam epiſt. 137. Cetera autem de eius vſu in Eccleſiaſticis officijs, ſi cupis ſcire, eos conſule qui commentarios conſcripſere de offic. Eccleſiaſt.

[f] Vincentij. ] Huius res geſtas quatuor libris digeſtas conſcripſit Petrus Rau. ordinis Prędic. Plura de eodem S. Antoninus in tertia par. tit. 23. cap. 8. Obijt anno Domini 1419. adnumeratuſque eſt inter ſanctos à Calliſto Tertio Papa. Vide quæ de eo nuper collecta ſunt in theſauro concion. tomo 2. In eius canonizationis Actis habetur diem obijſſe quinta Aprilis, feria quarta ante Dominicam Palmarum, quo anno (vt ex computu liquet) celebrari contigit Paſcha die decimaſeptima menſis Aprilis: vnde corrigendi ſunt textus qui habent deceſſiſſe anno Domini 1418. nam eo anno menſe Martio Paſcha contigit celebrari. quod diſertè docuit frater Vincentius Iuſtinianus Antiſtius in vita eiuſdem ſancti Vincentij, quam (vt teſtatur) iuſſu Valentinorum Conſulum ex proceſſu canonizationis collectam typis excudendam curauit anno Domini 1575. vir quidem cum primis diſertus ac pius, qui litteris ſuis de his me monuit.

## 6 Octauo Idus Aprilis. Luna. E xxiij.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24
t u A B C D E f F G H M N P
25 26 27 28 29 1 2 3 2 3 4 5 6 7

ROMÆ natalis beati Sixti [a] Papæ & martyris, qui temporibus Hadriani Imperatoris regens Eccleſiam, demum ſub Antonino Pio, vt ſibi Chriſtum lucrifaceret, libenter mortem ſuſtinuit temporalem. In Macedonia ſanctorum martyrum Timothei [b] & Diogenis. In Perſide ſanctorum centum viginti [c] martyrum. Aſcalone paſſio ſanctorum Platonidis [d], & aliorum duorum martyrum. Carthagine S. Marcellini [e] martyris, qui ob Catholicę fidei

defenſionem ab hæreticis occiſus eſt. Romæ ſancti Cæleſtini [f] Papæ, qui Neſtorium Conſtantinopolitanum Epiſcopum damnauit, Pelagiumque fugauit: cuius etiam auctoritate ſancta vniuerſalis Synodus Epheſina aduerſus eumdem Neſtorium celebrata eſt. In Hibernia ſancti Celſi [g] Epiſcopi, qui beatum Malachiam in Epiſcopatu præceſſit. In Dania ſancti Gulielmi [h] abbatis, vita & miraculis clari.

## APRILIS 6.

[a] SIxti Papæ. ] De eo hac etiam die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Fuit huius nominis primns, de cuius ſucceſſione agit liber de Romanis Pontificibns, qui inſcribitur nomine Damaſi, Irenęus aduerſus hæreſ. lib. 3. cap. 3. Euſebius in chron. & hiſt. lib. 4. cap. 4. & 5. Optat. lib. 2. contra Parmen. Epiphan. hæreſ. 27. Auguſtinus epiſt. 165. Nicepb. in chron. & alij recentiores. De rebus autem ab eo ſumma cum laude geſtis diximus in Annal. Eccleſiaſt. per ſingulos annos.

[b] Timothei & Diogenis. ] Vſuardus item de his agit hac die, adſtipulanturq. vetera manuſcr.

[c] Centum viginti martyrum. ] Agunt de his etiam Græci hac die in Menologio: paſſi feruntur in Adiabenorum regione. De his etiam Sozom. lib. 2. cap. 11. in fine.

[d] Platonidis & ſoc. ] De his etiam Græci in Menologio hac die agunt.

[e] Marcellini. ] Vir fuit fama notiſſimus: hic Tribunus notariorum ab Honorio Imp. in Africam miſſus eſt ad coërcendam rabiem Donatiſtarum, quorũ opera tandem innocens occiſus eſt, vt ſcribit S. Hieron. contra Pelagianos lib. 3. in fin. procurarunt enim necem eius per Marinum ducem, qui meritas pœnas dedit, vt ſcribit Oroſ. lib. 7. cap. 42. & Ado in chron. anno 420. Digna habetur viri memoria in reſcripto Honorij Imp. quo cuncta ab eo contra Donatiſtas peracta in perpetuum confirmauit: extat L. 55. Cod Theod. de hæret. Ad hunc ſunt ſcriptæ plurimæ ſancti Auguſtini epiſtolæ; eo etenim vſus eſt familiariſſimè: ad quem etiam ſcripſit præclaros libros de ciuit. Dei. Quod autem ſpectat ad Tribunatus muneris functionem, erant Tribuni notarij Principibus à ſecretis, deligebanturq. ad hoc integerrimæ vitæ viri. de his hæc Caſſiod. var. libro 1. epiſt. 4. Honor, qui dabatur egregijs, dum ad Imperiale ſecretum tales conſtet eligi, in quibus reprehẽſionis vitium nequeat inueniri. Apud eumdem Caſſiod. lib. 6. form. 16. idem Primicerius notariorum appellatus videtur.

[f] Cæleſtini. ] De eo hac die Beda, & Vſuardus, ſed Ado die ſequenti. De eius ſucceſſione agit liber de Rom. Põtificibus, Proſper Aquit. in chron. Marcellin. Comes, Socrat. hiſt. lib. 7. c. 11. Euagr. lib. 1. c. 4. Niceph. Epiſc. in chron Nicepb. Calliſt. lib. 14. cap. 30. Res autem ab eo geſtas digeſſimus per annos ſingulos in Annal. Eccleſ.

[g] Celſi Epiſcopi. ] Plura de ipſo ſcribit ſanctus Bernardus in vita ſancti Malachiæ Epiſcopi cap. 7. Migrauit ex hac vita anno Domini 1128. cùm nonnulla ſuæ ſanctitatis & doctrinæ monumenta reliquiſſet.

[h] Gulielmi abb. ] Habentur eius Acta fideliter cõſcripta ab eius diſcipulo, quę recitat Sur. tom. 2. Obijt diem anno Domini milleſimo ducẽteſimo ſecundo, ſuę verò ętatis anno nonageſimooctauo. Honorius Papa Tertius, cũ de eius vita mandaſſet diligenter inquiri: certior redditus à Gregorio Rom. ciue nobilis familiæ Creſcentianæ, tunc S. Theodori diacono Cardinale, Legatum à latere agente in Dania, Suecia, atq. Boëmia, retulit inter ſanctos. Extant in ipſius regiſtro de eiuſdem ſancti canonizatione litterę Apoſtolicę datę 12. Febr. anno octauo ſui Pontificatus, Domini verò 1224. Claruit eiuſdem nominis miræque ſanctitatis Gulielmus, ſiue Willelmus Epiſcopus in Dania, tempore Suenonis Daniæ Regis, de quo plura ſcribit Saxo Grammat. hiſtor. Daniæ lib. 11.

xxij. F Septimo Idus Aprilis. Luna. 7

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | | | |

IN Africa natalis ſanctorum martyrum Epiphanij Epiſcopi [a], Donati, Rufini, & aliorum tredecim. Synope in Ponto ſanctorum ducentorum [b] martyrum. In Cilicia ſancti Calliopij [c] martyris, qui ſub Maximo Præfecto poſt alia tormenta verſo in terram capite [d] cruci affixus, nobili corona martyrij decora-

decoratus eſt. Nicomediæ ſancti Cyriaci[e], & aliorum decem martyrum. Alexandriæ ſancti Peleuſij[f] presbyteri & martyris. Romæ ſancti Hegeſippi[g], qui vicinus Apoſtolorum temporibus Romam venit ad Anicetum Pontificem, ibique manſit vſque ad Eleutherium, & Eccleſiaſticorum Actuum à paſſione Domini vſque ad ſuam ætatem ſermone ſimplici texuit hiſtoriam: vt quorum vitam ſectabatur, dicendi quoque exprimeret charactere. Veronæ ſancti Saturnini[h] Epiſcopi & confeſſoris. In Syria ſancti Aphraatis[i] anachoretæ, qui Valentis tempore Catholicam fidem virtute miraculorum aduerſus Arianos defendit.

## APRILIS 7.

[a] EPIPHANII & ſoc.] De eo Vſuardus hac die: cuius autem hic fuerit ciuitatis Epiſcopus, vel quando ſit paſſus, nuſquam potui inuenire.

[b] Ducentorum martyrum.] Græci etiam de his hac die in Menologio agunt.

[c] Calliopij.] De quo item Græci. Porrò eius Acta deſcripſit Metaphraſtes, quæ recitat Lipom. tom. 7. & Sur. tom. 2.

[d] Verſo capite cruci affixus.] Non tantùm coryphæus Apoſtolorum Petrus eo modo crucifixus eſt, ſed & complures Chriſtianorum maioris ignominię cauſa, & inter alios illi, quorũ Euſebius meminit lib. 8. c. 8. in fin. non enim vno eodemq. modo omnes cruci addicti crucifigebãtur, ſed diuerſo, vt culpa delinquentis poſcebat, vel ſeueritas Iudicis imperabat. de his Seneca his verbis: Video, inquit, iſtic cruces non vnius quidem generis, ſed aliter ab alijs fabricatas. Sunt qui capite in terram verſo ſuſpendant; alij per obſcœna ſtipitem agunt; alij brachia patibulo explicuerunt, &c. Hęc Seneca in libro de conſolat. ad Marciam. Quòd autem ait: Alij per obſcœna ſtipitem agunt: quodnam genus crucis eiuſmodi fuerit, idem Seneca declarat lib. 17. epiſt. 102. crucem enim eam acutam appellat, dum inuehitur in Mecœnatem voluptuoſum. Apud antiquos crux, patibulum, & furca erat idem ferè ſupplicium: ſicut enim cruci, ita furcæ affigebantur, vt habes ex Calliſtrato L. Capitalibus. §. Famoſos. ff. de pœnis. famoſos enim latrones furcæ affigendos eſſe, reſpondit Iureconſultus. Patibulum crucem eſſe, docet Nonius: furcam etiam dictam eſſe patibulum, habet Iſid. lib. 5. orig. ſcriptores Gentiles etiam, vt Liu. lib. 2. Lactan. lib. 2. c. 8. conſentiunt & ſacræ litteræ, Geneſ. 40. Deuteron. 21. Ioſue 8. Eſther 5. 6. 7. Erat & nota quædam infamiæ, ipſam furcam ferre, nec vltimum ſupplicium conſummabatur per eam: vt Suet. in Nerone cap. 49. his verbis: A Senatu iudicatum, & quæri, vt puniatur more maiorum. Interrogauit, quale eſſet id genus pœnæ: & cùm comperiſſet, nudi hominis ceruicem inſeri furcę, corpus virgis ad necẽ cædi, & (vt legit Eutropius) è ſaxo præcipitari, &c. Cùm enim ſerui etiam quid grauius deliquiſſent, furca eorum collo apponebatur, ſicque verberati per viciniam ducebantur. Plautus in Menœch. Cæſum virgis ſub furca ſcio. Cicero lib. 1. de diuinat. ſic: Seruus per Circum, cùm virgis cæderetur, furcam ferens, ductus eſt. Plutar. etiam in Coriolan. & problem. c. 70. Inde dicti furciferi. Valer. Maxim. lib. 1. c. 7. & 4. habes aliqua de his notata per Alciat. lib. 9. parerg. c. 24. Cæl. Rhodig. antiquit. lib. 10. c. 8. & nuper à Couar. lib. 4. var. reſol. Infame fuiſſe, ac humilibus tantùm perſonis irrogari ſolitũ ſuppliciũ crucis, conſentiunt omnes ex L. Aut damnum. §. Sed enim. ff. de pœn. Itemq. ſummum omnium ſuppliciũ fuiſſe crucem, habes ex Paulo I.C. li. 5. ſenten. tit. 21. cùm ait: Summo ſupplicio, id eſt, cruce afficiuntur, &c. Hoc eſt quod exaggerat de Domino noſtro Ieſu Chriſto Paulus Apoſtolus ſcribẽs ad Philippen. 2. dicens: Factus pro nobis obediens vſq. ad mortem, mortem autem crucis. Si quando autem accidiſſet, vt eminẽtioris ſtatus quiſpiã crucis ſupplicio necandus eſſet; id ille præ ceteris conſecutus eſſe reperitur, vt altiorem crucem nanciſceretur. Sunt de his complura exempla, vt ex diuinis Scripturis Eſther cap. 6. & 7. de patibulo Aman. Iuſtinus hiſt. lib. 18. de cruce Cartali, Suetonius in Galba cap. 9. de ciuis Romani cruce; itemq. ad crucem Polycratis tyranni delectum fuiſſe altiſſimum omnium montium, recitat Valer. Max. lib. 6. c. 9. exter. 5. Eadem puto ratione Auguſtum Imp. mandaſſe ſuffigi malo nauis Erotem ſuum in Ægypto procuratorem, de quo Plutarch. in apophtheg. Errant qui putant crucis ſupplicium ſublatum fuiſſe à Conſtantino Magno Imp. ſtatim poſt debellatum Maxentium: quandoquidem nec poſt biennium ſublatum noſcitur: extat etenim lex eius lata Voluſiano & Aniano Coſſ. qua reum maieſtatis patibulo affigendum ſanciuit, L. 1. li. 9. tit. 5. ad leg. Iuliam maieſt. Cod. Theod. Sed de his fuſiùs diximus in Anna lib. Eccleſ. Quod autem pertinet ad crucifixorum corpora, nec illud ſilentio prętereundũ; quòd etſi Iu[illegible] lege præciperentur eadem die corpora in patibulo ſuffixa deponere, Deut. cap. 21. Gentiles tamen vſque ad putrefactionem eadem in cruce pendere ſinebant. vnde Theodorus ille Cyrenęus hęc ad Lyſimachum Regem: Mea quidem nihil intereſt, humine, an ſublimè putreſcã. Valer. Max. lib. 6. cap. 3. exter. 3. & lib. 6. cap. 9. exter. 5. Porrò Chriſtianos conſueuiſſe redimere corpora ſanctorum martyrum ad ſepeliendum ea, Acta diuerſorum martyrum ſæpè teſtantur.

[e] Cyriaci, ac ſoc.] Agit de his item hac die Beda, conſentiuntque vet. manuſcripta.

[f] Peleuſij presbyt.] De eo item Beda, Vſuardus, & alij recentiores.

[g] Hegeſippi.] Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri Latinorum de eo hac die. Scribit res geſtas ipſius Euſeb. hiſt. lib. 4. cap. 8. & 21. S. Hieronym. de ſcript. Eccleſ. Niceph. lib. 2. cap. 28. & lib. 4. cap. 7. Recitat Euſebius nonnulla fragmenta ſcriptorum eius, quæ maximo cum detrimento veritatis hiſtoricæ primorum illorum temporum periere.

[h] Saturnini Epiſcopi.] De eo tabulæ eccleſiæ Veronenſis, & commentarius, cuius ſuprà meminimus, R. D. Auguſtini Valerij eiuſdem ciuitatis Epiſc. Cardinalis.

[i] Aphraatis.] Græci item, inter quos Theodoretus pluribus de ipſo agit hiſt. lib. 4. c. 24. ex quo & Niceph. hiſt. lib. 11. c. 25. Quantum autem hic Catholicæ fidei fuerit adiumento, cùm furor Arianorum magis magiſque inualeſceret, idem Theodoretus teſtatur pluribus.

## xxj. G Sexto Idus Aprilis. Luna. 8

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | | | |

ALEXANDRIÆ ſancti Ædeſij [a] martyris, fratris beati Apphiani; qui cùm impium Iudicem, quòd Deo dicatas virgines lenonibus traderet, palàm argueret, à militibus tentus, ſæuiſſimiſq. affectus ſupplicijs, in mare demerſus eſt pro Chriſto Domino. In Africa ſanctorum martyrum Ianuarij [b], Maximæ, & Macariæ. Carthagine S. Conceſſæ [c] martyris. Eodem die commemoratio ſanctorum Herodionis [d], Aſyncriti, & Phlegontis, de quibus ſcribit beatus Paulus Apoſtolus in epiſtola ad Romanos. Apud Corinthum beati Dionyſij [e] Epiſcopi, qui eruditione & gratia quam habuit in verbo Dei, non ſolùm ſuæ ciuitatis & prouinciæ populos, ſed & aliarum prouinciarum & vrbium Epiſcopos epiſtolis erudiuit; Romanoſque Pontifices adeò coluit, vt eorum epiſtolas publicè legere in eccleſia diebus Dominicis conſueuerit. Claruit autem temporibus Marci Antonini Veri, & Lucij Aurelij Commodi. Turonis ſancti Perpetui [f] Epiſcopi, admirandæ ſanctitatis viri. Ferentini ſancti Redempti [g] Epiſcopi, cuius meminit beatus Gregorius Papa. Apud Comum ſancti Amantij [h] Epiſcopi & confeſſoris.

## APRILIS 8.

AEDESII [a].] De eo item Græci. Porrò eius egregium certamen pro Chriſtiana fide exantlatum deſcribit Euſeb. hiſt. lib. 8. cap. 15. De Apphiano eius germano ſuperiùs quarto Nonas Aprilis.

[b] Ianuarij & ſoc.] Beda agit de his hac item die, cui etiam aſſentiuntur manuſcripta.

[c] Conceſſæ.] De qua etiam hac die Beda, quem & alij ſunt ſecuti.

[d] Herodionis, & ſoc.] De his hac die Græci in Menologio. Sunt hi, quorum meminit S. Paulus in epiſtola ad Roman. cap. 16. De ſingulis Dorotheus in ſynopſi, vbi ait, Herodionem Patrarum præfectum Epiſcopum, Rufum Thebarum, Aſyncritum Hyrcaniæ, Phlegontem autem Maratoniæ. At verò Hippolytus libel. de 72. diſcip. de Herodione teſtatur, fuiſſe Epiſcopum Tarſi.

[e] Dionyſij Epiſcopi Corinth.] Agit de eodem Vſuardus hac die: ſcribit de eo Euſebius in chron. & hiſt. lib. 4. cap 22. Hieronym. de ſcrip. & epiſt. 84. ad Magnum. De Clementis epiſtola ad Corinthios ſcripta teſtatur Euſebius, ſua memoria in plurimis eccleſijs legi ſolitam, hiſt. lib. 3. cap. 12. Id ipſum non de vna tantùm, ſed ceteris Encyclicis eiuſdē Clementis affirmat ſanctus Epiphan. in panat. hæreſ. 30. contra Ebionæos. Quod autem ſpectat ad epiſtolas Romanorum Pontificum, Gelaſius in Rom. Concilio hæc eſt locutus: Decretales epiſtolas, quas beatiſſimi Papæ diuerſis temporibus ab vrbe Romana pro diuerſorum Patrum conſolatione dederunt, venerabiliter recipiendas. Habentur eadem etiam diſtinct. 15. cap. Sancta Romana.

[f] Perpetui Epiſcopi.] De eo item Beda hac

die,

dic, Vſuardus, Ado, ac recentiores. Plura de eo ſcribit Greg. Turonen. hiſt. lib. 2. c. 14. lib. 10. cap. 31. & lib. 1. mirac. ſancti Martini, ſextumq. hunc numerat illius ſedis Epiſcopum. Extat Sidonij Apollin. ad hunc epiſtola 9. lib. 7. Laudat eumdem ſcribens ad Lucentium epiſt. 18. lib. 4. vbi meminit de baſilica ab eo conſtructa, de qua etiam Greg. Turonen. lib. 10. in fine. Interfuit S. Perpetuus primo Concil. Turonen. celebrato ſub Conſulatu Seuerini, anno Dom. 482. ſeditque (vt idem Greg. ſcribit) annis 30. Agit de eodem Sigebert. in chron. anno 473.

[g] Redempti Epiſc. ] De eo ſanctus Gregorius li. 3. dialog. cap. 38. Claruit temporibus Iuſtiniani atque Iuſtini Iunioris Impp. Præuidit cladem Longobardorum, quæ mox ſecuta eſt anno à Chriſto Domino 568. Indict. 1. vt in hiſt. Miſcel. lib. 16. in fine, Paul. diaconus, & alij.

[h] Amantij Epiſcopi. ] Præceſſit hic ſanctum Abundium eius ciuitatis Epiſcopum; ſucceſſit autem ſancto Felici, qui vixit temporibus ſancti Ambroſij, cuius ad eum extat epiſtola. Meminit de Amantio Epiſcopo Mombrit. in vita ſancti Abundij.

## 9 Quinto Idus Aprilis. Luna. A xx.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | | | |

ANTIOCHIÆ ſancti Prochori [a], qui fuit vnus de ſeptem primis diaconis, & fide ac miraculis clarus martyrio coronatus eſt. Romæ natalis ſanctorum martyrum Demetrij [b], Conceſsi, Hilarij, & ſociorum. Sirmij paſsio ſanctarum ſeptem virginum [c] & martyrum, quæ dato ſimul pretio ſanguinis, vitam mercatæ ſunt æternam. Cæſareæ in Cappadocia ſancti Eupſychij [d] martyris, qui ob euerſum Fortunæ fanum ſub Iuliano Apoſtata martyrium conſummauit. In Africa ſanctorum martyrum Maſſylitanorum [e], in quorum die natali ſanctus Auguſtinus tractatum habuit. Amidę in Meſopotamia ſancti Acatij [f] Epiſcopi, qui pro redimendis captiuis etiam eccleſię vaſa conflauit ac vendidit. Rhotomagi ſancti Hugonis [g] Epiſcopi & confeſſoris. In ciuitate Dienſi ſancti Marcelli [h] Epiſcopi, miraculis clari. In Iudæa S. Marię Cleophę [i], ſororis ſanctiſsimę Dei genitricis Mariæ. Romæ tranſlatio [k] corporis ſanctę Monicæ matris beati Auguſtini Epiſcopi, quod ex Oſtijs Tiberinis Martino Quinto Summo Pontifice [l] in Vrbem delatum, in eccleſia eiuſdem beati Auguſtini honorificè reconditum fuit.

## APRILIS 9.

PROCHORI [a]. ] De quo Acta Apoſt. cap. 6. Agit de eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Metaphraſtes eiuſdem meminit in ſerm. in natali Apoſt. die 19. Iunij, Dorotheus in ſynopſi, qui eum primum Nicomediæ Epiſcopum fuiſſe teſtatur: id etiam Petrus in catal. lib. 4. cap. 59. Legi id ipſum apud Hippolyt. mart. in libello de 72. diſcip. qui habetur Gręcè ſcriptus in biblioth. Cardinalis Sirleti.

[b] Demetrij & ſoc. ] Reſtituti ſunt ijdem ex prædicto vet. manuſcript. ſancti Cyriaci.

[c] Septem virginum. ] De quibus hac item die Beda, Vſuardus, Ado, & alij, conſentiuntque vet. manuſcripta.

[d] Eupſychij. ] Gręci etiam de eo hac die in Menolog. De delubro Fortunæ euerſo, cuius hic habetur mentio, ſcribit Gregorius Nazianz. orat. in funere patris, & orat. prima in Iulianum; quem irridens ob dirutum templum illud, eleganter Fortunam infortunatam appellat. Scribit de Eupſychio Sozom. hiſt. lib. 5. cap. 10. narratque eius martyrium, itemque Niceph. lib. 10. cap. 10. Quòd autem hunc dicunt ea de cauſa martyrium paſſum eſſe, quòd Fortunæ templum celeberrimum Cæſareæ Cappadociæ euertendum curauit temporibus Iuliani Apoſtatæ; ſanè aliquis exiſtimare poſſet, hunc eam ob cauſam martyris nomine non fuiſſe decorandum, propterea quòd repugnare videatur canon 60. Concilij Eliberini,

quo cautum repetitur, vt ſi quis idcircò occidatur à Gentilibus, quòd idolum fregerit, non habeatur inter martyres. Quod tamen ita intelligendum eſt, cùm quis ſponte; citra Chriſtianam manſuetudinem, ex nullo legis præſcripto, ſed furore quodam percitus inſilierit in idolum. At verò Eupſychium conſtat id perpetraſſe auctoritate legum Conſtantioi Magni, atque Conſtantij Impp. Chriſtianorum, quibus Iuliani Apoſtatæ tyrannis aduerſabatur: illorum enim iteratis ſanctionibus templa clauſa, idola proſtrata, illorumque ſacra protſus fuerant antiquata: quæ omnia Iuliani impietas reſtituere conabatur. Eſt & de his etiam ſancti Auguſtini doctrina in epiſt. 50. ad Bonifacium Comitem, qua ſignificat, à martyris titulo illum non eſſe excludendum, qui ex reſcripto Imp. Chriſtiani idola frangens, occiſus ſit. Quòd ſi iuſtè quis id facit, cùm Princeps iubet, & meretur laudem: multo magis licebit, cùm Deus iubet, & priuato quodam diuini Spiritus inſtinctu quis ad id faciendum impellitur, vt multos feciſſe conſtat. Alia multa eſſent in eamdem ſententiam dicenda, quæ præterimus. Meminit Gregorius Nazianzen. de eccleſia ſancti Eupſychij martyris, io eaque Epiſcoporum Synodom factam ſcribit, epiſtola 26. quę eſt 32. apud Baſilium. Fuit inſuper alius eiuſdem nomiois Eupſychius martyr in eadem prouincia Cappadociæ, quem paſſum Græci tradunt temporibus Hadriani Imp. de quo ijdem agunt io Menologio vij. Idos Septembris. Itemq. alius Eupſychius Epiſcopus Tianenſis in Cappadocia, qui interfuit Concil. Nicęno, quem & ſanctus Athanaſius io oratione prima contra Arianos adnumerat inter præcipuos Catholicæ fidei defenſores.

[e] Martyrum Maſſylitanorum.] Extat de his martyribus tractatus S. Aug. 42. de diuerſis, cuius etiam Poſſidius meminit in Indiculo.

[f] Acatij Epiſcopi.] Græci iidem. At verò eius res geſtæ ſcriptæ ſunt à Socrate lib. 7. cap. 21. Ex eo Caſſiod. trip. lib. 11. cap. 16. & Niceph. lib. 14. cap. 22. Claruit temporibus Theodoſij Iunioris, hoſtibus etiam ob egregiam virtutum præſtantiam venerandus.

[g] Hugonis Epiſc.] De quo etiam Molanus in additione ad Vſuardū, his verbis: Io Gallijs, ciuitate Rhotomagenſi, beati Hugonis pręfatæ vrbis Archiepiſcopi & coofeſſoris; cuius corpus magna reuerentia aſſeruatur & fulget in præpoſitura S. Vedaſti, Haſpris dicta, in diœceſi Cameracenſi. Hæc Molaous. In tabulis Epiſcoporum Rhotomagen. quas deſcripſit Demochares, ponitur vigeſimuſquintus eius ſedis Epiſcopus. Claruit circa anoum Domioi ſeptingenteſimum vigeſimum.

[h] Marcelli Epiſcopi.] Scribit de eo Gregor. Turonen. lib. de glor. confeſſ. cap. 70.

[i] Mariæ Cleophæ.] De qua Ioannes Euangeliſta cap. 19. & in eum locum interpretes.

[k] Tranſlatio S. Monicæ.] Facta eſt ſub Martino Papa Quinto, extatque diploma in regiſtro anno xiij. ſui Pontificatus. Legimus & ſermonem eiuſdem Pontificis ad Fratres Auguſtinianos, quo etiam hiſtoria texitur de eadem tum facta tranſlatione, inſuper & de miraculis, quę tunc etiam contigerunt. eſt eius exordium: Gaudeo mihi quoque, fratres religioſiſſimi, &c. Facta eſt hæc tranſlatio anno Domini 1430.

[l] Pontifice.] Duplex huius nominis penes antiquos interpretatio reperitur: altera Scæuolæ, Varronis altera. refert vtramque idem Varro de ling. Lat. lib. 4. his verbis: Pontifices (vt Q. Scæuola Pont. Max. dicebat) à poſſe, & facere. Pontifices, ego à ponte arbitror: nam ab ijs Sublicius factus eſt primū. Hęc Varro. Cùm plures autem inhęreant Varronis ſententię: ego verò Scęuolæ magis aſſentior. Nam antequā Sublicius pons intexeretur ab Anco Martio, vt Liuius & alij tradunt, iam à Numa Pompilio Pontifices quatuor, ac Pontifex Maximus creati fuerant; atque adeò prius eſt nomen Pontificis, quàm pons Sublicius. Quod autem ad Scęuolę interpretationem pertinet; ea quidem verba, Poſſe facere, duobus modis poſſunt accipi: Primò namque, vt idem ſit facere, quod ſacrificare: eo enim ſenſu hæc vox ab antiquis vſurpata ſæpiùs reperitur: vt Varro lib. 5. de ling. Latin. cùm ait: Agnam Ioui facit. & illud Plauti Aul. 18. Faciam tibi fideliam. Cicero pro Murena: Nolite à ſacris patriæ Iunoois ſoſpitæ, cui omnes Conſules facere oeceſſe eſt, domeſticum & ſuum Conſulē potiſſimùm auellere. Cenſorin. in die nat. cap. 1. Quid cauſæ ſit, vt merum fundendū Genio, non hoſtia faciendum putauerit. Et Virg. Buc. eclog. 3. *Cùm faciam vitula, pro frugibus ipſa venito.* At non tantùm penes Ethnicos ac profanos auctores frequens eſt, eam vocem tali ſignificatione poſitam reperiri, ſed etiam in diuinis Scripturis: vt Regum 3. cap. 18. Ego faciam bouem alterum, & imponam ſuper ligna, &c. Et paulò inferiùs ſic: Eligite vobis bouem vnum, & facite primi. Rurſumq. in nouo Teſtam. Luc. 22. Hoc facite io meam commemorationem. Eadem Paul. 1. ad Corinth. cap. 11. Sacrificium ſanctiſſimæ Euchariſtiæ per eadem verba eſſe mandatum, communis conſenſio Patrum confirmat. Rurſus autem eadem Scæuolæ verba, A poſſe facere, ius quoddam & facultatem quamdam ampliſſimā faciendi ſignificant. Qualis autem quantáve eſſet in Pontificibus auctoritas etiam ſupra Conſules, pluribus explicat Cic. lib. 2. de nat. deorum, & lib 2. de leg. Eodem quoque ſeoſu Pontificium dictum eſt ius ac facultas quędam aliquid agendi: hanc etenim propriā eſſe eius vocis ſignificationem, compluribus antiquarum ſcriptionum monumentis facilè demonſtratur: vt L. 1. de bonis maternis, Cod. Theod. vbi hæc leguntur verba: Sint in parentum poteſtate ac dominio: vt fruendi pontificium habeant, alienandi eis licentia denegetur. Sic & in L. 1. C. quæ res export. non deb. ſecundùm antiquam lectionē legit Cęlius Rhodig. lib. 6. c. 6. Ad Barbaricum transferēdi vini, olei, & liquaminis nullum quiſquam habeat pontificium. Arnob. in Pſal. 68. Hi, inquit, accipiunt pontificium iudicandi & corripiendi. Gelaſius Papa ad Epiſcopos Dardaniæ: Satis, inquit, conſtat, Acatium nullum habuiſſe pontificium ſententiam ſedis Apoſtolicæ ſine eius ootiooe ſoluendi. Complura alia loca cùm ex epiſtolis Symmachi, tum etiam ex alijs, diuerſiſque Impp. reſcriptis colligit Iuretus in not. ad epiſt. Symmach. 27. lib. 7. Eadem etiam ſignificatione Dei Eccleſia in precibus illis recitari ſolitis in ſolemnitate Cathedræ S. Petri vtitur illis verbis: Deus qui beato Petro Apoſtolo tuo collatis claoibus regni cęleſtis, animas ligandi atq. ſoluendi pontificium tradidiſti, &c. Congruit ergo his omnibus, vt Pontifex à Poſſe facere, & Pōtificium

ab

ab agẽdi facultate ius ipſum ſit appellatũ. Tranſijt cum proprietate ſui ſenſus vtrumque nomen in vſum Chriſtianę religionis, vt Epiſcopi ſint dicti Pontifices, iuſque ipſum diuinitus conceſſum, Pontificium appelletur. Fuit olim vetus ille vſus in Eccleſia, vt Epiſcopi omnes non tantùm Pontifices, ſed & ſummi Pontifices dicerẽtur, eò quòd Epiſcopatus ſummum ſacerdotium appellaretur: vnde Ambroſius ad Felicem Epiſcopũ Comenſ. li. 8. epiſt. 60. edit. Rom. Suſcepiſti, inquit, gubernacula ſummi ſacerdotij, &c. vnde & Epiſcopi appellati inueniuntur (vt diximus) ſummi Pontifices. Suppetũt de his quamplurima exempla, quorum pauca referimus. Habes in epiſtola Zoſimi Papę ad Heſychium Epiſcopum Salonitanum de clerico qui gradatim per ſingulos ordines Eccleſiaſticos meruerit, hæc verba: Iure inde ſummi Pontificis locum ſperare debebit. Gelaſius in epiſtola ad Epiſcopos Lucaniæ c. 8. Nec ſibi, inquit, meminerit vlla ratione concedi, ſine ſummo Pontifice ſubdiaconum vel acolythum ius habere faciendi, &c. per ſummum Pontificem Epiſcopum quemlibet intelligens. Sidonius Apollinaris item lib. 5. epiſt. 14. lib. 6. epiſt. 10. lib. 9. epiſt. 15. & Gaudentius Brixianus ſerm. de ſui ordinatione. Habent hæc etiam Synodica teſtimonia: vt in Concil. 1. Aurelian. cap. 3. his verbis: Cùm auctore Deo in Aurelianenſi vrbe fuiſſet Concilium ſummorum Antiſtitum congregatum, &c. Concil. Agathen. c. 6. ſic: Pontifices verò, quibus in ſummo ſacerdorio conſtitutis, &c. & can. 35. Si Metropolitanus Epiſcopus ad comprouinciales Epiſcopos epiſtolas direxerit, in quibus eos aut ad ordinationem ſummi Pontificis, aut ad Synodum inuitet, &c. In pręfatione Concilij Toletani ſexti ſic: Conuenientibus nobis Hiſpaniarum, Gallicięq. Pontificibus ſummis, &c. In hoc ſenſu ſunt & illa verba Hieronymi ad Aſellam epiſt. 99. Omnium pęnè iudicio dignus ſummo ſacerdotio decernebar, &c. Quæ quidẽ verba, qui antiquum illum loquendi vſum minùs callent, ad Pontificatum Romanę Eccleſię referunt. Cur autem Epiſcopi dicantur ſummi ſacerdotes, habes ex Auguſtino in q. 10. ex vtroque mixt. Quid, inquit, eſt Epiſcopus, niſi primus preſbyter, hoc eſt, ſummus ſacerdos? denique non aliter quàm compreſbyteros hîc vocat & conſacerdotes ſuos. Hæc Auguſtinus. Poſterior autem laudabilior & magis propria obtinuit loquendi conſuetudo, vt Summus vel Maximus is Pontifex diceretur, qui ceteris præeſt Epiſcopis, & vniuerſalis Eccleſiæ moderatur habenas. hic eſt Chriſti præcipuus Vicarius, & ſucceſſor Petri, Romanus Epiſcopus, vt qui non tantùm Vrbi, ſed & Orbi præeſt: de cuius ſede hæc S. Proſper libro de ingrat.

*Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris*
*Facta caput mundo, quidquid non poſſidet armis,*
*Religione tenet*, &c.

10 Quarto Idus Aprilis. Luna. B xix.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | | | |

EZECHIELIS [a] Prophetæ, qui à Iudice populi Iſrael, quòd eum de cultu idolorum argueret, apud Babyloniam interfectus, in ſepulchro Sem & Arphaxad Abrahæ progenitorum ſepultus eſt: ad quod orationis cauſa multi confluere conſueuerunt. Romæ natalis plurimorum [b] ſanctorum martyrum, quos ſanctus Alexander Papa, cùm detineretur in carcere, baptizauit. Hos autem omnes Aurelianus Præfectus naui vetuſtæ impoſitos, in altum mare deduci, & illic ligatis ad colla lapidibus mergi præcepit. Alexandriæ ſanctorum martyrum Apollonij [c] preſbyteri, & aliorum quinque, qui in perſecutione Maximini in mare demerſi ſunt. In Africa ſanctorum martyrum Terentij [d], Africani, Pompeij, & ſociorum, qui ſub Decio Imperatore & Fortuniano Præfecto virgis cæſi, equuleis torti, alijſque ſupplicijs cruciati, demum capitis obtruncatione martyrium compleuerunt. Eodem die ſancti Macarij [e] Epiſcopi Antiocheni, virtutibus & miraculis clari.

APRI-

EZECHIELIS Prophetæ [a].] Agunt Beda ac ceteri Latinorum de eodem hac die, Gręci autem xij. Kal. Auguſti in Menolog. Præter ea quæ in diuinis ſcripturis de eo teſtata habentur, ſcribunt Ioſephus antiq. lib. 4. c. 8. Epiphan. de Prophet. vit. & interit. c. 9. Iſidorus de vit. & obit. ſanct. c. 39. Dorotheus in ſynopſi cap. 16. De tempore autem eius prophetiæ agit S. Hieronym. in Ezechiel. cap. 1. & cap. 14. De frequenti cœtu populi concurrentis ad ſepulchrum eius hæc ſanctus Epiphanius vbi ſuprà: Multi ad monumentum eius confluunt ad precationem & obſequium: ſanè quando tanta eò frequentia vnà ad monumentum eius conueniunt, formidant Chaldęi ac metuunt, ne illum auferant; quapropter egredientes comitantur & deducunt. Hæc Epiphanius.

[b] Plurimorum ſanctorum martyrum.] De his item Beda, Vſuardus, Ado, & alij; omneſque ex actis ſancti Alexandri Papæ, quæ extant ex antiquis monumentis apud Sur. tom. 3. die 3. Maij. Habemus eadem manuſcripta.

[c] Apollonij & ſociorum.] Vſuardus de his item hac die, Petrus in catalogo lib 4. cap. 44. Habentur horum res geſtæ in Vit. Patrum parte 1. cap. 19.

[d] Terentij & ſociorum.] Græci etiam de his agunt hac die in Menologio; quorum Acta recitat Metaphraſtes, ex quo Lipoman. tom. 7. & Sur. tom. 2. Scribit Theodor. lector in collectaneis lib. 2. horum ſanctorum martyrum reliquias tranſlatas eſſe Conſtantinopolim x. Kalendas Octobr. Theodoſio Minore imperante.

[e] Macarij Epiſcopi.] Extant eius Acta relata à Sur. in tom. 2. Migrauit è vita anno Domini duodecimo ſupra milleſimum.

xviij. C Tertio Idus Aprilis. Luna. 11

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | | | |

ROMÆ ſancti Leonis [a] Papæ & confeſſoris, qui virtutum excellens meritis, dictus eſt Magnus. Eius temporibus celebrata fuit ſancta Synodus Chalcedonenſis, in qua ipſe per legatos Eutychem damnauit; cuius etiam Synodi decreta auctoritate ſua confirmauit; cumque multa ſanxiſſet, & luculenter ſcripſiſſet, de ſancta Dei Eccleſia & vniuerſo grege Dominico paſtor bonus optimè meritus, in pace quieuit. Pergami in Aſia ſancti Antipæ [b] teſtis fidelis, cuius meminit ſanctus Ioannes in Apocalypſi. Is ſub Domitiano Imperatore in bouem ęneum [c] candentem coniectus, martyrium conſummauit. Salonę in Dalmatia ſanctorum martyrum Domnionis [d] Epiſcopi, cum militibus octo. Gortinę in Creta ſancti Philippi [e] Epiſcopi, vita & doctrina clariſſimi; qui temporibus Marci Antonini Veri, & Lucij Aurelij Commodi eccleſiam ſibi creditam regens, à furore Gentilium, & hæreticorum inſidijs eamdem tutatus eſt. Nicomediæ ſancti Euſtorgij [f] preſbyteri. Spoleti ſancti Iſaac [g] monachi & confeſſoris, cuius virtutes ſanctus Gregorius Papa commemorat. Apud Gazam Palęſtinæ ſancti [h] Barſanuphij anachoretæ, ſub Iuſtiniano Imperatore.

APRILIS 11.

LEONIS Papæ [a].] De eodem hac die Beda, & alij nonnulli. Habetur eius vita in principio operũ eius, ſed longè breuior, quàm tot tantaq. præclara geſta ſpatio vnius & viginti annorum patrata expoſcere videantur; quæ ſingula, vt contigerunt, per annos ſingulos digeſſimus in Annal. Eccleſ.

[b] Antipæ.] Teſtem fidelem hunc appellat ſanctus Ioannes in Apocalyp. cap. 2. Agunt de eodem hac die Græci in Menolog. Acta autem eius

edidit

edidit Metaphraſtes, quæ & refert Lipom. tom. 7. & Surius tom. 2.

[c] In bouem æneum candentem. ] Decantata ore omnium antiquorum eſt hiſtoria de huius cruciamenti inuentione & vſu, de Perillo auctore, qui primus illud experiri coactus eſt à Phalaride tyranno Agrigentino. vnde illud Ouidij de arte amandi:

*Et Phalaris tauro violenti membra Perilli*
*Torruit: infelix imbuit auctor opus.*

Gentiles autem ea furoris rabie inſiluerunt in Chriſtianos, vt vetera quæque ac antiquata genera tormentorum in illorum interitum excitarent. Non tantùm enim aduerſus Antipam teſtem fidelem, de quo agimus, ſed aduerſus Euſtachium Romanum nobiliſſimum ciuem ac ſocios id generis exercuit cruenta ſæuitia impiorum ormenta. Sed quid noſtri? In bouem candentem (inquiunt Acta ipſorum) omnes ſimul alacri animo inſilierunt. Plus etenim præſtitiſſe noſtri noſcuntur, quàm de ſuis potuit animo fingere, non autem polliceri, ipſa Gentilitas. Nam Cicero lib. 2. Tuſcul. quæſt. cùm hæc ait de ſapiente: Talis in Phalaridis tauro ſi erit, dicet; Quàm ſuaue hoc eſt, quàm hoc non curo: mox ſubdit: Ego tantum non tribuo ſapienti cōtra dolorem: ſi fortis in perferendo, officij ſatis eſt; vt lætetur, non poſtulo. Hæc ille. Porrò Antipas noſter gratias immenſas Deo agens, Euſtachius cum ſuis exultans, candentem ingreſſus eſt taurum, & Pelagia virgo Tarſenſis illic cecinit hymnum Deo.

[d] Domnionis Epiſcopi & ſoc. ] De his etiam Vſuardus hac die; conſentiuntq. vet. manuſcr. Sociorū nomina hęc ſunt, Paulinianus, Telius, Aſterius, Anaſtaſius, Maurus, Septimius, Antiochianus, & Caianus: quorum corpora Ioannes Papa Quartus Dalmata tranſlata è Dalmatia, prope baptiſterium Conſtantini recondidit in oratorio à ſe decentiſſimè exornato. Aſſeruatur illic etiam corpus ſancti Venantij. Hæc eiuſdem eccleſiæ Lateranenſis vetera monumenta teſtantur.

[e] Philippi Epiſc. ] De eo item Beda, Vſuardus, Ado, & alij hac die. Agit de eodem Euſebius hiſt. lib. 4. cap. 24. Hieronymus de ſcript. Eccleſiaſt. & alij, qui ex eiſdem acceperunt.

[f] Euſtorgij presbyt. ] Vſuardus item de eo hac die, & alij recentiores.

[g] Iſaac monachi. ] De quo ſcribit ſanctus Gregorius libro 3. dialog. cap. 14. Viget adhuc Spoleti, vbi claruit ſanctitate, eius illuſtris memoria.

[h] Barſanuphij. ] Agit de eo Euagr. hiſt. lib. 4. cap. 32. & Niceph. hiſt. lib. 17. cap. 22. Floruit temporibus Iuſtiniani Imperatoris.

## 12 Pridie Idus Aprilis. Luna. D xvij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | | | |

VERONAE paſſio ſancti Zenonis [a] Epiſcopi, qui inter procellas perſecutionis eam eccleſiam mira conſtantia gubernauit, & Gallieni tempore martyrio coronatus eſt. In Cappadocia ſancti [b] Sabæ Gothi, qui ſub Valente Imperatore, cùm Athanaricus Gothorum Rex Chriſtianos inſequeretur, poſt dira tormenta in flumen proiectus eſt: quo etiam tempore (vt ſanctus Auguſtinus ſcribit) quamplurimi ex Gothis Orthodoxis martyrij corona ſunt inſigniti. Bracari in Luſitania ſancti Victoris [c] martyris, qui adhuc catechumenus, cùm idolum adorare noluiſſet, & Chriſtum Ieſum magna conſtantia confeſſus fuiſſet, poſt multa tormenta capite abſciſſo meruit proprio ſanguine baptizari. Firmi in Piceno ſanctæ Viſſiæ [d] virginis & martyris. Romæ via Aurelia natalis ſancti Iulij [e] Papæ, qui aduerſus Arianos pro fide Catholica plurimùm laborauit, ac multis præclarè geſtis, ſanctitate celebris quieuit in pace. Apud Vapingum oppidum ſancti Conſtantini [f] Epiſcopi & confeſſoris. Papiæ ſancti Damiani [g] Epiſcopi.

ZENONIS Epiſcopi [a].] De eo item hac die Beda, Vſuardus, & alij recentiores. S. Gregorius Papa, dum agit de inſigni illo miraculo inundãtis Atheſis in eius eccleſia edito, martyrem atque Pontificem eumdẽ appellat li. 3. dialog. c. 19. Paulus diaconus etiam de geſtis Longobardorũ lib. 3. c. 1. appellat eumdem Zenonem martyrem. Audiui aliquando nonnullos dubitare, an fuerint duo Zenones, vel vnus tantũ. Hanc controuerſiam, mea ſententia, dirimit epiſtola S. Ambroſij Epiſcopi Mediolanen. ad Syagrium Epiſcopũ Veronenſem: eſt 46. lib. 6. edit. Rom. in qua habetur mentio de alio Zenone, cuius iudicio probata fuit ac Deo dicata Indicia virgo, de qua illic agitur: eiuſdemq. Zenonis ſuſpicari quis fortaſſe poſſet eſſe ſermones illos qui nomine Zenonis martyris editi ſunt; quod quidem ex eo quoq. probabilius efficitur, quòd ille auctor lib. 3. ſerm. 5. de Natiu. Chriſti egregiè ſugillat hæreſim Arij, cùm agit de hæreticis illis, qui dicerẽt Dei Filium eſſe Deum, ſed non Patri coęternum, & tẽpus fuiſſe quando non fuit. Erant hæc enim Arij pręcipua dogmata, quæ illis Zenonis Iunioris temporibus Auxentius, Mediolani cùm eſſet, ſtuduit roborare. Eiuſmodi portentoſas voces atq. ſententias numquã anteà auditas, quàm poſt Arij emergentem hæreſim, nemo eſt qui neſciat, qui illorũ temporum res geſtas calleat. Nam etſi Cherinthus, Artemon, Ebion, Carpocras, ac Paulus Samoſatenus Chriſtum tãtùm hominem, nec Deum Patri ęqualem impiè dixerunt: nullus tamen qualem Arius doctrinam docuit, vt pluribus diſſerit Athanaſ. in decret. contra Arian. & alijs locis. Sed vt ad Zenonem, de quo agitur, ſeuertamur; ipſum tantùm inter ſanctos Epiſcopos recenſet eccleſia Veronenſis: quæ & iuniorẽ Zenonem agnoſcit, ac inter ceteros eius eccleſię Epiſcopos numerat; obijſſeq. temporibus S. Ambroſij, qui ſanctę memorię Zenonem Syagrij Epiſcopi prędeceſſorẽ appellat, optimè nouit. Ex quo antem (vt accepimus) non recepit Veronenſis eccleſia duos Zenones, à priori noſtra ſententia haud inuiti recedimus: tametſi negandum non ſit, nonnullos ſermones inter opuſcula S. Zenonis impreſſos, martyri qui ſub Galheno coronatus eſt, conuenire nõ poſſe, in quibus arbitramur eos eſſe qui Arij hæreſim confutant manifeſtè: quod, ni fallimur, multis rationibus & optimis coniecturis probari poſſet, ſi id notationis anguſtię pateretur. Et certè nouum non eſt in operibus vnius veteris ſcriptoris aliquid alterius admiſceri, ſiue ex nominis ſimilitudine, ſiue ex argumẽti affinitate. Quod verò ad Zenonem martyrem ſpectat; errare certè illi nobis videntur, qui vnum aſſerentes Zenonẽ, eum Ambroſij tẽporibus vixiſſe volunt; eaq. potiſſimùm niſi ratione, quòd auctor in oratione de pudicitia numeret ab Apoſtoli Pauli ad Corinthios primam ſcribentis epiſtolam tẽpore annos (vt ait) fermè quadringẽtos, & eò ampliùs. Certè ſi quis numeret annos quadringentos ab anno Domini quinquageſimoſeptimo, quo illam eſſe à Paulo ſcriptam epiſtolam, in Annalibus demonſtrauimus; oportuit auctorem eam ſcripſiſſe anno Domini quadringenteſimo quinquageſimoſeptimo; poſt obitum verò Ambroſij, qui (vt habet Marcellinus in chronico) obijt anno Domini treceteſimo nonageſimoſeptimo, annis ſexaginta. Quamobrẽ cùm illa numeri nota nec (vt volunt) Ambroſij temporibus aptari poſſit; mẽdoſam eſſe, neminem puto iure poſſe negare. Sed his accedit, quòd dum auctor in eodem ſermone inuehitur vehementer in feminas quæ Gentilibus nubunt; dumq. apertiſſimè mõſtrat idolorum templa tunc fuiſſe patentia, & victimas ſolitas immolari: aliud prorſus ab Ambroſij temporibus illud fuiſſe ſæculum, auctor apertè ſignificat; cùm conſtet iam olim non tantùm à Conſtantino, vt ait Euſebius in vita ipſius lib. 2. cap. 42. 43. & à Conſtantio, vt Ammianus lib. 19. & alij teſtantur, victimas fuiſſe vetitas, & templa iuſſa claudi; ſed eo tempore nec Romanos obtinere potuiſſe vel aram vnam erigere Victoriæ, vt pluribus ad Valentinianum ſcribit Ambroſius, & aduerſus Symmachũ diſputat. Sic igitur cũ ex his quæ dicta ſunt, nulla ratione ea lectio ſubſiſtere poſſit, annorùm quadringẽtorum, nec minùs trecentorum, ſuperadditis illis quinquagintaſeptem, qui pręcedunt illius Pauli epiſtolæ ſcriptionem; iure meritoq. in recentiori editione reſtitutus eſt numerus annorum ducentorum. Nam numerando ducentos annos & ampliùs (quod habet verus lectio) ab anno Domini quinquageſimoſeptimo, quo (vt diximus) ea ad Corinthios epiſtola ſcripta eſt, ad Gallieni tempora, quĩ imperare cœpit anno Domini ducenteſimo quinquageſimoquinto, ſub quo Zeno ponitur paſſus, deducitur numerus reſtitutus. Rurſum verò dum in ſerm. ſecundo de auaritia auctor ait in nummis excudi ſolere ſigna idololatrię, eademq. idola quæ colerentur in templo; clarè demonſtrat auctorem longè ante Chriſtianorum Impp. tempora claruiſſe: nam à Conſtantino Magno iuſſum eſſe vt nummis Crucis ſigno imprimeretur, teſtatur Sozom. li. 1. c. 8. ſed multo apertiùs numiſmata ipſius & ſucceſſorũ Auguſtorum, quę extant, id demonſtrant. Adhuc inſuper cùm auctor in ſerm. de Spirit. ędif. domus Dei, planè demonſtret, eo tẽpore nullum templum, aut petrarum fuiſſe erectum, quod poſſet comparari cum ędibus idolorũ; prorſus ſignificat ſè ante Conſtantini tempora claruiſſe, cuius opera, certum eſt, tam in Occidente (pręſertim verò Romæ) quàm in Oriente, vt Ieroſolymis, Antiochiæ, & Conſtantinopoli, alijſq. in locis auguſtiſſimas erectas eſſe baſilicas. Multa his addenda eſſent; ſed quoniam notationes tantùm ſcribimus, nõ apologias; his cõtentus, Lector, eſto. Plura autem eodem argumento eruditè notata habes in præfatione operum ſancti Zenonis, quæ iuſſu & diligentia Ill. & R. Auguſt. Valerij Cardinalis ampliſſ. Epiſcopi Veronenſis nuper ſunt edita: probamus quidem ea, vt multò ſtudio egregiè curatum opus; licet in aliquibus (vt diximus) in his quæ ad veritates quorumdem ſermonum ſpectant, non æquè eidem aſſentiamur.

[b] Sabæ Gothi.] Agunt de eodẽ Gręci decimoquarto Kal. Maij in Menolog. Extant eius Acta, quæ Metaphraſt. ex antiquioribus exemplaribus deſcripſit: refert eadem Lipom. tom. 7. & Surius tom. 2. hac die. Meminit de ea perſecutione S. Auguſtinus de ciuitate Dei li. 18. c. 52. cuius locus hîc conſultò citatur: ne videatur hic ex numero illorũ

eſſe,

eſſe, quos in Arianam hæreſim lapſos tradunt hiſtorici. Paſſus eſt Sabas (vt eius Acta teſtantur) Modeſto & Arintheo Coſſ. qui eſt annus Domini, ſecundùm Faſtos Onuphrij, trecenteſimus ſeptuageſimusſecundus.

[c] Victoris.] De eodem hac die agitur in breuiario Toletano S. Iſidori. Recenſet hunc Vaſæus in chron. Hiſpan. anno Domini 306. inter eos qui paſſi ſunt ſub Diocletiano Imperatore. Eadem in Flor. ſanct. Hiſpan.

[d] Viſſiæ.] De qua etiam tabulæ Firmanæ eccleſiæ, quas Romam allatas vidimus.

[e] Iulij Papæ.] Agunt de eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij; in quibus omnibus corrigenda ſunt, quæ de exilijs ipſius habent. Nam tantum abeſt, vt Iulius ſedis ſuæ tempore exilia paſſus ſit, vt ipſe in tranquilliſſima pace agens, exturbatos ab Arianis, Conſtantij tempore, Epiſcopos Romæ benignè acceperit, optimeque de illis meritus ſit; vt inter alios ſanctum Athanaſium Epiſcopum Alexandrinum, & Paulum Epiſcopum Conſtantinopolitanum. Licet autem Oriens vniuerſus Arianorum procellis eo tempore agitaretur; Occidentalis tamen Eccleſia ſumma fruebatur tranquillitate: nam Conſtans Orthodoxus Imperator tunc regnabat in Occidente; cuius ope, agente eodem ſancto Iulio Papa, coacta eſt aduerſus Arianos Synodus Sardicenſis, ex qua extorres & exules Catholici Epiſcopi poſtliminiò ad propria redierunt. At hæc quidem, cùm ex Græcis hiſtoricis atque Latinis, tum etiam ex Athanaſio in apologia ſecunda, & in epiſtola ad ſolitarios, probata quiſque cognoſcet.

[f] Conſtantini Epiſcopi.] De eo etiam Vſuardus hac die. Hic interfuit Concilio Arauſicano habito ſub Cyro Conſule, anno Domini 441. Eſt mentio item de Conſtantino Epiſcopo in Synodo Gallicana celebrata tempore Leonis Papæ, vt conſtat ex eius Synodica ad eumdem S. Leonem tunc ſcripta.

[g] Damiani Epiſcopi.] Tabulæ eccleſiæ Papienſis de eodem agunt hac die. Laudat hunc mirificè Paulus diaconus de geſt. Longobar. lib. 5. c. 15. atque huius dicit eſſe epiſtolam ſcriptam nomine Manſueti Epiſcopi Mediolanenſis lib. 6. cap. 3. Sed miror quidem: nam non Damianus, ſed Magnus Epiſcopus Ticinenſis interfuit vnà cum Manſueto illi Romanæ Synodo ſub Agathone Romano Pontifice, vt apparet ex ſubſcriptione Synodicæ tunc ſcriptæ, quæ recitatur in Actione quarta Sextæ Synodi. Opinatus eſt ea de cauſa Latinius noſter, eumdem Damianum cognomento Magnum eſſe dictum.

## 13 Idibus Aprilis. Luna. E xvj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | | | |

PERGAMI in Aſia natalis ſanctorum martyrum Carpi [a] Epiſcopi Thyatirenſis, Papyli diaconi, & Agathonicæ ſororis eius optimæ feminæ, Agathodori quoque eorum famuli, aliorumq. multorum, qui poſt varios cruciatus, pro beatis confeſſionibus martyrio coronati ſunt in perſecutione Marci Antonini Veri, & Lucij Aurelij Commodi. In qua etiam perſecutione Romę paſſus eſt vir mirabilis Iuſtinus [b] philoſophus, qui cùm ſecundum librũ pro religionis noſtræ defenſione prętatis Imperatoribus porrexiſſet, eamq. ibidem diſputando ſtrenuè propugnaſſet, Creſcentis Cynici, cuius vitam & mores nefarios redarguerat, inſidijs accuſatus quòd Chriſtianus eſſet, remunerationem linguæ fidelis, martyrij munus accepit. Hiſpali in Hiſpania ſancti Hermenigildi [c] filij Leuuigildi Regis VViſigothorum Ariani, qui ob Catholicæ fidei confeſſionem in carcerem coniectus, cùm in ſolemnitate Paſchali communionem ab Epiſcopo Ariano accipere noluiſſet, iuſſu perfidi patris ſecuri percuſſus, regnum cæleſte pro terreno Rex & martyr intrauit. Eodem die paſſio ſanctorum Maximi [d], Quinctiliani, & Dadæ, in perſecutione Diocletiani. Rauennæ ſancti Vrſi [e] Epiſcopi & confeſſoris.

O APRI-

CARPI Epiſcopi, & ſociorum [a]. ] Agunt de his item hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri Latinorum, Græci autem in Menelog. ad tertium Idus Octobris. Scribit de his Euſebius hiſtor. libro 4. cap. 14. & Niceph. libro 3. cap. 36. Pluribus autem Metaphraſtes horum Acta proſecutus eſt, quæ recitat Lipom. tom. 6. & Surius tom. 2. hac die.

[b] Iuſtinus Philoſophus. ] De quo ijdem qui ſuprà Latini auctores, licet malè eum iungant prædictis martyribus, qui paſſi ſunt Pergami; cùm nihil ſit inter eos commune præter tempus perſecutionis. Conſuluiùs de Iuſtino martyre Græci, qui in Menologio de eo agentes Kalend. Iunij, Romæ paſſum affirmant, vt ſe res habet. Narrant ibidem paſſum eſſe ſanctum Iuſtinum ſub Ruſtico Præſide vnà cum Caritone, Caritina, Euelpiſto, Hierace, Peone, & Valeriano, ſeu Liberiano, quorum omnium Acta habet Metaphraſtes tertio Idus Iunij, relata à Lipom. tomo 7. & Surius tomo 3 ea die: qui tamen incertum ſibi eſſe dicit, an ſit ille ipſe Iuſtinus philoſophus, de quo hac die agitur; ſeque in contrariam ſententiam procliuiorem eſſe fatetur. At verò ſancti Epiphanij auctoritate omnis de Iuſtino Philoſopho & martyre tollitur difficultas: dum enim in Panario agens contra Tatianum hæreſ. 46. narrat eumdem ſanctum Iuſtinum philoſophum paſſum eſſe ſub Ruſtico Præſide; planè demonſtrat, hunc de quo agimus, vnum eumdemque eſſe cum illo, cuius Acta ex antiquioribus monumentis Metaphraſtes deſcripſit: quibus expreſſum habetur, eum cum ſocijs eſſe paſſum ſub Præſide Ruſtico: optimè enim nota ſancto Epiphanio ea Acta fuiſſe videntur, dum eadem de ſancto Iuſtino ipſe teſtatur. Sunt ſanè germana atque ſincera, nulliſque paraphraſibus circumducta, ſed prout deſcripta fuerunt ex Actis publicis. Errore tamen librariorum factum ſcias, vt apud eumdem Epiphanium legatur idem ſanctus Iuſtinus paſſus ſub Hadriano Imperatore; cùm ipſe probè nouerit, ab eodem Iuſtino ſcriptam fuiſſe apologiam ad Antoninum Pium, qui poſt Hadrianum imperauit. irrepſit error, vt pro Antonino Hadrianus poſitus habeatur. Habes itaque, Lector, ipſiſſima Iuſtini philoſophi & martyris Acta, relata apud Metaphraſtem, Lipom. & Surium ad tertium Idus Iunij, qua die (vt diximus) de eo Græci agunt in Menologio. Scribit etiam de eius martyrio Euſebius hiſtor. libro 4. cap. 15. & ſanctus Hieronymus de ſcript. Eccleſiaſt. in Iuſtino. Si autem primordia eius ſcire cupis, habes ipſa optimè ab ipſomet deſcripta in dialogo cum Tryphone. De ſua ad Chriſti fidem conuerſione meminit in oratione quam habuit in Senatu. De tempore quo vixit, idem agit in apologia quam obtulit Antonino Pio, dum ſupputat annos à Chriſto Domino centum & quinquaginta: eſt is annus duodecimus Antonini Pij, Conſulibus autem Orfito & Priſco, licet Euſebius in chronic. dicat ipſum eamdem dediſſe apologiam anno Domini 143. Agit de eodem Iuſtino ſanctus Irenæus libro 1. cap. 31. qui ex illius ſcriptis (vt idem ſcribit Euſebius lib. 4. cap. 17.) ſæpiùs teſtimonium petere conſueuit. De eodem Theodoretus libro hæretic. fabul. in Menandro, & alij antiquorum Patrum. Nouiſſimè verò Petionius ex eius commentarijs texuit vitam eius, quam recitat Surius tomo ſecundo: ſed quæ maioris erant ponderis, Acta publica eius martyrij prætermiſit.

[c] Hermenigildi. ] De quo hac item die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Scripſit martyrium eius ſanctus Gregorius libro 3. Dialog. cap. 31. Quæ autem præceſſerunt necem eius, narrat Gregorius Turonen. hiſt. Franc. libro 5. cap. 38. libro 6. cap. 43. & libro 8. cap. 28. Martyrio coronatur anno Domini 584 ſequenti verò anno (vt habet Iſidori chronicon) Leuuigildus pater deceſſit. Vaſæus item dicto anno Hermenigildum occiſum tradit, Ado autem in chronic. anno 583. Marian. Scot. & Sigebert. anno 586. Qui omnes in his quæ ſunt temporis errare noſcuntur, ac plus ceteris Gregorius Turonen. dum libro 8. cap. 28. de eius cæde agens, recenſet eam factam anno decimo Childeberti Regis, qui eſt annus Chriſti 588. Miror admodum hominem in his quæ ſuis temporibus facta ſunt, erraſſe, atque res geſtas eiuſdem Hermenigildi adeò parum calluiſſe. Priori ſententiæ de annis 584. adſtipulantur Acta Synodica Concilij Toletani tertij, quibus dicitur illud celebratum eſſe anno quarto Reccaredi Regis ſucceſſoris Leuuigildi, æra (vt habent) ſexceteſima vigeſimaſeptima, qui eſt annus à Chriſto 589. Ex quibus patet prædictum Regem regnare cœpiſſe anno Domini 585. quo extinctus eſt Leuuigildus, qui (vt etiam Gregorius Turonen. affirmat) poſt annum à cæde filij Hermenigildi ex hac vita deceſſit.

[d] Maximi, & ſoc. ] Agunt de his item hac die Græci in Menologio.

[e] Vrſi Epiſc. ] De eo etiam tab. eccl. Rauen. Pluribus Hieron. Rub. hiſt. Rauen. lib. 2. Succeſſit (vt ait) Liberio: claruit tempore Theodoſij Imp. eiuſq. nomine dicta eſt baſilica Vrſiana.

Decimo-

## 14 Decimooctauo Kalend. Maij. Luna. F xv.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 1 2 3
t u A B C D E f F G H M N P
4 5 6 7 8 9 10 11 10 11 12 13 14 15

ROMÆ via Appia natalis ſanctorum martyrum Tiburtij[a], Valeriani, & Maximi ſub Alexandro Imperatore, & Amachio Præfecto: quorum primi beatæ Cæciliæ exhortatione ad Chriſtum conuerſi, & à ſancto Vrbano Papa baptizati, ob fidei confeſſionem fuſtibus cæſi, gladio percuſſi ſunt: Maximus verò Præfecti cubicularius, horum permotus conſtantia, & angelica viſione firmatus, in Chriſtum credens, tamdiu plumbatis verberatus eſt, donec ſpiritum exhalaret. Interamnæ ſancti Proculi[b] Epiſcopi & martyris. Item ſanctæ Domninæ[c] virginis & martyris, cum ſocijs virginibus coronatæ. Alexandriæ ſanctæ Thomaidis[d] martyris. Eodem die ſancti[e] Ardalionis mimi, qui cùm ſacris Chriſtianorum in theatro illuderet, de repentè mutatus, ea non ſolùm verbis, ſed & teſtimonio ſui ſanguinis comprobauit. Lugduni ſancti Lamberti[f] Epiſcopi & confeſſoris. Alexandriæ ſancti Frontonis[g] abbatis, cuius vita ſanctitate & miraculis claruit. Romæ ſancti Abundij[h] manſionarij eccleſiæ ſancti Petri.

## APRILIS 14.

TIBVRTII, Valeriani, & Maximi[a].] De his item hac die Beda, Vſuardus, Ado, atque alij Latinorum, Græci autem vnà cum S. Cæcilia ad decimum Kalend. Decembr. in Menologio. Habentur horum martyrum Acta in vita S. Cæciliæ. In cœmeterio Calliſti, vbi conditi ſunt, nota ſunt loca eorum, vbi hactenus lapide inſculptus eſt locus Maximi; dictaque eſt ea pars cœmeterij à maioribus, Ad S. Cæciliam, vt etiam ſuprà notauimus. De tempore quo paſſi ſunt, plura inferiùs in natali S. Cæciliæ.

[b] Proculi Epiſcopi.] De eodem etiam Beda, Vſuardus, Ado, & alij hac die. Diuerſus hic videtur ab illo Proculo, de quo ſuprà xvj. Kal. Martij, de quo in rebus geſtis ſancti Valentini mart. Epiſcopi Interamnen. Extant apud Sur. tomo 1. 14. Februarij. De hoc autem vide Petrum in catal. lib. 1. cap. 15. vbi ponitur paſſus ſub Totila; quod ſi verum eſt, duos Valentinos Epiſcopos Interamnenſes, duos itidem Proculos date oportet: nam alter Valentinus paſſus reperitur temporibus Gentilium Imperatorum, vt ex eius Actis conſtat, in quibus de Proculo & ſocijs mentio habetur.

[c] Domninę.] De eadem ijdem qui ſuprà, Beda, & alij. Habentur eius Acta iuncta ſimul cum rebus geſtis ſancti Proculi, de quo modò egimus.

[d] Thomaidis.] Agunt de eadem hac item die Græci in Menologio: plura de ea in Actis ſanctæ Febroniæ.

[e] Ardalionis.] Gręci itidem de eo hac die in Menolog. vbi etiam paucis magna hiſtoria texitur, quomodo hic, ſicut olim Geneſius ille, ex hiſtrione factus eſt martyr. Conſueuerunt Gentiles in deriſu Chriſtianæ religionis, perſonas in theatrum introducere, quæ Acta Chriſtianorum repræſentarent: ſed Deus, qui illuſores irridet, iocos in rem ſeriam, fabulam in hiſtoriã, & mimum conuertebat in martyrem. Legimus huius generis celebre exemplum de Dioſcoro architheatro apud ſanctum Auguſtinum epiſt. 67. ad Alipium.

[f] Lamberti Epiſc.] De eo item Molanus in addit. ad Vſuardum, & in annotat. recentioris editionis. De eius electione alijſque pluribus ſcribit Angradus monach. in vita S. Anſberti, quam recitat Sur. tom. 1. die 9. Februarij. Succeſſit hic ſancto Geneſio eiuſdem ciuitatis Epiſcopo. Dicitur hic alio modo, Landebertus, numeraturq́ue quadrageſimus, vel quadrageſimustertius Epiſcopus Lugdunen. ſecundùm diuerſas tabulas, quas deſcripſit Demochates de ſacrif. Miſſæ. Scripſit & eius vitam idem Angradus monachus, vt ipſe teſtatur in Anſberto. Claruit circa annum Domini ſexcenteſimum ſeptuageſimum.

[g] Frontonis abb.] Beda, Vſuardus, Ado, & alij

alij de eodem hac die. Habentur eius res geſtæ in vitis Patrum, parte 1. cap. 47.

[h] Abundij.] Agit de Abundio manſionario ſanctus Gregorius lib. 3. dialog. cap. 24.

## xiiij. G Decimoſeptimo Kalend. Maij. Luna. 15

| | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |

ROMÆ ſanctarum Baſiliſſæ[a] & Anaſtaſiæ nobilium feminarum, quæ cùm eſſent Apoſtolorum diſcipulæ, & conſtantes in fidei confeſſione perſiſterent, ſub Nerone Imperatore lingua pedibuſq. præciſis, percuſſæ gladio, martyrij coronam adeptæ ſunt. Eodem die ſanctorum martyrum Maronis[b], Eutychetis, & Victorini, qui primò cum beata Flauia Domitilla apud inſulam Pontiam in Chriſti confeſſione exules, poſtmodum ſub Principe Nerua[c] liberati, cùm plurimos ad fidem conuertiſſent, in perſecutione Traiani à Valeriano Iudice varijs pœnis iuſſi ſunt interfici. In Perſide ſanctorum martyrum Maximi[d] & Olympiadis, qui ſub Decio Imperatore fuſtibus & plumbatis cæſi ſunt, & ad vltimum capita eorum fuſtibus tunſa, donec emitterent ſpiritum. Ferentini in Hernicis ſancti Eutychij[e] martyris. Myræ in Lycia S. Creſcentis[f], qui per ignem martyrium conſummauit. Item ſanctorum martyrum Theodori[g] & Pauſilippi, qui ſub Hadriano Imperatore paſſi ſunt.

## APRILIS 15.

BASILISSÆ & Anaſtaſiæ [a].] Agunt de his etiam hac die Græci in Meoolog. earumq. res geſtas, prout hîc narrantur, pluribus referunt: adduntque ab ipſis eurata eſſe corpora ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, cùm martyrio occubuiſſent, ob eamque cauſam comprehenſas, atque interemptas fuiſſe.

[b] Maronis & ſociorum.] De his item hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij, licet Beda Maronem prætereat. Quorum omnium paſſionis Acta recenſita habentur in vit. ſanct. martyrum Nerei & Achillei apud Sur. tom. 3. die 12. Maij. Ad ſepulchrum autem S. Victorini eiuſmodi habetur inſcriptio: IVBENTE DEO CHRISTO NOSTRO, SANCTO MARTYRI VICTORINO QVODVVLTDEVS DE SVO FECIT.

[c] Sub Principe Nerua liberati.] Conſulto hæc addita videntur: ex quibus etiam illorum Acta ſunt corrigenda, vbi legitur illos ſub Neruâ redactos eſſe in ſeruitutē. conſtat etenim Neruam Imp. non tantùm Chriſtianos non vinxiſſe, ſed vinctos potiùs è cuſtodia eduxiſſe, & exules proſcriptoſq. reſtituiſſe, promulgato de ea re edicto, vt teſtatur Euſeb. in chron. & hiſt. li 3. c. 15. cuius edicti vigore etiā S. Ioannes Euangeliſta ex inſula Patmos, vbi à Domitiano fuerat relegatus, liber eo tempore Epheſum redijt, vt idem Euſebius ſcribit, & ſanctus Hieronymus de ſcript. Eccleſ. in Ioanne. Irrepſit error in illa Acta, vt loco Neruæ Traiani, Nerua ſimpliciter poſitus habeatur.

[d] Maximi & Olympiadis.] De his item hac die Beda, Vſuard Ado, & alij. Extant horum Acta in exordio vitę S. Laurentij apud Sur. tom. 4. vbi legitur, hos paſſos eſſe Cordubæ in Perſide. Interdum ſuſpicatus ſum, pro Corduba, Corduena eſſe reſtituendum. Eſt Corduena ciuitas in Perſide, cuius meminit Ammian. Marcellin. lib. 23. circa med. & lib. 24. in fine. Meminit & Plin. de Corduenis populis ad Tigrim poſitis. De his pleniùs infrà vigeſimaſecunda huius menſis, in Parmenio. De eadem quoque Cordoena pluribus Æthicus in Coſmographia, vbi agit de Tigri fluuio.

[e] Eutychij.] Quando hic paſſus ſit, non inuenimus: meminit eius eccleſiæ ſanctus Greg. Papa lib. 3. dialog. cap. 38. in Redempto Epiſcopo.

[f] Creſcentis.] De eodem hac die Græci etiam in Menologio.

[g] Theodoſij & Pauſilippi.] Græci itidem de his in Menologio agunt hac die.

Sexto-

16 Sextodecimo Kal. Maij. Luna. A xiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | | | |

CORINTHI natalis ſanctorum martyrum Calliſti [a] & Chariſij, cum alijs ſeptem, qui omnes in mare demerſi ſunt. Cæſarauguſtæ in Hiſpania natalis ſanctorum decem & octo martyrum, Optati [b], Luperci, Succeſſi, Martialis, Vrbani, Iuliæ, Quinctiliani, Publij, Frontonis, Felicis, Cæciliani, Euentij, Primitiui, Apodemij, & aliorum quatuor, qui Saturnini vocati eſſe referuntur. Hi omnes ſub Daciano Hiſpaniarum Præſide ſimul pœnis affecti, atque interempti ſunt: quorum illuſtre martyrium Prudentius verſibus exornauit. Ibidem ſanctæ Encratidis [c] virginis & martyris, quæ laniato corpore, mamilla abſciſſa, & iecore auulſo, adhuc ſuperſtes in carcere incluſa eſt, donec vlceratum corpus putreſceret. In eadem ciuitate ſanctorum Caij [d] & Crementij, qui ſecundò confeſſi, & in fide Chriſti perſeuerantes, martyrij calicem guſtauerunt. Item ibidem ſancti Lamberti [e] martyris. Palentiæ ſancti Turibij [f] Epiſcopi Aſturicenſis, qui ope ſancti Leonis Papæ hæreſim Priſcilliani ex Hiſpania penitus profligauit, clarusque miraculis in pace quieuit. Bracharę in Luſitania ſancti Fructuoſi [g] Epiſcopi. Eodem die ſancti Paterni [h] Epiſcopi Abricenſis. In Belgis apud Valencenas ſancti Drogonis [i] confeſſoris.

## APRILIS 16.

[a] CALLISTI & ſoc.] De his item hac die Beda, Vſuardus, Ado, Petrus in catalogo libro 4. cap. 55.

[b] Optati, & ſoc.] Agunt de his etiam ijdem qui ſuprà. Scripſit de his ſacrum hymnum Prudentius in Periſtephan. Paſſi feruntur in perſecutione Diocletiani Imperatoris, vt Vaſæus in chron. Hiſpan. teſtatur.

[c] Encratidis.] Vulgò Engratia. De ea etiam Prudentius eodem hymno, his verſibus:

*Hic & Encrati recubant tuarum*
*Oſſa virtutum, quibus efferati*
*Spiritum mundi violenta virgo*
*Dedecoraſti.*

Pluribus de eadē in Flore ſanct. Hiſp. ac in Theſauro conc. to. 2. vbi plura de eius ſacris reliquijs.

[d] Caij & Crementij.] Agit de his etiam idem Prudent. eodem hymn. 4. Periſteph. his verſibus:

*Addimus Caio (nec enim ſilendi)*
*Teq́ue Crementi, quibus incruentum*
*Ferre prouenit decus & ſecundo*
*Laudis agone.*
*Ambo confeſſi Dominum, ſteterunt*
*Acriter contra fremitum latronum:*
*Ambo guſtarunt leuiter ſaporem*
*Martyriorum.*

[e] Lamberti.] De eodē Vaſæus in chron. Hiſp. anno 306. Pluribus autem in Flore ſanct. Hiſpan.

[f] Turibij Epiſc.] Extat inſignis S. Leonis Papæ epiſt. 93. ad Turibium Epiſcopum Aſturicenſem conſcripta aduerſus hæreſim Priſcilliani iterùm pullulantem, qua etiam idem agit de cogenda Synodo in Hiſpania: quod nauiter impletum eſt; nam tunc temporis ea de re coacta eſt Synodus Galliciæ, qua omnes Priſcilliani errores reciſi ſunt. Extat einſdem Synodi aſſertio fidei recenſita errore quodam ſub primo Concilio Toletano, quod celebratū fuit Stilicone iterùm Conſule, anno à Chriſto Domino 405. Porrò ſi quis eam conferat cum dicta epiſtola Leonis Papæ, facilè intelliget ea omnia excerpta eſſe ex illa epiſtola quæ ſcripta reperitur Alipio & Ardaburio Coſſ. anno Domini 447. quo etiam dicta Synodus coacta eſt, dicenda iure Synodus Galliciæ. Mentio habetur eius Synodi in præfatione primi Concilij Bracharenſis, ex qua conſtat Turibium fuiſſe etiam Notarium ſedis Apoſtolicæ. Plura de eodem in Theſaur. conc. tom. 2. hac die.



Digitized by Google

[g] Fructuoſi Epiſc. ] De eodem in Breuiario Toletano, quinto Idus Aprilis. Hunc ſancta Synodus Toletana, decima dicta, transtulit à ſede Dumienſi in Bracharenſem, vt metropolim Galliciæ gubernaret, vt conſtat ex dicto Concilio in decreto de Potamio. De eo item pluribus in Flore ſanct. Hiſpan. & in Theſaur. concion. tom. 2. hac die. Habent & Segobienſes ſuum Fructuoſum, quem vt patronum colunt, de quo in Theſauro concion. tom. 2. die 25. Octobris.

[h] Paterni Epiſc. ] Huius Acta ex antiquis monumentis eruta habet Sur. tom. 2. Ad hunc ipſum olim abbatem extat carmē Venantij Fortunati de emendatione codicis. Numeratur quartus Abricenſis ſedis Epiſcopus in tab. Democh. Claruit circa annum Domini quingenteſimum ſexageſimum, temporibus Childeberti Regis Francorum.

[i] Drogonis.] Agit de eodem Molan. in addit. ad Vſnard. Pluribus autem in Indic. ſanct. Belg. quem obijſſe ait anno Domini 1186.

## xij. B Quintodecimo Kal. Maij. Luna. 17

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |
| t | u | A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P | | | |
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | | | |

ROMÆ ſancti Aniceti [a] Papæ & martyris, qui in perſecutione Marci Aurelij Antonini, & Lucij Veri, martyrij palmam accepit. In Africa natalis beati Mappalici [b] martyris, qui (vt ſcribit ſanctus Cyprianus in epiſtola ad martyres & confeſſores) cum alijs pluribus martyrio coronatus eſt. Ibidem ſanctorum martyrum Fortunati [c] & Marciani. Antiochiæ ſanctorum martyrum Petri diaconi [d], & Hermogenis eius miniſtri. Cordubæ ſanctorum martyrum Eliæ [e] preſbyteri, Pauli & Iſidori monachorum. Viennæ ſancti Pantagathi [f] Epiſcopi. Terdonæ S. Innocentij [g] Epiſcopi & confeſſoris. Ciſtertij in Gallia ſancti Stephani [h] abbatis, qui primus eremum Ciſtertienſem incoluit, & ſanctum Bernardum cum ſocijs ad ſe venientem lætus excepit.

## APRILIS 17.

ANICETI Papæ [a].] De eo item hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. De eius ſucceſſione Irenæus lib. 3. cap. 3. Optat. lib. 2. contra Parmen. Epiph. in panar. hæreſ. 27. Euſeb. in chron. & hiſt. lib. 4. cap. 13. & 21. Auguſt. epiſt. 165. Niceph. in chron. & alij recentiores. Cetera de ipſo in Annal. Eccleſ. diximus.

[b] Mappalici. ] Agunt de eodem ijdem qui ſuprà. Crebrò de eo S. Cyprianus epiſt. 9. 22. & 23. edit. Pamel.

[c] Fortunati & Marciani. ] De his item hac die Beda & alij recentiores agunt.

[d] Petri & Hermogenis.] Beda etiam, Vſuardus, & Ado hac die de ijſdem.

[e] Eliæ & ſociorum. ] De his agit hac die Vſuard. Scribit horum martyrium ſanctus Eulogius lib. 3. in memor. ſanct. cap. 15. vbi hac die hos paſſos affirmat, æra octingenteſima nonageſimaquarta, à Christo autem anno octingenteſimo quinquageſimoſexto. Vnde miror cur Vaſæus hos adnumeret inter martyres paſſos in perſecutione Diocletiani.

[f] Pantagathi Epiſcopi. ] Agit de eodem hac die Beda. Ado eiuſdem ſedis Epiſcopus hæc de ipſo in chronic. anno 564. Hic Conſularibus faſcibus primùm ſublimis, ſed Chriſti humilitate primus, poſtmodum quinque annis Epiſcopalem ſedem fideliſſimè rexit, ſub Conſulatu Paulini Iunioris & Baſilij vita functus eſt. Hæc Ado. Recenſetur hic vigeſimus eius ſedis Epiſcopus, interfuitque Concilio Aurelianenſi tertio, vt eius Acta teſtantur.

[g] Innocentij Epiſc. ] Huius res geſtas, eaſdemq. germanas ex veteribus monumentis edidit Mombritius tom. 2. Vixit ſub Diocletiano Imperatore: multiſq. afflictationibus agitatus, demum ſub Conſtantino Imp. quieuit in pace.

[h] Stephani abb. ] Plura de ipſo habentur in vita ſancti Bernardi lib. 1. cap. 3. 4. 5. & in vita ſancti Roberti primi abbatis Ciſtertien. quam recitat Sur. tom. 2. die 29. Aprilis. De eo Sigebert. in chron. anno Domini 1107. Ad hunc ſanctus Bernardus auſpicaturus tyrocinium monaſticæ exercitationis acceſſit anno Domini milleſimo centeſimo decimotertio.

Quar-

18 Quartodecimo Kal. Maij. Luna. C xj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | | | |

ROMÆ beati Apollonij [a] ſenatoris, qui ſub Commodo [b] Principe, & Perennio [c] Præfecto, à ſeruo proditus quòd Chriſtianus eſſet, iuſſus vt rationem fidei ſuæ redderet, inſigne volumen compoſuit, quod in Senatu legit, & nihilominùs ſententia Senatus pro Chriſto capite truncatus eſt. Meſſanæ * natalis ſanctorum martyrum Eleutherij [d] Epiſcopi Illyrici, & Anthiæ matris eius: qui cùm eſſet vitæ ſanctimonia & miraculorũ virtute illuſtris, ſub Hadriano Principe lectum ferreum ignitum, craticulam, & ſartaginem [e] oleo, pice, ac reſina feruentem ſuperans, leonibus quoque proiectus, ſed ab illis nil læſus, nouiſſimè vnà cum matre iugulatur. Ibidem ſancti Corebi [f] Præfecti, qui per Eleutherium conuerſus ad fidem, gladio percuſſus eſt. Brixiæ ſancti Caloceri [g] martyris, qui à ſanctis Fauſtino & Iouita conuerſus ad Chriſtum, ſub eodem Hadriano glorioſum confeſſionis certamen compleuit. Cordubæ ſancti Perfecti [h] presbyteri & martyris, à Mauris, quòd in Mahumetis ſectam inueheretur, perempti. Mediolani ſancti Galdini [i] Epiſcopi, qui, concione aduerſus hæreticos expleta, ſpiritum Deo reddidit.

*Meſſapiæ

## APRILIS 18.

APOLLONII [a]. ] Beda, Vſuardus, Ado, & alij de eodem hac die. Scribit de eo Euſeb. hiſt. lib. 5. cap. 20. & in chron. anno octauo Commodi Imp. S. Hieronymus de ſcript. Eccleſ. Niceph. hiſt. lib 4. cap. 26. & alij recentiores.

[b] Sub Commodo.] Conſtat ex Euſeb. hiſt. lib. 5. c. 20. non tantùm à Commodo nullam fuiſſe in Chriſtianos excitatam perſecutionem, ſed etiam pœnas in delatores ipſorum decretas irrogataſq. ita vt ſeruus nebulo delator Apollonij crurifragio peremptus ſit. Ipſe autem, delata ſemel cauſa in Senatum, dum Chriſtianam religionem defendendam ſuſcipit, volumenq. de ea re conſcriptum ibidem recitat, ex ſenatus cõſulto ſubijt ſententiam capitis. Mirabitur fortaſſe aliquis, Dei Eccleſiam ſub Commodo quieuiſſe, homine Reipublic. perincommodo: quem & publico populi clamore appellatum eſſe Nerone crudeliorem, & Domitiano impuriorem, ſcribit Lampridius ex Mario Maximo, antiquo hiſtorico. Id etenim non clementiæ vel pietatis ergô, ſed commodi ſui cauſa Commodum feciſſe conſtat, vt ex Lampridio, ſimulq. Tertulliano elicitur. Lampridius quidem hęc de Commodo: Vendidit ſuppliciorum diuerſitates & ſepulturas, &c. Quæ clariora redduntur ex ijs quæ Tertullianus ſcribit lib. de fug. temp. perſecut. dum ait, his temporibus Dei Eccleſiam pacem redemiſſe, cùm eccleſiæ tributum Fiſco penderent, vt tutò agerent Chriſtiani: quem quidem vſum nouiter inuentum, ipſe Tertullianus, qui iam Montani ebiberat venenum, & cum ipſo docebat non eſſe fugiendum tempore perſecutionis, ſcriptis editis improbabat. His ad pacem Chriſtianorum acceſſit, quod ſcribit Dio in Commodo, Martiam, quæ præ ceteris fuit Commodo in delicijs, fuiſſe Chriſtianorum ſtudioſiſſimam, multaq. in illos contuliſſe beneficia.

[c] Perennio. ] Dictus aliàs Perennis reperitur: ita eum appellat Lampridius, de quo ait: Perennis cuncta ſibi vendicauit; quos voluit interemit, ſpoliauit plurimos, omnia iura ſubuertit, &c. Dedit Chriſtianorum hoſtis mox debitas pœnas: nam (vt idem auctor ſcribit) cùm exercitui redditus eſſet infenſus, datus eſt militibus lacerandus. Miranda contigerunt prodigia, & illatæ ſunt Vrbi clades poſt necem Apollonij ſenatoris: nam (vt ſcribit Euſeb. in chron.) anno octauo eiuſdem Imp. percuſſum eſt fulmine Capitolium, magnoq. aucto incendio, concremata eſt bibliotheca, & propinquę ædes exuſtę. Addit Herodianus, ex leui terræmotu, vomente terra ignem, ſubitò Pacis templum conflagraſſe. Item Dio ait,

etiam Palatium igne conſumptum, famem, luemque eſſe ſubſecutam. His itaque immenſis cladibus vltus eſt Deus nobiliſſimi ſenatoris occubitum; cuius operâ, niſi inuidia nominis Chriſtiani pertinacibus ſtudijs reſtitiſſet, omnis Senatus in Chriſtum credere potuiſſet.

[d] Eleutherij Epiſcopi. ] De eodem hac die Beda ac ceteri Latinorum, Græci autem de eo & matre Anthia in Menologio xviij. Kal. Ianuar. Deſcripſit horum Acta Metaphraſtes, quæ & Lipom. recitat tom. 5. & Sur. tom. 2. & Mombrit. tom. 1. Agit de eodem Niceph. hiſt. lib. 3. c. 29. qui dum ait ex Metaphraſte, Eleutherium Romæ eruditum ab Aniceto Rom. Pont. cùm teſtetur illum paſſum eſſe ſub Hadriano Imp. manifeſti erroris redarguitur: nam Anicetus ſedit poſt obitum Hadriani. puto irrepſiſſe mendum, & Anicetum pro Anacleto poſuiſſe qui deſcripſerunt.

Quòd autem Beda hîc dicit, Eleutherium ordinatum eſſe Epiſcopum Aquileiæ, vnde acceperit non inuenimus, nec in tabulis ipſis Aquileienſis eccleſiæ aliquid huiuſmodi legitur. Agitur tamen in illis xv. Kal. Aprilis de Eleutherio & Lucia: ſed planè ille diuerſus eſt ab hoc de quo agimus. Verùm exiſtimamus errorem irrepſiſſe, vitioque librariorum factum, vt loco Apuliæ, ſcriptum ſit Aquileiæ: nam idem ipſe Beda paulò ſuperiùs ponit natale ipſius apud Meſſanam in Apulia. Similiter Vſuardus & Ado itidem in Apulia ponunt. Petrus inſuper in catalogo iterùm, nempe lib. 2. c. 20. vbi Latina voce ex Græco ἐλεύθερος Liberalē appellat: & lib. 4. c. 61. in Apulia factum Epiſcopum dicit ciuitatis Cannenſis. Ceterùm cùm æquè omnes in Apulia ponant, loci autem varia lectio eſt: nam cōplures tum manuſcrip. tum impreſſi legunt, Miſſerij, aliter Miſeni in Apulia, alij Meſſanæ, itidem in Apulia: qui verò recenter addiderunt, Miſeni in Campania, id quidem abſque auctoritate fecerunt; ſed ea coniectura, quòd nimirum Miſenum in Campania ſitum ſit, & non in Apulia: ſicut & qui Meſſanæ legentes, intelligi putauerunt de Meſſana nobili in Sicilia ciuitate: quos hallucinatos manifeſtum eſt. nam neque Miſeni in Campania, neque Meſſanæ in Sicilia aliqua eſt eiuſdem Eleutherij Epiſcopi mentio. Si igitur conſenſu omnium Latinorum locus ponendus eſt in Apulia, cùm nec Miſenus nec Meſſana in ea prouincia ſit ciuitas reperiri; coniectura ducimur, vt loco Meſſanæ, legendum ſit, Meſſapiæ, quod eſt oppidū prope Tarentum, cuius Plinius meminit lib. 3. cap. 11. ſic dicens: Oppida per continentem à Tarento, Varia, cui cognomen Apulæ, Meſſapia, Aletium. ] Omnem enim illam quę poſt Calabriam eſt regio, quę ſpatio trecentorum ac decem ſtadiorum clauditur, ab accolis appellati ſolitam Apuliam, auctor eſt Strabo lib. 6. Verùm Græci eumdem Eleutherium in Illyrico factum Epiſcopum dicunt; quod & Martyrologium Romanum confirmat. Quamobrem in tantis rerum ambagibus, quid de his præterea dicamus, nihil eſt, niſi vel eumdem Eleutherium in vtraque prouincia Euangelium prædicaſſe; vel (vt frequenter in alijs accidiſſe vidimus) duo fuerunt Eleutherij in vnum conflati, eorumdemq. ſimul Acta confuſa.

[e] Sartaginem. ] Cruciamentum ſartaginis vetus eſſe reperitur. De eo Machab. lib. 2. cap. 7. Rex iuſſit ſartagines & ollas æneas ſuccendi. Et paulò pòſt: Iuſſit ignem admoueri, & adhuc ſpirantem torreri in ſartagine. Hæc ibi. Ioſephus item lib. de Machab. de ſartagine frequenter meminit, vt cùm ait: Stabat flammiuomis ignibus ſuccenſa ſartago ad torrendum præparata paſſuros, &c. Inferiùs autem ſic: Igniuomam ſartaginem ſponte conſcendit. Ac iterùm: Flammiuomæ addicta ſartagini, &c. Frequens eſt mentio in Actis martyrum de ſartagine.

[f] Corebi. ] Hunc Correum Beda appellat, dum de eo agit hac die. De eius martyrio agitur in Actis S. Eleutherij, quorum nuper meminimus.

[g] Calocerı. ] Habentur eius res geſtæ annexæ Actis ſanctorum martyrum Fauſtini & Iouitæ apud Sur. tom. 1. die xv. Febr. itemque in vita S. Marciani Epiſcopi Dertonen. apud Mombrit. tom. 2. ac denique in vita S. Secundi martyris Aſtenſis: apud Petrum in catalogo lib 4. cap. 12.

[h] Perfecti. ] De eo etiam hac die Vſuardus. Scribit eius martyrium S. Eulogius lib. 1. & lib. 2. memor. ſanct. cap. 1. paſſumq. tradit hac die, æra 888. à Chriſto Domino anno 850. Vide illic ſchol. Ambroſ. Moral.

[i] Galdini Epiſcopi. ] De eo etiam tabulæ eccleſiæ Mediolanenſis. Habet eius res geſtas Mombrit. tom. 1. vit. ſanct. Claruit temporibus Alexandri Papæ Tertij, cui, ſchiſmaticos reſpuens, conſtantiſſimè adhæſit, eligens potiùs in ærumnis exulem vitam agere, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

## x. D Tertiodecimo Kal. Maij. Luna. 19

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
21 22 23 24 25 26 27 28 29 1 2 3 4 5 6 7 8
t u A B C D E f F G H M N P
9 10 11 12 13 14 15 16 15 16 17 18 19 20

NATALIS ſancti Timonis [a] diaconi de ſeptem primis, qui primò apud Berœam doctor reſedit, ac deinde verbum Domini diſſeminans venit Corinthum, ibique à Iudæis & Græcis (vt traditur) flammis iniectus, ſed nihil læſus, demum cruci affixus martyrium ſuum impleuit. Melitine in Armenia ſanctorum martyrum Hermogenis,

nis [b], Caij, Expediti, Ariſtonici, Rufi, & Galatæ vna die coronatorum. Caucoliberi [c] in Hiſpania Tarraconenſi paſſio ſancti Vincentij martyris. Eodem die ſanctorum martyrum Socratis [d] & Dionyſij, qui lanceis confoſsi ſunt. Ieroſolymis ſancti Paphnutij [e] martyris. Cantuariæ in Anglia ſancti Elphegi [f] Epiſcopi & martyris. Antiochiæ Piſidiæ ſancti Georgij [g] Epiſcopi, qui ob cultum ſanctarum imaginum exul occubuit. Romæ ſancti Leonis [h] Papæ Noni, virtutum & miraculorum laude inſignis. In cœnobio Laubienſi ſancti Vrſmari [i] Epiſcopi. Florentiæ ſancti Creſcentij [k] confeſſoris diſcipuli beati Zenobij Epiſcopi.

## APRILIS 19.

TIMONIS diaconi [a]. ] Agunt de eo hac item die Beda, Vſuard. Ado, ac ceteri. De eo Acta Apoſtolorum c.6. Licet Petrus in catal. li 4. c.67. alium hunc putet ab illo diacono ex ſeptem. Erroris arguitur & Dorotheus, dum in ſynopſi hunc nō Berœenſem, ſed Boſtrenſem fuiſſe Epiſcopū ſcribit.

[b] Hermogenis & ſoc. ] De his item hac die ijdem qui ſuprà, Beda, Vſuardus, & alij.

[c] Caucoliberi in Hiſpania Tarrac. paſſio S. Vincentij. ] Loci nomen compoſitum ex duobus nominibus, dictum quaſi Cauco Celtiberi. Scribit enim Plinius li 3. c.3. Caucenſes populos eſſe in Celtiberis. Hodie dicitur vulgò *Colibre*: eſt in Catalonia prouincia Tarraconenſi iuxta Perpinianum & Helenam. De eodē Vincentio hac item die agunt Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores, conſentiuntq. vet. manuſcrip. Plures eiuſdem nominis reperiuntur inſignes martyres in Hiſpania: Vincentius diaconus Cæſarauguſtanus, cuius Acta Prudentius cecinit hymno ſacro. Alius, qui patriâ Eborenſis, Abulæ vnà cum Sabina & Chriſteide ſororibus paſſus eſt: de quo pluribus in breuiario Eborenſi. Tertius, de quo hic agitur. Quartus, qui cum Orontio & Victore diacono paſſus eſt, cuius corpus Ebredunum delatū ferunt, de quo Vaſæus in chron. Hiſpān. & flos ſanct. Hiſpan. Quintus etiam abbas monaſterij S. Claudij temporibus Gothorum martyrio vitam concluſit, cuius dies natalis agitur tertio Idus Septembris: de quo narratur in flor. ſanct. Hiſpan.

[d] Socratis & Dionyſij. ] Græci item in Menologio hac die agunt.

[e] Paphnutij. ] De ipſo etiam hac die Græci in Menologio.

[f] Elphegi Epiſc. ] Scripſit res geſtas ipſius Oſbertus abbas, quas deſcripſit Surius tomo ſecundo: plura item Edinerus in vita S. Anſelmi. Mouit aliquando Lanfranci Epiſcopi animum, cur Angli venerarentur ſanctum Elphegum, & martyrem reputarent; cùm non fidei confeſſionis cauſa, vel teſtandæ veritatis, ſed tantùm cæſus ſit, eò quòd barbari aurum, quod poſcebant, apud ipſum non inueniſſent. de hac re ille ſolicitus conſuluit S. Anſelmum: qui reſpondit, ſe firma ratione noviſſe, Elphegum eſſe martyrem, eò quòd pro iuſtitia occubuiſſet. Hæc Edinerus in vita S. Anſelmi. Quod autem maiorem affert admirationem (ſi tamen Ethnico rerum noſtrarum imperito credendum eſſe putamus) non ſolùm illos, quos tyrannorum ſæuitia, ſeu hoſtium rabies iniuſtè occidiſſet, ſed quos etiam Romanorum magiſtratus iniuſtè damnaſſet, habitos eſſe martyres ſcribit Ammianus Marcellinus lib. 27. dum Eupraxij ad Imperatorem Valentinianum verba refert, quæ hæc ſunt: Parciùs agito, pijſſime Principum: hos enim, quos interfici tamquam noxios iubes, vt martyres, id eſt, Diuinitati acceptos, colit religio Chriſtiana. Hæc ille: qui etiam tradit de Diodoro & Diocle tunc iniuſtè necatis: quorum, inquit, memoriam apud Mediolanum colentes nunc vſque Chriſtiani, locum vbi ſepulti ſunt, ad Innocentes vocant. Hactenus de his Marcellinus; quem imperitia rerū noſtrarum hallucinatū putamus: nullum enim eiuſmodi rei exemplum in Eccleſia reperitur, vt martyr habitus ſit, quem Chriſtianus Catholicus magiſtratus, licet iniuſtè, occidi mandaſſet. Tentauit aliquando Phocas Imperator illos etiam adſcribendos in numerum martyrum, qui in bello ab infidelibus hoſtibus fidei cæſi eſſent: ſed huic eius ſtudio reſtiterunt Orientales Epiſcopi nixi auctoritate canonis 13. S. Baſilij, vt in commentario ſuper eo ſcribit Theod. Balſ. Decreuit enim ſanctus Baſilius, vt annis tribus abſtinerent à cōmunione, qui in bello occidiſſent homines, quamuis (vt ait) hi inter homicidas non eſſent adnumerandi: diuina etenim lege (vt habet liber Num. c.31.) iubentur die tertio & ſeptimo luſtrari homines, qui hoſtes occidiſſent, licet iuſſu Domini. Canon pœnitentialis autem quadraginta dies præcipit eiuſmodi interfectores hoſtium abſtinere. Ea de cauſa Theodoſius Imperator poſt ingentem illam hoſtium ſtragem, qua Eugenius tyrannus ſublatus eſt, ſponte abſtinuit à perceptione ſacramentorum, vt ſcribit laudatq. ſanctus Ambroſius ea oratione quam habuit in funere eiuſdem Imperatoris, cùm ait: Pręclaram adeptus victoriam, tamen quia hoſtes in acie ſtrati ſunt, abſtinuit à conſortio ſacramentorum, donec, &c. Ex quibus omnibus ſatis liquet, quàm temerè Phocas Imperator prædicta tentaret. Ab Ethnicis enim potiùs, quàm à Chriſtianis mutuatus videtur exemplum; qui his qui in bello deceſſiſſent, ſummos honores habendos eſſe cenſuerunt. Nam Lycurgus eorum tantùm qui in bello deſiderati eſſent, laudes pro concione celebrari, inſcriptiones incidi, & ſepulchra erigi mandauit, vt tradit

Plutar-

Digitized by Google

Plutarchus in apophth. Laconic. Scribit & Dio in Traiano, eis qui bello aduerſus Dicebalum occiſi eſſent, ab eodem Imperatore iuſſas erigi aras, & annua parentalia celebrari. Sunt de his alia complura exempla. Vt autem eò vnde diſceſſimus, reuertamur; quæ ſuperiùs ex Ammiano Marcellino (ſi quæ fides Ethnico homini res noſtras tractanti eſt adhibenda) narrauimus, non ſic poſuimus, vt in omnibus comprobemus, ſed ne quid rerum antiquatum Lectorem prætereat. To autem ſi hæc pleniùs noſſe cupis, & quænam requirantur vt quis martyr verè dici poſſit, conſule S. Thomam 2. 2. q. 124. art. 4. & art. 5. & ad 2. & io 4. diſt. 49. quæſt. 5. artic. 3. quæſtiun. 2. & ad 10. 11. & 12. & Rom. 8. lect. 7. & ad Epheſ. 3. lect. 1. io principio. Conſule & quæ ſuperiùs diximus die ſecunda Aprilis de canonizatione Sanctorum.

[g] Gregorij Epiſcopi.] Agunt de eodem hac die Greci in Meoologio, vbi & Acta eius paucis referunt.

[h] Leonis Papæ Noni.] De eodem hac die item Molanus in addit. ad Vſuardum, Petrus in catalogo lib. 4. c. 65. & alij recentiores. Huius res præclarè geſtas duobus libris comprehenſas extare in monaſterio S. Hadriani in Geraldi moote, idem Molanus teſtatur. Porrò Itinerarium eius ſcriptum eſſe ab Aoſelmo monacho Rhemenſi, tradit Sigebertus libro de vir. illuſtr. c. 153. Deſiderius abbas Caſſinenſis de eodem Pontifice plura ſcripſit libro tertio dialog. quos manuſcr. legimus. Plura de eo aliunde accepta digeſſimus in Annalibus Eccleſiaſticis.

[i] Vrſmari Epiſc.] Vſuardus autem agit de eo pridie huius diei, quo etiam ex hac vita migraſſe, Acta eius ferũt, quę ſcripſit Ratherius Epiſcopus Veronenſis: recitat ea Surius tomo ſecundo hac die: Herigerus autem abbas Lobienſis eadem metrico ſtylo cecinit. De vtroq. Sigebertus de vir. illuſtr. cap. 118. & 138. Anſo item Lobienſis abbas & ipſe ſcripſit libellũ vitę eiuſdem, itemq. S. Erminus, vt teſtatur Fulquinus abbas in chron. an. 776. Ipſe autem Fulquinus litteris cõſignauit eiuſdem ſancti miracula. Trithem. de eodem libro 3. de vir. illuſtr. ord. S. Benedicti cap. 157. & lib. 4. c. 174 Molanus item pluribus in Indic. SS. Belgij, & in annotat. ad Vſuardum ſecundæ edit. Tráditque migraſſe ex hac vita anoo Domini 713. Agit ibidem de eius trãſlatione facta anno 1409. ad Binchium Hannoniæ oppidum, poſt eleuationem, quæ facta eſt anno 823.

[k] Creſcentij.] Habetur mentio de Creſcentio io vita S. Zenobij Epiſcopi Floreotini, quam habet Surius tom. 3. die 25. Maij.

## ix. E Duodecimo Kalend. Maij. Luna. 20

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | | | |

ROMAE ſanctorum martyrum Sulpicij [a] & Seruiliani, qui prędicatione & miraculis beatæ Domitillæ virginis ad Chriſti fidem conuerſi, cùm nollent idolis immolare, in perſecutione Traiani à Pręfecto Vrbis Aniano capite cęſi ſunt. Eodem die ſanctorum martyrum Victoris [b], Zotici, Zenonis, Acindini, Cęſarij, Seueriani, Chryſophori, Theonæ, & Antonini, qui ſub Diocletiano variè tentati, martyrium compleuerunt. Tomis in Scythia S. Theotimi [c] Epiſcopi, quem ob inſignem eius ſanctitatem atque miracula etiam infideles barbari venerati ſunt. Ebreduni in Gallijs ſancti Marcellini [d] primi eiuſdem vrbis Epiſcopi, qui Dei monitu cum ſanctis ſocijs Vincentio & Domnino ex Africa veniens, maximam partem Alpium maritimarum verbo & ſignis admirandis, quibus vſque hodie refulget, ad fidem Chriſti conuertit. Antiſiodori ſancti Marciani [e] preſbyteri. Eodem die ſancti Theodori [f] confeſſoris, ab aſpera cilicij veſte qua tegebatur, cognomento Trichinas, qui multis virtutibus, pręſertim aduerſus dęmones, claruit: ex cuius corpore vnguentum ſcaturiens, ęgrotis ſanitatem impertit. In Montepolitiano ſanctæ Agnetis [g] virginis miraculis claræ.

SVLPICII, & Seruiliani [a].] De his item Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Extant eorum Acta inrexta cum geſtis ſanctorum martyrum Nerei & Achillei, apud Sur. tom. 3. die 12. Maij. Nos autem non ſub Nerua, ſed ſub Traiano eſſe paſſos, diximus ſuprà io Marone, decimoſeptimo Kal. Maij.

[b] Victoris & ſoc.] Agunt de his etiam Græci in Menologio, eorumque martyrium referunt.

[c] Theotimi Epiſcopi.] De eo item Græci, ioter quos Sozomeous lib. 7. c. 25. & lib. 8. c. 14. & Socrat. lib. 6. cap. 11. Floruit temporibus Arcadij Imperatoris, interfuitque Synodo Conſtantinopolitanę, ſtetitq. pro S. Ioanne Chryſoſtomo, in qua actum fuit de abolendis operibus Origenis; fuitque de ea re eius ſententia, ne Origenis ſcripta tollerentur, quæ eſſe ſinceræ fidei probarentor: in eamdem ſententiam ſcripſit ſanctus Hieronymus epiſt. 75. ad Tranquillinum, & ſanctus Auguſt. epiſt. 9. ac denique Gelaſius Rom. Pont. in canone de ſcript. authent. apud Gratian. diſtinct. 15. cap. Sancta Romana.

[d] Marcellini Epiſc.] Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores de eodem hac die. Extant eius geſtæ recitatæ à Mombrit. tom. 2. Agit de eodem Gregorius Turooenſis lib. de glor. confeſſ. cap. 69. Petrus in catalog. lib. 4. c. 69. Claruit temporibus Conſtantij Imp. vt eius Acta ſigoificant.

[e] Marciani.] De eo item Maurol. qui addit & Mamertinum. De eo item Molan. in addit. ad Vſuardum.

[f] Theodori.] Gręci etiam de eo hac die in Menologio, vbi eius res geſtas ſommatim explicant.

[g] Agnetis.] Eius Acta conſcripta eſſe à beato Raimundo ordinis Præd. teſtatur Aodreas Piſaous io appendice eiuſdem vitæ, quam ex Latino ſermone io linguam Italicam tranſtulit. Qualis autem, quantáve hæc fuerit, exinde diſces, quòd (vt auctor eſt idem beatus Raimundus in vita S. Catharinæ Senenſis lib. 3. cap. 14.) eadem S. Catharioa cæleſti nuotio monita, ſe illi parem fore in gloria beatorum accepit: quæ & ſumma cum laude in ſuis epiſtolis eiuſdem ſæpè meminit. Aſſeruatur venerandum corpus eius in ciuitate Montepolitiano in Hetruria, illudque iugi illuſtratur miraculo, dum rore quodam mirifico aſſiduè perfuſum conſpicitur. Extat diploma Clementis Septimi, quo eius celebritatem illic agi debere, & eccleſiaſticum officium ad eam accommodatum publicè recitari præcepit.

## 21 Vndecimo Kalend. Maij. Luna. F viij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | | | |

IN Perſide natalis ſancti Simeonis [a] Epiſcopi Seleuciæ & Cteſiphontis: qui, iubente Sapore Perſarum Rege, comprehenſus, ferroq. onuſtus, iniquis tribunalibus exhibitus, cùm Solem ipſum adorare nollet; & de IESV Chriſto voce libera & conſtantiſſima teſtaretur; primùm carcerali ergaſtulo cum alijs centum (ex quibus alij Epiſcopi, alij erant preſbyteri, alij diuerſorum ordinum clerici) longo tempore maceratus eſt: deinde cùm Vſthazanes Regis nutricius, qui antè iam lapſus à fide, ſed per eum ad pœnitentiam fuerat reuocatus, martyriũ conſtanter ſubijſſet; poſtridie, qui erat annuus Dominicę paſſionis dies, omnibus ante Simeonis oculos, qui vnumquemque eorum ſtrenuè exhortabatur, gladio iugulatis, nouiſſimè & ipſe decollatus eſt. Paſſi ſunt etiam cum eo clariſſimi viri Abedechalas & Ananias eius preſbyteri: Puſicius quoque præfectus Regis artificum, eò quòd Ananiam titubantem corroboraſſet, collo circa tendinem perforato, & lingua exinde extracta, crudeli morte occubuit; poſt quem & filia eius, quæ erat ſacra virgo, necata eſt. Alexandriæ ſanctorum martyrum Aratoris [b] preſbyteri, Fortunati, Felicis, Siluij, & Vitalis, qui in carcere quieuerunt. Item ſanctorum Apol-

Apollinis [c], Iſacij, & Crotatis, qui ſub Diocletiano paſſi ſunt. Cantuariæ in Anglia ſancti Anſelmi [d] Epiſcopi, ſanctitate & doctrina conſpicui. Antiochiæ ſancti [e] Anaſtaſij Sinaitæ Epiſcopi.

# APRILIS 21.

SIMEONIS Epiſcopi, & ſociorum [a]. ] De his hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac denique ceteri Latinorum, Græci autem in Menologio ad xv. Maij: qui & præter hos qui hîc narrantur, addunt mille alios ac centum quinquaginta martyres. Horum omnium probatum ac nobile certamen deſcribit Sozom. hiſt. lib. 2. cap. 8. ex eoque ceteri, vt Caſſiod. lib. 3. cap. 2. & Niceph. lib. 8. cap. 36. Paſſi ſunt hi temporibus Conſtantij Imperatoris, non Conſtantini, vt affirmare videtur Sozomenus: nam ſanctus Hieronymus in chron. anno ſeptimo Conſtantij Auguſti eiuſmodi perſecutionem in Perſide aduerſus Chriſtianos excitatam eſſe teſtatur.

[b] Aratoris, & ſociorum. ] Agunt de his item Beda, Vſuardus, Ado, Petrus in catal. lib. 4. cap. 72. & alij. Fuit eiuſdem nominis Arator ſubdiaconus Romanæ Eccleſiæ, poëta non obſcurus, qui Acta Apoſtolorum ſcripſit heroico verſu, obtulitq. Vigilio Rom. Pontifici, vt docet eius epigramma ante exordium operis poſitum.

[c] Apollinis, & ſoc. ] De his item hac die Græci in Menologio, paſſoſque ferunt ſub Diocletiano Imperatore.

[d] Anſelmi Epiſcopi. ] Huius egregia facta conſcripſit Edinerus eius contubernalis: quæ retulit Surius in tom. 2. Mandauit ſcriptis eadem Edmundus monachus Cantuarienſis, qui etiam alium addidit commentarium de diſcordia orta inter ipſum, & Regem Anglorum, vt auctor eſt Henric. de viris illuſtr. cap. 7. Migrauit ex hac vita anno à Chriſto Domino 1109. vt idem Edinerus & Sigebertus in chronic. atteſtantur; de eo item Trithem. de viris illuſtr. ord. ſancti Benedict. lib. 2. cap. 101. ibique recenſet eius ſcripta, lib. 3. cap. 327. lib. 4. cap. 122. & lib. de ſcriptorib. Eccleſ. Item auctor catalogi ſcript. Britan. & alij plures.

[e] Anaſtaſij Sinaitæ. ] De eodem agunt & Græci hac die in Menologio. Sinaita hic dictus eſt, quòd antequam Antiochenæ præficeretur eccleſiæ, in Sina monte exercuit monaſticam diſciplinam, vt tradit Niceph. lib. 17. cap. 29. prope finem. Claruit temporibus Iuſtiniani Imp. & Iuſtini Iunioris, à quo ob fidem Catholicam in exilium pulſus eſt: reſtitutus eſt autem tempore Mauritij Imp. cùm Romanæ Eccleſiæ præeſſet ſanctus Gregorius Papa: qui ad eumdem plures ſcripſit epiſtolas, quæ extant in eius regiſtro, libro 1. epiſt. 24. 25. lib. 4. epiſt. 36. 37. lib. 6. epiſt. 24. 31. & lib. 7. Ind. 1. epiſt. 3. quę eſt vltima ad eum ſcripta: nam & eodem anno diem obijt, qui numeratur annus Domini 598. Sequenti autem ſecunda Indictione ſcribit idem ſanctus Gregorius ad eius ſucceſſorem Anaſtaſium item dictum, cùm ab eo, ex more, fidei ipſius profeſſionem accepiſſet: eſt epiſt. 47. lib. 7. Indict. 2. Duo etenim eiuſdem nominis Epiſcopi, alter poſt alterum ſucceſſiuè, præfuerunt eccleſiæ Antiochenæ temporibus Mauritij, & Phocæ eius ſucceſſoris Impp. vt apparet ex ſerie Antiochenorum Epiſcoporum, quam ſcribit Niceph. Epiſcopus in chron. & Niceph. Calliſt. hiſt. lib. 18. cap. 44. qui tamen in eo reperitur erraſſe, dum Anaſtaſium primum, Sinaitam dictum, necatum ſcribit à Iudæis: quod quidem ſecundo contigit Anaſtaſio: nam (vt idem ipſe teſtatur) id ſub Phoca Imp. factum eſt, quod & exploratum habetur: anno etenim ſeptimo Phocæ à Iudæis excitatam eam ſeditionem, teſtatur hiſtoria Miſcella, Cedrenus, & Zonaras; quo quidem tempore non Anaſtaſius Sinaita, ſed eius ſucceſſor ſedebat: ille etenim biennio ante Phocæ Imperium ſub Mauritio Imp. ex humanis deceſſit. Agitur de ſecundo Anaſtaſio ad decimum Kalend. Ianuarij. Errore lapſus eſt idem Niceph. lib. 18. c. 44. dum nomen Sinaitæ tribuens ſecundo, eidem prioris Anaſtaſij lucubrationes adſcribit: Sinaitæ etenim eſſe omnes illas ſcriptiones, nullus eſt qui dubitet: nam cùm (vt dictum eſt) ſedere cœpiſſet temporibus Iuſtiniani Imp. ſub quo multa paſſus, ac etiam ſede pulſus eſt, in eius locum Gregorius ſuffectus eſt; ſed tandem Mauritij Imp. tempore reſtituitur, vt ſcribit Euagrius hiſt. lib. 4. cap. 38. 39. 40. & lib. 5. cap. 1. & 5. Niceph. lib. 17. cap. 29. 30. & 36. Optauit S. Gregorius hunc cum honore ſuo Romæ ſecum viuere, ſi ad ſedem ſuam illum reuerti minimè licuiſſet. Extat de his epiſt. 27. lib. 1. regiſt. Reſtituto autem, eidem litteris gratulatur libro 4. epiſt. 37. Ind. 13. Editum reperitur eiuſdem auctoris nobile opus de rectis dogmatibus, & ſermones nonnulli, quos olim monachus in Sina poſitus ſcripſerat; quorum aliquot Latinè reddidit ediditq. noſter Achilles Statius dignæ memoriæ. Habemus & in eiuſdem bibliotheca librum Paſtoralem ſancti Gregorij Papæ, quem idem Anaſtaſius in Græcum ſermonem tranſtulit: quod & teſtatur Sigebertus de viris illuſtribus cap. 42.

Decimo

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | | | |

ROMÆ via Appia natalis ſancti Soteris[a] Papæ & martyris. Ibidem ſancti Caij[b] Papæ, qui ſub Diocletiano Principe martyrio coronatus eſt. Smyrnę ſanctorũ Apellis[c] & Lucij ex primis Chriſti diſcipulis. Eodem die ſanctorum plurimorum[d] martyrum, qui ſequenti anno poſt obitum Simeonis, annuo item die, quo paſſionis Dominicæ memoria celebrabatur, per totam Perſidis regioně pro Chriſti nomine ſub Rege Sapore gladio cæſi ſunt. In quo fidei certamine paſſus eſt Azades eunuchus Regi cariſſimus: Milles[e] Epiſcopus, ſanctitate & miraculorum gloria inſignis: Acepſimas Epiſcopus, cum presbytero ſuo Iacobo, item Aithala & Ioſepho presbyteris, Azadane & Abdieſo diaconis, & compluribus alijs clericis: Mareas quoque & Bicor Epiſcopi, cum alijs viginti Epiſcopis, & clericis ferè ducentis quinquaginta, monachis etiam, & ſacris virginibus plurimis, inter quas & ſancti Simeonis Epiſcopi ſoror nomine Tarbula, cum pediſſequa ſua, quæ ſtipitibus alligatæ, ſerraque ſciſſæ, crudeliſſimè necatæ ſunt. Cordubæ* in Perſia ſanctarum Parmenij[f], Helimenæ, & Chryſoteli presbyterorum, Lucæ & Mucij diaconorum: quorum triumphus martyrij in paſſione ſanctorũ Abdon & Sennen habetur. Alexandriæ natalis ſancti Leonidis[g] martyris, qui ſub Seuero paſſus eſt. Lugduni ſancti Epipodij[h], qui in perſecutione Antonini Veri cum Alexandro collega tentus, poſt dira tormenta martyrium capitis abſciſſione compleuit. Apud Senonas ſancti Leonis[i] Epiſcopi & confeſſoris. Anaſtaſiopoli ſancti Theodori[k] Epiſcopi, miraculis clari.

*Corduene

Canonizatio S. Andreæ Cors. ordinis Carmelitarum, ep̃i Fesul. habita Romæ ab Vrbano Papa viij. Basilica S^ti Petri, Dominica in A[illegible] quæ contigit die 22. Aprilis [illegible]

## APRILIS 22.

SOTERIS Papæ[a].] Beda autem & Ado de eo pridie huius diei: ſed hanc eſſe diem natalis eius, habet liber de Rom. Pontificibus. De eius ſucceſſione Irenęus lib. 3. cap. 3. Euſeb. in chron. & hiſt. lib. 4. cap. 22. Optat. lib. 2. contra Parmen. Aug. epiſt. 165. & alij. Cetera in Annal. Eccleſ. diximus. Soteris Papæ corpus tranſlatum eſſe à Sergio Iuniori Papa in titulum Equitij, docet vetus inſcriptio ibidem apud tranſennam poſita.

[b] Caij Papæ.] De eo item hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. De eius ſucceſſione Euſeb. in chron. & hiſt. lib. 7. cap. vlt. Optat. lib. 2. Auguſt. epiſt. 165. Niceph. in chron. & alij. Extant nonnullæ res eius geſtæ inter Acta ſanctæ Suſannæ, & in Actis S. Sebaſtiani. Cetera de eo in Annal. Eccl. diximus.

[c] Apellis & Lucij.] Agunt de his Græci etiam hac die in Menolog. qui item optima ratione affirmant, Lucium hunc alium eſſe à Luca Euangeliſta; adduntque hunc fuiſſe præfectum eccleſiæ Laodicenſi, Apellem autem Smyrnenſi: aſſentiturque his etiam Dorotheus in ſynopſi. Sunt hi, quorum S. Paulus Apoſtolus meminit ad Romanos cap. 16. De Apelle conſentit Hippolytus libel. de 72. diſcip. de Lucio autem ſecùs, quem dicit Olympiadis fuiſſe Epiſcopum.

[d] Plurimorum martyrum.] Agunt de his hac item die Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores. Scribit horum certamina glorioſa Sozom. hiſt. lib. 2. cap. 11. 12. & 13. ex quo Caſſiod. hiſt. trip. lib. 3. cap 2. Niceph. lib. 8. cap. 37. & 38. Metaphraſtes autem ceteris locupletiùs. recitat ea Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 2.

P [e] Milles

[e] Milles Epiſc.] Hunc Beda & alij ſuprà dicti appellant Mileſium. De eodem Sozom. vbi ſuprà, & alij ex ipſo. Peregrinatum tradunt Ieroſolymam ad ſancta loca; necnon in Ægyptum, ad louiſendos ſanctos Patres eremi cultores.

[f] Parmenij & ſoc.] Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri hac die. Agitur de his in præambulis Actorum S. Laurentij martyris, extant apud Sur. to. 4. die 10. Auguſti. Errore librariorum accidiſſe puto, vt alicubi Cordulæ in Perſia hi paſſi habeantur. Nihil enim habet commune Cordula, ſiue Cordyla cum Perſide: nam in prouincia Cappadociæ ponitur à Ptolemæo in tab. 1. Aſiæ, ſicut & à Plinio lib. 6. cap. 3. quæ Cappadocia Themyſcirena appellatur. Itaque magis placet, vt hi Cordubæ in Perſia (vt habent ea Acta martyrum, qualiacumque ſint) ponantur: vel pro Corduba, reſtituendum potiùs erit, Corduena, quæ eſt ciuitas prope Tigrim, cuius meminit Ammianus Marcellinus lib. 23. & 24. Æthicus autem in coſmograph. appellat Cordubennam. De Cordubenna regione eſt mentio etiam apud Dionem lib. 37. Sed de ea ſuperiùs 15. April. d. Nec adeò mirandum, ſi eiuſdem nominis ciuitas reperitur in Hiſpania, ac in Perſide: nam (ſicut ex Varrone docet Plinius lib. 3. cap. 1.) Perſę & Iberi in Hiſpaniam peruenerunt cum ſuis colonijs: licet Socrates hiſt. lib. 1. cap. 16. dicat Iberos Hiſpanorum eſſe coloniam: ſed ex prædictis errare conuincitur.

[g] Leonidis.] Fuit hic pater Origenis. Scribit de eius martyrio Euſebius hiſt. lib. 6. c. 1. S. Hieron. de ſcript. Eccleſ. in Origene, & Niceph. hiſt. lib. 5. cap. 2. De eodem agens Suidas in hiſt. in verbo Origenes, ait, eumdem fuiſſe Epiſcopum & martyrem.

[h] Epipodij.] De eo item Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Extant Acta Epipodij, & Alexandri eius in martyrio collegæ, quæ recitat Sur. tom. 2. De eodem habetur homilia nomine quidem Euſebij Emiſſeni, ſed re vera S. Eucherij Epiſcopi Lugdunenſis, vt alibi pluribus diſſeruimus. De calceamento Epipodij martyris Gregorius Turonenſis de glor. confeſſ. cap. 64.

[i] Leonis Epiſc.] Veter. manuſcrip. & alij hac die. Interfuit hic Concilijs Aurelianenſi ſecundo per vicarium, & tertio; obijtq; anno Domini 591. Numeratur decimusſeptimus eius ſedis Epiſcopus, cui præfuit annis 23. Hæc tradunt Democh. tabulæ. Sed cùm tot tantùm annis eum ſediſſe tradant, reperiaturque interfuiſſe per vicarium ſecundo Concilio Aurelianenſi, quod celebratum reperitur anno Domini 536. impoſſibile videtur ad prædictum annorum numerum perueniſſe.

[k] Theodori Epiſc.] De eo item hac die Græci in Menolog. Hic ille celebris Archimandrita cognomento Sicæota, cuius Acta ſinceriſſimè ſcripta à Georgio eius diſcipulo recitat Metaphraſtes, ex quo Lipom. tom. 7. & Sur. tom. 2. hac die. Migrauit ex hac vita anno Domini 613. Heraclij Imp. anno tertio, prout eius Acta teſtantur.

## vj. A Nono Kalend. Maij. Luna. 23

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | | | |

NATALIS ſancti Georgij[a] martyris, cuius illuſtre martyrium inter coronas martyrum Eccleſia Dei veneratur. Valentiæ in Gallia paſſio ſanctorum martyrum Felicis[b] preſbyteri, Fortunati & Achillei diaconorum: qui à beato Irenæo Lugdunenſi Epiſcopo ad prædicandum verbum Dei miſſi, cùm maximam partem illius ciuitatis ad fidẽ Chriſti conuertiſſent, à Cornelio duce in carcerẽ truſi ſunt, deinde diutiſſimè verberati, cruribuſq; confractis, circa rotarum[c] vertiginem ſtricti, fumũ quoque in equulei ſuſpenſione perpeſſi, ad extremum gladio conſummati ſunt. In Pruſia natalis S. Adalberti[d] Pragenſis Epiſcopi & martyris, qui Polonis & Hungaris Euangelium prędicauit. Mediolani S. Maroli[e] Epiſcopi & confeſſoris. Tulli in Gallia S. Gerardi[f] eiuſdem ciuitatis Epiſcopi.

## APRILIS 23.

GEORGII[a].] De eodem hac item die Latini omnes, Græci item in Menolog his verbis: Memoria ſancti & glorioſi & magni martyris Georgij, cognomento Tropelophori. Fuit Cappadox genere, paſſus ſub Diocletiano Imperatore. Hæc ibi. De Actis ſancti Georgij martyris eſt cenſura Gelaſij in decreto de libris apocryph. apud Grat. diſtinct. 15. cap. Sancta Romana. Ea etenim quæ ab hæreticis eſſe compoſita dicuntur, in Eccleſia Romana nõ legi teſtatur. Sexta Synod. etiam can. 63. profitetur quaſdam martyrum hiſtorias ab hæreticis

ticis

ticis eſſe conſcriptas, eo nimirum (vt ait) conſilio, vt Dei martyres afficerent ignominia, & qui illas audirent, ad incredulitatem deducerent: quas omnes eadem ſancta Synodus vetuit publicari, ignique tradi mandauit. Id etiam à Manichæis hęreticis factitatum, ſanctus Auguſtinus teſtatur, ſcribens contra Adimantum, alijſque in locis, agens aduerſus Manichęos. Quænam autē eſſent Acta Georgij à Gelaſio improbata atque reiecta, exquirendi ſtudio fatigatus, ea mę tandem inueniſſe arbitror. In noſtra bibliotheca, tertio tomo Vit. Sanct. antiquiſſimo ac pænè vetuſtate conſumpto codice, pag. 159. inueni Acta quædam ſancti Georgij multis haud dubium referta mendacijs: ibi portentoſa quędam ab omni miraculorum ratione aliena feruntur; quæ quidem (vt prędictæ Synodi vtar verbis) non ad pietatem legentes, ſed ad infidelitatem adducant. Inſunt prætereà illic quædam accepta ab hæreticis atque Gentilibus, vt conflictus ille Georgij cum Athanaſio mago: alludit nimirum auctor impius ad Georgium Arianum Epiſcopum inuaſorem ſedis Alexandriæ, & Magni Athanaſij eius ſedis Epiſcopi pugnaciſſimum perſecutorem: Athanaſium enim ab Arianis eſſe magum appellatum, Acta Tyrij Conciliabuli ſatis docent: apud Gentiles etiam eandem de eo ſparſam eſſe calumniam, conſtat ex Ammiano Marcel. lib. 15. At Georgium Arianum Epiſcopum defuncto Conſtantio Imp. occiſum eſſe ob ſua ſcelera Alexandriæ, relatumque à ſuis inter martyres, liquet, teſtante id etiam Marcellino lib. 22. Ex quibus ſanè apparet totam illam de Actis Georgij fabulam fuiſſe commētum Arianorum. Leguntur in ijſdem alia nonnulla indigna martyre: vt phanatica quædam & portentoſa, ſuſpectum contubernium viduæ, ars doloſa eiuſdem ad perdendos Gentilium magos, atque enecandos Gentiles quoſque; innumera prætereà tormentorum genera, quibus agitatus Georgius, nec mori potuit; vt præter equuleos, vngulas, crates ferreas ignitas, rotamque mucronibus vndique præfixam, calceóſque armatos clauis, quæ & in alijs leguntur Actis, etiam arca ferrea clauorum cuſpidibus intus ad feriendum aptata, præcipitium, contuſiones malleis ferreis iteratæ, columna ingentis ponderis ſuper eum poſita, ingentiſque molis ſaxum ſuper caput reuolutum, ferreum ignitum ſtratum, liquens plumbum ſupereffuſum, quadraginta igniti claui, quibus eſt confoſſus, æneus bos candens, merſio in puteum, ingentis ponderis ſaxo ad collum ligato; quibus nec quidem occidi martyrem potuiſſe tradunt. Ad hæc inſuper fingitur ibi Dacianus quidam Imp. qui Perſis dominetur, & ſeptuagintaquinque Regibus imperet, ſub quo Georgius paſſus ſit, & alia multa, quæ potiùs delirantium ſomnia, quàm ſinceram hiſtoriam martyris præſeferant: quæ Gelaſij cenſura proſcripta eſſe, abſque aliqua difficultate quiſque ſibi ſuadere poteſt. Quibus reiectis, quænam germana, quæ item dubia de tanto martyre ſcripta reperiantur, in medium adducamus. Extant Acta Georgij à Metaphraſte edita, ſed in ijſdem diſplicent quæ de Athanaſio mago feruntur. Alia rurſus Acta habentur nomine Paſicratis Georgij ſerui ſcripta: quæ omnia Lipomanus Latinè reddidit: habet ea Sur. tom. 2. quæ alienæ potiùs quàm meæ cenſuræ ſubijcio. Vidi ea etiam quæ Iacobus de Vorag. habet in Legend. Sanct. quæ quidem non mediocri indigent caſtigatione. Legi & in vet. manuſcrip. quæ in quibuſdam eccleſijs recitari conſueuerunt, Acta Georgij, vbi & annus paſſionis deſcribitur ducenteſimus nonageſimus, ibique hæc ſolummodò tormenta Georgius paſſus narratur, verbera, rotam, ignitamque ſartaginem; ac demum gladio capite truncatus legitur: quæ licet ob longiores paraphraſes, & carmina quæ in eis habentur intexta, minimè referant pristinum illum candorem ac ſine fuco dicendi ſtylum, tamen ceteris probabiliora videntur. habemus ea in noſtra bibliotheca, tomo 9. Vit. Sanct. pag. 74. His enarratis, iam accipe quæ ex certis probatiſque auctoribus de egregio martyre ſcripta reperiuntur.

Non tantùm in Oriente, vbi paſſus eſt, ſed & in Occiduis oris clariſſimus fuit. Extat epigramma Venantij Fortunati de baſilica eiuſdem nomine erecta in Gallijs, in quo hi verſus de eius martyrio leguntur:

*Carcere, cæde, ſiti, vinclis, fame, frigore, flammis*
*Confeſſus Chriſtum, duxit ad aſtra caput.*
*Qui virtute potens Orientis in arce ſepultus,*
*Ecce ſub Occiduo cardine præbet opem.*

De reliquijs eius Pariſijs poſitis Aim. lib. 2. de geſt. Franc. cap. 20. S. Germanus Pariſiorum Epiſcopus cùm Ieroſolymam peregrinatus eſſet, rediens diuertit Conſtantinopolim, vbi à Iuſtiniano Imperatore inter alias nobiles reliquias donatus eſt brachio ſancti Georgij martyris, quod condidit Pariſijs in baſilica S. Vincentij. id Aim. de geſt. Franc. lib. 3. c. 9 Fuit & Romæ, quæ adhuc perſeuerat, illuſtris memoria S. Georgij ad Velum Aureum, vbi & caput eius venerādum aſſeruatur, quod Zacharias Papa in theca repertum cum inſcriptione Græcis litteris exarata, ibidem recondidit, vt teſtatur liber de Romanis Pontificibus in Zacharia. S. Gregorius Papa item eccleſiam eiuſdem martyris vetuſtate labefactatam reſtituit: eſt de his epiſtola ipſius 68. libro 4. Indict. 4. Brachium eiuſdem martyris Coloniam Agrippinam delatum, & multis miraculis illuſtratum, indicant Acta ſancti Annonis Epiſcopi Colonien. De reliquijs eiuſdem atque miraculis editis ſcribit Gregorius Turonen. de gloria mart. cap. 101. In Galatia prętereà celebris fuit eiuſdem ſancti memoria: de cuius miraculis ibidem ſępiùs iteratis multa narrantur in vita ſancti Theodori Sicæotæ, cuius nuper meminimus: habet eam Lipom. tom. 7. & Sur. to. 2. Procopius ſcribit lib. 1. ædif. Iuſtin. ipſum Iuſtinianū Imperatorem eidem martyri baſilicam erexiſſe. Reges enim in militari conflictu S. Georgium martyrem inuocare ſolitos, eumdemq; propitium nactos eſſe, ſatis ſignificant ea quæ de Nicephoro Imp. ſcribit Cedren. in cōpend. hiſtor. & quę Paulus diaconus de geſt. Longob. lib. 6. cap. 5. tradit de Chuniperto Rege: hi enim ob ingentem de hoſtibus adeptā victoriam, baſilicam & monaſterium in honorem eiuſdem martyris erexerunt. Romanā ipſam Eccleſiam ad expugnandos fidei hoſtes, hos præcipuè martyres inuocare conſueuiſſe, Mauritium, Sebaſtianum, & Georgium, teſtatur Ordo Roman. de diuin. offic. in fine. Eſt in Sacramentario S. Gregorij in natali S. Georgij ſpecialis de eodem ſancto præfatio. Pictura illa S. Georgij, qua effingitur eques armatus, qui haſtæ cuſpide draconem interficit, iuxta quem etiam virgo poſita manus ſupplices

 tendens,

tendẽs, imploret auxilium; ſymboli potiùs, quàm hiſtoriæ alicuius, opinor eſſe expreſſam imaginem: in nullis enim, quæ recenſuimus, ſancti Georgij Actis antiquis, quidquam einſmodi legitur: ſed à Iacobo de Voragine abſque aliqua maiorum auctoritate ea ad hiſtoriam referuntur: quę potiùs in virgine illa typum exprimunt (more maiorum) prouinciæ, vel ciuitatis alicuius, quæ aduerſus diaboli vires tanti martyris imploret auxilium. Symbolicas eiuſmodi picturas pingi à Chriſtianis olim conſueuiſſe, ſatis docet Euſebius in vita Conſtantini Imp. lib. 3. cap. 3. vbi agit de pictura Conſtantini, deq́ue dracone ab eo medio ventre transfixo, & in mare proiecto. Non imus inficias, S. Georgium vt equeſtris militiæ militem, equeſtri imagine referri conſueuiſſe: nam & de equo picto S. Georgium geſtante, hinnitumq́ue edente, mira habes deſcripta à Nicephoro Gregora hiſt. lib. 8. pag. 31. & 32. De imagine S. Georgij, ex qua ſanguis fluxit, vide Georg. Pachimer. hiſt. lib. 7. pag. 61.

[b] Felicis, & ſoc.] De his item hac die Beda, Vſuard. & Ado. Recitat Sur. horum Acta tom. 2.

[c] Circa rotarum vertiginem ſtricti.] Per antiquum fuiſſe rotarum ſupplicium, docet Cæl. Rhodig. lect. antiquarum lib. 10. cap. 5. Meminit S. Baſilius homil. in Quadrag. martyres de rotæ tormento. Frequens reperitur in Actis martyrum rotæ cruciamentum: de eodem Ioſephus libro de Machab. ad Polyb. his verbis: Decretum dat, vt ſi quis eorum in patria conſiſtens, ad ſacrificia migrare noluiſſet, diſtrictus rotæ impetu rumperetur. Hæc ibi, ſed ex verſione Eraſmiana. Et inferiùs de eiuſdem cruciamenti exhibitione his verbis: Illi igitur mole pedibus appẽſa, atque innecti rotæ iubetur Machabæus: ita etiam in gyrum circuli porrectus, vt ſolotis hinc inde viſceribus, venisq́; diſtentis, dolores ipſius & pœnę creſcerent. Et infrà: Vt erat affixus rotæ ignis, in cataſta obijcitur: atque ita tendẽtibus corpus radijs, & contrahentibus flammis, coſtis deinde patentibus, laterum vitalia rumpuntur, &c. Ac deinde hæc de alio tormentis expoſito: Rotę, inquit, poſtmodum affigitur: nec tendi magis iam poterat, &c. Ex his quidem ſatis accipi poſſe videtur, rotæ tormentum non ad incidendum corpus, ſed ad extẽdendum & diſſoluendum eſſe compoſitum; idq́ue Apuleius lib. 3 de aſin. aur. qui cùm agit de paratis tormentorum generibus ad torquendum, hæc ait: Nec mora, cùm ritu Græcienſi, ignis & rota, tum omne flagrorum genus inferuntur. Et lib. 10. Nec rota, nec equuleus deerat. Hæc ille. Verùm non vnius tantùm, ſed multiplicis generis rotæ inueniuntur in Actis ſanctorum martyrum.

[d] Adalberti Epiſc.] De eodem hac die agitur apud Bedam & Adonem. Habet eius res geſtas Sur. tom. 2. Alias ab his diuerſas legimus in cod. manuſcrip. monaſterij S. Cæciliæ Tranſtiberim, quarum eſt exordium: Eſt locus, &c. Plura de eodem in breuiario Polonico, in epiſt. Petri Damiani de renuntiando Epiſcop. De eodem in Actis S. Stephani Regis Hungariæ, Sigebert. in chron. anno 994. Æneas Silu. hiſt. Boëm. cap. 16. item chron. vet. Polon. & nouiſſimè Mart. Chrom. de reb. Polon. lib. 3. qui eum martyrio occubuiſſe refert anno Domini 997. Dies tranſlationis eius agitur tertiodecimo Kal. Nouemb. cuius etiam rei geſtæ hiſtoriam ſub Othone Imperatore legi in vet. manuſcrip. vbi agitur etiam de tranſlatione ſanctorum Abundij & Abundantij.

[e] Maroli Epiſcopi.] De quo etiam tabulæ eccleſiæ Mediolanenſis. Extat Ennodij Epiſcopi Ticinenſis de eodem elegans epigramma quod Incipit: *Marolus extrema*, &c. Succeſſit hic ſancto Venerio.

[f] Gerardi Epiſc.] De eo Sigebert. in chron. anno Domini 1052. hæc ſcribit: Leo Papa Gerardum Leucorum ſupra ſe quintum Epiſcopum ſanctitate vitæ mirabilem, habita Synodo, per auctoritatem Apoſtolicam decreuit in numero ſanctorum confeſſorum in Eccleſia ſolemniter habendum. Hæc ille.

v. B Octauo Kalend. Maij. Luna. 24

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | | | |

ROMÆ ſancti Sabæ [a] ductoris militum, qui accuſatus quòd Chriſtianos in carcere detẽtos viſitaret, coram Iudice Chriſtum liberè confeſſus eſt: à quo facibus aduſtus, in lebetem [b] picis feruentis iniectus, cùm euaſiſſet illæſus, eo miraculo ſeptuaginta viros ad Chriſtum conuertit: qui omnes in confeſſione fidei conſtanter permanẽtes, gladio cæſi ſunt: poſtremò ipſe demerſus in flumen, martyrium conſummauit. Lugduni in Gallia natalis ſancti Alexandri [c] martyris, qui in perſecutione Antonini Veri poſt carceris cuſtodiam primò ita laniatus eſt crudelitate verberantium, vt crate ſoluta coſtarum, patefactis viſceribus, interiora corporis panderentur:

rentur: deinde crucis affixus patibulo, beatum ſpiritum exanimatus emiſit. Paſſi ſunt cum eo & alij numero trigintaquatuor, quorum memoria alijs diebus agitur. Eodem die ſanctorum martyrum Euſebij [d], Neonis, Leontij, Longini, & aliorũ quatuor, qui in perſecutione Diocletiani poſt diros cruciatus gladio percuſſi ſunt. In Anglia depoſitio ſancti Melliti [e] Epiſcopi, qui à ſancto Gregorio in Angliam miſſus, Orientales Saxones, & Regem ipſorum ad fidem conuertit. Illiberi in Hiſpania ſancti Gregorij [f] Epiſcopi & confeſſoris. Brixiæ ſancti Honorij [g] Epiſcopi. In Hibernia ſancti Egberti [h] preſbyteri & monachi, admirandæ humilitatis & continentiæ viri. Rhemis ſanctarum virginum Bonæ [i] & Dodæ.

## APRILIS 24.

SABÆ martyris [a].] Agunt de eodem hac die Græci in Menologio, Romęq; paſſum tradunt tẽporibus Aurel. Imp.

[b] In lebetem.] De lebete, ſic dicto cruciamenti genere, habes Machab. lib. 2. cap. 7. & Ioſeph. lib. de Machab. ad Polyb. Frequens eſt mentio de eiuſmodi tormento in Actis ſanctorum martyrum.

[c] Alexandri, & ſoc.] De his hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri. Refert eorum Acta Sur. tom. 2. Extat de ſancto Alexandro & Epipodio ſermo ſancti Eucberij Lugdunenſis, falsò adſcriptus Euſebio Emiſſeno. Diuerſus planè ab hoc Alexander ille medicus & martyr, qui cum Attalo poſt diuerſa pœnarum genera, gladio cæſus, occubuit, cuius & cineres in Rhodani fluenta merſi fuerunt, vt conſtat ex epiſtola eccleſię Lugdunenſis, quam recitat Euſeb. hiſt. lib. 5. cap. 1. Meminit & ſanctus Auguſtinus lib. de cura agenda pro mort. cap. 6. de cineribus martyrũ Lugdunenſium in flumen iniectis: Alexander autem, de quo agimus (ne quis exiſtimet eumdem eſſe cum illo) ſupplicio crucis martyrium conſummauit, eiusq; corpus inter dumeta abſconditum, poſteà ſepulturæ mandatum fuit, vt eius Acta teſtantur.

[d] Euſebij, & ſoc.] Agunt de his item Gręci hac die in Menolog. paſſosq; ſub Diocletiano referũt.

[e] Melliti Epiſcopi.] De eo etiam hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Scripſit Beda eius res geſtas in hiſt. de geſt. Angl lib. 1. cap. 29 & 30. lib. 2. cap. 3. & ſeq. Eiuſdem meminit S. Gregorius Papa in regiſt. lib. 9. epiſt. 48. 52. 56. & 71. Ioannes diac. in vita S. Gregorij lib. 1, cap. 31. Migrauit ex hac vita anno à Chriſto Domino ſexcenteſimo vigeſimoquarto, vt ſcribit Beda lib. 2. de geſt. Anglor. cap. 7. in fine.

[f] Gregorij Epiſcopi.] Vſuardus item de eo hac die. Agit de eodem ſanctus Hieronymus lib. de ſcrip. Eccleſiaſt. Iſidor. de vir. illuſtr. cap. 1. in Oſio, Honorius Auguſtod cap. 105. pluribus autem Marcellinus presbyter in libello oblato Theodoſio Imperatori. Huius Gregorij commentarios carie obſitos, obliuione obrutos, mendisque labefactatos purgauit ediditque noſter Achilles Statius laudabilis memoriæ.

[g] Honorij Epiſc.] De quo etiam tabulæ Brixianæ eccleſiæ. Ponitur hic decimusnonus eius eccleſiæ Epiſcopus: à Philaſtrij autem tempore, qui eius ſedis Epiſcopus adſcribitur ſeptimus, hic numeratur ordine duodecimus, vt ſcribit Rampertus Epiſc. Brixianus in ſermone de tranſlatione ſancti Philaſtrij.

[h] Egberti.] De eo plura ſcribit Beda de geſtis Angl. lib. 3. cap. 4. & 27. lib. 4. cap. 3. & lib. 5. c. 10. & 23. vbi ait, eum ex hac vita exceſſiſſe anno ab incarnatione Domini ſeptingenteſimo vigeſimooctauo. Fuit & Egbertus Epiſcopus, cuius natalis dies agitur prid. Nonas Maias, licet eum Eadbertum alij dicant.

[i] Bonæ & Dodæ.] Agit de his Molanus in additione ad Vſuard. De alia Bona Petrus in catal. lib. 8. cap. 71.

25 Septimo Kalend. Maij. Luna. C iiij.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
27 28 29 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14
t u A B C D E f F G H M N P
15 16 17 18 19 20 21 22 21 22 23 24 25 26

ALEXANDRIÆ natalis beati Marci [a] Euangeliſtæ. Hic diſcipulus & interpres Apoſtoli Petri, rogatus Romæ à fratribus, ſcripſit Euangelium, quo aſſumpto perrexit in Ægyptum, primuſque Alexandriæ Chriſtum annuntians, conſtituit

eccleſiam: ac poſteà pro fide Chriſti tentus, funibus vinctus, & per ſaxa raptatus, grauiter afflictus eſt: deinde recluſus in carcere, primò angelica viſitatione confortatus, & demum ipſo Domino ſibi apparente, ad cæleſtià regna vocatus eſt octauo Neronis anno. Romæ Litaniæ [b] maiores ad ſanctum Petrum. Syracuſis ſanctorum martyrum Euodij [c], Hermogenis, & Calliſti. Antiochiæ ſancti Stephani [d] Epiſcopi & martyris, qui ab hæreticis Synodum Chalcedonenſem impugnantibus multa paſſus, in Orontem fluuium præcipitatus eſt, tempore Zenonis Imperatoris. Ibidem ſanctorum Philonis [e] & Agathopodis diaconorum. Alexandriæ ſancti Aniani [f] Epiſcopi, qui beati Marci diſcipulus, eiuſque in Epiſcopatu ſucceſſor, clarus virtutibus quieuit in Domino. Laubijs natalis S. Ermini [g] Epiſcopi & cōfeſſoris.

## APRILIS 25.

[a] MARCI Euangeliſtæ [a].] De eodem hac die Beda, ac ceteri omnes Latinorum, ac Græcorum, qui eumdem etiam martyrem dicunt, deſcribuntque eius paſſionis Acta in Menologio. Agit de eo item Euſebius hiſt. lib. 2. cap. 14. 15. & lib. 3. c. vlt. Hieronymus de ſcrip. Eccleſiaſticis, Iſidorus de vit. & obitu ſanctorum: quorum cùm nullus dicat eum occubuiſſe martyrio, ab aliquibus dubitatum fuit, an re vera martyrium conſummarit. At Gelaſius, cuius præcipua eſt in Eccleſia Dei auctoritas, de eius martyrio expreſsè teſtatur, cùm ait: Marcus à Petro Apoſtolo in Ægyptum directus, verbum veritatis prædicauit, & glorioſè conſummauit martyrium. Hæc Gelaſius in Rom. Concil. in decret. de lib. authent. & apocryph. Hoc ipſum Niceph. hiſt lib. 2. cap. 43. Metaphraſtes hac die, Procopius diaconus in encomio de eodem, quod recitat Lipom. tom. 7. & Sur. to. 2. Cetera autem de ſancto Marco, an idem ſit cum conſobrino Barnabæ, qui Ioannes Marcus dictus eſt, & an Latinè vel Græcè Euangelium ſcripſerit, quoniam non ſunt huiuſmodi, quæ paucis abſolui queant, ſatis de his diſſeruiſſe ſufficiat in noſtris Annalibus Eccleſiaſt. vbi & de alijs quæ ad Marcum pertinent, pluribus egimus.

[b] Litaniæ maiores.] De his item Beda, Vſuardus, Ado, & alij Latinorum; quorum nonnulli cùm dicant inſtitutas à S. Gregorio, ſic intelligas, non vt ipſas maiores Litanias ſanctus Gregorius primus inuenerit, ſed quòd ad ſanctum Petrum eas indixit. Extat decretum eiuſdem Pontificis de Litaniarum maiorum annua celebritate in princ. lib. 2. regiſtri his verbis: Solemnitas annuę deuotionis nos, fratres dilectiſſimi, admonet, vt Litaniam, quæ Maior ab omnibus appellatur, ſolicitis ac deuotis debeamus (auxiliante Deo) mentibus celebrare, &c. Idem S. Pontifex occaſione ingruentis peſtilentiæ illam Litaniam inſtituit, quam ſeptiformem appellauit. Extat de ea re eius conſtitutio data 4. Kalen. Septemb. lib. 11. cap. 2. cuius etiam meminit Greg. Turonen. de geſt. Franc. lib. 10. c. 1. Paul. diac. de geſtis Longobard lib. 3. cap. 11. & alij. Idem S. Gregorius, vrgente aliqua neceſſitate, non tantùm Romanis, ſed etiam externis Litanias indicebat, vt apparet ex libro 9. regiſt. epiſt. 45. Indict. 4. Cur autem hæ, de quibus hîc agimus, Litaniæ maiores dictæ fuerint: conſtat ad minorum Litaniarum differentiam ſic appellatas eſſe. Non enim vnæ tantùm in anno, ſed plures ſolitæ erant fieri Litaniæ pro conſuetudine cuiuſque eccleſiæ, vt apparet ex epiſt. S. Gregor. 76. lib. 7. Indict. 2. ad Caſtorium, vbi habetur mentio de quatuor vel quinque ſolemnibus Litanijs in Rauennate eccleſia celebrari ſolitis. A quo autem Litaniæ primùm fuerint inſtitutæ, adhuc mihi eſt inexploratum: vetuſtiſſimum ſanè morem fuiſſe in Eccleſia Litanias peragere, certiſſimum eſt. nam quod ſpectat ad Eccleſiam Orientalem, S. Baſilius in epiſt. 63. ad Neocæſarienſes tradit, in ea eccleſia in vſu fuiſſe Litanias etiam temporibus S. Gregorij cognomento Thaumaturgi, eius ciuitatis Epiſcopi, qui vixit temporibus Decij Imperatoris; quas poſtmodum in ceteris Orientis eccleſijs conſtat fuiſſe frequentatas, adeò vt eas ſolemniori pompa etiam Ariani fuerint æmulari, vt ſcribit Socrat. lib. 6. cap. 8. & Sozom. lib. 8. cap. 8. quas tamen Arcadius Imp. edicto promulgato illis inhibuit, L. 30. de hæretic. Cod. Theod. Litaniæ etiam reperiuntur dictæ Proceſſiones cap. 17. Concilij Laodic. edit. 2. Conſtat autem penes Latinos vetuſtiorem fuiſſe vſum procedendi ad loca martyrum, vt Tertul. lib 2. ad vxorem, & Hieron. epiſt. 22. ad Euſtoch. Eaſdem itaque ſiue Litanias, ſiue Proceſſiones dicere vellmus, vnuſquiſque Epiſcopus in ſuis eccleſijs ſtudioſè agere conſueuit. vnde de S. Honorato Epiſcopo Maſſilienſi hæc pro magna laude Gennadius cap. 99. Hic Litanias ad ſupplicandum Dei clementiam cum plebe ſibi credita pro viribus agit. Hæc ille. Porrò percelebres, & ab vniuerſa pænè Eccleſia receptæ ſunt illæ, quas S. Mamertus Epiſcopus Viennenſis reſtituit in Gallijs, temporibus Valentiniani Tertij Imp. anno circiter 452. vt ſcribit Ado Epiſcopus Vienneñ. in chron. quæ & Rogationes appellatæ ſunt: cuius piæ inſtitutionis occaſionem ſcribit in ſermone quodam Alcimus Auitus eiuſdem eccleſiæ epiſcopus, ſucceſſorque Eſichij, quem præceſſit S. Mamertus. Extat præterea

tereà de iiſdem epiſtola Sidonij Apollinaris ad eumdem S. Mamertum ſcripta lib. 7. epiſtola 1. alia ad Aprum 14 lib. 5. vbi (vt mittamus cetera) hæc inter alia de priſtina Litaniarum obſeruatione iam negligentia torpeſcente: Erant, inquit, quidem priùs (quod ſalua fidei pace dictum ſit) vagæ, tepentes, infrequenteſque, &(vt ſic dixerim) oſcitabundæ ſupplicationes; quæ ſemper interpellantium prandiorum obicibus hebetabantur: ad quas, vt nihil ampliùs dicam, figulo pariter & hortulano non oportuit conuenire. In his autem, quas ſuprafatus ſummus ſacerdos & protulit pariter & contulit, ieiunatur, oratur, pſallitur, & fletur, &c. Hæc Sidonius. Ex his quidem Sidonij verbis apparet, S. Mamertum Epiſcopum non tam inſtituiſſe, quàm reſtituiſſe, & in meliorem formam reduxiſſe ſacras Rogationes. Sanè quidem S. Auguſtinus, qui tempore præceſſit S. Mamertum, de iiſdem Rogationibus, quæ præcedunt celebritatem Aſcenſionis Dominicæ, non obſcurè meminit ſerm. 173. de temp. in vigilia Aſcenſ. tomo 10. pag. 338. edit. Louanien. Eſt eius exordium huiuſmodi: Scire debemus & intelligere, fratres chariſſimi, quia dies compunctionis & pœnitentiæ celebramus, &c. Circa finem autem ſic: Nullus ſibi de induſtriâ aliquas occupationes inquirat, per quas ſe de Eccleſiæ conuentu ſubducat. Sine dubio peccatorum ſuorum vulnera diligit, qui in iſtis tribus diebus, ieiunando, orando, & pſallendo, medicamenta ſibi ſpiritualia non inquirit, &c. Quibus quidem eumdem de ſacris Rogationibus verba facere, nullum eſt dubium. Extat de Rogationibus canon 29. primi Concilij Aurelianenſis, item cap. Rogationes. de conſecrat. diſtinct. 3. & in Capitular. Franc. lib. 5. cap. 85. De iiſdem Cæſarius Epiſcopus Arelat. homil. 33. hæc habet: Tribus iſtis diebus, quos regulariter in toto mundo celebrat Eccleſia, nullus ſe à ſancto conuentu ſubducat, &c. Reliqua autem de Rogationibus vide apud eos qui ſcripſerunt de diuin. offic. Aliæ inſuper Rogationes ab his ſunt, quas inſtituit S. Gallus Epiſcopus Aruernenſis, quæ media Quadrageſima agi ſolitæ erant; de quibus Gregorius Turon. libro 4. cap. 5. Celebrabantur olim in eccleſia Gallicana etiam Litaniæ noni menſis, de quibus agitur in Concilio primo Lugdun. cap. 6.

[c] Euodij, & ſoc.] De his item hac die Vſuardus, Maurolycus, & alij recentiores.

[d] Stephani Epiſc.] Agit de huius martyrio Euagr. hiſt. lib. 3. cap. 10. & Niceph. lib. 15 cap. 28. ex Ioanne Rhetore. Porrò non tantùm Stephanum, ſed & alios Orthodoxos Epiſc. ab hæreticis tunc Antiochiæ occiſos eſſe, indicant litteræ S. Simplicij Papæ ad Zenonem Imp. qui de ſacrilegis pœnas ſumpſerat. Habemus eam epiſtolam manuſcriptam, datam x. Kal Iulias poſt Conſulatum Illi. eſt eius exordium: De eccleſia Antiochena venerandos, &c.

[e] Philonis & Agathopodis.] Hi eſſe videntur, qui ex Syria Romam comitati ſunt S. Ignatium Epiſcopum Antiochenum, eiuſq; reliquias Antiochiam retulerunt, vt conſtat ex Actis ipſius martyrij. Fuit Philo Tarſenſis eccleſiæ, Agathopos Antiochenæ diaconus. Meminit eorumdem frequenter S. Ignatius ſcribens ad Tarſenſes, ad Philadelphos, & ad Antiochenos.

[f] Aniani Epiſc.] De eo Euſebius in chron. & hiſt. lib. 2. cap. 23. & lib. 3. c. 12 Hieron. de ſcrip. Eccleſiaſt. in Marco, Niceph. hiſt. lib. 3. cap. 2. Niceph. Epiſc. in chron. & alij: multa habet de eo Petrus in catal. lib. 9. cap. 19. ſed quæ videntur apocrypha. Extat Alexandriæ eccleſia nomine S. Aniani, cuius meminit Epiphan. in panar. hæreſi 69. Eius autem ſacrum corpus Venetias eſſe tranſlatum accepimus. Fuit alius eiuſdem nominis Anianus Aurelianenſis Epiſcopus; alius item Meldenſis, de quo agitur in Actis S. Genoueſæ; iidemque ſanctitate nobiles.

[g] Ermini Epiſcopi.] De eo etiam Molan. in addit. ad Vſuard. pluribus autem in Indic. ſanct. Belg. Succeſſit hic ſancto Vrſmaro anno Domini 713. Extare de eius Actis librum ſcriptum, idem auctor affirmat.

## 26 Sexto Kalend. Maij. Luna. D iiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | | | |

ROMÆ natalis beati Cleti[a] Papæ, qui ſecundus poſt Apoſtolum Petrum rexit Eccleſiam, & in perſecutione Domitiani martyrio coronatus eſt. Ibidem ſancti Marcellini[b] Papæ & martyris, qui ſub Diocletiano pro fide Chriſti vnà cum Claudio, Cyrino, & Antonino capite truncatus eſt: quo tempore magna fuit perſecutio, ita vt intra vnum menſem, decem & ſeptem millia Chriſtianorum martyrio coronarentur. Amaſeæ in Ponto ſancti Baſilei[c] Epiſcopi & martyris, qui ſub Licinio Imperatore illuſtre martyrium conſummauit: cuius corpus in mare proiectum, & ab El-

pidiphoro Angeli monitu repertum, honorificè tumulatum fuit. Bracari in Luſitania ſancti [d] Petri martyris, primi eiuſdem ciuitatis Epiſcopi. Viennæ ſancti Clarentij [e] Epiſcopi & confeſſoris. Veronæ ſancti Lucidij [f] Epiſcopi. In monaſterio Centula ſancti Richarij [g] presbyteri & confeſſoris. Trecis ſanctæ Exuperantiæ [h] virginis.

## APRILIS 26.

CLETI Papæ [a].] De eodem hac die Vſuardus, Ado, & alij; Beda autem hìc de Anacleto, de Cleto autem ad 3. Nonas Maij. Ob nominis ſimilitudinem magna tum apud Latinos, tum etiam apud Græcos facta eſt de Cleto & Anacleto confuſio: vt niſi vitium ſit in codice, librariorum oſcitantia non leues quidem, immò grauiſſimi ſcriptores in his nominibus erraſſe noſcantur. Sanctus Ignatius in primis in epiſtola ad Mariam Caſſabolitem pro Cleto habet Anacletum. id ipſum ſanctus Irenæus feciſſe videtur aduerſus hæreſ. lib 3. cap. 3. Euſebius etiam in chron. & hiſt. lib. 3. cap. 12. Nicephorus item hiſt lib. 3 c. 2. & Niceph. Epiſc. in chron. Ex Latinis itidem Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parmen. & Auguſtinus epiſtola 165. putantes, credo, Cletum eumdem cum Anacleto, illum prætericrunt. è contrà autem plerique, qui nouerunt Cletum, neſciuerunt Anacletum, vt inter alios ſanctus Epiphanius, qui in Panar. hæreſ. 27. ponens Cletum, prætermittit Anacletum. Sed in his quæ ſunt Romanæ Eccleſiæ, maior eſt adhibenda fides eius alumnis, quàm ceteris. Poſt librum de Romanis Pontificibus, S. Hieronymus de ſcrip. Eccleſiaſt. in Clemente, poſt Linum recenſet Cletum. Poſitum habetur nomen Cleti in canone Miſſæ antiquitus ſcripto. De eodem præterea indices Vaticani, quos exſcripſimus. Quòd autem Cletus ante Clementem ſederit, aliaque plura de eo egimus in Annalibus Eccleſiaſticis.

[b] Marcellini Papæ.] De ipſo item hac diè Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri. Ecce tibi iterùm penes Græcos in nominibus facta confuſio, putantes itidem eumdem eſſe Marcellinum cum Marcello: vnde Euſebius præteriens Marcellum, Marcellinum tantùm numerat in chron. & hiſt. lib. 7. cap. 26. quem errorem & ceteri ſecuti eſſe videntur, vt Niceph. Calliſt. hiſt. lib. 6. cap. 34. & Nicephorus Epiſcopus in chron. Non ſic quidem Latini, vt Optatus lib. 2. contra Parmen. & Auguſt. epiſtola 165. ac ceteri omnes recentiores. Ipſa eorum Acta inter ſe diuerſa, diuerſos prorſus eſſe, planè declarant. Succeſſit Marcellinus Caio, vt omnes tam Græci quàm Latini citati auctores teſtantur. Cetera de ipſo in Annalibus Eccleſiaſticis.

[c] Baſilei Epiſcopi.] Agunt de eodem item hac die Græci in Menologio, vbi & martyrium, corporis inuentio, atque tranſlatio narrantur. Metaphraſtes ex antiquioribus monumentis edidit eius Acta, quæ recitat Lipom. tomo 7. & Sur. tom. 2. Ex quibus omnibus erroris arguitur Nicephorus, dum libro 8. cap. 14. adnumerat S. Baſileum inter Epiſcopos qui interfuerunt Nicæno Concilio, cùm conſtet eumdem ſub Licinio Imperatore martyrio coronatum obijſſe diem.

[d] Petri.] De eodem Vaſæus in chron. Hiſp. Flos ſanct. Hiſpan. & Theſaur. concion. tomo 2. hac die.

[e] Clarentij Epiſcopi.] De eo item hac die Beda, Ado Viennen. in chron. anno 641. Ponitur hic trigeſimus eius ſedis Epiſcopus ſub Vitaliano Papa in tabul. Democharis.

[f] Lucidij Epiſcopi.] In tabulis eccleſiæ Veronen. & in ſæpiùs citato codice pag. 8. & 39. Eſt & Lucillus nomine eiuſdem ciuitatis Epiſcopus, de quo in dictis tabulis agitur pridie Kalen. Nouembris: quem illum ipſum puto, qui interfuit Concilio Sardicenſi, vbi loco Lucilli, Lucius ſubſcriptus reperitur tomo 1. Concil. nam apud Athanaſium in apologia ſecunda inter Epiſcopos Italiæ, qui illi Synodo interfuerunt, Lucillus ponitur poſt Seuerum Rauennatem Epiſcopum. Vocat eumdem cum ceteris in teſtimonium Athanaſius in apologia ad Conſtantium.

[g] Richarij.] Agit de eodem Vſuardus hac die. Eius res geſtas ſcripſit Albinus Flaccus ad Carolum Magnum Imperatorem. habet eas Sur. tomo ſecundo. Agit de eo item Vincentius libro 23. cap. 56. 97. & 81. Trithem. de vir. illuſtr. ordinis ſancti Benedicti libro 3. cap. 98. & 295. Claruit temporibus Dagoberti Regis Franc. circa annum Domini ſexcenteſimum atque trigeſimum.

[h] Exuperantiæ.] Maurolycus, & Molanus in addit. ad Vſuardum hac die de eadem agunt.

Quinto

27 Quinto Kalend. Maij. Luna. 

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | | | |

NICOMEDIÆ natalis ſancti Anthimi[a] Epiſcopi & martyris, qui in perſecutione Diocletiani ob confeſſionem Chriſti, martyrij gloriam capitis obtruncatione ſuſcepit. Secuta eſt quoque illum vniuerſa pænè gregis ſui multitudo; quorum alios Iudex gladio obtruncari, alios ignibus conflagrari, alios nauiculis impoſitos pelago immergi fecit. Tarſi in Cilicia ſanctorum Caſtoris[b] & Stephani martyrum. Romæ depoſitio beati Anaſtaſij[c] Papæ, viri ditiſſimæ paupertatis, & Apoſtolicæ ſolicitudinis: quem (vt ait ſanctus Hieronymus) diu Roma habere non meruit, ne Orbis caput ſub tali Epiſcopo truncaretur: nam haud multò poſt eius obitum Roma à Gothis capta fuit. Bononiæ S. Tertulliani[d] Epiſcopi & confeſſoris. Brixiæ ſancti Theophili[e] Epiſcopi. Conſtantinopoli ſancti Ioannis[f] abbatis, qui pro cultu ſacrarum imaginum ſub Leone Iſaurico plurimùm decertauit.

## APRILIS 27.

ANTHIMI Epiſcopi[a].] De eo item hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri Latinorum, Græci autem in Menologio 3. Non. Septembris. Scribit de Anthimo Euſebius hiſt. lib. 8. cap. 6. & Niceph. hiſt. lib. 7. cap. 6. & 16. Extant eius Acta à Metaphraſte deſcripta; retulit eadem Lipom. tom. 6. & Sur. tom. 2. Succeſſit hic ſancto Cyrillo eiuſdem ciuitatis Epiſcopo, vt teſtantur Acta ſanctorum martyrum Indes & Domnæ, quæ recitat Metaphraſt. ſeptimo Kalen. Ianuarij, ex quo Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 6. In honorem ſancti Anthimi Iuſtinianus Imp. nobilem memoriam excitauit, vt ſcribit Procop. lib. 1. de ædif. Iuſtiniani Imperatoris.

[b] Caſtoris & Stephani.] Vſuardus de Caſtore tantùm, Maurolycus de vtroque, cui adſtipulantur vet. manuſcrip.

[c] Anaſtaſij Papæ.] Agunt de eo item hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Locus ſancti Hieronymi hîc citatus extat in epiſt. 16. ad Principiam. De eius ſucceſſione Auguſt. epiſtola 165. Proſp. in chron. Socrat. lib. 7. cap. 9. Theod. lib. 5. c. 23. Sozom. lib. 8. cap. 24. Eius Acta in Annal. Eccleſiaſt. ſcripſimus. De Vrbe capta à Gothis, cuius hîc mentio habetur, conſtat id contigiſſe Varari & Tertullo Coſſ. vt ſcribit Caſſiod. & Proſper in chron. quod & omnes profitentur: numeratur is annus (ſecundùm Faſtos Onuphrij) à Chriſto 410. ſedis autem Innocentij nonus. Corpus ſancti Anaſtaſij Papæ à Sergio Iuniori tranſlatum eſt in titulum Equitij, vt vetus inſcriptio in eadem eccleſia poſita docet.

[d] Tertulliani Epiſc.] Succeſſit hic Paterniano, poniturque octauus eius ſedis Epiſcopus.

[e] Theophili Epiſcopi.] Numeratur hic decimus eius ſedis Epiſcopus, tertiusque poſt ſanctum Philaſtrium: de eo Rampert. in ſerm. de tranſlatione ſancti Philaſtrij.

[f] Ioannis abbatis.] De eo item Græci hac die in Menologio, vbi etiam paucis eius res geſtæ deſcribuntur.



Digitized by Google

j.F Quarto Kalend. Maij. Luna. 28

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | | | |

RAVENNÆ natalis ſancti Vitalis[a] martyris, patris ſanctorum Geruaſij & Protaſij: qui cùm beati Vrſicini corpus ſublatum honeſtate debita ſepeliſſet, tentus à Paulino Conſulari, poſt equulei tormenta iuſſus eſt deponi in profundam foueam, & terra ac lapidibus obrui; taliq; martyrio migrauit ad Chriſtum. Mediolani ſanctæ Valeriæ[b] martyris, coniugis ſancti Vitalis. Atinæ ſancti Marci[c], qui à beato Petro Apoſtolo Epiſcopus ordinatus, Æquicolis primus Euangelium prædicauit, & in perſecutione Domitiani ſub Maximo Præſide martyrij coronam accepit. Alexandriæ paſſio ſanctę Theodoræ[d] virginis, quæ idolis ſacrificare contemnens, cùm eſſet in lupanar tradita, repentè quidam ex fratribus nomine Didymus miro Dei fauore commutatis veſtibus illam eripuit; qui poſteà in perſecutione Diocletiani ſub Euſtratio Præſide ſimul cum eadem percuſſus, ſimul coronatus eſt. Eodem die ſanctorum Aphrodiſij[e], Caralippi, Agapij, & Euſebij martyrum. In Pannonia ſancti Pollionis[f] martyris, ſub Diocletiano Imperatore. Pruſæ in Bithynia ſanctorum martyrum Patricij[g] Epiſcopi, Acatij, Menandri, & Polyæni. Turiaſone in Hiſpania ſancti Prudentij[h] Epiſcopi & confeſſoris. Corfinij in Pelignis ſancti Pamphili[i] Valuenſis Epiſcopi, charitate in pauperes, & gratia miraculorum illuſtris: cuius corpus Sulmonæ conditum eſt.

## APRILIS 28.

VITALIS[a].] De eo item hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Extant eius res geſtæ iunctæ Actis ſanctorum Geruaſij & Protaſij ex epiſtola nomine ſancti Ambroſij, quam recitat Sur. tom. 3. decimanona Iunij: Mombritius item recenſet huius Acta tomo ſecundo. De eius venerando ſepulchro Venantius Fortunatus lib. 4. vit. ſancti Martini meminit his verſibus:

*Inde Rauennatum placitam pete dulciùs vrbem,*
*Pulpita ſanctorum per religioſa recurres,*
*Martyris egregij tumulum Vitalis adora*, &c.

Et alibi:

*Vitalem ac reliquos tot chara Rauenna ſepultat.*

Libro 7. ad Bod. ducem. Extat de eodem ſermo Petri Damiani apud Surium to. 2. Pluribus Hieron. Rub. hiſt. Rauen. libro 1. qui & de veteri inſcriptione ad eius ædem agit libro 3. Fuit eiuſdem nominis Vitalis Epiſcopus eiuſdem eccleſiæ Rauennatis: quem miror admodum prætermiſſum ab ijs qui res Rauennates tractarunt, præcipuè verò nouiſſimè à Hieron. Rubeo, viro alioqui perérudito, qui in poſteriori edit. ſuarum hiſtoriarum Rauennatum, quam conatur, vel ſua ex his eſt emendaturus, vel fortaſſe his noſtris obiectionibus pleniùs ſatisfacturus: quod ſi fiet, à veritate nos vinci libentiſſimo accipiemus animo. Feliciter quidem accidit, vt obortis inter nos hiſce contentionibus, non inde, vt aſſolet, liuor vel æmulatio aliqua intercesſerit, ſed velut quibuſdam tenacioribus amoris vinculis mutua inter nos beneuolentia ſtringeretur. Mirificus quidem in homine, quem inſpexi, candor animi, ſinceri amoris illex, me penitus illi deuinxit. Sed ad Vitalem, vnde digreſſi eramus, redeamus. Ad hunc Vitalem Epiſcopum ſcripſit Venantius Fortunatus duo epigrammata; fuit enim illi æqualis: agitque de baſilica ſancti Andreæ ab ipſo erecta, quam idem Rubeus ex antiquis eius eccleſiæ monumentis tribuit ſancto Petro Chryſologo, redarguens eos etiam, qui eamdem adſcribunt Maximiano. Porrò Vitalem Epiſcopum eam erexiſſe, ex duobus illis epigrammatibus luce clariùs apparet: habentur eadem lib. 1. in principio.

cipio. Vixit hic Vitalis Epiſcopus circa annum Domini quingenteſimum ſeptuageſimum, quibus etiam temporibus claruit Venantius Fortunatus, qui Rauennæ nutritus, ibidem etiam liberales didicit diſciplinas, vt ſcribit Paulus diaconus de geſtis Longobardorum lib. 2. cap. 9: Maneant hæc de Vitale Epiſcopo, quouſque noſter Rubeus in ſecunda ſui commentarij editione hæc ex Venantio obiecta diluat, & ſua euidentiori probatione confirmet.

[b] Valeriæ.] De eadem Beda, Vſuardus, Ado, & alij hac die. Huius martyrij Acta intexta habentur cum rebus geſtis ſancti Vitalis, quas nuper citauimus.

[c] Marci Epiſcopi.] Legimus eius Acta tam ſoluta oratione quàm metro conſcripta Atinâ Romam tranſmiſſa; in quibus licet auctorum nomina deſiderentur, compertum tamen habemus ex Petro diacono bibliothecario Caſſinate in lib. de vir. illuſtr. monaſt. Caſſinen. cap 45. ſcriptam eſſe paſſionem eiuſdem ſancti Marci à Petro diacono Chartulario eiuſdem monaſterij ad Odeſirium abbatem; qui quidem auctor narrat, additum ab eodem etiam tractatum de excidio & reſtauratione eiuſdem ciuitatis Atinæ, necnon libellum de eiuſdem ſancti tranſlatione atque miraculis, compoſitumq; Canticum Eccleſiaſticum in eius ſolemnitate canendum, ac demum de eadem celebritate ſermones octo. hæc Petrus diaconus; quem illum ipſum puto Petrum, qui ea ſcribens de ſe ipſo, tamquam de alio extraneo modeſtiæ cauſa locutus eſt. Quod ad opus metricum ſpectat, idem ſcriptor eodem libello cap. 43. refert, Petrum Romanę Eccleſię ſubdiaconum ſcripſiſſe verſibus res geſtas eiuſdẽ ſancti Marci Epiſcopi.

[d] Theodoræ.] Beda, ac ceteri qui ſuprà auctores hac die, Græci autem Nonis Aprilis. Cenſetur hæc eadem cum ea de qua ſcribit ſanctus Ambroſius libro 2. de virgin. licet pro Alexandria ibi Antiochia legatur; quod librariorum potiùs vitio accidiſſe exiſtimamus. Græci etenim ac Latini omnes vno ore illam Alexandriæ paſſam eſſe teſtantur: idque etiam eius Acta profitentur, quæ ex antiquis monumentis edidit Metaphraſtes: extant apud Lipom. tom. 7. & Sur. tom. 2. Conſule annotationem inferiùs poſitam die 3. Maij in Alexandro & Antonina.

[e] Aphrodiſij & ſociorum.] Agunt preterea hac item die de his Beda, Vſuardus, Ado, ceteríque recentiores.

[f] Pollionis.] De eodem Beda, ac ceteri qui ſuprà. Huius Acta ſummatim complexa recitat Petrus in catalogo libro 4. cap 94. licet in mendoſo codice, pro Pollione Pullio, pro Cibali Ciualis; & pro Sirmio Firmus legatur.

[g] Patricij Epiſc.] Græci itidem de eo hac die in Menologio, vbi pluribus eius res geſtas referunt.

[h] Prudentij Epiſc.] De eo Vaſæus in chron. Hiſp. qui ſcribit fuiſſe Epiſcopũ Tarraconenſem, vixiſſeq; temporibus Diocletiani. Plura de eodem in Flore ſanct. Hiſpan. & in Theſaur. conc. tom. 2.

[i] Pamphili Epiſcopi.] Huius Acta Romam allata accepimus à D. Federico Ranaldo, Vaticanæ bibliothecæ præcipuo cuſtode, viro integerrimo, cui me plura debere profiteor: eius etenim officio & propenſiori erga me beneuolẽtia ac ſtudio eiuſdem bibliothecę ſæpè penetralia patuere, ex quibus magna facta eſt rebus noſtris acceſſio.

## 29 Tertio Kalend. Maij. Luna. G*

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | | | |

MEDIOLANI ſancti Petri [a] martyris, ordinis Prædicatorum, ab hæreticis ob fidem Catholicam interempti. Apud Paphum in Cypro ſancti Tychici [b] diſcipuli beati Pauli Apoſtoli, quem idem Apoſtolus in ſuis epiſtolis cariſſimum fratrem, miniſtrum fidelem, & conſeruum ſuum in Domino appellat. Cirthæ in Numidia natalis ſanctorum martyrum Agapij [c] & Secundini Epiſcoporum, qui poſt longum apud præfatam vrbem exilium, in perſecutione Valeriani, in qua tunc maximè Gentilium rabies ad tentandam iuſtorum fidem inhiabat, ex illuſtri ſacerdotio effecti ſunt martyres glorioſi. Paſſi ſunt in eorum collegio Æmilianus miles, Tertulla & Antonia ſacræ virgines, & quædam mulier cum ſuis geminis. Eodem die ſanctorum ſeptem Latronum [d], qui à ſancto Iaſone ad Chriſtum conuerſi, martyrio vitam adepti ſunt ſempiternam. Brixiæ S. Paulini [e] Epiſcopi & confeſſoris. In cœnobio Cluniacenſi

cenſi ſancti Hugonis [f] abbatis. In monaſterio Moliſmenſi ſancti Roberti [g] primi abbatis Ciſtertij. Romæ ſanctæ Catharinæ [h] virginis Senenſis, ordinis ſancti Dominici, vita & miraculis claræ, quam Pius Secundus in ſanctarum Virginum numero adſcripſit.

Vrbanus Papa viij diem festum S. Catharinæ [illegible] in diem xxx. Aprilis [illegible] celebrandum, sub officio semiduplici. die 16. feb. 1630.

## APRILIS 29.

PETRI mart. [a] ] Huius res præclarè geſtas ſcripſit Thomas Lentinus, Patriarcha Ieroſolymitanus, quas Surius deſcripſit tom. 2. Plura de eodem Vincent. libro 31. cap. 103. & Antoninus in 3. par. tit. 23. c. 6. Martyrium ſubijt anno Domini 1252. Sequenti verò anno ab Innocentio Papa IV. adſcriptus eſt in numero Sanctorum, vt de eo ſcribit Bernardus in chron. Cetera collecta habes ſimul in Theſauro concion. tom. 2. hac die. Porrò officium ei duplex perſolui, Sixtus Quintus Pontifex Maximus, datis de ea re Apoſtolicis litteris, præcepit anno Domini 1586.

[b] Tychici diſcip. ] Scribit de eo Paulus Apoſtolus ad Epheſios 6. ad Coloſſ. 4. & 2. ad Timoth. cap 4. Lucas etiam in Act. Apoſt. cap. 20. Agit de eodem hac die Vſuardus, Ado, & alij. Tradit Dorotheus in ſynop. hunc fuiſſe primum Chalcedonenſis eccleſiæ Epiſcopum.

[c] Agapij & Secundini. ] De his item hac die Vſuardus, Ado, & alij, Beda autem tertio Kalend. Aprilis. Extant horum res geſtæ vnà cum Actis ſanctorum Mariani & Iacobi, quæ recitat Surius tom 2. & 3. in principio.

[d] Septem Latronum. ] Agunt de his item hac die Græci in Menologio, à quibus etiam recenſentur eorum nomina, videlicet, Saturninus, Iaciſcolus, Fauſtianus, Ianuarius, Marſalius, Euphraſius, & Mammius; quos omnes Iaſon & Soſipater Chriſti confeſſores eodem cum illis incluſi carcere, primùm ad Chriſti fidem, inde ad confeſſionem eius nominis, ac tandem ad promerendam martyrij coronam incitarunt. Hæc ipſa in dicto Menologio recitantur.

[e] Paulini Epiſcopi. ] De quo & tabulæ eccleſię Brixianæ, ex quibus etiam alij acceperunt.

[f] Hugonis Abbatis. ] Scripſit eius Acta monachus Cluniacenſis, Hugo item nomine; habet ea Surius tom. 2. Eadem item monumentis mandata à Gilone atque Reinaldo tradit Molanus. Recenſet eumdẽ ſanctus Bernardus, cùm meminit de ſanctis abbatibus cœnobij Cluniacenſis in apologia ad Gulielmum. De eodem Petrus Cluniacenſis lib. 1. & 2. miracul. Vſus eſt eo familiariſſimè Gregorius Septimus Rom. Pontif. cuius ad illũ extat epiſtola data anno Chriſti 1078. Kalen. Iulij primæ Indict. qua ærumnas deplorat, quibus aſſiduè angebatur. Obijt (vt auctor eſt Sigebertus in chron.) anno Domini 1109. De eo itẽ alij plerique ſcriptores, ac nouiſſimè Trithem. de vir. illuſtr. ordinis ſancti Benedicti lib. 3. cap. 328.

[g] Roberti abbatis. ] Extat eius vita ſcripta ab Odone abbate Moliſmenſe, quam retulit Surius in tom. 2. hac die. Exceſſit ex hac vita anno Domini 1098. vt teſtatur Sigebert. in chron. Huic ſucceſſit Albericus, cui ſubrogatus eſt Stephanus, de quo ſuperiùs actum eſt.

[h] Catharinæ. ] Acta eius nobiliſſima ſcripſit beatus Raimundus Capuanus, ordinis Prædicatorum magiſter, necnon Ioan. Toloſanus Latinè edidit. multa prætereà ex dialogorum libris, ac eius epiſtolis colligi poſſunt de eius rebus geſtis. Migrauit ex hac vita anno à Chriſto Domino milleſimo trecenteſimo octogeſimo: quam Pius Papa Secundus anno 1461. adſcripſit in Sanctarum numero. Plura de eadem ſanctus Antoninus in 3. par. tit. 23. cap. 14. Legimus in cod. manuſcrip. luculẽtam orationem, quam idem Pontifex Pius habuit in publico Cõſiſtorio ea die qua eam relaturus erat in numerum Sanctarum. eſt eius exordium; Catharinam Senenſem in catalogum hodie ſanctarum Chriſti virginum relaturi, &c. Leguntur ibidem litteræ Apoſtolicæ de canonizatione eiuſdem, datæ vndecimo Kalen. Nouembris, anno tertio Pontificatus eius, quæ ſic incipiũt: Ezechielis Prophetę magna eſt ſentẽtia, &c.

xxix. A Pridie Kalend. Maij. Luna. 30

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | | | |

LAMBESE in Numidia natalis ſanctorum martyrum Mariani [a] lectoris, & Iacobi diaconi: quorum prior, cùm iampridem infeſtationes Decianæ perſecutionis in confeſſione Chriſti viciſſet; iterùm cum clariſſimo collega tentus eſt, & ambo mirabiliter poſt dira & exquiſita ſupplicia diuinis reuelationibus

ſecun-

ſecundò confortati, nouiſſimè cum multis alijs gladio conſummati ſunt. Apud Santonas beati Eutropij [b] Epiſcopi & martyris, quem ſanctus Clemens Pontificalis ordinis gratia conſecratum direxit in Galliam, peractaque diu prædicatione, ob Chriſti teſtimonium colliſo capite, victor occubuit. Cordubæ ſanctorum martyrum Amatoris [c] preſbyteri, Petri monachi, & Ludouici. Nouariæ ſancti Laurentij [d] preſbyteri, & puerorum martyrum, quos ille ſuſceperat educandos. Alexandriæ ſanctorum martyrum Aphrodiſij [e] preſbyteri, & aliorum triginta. Epheſi S. Maximi [f] martyris, qui in perſecutione Decij coronatus eſt. Firmi in Piceno ſanctæ Sophię [g] virginis & martyris. Neapoli in Campania S. Seueri [h] Epiſcopi, qui inter alia admiranda, mortuum de ſepulchro excitauit ad tempus, vt mendacem creditorem viduæ & pupillorum falſitatis argueret. Euoreæ in Epiro S. Donati [i] Epiſcopi, qui tempore Theodoſij Imperatoris eximia ſanctitate refulſit. Londinij in Anglia S. Erconualdi [k] Epiſcopi, qui multis miraculis claruit.

## APRILIS 30.

MARIANI & Iac. [a]] De his item hac die Vſuardus, & Ado pluribus, Petrus item in catalogo lib. 4. cap. 104. Extant horum Acta, quæ recitat Sur. tomo 2.

[b] Eutropij Epiſcopi.] Vſuardus item, Ado, & alij hac die, Petrus in catal. lib. 4 cap. 105. Meminit eiuſdem Gregorius Turon. de glor. martyr. cap. 56. Petrus Cluniacen. epiſt. 2. Extat epigramma Venantij Fortunati de baſilica S. Eutropij per Leontium Epiſcopum reſtituta. De eodem Eutropio ſcripſit carmen laudis Franc. Bornd. ſanctor. lib. 2. monod.

[c] Amatoris, & ſoc.] Horum martyrij res geſtas ſcripſit ſanctus Eulogius in Memoriali ſanct. lib. 3. c. 13. Paſſos teſtatur hac die, æra octingenteſima nonageſimatertia, à Chriſto autem anno octingenteſimo quinquageſimoquinto.

[d] Laurentij, & ſoc.] De his etiam tabulæ eccleſiæ Nouarienſis, quas vnà cum rebus geſtis prædictorum ſanctorum martyrum Romam miſſas accepimus. Plura de ijſdem in vita ſancti Gaudentij eiuſdem ſedis Epiſcopi, quam recitat Mombritius tomo primo vit ſanct. Paſſi ſunt hi temporibus Valentiniani Imp. ſubita graſſatione Gentilium in eoſdem irrumpente, vt factum eſt etiam eodem ſæculo in martyres Anaunenſes. Placuit hîc deſcribere antiquum epigramma exſculptū in marmoreo ſepulchro, quod dictorum ſanctorum martyrum ſacris oſſibus eſt refertum, ex quibus medicus liquor manare conſueuit. Eſt enim huiuſmodi:

*Aſpicis hoc marmor tumuli de more cauatum?*
*Id ſolidum eſt intus, rima nec vlla patet,*
*Vnde queat tellus occultas mittere lymphas:*
*Manat ab ingeſtis oſſibus iſte liquor.*
*Si dubitas, medio ſudantes tolle ſepulchro*
*Relliquias. dices: Vnda ſalubris vbi eſt?*

[e] Aphrodiſij, & ſoc.] Agunt de his item hac die Beda, ac recentiores, aſſentiunturque vet. manuſcripta.

[f] Maximi.] De eo etiam hac die Vſuard. Ado, & alij. Extant eius Acta, quæ quò breuiora, eò fideliora eſſe noſcuntur. Habet ea Surius to. 2. Accepta videntur ex Actis publicis, quæ Proconſularia dicebantur: ſic enim ea apud Auguſtinum contra Donatiſtas appellata reperiuntur.

[g] Sophiæ.] De qua etiam tabulæ Firmanæ eccleſiæ, vbi & ſacra eiuſdem pignora condita debito honore coluntur.

[h] Seueri Epiſcopi.] Huius Acta ex antiquis monumentis nuper edidit Paul. Regius. Claruit temporibus Valentiniani Iunioris. Hunc illum ipſum puto Seuerum, ad quem extat S. Ambroſij epiſtola. Irrepſit error in eius Acta, dum Valentinianus Iunior, Senior eſt exiſtimatus. Paulò ante Seuerum ſedit ibi Maximus Epiſcopus Catholica fide præſtantiſſimus, qui cùm reſiſteret Arianorum perfidiæ, poſt Conciliabulum Ariminenſe actus eſt in exilium. De eo mira ſcribit Marcellinus presbyter in libello, quem obtulit Theodoſio Imperatori. Extat Neapoli S. Seueri Epiſcopi nomine vetus eccleſia, quæ annis præteritis conceſſa eſt Fratribus Prædicatorum, qui ibidem ſub piæ memoriæ, ac ſpectatiſſimæ noſtrorum temporum ſanctitatis viro R. magiſtro Paulino Lucenſi, reſtitutore priſtinæ obſeruantiæ regulæ ſancti Dominici, ſumma cum laude ſanctiſſimæ vitæ inſtitutum, ſicut in alijs pleriſque locis, in ea vrbe primùm aggreſſi, feliciſſimè propagarunt.

[i] Donati Epiſc.] Græci etiam de eodem hac die in Menologio. Scribit eius res geſtas Sozom. hiſt. lib. 7. cap. 25. Niceph. lib. 12. c. 45. Ado Viennen. in chron. anno 396. Mombrit. tomo 1. vit. ſanct.

[k] Erconualdi Epiſc.] Scribit res ab eo geſtas Gothzelinus Morinnenſis, vt conſtat ex catalogo ſcrip. Britan. De eo prætereà Beda de geſtis Anglorum lib. 4. cap. 6. item Trithemius de viris illuſtribus ordinis S. Benedicti lib. 4. cap. 163. Vixit circa annum Domini ſexcenteſimum ſeptuageſimum.

xxviij. E **Kalendis Maij. Luna.** 1

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | | | |

NATALIS beatorum Apoſtolorum Philippi[a] & Iacobi[b]: ex quibus Philippus poſtquam omnem pęnè Scythiam ad fidem Chriſti conuertiſſet, apud Hierapolim Aſiæ ciuitatem cruci affixus, & lapidibus obrutus, glorioſo fine quieuit: Iacobus verò, qui & frater Domini legitur, & primus Ieroſolymorum Epiſcopus, è pinna templi præcipitatus, confractis cruribus, ac fullonis fuſte in cerebro percuſſus interijt, ibiq; non longè à templo ſepultus eſt. In Ægypto ſancti Ieremię[c] Prophetæ, qui à populo lapidibus obrutus, apud Taphnas occubuit, ibiq; ſepultus eſt: ad cuius ſepulchrum fideles (vt refert ſanctus Epiphanius) ſupplicare conſueuerunt, indeque ſumpto puluere, aſpidum morſibus medentur. In Gallijs, territorio Viuarienſi, beati Andeoli[d] ſubdiaconi, quem ſanctus Polycarpus vnà cum alijs ab Oriente miſit in Galliam ad prędicandum verbum Dei. Hic ſub Seuero Imperatore ſpinoſis fuſtibus cæſus, demum enſe ligneo capite in quatuor partes in modum crucis conſciſſo, martyrium conſummauit. Oſcæ in Hiſpania ſanctorum martyrum Orentij[e] & Patientiæ. Seduni in Gallia paſſio S. Sigiſmundi[f] Regis Burgundionum, qui in puteum demerſus occubuit, ac poſteà miraculis claruit. Antiſiodori ſancti Amatoris[g] Epiſcopi & cōfeſſoris. Auſcij ſancti Orientij[h] Epiſcopi. In Anglia ſanctorum Aſaphi[i] Epiſcopi, & VValburgę virginis. Bergomi ſanctę Gratę[k] virginis.

## M A I I 1.

PHILIPPI & Iacobi.[a] ] De Philippo & Iacobo Beda, ac ceteri Latinorum hac die agunt, Græci verò in Menologio xviij. Kalend. Decemb. de Philippo, de Iacobo autē ſeorſum xiij. Kalend. Iulij. Vetus autem inſcriptio aliter ſe habebat, quæ ex antiquis manuſcrip. Martyrologijs & ex Sacramentarijs apud Microlog. cap. 55. ponitur in hunc modum: Feſtiuitas ſanctorum Apoſtolorum Iacobi & Philippi, & omnium Apoſtolorum, &c. Huius inſcriptionis ratio ibidem ponitur. Præter ea quæ de Philippo in ſacro leguntur Euangelio, Clemens Alexandrinus libro 3. Stromat. hunc illum fuiſſe ſcribit, cui Dominus dixit: Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos, tu me ſequere. Lucæ 9. Ob conuenientiam nominis cum Philippo diacono vno ex ſeptem ab Apoſtolis ordinatis, factum reperiiur, vt confuſis ipſorum rebus geſtis, quod vnius eſt, alteri tribuatur; vt inter cetera, filiæ quæ ex Act. Apoſtolorum c. 6. & 21. Philippi diaconi eſſe noſcuntur, ipſæ à nonnullis Philippo Apoſtolo tribuuntur, vt de eo feciſſe videtur Clemens Alexan. quem citat Euſebius hiſt. lib. 3. c. 24. idēque Polycrat. apud Hier. de ſcript. Eccleſ. in Polycrate. licet ex eodē aliter legat Euſeb. hiſt lib. 2. c. 25. qui & ipſe aliquando eaſdem Apoſtoli eſſe filias ſcribit lib. 3. c. 33. quamuis ſuperiùs diaconi filias eſſe dixiſſet. Filias itē tribuit ei Iſidorus libro de vit. & mort. ſanct. c. 75. licet alterius cuiuſpiam potiùs quàm Iſidori ſit illud opus. ſed cùm hæc longiori indigeant examine, in Annalibus opportuniori loco de his egimus. Quòd autē hìc dicitur, omnem pænè Scythiam ad fidem Chriſti cōuertiſſe: Philippū Apoſtolum in Aſia Superiori Euāgelium

g:liũ prędicaſſe, Scythiam inſuper peragraſſe, ac demum reuerſum in Phrygiam, martyrio occubuiſſe, tradunt Niceph. hiſt.lib.2. cap.39 Metaphraſt. in Actis ipſius, quæ recitat Lipom. tomo 6. & Surius to. 3. Iſidorus de vit. & obit. ſanct. c.75. qui addit & Gallis Euangelium prædicaſſe; ſed puto, Galatis, pro Gallis eſſe reſtituendum. Galatæ enim Gallorum coloni, Phrygiæ partem incoluere. Plinius lib. 5. c. vlt. De Hierapoli in Phrygia, vbi paſſus, & honorifica ſepultura conditus eſt, hæc S. Ioan. Chryſoſt. in homil. in duodecim Apoſtolos: Philippus miraculis conſeruat Hierapolim. De mortis genere ſcribit Euſeb. in chron. anno duodecimo Claudij Philippum Apoſtolum cruci affixum, ac lapidibus inſuper obrutum: diuerſa tamen refert Metaphraſtes vbi ſuprà, & Nicephorus lib. 2. c. 39. Apud Hippolytum in commentariolo Gręcè ſcripto legi Philippum tempore Domitiani Imp. eſſe crucifixum capite inuerſo: accepimus illum è biblioth. Card. Sirleti Feruntur pleraque de Philippo ſub incerto auctore lib. de paſſionibus Apoſtolorum, & alia ſub nomine Abdiæ, quæ licet apocrypha cenſeantur, vera tamen nonnulla ibi eſſe, mihi facilè perſuadeo. Eſt celebris Romæ memoria ſanctorum Apoſtolorum Philippi & Iacobi, vbi ſacra eorum corpora requieſcunt; de qua hæc Hadrianus Papa in epiſt. ad Carolum Magnum Imp. de imaginibus. Pelagius Papa, atque ſucceſſor eius Ioannes, miræ magnitudinis eccleſiam Apoſtolorum ædificantes, hiſtorias diuerſas tam in muſiuo, quàm in varijs coloribus cum ſacris pingentes imaginibus, & à tunc vſque hactenus à nobis venerãtur. Hæc Hadrianus. Rurſus autem in libro de Roman. Pontificibus in Pelagio Papa Primo hæc leguntur: Eodem tempore initiata eſt baſilica Apoſtolorum Philippi & Iacobi: quæ dum initiaretur fabricari, mortuus eſt. Hæc ibi. Et in Ioanne eius ſucceſſore: Hic, inquit auctor, perfecit eccleſiam ſanctorum Philippi & Iacobi, & dedicauit eam. Porrò titulus ſanctorum Apoſtolorum nomine longè ante prędictorum Pontificum tempora Romæ erat, cuius frequens eſt mentio in Concilio ſecundo Romano ſub Symmacho Papa, & in Concilio Romano ſub S. Gregorio Pontifice.

[b] Iacobus.] Hic frater Domini, Iuſtus, idemque Minor eſt appellatus, quem à S. Petro ordinatum fuiſſe Epiſcopum Ieroſolymorum, ex Clemente Alexan refert Euſeb. hiſt. lib. 2. cap. 26. Ioannes Chryſoſtomus in Ioan. homil. 84. & alij. De eius cathedra Epiſcopali adhuc ſuperſtite tẽporibus Conſtantini, ſcribit Euſebius hiſt lib. 7. cap. 14 De lamina aurea, quam vt ſummus ſacerdos eius eccleſiæ geſtare conſueuit, ſcribit auctor de excid. Ieroſol. qui dicitur Hegeſippus, Euſebius lib. 2 cap. 22. Hieron. de ſcript. Eccleſiaſt in Iacobo, & Epiphan. in Panar hęreſ. 78. qui omnes & eiuſdem inſtitutum vitæ deſcribunt. Illam verò quorumdam ſententiam de tribus Iacobis, qua Iacobus Alphæi à Iacobo Iuſto diſtinguitur, in Annal. Eccleſ. pluribus confutauimus. Huius martyrium ex Hegeſippo deſcribit Euſebius hiſt. lib. 2. cap 22. Perpauca verò Ioſephus Antiquit. lib. 20. cap. 8. Origenes libro primo contra Celſum, Metaphraſt. & alij de eodem pluribus.

[c] Ieremiæ Prophetæ.] De eodem non tantùm Latini omnes, ſed & Græci hac die agunt in Menologio. Præter ea quæ de Ieremia in diuinis Scripturis leguntur, ſcribit de eo Ioſephus Antiquit. lib. 10. c. 6. 7. 10. & 11. Epiphan. de vit. & interitu Proph. cap. 8. Hieron. cap. 1. in Ierem. & cap. 23. & in præfat. 118. Iſid. cap 38. Ieremiæ foueam Conſtantinus miro exornauit ædificio, vt ſcribit Nicephorus hiſt. lib. 8. cap. 30. Cur autem in diuinis Scripturis non ſunt ſcriptæ neces Prophetarum, quos à Iudæis occiſos eſſe Chriſti teſtimonio comprobatur; vide quæ ſcribit Origenes ad Africanum, cùm agit de Suſannæ hiſtoria. De oſſibus Ieremiæ Proph. tranſlatis ad Tetraphilum, vide in Prato ſpirit cap. 77.

[d] Andeoli.] De eo item hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij pluribus agunt. Quod pertinet ad territorium Viuarienſe, eiuſdem nominis Caſſiodorus erexit nobiliſſimum monaſterium, quod illuſtrius reddidit præclara bibliotheca, quam magno cum labore & impenſa collegit, quam deſcriptam habes in duobus illis libris quos ſcripſit eruditiſſimè de Inſtit. diuin. lect. De ipſo autem monaſterio Viuarienſi habes ibid. lib. 2. c. 29. An autem in eodem territorio Viuarienſi fuerit monaſterium Caſſiodori, non auderem affirmare; cùm prę ſertim, ſecundùm deſcriptionem Caſſiodori, alio in loco potiùs eſſe poſitum videatur.

[e] Orentij & Patientiæ.] In Flore ſanct Hiſp. ex vet. monumentis Oſcenſis eccleſiæ leguntur hi parentes fuiſſe S Laurentij martyris.

[f] Sigiſmundi.] De quo Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Scribit de eo Gregorius Turonenſis hiſtor. Francor lib. 3. cap. 5. & 6. & exactiùs de gloria martyrum cap 75. Aim lib. 2. c. 4. Ado Viennen. in chron. anno Domini 492. Sigebertus refert eius necem anno Chriſti 515. & alij plures, nouiſſimè verò Papirius Maſo, qui etſi breuiùs, diligentiùs tamen ceteris (mea ſententia) res Francorum conſcripſit.

[g] Amatoris Epiſcopi.] Vſuardus, Ado, & alij de eodem hac die. Huius vitam eruditè conſcriptam extare dicit Molanus, ſed nobis hactenus incognita eſt: ea tantùm legimus de S. Amatore Epiſcopo, quę Conſtãtius ſcripſit in Actis S. Germani Epiſcopi Antiſiod. lib. 1. c. 2. 3. 4. & quę Surius refert tomo 7. hac die. Mentio de eodem habetur in vita ſancti Patricij Epiſcopi Hibernorum. Huius operâ delata eſſe in Gallias corpora ſanctorum Quirici & Iulinæ, habẽt Acta eorumdem martyrum, quæ recitat Mombrit. tom. 2. De eodem Vinc. lib. 20. cap. 6. Mentio habetur de ipſo etiam in vita ſancti Mamert. apud Mombrit. tomo 2. vit. ſanct. pag. 70. Agit de eodem Petrus in catalogo lib. 4. cap. 113. & alij. Vixit temporibus Honorij Imperatoris. Sedit annos triginta. Obijt anno Domini quadringenteſimo vigeſimoprimo. Numeratur ſextus eius ciuitatis Epiſcopus in tabulis Democharis.

[h] Orientij Epiſc.] De eo hac die Vſuardus, Ado item, ſed eum Toloſæ ponit.

[i] Aſaphi Epiſc. & VValburg.] In Anglicana eccleſia de his vnà ſimul agi percepi Beda autem hac die tantùm de Walburga, cuius Acta atque miracula recitat Surius tomo 7. Scriptam eſſe vitam eius à Wilibaldo Epiſcopo, tradit Molanus in annot. ad Vſuard. De ea item Trithem. de vir. illuſtr. ord. S. Bened. lib. 3. cap. 250. Claruit circa annum 750.

[k] Gratæ.] De ipſa etiam tabulæ eccleſiæ Bergomenſis, ex quibus etiam alij.

xxvij. C **Sexto Nonas Maij. Luna.** 2

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 28. | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | | | |

ALEXANDRIÆ natalis ſancti Athanaſij [a] eiuſdem vrbis Epiſcopi, ſanctitate & doctrina clariſſimi, in cuius perſecutionem vniuerſus pęnè Orbis coniurauerat: ipſe tamen Catholicam fidem à tempore Conſtantini vſque ad Valentem aduerſus Imperatores, Præſides, & innumeros Epiſcopos Arianos ſtrenuè propugnauit; à quibus plurimas perpeſſus inſidias, profugus toto Orbe actus eſt, nec vllus ei tutus ad latendum ſupererat locus: tandem ad ſuam eccleſiam reuerſus, poſt multos agones, multaſque patientiæ coronas, quadrageſimoſexto ſui ſacerdotij anno migrauit ad Dominum, tempore Valentiniani & Valentis Imperatorum. Romæ ſanctorum martyrum Saturnini [b], Neopoli, Germani, & Cæleſtini, qui multa paſſi, in carcerem demum coniecti, ibi in Domino quieuerunt. Item ſanctorum martyrum Exuperij [c], & Zoes vxoris eius, Cyriaci & Theoduli filiorum, qui ſub Hadriano Imperatore paſſi ſunt. Hiſpali ſancti Felicis [d] diaconi & martyris. Eodem die S. Vindemialis [e] Epiſcopi & martyris, qui vnà cum ſanctis Epiſcopis Eugenio & Longino, doctrina & miraculis aduerſus Arianos decertans, ab Hunnerico Rege capite obtruncari iubetur. Abulæ in Hiſpania ſancti Secundi [f] Epiſcopi, de quo etiam infrà Idibus Maij cum alijs agitur. Florentiæ ſancti Antonini [g] Epiſcopi, ordinis Prædicatorũ, ſanctitate ac doctrina celebris.

## MAII 2.

ATHANASII Epiſcopi [a].] De eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri Latinorum, Græci etiam eadem die in Menologio: qui & de eodem iterùm agunt xv. Kal. Februarij, vt conſtat ex conſtit. Emmanuelis Imp. Puto illa die agi, more maiorum, de eius ordinatione. Habuit S. Gregorius Nazianzenus in eius celebritate luculentam orationem; plurima in laudem eiuſdem in oratione ad Epiſcopos Ægypti, & alijs in locis: S. Baſilius etiam de eo præclara; cuius extant ad ipſum ſcriptæ epiſtolæ 47. & ſequen. vſque ad 52. Habentur eius Acta in vnum collecta ex Socrate, Theodoreto, & Sozomeno; alia inſuper, quæ edidit Metaphraſtes: quæ etſi multa magnaque videantur, breuiſſima tamen & quaſi ieiuna mihi videntur, ſi conferantur cum amplioribus, quæ cùm ex ipſius ſcriptionibus, tum ex priſcis auctoribus tam Græcis quàm Latinis colliguntur: quæ & nos pro virili ſummo cùm labore per annos ſingulos digeſta deſcripſimus in Annal. Eccleſ. Satis tibi ſit, Lector, ex Gregorij Nazianzeni elogio hîc tantùm libaſſe tanti Patris excellentiam, qui in ea oratione quam in laudem Heronis ſcripſit, hunc ipſum poſt alias laudes, oculum Orbis, ſacerdotum Antiſtitem, vocem ſublimem, fidei columen, Chriſti lucernam, & ſecundum Præcurſorem appellat. Migrauit autem ex hac vita, Modeſto & Arintheo Coſſ. cùm ſediſſet annos ſex ſupra quadraginta: numeratur hic annus Domini (ſecundùm Faſtos Onuphrij) 372. Venerandum corpus eius Venetias tandem trãſlatum, illic honorificentiſſimè aſſeruari audiuimus. Porrò cùm olim vrbs Romana, Petri Apoſtoli ſedes, Athanaſio magnis oppugnationum procellis agitato tutiſſimus portus fuerit, & tamquã aſylum & perfugium calamitatũ omnium ſanctiſſimi viri; non ſine diuino conſilio factũ videtur, vt fortiſſimus fidei defenſor religionis in Oriente propagandæ & Eccleſiaſticæ vnionis conciliandæ cauſa iterùm quodammodò poſt annos mille ducentos & ampliùs ad Vrbem redierit, præclaro ei conſtituto

tuto domicilio. Nam Gregorius XIII. Pont. Max. ſtudioſiſſimus Catholicæ fidei propagator, cupidiſſimuſque Orientalis Eccleſię vnionis & pacis, Romæ templum egregium S. Athanaſij nomine conſtruxit, collegiumque Gręcorum inſtituit, vbi complures adoleſcẽtes bonis moribus & Orthodoxæ fidei doctrina erudiuntur; ex quo ſeminario vberes aliquando pietatis fructus ad Orientalem Eccleſiam venturos, Dei benignitate, & S. Athanaſij patrocinio, ſperare licet.

[b] Saturnini & ſoc.] Agunt de his item hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores.

[c] Exuperij & Zoës.] De his etiam hac die Gręci in Menologio. Erexit Iuſtinianus Imp. nobilem eccleſiam nomine S. Zoë martyris, de qua Procop. lib. 1. de ædif. Iuſtiniani Imperatoris.

[d] Felicis diaconi.] De eo item in Breuiario Toletano, vbi plura in eius officio eccleſiaſtico.

[e] Vindemialis Epiſc.] Meminit Vindemialis Epiſcopi Victor Vticenſis in appendice ad tertium librum, vbi agit de martyrio ſeptem fratrũ. Fuit (vt ait) Epiſcopus Capſenſis ciuitatis: de cuius martyrio agit Gregorius Turonenſis hiſt. Franc. lib. 2. cap. 3. licet diuersè Petrus in catalogo lib. 4. cap. 116. ſed perperàm, vt apparet.

[f] Secundi Epiſcopi.] Fuit hic vnus ex illis primis Epiſcopis, qui à ſancto Petro ordinati, ab eodem in Hiſpaniam miſſi ſunt. Porrò in Breuiario Toletano non tantùm de Secundo, ſed & de ceteris hac die agitur, hymnuſque facit de omnibus ibidem legitur: de quibus omnibus chron. Hiſpan. & alij ſcripſere.

[g] Antonini Epiſcopi.] Huius res geſtæ iuſſu Clementis VII. Rom. Pont. à F. Vincentio Mainardo ordinis Prædicat. exactè conſcriptæ ſunt. De eodem plura Franc. Caſtel. lib. 3. de vir. illuſtr. ordinis Prædicat. Migrauit ex hac vita anno à Christo Domino 1459. Relatus eſt autem in numerum Sanctorum ab Hadriano Sexto Papa anno 1523.

## 3 Quinto Nonas Maij. Luna. D xxvj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | | | |

IEROSOLYMIS Inuentio [a] ſacroſanctæ Crucis Dominicę, ſub Conſtantino Imperatore. Romæ via Numentana paſſio ſanctorum martyrũ Alexandri [b] Papę, Euentij & Theoduli preſbyterorum: ex quibus Alexander ſub Hadriano* Principe & Aureliano Iudice poſt vincula, carceres, equuleum, vngulas, & ignes, punctis [c] creberrimis per tota membra confoſſus, ac peremptus eſt: Euentius verò & Theodulus poſt longos carceres ignibus examinati, ad vltimũ decollati ſunt. Narnię ſancti Iuuenalis [d] Epiſcopi & confeſſoris. Conſtantinopoli ſanctorum martyrum Alexandri [e] militis, & Antoninæ virginis, quæ in perſecutione Maximiani ſub Præſide Feſto ad lupanar damnata, & ab Alexandro, qui pro ea ibi remanſerat, mutato habitu clàm educta, cùm eo poſtmodum iuſſa eſt torqueri: & ambo ſimul præciſis manibus in ignem pro Chriſto iniecti, egregio peracto certamine, coronantur. In Thebaide ſanctorum martyrum Timothei [f], & Mauræ coniugis, quos Arianus Præfectus poſt multa tormenta cruci iuſſit affigi, in qua nouem diebus viui pendentes, ac ſe ipſos in fide roborantes, martyrium conſummarunt. Aphrodiſiæ in Caria ſanctorum martyrum Diodori [g] & Rodopiani, qui in perſecutione Diocletiani à ciuibus ſuis lapidati ſunt.

*Traiano

## M A I I 3.

INVENTIO ſanctæ Crucis. [a]] Beda ac ceteri Latinorum hac die: Græci tantùm de Exaltatione xviij. Kal. Octob. tam ex vet. Menolog. quàm ex conſtit. Emmanuelis Imp. Item Niceph. lib. 13. cap. 37. & Metaphraſt. in vita S. Ioannis Chryſoſtomi, in fine Inuentionem Crucis cùm Græci non habeant in Menologijs, ea eſſe cauſa videtur, quòd inter mobilia Feſta eadem adnumerabatur: tertia enim die à Reſurrectione Domini celebrabatur

batur Crucis reſurrectio, cùm nimirum ſurſum emergens, miraculis coruſcauit. Id enim habes ex oratione in ſanctam Crucem habita à Sophronio Epiſcopo Ieroſolymitano, quam in Latinum à ſe tranſlatam edidit noſter Achilles Statius. Quoniam autem Gelaſius in decreto de libris apocryphis apud Grat. diſt. 55. cap. Sancta Romana; non ita probat ſcripturam de Inuentione S. Crucis; ſanè putandum eſt illam quidem diuerſam eſſe ab ea hiſtoria quæ à S. Ambroſio narratus ac probatur in ea oratione quam habuit in funere Theodoſij Imperatoris, & à S. Paulino in epiſtola 51. ad Seuerum, ab ipſo inſuper Sulpitio Seuero hiſt. lib. 2. Rufin. lib. 1. cap. 8. Socrat. libro 1. cap. 13. Sozom. lib. 2. cap. 1. ac denique à Theodoreto lib. 1. cap. 18. & alijs, qui ab his accepiſſe videntur. In Inuentione S. Crucis mortuum reſtitutum ad vitam, Paulinus atque Seuerus affirmant: Græcorum autem aliqui ægrotantem potiùs conualuiſſe teſtantur. Verùm vtrumque factum eſſe, Niceph. tradit lib. 8. cap. 29. Teſtatus idem Paulinus ſtupendum planè ac perenne miraculum de ligno ſanctæ Crucis toti Orbi notiſſimum: nam cùm vndique è semotiſſimis etiam regionibus Ieroſolymam religionis ergô Chriſtiani confluere conſueuiſſent, acciperentque de ligno eiuſdem ſanctæ Crucis particulam, illud, diuina quadam virtute operante, nullam ſentiebat ex diminutione iacturá. S. Cyrillus etiam catech. 10. affirmat totum terrarum Orbem ligno ſanctæ Crucis Ieroſolymis accepto eſſe locupletatum. Erat cuſtodia Crucis demandata vni ex ſanctioribus cleri Ieroſolymitani, cuius muneris mentio habetur in Concil. Chalcedonenſi: at Paſchatis tempore ex adytis templi eadem populo adoranda producebatur, vt in eadem epiſtola teſtatur S. Paulinus. Illud non omittimus, Græcos aliam etiam de S. Cruce celebrare conſueuiſſe ſolemnitatem ad xvj. Kalend. Iunij, qua recolitur memoria admirandæ illius apparitionis Crucis ſigni ſupra Ieroſolymam meridie factæ; cuius rei geſtæ hiſtoriam S. Cyrillus tunc eiuſdem eccleſiæ Epiſcopus exactè deſcribit poſt catecheſes: teſtantur hæc ipſa eorum Menologia, & Metaphraſtes.

[b] Alexandri Papæ.] De eo hac die Beda, & alij Latinorum. Extant eius Acta, quæ retulit Surius in tom. 3. De eius ſucceſſione ſcribit Irenæus lib. 3. cap. 3. Euſebius in chron. & hiſt. lib. 4. cap. 4. Epiph. in Panar. hæreſi 27. Auguſt. epiſtola 165. & alij. Vnus Optatus recenſens ſeriem Romanorum Pontificum lib. 2. contra Parmen. Alexandrum prætermiſſe videtur; quod vitio librariorum potiùs accidiſſe credimus: nam in tabulis eccleſiæ Africanæ, quas recenſet S. Auguſtinus, Alexander adnumeratus poſt Euariſtum. Emendatum hîc fuit, quod quadam incuria irrepſerat, hunc paſſum ſub Aureliano Principe: qui quidem longè poſt Alexandri tempora imperauit. Pro Principe, Iudex eſt poſitus, qui hiſce Hadriani temporibus in Chriſtianos gladium poteſtatis acuerat, vt conſtat ex Actis aliorum ſanctorum martyrum, qui paſſi ſunt ſub Hadriano Imp. Irrepſit item mendum, vt loco Hadriani, Traianus poſitus haberetur: porrò Hadrianus adoptatus à Traiano, dictus eſt Traianus Hadrianus. At verò ſub Hadriano Imp. Alexandrum Rom. Pont. conſummaſſe martyrium, in noſtris Annal. Eccleſ. pluribus demonſtrauimus; id ipſum eius Acta profitentur.

[c] Punctis creberrimis.] Non ad cruciandum tantummodò, ſed & ad inferendam necem eiuſmodi ſupplicium excogitatum eſt à Caio Caligula ſæuiſſimo Principe, de quo hæc Sueton. in Caio cap. 30. Non temerè in quemquam niſi crebris & minutis ictibus animaduerti paſſus eſt, perpetuo notoque præcepto ita fieri, vt ſe mori ſentiant. Hæc Sueton. qui & in Galba cap. 17. minutiſſimis ictibus ipſum Galbam fuiſſe excarnificatum teſtatur. Porrò diuerſum erat hoc ſupplicium ab illo, quod ad excruciandum tantùm, non autem ad occidendum inferri ſolitum erat, quod Stimuleum dictum, furibus ſeruis admoueri cōſueuit; de quo ſæpiùs Plautus, vt in Milite glorioſo his verbis: Neque niſi ſupplicium Stimuleum de te datur. In Aſinaria: Vtinam ſtimulus in manu mihi ſit. Et in Menæchmis: At ego te pendentem fodiam ſtimulis triginta dies. Stimulis latera ſanctorum martyrum eſſe ſæpè confoſſa, eorum Acta teſtantur. De Hippolyto Prudentius hymno 11.

*Illiq; infeſtis perfodiunt ſtimulis.*

[d] Iuuenalis Epiſcopi.] De ipſo etiam Beda, Vſuard. Ado, & alij hac die. Extant eius Acta, quæ in compendium redacta Surius recitat tomo 7. hac die. Cùm autem tam eius geſta, quàm etiam cuncta Martyrologia, tum edita, tum manuſcripta teſtentur hunc abſque martyrio in pace quieuiſſe; planè conſtat hunc alium eſſe ab eo quem S. Gregorius homilia 27. in Euang. appellat martyrem, eumdemque Narniæ ſepultum dicit. Duos potiùs eiuſdem eccleſiæ fuiſſe Iuuenales, ſicut Veronæ Zenones, & Rauennæ Vitales, verius exiſtimamus, quàm erraſſe S. Gregorium. His accedit, quòd Nonis Maij, tam in Romano Martyrologio, quàm apud Bedam, Vſuardum, Adonem, ac ceteros, de alio agitur Iuuenale, eodemque martyre, quem illum eſſe putamus Narnienſem martyrem, cuius meminit S. Gregorius in dicta homilia. Erat olim in eius ſepulchro in ſacra crypta poſito eiuſmodi epitaphium:

*Secreti locus eſt intus, ſanctiq; receſſus,*
*Quem famulus Chriſti ſanctus Iuuenalis amauit,*
*Sanctorum ſocius, meritis euectus in aſtra:*
*Rupe caua placuit tumulari membra ſepulchro,*
*Ne polluta manus ſacrum contingere poſſit.*

Exſcriptum eſt ex cod. manuſcripto eccleſiæ Catanen. vbi & eius vita legitur, ſed admodum depsauata. Non tantùm Narniæ, ſed Foſſani in Taurinis etiam eius ſacra pignora tranſlata, magno in honore habentur, vbi eius venerandum corpus tranſlatum haberi dicitur: eſt ſolemniſſima memoria ſancti Iuuenalis; in cuius officio eccleſiaſtico vtroſque Iuuenales confuſos reperi, dum in oratione, eademque peruetuſta (vt apparet) appellant martyrem, in lectionibus autem confeſſorem. In honorem S. Iuuenalis Beliſarius monaſterium apud Hortas erexit, vt in lib. de Rom. Pont. in Vigilio legitur.

[e] Alexandri & Antoninæ.] Agunt de his Græci etiam in dicto Menol. ad vj. Idus Iunij, vbi rei geſtæ hiſtoria fuſiùs enarratur. Iidem teſtantur ibidem eorum corpora Conſtantinopoli aſſeruari. Scribit & de his Niceph. hiſt lib. 7. cap. 13. licet nomina eorum reticeat. Nec quis exiſtimet ob ſimile certaminis genus eoſdem hos eſſe cum Theodora & Didymo, de quibus ſuprà quarto

Kalend.

Kalend. Maij. Cùm etenim frequenter Chriſtianæ feminæ ad proſtibulum damnarentur, ſæpiùs ſimilis caſus potuit accidiſſe: quinetiam Palladius in Lauſiacis id ipſum de alia virgine Corinthi accidiſſe ex Hippolyto deſcribit cap. 54. Porrò eiuſmodi fallaciæ artem eludendi cuſtodes mutatione habitus, primæ omnium ſuo exemplo docuerunt feminæ Lacedæmoniorum, quæ iiſdem technis maritos ſuos à nece ſubduxerunt, ſe ipſas loco illorum tradentes. hæc apud Valer. de amore coniug. lib 4. cap. 6. exter. cap. 3. Horum Acta, quæ hîc compendio deſcribuntur, longè vberiùs Metaphraſtes deſcripſit: extāt Latinè reddita à Lipom. tom. 7. apud Surium tomo 3. Qualis autem eſſet harum virginum conditio, quæ lenonibus tradebantur, conſule dicta ſuperiùs in Agnete.

[f] Timothei & Mauræ.] Græci item de his agunt hac die in Menologio, ibique eorum Acta fuſiùs explicantur.

[g] Diodori & Rodop.] De his item hac die Græci in Menologio, vbi & quæ paſſi ſunt tormenta numerantur.

## 4 Quarto Nonas Maij. Luna. E 25. xxv.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | | | |

APVD Oſtia Tiberina natalis ſanctæ Monicæ[a] matris beati Auguſtini, cuius ille præclaram vitam in libro nono Confeſſionum teſtatam reliquit. In metallo Phennenſi Palęſtinæ natalis beati Siluani[b] Gazæ Epiſcopi, qui in Diocletiani perſecutione, Maximini Cæſaris mandato cum plurimis ſuis clericis martyrio coronatus eſt. Item ſanctorum vndequadraginta[c] Martyrum, qui ibidem ad metalla damnati, poſt ferri candentis aduſtionem, & alia tormenta, ſimul capite cæſi ſunt. Ieroſolymis ſancti Cyriaci[d] Epiſcopi, qui cùm loca ſancta[e] viſitaret, ſub Iuliano Apoſtata cęſus eſt. In Vmbria S. Porphyrij[f] martyris. Nicomediæ natalis ſanctæ Antoniæ[g] martyris, quæ nimiùm torta & varijs afflicta cruciatibus, altero brachio tribus diebus ſuſpenſa, & in carcere biennio detenta, ad vltimum à Priſcilliano Præſide in confeſſione Domini flammis exuſta eſt. Lauriaci in Norico Ripenſi ſancti Floriani[h] martyris, qui ſub Diocletiano Imperatore, Aquilini Præſidis iuſſu, ligato ad collum ſaxo in flumen Aniſum præcipitatus eſt. Tarſi ſanctæ Pelagiæ[i] virginis, quæ ſub Diocletiano in bouem æneum candentem incluſa, martyrium compleuit. Coloniæ ſancti Paulini[k] martyris. Mediolani ſancti Venerij[l] Epiſcopi, cuius virtutes ſanctus Ioannes Chryſoſtomus in epiſtola ad eum ſcripta teſtatas reliquit. In territorio Petragoricenſi ſancti Sacerdotis[m] Epiſcopi Lemouicenſis. Antiſiodori ſancti Curcodomi[n] diaconi.

## MAII 4.

MONICÆ.[a]] Huius præclaras res geſtas inde à pueritia ſcripſit S. Auguſtinus, beatæ matris glorioſus filius, lib. 9 Confeſſ. à cap. 8. vſque ad 13. cetera autem ſuprà lib. 5. cap. 8. & lib. 6. cap. 12. Quo autem potiſſimùm anno ex hac vita migrarit, inde etiam colligi poteſt, quòd ſanctus Auguſtinus eius obitum contigiſſe narrat, cùm eſſet reuerſurus Carthaginem vnà cum ea. Porrò idem ipſe lib. 4 cap. 25. contra Petilianum ait ſe ex Italia rediſſe in Africam occiſo Maximo tyranno: quem conſtat necatum eſſe Theodoſio ſecundùm &

Cynegio Conſulibus, menſe Auguſti. Sequenti itaque anno, Timaſio & Promoto Coſſ. (qui ſecundùm Faſtos Onuphrij ponitur annus à Chriſto Domino 389.) S. Auguſtinus vnà cum matre nauigaturus in Africam, cùm ad Oſtia Tiberina conſediſſet, menſe Maij, hac ipſa die, poſt ſuauiſſima de regno cæleſti colloquia, ſanctiſſimam matrem ad cælos abeuntem præmiſit, annum ætatis agentem quinquageſimumſextum, vt ipſe ſcribit lib. 9. Confeſſionum cap. 11. in fine.

[b] Siluani Epiſcopi.] De eadem hac die Beda, Vſuard. Ado, & alij. De eius martyrio & ſociorum, ac de loco vbi ſunt paſſi, ſcribit Euſebius hiſt lib. 8. cap. 17. 22. & 25. ex quo Nicephorus lib. 7. cap. 16. & 27. & alij.

[c] Vndequadraginta mart.] De his item Beda, Vſuardus, & Ado. His autem quæ hîc emendata ſunt, conſentiunt Græcorum hiſtorici, Euſebius lib 8. cap. 22. & Nicephorus lib. 7. vbi ſuprà. Longè verò grauior error illius eſt, qui putat hos illos eſſe martyres, qui paſſi ſunt temporibus Valentis Imp. quando defuncto S. Athanaſio, Petrus electus fuit Epiſcopus Alexandrinus, aduerſante Lucio Arianorum Epiſcopo; cuius rei geſtæ hiſtoriam monumẽtis mandauit Theodoretus hiſt. lib. 2 cap. 20. Hi etenim, de quibus nunc agimus, paſſi ſunt anno octauo perſecutionis Diocletiani Imperatoris, vt exactè deſcribit Euſeb hiſt. lib. 8. cap. 22. & Nicephorus lib. 7. cap. 16. Nec hi cum illis aliquid commune habent, præter locum Phennenſium metallorum: nam alioqui nec numero, nec mortis genere conueniunt; non enim illi, vt iſti, capite truncati ſunt.

[d] Cyriaci Epiſc.] De hoc item Beda, Vſuardus, Ado, & alij; à quibus omnibus cùm paſſus dicatur Ieroſolymis temporibus Iuliani Apoſtatæ, non tamen quòd fuerit Epiſcopus Ieroſolymorum: eo etenim tempore S Cyrillus illic ſedebat, qui ſuperuixit vſque ad Theodoſij tempora, interfuitque Concilio œcumenico Conſtantinopolitano. Hic verò, de quo agitur, fuit Epiſcopus Anconitanus, cuius & Acta accepimus ab eius eccleſia, ſed quæ aliqua indigeant caſtigatione. Celebratur eiuſdem tranſlatio Nonis Octob.

[e] Cùm loca ſancta viſitaret.] Quàm frequẽs ea tempeſtate ex toto Orbe fuerit peregrinatio fidelium ad loca ſancta, teſtis eſt ſanctus Hieron. qui ea quæ vidit, ſcriptis conſignauit. In prouemio enim lib. 7. in Ezech. ad Euſtoch. habet hæc verba: Fateor me explanationem in Ezechielem multo antè tempore promiſiſſe, & occupatione de toto Orbe huc venientium implere non poſſe: dum nulla hora, nullumque momentum eſt, in quo non fratrum occurramus turbis, & monaſterij ſolitudinem hoſpitum frequentia commutemus; tantùm, vt claudendum nobis ſit oſtium, aut ſcripturarum, per quas aperiendæ ſunt fores, ſtudia relinquenda. Et ad Paulinum epiſtola 13 De toto, inquit, huc Orbe concurritur; plena eſt ciuitas vniuerſi generis hominum, & tanta vtriuſque ſexus conſtipatio, vt quod alibi ex parte fugiebas, hîc totum ſuſtinere cogaris, &c. Ex vniuerſo inſuper orbe Chriſtiano Ieroſolymas mitti eleemoſynas conſueuiſſe, idem teſtatur, ſcribens aduerſus Vigilãtium. Sicut autem S. Hieronymus Paulinum tyrocinium monaſticæ vitæ auſpicantem à peregrinatione eiuſcemodi reuocat, ita & S Gregorius Nyſſenus monachos ac ſacras virgines eiſdem teneri ſtudijs ægrè tulit; cùm ea occaſione illi ſolitudinis, iſtæ verecundiæ, ſanctique pudoris diſpendium pati ob nimiam hominum frequentiam cogerentur: in eamque ſententiam, vt apparet, libellum illum ſcripſit de his qui adeunt Ieroſolymam, quem recitat Lipom. tomo 2. His exceptis, quàm laudanda, vtilis & fructuoſa ſit eiuſmodi peregrinatio, pluribus docet S. Hieronymus epiſt. 17. ad Marcellam.

[f] Porphyrij.] Habetur mentio de eo in Actis S. Venantij, qui paſſus eſt Camerini; legimus ea manuſcrip. ſed in nonnullis emendanda.

[g] Antoniæ.] De ea Beda, Vſuardus, Ado, & alij, Græci autem in Menologio pridie Id. Iunij. Diuerſa hæc eſt ab Antonina, de qua ijdem agunt pridie huius diei.

[h] Floriani.] De eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Habentur eius Acta relata à Surio in tom. 3. Mombrit. tom. 1. Petrus in catalogo lib. 4. cap. 121. Plura de eodem in Breuiario Polon. & Cuſpin. in Auſtria. Legimus inſuper eius res geſtas manuſcrip. Extat de eodem elegans epigramma Bonad. Santon. lib. 2. monod. 59.

[i] Pelagiæ.] De Pelagia Tarſenſi agunt hac die Græci etiam in Menologio. Pluribus deſcripta eius Acta ex Metaphraſte recitat Lipom. tom. 7. & Surius tom. 3.

[k] Paulini.] De eo Molanus in addit. ad Vſuardum, & Galeſio. ex tabulis eccleſiæ Colonienſis.

[l] Venerij Epiſc.] Meminit S. Venerij Paulinus in vita S. Ambroſij, Anaſtaſius Papa in epiſtola ad Ioannem Epiſcopum Ieroſolymitanum, S. Hieronymus in apologia 2. aduerſus Rufinum, S. Paulinus Nolanus epiſt. 16. ad Seuerum. Extat de eodem elegans epigramma S. Ennodij Epiſcopi Ticinenſis: incipit: *Forma pudicitiæ*, &c. Sedit temporibus Anaſtaſij Papæ, vt habent Acta Concilij Carthaginenſis, quod celebratum eſt poſt Conſulatũ Stiliconis, anno Domini, ſecundùm Faſtos Onuphrij, quadringenteſimo primo. Extat in bibliotheca Card. Sirleti S. Ioannis Chryſoſtomi epiſtola ad Venerium ſcripta.

[m] Sacerdotis Epiſcopi.] De quo etiam Molanus in addit. ad Vſuardum. Succeſſit hic Aggerico, numeraturque trigeſimus Lemouicenſis Epiſcopus in tab. Democharis, claruitq; circa annum Domini quingenteſimum decimumquintum.

[n] Curcodomi.] De eo etiam Vſuardus hac die. De eius miraculis agit Conſtantius in vita ſancti Germani Epiſcopi Antiſiod. lib. 1. cap. 16.

Tertio

5 Tertio Nonas Maij. Luna. F xxiiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | | | |

ROMÆ ſanctæ Creſcentianæ[a] martyris. Ibidem ſancti Siluani[b] martyris. Alexandriæ ſancti Euthymij[c] diaconi, ob Chriſtum in carcere quieſcentis. Theſſalonicę natalis ſanctorum martyrum Irenæi[d], Peregrini, & Irenes, ignibus combuſtorum. Antiſiodori paſſio ſancti Iouiniani[e] lectoris. Leocatæ in Sicilia S. Angeli[f] preſbyteri, ordinis Carmelitarum, qui ab hæreticis ob defenſionem Catholicæ fidei trucidatus eſt. Ieroſolymis ſancti Maximi[g] Epiſcopi & confeſſoris, quem Maximinus Cęſar poſt effoſſum oculum, pedemque ignito ferro aduſtum, ad metalla damnauit. Edeſſæ in Syria ſancti Eulogij[h] Epiſcopi & confeſſoris. Arelate in Gallia ſancti Hilarij[i] Epiſcopi, doctrina & ſanctitate conſpicui. Viennæ ſancti Nicetij[k] Epiſcopi, venerabilis ſanctitatis viri. Bononię ſancti Theodori[l] Epiſcopi, meritis clari. Eodem die ſancti Sacerdotis[m] Epiſcopi Saguntini. Mediolani ſancti Geruntij[n] Epiſcopi. Ibidem conuerſio[o] ſancti Auguſtini Epiſcopi & Eccleſiæ doctoris, quem beatus Ambroſius Epiſcopus fidei Catholicæ veritatem docuit, & hac die baptizauit.

## M A I I 5.

CRESCENTIANÆ[a].] De ea vet. manuſcript. Erat olim titulus Romæ ſanctæ Creſcentianæ, cuius mentio habetur in Conc. 1. Rom. ſub Symmacho Papa.

[b] Siluani ] Vet. manuſcrip. Legitur in libro de Rom. Pontificibus, Bonifacium Papam Primum ornaſſe ſepulchrum S. Siluani martyris.

[c] Euthymij.] De quo item Beda, Vſuard. Ado, Petrus in catal. lib. 4. cap. 132. & alij recentiores.

[d] Irenæi, & ſociorum. ] De his ijdem qui ſuprà hac die, Græci autem in Menologio tantùm de Irenæo.

[e] Iouiniani.] De ipſo etiam Vſuardus hac die. Eius Acta deſcripta habentur in rebus geſtis ſancti Peregrini Epiſcopi & martyris, qui à Sixto Papa in Gallias miſſus eſt.

[f] Angeli presb.] Scripſit eius res geſtas Enoch Ieroſolymitanus: de eodem etiam Molan. in addit. ad Vſuardum hac die. habes eaſdem in compendium redactas in Theſ. concion. tomo 2. hac die.

[g] Maximi Epiſc. ] Græci itidem. De eo Sozom. hiſt. lib. 2. cap. 19 & lib. 3. cap. 20. 21. Theodoretus lib. 2. cap. 27. Hieronymus in chron. Nicephorus lib. 11. cap. 26. & Nicephorus Epiſcopus in chronic. Hic eſt tertius eiuſdem nominis Epiſcopus Ieroſolymitanus: nam primus Publio, ſecundus Capitoni, hic autem ſucceſſit Macario: ſedit temporibus Conſtantij, cuius Imperatoris anno decimoquinto moritur.

[h] Eulogij Epiſc.] Plura de eo ſcribit Theodoretus hiſt. lib. 4. cap. 16. Hic etiam reperitur interfuiſſe SS. Concilio Conſtantinopolitano œcumenico, vt ex eius ſubſcriptione apparet.

[i] Hilarij Epiſcopi Arelaten. ] De eodem hac item die Beda, Vſuardus, Ado, ceterique omnes, ac etiam vet. manuſcripta. Fateor me de hoc Hilario magna aliquamdiu fuiſſe dubitatione perplexum, cùm legiſſem aduerſus eum ſcriptas acerrimas litteras S. Leonis Papæ ad Epiſcopos Galliarum Prouinciæ Viennenſis; ſunt autem inter eius epiſtolas num. 89. quibus quidē conſentit conſtitutio Valentiniani Imperatoris aduerſus eumdem Hilarium promulgata; extat inter nouel. Theodoſ. & Valentiniani tit. de ordinat. Epiſcoporum poſt Codicem Theodoſianum deſcripta. Arguebatur enim Hilarius, quòd inconſulto atque contradicente Rom. Pōtifice, ſibi ſumpſiſſet ordinationes Epiſcoporum ad alios Metropolitanos ſpectantium. Vt autem hiſtorię veritas eluceſcat, in primis dicimus id ipſum non ab Hilario primùm eſſe tentatum: Patroclus enim Arelatenſis ſedis inuaſor, qui pulſo Herote illic ſedit, eiuſmodi facinus aggreſſus eſt, vt conſtat ex Proſpero in chron. anno quinto Honorij Imp. & ex litteris Bonifacij

Rom.

Rom. Pontificis, quas aduerſus eum ſcripſit ad Hilarium Epiſcopum Narbonẽſem; cuius decretum Cæleſtinus Papa etiam ratum habuit, ſcribẽs ad Epiſcopos Viennenſis & Narbonenſis prouinciæ, epiſt. 2. cap. 4. De eadem re actum apparet in Conc. Taurinenſi cap. 1. vbi demum contentioni is finis impoſitus eſt, vt qui ex duobus Epiſcopis Arelatenſi & Viennenſi ſuam ciuitatem metropolim comprobaſſet, is totius Prouinciæ obtineret primatum. Quæ ſanè controuerſia agitata fuit vſque ad tempora Hilarij, de quo agimus, qui ſucceſſit S. Honorato. Viſus eſt autem Hilarius paulò ardentiùs (quaſi Arelatenſi eccleſiæ competerent iura primatus) eam cauſam S. Leonis Papæ tempore pertractaſſe, & in alios ſibi plus æquo vſurpaſſe, vnde eiuſdem S. Leonis indignationem incurrit. Studioſior enim, quàm par erat, amplianḍę eccleſię Arelatenſis aliquanto fuiſſe videtur; de quo & ſanctus Proſper, qui eum mirificè laudat in lib. 2 cap. 9 de vita contemplatiua, hæc ait: Quid S. Hilarius? nónne & ipſe omnia bona ſua aut parentibus reliquit, aut vendita pauperibus erogauit? Is cùm merito perfectionis ſuæ fieret Epiſcopus Arelatenſis; quod illa tunc habebat eccleſia, non ſolùm poſſedit, ſed etiam acceptis fidelium numeroſis hereditatibus ampliauit, &c. Conſtat tamen eumdẽ pœnitentia emendaſſe, quidquid zelo tuendæ eccleſię ſuę iuris, tam in ſanctum Leonem, quàm in Gallicanos Epiſcopos deliquiſſet. Verùm quod hîc anteà fueramus opinati de eius ſpontanea abdicatione Epiſcopatus, & reuerſione ad priſtinam vitam monaſticam in inſulam Lirinenſem, corrige ex his quæ diximus tomo ſexto noſtrorum Annalium. Porrò Hilarij ſanctitas non huiuſmodi fuit, vt in angulis tantùm paucis innotuerit: nam S. Honoratus Epiſcopus Maſſilienſis, qui iiſdem temporibus vixit, eam toto Orbe vulgauit, dum (vt ait Gennadius de vir. illuſtr. cap. 99.) illius præclaras res geſtas ſcriptorum monumentis æterna memoria conſignauit. Hunc ipſum S. Proſper (vt vidimus) exornat laudibus: hunc etiam S. Eucherius tollit præconijs, ſcribens ad Salonium eius diſcipulum in præfat. libri quæſtionum vet. & noui Teſt. Conſtantius denique non mediocris inter eruditos ac pios eius ætatis viros auctoritatis, cuius ſumma laus eſt apud Sidonium Apollinarem, in vita quam ſcripſit S. Germani Epiſcopi Antiſiod. lib. 1. cap. 33. hæc habet: Aduenientem beatiſſimum virum vrbis Arelatẽſis Epiſcopum religioſa gratulatione ſuſcepit, Apoſtolicum inſtar ſui temporis ſacerdotem ſuſcipiens. Illuſtrabatur eo tempore ciuitas Hilario ſacerdote multimoda virtute precioſo. Erat enim fidei igneus torrens cæleſtis eloquij, & præceptionis diuinæ operarius indefeſſus, qui venerabilem ſanctum virum Pontificem affatu vt patrem, reuerentia vt Apoſtolum ſublimabat. Hęc Conſtantius. Gennadius inſuper de vir. illuſt. c. 99. mirificis eumdem laudibus cumulat. Ado Epiſcopus Viennenſis, quamuis ei ob controuerſias inter Arelatenſem & Viennenſem eccleſiam fortaſſe parum gratus eſſe poſſet; illum tamẽ, vt ceteri, miris laudibus extollit, dum de eo agit in chron anno Domini 458. Hæc autem omnia recitata de S. Hilario Patrum elogia poſt eius obitum prolata videntur. Si quis verò eius primordia, immenſoſq; labores illos ab eo vnà cum S. Proſpero pro tuenda fide Catholica aduerſus Pelagianos ſuſceptos, cùm illi S. Auguſtini ſcripta maculis aſpergere, calumnijs labefactare, & canino dente corrodere nitebantur, ſcire cupiat; habetur hac de re teſtimonium S. Cæleſtini Papæ in ea epiſtola quam pro illis ipſis ſcriptis S. Auguſtini dedit ad Epiſcopos Gallicanos. Fuerat enim idem Hilarius olim S. Auguſtini diſcipulus, vt ipſe profitetur in epiſtola ad Aug. ſcripta quæ habetur apud illum tomo 7. pag. 546. edit. Louan. Auguſtinus autem tam ad ipſum, quàm ad ſanctum Proſperum Aquitanum inſcripſit admirandos libros illos de Prædeſtinatione ſanctorum, & de Bono perſeuerantiæ, necnon & epiſtolam, quę extat in fine tomi ſeptimi, ead. edit. pag. 542. Hæc iam ſatis, vt omnis prorſus legentibus ſcrupulus & ambiguitas tollatur de tanti Antiſtitis fama & ſanctitate. Depromp ſimus hæc ex noſtris Annalibus Eccleſiaſticis, atque huc in lectoris gratiam tranſtulimus: quibus nos laboribus liberaſſet vita S. Hilarij à S. Honorato Maſſilienſi Epiſcopo conſcripta, ſi non excidiſſet. Ex his etiam multò magis refellitur patentiſſimus illorum error, qui Hilario Pictauienſi Epiſcopo tribuunt epiſtolam Hilarij Arelatenſis.

[k] Nicetij Epiſc.] De eodem hac die Vſuardus, Ado, & alij. Nicetum hunc appellat Ado in chron. an. 379. Hic interfuit Concilio Valentino in Gallijs celebrato, Gratiano tertiùm & Equitio Coſſ. anno Domini trecenteſimo ſeptuageſimoquinto: numeratur hic decimuſquartus eius ſedis Epiſcopus in tab. Democharis.

[l] Theodori Epiſcopi] Succeſſit hic Laurentio eius ciuitatis Epiſcopo, circa annum Domini quingenteſimum trigeſimum, vt in eiuſdem Bononienſis eccleſiæ tabulis vidimus.

[m] Sacerdotis Epiſc.] De eo tabulę eccleſiæ Saguntinæ, & Flos ſanct. Hiſpan.

[n] Geruntij Epiſc.] De eodem tabulæ eccleſiæ Mediolan. Extat de eodem epigramma Ennodij Epiſcopi Ticinenſis. Succeſſit Euſebio, vixitque temporibus Valentiniani Tertij Imperatoris.

[o] Conuerſio S. Auguſtini.] In priori Notationum editione, cùm egi de ætate S. Auguſtini, qua ad Chriſtum conuerſus, & anno quo baptizatus fuit, locus eiuſdem in Confeſſionum lib. 9. c. 11. penitus deprauatus me hæc non putantem errare coëgit, dum ibi legitur in fine: Ergo die nono ęgritudinis ſuæ, quinquageſimo & ſexto anno ætatis ſuæ, trigeſimo & tertio ætatis meæ, anima illa religioſa & pia corpore ſoluta eſt. Hæc cùm ibi legerem, nulla alia habita diligentiori inueſtigatione, dixi ipſum conuerſum anno ſuæ ætatis trigeſimo. Re autem accuratiùs perſpecta, & ex pluribus alijs Auguſtini locis examinata, aliam annorum eius cogimur inire rationem. Ac illud in primis ex eodem auctore de ipſo referimus, quòd vſque ad annum ſuæ ætatis vigeſimumoctauum Manichæus, in errorem ductus, perſeuerauerit, alios ſeducere conatus. Nam libro 4. Confeſſ. cap. 1. ait: Per idem tempus annorum nouem vſque ad duodetrigeſimum ſeducebamur & ſeducebamus, &c. Anno ſequenti, vigeſimonono ſuæ ætatis, audiuit Fauſtum Manichęum profitentem Carthagine. id ipſe affirmat Confeſſ. lib. 5. cap. 3. his verbis: Proloquar in conſpectu Dei mei annum illum vndetrigeſimum. Iam venerat Carthaginem quidam Manichæorum Epiſcopus Fauſtus, &c. Sequenti verò anno ſuæ

ætatis

ætatis trigeſimo, nimirum ante Conſulatum Bautonis (vt ipſe teſtatur cõtra litteras Petiliani lib. 3. cap. 25.) venit Mediolanum. Numeratur hic annus in Faſtis Panuini trecenteſimus octogeſimusquartus: de quo anno ſuæ ætatis idem Auguſtinus Confeſſ. lib. 6. cap. 11. Ecce iam tricenariam ętatem gerebam in eodem luto hęſitans, auiditate fruendi præſentibus, &c. Trigeſimoprimo, annum aperiente Bautone Conſule, qui eſt Domini annus trecenteſimus octogeſimusquintus, Kal. Ianuarij habuit encomiaſticam orationem pro gratiarum actione dici ſolitam: quod ipſe teſtatur citato ſuperiùs loco contra litteras Petiliani lib. 3. c. 25. Cumque ibi idem ipſe teſtetur, ſe poſt Maximi tyranni mortem in Africam ex ea peregrinatione reuerſum, conſtetque Maximum occiſum Coſſ. Theodoſio ſecundùm & Cynegio, menſe Auguſto, anno Domini trecenteſimo octogeſimooctauo; cumque quarta die menſis Maij (vt ſuperiùs viſum eſt) apud Oſtia Tiberina S. Monica ſit defuncta, qua ſepulta, ipſe nauigauit in Africam: neceſſe eſt dicere, ſequenti anno ab obitu Maximi, Timaſio & Promoto Coſſ. Chriſti anno trecenteſimo octogeſimo nono, S. Monicam eſſe defunctam, & Auguſtinum rediјſſe in Africam. Si igitur Auguſtinus (vt dictum eſt) ante Conſulatum Bautonis, trigeſimum agebat annum: cùm ab eo tempore vſque ad Conſulatum dictorum Timaſij & Promoti, ſecundùm omnium chronologorum ſententiam, quinque anni numerentur; opus eſt affirmare ex neceſſaria aſſumptione, Auguſtinum tempore obitus matris, cùm eſt reuerſus in Africam, egiſſe annum ætatis trigeſimum quintum, & non trigeſimum tertium, vt mendosè legitur. Cùm præſertim ex eiuſdem ſcriptis liquidò appareat, anno ſuæ ætatis trigeſimotertio eum nondum fuiſſe baptizatum: nam idem ipſe relegens libros quos adhuc ſcripſit catechumenus, Retract. libro 1. cap. 1. 4. tradit ſe nondum baptizatum ſcripſiſſe libros contra Academicos & Soliloquia. Porrò libro tertio contra Academicos, cap. 20. hæc habet verba: Sed cùm trigeſimum & tertium ætatis annum agam, non me arbitror, &c. Et Soliloq. libro 1. cap. 10. Nam cùm trigintatres annos agam, quatuordecim ferè anni ſunt ex quo iſta cupere deſtiti. Alludens nimirum ad id quod ait lib. 8. Confeſſ. cap. 7. Fortè duodecim anni, ex quo ab vndeuigeſimo anno ætatis meæ, lecto Ciceronis Hortenſio, excitatus eram ſtudio ſapientiæ, & differebam, contempta felicitate terrena, &c. Habet eadem in libro de Vita beata. At non eo anno quo ea ſcribebat catechumenus eſt baptizatus, ſed ſequenti. Nam libros contra Academicos ipſum ſcripſiſſe conſtat ante menſem Nouembrem: quod ex eo facilè demonſtratur, dum ipſe libro 1. Retract. cap. 2. teſtatur ſe ſcripſiſſe librum de Beata vita eo anno; dum ruri eſſet: porrò libros de Beata vita ſcripſiſſe ait tempore natalis ſui, qui erat (vt ibi ait) Idibus Nouembris: qua ratione neceſſariò dicendum eſt, ipſum non ante ſuæ ætatis annum trigeſimumquartum eſſe baptizatum: nam (quod ſcribit Poſſidius in vita ipſius cap. 1.) Paſchali tempore eſt baptizatus. Conuerſio autem ipſius contigit ſequenti anno ab eius Mediolanum aduentu, nempe trigeſimoprimo ſuæ ætatis anno: quod colligitur ex his quæ ſcribit lib. 8. Confeſſ. cap. 7. quo ſe tunc annum ætatis agere trigeſimumprimum cùm teſtetur; ſequentibus cap. 8. 9. 10. 11. 12. planè ſignificat ſe eo anno plenè ad Chriſtum fuiſſe conuerſum.

## 6 Pridie Nonas Maij. Luna. G xxiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | | | |

ROMÆ ſancti Ioannis [a] ante portam Latinam, qui ab Epheſo iuſſu Domitiani vinctus Romam perductus, & iudicante Senatu, ante eamdem portam in olei feruentis dolium miſſus, purior & vegetior inde exijt, quàm intrauit. Antiochiæ ſancti Euodij [b], qui (vt beatus Ignatius ad Antiochenſes ſcribit) primus ibidem à ſancto Petro Apoſtolo ordinatus Epiſcopus, glorioſo martyrio vitam finiuit. Cyrenæ ſancti Lucij [c] Epiſcopi, quem in Actibus Apoſtolorum ſanctus Lucas commemorat. In Africa ſanctorum martyrum Heliodori [d] & Venuſti, cum alijs ſeptuagintaquinque. In Cypro ſancti Theodoti [e] Epiſcopi Cyriniæ, qui ſub Licinio Imperatore grauiſſima paſſus, in pace tandem Eccleſiæ ſpiritum Deo reddidit. Damaſci natalis beati Ioannis Damaſceni [f], ſanctitate & doctrina celebris, qui pro cultu ſanctarum imaginum verbo & ſcriptis

aduerſus

aduerſus Leonem Iſauricum ſtrenuè decertauit: cuius iuſſu cùm ei dextera manus amputata fuiſſet, imagini beatæ Mariæ Virginis, quam defenderat, ſeipſum commendans, protinus dexteram integram ſanamque recepit. Carrhis in Meſopotamia ſancti Protogenis[g] Epiſcopi. In Anglia ſancti Eadberti[h] Epiſcopi Lindisfarnenſis, doctrina & pietate inſignis. Romæ ſanctæ Benedictæ[i] virginis. Salerni tranſlatio ſancti Matthæi[k] Apoſtoli, cuius ſacrum corpus olim ex Æthiopia ad diuerſas regiones, & demum ad eam vrbem delatum, ibidem in eccleſia eius nomine dedicata ſummo honore conditum fuit, tempore Gregorij Papæ Septimi.

# MAII 6.

IOANNIS ante portam Latinam[a].] De eadem ſolemnitate hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Hiſtoriam hanc ſcribit Tertullianus libro de præſcrip. aduerſus hæret. Eamdem Hieronymus libro 1. contra Iouinian. & in Matth. cap. 20. Euſeb. de demonſtrat. Euangel. lib. 3. cap. 7. item Acta S. Ioannis, qualiacumque ſint, quę Prochori nomine inſcribuntur: eam & alij recentiores, qui ab eiſdem acceperunt auctoribus.

[b] Euodij Epiſc.] De eodem hac die Beda, ac ceteri Latinorum, Græci autem in Menologio ad ſeptimum Idus Septembris. Eiuſdem meminit ſanctus Ignatius epiſt. 12. ad Antiochenos, & in epiſt. 9. ad Philadelph. Recenſet eumdem inter illos ſanctos, qui virgines permanſerunt. Scripſiſſe videtur Euodius nonnulla, quæ exciderunt, ex quibus Niceph. fragmentum recitat libro 2. cap. 3. Peruenit vſque ad Galbæ & Othonis Imperium, vt Euſebius in chron. teſtatur Vide notata ſuperiùs Kalend. Februarij in Ignatio.

[c] Lucij Epiſc.] De quo Act. Apoſt. c. 13. Alius hic putatur ab eo cuius Paulus Apoſtolus meminit ad Romanos cap. 16. Agunt de eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri.

[d] Heliodori & Venuſti.] Vſuardus de ijs agit hac die, & alij recentiores.

[e] Theodoti Epiſcopi.] Græci etiam de Theodoto hac die in Menologio, ibique eius Acta narrantur, ac iterùm ſuperiùs ad xiiij Kalend. Februarij in eodem Menologio.

[f] Ioannis Damaſceni.] De quo alij alia agunt die: Græci etiam diuerſis diebus, nimirum tertio Kalend. Decembris, vel pridie Nonas eiuſdem. Extant eius res geſtę conſcriptæ à Ioanne Epiſcopo Ieroſolymitano, quæ habentur in apparatu operum eius Billianæ edit. & apud Lipom. tom. 5. & Surium tom. 3. De ipſo hiſt Miſcel. lib. 12. in anno ſecundo Conſtantini Copronymi, Cedren. in comp. hiſt. in Leone Iſaurico, Suidas, & alij. Arbitrati ſunt aliqui Ioannem Damaſcenum vixiſſe temporibus Theodoſij Senioris, putãtes fortaſſe hunc illum eſſe Ioannem ſanctitate nobilẽ, qui Theodoſio multa prędixit, de quo & ſuperiùs actum eſt: ſed ille fuit Ægyptius, hic autem Syrus. Alij rurſus eumdem Ioannem, de quo agitur, ſecant in duos; quorum alterius, qui vixit ſub Theodoſio, ſint libri de fide Orthodoxa; alterius autem, qui vixit temporibus Leonis Iſaurici, ſint orationes illæ de imaginibus. Laborarem pluribus in confutando de duobus Damaſcenis commentum, niſi eruditus Billius præripuiſſet laborem, cuius ſententiæ non inuitus ſubſcribo.

[g] Protogenis Epiſc.] Scribit de eo Theodoretus lib. 4. cap. 16. & Niceph. lib. 11. c. 23. & lib 12. cap. 5. Claruit temporibus Valentis Imp aduerſus quem Catholicam fidem ſtrenuè defendit: peruenit vſque ad tempora Theodoſij, quando ex humanis ipſo ſublato, in locum eius ſuffectus eſt Vitus, qui interfuit Concilio œcumenico Conſtantinopolitano. Ex his itaque corrigendus eſt Sozom. lib 6. cap 33. dum ait, Protogenem ſucceſſiſſe Vito, cùm contrarium appareat: ſubſcripſit enim Vitus Carrharum Epiſcopus dicto Concilio Conſtantinopolitano ſub Theodoſio, Protogenes autem floruit ſub Valente. Ea verò quæ de Conſtantino refert Sozom. Theodoſio ſunt aptanda: niſi dicere velimus, duos eiuſdem nominis, eiuſdemque ciuitatis fuiſſe Epiſcopos; quorum alter præceſſerit, alter verò Protogeni in Epiſcopatu ſucceſſerit: quod nobis non probatur. Alius eiuſdem nominis Protogenes Epiſcopus Sardicenſis vixit temporibus Conſtantini Magni, qui præſens fuit Magno Concilio Nicæno, &, ipſe clarus meritis, & ſanctitate nobilis, de quo & Athanaſius orat. 1. in Arianos. Ad eum extat Conſtantini Magni reſcriptum L. 1. C, de his qui in eccleſ. manum.

[h] Eadberti Epiſcopi.] De huius ordinatione & obitu ſcribit Beda hiſt. de geſt. Angl. lib. 4 c. 29. in fine, & cap. 30. & in vita S. Cudberti eius prædeceſſoris, c. 42. & 43 Qui quidem creatus eſt Epiſcopus eo anno quo Egfridus Rex obijt, vt idem ſcribit lib. 4. cap. 27. & incipit. anno 685. & cùm duos tantùm annos ſediſſet, redijt in monaſterium: tertio autem anno ſuffectus eſt Cudberto Eadbertus de quo agitur; qui ſedit annos vndecim, vt ex eodem auctore colligitur lib. 4. cap. 30.

[i] Benedictæ.] De ea S. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 13. vbi agit de S Gallæ obitu, quam Benedicta poſt diem trigeſimum (vt S. Petrus Apoſtolus prædixerat) ſecuta eſt ad coronam.

[k] Tranſlatio S. Matthæi.] Extat de ea Gregorij Papæ Septimi epiſtola ad Alfanum Epiſcopum Salernitanum, in qua primùm illi gratulatur de inuento ſacro Apoſtoli corpore, monetque vt

digno

digno honore ſacras reliquias proſequatur, agatque cum Roberto Principe & eius coniuge, vt pia religione colant ſacra pignora. Scripſit hæc Gregorius Papa (vt apparet in eius regiſtro) anno octauo ſui Pontificatus, tertia Indict. viij. Kalendas Maij, anno Domini 1080. Conſtat autem eumdem Robertum peramplam baſilicam eidem ſancto Apoſtolo erexiſſe, vt ſcribit Leo Oſtienſis in chron. Caſſin. lib. 3. cap. 44. Reuerendiſſimus M. Antonius Marſilius Columna Archiepiſcopus Salernitan. vir morum honeſtate & doctrina clarus, de vita, tranſlatione, & miraculus S. Matthæi Apoſtoli egregium volumen edidit.

## 7 Nonis Maij. Luna. A xxij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | | | |

CRACOVIÆ in Polonia natalis ſancti[a] Staniſlai Epiſcopi & martyris, qui à Boleſlao impio Rege necatus eſt. Tarracinæ in Campania natalis beatæ Flauiæ Domitillæ[b] virginis & martyris: quæ cùm eſſet Flauij Clementis Conſulis ſororis filia, & à ſancto Clemente ſacro velamine[c] conſecrata, in perſecutione Domitiani ob teſtimonium Chriſti, cum aliis plurimis in inſulam Pontiam exilio deportata, longum ibi martyrium duxit: nouiſſimè verò Tarracinam deducta, cùm doctrina & miraculis plurimos ad fidem Chriſti conuertiſſet, iuſſu Iudicis incenſo cubiculo, in quo ſimul cum ſuis virginibus Euphroſyna & Theodora morabatur, curſum glorioſi martyrij conſummauit. Eodem die ſancti Iuuenalis[d] martyris. Nicomediæ ſanctorum martyrum Flauij[e], Auguſti, & Auguſtini fratrum. Ibidem S. Quadrati[f] martyris, qui in perſecutione Decij ſæpiùs ad tormenta repetitus, demum capite truncatus eſt. Romæ ſancti Benedicti[g] Papæ & confeſſoris. Eboraci in Anglia S. Ioannis[h] Epiſcopi, vita & miraculis clari. Papiæ ſancti Petri[i] Epiſcopi. Romæ Tranſlatio[k] corporis ſancti Stephani Protomartyris, quod Pelagio Summo Pontifice è Conſtantinopoli ad Vrbem allatum, atque in ſepulchro ſancti Laurentij martyris in agro Verano poſitum, ibidem magna piorum religione colitur.

## MAII 7.

STANISLAI[a].] Scripſit huius ſanctiſſimi viri res geſtas Ioannes Longinus canonicus Cracouienſis, quas reperies apud Sur. tom. 2. qui ex Alberto Crantz. alia addidit. Plura de eodem Chromerius, & alij, qui proſecuti ſunt res Polonorum. Paſſus eſt anno ſeptimo Gregorij Papæ Septimi, à quo Rex impius eius interfector regno ſolemni ritu priuatus eſt, & excommunicatus, pariterque ipſum Poloniæ regnum ſacris eſt interdictum. Relatus eſt in Sanctorum numerum ab Innocentio Quarto Summo Pontifice. Eius verò feſtum S. D. N. Clemens VIII. hac die duplici officio vbiq; celebrari præcepit, quòd dies natalis ipſius, quo paſſus eſt, octauo Idus Maij, Apparitionis S. Michaëlis Archangeli ſolemnitati ſit dicatus. Tranſlatio autem eius corporis contigit quinto Kalend. octobris. Accepimus nonnulla alia de eodem ſanctiſſimo martyre ex veteribus monumentis Polonorum eccleſiæ à Staniſlao Reſchio S. R. E. Protonotario, optimi illius atque doctiſſimi Staniſlai Cardinalis alumno, quem ob morum egregiam integritatem & inſignem eruditionem plurimi facio.

[b] Flauiæ Domitillæ.] De eadem Beda hac die, Vſuardus, Ado, & alij. Extant eius Acta intexta vnà cum rebus geſtis ſanctorum Nerei & Achillei. Proſcripta eſt, & in Pontiam inſulam relegata

anno decimoquinto Imperatoris Domitiani, vt ſcribit Euſebius hiſt.lib.3.c.14.& in chron. anno decimoquinto Domitiani,&Niceph.lib.3.cap.9. Eius autem Acta non tantùm à Chriſtianis, ſed etiam à Gentilibus ſcriptoribus, ob præclariſſimum eius genus, commendata ſunt monimentis hiſtoriarum. Brutius enim illorum temporum nobilis hiſtoricus de ea ſcripſit, vt idem Euſebius teſtatur in chron. Tantæ enim virginis conſtantia non tantùm ſunt illuſtratæ Ethnicorum hiſtoriæ;ſed ipſa quoque loca exilij,eius præſentia ſunt reddita clariora; de quibus S. Hieronymus epiſt.27.cùm nauigationem ſanctæ Paulæ Ieroſolymam deſcribit, hæc ait: Delata ad inſulam Pontiam, quam clariſſimæ quondam feminarum ſub Domitiano Principe pro confeſſione nominis Chriſtiani Flauiæ Domitillæ nobilitauit exilium: videnſque cellulas, in quibus illa longũ martyrium duxerat, ſumptis fidei alis,&c. Fuit Flauia Domitilla, de qua agimus, filia ſororis Flauij Clementis Conſulis, vt ſcribit Euſebius hiſt. lib.3.c.14. Clemens hic autem (vt auctor eſt Dio Caſſius in Domitiano) cùm gereret Conſulatum, relictis Romanorum diis, ad Iudæorum religionem ſe contulit (eo etenim nomine ſcriptores Gentiles religionem Chriſtianam olim appellare conſueuerunt, eò quòd à Iudæis illata videretur: congeſſimus de his plurima teſtimonia in Annalibus Eccleſiaſt.) qui idem Clemens eadem ex cauſa à Domitiano iuſſus eſt occidi, additque eiuſdem vxorem, Flauiam Domitillam etiam appellatam, eiuſdemque Imperatoris propinquam, in inſulã Pandatariam fuiſſe relegatam, Glabrionemque Conſularem virum, qui nuper cum Traiano Conſul fuerat, ob eamdẽ religionis cauſam, aliaſque res obiectas, iuſſum interfici. Ex his autem Dionis verbis (niſi in accuratiſſimo hiſtorico inſit error) euidẽter apparet, duas fuiſſe Flauias Domitillas, ambaſque tum genere, tum etiam fide Chriſtiana præſtantes: quarum altera (teſte Dione) vxor fuit Flauij Clemẽtis Conſulis, Domitiani Imperatoris neptis, quam ille in Pandatariam inſulam Chriſtianæ religionis cauſa relegauit: altera verò, de qua nunc agitur, virgo, eiuſdemque Flauij Clementis Conſulis ex ſorore neptis, quę in inſulam Pontiam (vt vidimus) relegata fuit. Cùm itaque illa nupta, hæc virgo; illa vxor Clementis, hęc ex ſorore neptis; illa denique in inſulam Pandatariam, hæc in Pontiam relegata fuerit: non vnam eamdemq; eſſe, luce clariùs conſtat. Agit de his inſulis Plinius lib.6. cap.3. aitque: Aduerſum Formias Pontiæ, in Puteolano autem ſinu Pandataria. Exſtat illuſtris memoria ſanctæ Flauiæ Domitillæ virginis Tarracinæ, vbi vnà cum ſociis martyrium conſummauit. Omittimus dicere de aliis Domitillis Gentilibus feminis clariſſimis, vt de Flauia Domitilla matre Titi & Domitiani Imperatorum, aliaq; eius filia atque horum ſorore, de qua Suetonius in Domitiano, & Philoſtratus libro octauo. Harum altera fuit inter diuos relata, erantque ſacerdotes diuæ Domitillæ, vt docet vetus inſcriptio, quam recitat Panuinus in Rom.ciuit.pag.360. erat gentis Flauiæ templum in Regione ſexta, de quo Suetonius in Domitiano. De huius ſanctæ virginis corporis tranſlatione vide quæ infrà notamus 12. eiuſdem menſis in SS. Nereo & Achilleo.

e Sacro velamine conſecrata.] De ſacro velamine, quo virgo Deo conſecratur, hæc ſanctus Hieronymus epiſt.8. ad Demetriadem: Scio ad imprecationem Pontificis flamen virginale ſanctum operire caput, &c. De eodem etiã meminit epiſt.48. ad Sabinianum. Ambroſius libro ad virg. lapſ. pluribus agit de ſacro ritu ſeruari ſolito, cùm virgini Deo dicandę ſacrum velamen imponitur, S. Auguſtinus de eodẽ epiſt.179. ad Probam & Iulianam in fine. Quibus diebus ſolemnibus id eſſet faciendum, Gelaſius monuit epiſtola ad Epiſc. Lucan. & alios cap.14. eadẽ 20. quæſt.1. cap. Deuotis. cuius auctoritate viduę velari prohibentur. eadem epiſt. cap.13. Virgines enim, quòd ſpiritualiter nubant, idcircò (vt in nubentibus olim fieri conſueuerat) à ſacerdote velantur: id Innocentius Papa epiſtola ad Victricium ſcribit cap.12. eadem 27.q.1. cap. Quæ Chriſto. Sunt de velandis ſacris virginibus alia Roman. Pontificum decreta, & diuerſorum canones Conciliorum. Hæc modò ſatis ſint de iis quæ ad ſacrum velamen pertinent, cuius hîc habetur mentio. Ceterùm Chriſtiana modeſtia optimè conſuluit femineo pudori, agens nimirum, vt omnes virgines à pubertatis annis, nuptæ etiam ac viduæ velatæ incederent, non quidem ſacro, ſed communi tectę velamine. Eſt de his in primis Apoſtolica inſtitutio, Paulo id decernente, & ſcribẽte ad Corinthios 1. cap.11. quod retinuit conſuetudo, atque probauit vſus, vt de his fuſiùs diſputat Tertullianus libro de velandis virginibus: vſque adeò, vt vel nocte velum dimiſiſſe, piaculum fuerit; quod idem auctor ibidem exemplo docet. Porrò non tantùm velamine caput tegere, ſed & vultum adumbrare, Chriſtianis mulieribus per Apoſtolum iuſſum eſſe, contendit Clem. Alex. lib.2. Pædag. cap.10. in fine, & lib.3. cap.11. Sanè quidem id in primis exemplo S. Soteris martyris S. Ambroſius cõfirmat in exhort. ad virgines his verbis: At illa, vbi audiuit hanc vocem, vultum aperuit, ſoli inuelata & intecta martyrio, & volens iniuriæ occurrit, vt ibi martyrij fieret ſacrificium, vbi ſolet eſſe tentamentum pudoris, &c. Hieronymus ad Euſtoch. epiſt.22. hæc in eamdem ſententiam: Excuſes licet, atque cauſeris, obducto velamine ora contexi. Et paulò inferiùs: Dimittunt, inquit, ſupercilium; & operta facie, vix vnum oculum liberant ad videndum. Hæc ille. Verùm enimverò non omnes velamine, ſed complures pallio, vt virgines, illæ præſertim quæ eſſent Deo dicandæ, caput tegebant. De his Hieronymus epiſtola 12. ad Gaudentium in hunc modum: Solent quædam, cùm futuram virginem ſpoponderint, pulla tunica eam induere, & furuo operire pallio, auferre linteamina. Idem ad Demetriadem epiſt. 8. ſic: Vili tunica induitur, viliori tegitur pallio, &c. His itaque aſſuetæ Chriſtianæ mulieres, grauiſſimum diſpendium ſe pati pudoris exiſtimabant, ſi capitis velamine nudarentur. Vnde hæc ſentiens aliquando perſecutor, ea ignominia vt graui ſupplicio Chriſtianas mulieres afficiendas eſſe mandabat; prout Acta Arethæ martyris, & quidem germana his verbis demonſtrãt. Cùm ille audiſſet, iam corde ſuccenſus aſpexit eos qui aderant: & cùm dixiſſet, Quàm impudenter ſe gerit aduerſus nos hæc execranda mulier! iubet eius capitis auferri tegumentum, & eius filiarum, & ſic eas nudo capite & promiſſa coma in caſtra deduci per ignominiam, &c. Hæc ibi. Porrò etſi

velandi

Digitized by Google

velandi capitis legem Chriſtianæ feminæ tam piè ac ſanctè ſeruarint; non tamen exiſtimes, illis tantummodò eam fuiſſe præſcriptam: ſiquidem ante Chriſti Redemptoris noſtri aduentum eidem Iudæi, Romani, Græci, ac Barbari paruere. De Iudæis Tertul. lib. de coron. milit. ſic habet: Apud Iudæos tam ſolemne eſt feminis eorum velamen capitis, vt inde dignoſcantur, &c. De Romanis ſatis eſſe poteſt exemplum quod Valerius Max. lib. 6. cap. 3. de ſeueritate 13. ſic deſcribit: Horridum C. quoque Sulpicij Galli maritale ſupercilium: nam vxorem dimiſit, quòd eam capite aperto foris verſatam cognouerat. In hanc ſententiam Tacit. lib. 14. de Poppæa Sabina ſic ait: Rari in publicum egreſſus, idque velata parte oris, ne ſatiaret aſpectum, vel quia ſic decebat. Hæc ille. Docent hæc etiam antiqua numiſmata, vt quæ Liuiam, Fauſtinam, Martiam Auguſtas, & alias velatas exprimunt. Inſuper alia complura viſuntur habentia feminæ velatum caput, eiuſmodi inſcriptione notata, PVDICITIA. Sanè quidem Plutarchus teſtus eſt in Probl. quæſt. Rom. 14. feminas velato capite incedere conſueuiſſe; nam ait: Solent ferè mulieres tectis, mares nudis capitibus in publicum progredi. De Græcis autem Apuleius de aſin. aur. lib. 7. ſic: Mirella textili contecto capite. Et lib. 11. Mulieres candido ſplendentes amicimine. Porrò Lacænæ virgines aperta facie, vxores autem velatæ in publicum prodire conſueuerunt: illæ, vt ſic maritos inuenirent; iſtæ verò, quòd haberent, non iam alteri, quàm viro placere ſtuderent. Hæc Plutarchus Apoph. Lacon. in Charillo. Quod autem ad barbaros pertinet, de Arabiæ Ethnicis mulieribus hæc ſcribit Tertullianus lib. de virg. veland. Iudicabunt, inquit, nos Arabiæ feminæ Ethnicæ, quæ non caput, ſed faciem quoque ita totam tegunt, vt vno oculo liberato, contentę ſint dimidiam frui lucem, quàm totam faciem proſtituere. Hæc Tertul. Eiuſmodi velamen, ſeu pallium, theriſtrum eſſe appellatum, auctor eſt Iſidorus li. 19. orig. cap. 24. de palliis fem. Quo, inquit, vſque hodie Arabiæ & Meſopotamiæ mulieres velantur, quibus in ęſtu tutiſſimo teguntur vmbraculo, de quo in Iſaia legitur. Hæc ille, qui & aliorum velaminum recenſet atque declarat nomina; vt regillum, quod erat reginarum amiculum; pallam; ſtolam, ſic dictam, quæ, inquit, cooperto capite & ſcapula, à dextro latere in lęuum humerum mittitur; ſtola enim Græcè vocatur, quòd ſuperemittatur: eadem & recinium Latino nomine appellatur, eò quòd dimidia eius pars retrò reiicitur, quod vulgò mauortem dicunt. Hæc ille. Habes id appellatum maphortem ſeu mauortem in Actis martyrij ſancti Pauli Apoſtoli, quæ feruntur Lini nomine, cùm agitur de Plautillæ velamine, maphorte dicto, Paulo exhibito. In Actis inſuper ſanctorum martyrum Fauſtæ & Euilaſij, quorum fragmētum recitat Beda in Martyrol. 20. Septemb. hæc de maphorte: Iuſſit Fauſtam nudam & ſine maphorte flagellatam, incarceratam, caput terebrari, &c. Sed de mauorte item Hieronymus epiſt. 21. ad Euſtoch. Per humeros hyacinthina læna mauorte volitans. Caſſianus lib. 1. cap. 7. de habitu monachi agens, anguſtum palliolum quo monachi colla & humeros tegerent, maphortem appellat. Vide ibi notationem Petri Ciacconij. Habes apud eumdem Iſid. & anaboladium, ſic dictum, inquit, amictorium lineum feminarum, quo humeri operiuntur, quod Græci & Latini ſindonem vocant: amiculum autem dictum eſſe pallium lineum, quod vſui erat meretricibus, quo & amiciebantur matronæ deprehenſæ in adulterio, idem teſtatur: verùm amiculum pro omni velaminis genere frequentiùs vſurpatum reperi.

[d] Iuuenalis martyris.] De eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Huius meminiſſe opinor S. Gregorium homil. 27. in Euangel. Vide quæ notata ſunt ſuperiùs, quinto Nonas Maij, in Iuuenale Epiſcopo.

[e] Flauij & ſoc.] De his idem qui ſuprà Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri.

[f] Quadrati, aliàs Codrati.] De eo agunt hac item die Græci in Menologio, vbi eius cruciatus narrantur.

[g] Benedicti Papæ.] Beda item & Ado hac die. Hic ſecundus huius nominis fuit, Iunior dictus, ſucceſſitq; Leoni Secundo Rom. Pontifici: cuius tanta fuit opinio ſanctitatis, vt Heraclius Conſtantinus Imp. vſurpatam à prædeceſſoribus ſuis in Romanorum Pontificum electione pecunia impartiri ſolitam aſſenſionem omnino remiſerit. Sanctus Gregorius Papa eiuſmodi temeritatem (ſic enim ipſe appellat) acerbiſſimè deplorat, vocatque Dei Eccleſiæ captiuitatem; atque inuehitur in Imperatorem talia ſibi illicitè vendicantem in explan Pſalm. 4. pœnit. verſ. Tota die exprobrabant mihi inimici mei. Id primus excogitauit Odoacer Herulus Arianus Rex Italiæ, cuius conatibus Gelaſius reſtitit. ſed de his pluribus in Annalibus Eccleſiaſticis egimus.

[h] Ioannis Epiſc.] Scribit eius res geſtas Beda hiſt. de geſt. Angl. lib. 5. cap. 2. & ſequent. Porrò integram vitam eius, ac poſt mortem miracula edita Folcardus Dorobernenſis monachus ſcriptis illuſtrauit, vt habetur in catal. ſcrip. Britan. De eodem Trithem. de vir. illuſtr. ordinis S. Benedicti lib. 4 cap 68. Migrauit ex hac vita anno Domini ſeptingenteſimo vigeſimoprimo.

[i] Petri Epiſcopi.] De quo etiam hac die tabulæ eccleſiæ Ticinenſis. De eodem ſumma cum laude ſcribit Paul. diac. lib. 6. c. 18. Vixit temporibus Luithprandi Regis Longobard.

[k] Tranſlatio corporis ſancti Stephani.] Habentur rei geſtæ vetera monumenta ſcriptis mandata à Lucio archidiacono, ſed quæ non modica caſtigatione indigeant. Legimus ea in cod. manuſcrip. monaſterij ſanctæ Cæciliæ Tranſtiberim. Petrus diac. Caſſin. in lib. de vir illuſtr. monaſt. Caſſin. cap. 35. teſtatur, ſanctum Brunonem Epiſcopum Signinum de ea tranſlatione ſcripſiſſe ſermonem; idemque capite 45. addit, alium inſuper ſermonem conſcriptum eſſe à Petro eiuſdem monaſterij bibliothecario de eadem tranſlatione Conſtantinopoli facta Romam.

xxj. B **Octauo Idus Maij. Luna.** 8

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | | | |

IN monte Gargano Apparitio [a]ſancti Michaëlis Archangeli. Mediolani natalis ſancti[b] Victoris martyris, qui natione Maurus, & à primæua ætate Chriſtianus, cùm eſſet in caſtris Imperialibus miles, compellente Maximiano vt idolis ſacrificaret, in confeſſione Domini fortiſſimè perſeuerans, primò grauiter fuſtibus cæſus, ſed Deo protegente doloris expers, deinde liquenti plumbo perfuſus, ſed nihil penitus læſus, nouiſſimè glorioſi martyrij curſum capitis abſciſſione compleuit. Conſtantinopoli ſancti Acathij [c]centurionis, qui in perſecutione Diocletiani & Maximiani à Firmo tribuno delatus quòd Chriſtianus eſſet, & à Bibiano Iudice Perinthi ſæuiſſimè tortus, Byzantij demum à Flaccino Proconſule capitis damnatus eſt: cuius corpus ad Scyllacium litus diuinitus poſteà delatum, ibi honorificè aſſeruatur. Viennæ ſancti Dionyſij [d] Epiſcopi & confeſſoris. Antiſiodori ſancti Helladij [e] Epiſcopi. In territorio Biſuntino ſancti Petri [f] Epiſcopi. In Scotia ſancti Vuironis [g] Epiſcopi.

## MAII 8.

APPARITIO ſancti Michaëlis Archangeli [a]. ] Hanc factam eſſe ſub Gelaſio Rōm. Pontifice, anno Domini 488. ſcribit Sigebert. in chron. ſed in numero annorum decipitur: Gelaſius enim ſedere cœpit anno 492. Habemus in noſtra biblioth. vet. manuſcript. einſdem rei geſtæ hiſtoriam, qua quidem traditur, eam factam eſſe anno Domini 536. Indict. 14. Aliam recitat Sur. tom. 5. die 29. Septembris. Conſtat quidem fuiſſe olim frequentiſſimam ea ex cauſa ad montem Garganum peregrinationem: nam (vt cetera prætereamus) narrat Petrus Damian. ſcriptorum integerrimus, Othonem Imp. Roma ad mōtem Garganum nudis pedibus perrexiſſe, idq́ue monitu S. Romualdi, vt crimen paulò antè commiſſum ea corporis afflictatione expiaret. Hæc ſcribit idem auctor in vita S. Romualdi. Inuenies eam apud Lipom. tom. 8. Huic ſimilis facta eſt in Galliis apparitio S. Michaëlis Archangeli, anno à Chriſto Domino ſeptingenteſimo nono, vbi ad ſimilitudinem montis Gargani erecta eſt inſignis eccleſia, curante S. Autberto Epiſcopo, vt ſcribit Sigebert. in chron. dicto anno: cuius rei geſtæ hiſtoriam refert Petrus in catal. lib. 9. cap. 71. Porrò longè ante dictas apparitiones agi conſueuiſſe Romæ ſolemnitatem ſancti Michaëlis Archangeli, alterius cuiuſdam apparitionis occaſione, Drepanius Florus vetuſtiſſimus poëtarum Chriſtianorum ſcribit his verſibus:

*Clarent Angelici ſublimia feſta diei*
*Allatura pia dona beata anima.*
*Hunc etenim Michaël aulæ cæleſtis alumnus*
*Conſpicuo nobis conſecrat ore diem,*
*Dignatus Petri Paulíq; muniſſe ſedem,*
*Imperiumq́; fouens inclyta Roma tuum.*
*Qui procores inter pia mœnia luce coruſcos*
*Egregio vulth ſplenduit ore nouo:*
*Cùm Deus expulſis lucem depromeret vmbris,*
*Conderet & ſtabilem, nocte ruente, diem, &c.*

Drepanius poëta, qui hæc ſcripſit, ille eſſe videtur, cuius meminit Sidonius lib. 8. epiſtola 11. ad Lupum, cuius ingenij extant pauca quædam monumenta in collectione poëtarum Chriſtianorum. Fuit alter Pacatus Drepanius, clarus orator, qui panegyricum dixit Romę Theodoſio ſeniori. Legitur in Codice Theod. reſcriptum Theodoſij Imp. ad Drepanium L. 4. de exhibendis reis. Sed quod ad præſentis diei ſolemnitatem ſpectat, in bibliotheca Vaticana plut. x. num. 221. ineſt codex, qui inſcribitur, Sermones S. Auguſtini & aliorum: ibidem legitur ſermo nomine S. Gregorij Papæ in feſtiuitate S. Michaëlis Archangeli. eſt eius exordium: Angelorum & hominum natura,

Digitized by Google

tura,&c. Non prætermittimus, inter alias nobiles Romæ erectas eccleſias in honorem S. Michaëlis Archangeli, fuiſſe illam quæ in ſummitate molis Hadriani olim à Bonifacio Papa excitata eſt, de qua plura inferiùs dicturi ſumus ad tertium Kal. Octobris, illam quoque eſſe nobilem ac perantiquam, quæ poſita eſt in Foro piſcario: itemque illam eſſe celebrem, quam Leo Quartus Papa ob Sarracenos deuictos atque fugatos apud Vaticanum erexit, vt docet vetus inſcriptio in marmore inciſa, quæ in eadem eccleſia hactenus aſſeruatur, licet ſcriptoris vitio Carolus pro Ludouico ponatur. Sicut in Occidentali Eccleſia, ita & in Orientali frequens fuit Michaëlis Archangeli apparitio: nam qui vniuerſalis Eccleſiæ à Deo patronus atque protector eſt inſtitutus, idem virtute miraculorum vbique voluit innoteſcere. Facta eſt enim alia eius apparitio prope Byzantium, in cuius memoriam ampliſſima illic baſilica eſt erecta, quæ & multis eſt miraculis illuſtrata, vt ſcribit Sozomenus hiſt. lib. 2. cap. 2. & Niceph. libro 8. cap. 32. ea eccleſia Soſtenium eſt appellata: quam vetuſtate collapſam reſtituit Baſilius Imp. vt auctor eſt Georg. Cedren. in compend. hiſt. in Baſilio. Alia rurſus & æquè celebris fuit illa apparitio facta in Chonis apud ciuitatem Coloſſenſium; cuius rei geſtæ hiſtoriam deſcripſit Metaphraſtes, quam & recitat Lipom. tomo 6. Agunt de ea Græci in Menologio octauo Id. Septemb. anniuerſariam celebritatem, cuius & meminit Emmanuel Imp. in conſtit. de feriis. Frequentes olim erectas fuiſſe eccleſias in honorem ſancti Michaëlis Archangeli, vetera monumenta teſtantur. Porrò nobiliſſimam & antiquiſſimam illam memoriam S. Michaëlis in Chonis profanauit Alexius pſeudoimp. qui meritas de ſacrilegio pœnas dedit. De his Niceta Choniata hiſt. lib. 3. pag. 48. Temporibus etiam Diocletiani Imper. eam extitiſſe S. Michaëlis nomine eccleſiam in Bithynia, fidem faciunt Acta S. Eutonomi Epiſcopi, quæ recitat Sur. tom. 5. Procop. lib. de ædif. Iuſtiniani Imp. ſex numerat baſilicas ab eodem Imp. in honorem ſancti Michaëlis excitatas. Frequentes fuiſſe eccleſias S. Michaëlis, & aliorum Angelorum, argumento eſt L. Quoniam, Cod. de ſacroſanct. eccleſ.

[b] Victoris Mauri.] De quo hac die Beda, Vſuardus, Ado, Vuandelb. & alij recentiores. Meminit eiuſdem Victoris S. Ambroſ. in Lucam lib. 7. cap. 13. recenſetque eum inter martyres Mediolanenſis eccleſiæ. De eodem hæc Ennodius Ticin. de ſe ipſo: Continuò me ad beati Victoris martyris præſidia ſæpè experta tranſuexi, &c. Eius Acta refert Sur. tom 3. ante eum Mombrit. tom. 2. Petrus in catal. lib. 4. cap. 113. De eo etiam miraculum recitat Gregorius Turon. lib. de Glor. mart. cap. 45.

[c] Acathij.] Græci autem de Acathio in Menolog. pridie huius diei. Deſcripſit eius Acta Metaphraſtes, quæ Latinè à ſe tranſlata refert Lipom. tomo 7. & Sur. tom. 3. Hiſtoriam de tranſlatione ipſius Scyllacium facta, cuius hîc habetur mentio, legimus ab eius eccleſia Romam miſſam. Meminit Niceph. de eccleſia erecta Conſtantinopoli in honorem S. Acathij mart. lib. 13. c. 38. quam vetuſtate labefactatam à Iuſtiniano Imp. in anguſtiorem formam excitatam eſſe, ſcribit Procop. lib. 1. de ædif. Iuſtiniani Imp. quam ipſam rurſus à Baſilio Imp. reſtitutam refert Georgius Cedren. in comp. hiſt. in Baſilio. Non prætermittimus hic referre, quod ſcribit Niceph. hiſt. lib. 13. cap. 38. adhuc temporibus Arcadij Imp. ſuperſtitem fuiſſe arborem illam ſuis Conſtantinopoli, in qua martyr Dei Acathius appenſus, tormentis fuerat excruciatus; licet Socrat. lib. 6. c. 21. dicat fuiſſe caſtaneam. Effecerunt planè dicti hiſtorici ſcriptis ſuis, vt arbor illa feliciſſima, ſanguine tanti martyris irrigata, adhuc virens in memoria hominum perſeueret, & ſit in poſterum permanſura, longè beatior, mea ſententia, ficu Romulea, Athenarum olea, Deli palma, vel Mariana quercu, quam clariſſimus orator ſcriptorum ſuorum monumentis perpetuitati conſecrandam putauit lib. 1. de legibus. Eſt nobilis ſententia S. Gregorij Nazianzeni iterùm repetita, quòd quæuis tenuia monimenta martyrum eamdem vim aduerſus dæmones, & ad virtutes ſanitatum præſtandas, quam & eorum corpora, quam & animæ in cælo exiſtentes obtineant. id ille orat. 2. in Iulianum, & in carm. de humilitate, caſtitate, & temperantia. Quare eodem conſilio non indignum fore ſum arbitratus, ſi ſanctorum martyrum memorias, quas conſtat non fuiſſe erectas, niſi vbi aliqua ipſorum martyriorum eſſent antiqua veſtigia, vel eorumdem reliquię poſitę eſſent, id præcipientibus ſacris regulis Eccleſiaſticis, Concil. African. c. 50. eaſdem ipſas iam temporis diuturnitate collapſas, atque hominum impiorum iniuria planè dirutas, his meis annotationibus aliquando commemorem. Hac enim arte abſque ſumptu aliquo fore ſperamus, vt templa collapſa reſtituantur, collabentia ſarciantur fulciantúrque; & quæ manent, integra aduerſus omnem iniuriam temporum conſeruentur.

[d] Dionyſij Epiſc.] De eo Beda hac die. Scribit Ado eiuſdem ciuitatis Epiſcopus hunc claruiſſe temporibus Ælij Pertinacis. Succeſſit hic ſancto Iuſto, numeraturque ſextus eius eccleſiæ Epiſcopus in tabulis Democh. ex eodẽ Adone collectis.

[e] Helladij Epiſc.] De eo Molan. in addit. ad Vſuard. Succeſſit S. Valeriano, ſedítque temporibus Conſtantini Imp. poniturque quintus ordine eius ſedis Epiſcopus in tab. Democharis.

[f] Petri Epiſc.] Fuit hic Archiepiſc. Tarentaſij: cuius vitam Gaufridus abb. iubente Lucio Papa, ſcripſit. extat apud Sur. tom. 3. hac die. Migrauit ex hac vita anno Domini milleſimo centeſimo ſeptuageſimoprimo, cùm ſediſſet annis trigintatribus.

[g] Vuironis Epiſcopi.] Deſcripſit eius Acta Sur. tom. 3. hac die. Floruit circa annum Domini ſeptingenteſimum quinquageſimum. De eodem Trithem. de viris illuſtr. ordinis ſancti Benedicti lib. 3. cap. 263.

xx. C Septimo Idus Maij. Luna. 9

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | | | |

NAZIANZI natalis beati Gregorij[a] Epiſcopi, ob ſingularem diuinarum rerum doctrinam cognomento Theologi: qui collapſam Conſtantinopoli Catholicam fidem reſtituit, hæreſeſque inſurgentes compreſſit. Romæ ſancti Hermæ[b], cuius Apoſtolus Paulus in Epiſtola ad Romanos meminit. Hic dignè ſemetipſum ſacrificans, acceptabiliſque Deo hoſtia factus, virtutibus clarus cæleſtia regna petiuit. In Perſide ſanctorum martyrum trecentorum & decem[c]. Callij via Flaminia paſſio ſancti Gerontij[d] Epiſcopi Ficodenſis. In caſtro Vindecino depoſitio ſancti Beati[e] confeſſoris. Conſtantinopoli Tranſlatio ſanctorum[f] Andreæ Apoſtoli, & Lucæ Euangeliſtæ de Achaia, & Timothei diſcipuli beati Pauli Apoſtoli ab Epheſo: corpus autem ſancti Andreę longo pòſt tẽpore Amalphim delatum, ibi pio fidelium concurſu honoratur: ex cuius ſepulchro liquor ad languores curandos iugiter manat. Romæ item Tranſlatio ſancti Hieronymi[g] preſbyteri & Eccleſiæ doctoris ex Bethlehem Iudæ ad baſilicam ſanctæ Mariæ ad Præſepe. Barij quoque in Apulia Tranſlatio S. Nicolai[h] Epiſcopi ex Myra ciuitate Lyciæ.

## M A I I 9.

[a] GREGORII Epiſcopi.] De eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac denique ceteri Latinorum, Græci autem in Menologio xiiij. Kalend. Februarij, qua die (vt aiunt) exaltationem corporis Gregorij Theologi celebrant: rurſus autem viij. Kalend. Februarij de eodem ſolemniorem agunt diem, vt apparet ex conſtit. Emmanuelis Imp. tit. de feriis. Suas res geſtas carminibus ipſemet ex parte digeſſit: vnde & Gregorius preſbyter, quæ in encomio de Gregorio Nazianz. ſcripſit, accepiſſe videtur. Addidimus nos quamplurima ex auctoribus vetuſtis atque probatis petita, quæ per annos ſingulos in Annal. Eccleſ. digeſſimus; vnde etiam vitam ipſius, amicis efflagitantibus, deſcripſimus: quam Summo Pontifici Sanctiſſimo D.N. Gregorio XIII. tanti Patris ſtudioſiſſimo obtulimus, eo potiſſimùm tempore, quo ille totius Vrbis exultatione celeberrimam corporis eius à ſacrarũ virginum ordinis ſancti Benedicti monaſterio in Campo Martio ad Gregorianum ſacellum præclariſſimo opere ac maxima impenſa in Vaticana baſilica Principis Apoſtolorũ extructum, tranſlatione peregit; de qua inferiùs ſuo loco dicemus.

[b] Hermæ.] Agunt de eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij Latinorum, Græci autem in Menologio Non. Martij. Hic auctor eſt illius voluminis, quod titulo Paſtoris inſcribitur, vt teſtatur S. Hieron. de ſcript. Eccleſ. in Herma. Conſentiunt omnes de hoc agere Paulum ad Romanos ſcribentem c. 16.

[c] Martyrum trecentorum & decem.] Sic Vſuardus, Ado, & vet. manuſcrip. Beda autem quadringentos numerat: quando verò hi paſſi ſint, nullus prodit.

[d] Gerontij Epiſcopi.] Putatur hic ille Gerontius, qui affuit Symmacho Papæ in Cõcilio quarto Romano, Cnſſ. Rufo & Auieno, anno à Chriſto Domino 502. Alius eiuſdem nominis eodem ſæculo vixit Epiſcopus Camerinenſis, interfuitq; Romano Concilio ſub Hilaro Papa. Rurſus alius in Galliis temporibus ſancti Leonis Rom. Pont. numeraturque inter eos Galliarum Epiſcopos, ad quos ſanctus Leo ſcripſit epiſt. 52. Quo etiam tempore claruit ſanctus Gerontius Epiſcopus Mediolanenſis, de quo ſuprà iij. Non. Maij. Legimus huius, de quo hìc agitur, res geſtas, quæ incipiunt: Ab exordio naturæ, &c. ſunt eiuſmodi tamen, vt indigeant exacta eruditorum cenſura, vt expurgentur.

[e] Beati.] Agit de eodem hac die Beda, Vſuardus, & alij recentiores, itemque Conſtantienſis Eccleſiæ monumenta.

[f] Tranſlatio ſanctorum Andreæ, Lucæ, & Timo-

Timothei. ] De eadem Vſuardus; Beda autem & Ado hîc tantùm de tranſlatione Timothei, ea de cauſa puto, quoniam ſeorſum ab his tranſlatę fuiſ reliquiæ S. Timothei, anno vigeſimoprimo Conſtantij Imp. vt ſcribit S. Hieron. in Chron. Porrò Andreæ & Lucæ reliquias tranſlatas eſſe anno 23. eiuſdem Imp. idem auctor affirmat: licet in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſt. in Luca dicat, tam ſancti Andreæ, quàm S. Lucæ reliquias Conſtantinopolim eſſe tranſlatas anno vigeſimo Conſtantini, vel (vt alij codices habent) Conſtantij. Agens idem auctor aduerſus Vigilantium, eaſdem ſub Conſtantino profitetur eſſe tranſlatas, dum hæc ait per ironiam: Sacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui ſanctas reliquias Andreæ, & Lucæ, & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim, apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantij illorum ſe ſentire præſentiam confitentur? Hęc Hieron. Quæ quidem verba conuenire Conſtantio non poſſe, compertum eſt; quem Arianum fuiſſe, omnes norunt. Mirum ſanè in vnius eiuſdemque auctoris ſcriptis tantam reperiri diſcrepantiam. Verùm ſi fides adhibenda eſt Artemij martyris Actis, quæ recitat Metaphraſtes die 28. Octobris, quibus & adſtipulatur Niceph. hiſt. l. 10. c. 11. Conſtantij & non Conſtantini temporibus id factum eſſe, fatendum eſt: ſiquidem ipſe Artemius Auguſtali præfectura nobilitatus, eiuſmodi tranſlationis negotium ſibi tamquam viro religioſiſſimo traditum à Conſtantio Imperatore curauit. Theodorus lector li. 2. collectan. id etiam ſub Conſtantio factum affirmat: additque Andreæ & Lucæ reliquias tranſlatas quinto Nonas Martij, Timothei autem ad octauum Kalend. Iulij, hiſque diebus locatas eſſe Conſtantinopoli in magno templo ſanctorum Apoſtolorum. Procopius libro 1. de ædif. Iuſtiniani Imp. de reſtitutione eiuſdem baſilicæ, deque iterùm adinuentis tunc ibi dictorum Apoſtolorum ſacris corporibus hæc ait; Erat antiqua apud Byzantium ædes Apoſtolis conſecrata, lõgitudine temporis iam emota, & quæ (vt ſuſpicabatur) ampliùs ſtare non poterat: hanc inſtaurauit Iuſtinianus Imp. pro dignitate. Vbi latomi & artifices, effoſſo fundamento, inuenerunt ligneas arcas tres, inſculptis litteris indicantes, trium ſcilicet Apoſtolorum eſſe corpora, Andreæ, Lucæ, & Timothei; quæ Rex ipſe & omnes Chriſtiani maximo cum honore conſpexerunt, &c. De iiſdem in vita ſancti Eutychij Epiſcopi Conſtantinopolitani Euſtathius preſbyter agit. Fuerat olim templum illud à Conſtantino Magno erectum, vt teſtatur Euſebius in vita Conſtantini lib. 4. cap. 50. & 60. & Socrat. lib. 1. cap. 12. & 26. in fine, vbi hæc ait: Quam quidem Eccleſiam eam ob cauſam Conſtantinus ædificauerat, ne Imperatores & ſacerdotes Apoſtolorum reliquiis aliquando deſtituerentur, &c. Quibus profectò annuit, aliquas Apoſtolorum reliquias illuc tempore Conſtantini eſſe tranſlatas. In re autem ambigua ita animo affectus ſum, vt definire controuerſiam, certamque de ea re ferre ſententiam, non præſumam. De tranſlatione ſancti Andreæ iterùm facta Amalphim, in archiuis illius eccleſiæ rei geſtæ monumenta continentur. De perenni miraculo ſcaturientis inde liquoris medici ad curandos morbos, totus pænè Chriſtianus orbis eſt teſtis: in omnes enim regiones ex eo fonte fluxere riui. Et ſi de his quæris teſtimonium antiquorum, habes Gregorium Turonen. libro de gloria mart. cap. 31. Ad hæc addimus, quòd in bibliotheca Vaticana plut. 3. num. 153. eſt codex peruetuſtus dialogorum ſancti Gregorij Papæ, ante cuius exordium prima pagina deſcribitur hiſtoria de legatione eiuſdem Gregorij Conſtantinopolim, cùm eſſet diaconus, ad Tiberium Imp. à quo obtinuit brachium S. Andreæ Apoſtoli, nec non & brachium S. Lucę Euangeliſtæ, quæ ſacra pignora ſecum detulit Romam. Eſt quidem ea pagina præ nimia antiquitate pęnè cõſumpta. Ibidem autem poſt libros dialogorum mentio habetur de eodem Gregorio, quòd anno ſecundo ſui Pontificatus dedicauit eccleſiam S. Andreæ ad Cliuum Scauri, vbi adhuc eiuſdem S Apoſtoli brachium aſſeruatur. Caput autem eiuſdem ſanctiſſimi Apoſtoli ad ædes ſacras eius germani Romam in Vaticanum à Pio Secundo delatum, ibi decentiſſimè aſſeruatur; cuius rei geſtæ hiſtoriam tunc editam in manuſcr. codice legimus: eſt eius exordium: Si quæ ſunt memoriæ commendanda, &c. vbi & pientiſſima oratio legitur, qua ſanctiſſimus Papa trans pontem Miluium flexis genibus, madidis oculis, exceptutus venerandum caput, ſic effari cœpit: Aduениſti tandem, ô ſanctiſſimum, &c. Legitur ibidem & ſacer hymnus de eadem re editus eiuſdem Pontificis iuſſu ab Agabito Epiſcopo Anconitano, itemque luculentiſſima oratio Beſſarionis Cardinalis ampliſſimi, necnon & Rom. Pontificis ad eum reſponſio, aliaque ſolemnia ſacroſanctè peracta narrantur.

[g] Tranſlatio ſancti Hieronymi. ] Agit hîc Petrus in catal. lib. 4. cap. 145. de duplici tranſlatione corporis ſancti Hieronymi: quarum prima, quam recenſet factam ſub Cyrillo Epiſcopo Ieroſolymitano, nullius auctoris teſtimonio conteſtatam, veluti falſam reſpuimus: obiit enim ſanctus Cyrillus ante Hieronymum, vt ipſius Hieronymi auctoritate probatur, dum ait, eum tantùm perueniſſe ad octauum annum Theodoſij Imp. qui fuit annus à Chriſto 386. Sanctus Hieronymus autem ex humanis deſiit Theodoſio Iuniore nonùm & Conſtantio tertiùm Coſſ. qui eſt annus à Chriſto 420. Secundam autem tranſlationem, quam factam aſſerit cùm Sarraceni Palæſtinam inuaſiſſent, vt veram libenti animo ſuſcipimus atque probamus, in cuius memoriam præſens celebritas annis ſingulis agi conſueuit.

[h] Tranſlatio ſancti Nicolai Epiſcopi. ] Huius rei geſtę hiſtoriam ſcripſit Ioannes archidiaconus ad Vrſionem Barenſem Epiſcopum, vt teſtatur Vinc. li. 25. c. 83. Recenſet eam Sur. to. 7. hac die. Scripſiſſe inſuper eamdẽ hiſtoriam Nicephorum Barenſem, adhucque in manuſcrip. latitare, tradit Molanus. Sigebert. in chron. de ea agens, factam ſcribit anno Domini 1087. id ipſum idem Ioannes teſtatur. Ex eiuſdem ſancti Antiſtitis corpore, vt è perenni quodam chariſmatum fonte, ſtillat liquor ſalubris, ſicut olim cùm eſſet Myræ: quamobrem Emmanuel Imp. dum de eo agit in conſtit. nouella de feriis, his titulis eum exornat: Nicolaus miraculis inſignis, vnguentorum fragrantia ſcatens, &c. Extat apud Theod. Balſam. in nomoc. Photij titul. 7. cap. 1. Deus opt. maximus cùm multis modis ſanctorum ſuorum cineres illuſtrarit, eo etiam honore dignatus eſt, vt ex aridis oſſibus (vt olim ex aſini maxilla,

qua Samſon Philiſthæos deleuit, aquæ fontem manare fecit, Iudic. cap. 15.) liquorem medicamenti vim habentem ad curandas malas valetudines, & impios hagiomachos conuincendos, iugiter fluere voluerit: idque non tantùm Andreæ Apoſtoli, ac Nicolai, ſed & aliorum complurium ſanctorum ſacris reliquiis præſtitit; de quibus ſuis locis dicetur inferiùs.

xix. D **Sexto Idus Maij. Luna.** 10

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | | | |

ROMÆ via Latina natalis ſanctorum Martyrum Gordiani [a] & Epimachi; quorum prior pro confeſſione nominis Chriſti tempore Iuliani Apoſtatæ diu plumbatis cæſus, & ad vltimum capite truncatus, noctu à Chriſtianis ſepultus fuit eadem via in crypta, in quam beati Epimachi martyris reliquiæ paulò antè tranſlatæ fuerant ab Alexandria, vbi ille pro Chriſti fide martyrium compleuerat. In terra Hus ſancti Iob [b] prophetæ, admirandæ patientiæ viri. Romæ beati Calepodij [c] preſbyteri & martyris, quem Alexander Imperator gladio fecit occidi, & corpus eius per ciuitatem trahi, atque in Tiberim iactari; quod inuentum Calliſtus Papa ſepeliuit. Decollatus eſt etiam Palmatius [d] Conſul cum vxore & filiis, & aliis promiſcui ſexus quadragintaduobus de domo ſua: Simplicius quoque ſenator cum vxore, & ſexagintaocto de familia ſua: item & Felix cum vxore ſua Blanda: quorum capita ſuſpenſa ſunt per diuerſas portas Vrbis ad exemplum Chriſtianorum. Item Romæ via Latina ad Centum aulas natalis ſanctorum martyrum Quarti [e] & Quincti, quorum corpora Capuam tranſlata ſunt. Apud Leontinos in Sicilia ſanctorum martyrum Alphij [f], Philadelphi, & Cyrini. Smyrnæ ſancti Dioſcoridis [g] martyris. Apud Tarentū ſancti Cataldi [h] Epiſcopi miraculis clari. Mediolani Inuentio [i] ſanctorum martyrum Nazarij & Celſi, quando beatus Ambroſius Epiſcopus ſancti Nazarij corpus recenti adhuc ſanguine conſperſum reperit, atque ad baſilicam Apoſtorum tranſtulit, vnà cum corpore beati Celſi pueri, quem idem ipſe nutrierat, & Anolinus in Neronis perſecutione ſimul cum eo gladio feriri iuſſerat quinto Kalendas Auguſti, quo die feſtiuitas eorum martyrij celebratur.

## MAII 10.

GORDIANI & Epimachi [a]. ] De his item Beda, Vſuardus, & alij, Greci autem in Menologio pridie huius diei. Horum Acta recitat Surius tom. 3. & Mombrit. tom. 1. Qua quidem in re admonemus iterùm Lectorem, carnificinas illas, quas Romæ in Chriſtianos exerceri ſolitas temporibus Iuliani ferunt, non ab ipſo Iuliano, ſed ab Aproniano Præfecto Vrbis inſtitutas. Quæ vt dilucidiora fiant, ſcire oportet, Iulianum, antequam inuaderet Imperium, cùm in Galliis moraretur cum exercitu, ne cordis impietatem eo tempore conſiliis ſuis nondum opportuno proderet, ſe Chriſtianum profeſſum eſſe, atque ad Chriſtianorum ſynaxes etiam conuenire conſueuiſſe, vt ex Ammiano Marcellino ſatis liquet. Inſuper (vt auctor eſt

eſt ſanctus Hilarius libel. aduerſus Conſtantium) Idem Iulianus fauit Catholicis, deq; Orthodoxa fide tunc ab Arianis vexata eſt optimè meritus. Poſtquam verò ab exercitu acclamatus eſt Imperator, eueſtigiò recedẽs è Galliis, in Orientem aduerſus Conſtantium duxit exercitũ: quo interim defuncto, cùm eſſet Antiochiæ, tacitam aduerſus Chriſtianos exercuit perſecutionẽ, delectis ad hoc iis prouinciarũ Pręſidibus, quos infeſtiſſimos eſſe nouerat Chriſtianis: & inter alios (vt idem Marcellinus teſtatur) Romanę vrbis præfecturam delegauit Aproniano; qui in Chriſtianos, non Chriſtianitatis titulo, ſed quaſi in maleficos, hoc eſt, veneficiis & magicis cantionibus deditos exercuit quæſtiones, grauiſſimaque inſontibus ſupplicia irrogauit. Acceſſit ad ſæuitiam hominis exacuendam, quòd eo tempore diuino iudicio orbatus altero oculo, id acceptum tulit maleficiis Chriſtianorum. Concitarũt etiam peſſimi hominis impetum infideles, dum eodem tempore Romæ Apollinis templum incendio conflagrauit. Hæc habes ex eodem auctore lib. 21. 23. & 26. Ex quibus omnibus tam horum martyrum Acta, quàm ceterorum, potiùs ſub Iuliano, quàm coram Iuliano Romæ actitata intelligas. Illum enim Romę aliquando fuiſſe, præſertim poſt adeptum Imperium, nullus probatorum antiquorum auctorum teſtimonio poterit affirmare. Horum ſanctorum martyrum, de quibus agitur, ſacras reliquias tranſlatas eſſe in Alemaniam, ſcribit Hermannus in chron. anno Domini 770. de iiſdem martyribus extat nobile epigramma Bonad. lib. 2. mon. 62.

[b] Iob Prophetę.] De eodẽ hac die Beda, Vſuardus, Ado, & ali[illegible] Latinorũ, Gręci autem in Menologio octauo Id. Maij: iidemq; eumdem Prophetam appellant ob multa præuiſa atque prænuntiata vſque ad ſæculi conſummationem diuina conſilia: quę tum S. Gregorius in Moralibus, tum alij plerique qui in ipſum commentarios ſcripſerunt, communi omnium ſententia profitentur.

[c] Calepodij.] Agunt de eodem iidem qui ſuprà, Beda, ac ceteri. Eius res geſtæ habentur in Actis ſancti Calliſti Papæ, apud Sur. tom. 5. 14. Octob. Fuit nomine Calepodij nobile cœmeterium via Aurelia, extra portam Ianiculenſem, & oſtenditur adhuc (vt ferunt) in eccleſia S. Pancratij. Habetur de eo frequens mentio in Martyrologiis. Extat de eodem Calepodio carmen Bonad. li. 2. monod. 61.

[d] Palmatius Conſul.] In iiſdem Actis S. Calliſti de eodem agitur. Cùm hic Conſul dicatur, non puto ordinarium, cùm non recenſeatur in Faſtis; ſed ex ſuffectis, ſeu allectis opinor; de quibus quidem Auſonius in oratione habita in ſuo Conſulatu ait, ſub quibus Conſulibus hi Conſulatum geſſiſſent, quærere opus fuiſſe. De Simplicio ſenatore ac ceteris, quorum hìc mentio habetur, conſule eadem Calliſti Acta.

[e] Quarti & Quincti.] De his item hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Horum nomine cœmeterium eſt appellatum, de quo Panuinius lib. de cœmet. ex tabulis Vaticanis.

[f] Alphij & ſoc.] Græci etiam de his agunt hac die in Menologio. Legimus horum Acta è Gręcis Latinè reddita, excuſaque ab eccleſia Leontina accepta: in quibus tamen aliqua ſunt corrigenda, atque in primis quòd habent hos paſſos ſub Licinio Imperatore, cui quidem aptare non poſſunt quæ ibi narrantur, ſed potiùs Decio. At ne mihi alienos labores ſumere videar, hæc ipſa Acta, aliaque pęnè omnia ex diuerſis extra Vrbem eccleſiarum archiuis accepta, quorum in his annotationibus frequenter meminimus, in vnum colligere, fuit operis & induſtriæ R. P. Antonij Talpæ Senetinatis, noſtræ congregationis bibliothecæ pręfecti, qui in his colligendis diligens ſtudium officiumque laudabiliter impendit.

[g] Dioſcoridis.] Agunt de eodem hac die Gręci in Menologio, vbi etiam eius certamen paucis enarratur.

[h] Cataldi Epiſcopi.] De eo Petrus in catalogo libro quarto, capite 143. Agitur hac die venerandi corporis eius inuentio, natalis autem dies octauo Idus Maij. legimus eius Acta in officio eccleſiaſtico eiuſdem ſancti nuper reſtituto iuxta ritum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ.

[i] Inuentio ſanctorũ martt. Nazarij & Celſi.] De qua etiam tabulæ eccleſiæ Mediolanenſis. Rei geſtæ hiſtoriã ſcribit Paulinus in Ambroſio, Præfatio eiuſdem, aliaq; vetera monumenta. Plura de his dicturi ſumus inferiùs in natali die ipſorum.

11 Quinto Idus Maij. Luna. E xvlij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ | |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | | |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | | | | |

ROMÆ via Salaria natalis beati Anthymi[a] presbyteri, qui poſt virtutum & prædicationis inſignia, in perſecutione Diocletiani in Tiberim præcipitatus, & ab Angelo exinde ereptus, oratorio proprio reſtitutus eſt: deinde capite punitus, victor migrauit ad cælos. Eodem die S. Euellij[b] martyris, qui cùm eſſet de familia Neronis, ad paſſionem S. Torpetis in Chriſtum credidit, pro quo & decollatus eſt. Item Romæ ſanctorum martyrum Maximi[c], Baſſi, & Fabij, qui ſub Diocletiano via Salaria cæſi ſunt. Camerini

merini ſanctorum martyrũ [d] Anaſtaſij & ſociorum, qui in perſecutione Decij ſub Antiocho præſide cæſi ſunt. Auximi in Piceno ſanctorũ martyrum Siſinij [e] diaconi, Diocletij, S. Florentij diſcipulorum S. Anthimi preſbyteri, qui ſub Diocletiano lapidibus obruti, martyrium compleuerunt. Varennis S. Gangulphi [f] martyris. Viennæ S. Mamerti [g] Epiſcopi, qui ob imminentem cladem ſolemnes ante Aſcenſionem Domini triduanas Litanias in ea vrbe [h] reſtituit *: quem ritum poſteà vniuerſalis Eccleſia recipiens comprobauit. Apud Siluiniacum depoſitio S. Maioli [i] abbatis Cluniacenſis, cuius vita ſanctis meritis fuit præclara. In Piceno apud Septempedanos S. Illuminati [k] confeſſoris.

*inſtituit.

## M A I I 11.

ANTHIMI [a].] De eodem hac die die Beda, Vſuardus, Ado, aliique recentiores. Extãt eius Acta, quæ retulit Sur. in tom. 3. vbi etiam recitat ſermonem Petri Damiani de eodem martyre.

[b] Euellij.] Beda de eo item agit hac die. Eius res geſtæ iunctæ ſunt Actis S. Torpetis martyris, quæ legimus in manuſcrip. Edidit ea Mombrit. tom. 2. Meminit & Petrus in catal. lib. 5. cap. 8.

[c] Maximi & ſoc.] Agitur de his etiã in Actis S. Anthimi mart. cuius nuper meminimus.

[d] Anaſtaſij & ſoc.] Legimus horum Acta in rebus geſtis S. Venãtij martyris, acceptis ab eccleſia Camerinenſi, ſed cenſura aliqua caſtigandis.

[e] Siſinij & ſoc.] Horum res geſtæ intextæ habentur in prædictis Actis S. Anthimi.

[f] Gangulphi.] Extant eius Acta, quæ recitat Sur. tom. 3. Plura habentur de eo in Breuiario & Miſſali eccleſiæ Auguſtanæ. Henricus de Erford. cap. 67. Vincentius lib. 3. cap. 159. Martin. Polon. in chron. anno Domini 756. & alij plures.

[g] Mamerti Epiſcopi] Agunt de eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Qualis autem quantúſve hic fuerit, indicant epiſtolæ Sidonij Apollinaris, qui eum nouit, & familiariſſimè vſus eſt, epiſt. 11. lib. 4. & lib. 7. epiſt. 1. De eo præterea Alcimus Auitus, qui ſecundus poſt eum factus eſt Viennenſis Epiſcopus, in homilia quam de Rogationibus habuit; Gregor. Turon. hiſt. Franc. li. 2. cap. 34. Ado Viennen. in chron. ann. Dom. 396. & 452. quę & Surius collegit in vnum to. 3. hac die. Hi etiam qui agũt de diuin. offic. eiuſdem meminerunt, vt Albin. Flac. c. 67. Amal. cap. 37. & alij, vt Sigebertus in chron. an. 468. Regino an. 421. Fuit alius eiuſdem nominis Epiſcopus Lingonienſis, de cuius corporis inuẽtione agitur in vita S. Annonis Epiſc. Colon. li. 1. c. 38. apud Surium to. 6. die 4. Decemb. quem Martinum ab aliis dictum reperi.

[h] In ea vrbe reſtituit.] Sic poſitum, vt intelligas longè ante ſanctum Mamertum Rogationes illas ante Aſcenſionem Domini fuiſſe ſolitas celebrari, vt ex Auguſtino & Sidonio Apollinari ſuperiùs demonſtrauimus in not. diei 25. Aprilis. Porrò S. Mamertus ſolertiori cultu eaſdẽ in Viennenſi eccleſia celebrandas indixit: quem ritum (vt hîc habet Martyrologium) vniuerſalis Eccleſia recipiens, comprobauit. Conſule quæ de Rogationibus dicta die ſuperiùs ſunt notata.

[i] Maioli abb.] Suffectus eſt hic Ademaro anno Domini nongenteſimo quadrageſimo quarto, peruenitque vſque ad annum 993. vt ſcribit Sigebertus in chron. Numeraturque tertius ordine eiuſdem cœnobij Cluniacenſis abbas. Meminit eiuſdem S. Bernardus in apol. ad Gulielm. abbatem. pluribus Petrus Cluniacen. lib. 2. mirac. cap. 31. Lambert. in chron. anno 995. Trithem. de vir. illuſtr. ord. ſancti Bened. lib. 3. cap. 210. Porrò eius res geſtas vberiùs cumulatas Surius habet tomo 3. hac die.

[k] Illuminati.] Eius ſacrum corpus religioſè ſeruatur & colitur apud Sancto ſeuerinates, qui olim Septẽpedani dicebãtur, in monaſterio S. Mariani.

xvij. F **Quarto Idus Maij. Luna.** 12

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | | | |

ROMÆ via Ardeatina ſanctorum martyrum Nerei & Achillei [a] fratrum: qui primò cum Flauia Domitilla, cuius erant eunuchi, in inſula Pontia longum pro Chriſto duxerunt exilium; poſtmodum grauiſſimis verberibus attrectati ſunt: deinde cùm à Memmio Rufo Conſulari equuleo & flammis

ad

ad immolandum compellerentur, dicerentque ſe à beato Petro Apoſtolo baptizatos, nulla ratione poſſe idolis immolare, capite cæſi ſunt. Horum ſacræ reliquiæ Romæ ex diaconia S. Hadriani in reſtauratum antiquorum eorum Titulum, vbi olim reconditæ aſſeruabantur, ſolemniter iuſſu Clementis Papæ Octaui tranſlatæ ſunt pridie huius diei. Ibidem via Aurelia [b] S. Pancratij [c] martyris, qui cùm eſſet annorum quatuordecim, ſub Diocletiano martyrium capitis obtruncatione compleuit. Item Romæ S. Dionyſij [d] patrui eiuſdem beati Pancratij. In Sicilia S. Philippi [e] Argyrionis, qui à Romano Pontifice ad eam inſulam miſſus, magnam illius partem ad Chriſtum conuertit: cuius ſanctitas in liberandis energumenis maximè declaratur. Salaminæ in Cypro ſancti Epiphanij [f] Epiſcopi, qui multiplici eruditione & ſacrarum litterarum ſcientia excellens, vitæ quoque ſanctitate, zelo Catholicæ fidei, munificentia in pauperes, & virtute miraculorum extitit admirandus. Conſtantinopoli ſancti Germani [g] Epiſcopi, virtutibus & doctrina inſignis, qui Leonem Iſauricum aduerſus ſacras imagines edictum promulgantem, magna fiducia redarguit. Treuiris ſancti Modoaldi [h] Epiſcopi. In ciuitate Calciatenſi ſancti Dominici [i] confeſſoris.

## M A I I 12.

NEREI, & Achillei, aliàs Archillei [a].] De his hac item die Beda, Vſuard. Ado & alij. Eorum Acta recitat Surius to. 3. Fuit vetus Romę Titulus nomine horum martyrum, cuius habetur mentio in regiſt. S. Gregorij Papæ li. 4. epiſt. 44. vbi idē Gregorius habuit homil. 28. in Euang. Erant ibidem ſepulta eorumdem martyrū corpora, ſimulq; Flauiæ Domitillę; quibus alludit, cùm ait: Sancti iſti, ad quorum tumbam conſiſtimus, florentem mundum mentis deſpectu calcauerunt, &c. Quæ tria ſacra corpora hoc ipſo anno, quo hæc denuò cudimus, M.D.XCVII. quinto Id. Maij, ex diaconia S. Hadriani, quo ſub Gregorio Nono tranſlata fuerant, ac demū ſub Sixto V. ab Auguſtino Cuſano eiuſdem eccleſiæ tunc diacono Card. in altari maiore à ſe magnificentiùs extructo decentiùs collocata, nos reſtituto Titulo, S. D. N. Clemente Octauo concedente, in ſuum priſtinum locum celebri pompa reduximus vnà cum eorum capitibus thecis auratis incluſis. Horum item ſanctorum nomine appellatum eſt cœmeterium via Ardeatina, quod reſtituit Ioannes Papa, vt legitur apud Anaſtaſ. in lib. de Rom. Pontif. in Ioanne Papa Primo.

[b] Item via Aurelia.] De duplici via Aurelia, veteri & noua, conſule ea quæ Panuin. lib. de Vrbe Roma pag. 107. 109. & 122. pluribus ſcribit.

[c] Pancratij.] Iidem qui ſuprà de eodem agunt hac item die. Extant eius Acta, quæ & ſincera in aliquibus eccleſiis legi conſueuerunt. Habet ea Surius to. 3. De miraculis ad ſepulchrum eius aduerſus periuros fieri ſolitis ait Gregorius Turon. de glor. mart. c. 39. Extat vetus memoria eiuſdem via Aurelia, vbi S. Gregorius Papa habuit homil. 27. in Euang. Ibidem & venerandum corpus eius ſepultum eſt. Vnde hæc ibi in fine: Ad martyris tumbam conſiſtimus, qui ad cæleſte regnum ex qua morte peruenerit, ſcimus, &c. Abſtulit olim eam eccleſiam idem S. Gregorius à presbyteris negligenter curantibus, deditque monachis, qui (vt ait) ad ſanctiſſimum martyris corpus quotidie opus Dei peragerent. Exſtat de his epiſt. 18. lib. 5. regiſtr. De eiuſdem reliquiis idem lib. 7. epiſt. 86. & lib. 8. epiſt. 63. Porta Ianiculenſis, ſeu Aurelia antiquitus dicta, ex eiuſdem ſancti nomine appellata eſt Porta S. Pancratij; nec id nouiter, ſed antiquitus, vt conſtat ex Procop. lib. 1. de bell. Goth. De reliquiis eiuſdem ſancti in Gallias tranſlatis agit Gregorius Turon. lib de glor. mart. c. 83. Scripſit de S. Pancratio epigramma Bonad. in monod. 63. lib. 2.

[d] Dionyſij.] De eo item Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Certamen & corona eius deſcribitur in prædictis Actis S. Pancratij.

[e] Philippi.] De quo plura ſcribit Fazel. de rebus Siculis decad. 1. lib. 10. Accepimus eius res geſtas manuſcriptas, quarum eſt exordium: In diebus Arcadij Imperatoris, &c.

[f] Epiphanij.] De eodem hac die Latini omnes, & Græci in Menolog. vbi ſidem teſtantur eum vixiſſe annos centum & quindecim minus menſibus tribus. Pluribus de eo S. Hieron. lib. de ſcript. Eccleſ. in epiſt. 61. ad Ioannem Epiſcopum Ieroſolymitanum, & in apol. 2. aduerſus Ruffinum. Adeò ſpectatæ ſanctitatis vir fuit, vt licet aduerſus Arianos ſemper ſtrenuè decertaſſet, ipſi tamen Ariani, & eorum patronus Valens Imperator eum reueriti, quidquam moleſtiæ ei inferre auſi non ſint, vt idem S. Hieron. ſcribit epiſt. 61. his verbis: Epiphanius Epiſcopus Cypri à Va-

à Valente non tangebatur: tantæ enim venerationis ſemper fuit, vt regnantes hæretici ignominiam ſuam putarent, ſi talem virum perſequerentur. Hæc S. Hieron. Cùm autem alicubi Salaminæ, alicubi verò Conſtantiæ Epiſcopus dictus reperiatur; non exiſtimes hæc inter ſe pugnare: nam Salamina etiam Conſtantia dicta eſt: quod & expreſsè teſtatur S. Hieron. in epiſt. 27. in epitaphio S. Paulæ ad Euſtochium. Exſtat Theophili Epiſcopi Alexandrini ad eum epiſt. 67. apud Hieron. tom. 2. eumq; ſummopere laudat. De eo plura Socrat. hiſt. lib. 6. cap. 11. & ſequen. Sozom. lib. 7. c. 26. & lib. 8. c. 14. & 15. & Niceph. lib. 2. c. 46. lib. 13. c. 13. & 14. & illi omnes etiam qui ſcripſerunt res geſtas Ioannes Chryſoſtomi, vt Leo Imp. Georgius Alexand. Metaphraſtes, Suidas, & alij. Pluribus autem eius Acta conſcripta edidit Metaphraſtes, de quorum parum fida integritate egimus in Annal. Eccleſ. Mentio habetur de eodem in Nicæna Synodo ſecũda; & quem prætericram, meminit eiuſdem S. Aug. lib. de hæreſ. ad Quoduultdeum. Longęuam ætaté Epiphanij ex eo conſiderare poſſumus, quòd ab incunte ętate verſatus eſt cum ſancto Hilarione, vt ſcribit S. Hieron. in Hilarione, & Sozom. lib. 6. c. 32. Eratq; adhuc iuuenis S. Hilarion, quando S. Epiphanius iam adoleſcens monaſticam amplexatus eſt diſciplinam, vt eius Acta teſtantur: qui quidem Hilariõ octoginta annos natus vita ſunctus eſt anno Domini trecenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, vt oſtendemus inferiùs in natali die ipſius: S. Epiphanium autem conſtat ſuperſtitem adhuc fuiſſe ſeptimo anno Arcadij Imp. Vincentio & Frauitta Coſſ. qui adſcribitur à recentioribus annus à Chriſto Domino quadringenteſimus primus. Sepulchrũ S. Epiphanij pluribus eſſe nobilitatum miraculis, ſcribunt Sozom. lib. 7. cap. 26. & Niceph. lib. 12. c. 46. Fuit eidem poſt obitum erecta baſilica, eademque ſacris imaginibus exornata, vt apparet ex Act. 6. ſanctæ Synodi Nicænæ ſecundæ.

[g] Germani Epiſcopi.] Agunt de eo item Græci hac die in Menologio, vbi eius natalis, genus, & Acta narrantur. De eo Nicephorus Epiſcopus in chron. Zonaras in Leone Iſaurico, & Cedren. in comp. hiſtor. miſcel. anno 14. eiuſdem Imp. lib. de Roman. Pontificibus in Gregorio Secundo Papa, Conſtantius Epiſc. in encomio de tranſlatione reliquiarum S. Euphemiæ, quod recitat Lipom. to. 6. Exceſſit ex hac vita, annum agens ſuæ ætatis nonageſimum, vt in Gręcorum Menologio legitur. Reliquit inter alia ſui ingenij monumenta theoriam rerum Eccleſiaſticarum.

[h] Modoaldi Epiſcopi.] Huius Acta recitat Surius tomo 3. ſcripta à Stephano abbate Leodien. apud quem lib. 3. agitur de miraculis eius. Vixit ſub Pipino Rege Francorum, cuius tempore ordinatus eſt Epiſcopus, vt in vita ipſius habetur lib. 2. cap. 8. Cœpit Pipinus regnare anno Domini ſeptingenteſimo quinquageſimoprimo.

[i] Dominici.] De eodem etiam Molanus in addit. ad Vſuardum edit. ſecundæ. Pluribus in Flore ſanct. Hiſpan. De ipſo agitur & in Theſaur. concion. tomo 2. Migraſſe ferunt ex hac vita circa annum Domini milleſimum & ſexageſimum.

## xvj. G Tertio Idus Maij. Luna. 13

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | | | |

ROMAE Dedicatio [a] eccleſiæ ſanctæ Mariæ ad Martyres, quam beatus Bonifacius Papa Quartus, expurgato deorum omnium veteri fano, quod Pantheon vocabatur, in honorem beatæ ſemper Virginis Mariæ & omnium Martyrum dedicauit, tempore Phocæ Imperatoris. Conſtantinopoli beati Mucij [b] preſbyteri & martyris, qui ſub Diocletiano Imperatore, & Laodicio Proconſule, primò Amphipoli multis pœnis atque cruciatibus ob Chriſti confeſſionem afflictus, poſteà Byzantium vſque perductus, capitali ſententia occubuit. Heracleæ ſanctæ Glyceriæ [c] martyris Romanæ, quæ ſub Antonino Imperatore & Sabino Præſide paſſa eſt. Alexandriæ commemoratio [d] plurimorum ſanctorum martyrum, qui ob fidem Catholicam ab Arianis in eccleſia Theonę occiſi ſunt. Apud Traiectũ ſancti Seruatij [e] Tungrenſis eccleſię Epiſcopi; ad cuius meritum omnibus demonſtrandũ, cùm tempore hiemis omnia in circuitu nix repleret, ſepulchrum eius numquam operuit, donec induſtria ciuiũ baſilica ſuper illud ædificata eſt. In Palęſtina S. Ioannis [f] Silentiarij.

MAII

# MAII 13.

DEDIC. eccleſ. S. Mariæ ad Martyres[a].] Agit de eadem ſolemnitate Beda hac die. Quantum obſeruare potui, comperi vſque ad S. Gregorij Papæ tempora idolorum templa à Chriſtianis vt plurimùm vel fuiſſe deiecta, vel ſi quæ intacta remanſerunt, eadem, vt loca dæmonum, indigna exiſtimata eſſe, in quibus Deo vero religionis cultus exhiberetur, ſecundùm illud Apoſtoli 2. ad Corinth. cap. 6. Qui conſenſus templo Dei cũ idolis? Vnde idem S. Gregorius Papa, qui Bonifacium Quartum, qui Pantheon in Dei eccleſiã mutauit, vix ſpatio trium annorum præceſſit, ſcribens ad Regem Anglorum nuper ad Chriſtum cõuerſum epiſt. 60. li. 9. Indict. 4. monuit vt idolorum templa euerteret. Inde autem conſiderans, infirmis adhuc in fide concedendum aliquid ſcribens ad Mellitum Epiſc. epiſt. 71. lib. 9. Indict. 4. pręcepit ne idolorum templa deſtruerentur, ſed iuxta ritum ibi præſcriptum expiarentur primùm, indeq; ſanctorum illatis reliquiis, ſanctificarentur: quod & poſteris deductum eſt in exemplum. Si enim optaſſent Chriſtiani idolorum templa in eccleſiarum vſum conuertere, nullatenus mirifica illa templa Serapidis Alexandriæ, Marnæ Gazæ, Iouis Apameæ, Cæleſtis Carthaginis, & alia innumerabilia, quæ ob ingentem ſtructuram viſa ſunt miracula mundi, ſolo æquaſſent. Qui quidem zelus ſi vſquam incaluit, Romæ in primis Chriſtianorum corda ſuccenderat, vt S. Hieronymi auctoritate probatur, dum in prooem. lib. 2. comment. epiſt. ad Galat. hæc ait: Vbi alibi tanto ſtudio & frequentia ad eccleſias & martyrum ſepulcbra concurritur? vbi ſic ad ſimilitudinem cæleſtis tonitrui, Amen, reboat, & vacua idolorum templa quatiuntur? hæc ibi: & alibi ad Lætam epiſt. 7 de oppignorata fidę Gracchi in demoliendis Romæ deorum delubris pluribus agit. Illud etiam famoſiſſimum Iouis Capitolini templum iam exciſum eſſe, teſtatur li. 2. in Iouinian. in Oriente etiam Theodoſius Iunior ſanctionem de his ipſis promulgauit, in qua hæc inter alia leguntur: Cuncta eorum fana, templa, delubra, ſi qua etiã nunc reſtant integra, præcepto magiſtratuum deſtrui, collocationeque venerandæ Chriſtianæ religionis ſigni expiari præcipimus, &c. L. vlt. de Pagan. Cod. Theod. Cur autẽ Pantheon templum intactum remanſerit, ea fuit cauſa; quòd dum prædicta Romæ, temporibus Hieronymi, aduerſus idolorũ ædes agerentur, Honorius Imp. lege ſancita, eiuſmodi impetum Chriſtianorum compeſcuit, hæc reſcribens: Sicut ſacrificia prohibemus, ita volumus publicorum operum ornamenta ſeruari, &c. L. 15. de Pagan. Cod. Theod. Puto diuina diſpenſatione factum, vt inter tot idolorum fana proſtrata, & in anathema obliuionis euerſa, Pantheon velut inſigne quoddam ac perenne trophæum de expugnatis hoſtibus permaneret, cederetque triumpho omnium martyrum, qui omnes Gentilium deos Chriſti cruce ſubegerant. De eius dedicatione per Bonifacium facta ſcribit Beda de geſt. Angl. lib. 2. cap. 4. & de ſex ætat. in Phoca Imp. Ado Vien. in chron. anno 604. Paulus diac. de geſt. Longob. libro 4. cap. 11. Marian. Scot. in chron. anno 610. Sigebertus anno 609. & alij. Legi in eius eccleſiæ codice manuſcripto, templum illud dicatum in primis in honorem Dei genitricis Mariæ, omnium ſanctorum martyrum & confeſſorum: illataque illuc eſſe reperi duodetriginta curribus oſſa ſanctorum martyrum, è diuerſis Vrbis cœmeteriis effoſſa, ſolemniterque comportata, ac decentiſſimè collocata. Cetera autem de ea ſolemnitate inferiùs ad Kalendas Nouembris.

[b] Mucij.] Græci Mocium appellant, de quo etiam hac die Vſuardus; Græci autem in Menologio ad ſext. Id. Maij, vbi etiam narrãt in honorem huius martyris à Conſtãtino Imp. fuiſſe templum erectum, quo eiuſdem martyris ſacras reliquias inferri mandauit. Iuſtinianus Imp. etiam ædem ampliſſimam eidem martyri erigendam curauit, de qua Procop. lib. 1. ædif. Iuſtiniani Imp. his verbis: Præterea templum Mocio martyri conſecrarum, magnitudine ſua cetera ſuperans, poſuit. Cedren. in Baſilio Imp. addit, eiuſmodi templum vetuſtate collapſum ab eodem Baſilio Imperatore à fundamentis fuiſſe reſtitutum. De S. Mocij baſilica mentio habetur etiam in Actis Concil. Epheſ. edit. Peltan. tom. 2. cap. 19. & 20.

[c] Glyceriæ, aliàs Glycerij.] De eadem hac die Græci agunt in Menologio, vbi & eius martyrium deſcribitur. Metaphraſtes recenſet eius res geſtas, agique de ea ſcribit (niſi error ſit in nota numeri) ſext. Id. Maias: habet eas Lipom. tom. 7. & Surius to. 3. ea die. Percelebre fuit Heracleæ templum S. Glyceriæ, ibique ſacrum eius corpus poſitum pluribus eſt miraculis illuſtratum. Ex eius enim oſſibus iugiter vnguentum curandi vi præditum emanare ſolebat, vt auctor eſt Nicephorus hiſt. lib. 18. cap. 28. & 32. De reliquiis eiuſdem martyris habetur mentio in encomio Conſtantini Epiſcopi de inuentione reliquiarum S. Euphemiæ apud Lipom. tomo 6.

[d] Commemoratio plurimorum ſanctorum martyrum.] Horum martyrium ſcripſit Petrus Epiſcopus Alexandrinus; qui fuga lapſus dedit de his epiſtolam ad vniuerſos Chriſti fideles, quam recenſet Theodoretus hiſtor. lib. 4. c. 20. De clade eo tempore illata Catholicis per Lucium pſeudoepiſcopum Arianum, agit S. Gregorius Nazianz. in orat. in laudem Heronis, Ruſin. hiſt. lib. 1. c. 2. 3. & 4. Socrat. lib. 4. cap. 16. 17. 18. & 19. Sozom. lib. 6. c. 19. 20 & Niceph. hiſt. lib. 11. c. 29. Eamdem Catholicorum ſtragem non tantùm ſcriptis, ſed & voce prefatus Petrus Romę, cùm illuc confugiſſet, prædicauit, oſtendens ibidem occiſorum veſtes ſanguine cruentatas; ad quod miſerandum ſpectaculum Vrbs conuerſa eſt ad lacrymas. De eccleſia Theonæ, cuius hîc habetur mentio, agit S. Epiphanius in Panar. hæreſi 69. Eodem tempore Lucij pſeudoëpiſcopi complures ſanctorum monachorum ex Ægypto & Thebaide ob fidem Catholicam fuiſſe relegatos ac damnatos ad metalla Ponti & Armeniæ, auctor eſt Ioan. Caſſian. collat. 18. cap. 7. in fine.

[e] Seruatij Epiſcopi.] De eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Seruationem hunc appellat Sulpicius Seuerus lib. 2. hiſtor. ſacr. Quæ hîc de eo ſcripta ſunt, inuenies etiam apud Gregor. Turon. de glor. cõfeſſ. cap. 72. qui de eodem item

agit lib. 2. c. 5. de geſt. Franc. ante omnes S. Athanaſius in apolog. ad Conſtantium, & in apologia ſecunda, cùm agit de Patribus qui interfuerunt Concilio Sardicenſi, cui etiam præſens fuit Seruatius, anno Domini trecenteſimo quadrageſimoſeptimo, Rufino & Euſebio Coſſ. interfuit etiam Concilio Agrippinenſi celebrato poſt Conſulatum Amantij & Albini, anno 346. Ex prædictis Conciliis ſatis liquet, quibus temporibus hic vixerit. Hæc idcircò inculcamus, quoniam nonnulli ſcribunt, eum functum eſſe legatione ad limina Apoſtolorum poſt centum ferè annos ab eo tempore quo vixit. Itaque ea legatio Synodalis Seruatij non debet referri ad tempora Attilæ Regis Hunnorum, ſed potiùs ad illas atrociſſimas clades, quibus tota ferè Gallia à barbaris deuaſtata eſt, illis ipſis Seruatij temporibus. Meminit illarum omnium S. Hieronymus epiſt. 11. ſcribens ad Ageruchiam. Portentoſa quædam de Seruatio ſcribit Sigebert. in chron. anno Domini 399. cum nimirum conſanguineum ſecundùm carnem fuiſſe Domini noſtri Ieſu Chriſti, eiuſque patrem fuiſſe filium Eliud, fratrem S. Elizabeth matris S. Ioannis Baptiſtæ, eumdemque pluſquam trecentis annis vixiſſe. Id ipſum Petrus in catal. refert lib. 5. c. 162. quæ etiam firmare nituntur teſtimonio Cæleſtini Tertij Papæ, quaſi ea Acta fuerint eius auctoritate firmata. De his quid ſentiendum ſit, nemo non intelligit. Agit de eodem nouiſſimè Molanus in Indic. ſanctorum Belgij. In tabulis Epiſcoporum Tungrenſium numeratur Seruatius decimus eius ſedis Epiſcopus, apud Democh. de ſacrific. Miſſæ, vbi etiam plura de Seruatio leguntur.

[f] Ioannis Silentiarij.] Huius vitam fideliſſimè ſcripſit Cyrillus monachus; qui etiam geſta ſanctorum Sabæ & Euthymij litteris commendauit, ſuorum temporum texens hiſtoriam. Deſcripſit eam Lipom. tomo ſexto, & Surius tomo tertio, hac die. De eo etiam idem auctor in vita S. Sabę. Floruit temporibus Zenonis Imperatoris, agenſque iam tunc quartum ſupra centeſimum annum, adhuc erat in humanis, cùm idem auctor ſcriberet eius res geſtas.

xv. A **Pridie Idus Maij. Luna.** 14

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |

NATALIS ſancti Bonifacij [a] martyris qui ſub Diocletiano & Maximiano apud Tarſum Ciliciæ paſſus, Romam deinde translatus, via Latina ſepultus eſt. In Gallia ſancti Pontij [b] Martyris, cuius prædicatione & induſtria poſtquā duo Philippi Cæſares ad fidem Chriſti conuerſi ſunt, ipſe ſub Valeriano & Gallieno Principibus martyrij palmam adeptus eſt. In Syria ſanctorum martyrum Victoris [c] & Coronæ, ſub Antonino Imperatore: ex quibus Victor à Sebaſtiano Iudice variis & horrendis affectus eſt cruciatibus: quem Corona vxor cuiuſdam militis cùm cœpiſſet beatum prædicare ob martyrij conſtantiam, vidit duas coronas de cęlo lapſas, vnam Victori, & alteram ſibi miſſam: cumque hoc audientibus cunctis teſtaretur, ipſa quidem inter arbores ſciſſa [d], Victor verò decollatus eſt. In Sardinia ſanctarum martyrum Iuſtæ [e], Iuſtinæ, & Henedinæ. Romæ ſancti Paſchalis [f] Papæ, qui plurima ſanctorum martyrum corpora è cryptis leuauit, & in diuerſis eccleſiis honorificè collocauit. Ferenti in Tuſcia S. Bonifacij [g] Epiſcopi, qui (vt refert beatus Gregorius Papa) à pueritia ſanctitate & miraculis claruit. Neapoli in Campania ſancti Pomponij [h] Epiſcopi. In Ægypto S. Pachomij [i] abbatis, qui plurima in ea regione monaſteria erexit, & regulam monachorum [k] ſcripſit, quam Angelo dictante didicerat.

[a] BONIFACII martyris.] De eodem hac die Vſuardus, Ado autem Nonis Iunij, Græci verò in Menologio ad quartumdecimum Kalend. Ianuarij; qua item die eum ponit Metaphraſtes, qui eius Acta deſcripſit. refert eadem Lipom. tom. 5. & Sur. to. 3. Nonis Iunij. Legimus in vet. manuſcrip. monaſterij S. Cęciliæ Transtiberim Acta eiuſdem martyris, in quibus aliqua habentur, quæ in Græcis exemplaribus deſiderantur. Eſt illuſtris ac vetus memoria Romæ eiuſdem Bonifacij, quæ ob ſepultum in ea S. Alexium, eius etiam nomine nuncupatur, numeraturque in antiquo Romano Cærimoniali, vna ex vigintiduabus abbatiis, quæ Romæ erant. Extat de eodem Bonifacio epigramma Bonad. lib. 2. monod. 64.

[b] Pontij.] Agit de eodem item hac die Vſuard. Edita eius Acta ex manuſcriptis habentur apud Surium tom. 7. hac die, Mombrit. ante eum to. 2. ſed aliquantò diuersè. De duobus Philippi Cęſaribus ad Chriſtum conuerſis, quorum hic mentio fit, pluribus in Annalibus Eccleſiaſticis egimus. Eſt de eodem Pontio elegans epigramma Bonad. lib. 2. monod. 67. Colitur potiſſimùm Niciæ in Gallia, vbi eius venerandum corpus reconditum habetur. Hac die ſepultus martyr fuit, paſſus verò vndecima eiuſdem menſis.

[c] Victoris & Coronæ.] De quibus item hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij Latinorum, Gręci autem in Menologio ad iij. Id. Nouembris. Eorumdem Acta edidit Metaphraſtes. Refert eadem Lipom. tom. 7. & Surius tom. 3. Mombrit. tom. 2. & alij, licet nonnihil inter ſe diuersè.

[d] Inter arbores ſciſſa.] Plutarchus in Alexandro exactè agit de huiuſmodi ſupplicio, quod vocat diaſphendonem, cùm incuruatis violenter duarum erectarum arborum acuminibus, alligatum corpus miſſis arboribus ſcinditur. Ab Aureliano Imp. id ipſum mortis genus eſſe exhibitum aduerſus militem violantem torum hoſpitis, auctor eſt Flauius Vopiſcus in Aureliano, cùm ait: Solus denique omnium militem, qui adulterium cum hoſpitis vxore commiſerat, ita puniuit, vt duarum arborum capita inflecteret, quas ad pedes militis deligaret, eaſdemque ſubitò dimitteret; vt ſciſſus ille, vtrimque penderet. Hæc Vopiſcus.

[e] Iuſtæ & ſoc.] Agit de his item qui nunc eſt proſecutus res Sardoas Franc. Fara.

[f] Paſchalis Papæ.] Extant Acta eius in vet. cod. manuſcr. monaſt. S. Cęcilię Transtiberim, deſcripta per lectiones, ſicut in eccleſia legi conſueuerant. Succeſſit hic Stephano Papæ Quarto huius nominis. Cetera de eo in Annal. Eccleſ. egimus.

[g] Bonifacij Epiſcopi.] Scribit de eo S. Gregorius lib. 1. dialog. Claruit circa tempora Iuſtini Imp. Nomenclaturæ ſimilitudine facilè quis poteſt decipi. Eſt enim Ferentis ſeu Ferentum in Tuſcia, de quo Plin. libro 3. cap. 5. cuius adhuc veſtigia in agro Viterbienſi extare dicuntur. Eſt & Ferentinum apud Hernicos ciuitas nobilis, à qua Ferentinates ſeu Ferentini, ſicut à Ferento Ferentani, vel à Ferente Ferentes; licet aliquando hæc inter ſe nomina confuſa reperiantur. Erant & Ferentani populi inter Samnites & Pelignos poſiti, de quibus Ptolemæus libro 3. tab. 6. Strabo lib. 5. & Plin. lib. 3. cap. 11. Eſt mentio vtriuſque ſedis in Concil. Rom. ſub Gregorio Primo Papa in lib. 4. regiſt. cap. 88. quarum Epiſcopi eidem Synodo ſubſcripti habentur. Porrò de Ferenti in Tuſcia, & non de Ferentino apud Hernicos, ſiue in Latio poſito, agere S. Gregorium, ex eius verbis apparet.

[h] Pomponij Epiſcopi.] De eodem tab. eccleſiæ Neapolitanæ.

[i] Pachomij abb.] Agunt de eodem hac die Beda, Vſuard. Ado, ac cęteri Latinorum, Græci etiam hac die in Menolog. Huius præclaras res geſtas Græcè conſcriptas Dionyſius abbas Rom. Exiguus cognomento Latinè conuertit ante annos plus mille ac centum: extat eius præfatio ante vitam S. Pachomij; habes eam in prima par. Vit. ſanct. Patr. c. 54. Miramur eam à Lipomano & Surio prætermiſſam: quæ, vt tanti viri ingenij laudatiſſimi monimentum, prætereunda non fuit; qualis enim quantúſve ſanctitate & eruditione fuerit, conſule Caſſiodorum illi æqualem libro inſtitut. ad lect. diuin. Habet Acta Pachomij Lipom. tom. 6. & Sur. tom. 3. De eo prætereà Sozom. lib. 3. cap. 13. Pallad. in Lauſiacis, Caſſiod. trip. Niceph. libro 4. cap. 14. & alij. Nomen Pachomij, monaſteriorumque ab illo inſtitutorum diſciplinam Athanaſius primus in Vrbem aduexit, vt auctor eſt S. Hieronymus epiſt. 16. ad Principiam. De tempore eius obitus Sigeb. in chron. anno Domini 406.

[k] Regulam monachorum ſcripſit.] De regulis S. Pachomij, quas ipſe, Angelo dictante, excepit, meminit Gennad. de vir. illuſtr. cap. 7. qui etiam teſtatur ab eodem eſſe ſcriptas nonnullas epiſtolas, quarum titulum recenſet. Ipſas Pachomij regulas Ægyptiacè ſcriptas, tranſlatas in Græcum, Latinè reddidit S. Hieronymus, rogante Siluano monacho, eo tempore quo S. Paula ex hac luce migrauit. Honorio vj. & Ariſteneto Coſſ. anno Domini iuxta Faſtos Onuphrij 404. Eaſdem temporis vetuſtate pęnè abolitas, mendis purgatas, ac reſtitutas edidit noſter Achilles Statius, vir probitate & eruditione inſignis; quas, vt nobile vetuſtatis monumentum, poſuit in appendice ſui Caſſiani, quem ſummo cum labore reſtituit, illuſtrauitque eruditis annotationibus D. Petrus Diaconus Toletanus preſbyter, vir quidem frugi atque diſertus, quem ſcimus in reſtituendo Arnobium, Tertullianum, ac S. Hilarium, laboris plurimum inſumpſiſſe; hiſce lucubrationibus in dies magis magiſque Catholicæ Eccleſię profuturum, niſi citò nimis, dolore omnium, ex humanis ſublatus eſſet.

xiiij. B **Idibus Maij. Luna.** 15

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | | | |

IN Hiſpania ſanctorum Torquati[a], Cteſiphontis, Secundi, Indaletij, Cæcilij, Heſychij, & Euphraſij, qui Romæ à ſanctis Apoſtolis Epiſcopi ordinati, & ad prędicandũ verbum Dei in Hiſpanias directi ſunt: cumque variis vrbibus euangelizaſſent, & innumeras multitudines Chriſti fidei ſubiugaſſent, in ea prouincia diuerſis locis quieuerunt, Torquatus Acci, Cteſiphon Vergij, Secundus Abulæ, Indaletius Vrci, Cæcilius Iliberi, Heſychius Carteiæ, & Euphraſius Illiturgi. Eboræ in Luſitania ſancti Mancij[b] martyris. In inſula Chio natalis beati Iſidori[c] martyris, in cuius baſilica extat puteus, in quem fertur fuiſſe iniectus, de cuius aqua infirmi ſæpiùs potati ſanantur. Lampſaci in Helleſponto paſſio ſanctorum Petri[d], Andreæ, Pauli, & Dionyſiæ. Fauſinæ in Sardinia S. Simplicij[e] Epiſcopi & martyris, qui Diocletiani tempore ſub Barbaro Præſide perfoſſus lancea martyrium conſummauit. Aruernis ſanctorum martyrum Caſſij[f], Victorini, Maximi, & ſociorum. In Brabantia ſanctæ Dympnæ[g] virginis & martyris, filiæ Regis Hiberniæ, quæ pro fide Chriſti & virginitate ſeruanda, à patre iuſſa eſt decollari.

## MAII 15.

TORQVATI & ſoc.[a] ] Agunt de his omnibus hac item die Beda, Vſuard. Ado, & alij. In Breu. Toletano ad Kalend. Maias de his ſacer hymnus conſcripius habetur, aliáque plura, quæ antiquitatem illam puriſſimam redolent. Horum meminir Gregor. Septimus Papa in epiſtola ad Alphonſum, ſen Adelphonſum Regem, ſcripta xiiij. Kal. Aprilis, Indict. 12. his verbis: Septem Epiſcopos ab vrbe Roma ad inſtruendum Hiſpaniæ populos à Petro & Paulo Apoſtolis directos fuiſſe, qui deſtructa idololatria, Chriſtianitatem fundauere, & religionem plantauere, ordinem & officium in diuinis cultibus oſtendêre, & ſanguine ſuo eccleſias dedicauere, &c. De his prætereà ceteri auctores qui res Hiſpanicas ſunt proſecuti, quos mittimus enumerare. Horum autem ſingulorum in propriis ipſorum eccleſiis certis diebns ſolemnitas agitur. Cùm verò ex his aliquot inueniantur dicti martyres à nonnullis, licet eorum martyrij Acta non habeantur, antiquæ tamen traditioni eccleſiarum, in quibus vt patroni coluntur, acquieſcendum putamus. De his omnibus in Theſ. concion. tomo 2. & Flor. Hiſpan. agitur.

[b] Mancij. ] De quo plura in Breuiariis Eborenſi & Burgenſi, ex quibus etiam Flos ſanctor. Hiſpan. Texitur eius hiſtoria in Theſ. conc. to. 2. hac die, & Vaſæus in chron. anno 100. Molan. ad xij. Kalend. Iunij agit de eodem.

[c] Iſidori. ] De eo item hac die Beda, Vſuar. Ado, & alij Latinorum, Græci autem in Menolog pridie huius diei, vbi & eius martyrium paucis deſcribunt. De miraculis eius, quorum hic habetur mentio, agit etiam Gregorius Turonenſ. lib. de glor. mart. cap. 102. Legimus Acta eius in vet. cod. manuſcrip. monaſt S. Cæciliæ Tranſtiberim, vbi & ſcribitur paſſus Gallo & Voluſiano Coſſ. ſub Numerio ſeu Numeriano magiſtro militum. Pauca de eo Petrus in catal. lib. 5. cap. 2.

[d] Petri & ſoc. ] Apud Bedam, textu deprauato, legitur Damaſci, loco Lampſaci. Agit de his etiam hac die Vſuard. Ado, & alij Latinorum, necnon & Græci in Menolog. qui his addunt & Chriſtinam virginem, Lampſacique eos eſſe paſſos affirmant.

[e] Simplicij Epiſc. ] Accepimus eius martyrij Acta & ſociorum ex Sardinia inſula Romam delata. Meminit horum etiam Fara libro 1. de reb. Sardois.

[f] Caſſij

[f] Caſſij & ſoc.] De his Gregorins Turon. hiſt. Fraoc. lib. 1. cap. 33. & Mnlanus in addit. ad Vſuard. adſtipulanturque vet. manuſcrip.

[g] Dympnæ.] Cuius Acta conſcripta à Petro Cameracenſi recitat Surius tom. 3. hac die. Plnribus item de ea Molanns in Iodic. ſanctorum Belgij, & io addit. ad Vſuard. Claruit circa annum Domini 600.

16 Decimoſeptimo Kalend. Iunij. Luna. C xiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | | | |

IN Iſauria natalis ſanctorum martyrum Aquilini[a] & Victoriani. Antiſiodori paſſio S. Peregrini[b] primi eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, qui à beato Sixto Papa in Gallias cum aliis clericis miſſus, Euangelicæ prædicationis munere expleto, capitali ſententia damnatus, coronam meruit ſempiternam. Vzali in Africa ſanctorum martyrum Felicis[c] & Gennadij. In Palæſtina paſſio ſanctorum Monachorum[d] à Sarracenis in Laura ſancti Sabæ interfectorum. In Perſide ſanctorum martyrum Audæ[e] Epiſcopi, ſeptem Preſbyterorum, nouem Diaconorum, & ſeptem Virginum, qui ſub Iſdegerde Rege variis tormentorum generibus cruciati, glorioſum martyrium compleuerunt. Eugubij ſancti Vbaldi[f] Epiſcopi, miraculis clari. Ambiani in Gallia ſancti Honorati[g] Epiſcopi. Apud Cenomanos ſancti Domnoli[h] Epiſcopi. Trecis ſancti Fidoli[i] confeſſoris. In Scotia ſancti Brandani[k] abbatis. Apud Forum Iulij ſanctæ Maximæ virginis[l], quæ multis clara virtutibus in pace quieuit.

## M A I I 16.

AQVILINI & Victoriani[a].] Agnnt de his etiam hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri receotiores.

[b] Peregrini Epiſcopi.] De eo ijdem qui ſuprà, Beda, ac ceteri. Vincentius li. 10. c. 119. Antonin. par. 1. tit. 7. c. 5. & Petrus in catal. lib. 5. cap. 5. eius res geſtas referunt.

[c] Felicis & Gennadij.] Meminit horum ſanctorum martyrum auctor commentarij de miraculis S. Stephani Protomartyris, qui Euodij Vzalenſis Epiſcopi nomine inſcribitur, lib. 1. c. 2. Exſtat apud S. Auguſtini opera, tom. 10. in append. edit. Louan.

[d] Sanctorum monach.] Actum eſt ſuperiùs de monachis cæſis in moote Sina, deque his qui in Ægypto à Sarraceois trucidati ſunt; hîc autem de his qui occiſi ſunt in Palæſtina in Laura S. Sabæ tempore Heraclij Imp. Agunt de his item hac die Græci io Menologio. Quæ autem edita ſint miracula, cùm Sarraceni in prædictum monaſterium ſancti Sabę olim irruerunt, vide in Prat. ſpirit. c. 4. 22. & 99. De his & Cyrillus monach. in Actis eiuſdem Sabę, & in Euthymio, cùm refert quamdam graſſationem Sarracenorú factam in ſanctos monachos temporibus Anaſtaſij Imp. Porrò Antiochus monachus in epiſtola quam ſcripſit ad Euſtathinm, qua agit de quadragintaquatuor monachis à Sarracenis itidem in eodem monaſterio occiſis, eorum natalem diem celebrari ſolitum ait xv. Maij: vode hos eoſdem eſſe cum illis cenſeo; erroreque typographi vel librarij diem intercepeptum eiſe illic exiſtimo. Necati ſnnt hi tempore quo Modeſtus præfnit eccleſiæ Ieroſolymitanæ, temporibus Heraclij Imp. vt idem Aotiochus eadem epiſtola ſignificat, quæ intexta eſt tom. 9. bibl. ſanct. Patr. De eodem Antiocho, qui ea ſeribit, habes in Actis S. Theodori Siceotæ apud Metaphr. die 22. Aprilis, & Lipom. tom. 7. Extant eiuſdem Patris complures homiliæ.

[e] Audæ Epiſc. & ſoc.] Hic & Abda dicitur. Agunt de his hac item die Gręci in Menolog. necnon & prid. Kal. April. De Abda Epiſcopo ſcribit hiſtoriam Theodoretus lib. 5. cap. 38. cauſamque martyrij eam fuiſſe tradit, quòd dirutum à ſe teioplum, magorú iuſſu noluerit reſtituere. Hic licet de exciſo fano non laudetur, tamen abſtinuiſſe à templi excitatione, eaque de cauſa ſubiiſſe martyrinm, plurimùm commendatur: quam quidem cauſam ad martyrij coronam promerendam ſatis eſſe idoneam, in caſu ſimili ſcribit S. Ambroſ. ad Theodoſ. Imperat. epiſt. 17. lib. 2. edit. Rom.

[f] Vbaldi Epiſc.] Habes res eius præclarè geſtas

apud Sur. editas tom. 4. hac die. Agit de eo item Petr. in catal. lib. 5. c. 6. Vixit in Epiſcopatu vſque ad Alexandri Papæ Quarti tempora, vt ex eius Actis colligitur. Scripſit eius res geſtas Stephan. Cremonenſis. Molanus de eo item hac die in additione ad Vſuardum.

[g] Honorati Epiſc.] Agit de eodem hac die Molan. in addit. ad Vſuardum. Numeratur hic quartus eius ſedis Epiſcopus. De eo Petrus in catal. lib. 2. cap. 87. Democh. in tabulis Ambianenſium Epiſc. lib. de ſacrificio Miſſæ.

[h] Domnoli Epiſc.] De eodem Molan. in addit. ad Vſuard. Hic interfuit ſecundę Synodo Turon. cui ſubſcripſit. Alius hic ab illo de quo agit Sidonius Apol. epiſt. vlt. lib. 4 De hoc item Greg. Turonen. de geſt. Franc. lib. 6. c. 9. Eius Acta recitat Sur. to. 3. hac die. Succeſſit hic S. Innocentio, numeraturque nonus eius ſedis Epiſcopus; ſedit annos 46. menſes 11. dies 19. ſecundùm tabul. Democh. Claruit temporibus Clotarij filij Clodouei Reg. Franc. & eius filij Cheteberti, ac ſucceſſoris eius Chilperici, circa annum Domini 570. quo tẽpore prædictæ Synodo interfuit. Meminit eiuſdem Fortunatus in carmine ad Felicem Epiſcopum, cùm interfuit dedicationi baſilicæ, licet ibi mendosè Domnutus pro Domnolus legatur.

[i] Fidoli.] De eodem hac die Beda & Ado, qui eum presbyterum, & non Epiſcopum dicunt. Sanè quidem in tabulis Trecenſium Epiſcoporum nullus eius nominis recenſetur Epiſcopus à Demochare.

[k] Brandani, aliàs Bredani.] Plura de eo Sigeb. in chron, anno 561. & in actis S. Maclouij, quæ idem Sigeb. ſcripſit. Recitat ea Sur. tom. 6. die 15. Nouemb. Vincent. lib. 22. c. 81. Petr. in catal. li. 5. c. 117. eum dicit Epiſcopum, multaque apocrypha cumulauit. De eodem Trith. de vit. illuſtr. ord. S. Bened. lib. 3. c. 31. Claruiſſe eum dicit anno Domini 570. Habemus eiuſdem Acta manuſc. in noſtra bibliotheca, quorum eſt exordium: Beatus Brandanus natus eſt, &c.

[l] Maximæ.] Agunt de eadem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij, Petrus item in catal. lib. 5. cap. 7.

## xij. D Sextodecimo Kal. Iunij. Luna. 17

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | | | |

PIsis in Tuſcia ſancti Torpetis [a] martyris, qui magnus in officio Neronis primùm fuit, vnuſque ex his, de quibus Paulus Apoſtolus ab vrbe Roma ad Philippenſes ſcribit: Salutant vos omnes ſancti, maximè autem qui de Cæſaris domo ſunt, ſed poſteà pro fide Chriſti, iubente Satellico, alapis cæditur, verberibus duriſſimè afficitur, ac beſtiis deuorandus traditur, ſed minimè lęditur: tandem martyrium ſuum decollatione compleuit tertio Kal. Maij: ſed tamen feſtiuitas eius celebriùs hac die recolitur ob ſui corporis tranſlationem. Neapoli in Campania ſanctæ Reſtitutæ [b] virginis & martyris; quæ, Valeriano imperante, à Proculo Iudice in Africa variè torta, & in nauicula pice & ſtupa referta, vt in mari combureretur, impoſita, immiſſo igne, cùm in incenſores flamma conuerteretur, ipſa in oratione ſpiritum Deo reddidit: cuius corpus cum eadem nauicula Dei nutu ad Ænariam [c] inſulam prope Neapolim deuectum, à Chriſtianis magna veneratione ſuſceptum eſt, & in eius honorem Conſtantinus Magnus baſilicam poſteà Neapoli erigendam curauit. Nouioduni ſanctorum martyrum Heradij [d], Pauli, & Aquilini, cum duobus aliis. Chalcedone ſanctorum martyrum Solochani [e] & ſociorum militum ſub Maximiano Imperatore. Alexandriæ ſanctorum martyrum Adrionis [f], Victoris, & Baſillæ. Herbipoli ſancti Brunonis [g] Epiſcopi & Confeſſoris.

MAII

# M A I I 17.

TORPETIS [a].] De eo hac item die Beda, Vſuard. Ado, ac ceteri. Huius res geſtas tunc temporis ab Artemio dictatas Audax exceptor ſcripſit: habet eas Mombrit. tomo 2. Legimus eaſdem manuſc. ex veteribus monumentis Piſanæ eccleſiæ, quorum exemplaria Romam ſunt miſſa. Agit de eodem ſummatim Petrus in catalog. lib. 5. cap. 8. Extat carmen laudis de Torpete mart. quod ſcripſit Franc. Bonad. Sancton. lib. 2. monod. 72.

[b] Reſtitutæ.] Extant eius Acta ex eiuſdem eccleſię antiquis tabulis edita. Non tantùm Neapoli celebris fuit, quò translatum eſt venerandum corpus eius; ſed & Carthagine in Africa, vbi paſſa eſt: eius etenim nomine cenſetur illa baſilica Reſtitutæ dicta, in qua nonnulla Concilia celebrata habentur. Hæc cùm dicatur paſſa ſub Valeriano Imperatore, ſciendum tamen quòd in eiuſdem officio eccleſiaſtico paſſa legitur ſub Numeriano; quod errore librariorum factum putatur. Claruit ibidem in Africa temporibus Maximiani Imp. alia Reſtituta inſignis nobilitate & pietate matrona, ad Chriſtum conuerſa per Felicem & Donatum martyres, cuius res geſtæ narrantur in Actis ſanctorum duodecim fratrum. Extat adhuc Neapoli vetus eccleſia, in huius de qua hîc agimus Reſtitutæ honorem erecta (vt ferunt) à Conſtantino Imperatore, quę amplioribus ſpatiis ſic aucta eſt, vt tamen egregium priſtinum illud vetuſtatis monumentum in ſuo ſtatu integrum perſeueret.

[c] Ad Ænariam inſulam.] Eamdem Græci dicunt Pithecuſam, de qua Ptolem. tab. 6. Italię, & Plin. lib. 3. c. 6. qui & cur ita dicta ſit, declarat; Ouidiuſque corrigitur, dum lib. 14 Metamorph. eam à Pithecis dictam putat in fabula Cecropum. Ex eodem Plinio corrigitur & Pomp. Mela de ſitu Orb. lib 2. dum Pithecuſam diſtinguit ab Ænaria, ſicut & Solinus in Polyhiſt cap. 8. qui Ithaceſiam appellat. Accepit Ænariam inſulam olim Reſp. Neapolitana à Tiberio, loco inſulæ Capreæ, vt tradit Sueton in Tiberio cap. 92. Nobilitata eſt eadem inſula dictis ſacris reliquiis ſanctæ Reſtitutæ, ibique illuſtris memoria eius hactenus clara habetur.

[d] Heradij & ſoc.] Agit de his item hac die Beda, Vſuardus, & Græci etiam in Menolog. hac die, vbi pluribus ipſorum martyrij Acta referunt, paſſoſq; tradunt in perſecutione Diocletiani Imp.

[e] Solochani & ſoc.] De his item hac die Græci in Menologio, ibique fuſiùs Solochani res geſtæ conſcribuntur.

[f] Adrionis & ſoc.] Beda item de his agit hac die, conſentiuntque veteres manuſcripti.

[g] Brunonis Epiſc.] Multa ſanè de hoc mentitus eſt Auentinus lib. 5. Annalium Boiorum: tu autem ne illius nugacitate decipiaris, conſule in Vaticana biblioth. regiſtra Gregorij Noni, atque Innocentij Quarti Rom. Pontificum, in quibus extant litteræ de teſtimoniis miraculorum eius. Numeratur hic eius ſedis Epiſcopus decimus nonus, electus anno à Chriſto Domino 1033. præfuit annis vndecim, vno menſe, & diebus quatuordecim, vt habent tabulæ Democharis, in quibus egregiæ eius virtutes ſummatim narrantur. Libuit hîc fragmenta ex litteris tam Greg. Noni, quàm etiam Innocentij Quarti, ex eorum regiſtris accepta deſcribere, quo hagiomachi impietas ac temeritas retundatur. Gregorius Nonus anno duodecimo ſui Pontificatus, xj. Kalend. Maij, de miraculis S. Brunonis Apoſtolicas litteras dedit, quarum eſt exordium: Mirabilis Deus in ſanctis ſuis. & infrà: Sicut enim venerabilis frater noſter Epiſcopus Herman. & dilectus filius N Decanus, & Capitulum ac populus Herbipolenſis nobis per nuntios ſuos & litteras intimarunt, Dominus tantam piæ memoriæ Brunonis Epiſcopi Herbipolenſis concedit gloriam, quòd ſepulchrum eius tot & tantis dat coruſcare miraculis, vt inter alios ſanctos eius non inuocari ſuffragia, ſit indignum, &c. Innocentius Papa Quartus anno quinto ſui Pontificatus, Nonis Nouemb. Lugduni ſcripſit ad eumdem Epiſcopum & Capitulum Herbipolenſe; eſt huiuſmodi earum litterarum initium: Dudum venerabili fratri noſtro Epiſcopo, & dilecto filio N. & Capitulo Herbipolenſi. & infrà: Quòd ſanctæ memoriæ Bruno Herbipolenſis Epiſcopus, qui olim degens in mundo, magnis pollebat meritis: nunc viuens in cælo, tot coruſcat miraculis, vt eius ſanctitas apertis indiciis comprobetur: & eius inter alios ſanctos non inuocari ſuffragia, eſt indignum, &c.

## 18 Quintodecimo Kalend. Iunij. Luna. E xj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | | | |

IN Ægypto ſancti Dioſcori [a] lectoris, in quem Præſes multa & varia tormenta exercuit, ita vt vngues eius effoderet, & lampadibus latera inflammaret; ſed cæleſtis luminis fulgore perterriti ceciderunt miniſtri: nouiſſimè laminis [b] ardentibus aduſtus, martyrium conſummauit. Camerini in Vmbria ſan-

ćti Venantij [c] martyris qui annos quindecim natus, ſub Decio Imperatore & Antiocho Præſide, vnà cum aliis decem glorioſi certaminis curſum ceruicibus abſciſſis impleuit. Spoleti * ſanćti Felicis [d] Epiſcopi, qui ſub Maximiano Imperatore martyrij palmam adeptus eſt. In Ægypto ſanćti Potamionis [e] Epiſcopi, qui primò ſub Maximino confeſſor, deinde ſub Conſtantio Imperatore & Philagrio Præſide Ariano martyrio coronatus eſt. Ancyræ in Galatia ſanćti [f] Theodoti martyris, & ſanćtarum Thecuſæ eius amitæ, Alexandriæ, Claudiæ, Fainæ, Euphraſiæ, Matronæ, & Iulittæ virginum, quæ à Præſide primùm proſtitutæ, ſed Dei virtute ſeruatæ, lapidibus ad colla ligatis in paludem merſæ ſunt: quarum reliquias collećtas cùm Theodotus honorificè ſepeliſſet, comprehenſus à Præſide, ſæuiſſimè dilaniatus eſt; ac demum enſe percuſſus, martyrij coronam accepit. Vpſali in Suetia ſanćti Erici [g] Regis & martyris.

* al. Spalati

## MAII 18.

DIOSCORI [a].] De eo item hac die Beda, Vſuardus, & alij; vberiùs Petrus in catalogo libro 5. cap. 11.

[b] Laminis ardentibus.] Vetus eſt genus cruciamenti. Plautus in aſin. Stimulos, laminas, cruceſque, Act. 3. Cicero in Verr. 7. Quid, inquit, cùm ardentes laminę, ceterique cruciatus admouebantur? De iiſdem Gellius meminit. Cyprianus libro de laude martyrij ſic: Corpus extentum candentes ſtridet ad laminas. Et Prudentius hymno 5. de S. Vincentio:

*Stridentiq; flammis lamina*, &c.

Et in Romano, hymno 10.

*Nec inuſta laminis ardet cutis.*

Hiſce tormentis Ačta martyrum ſunt referta, meminitq́ue de his frequenter Euſebius. Recenſentur aduſtiones laterum ignibus inter pœnas publicas L. 1. C. de emend. ſeruorum.

[c] Venantij.] Vidimus tabul. eccleſiæ Camerin. necnon eius Ačta & ſociorum martyrum, quæ tamen ob nimiam temporis vetuſtatem ſuperindućta mendis, cenſura indigent & caſtigatione non modica.

[d] Felicis Epiſcopi.] Vſuardus de eodem hac die & Petrus in catal. lib. 5. cap. 13. licet pro Spoletino, Spalatenſem dicat Epiſcopum. Sed non tantùm eius cauſa addita eſt in margine varia lećtio, ſed quòd Spalatenſes eumdem Felicem ſibi vt ſuum vendicant. Vidimus de ea re litteras Synodales ad S. D. N. Sixtum Papam Quintum, vnà cum publica atteſtatione de eiuſdem martyris corpore nuper refoſſo, & honeſtiori loco recondito.

[e] Potamionis Epiſcopi.] De eo item hac die Beda. Fuit hic Epiſcopus Heracleæ in Ægypto; interfuit atque ſubſcripſit SS. Magno Nicęno Concilio: fuitq́ue vnus ex eorum confeſſorum numero, quibus perſecutionis tempore effoſſus eſt oculus. Hic licet aliquando Meletio in ſchiſmate adhæſiſſet, inde tamen referens pedem, pro Catholica fide aduerſus Arianos egregiè decertauit, & contra Euſebium Cæſarienſem in conciliabulo Tyrio ab hæreticis aduerſus S. Athanaſium coacto, agens pro eodem Athanaſio, magna conſtantia ſtetit. Hæc omnia ſcribit S. Epiphanius in Panar. hæreſi 68. S. Athanaſius in epiſt. ad ſolitarios huius martyrij Ačta generatim complexus eſt his verbis: Potamonem quoque & ipſum confeſſorem, qui oculum in perſecutione perdiderat, ita conciderunt plagis in ceruicem, non antè deſinentes, quàm ibi illum pro mortuo abiicerunt, adeò vt vix poſt aliquot horas curationibus fomentiſque ſpiritum collegerit, Deo quidem illi concedente vitam, ſed admodum breuem: paulò enim pòſt ex dolore & plagis ex hac vita deceſſit, adeptus in Chriſto gloriam iterati martyrij. Hæc S. Athanaſius de Potamione, quem & Potamonem dicit.

[f] Theodoti & ſociorum.] Agunt de his item hac die Græci in Menologio, vbi & Ačta dićtorum martyrum narrantur, prout etiam hîc poſita habentur.

[g] Erici Regis.] De eodem etiam hac die Molanus in addit. ad Vſuardum, itemq́ue Saxo Grammar. lib. 14. de rebus Danic. & Ioan. Olaus de rebus Goth. lib. 19. cap. 1. Necatus eſt anno à Chriſto Domino, milleſimo centeſimo quinquageſimoprimo.

Quar-

19 **Quartodecimo Kal. Iunij. Luna.** F x.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | | | |

ROMÆ ſanctæ Pudentianæ [a] virginis, quæ poſt innumeros agones, poſt multorum martyrum venerabiliter exhibitas ſepulturas, poſt omnes facultates ſuas pauperibus pro Chriſto erogatas, tandem de terris ad cælos migrauit. Ibidem ſancti Pudentis [b] ſenatoris, patris ſupradictæ virginis, qui ab Apoſtolis Chriſto in baptiſmo veſtitus, innocentem tunicam vſque ad vitæ coronam immaculatè cuſtodiuit. Item Romæ via Appia natalis ſanctorum Caloceri [c] & Parthenij eunuchorum; quorum prior cùm eſſet præpoſitus cubiculi vxoris Decij Imperatoris, alter verò alterius muneris Primicerius [d], nolentes idolis ſacrificare, ab eodem occiſi ſunt. Nicomediæ ſancti [e] Philoteri martyris, filij Paciani Proconſulis, qui ſub Diocletiano Imperatore multa paſſus, martyrij coronam accepit. Ibidem ſanctarum ſex Virginum [f] & martyrum, quarum præcipua erat Cyriaca, quæ cùm liberè Maximianum impietatis obiurgaſſet, diriſſimè cæſa & dilaniata, ad vltimum igne cremata eſt. Eodem die ſancti Petri de Morono [g], qui ex anachoreta Summus Pontifex creatus, dictus eſt Cæleſtinus Quintus: ſed Pontificatu ſe abdicans, & in ſolitudine religioſam vitam agens, virtutibus & miraculis clarus migrauit ad Dominum. Cantuariæ ſancti Dunſtani [h] Epiſcopi. In Britannia Minori ſancti Iuonis [i] preſbyteri & confeſſoris, qui pro Chriſti amore cauſas pupillorum, viduarum, ac pauperum defendebat.

## M A I I 19.

PVDENTIANÆ. [a] ] De ea item hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Plura de Pudentiana leguntur in Actis S. Praxedis & Nouati, quæ à Paſtore presbytero ſcripta dicuntur. Recitat ea Ado Treueren. ad xij. Kalend. Iulij. Habet Mombrit. Acta Pudentianæ to. 2. Habemus eadem paulò diuerſa manuſcr. in noſtra bibliotheca. Meminit S. Gregorius de eccleſia S. Pudentianæ erecta in Numidia lib. 2. regiſtr. epiſt. 33 An autem huius fuerit, non audeo affirmare; cùm præſertim ſciam, Pudentis, Pudentillæ, & alia huiuſcemodi nomina fuiſſe in Africa, vt conſtat ex Apuleij apologiis.

[b] Pudentis.] Agunt etiam de S. Pudente non tantùm Vſuardus, Ado, & alij Latinorum, ſed & Græci in Menolog. ad xviij. Kal. Maij. Putatur hic ille, cuius meminit S. Paulus epiſtola 2 ad Timoth. cap. 4 in fine; quæ quidem epiſtola (vt conſtat) ſcripta eſt Romæ, vbi aderat Pudens ſenator. Maiorum firma traditione præſcriptum eſt, domum Pudentis Romæ fuiſſe primum hoſpitium ſancti Petri Principis Apoſtolorum, illicque primùm Chriſtianos cõueniſſe ad ſynaxim, coactam eccleſiam, vetuſtiſſimumque omnium Titulum Pudentis nomine appellatum, qui item & Paſtoris nomine dictus reperitur, hodie vulgò eccleſia S. Pudentianæ nuncupatur. de Pudentis domo & titulo, in prædictis Actis Nouati, Pudentianæ, & Praxedis pluribus agitur, mentioque de eo habetur in Romanis Conciliis, atque in his præſertim quæ Romæ ſub Symmacho Papa ſunt acta.

[c] Caloceri & Parthenij ]De his hac die Beda, Vſuar. Ado, & alij; à quibus etiam eorum martyrium paucis comprehenſum narratur.

[d] Primicerius.] Dictum ferunt Primicerium, primum Notariorum, ſic appellatum à cera, cùm in ceratis tabulis eſſet olim ſcribendi vſus; ſic & Secundicerius, ſecundus Notariorum ſic dictus.

Fuit

Fuit hæc ſententia Alciati in annot. in tres poſter. libros Codicis lib. 12. tom. 2. B. pag. 124. Recitat eadem Cæl. Rhodig. antiq. lect. lib. 12. c. 6. in fine. Hanc etiam ſententiam hîc ſequitur Molanus in not. ad Vſuard. hac die. Diſcrepat ab his Briſſon. lib. 14. de verb. ſignif. atque; Primicerius non eſt, vt quibuſdam videtur, iunctùm verbum: non enim aliud in eo verbo notandum eſt, quàm primus, reliquum extenſionis loco additum eſt. Itaque benè Suidas πριμικήριον interpretatur τὸν πρῶτον τῆς τάξεως: nam qui in quocumque ordine primum locum obtinet, Primicerius vocatur, &c. Probat hoc ipſum ex multis. Tu ipſum conſulas; cui ego libentiùs adſtipulor, his addens S. Auguſtinum, vel S. Fulgentium (vtriuſuis eſſe dicas ſer. de ſancto Stephano) eadem ratione appellare S. Stephanum Primicerium martyrum, hoc eſt, primum martyrum. Habes id præterea expreſſum apud S. Greg. lib. 7. epiſt. 17. primæ Indictionis, vbi in inſcriptione epiſtolæ præfixus eſt titulus de priuilegio Primicerij defenſoris, cùm in epiſtola agatur de promotione in priorem locum eiuſdem muneris. Quod autem ſpectat ad Primicerium Notariorũ, ille tantùm qui fuiſſet Notarius Principis, poſt emeritam militiam in eo ordine dignè adminiſtratam ad Primiceriatus dignitatem euehebatur, ac inter ſenatores adnumerabatur. Habes id expreſſum apud Caſſiod. Variar. lib. 6. form. 16. Præſcribitur enim ibi forma Notariorum, cùm videlicet illud officium ab Imp. alicui deferretur; vbi hæc inter alia leguntur: Sed quoniam te probatis moribus inſtitutum venatrix bonæ conuerſationis ſolicitudo noſtra reſpexit; ab illa Indictione Notarium te noſtrum eſſe cenſemus, vt ordine decurſo militiæ, ad Primiceriatus feliciter peruenias ſummitatem; honor qui efficit ſenatorem, cui Patrum aula reſeratur, &c. Præter multos diuerſi ordinis Primicerios à prædictis enumeratos, notatos alios habes in vetuſto illo monumento Notitiæ prouinciarum Romani Imperij, in qua ſub officio Comitis ſacrarum largitionum hi magiſtratus poſiti deſcribuntur: Habet, inquit, Primicerium totius officij, Primicerium ſcrinij canonum, Primicerium ſcrinij tabulariorum, Primicerium ſcrinij numerariorum, Primicerium ſcrinij aureæ maſſæ, Primicerium ſcrinij auri ad reſponſum, Primicerium ſcrinij veſtiarij ſacri, Primicerium ſcrinij argenti, Primicerium ſcrinij anularenſis, Primicerium ſcrinij à pecuniis, Secundocerium officij, qui Primicerius eſt exceptorum, Terciocerium officij, &c.

[e] Philoteri.] Agunt de eo Græci etiam in Menologio, ibique eius Acta narrantur.

[f] Sex virginum.] De his item hac die Græci in Menologio ex Actis ſancti Philoteri, ibiq; harum vnius tantùm nomen recenſetur, ſcilicet Cyriacæ ſororis S. Theotimi.

[g] Petri de Morono.] Extant eius res geſtæ conſcriptæ à Petro de Aliaco Cardinali Cameracenſi. Deſcripſit eaſdem Surius tomo tertio hac die. Plura Antoninus in 3. part. 20. cap. 8. ac nouiſſimè Paulus Regius vberiùs eſt proſecutus. Relatus eſt in numerum ſanctorum à Clemente Papa Quinto, anno Domini 1313. vt conſtat ex Bernardini chronico.

[h] Dunſtani Epiſcopi.] Scripſit eius Acta Oſbertus monachus, eaque retulit Surius tomo tertio. Agitur de eodem in rebus geſtis ſanctæ Editæ virginis. De eodem Trithem. de viris illuſtr. ordinis ſancti Benedicti lib. 3. cap. 221. & lib. 4. c. 100. Migrauit ex hac vita anno Domini 988. ſuæ verò ætatis ſeptuageſimo, cùm ſediſſet annis triginta tribus, vt idem auctor teſtatur.

[i] Iuonis presbyteri.] Huius Acta recitat Surius tomo 3. & Petrus in catalog. lib. 5. cap. 21. Hunc Clemens Papa Sextus anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimoſeptimo, hac ipſa die recenſuit inter ſanctos, vt conſtat ex ipſius diplomate.

## xj. G Tertiodecimo Kalend. Iunij. Luna. 20

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | | | |

ROMÆ via Salaria natalis ſanctæ Baſillæ [a] virginis, quæ cùm eſſet ex regio genere, & illuſtriſſimum ſponſum haberet, illumque dimiſiſſet, accuſata ab eo quòd eſſet Chriſtiana, decretum eſt à Gallieno Auguſto, vt aut ſponſum reciperet, aut gladio interiret: quæ conuenta de hoc, cùm reſpondiſſet Regem regum ſe habere ſponſum, gladio tranſuerberata eſt. Nemauſi in Galliis ſancti Baudelij [b] martyris, qui comprehenſus, cùm ſacrificare nollet, & in fide Chriſti immobilis inter verbera & tormenta perſiſteret, martyrij palmam pretioſa morte ſuſcepit. Edeſſæ in Syria ſanctorum martyrum Thalalæi [c], Aſterij, Alexandri, & ſociorum, qui ſub Numeriano Imperatore paſſi ſunt. In Thebaide

ſancti

ſancti Aquilæ [d] martyris, qui pectinibus pro Christo dilaniatus fuit. Apud Bituricas in Gallia ſancti Auſtregiſili [e] Epiſcopi & confeſſoris. Brixiæ S. Anaſtaſij [f] Epiſcopi. Papiæ ſancti Theodori [g] Epiſcopi. Aquilæ in Veſtinis ſancti Bernardini [h] Senenſis, ordinis Minorum, qui verbo & exemplo Italiam illuſtrauit. Romæ ſanctæ Plautillæ [i] feminæ Conſularis, matris beatæ Flauiæ Domitillæ, quæ à S. Petro Apoſtolo baptizata, omnium virtutum laude refulgens quieuit in pace.

## M A I I 20.

[a] BASILLÆ.] De eadem hac item die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Habentur res geſtæ ipſius ſimul coniunctæ cum Actis S. Eugeniæ, quæ recitat Lipom. tomo 5. & Sur. tom. 6. Eadem ſummatim collecta habet Petrus in catal. lib. 5. cap. 23.

[b] Baudelij.] Agunt de eo iidem qui ſuprà, Beda, & alij. Eius Acta breui compendio recitat Petrus in catal. lib. 5. cap. 24. De miraculis ad ſepulchrum eius editis agit Gregorius Turonen. de glor. mart. cap. 78.

[c] Thalalæi & ſoc.] De his item hac die Græci in Menologio, vbi & eorum martyrij Acta paucis narrantur. De martyrio, eccleſia videlicet S. Thalalæi, habetur mentio in Actis ſancti Auxentij, quæ deſcripſit Lipom. tom. 5. & Sur. tomo 1. die 14. Februarij. Procop. lib. 5. in fin. de ædif. Iuſtinian. Imp. ſcribit inſtauratum à Iuſtiniano Imperatore templum ſancti Thalalæi poſitum in Palæſtina.

[d] Aquilæ.] Græci etiam de Aquila in Menologio hac die; traduntque ibidem, hunc paſſum in Ægypto temporibus Diocletiani ſub Ariano Præſide, qui & ipſe (vt ſuperiùs dictum eſt) in Chriſtum credens, libentiſſimo animo martyrium ſubiit pro Chriſti glorioſa confeſſione.

[e] Auſtregiſili Epiſcopi.] Agit de eodem hac die Vſuardus. Edidit eius vitã ex manuſcrip Sur. to. 3. Vincentius item de eo lib. 23. cap. 26. & Sigebertus in chron. qui eum floruiſſe ſcribit temporibus Heraclij Imp. an. Domini 627. Succeſſit hic (vt eius Acta teſtantur) Apollinari, ſeditque annos duodecim, numeraturque in tabul. Democh. triceſimus eius ſedis Epiſcopus.

[f] Anaſtaſij Epiſcopi.] De eodem tabulæ eccleſiæ Brixianæ; meminit & Rambertus eiuſdem ſedis Epiſcopus in ſermone de tranſlatione S. Philaſtrij Epiſcopi.

[g] Theodori Epiſcopi.] De quo etiam hac die tabulæ eccleſiæ Papienſis, quas accepimus.

[h] Bernardini.] Huius egregia facta recitat Sur. tom. 3. hac die, & tom. 7. Marcus Vlixipponenſis Minorita collector chronic. ordinis Minorum lib. 2. par. 3. c. 19. affirmat Aquilę in eccleſia ſancti Bernardini nomine Deo dicata, ſuper arcum maioris altaris hanc poſitam eſſe inſcriptionem: Sanctus Bernardinus Senenſis obiit in ciuitate Aquilæ, die xx. Maij, anno Domini 1444. ſedente Eugenio Quarto, &c. Addit etiam, eius corpus primùm ſepultum eſſe in eccleſia monaſterij ſancti Franciſci, deinde cùm adſcriptus eſſet ſanctorum numero à Nicolao Papa Quinto, anno 1450. dedicato eius templo, annò ſequenti x. Kalendas Octobris illuc tranſlatum eſſe. In eodem libro ſunt litteræ Apoſtolicæ præfati Nicolai de canonizatione eiuſdem ſancti, datæ nono Kalendas Iunij, anno quarto Pontificatus ſui. Hæc præter ea, quæ de eodem ſancto teſtata reliquit ſanctus Antoninus in 3. par. titul. 22. & tit. 24. cap. 7. & alij. Extant eiuſdem ſanctiſſimi viri ſermones manuſcripti, aliaque ſcriptorum eius egregia monumenta, quæ omnia proximè excudenda accepimus.

[i] Plautillæ.] De ea agitur in Actis ſanctorum martyrum Nerei & Achillei, extant apud Sur. tomo tertio, die 12. Maij. Mentio habetur & de Plautilla in Paſſione S. Pauli Apoſtoli, quæ fertur nomine Lini.

21 **Duodecimo Kal. Iunij. Luna.** A viij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | | | |

IN Mauritania Cæſarienſi natalis ſanctorum martyrum Timothei [a], Polij, & Eutychij diaconorum; qui in eadem Regione verbum Dei diſſeminantes, pariter coronari meruerunt. Cæſareæ in Cappadocia natalis ſanctorum martyrum Polyeucti [b], Victorij, & Donati. Cordubæ S. Secundini [c] martyris. Eodem die ſanctorum martyrum Syneſij [d] & Theopompi.

Cæſa-

Cæſareæ Philippi natalis ſanctorum martyrum Nicoſtrati[e] & Antiochi tribunorum, cum aliis militibus. Eodem die S. Valentis[f] Epiſcopi, qui cum tribus pueris necatus eſt. Alexandriæ commemoratio ſanctorum martyrum Secundi[g] presbyteri & aliorum, quos ſacris diebus Pentecoſtes ſub Conſtantio Imperatore Georgius Epiſcopus Arianus ſæuiſſimè occidi præcepit. Item ſanctorum Epiſcoporum[h] & presbyterorum, qui ab Arianis exilio relegati, ſanctis confeſſoribus ſociari meruerunt. Niciæ in Gallia S. Hoſpitij[i] confeſſoris, virtute abſtinentiæ, & prophetiæ ſpiritu inſignis.

## MAII 21.

[a] TIMOTHEI & ſociorum.] De his item hac die Beda, Vſuardus, Ado, & Pettus in catalogo libro 5. cap. 28.

[b] Polyeucti.] Iidem qui ſuprà hac die, Græci autem in Menologio quinto Idus Ianuarij; paſſumque traduot ſub Decij perſecutiooe. Sed illi de Polyeucto, qui paſſus eſt Melitenæ in Armenia, de quo ſuperiùs die decimatertia Februarij: hic autem, qui vnà cum Victorio & Donam paſſus habetur Cæſareæ Cappadociæ, ab illo diuerſus eſſe cenſetur: de quo plura ſuperiùs dicta ſunt.

[c] Secundini.] De eodē hac die Vſuardus. Recenſet hunc Vaſæus in chron. cū ſanctis martyribus, qui paſſi ſunt io perſecutione Diocletiani, anno 306. Agitut de eodem in Flore ſanctorum Hiſpan.

[d] Syneſij & ſociorum.] Recenſet eorum res geſtas Petrus in catal. lib. 5. c. 33. paſſoſque refert in perſecutione Diocletiani: ſed dum ait Theopompum tunc temporis præfuiſſe eccleſiæ Nicomedienſi, temporum ratio parum cooſentire videtur: nam illis Diocletiani temporibus primò Cyrillum, deinde Antimum ſediſſe conſtat, prout etiam ſuprà diximus. De Theopompo eſt epigramma Bonad. lib. a, monod. 76.

[e] Nicoſtrati & ſoc.] Habentur horum Acta iotexta in Procopio martyre apud Metaphraſtem viij. Iulij, vbi & hac ipſa die paſſi leguntur in perſecutione Diocletiani.

[f] Valentis Epiſcopi.] Agunt de eodem hac die Beda, Ado, & alij, conſentiuntque manuſcript.

[g] Secundi & ſoc.] Horum omnium agonem exactè deſcribit ſanctus Athanaſius in epiſtola ad ſolitarios col. 481. Quot autem tunc cæſi ſint martyres, idem refert io apologia quam ſcripſit de fuga ſua, col. 335. & 336.

[h] Sanctorum Epiſc.] Agit de his item S. Athanaſius in eadem apologia de fuga ſua, col. 336. hia verbis: Illi autem ex Ægypto & Africa hos Epiſcopos ad fugam exiliumque compulerunt, Ammonium, Muum, Gaium, Philonem, Hermem, Plinium, Pſinoſirim, Palemonem, Agathonem, Anagamphoo, Marcum, Ammonium, & alterum eiuſdem nominis Marcum, Dracontium, Adelphium, Athenodorum, presbyteros verò Hieracem & Dioſcorum: quos tanta acerbitate rapuerunt, vt quidam in via, quidam in exilio mortem oppetierint, &c. Hæc Athanaſius.

[i] Hoſpitij.] De eo plura Greg. Turonen. hiſt. Franc. lib. 6. cap. 6. & 7. & de gloria confeſſ. c. 97. Paulus diaconus de geſt. Longobard. libro 3. cap. 1. Sigebert. in chron. anno Domini 581. Petrus in catal. lib. 5. cap. 27. & alij. Eius venerandum corpus in cathedrali eccleſia Nicienſi aſſeruari dicitur, coliq. die decimaquinta Octobris.

vij. B Vndecimo Kal. Iunij. Luna. 22

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f. | F | G | H | M | N | P |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |

ROMÆ ſanctorum martyrum Fauſtini[a], Timothei, & Venuſti. In Africa ſanctorum martyrum Caſti[b] & Æmilij, qui per ignem paſſionis martyrium conſummarunt. Hos (vt B. Cyprianus ſcribit) in prima congreſſione deuictos, Dominus victores in ſecundo prœlio reddidit; vt fortiores ignibus fierent, qui ignibus antè ceſſiſſent. In Corſica ſanctæ Iuliæ[c] virginis, quæ crucis ſupplicio coronata eſt. Comanæ in Ponto S. Baſiliſci[d] martyris, qui ſub

Ma-

Maximiano Imperatore,& Agrippa Præſide, ferreas crepidas ignitis clauis confixas calceatus, multaq; alia paſſus, demum capite obtruncatus, & in flumen proiectus, martyrij gloriam conſecutus eſt. In Hiſpania ſanctæ Quiteriæ [e] virginis & martyris. Rauennæ ſancti Marciani [f] Epiſcopi & confeſſoris. In Pago Antiſiodorenſi beati Romani [g] abbatis, qui ſancto Benedicto miniſtrauit in ſpecu: inde in Gallias proficiſcens, ædificato monaſterio, relictiſque multis ſanctitatis alumnis, quieuit in Domino. Apud Aquinum ſancti Fulci [h] confeſſoris. Antiſiodori ſanctæ Helenæ [i] virginis.

## MAII 22.

FAVSTINI & ſoc[a]. ] De his item hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores.

[b] Caſti & Æmilij. ] Agunt de his hac die Vſuardus, Ado,& alij, Beda autem pridie huius diei. Scribit de his S. Cyprianus in lib. de lapſis. Habuit in eorum die natali tractatum ſanctus Auguſtinus, vt teſtatur Poſſid. in Indiculo.

[c] Iuliæ. ] De eadem hac die Vſuardus & Ado, Beda autem prid. huius diei, Petrus in catal. lib. 5. c. 29. Paſſamque ferunt eo tempore, quo à Vuandalis Carthago capta eſt: quod contigit (vt ſcribit Proſper in chron. Theodoſio xvij. & Feſto Coſſ. eſt hic annus à Chriſto Domino (ſecundùm recentiorum veriorem ſupputationem) 439. Illud verò minimè mirandum eſt, ſi temporibus illis Chriſtianorũ pientiſſimorum Auguſtorum Chriſtiana ancilla homini à fide Chriſti alieno vendita, ob fidei confeſſionem martyrio occubuerit, vt eius Acta à dicto Petro relata teſtantur: conſtat enim tunc temporis Ethnicorum ſuperſtitionem quodammodò reuixiſſe: & vt prætereamus quæ ſcribit Saluianus Maſſilienſis in libris de Prouidentia Dei, & alij; ſatis eſſe poteſt ad id demonſtrandum nouella conſtitutio Theodoſij, eodem anno, quo capta eſt Carthago, iiſdemque Conſulibus promulgata. habetur inter nouellas conſtit. tit. 3. ex qua quis facilè intelliget illorum temporum ſtatum infeliciſſimum.

[d] Baſiliſci. ] De eo prætereà Græci in Menologio hac ipſa die; ibique eius Acta compendio conſcribuntur. Pallad. in dialog. de rebus geſtis S. Ioannis Chryſoſtomi ſcribit hunc Gommanæ ciuitatis in Ponto fuiſſe Epiſcopum, paſſumque eſſe temporibus Maximiani Imp. Meminerunt eiuſdem, qui Acta ſancti Ioannis Chryſoſt. conſcripſerunt, vt Theodoret. hiſt. lib. 5. cap. 34. Niceph. lib. 13. c. 37. Metaphraſt. Georgius Alexand. & alij.

[e] Quiteriæ. ] De qua ex antiquis monumentis in Flore ſanct. Hiſpan. plura habes, necnon in Theſ. concion. tom. 2. hac die.

[f] Marciani Epiſc. ] Habet Beda loco Marciani: Rauennæ natalis S. Martyriæ. ſed puto eſſe mendum in codice: nam nec in tabulis eccleſiæ Rauennatis, nec in hiſtoriis Rauen. aliqua prorſus eſt mentio de Martyria. Marcianum autem temporibus Hadriani Imper. martyrium ſubiiſſe, ſcribit Hieron. Rub. hiſt. Rauen. lib. 1. ſecundæ editionis.

[g] Romani abb. ] Alius hic ab illo de quo ſuprà prid. Kal. Martij. De hoc ſcribit S. Gregorius li. 2. dialog. c. 1. In Actis item S. Mauri abb. agitur de eius acceſſu ad Gallias, longè antequam illuc proficiſceretur Maurus, vt eadem Acta ſignificant, apud Sur. die 15. Ianuarij.

[h] Fulci. ] De eo vet. monumenta eccleſiæ Aquinatis, vbi de eo natalis dies agitur.

[i] Helenę virginis. ] De eadem item hac die Beda, Vſuardus, Ado, & Petrus in catalog. lib. 11. Mentio habetur de eadem in rebus geſtis ſancti Amatoris. Vixit temporibus Theodoſij Senioris, & Honorij eius filij, vt ex iiſdem Actis colligitur.

23 Decimo Kalend. Iunij. Luna. C vj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | | | |

APVD Lingonas in Gallia paſſio ſancti [a] Deſiderij Epiſcopi, qui cùm plebem ſuam ab exercitu Vuandalorum vexari cerneret, ad Regem eorum pro ea ſupplicaturus acceſſit: à quo ſtatim iugulari iuſſus, pro ouibus ſibi creditis ceruicem libenter extendit, & percuſſus gladio migrauit ad Chriſtum. Paſſi ſunt autem cum eo & alij plures de numero gregis ſui, qui apud eam-

dem vrbem conditi ſunt. In Hiſpania ſanctorum martyrum Epitacij [b] Epiſcopi,& Baſilei. In Africa ſanctorum martyrum Quinctiani[c], Lucij,& Iuliani,qui in perſecutione Vuandalica paſſi,æternas coronas meruerunt. In Cappadocia cõmemoratio [d]ſanctorum martyrum,qui in perſecutione Maximini confractis[e]cruribus necati ſunt: item eorũ qui eodem tempore in Meſopotamia [f]appenſi pedibus in ſublime, capite verſo deorſum,ſuffocati fumo, & lento igne conſumpti,martyrium compleuerunt. In territorio Lugdunenſi ſancti Deſiderij[g] Epiſcopi Viennenſis,qui Theodorici Regis iuſſu lapidibus obrutus,martyrio coronatur. Synnadæ in Phrygia ſancti Michaëlis[h] Epiſcopi. Ipſo die ſancti Mercurialis[i] Epiſcopi. Neapoli in Campania S. Euphebij[k] Epiſcopi. Apud Nurſiam ſanctorum monachorum Eutychij[l] & Florentij,quorum meminit beatus Gregorius Papa.

## MAII 23.

DESIDERII Epiſcopi & ſoc. [a]] Agũt de eodem hac die Beda, Vſuardus,Ado,Petrus in catal. li. 5. cap. 31. & alij recẽtiores. Sigebertus in chron. recenſet eius martyrium anno Domini quadringenteſimo vndecimo,eumque paſſum refert vnà cum Vincentio eiuſdem Eccleſiæ archidiacono: verùm eùm Deſiderius Lingonienſis Epiſcopus reperiatur interfuiſſe Cõcilio Agrippinenſi, celebrato poſt Conſulatũ Amantij & Albini, qui numeratur annus Domini (iuxta Faſtos Onuphrij) trecenteſimus quadrageſimusſextus; propter tam longam temporis diſtantiam huius martyrium non referendum ad ea tempora arbitramur Valentiniani Imp. quando Vuandali longè lateque effuſi ſunt per Gallias,atq; Hiſpanias, & in Africam vſque venerunt; ſed quando primũ illa gens iuncta alijs barbaris nationibus Gallias inuaſit, de qua illata clade meminit S. Hier. epiſt. 11. ad Ageruchiam. Ponitur hic in tabulis Democharis tertius ordine eius ciuitatis Epiſcopus,nec alter eius nominis ibi Epiſcopus reperitur. De eodem extat epigramma Bonad. Sanct. lib. 2. monod. 71.

[b] Epitacij & Baſilei.] De his etiam vet. manuſcript. & recentiores,necnon & Flos ſanct. Hiſp.

[c] Quinctiani & ſociorum.] Fuit Quinctianus Siccenſis Epiſcopus in Africa tempore Hunnerici Vuandal. Reg. de quo Victor de perſecut. Vuandal. lib. 2.

[d] Commemoratio ſanct. mart.] De his videtur ſcripſiſſe Euſeb. hiſt. lib. 8. cap. 24. ex quo Nicephorus, & alij recentiores.

[e] Confractis cruribus.] Errant qui putant ſupplicium crurifragij non aliud fuiſſe,quàm cũ cruci affixis crura ſuffringerentur: nam crucifixorum crura frangere,vt citius morerentur,apud Iudæos tantummodò erat in vſu,quibus lege præcipiebatur, vt eadem die corpora illorum deponerentur de cruce,atque ſepelirentur. Deuter. cap. 21. Gentiles autem vſque ad putrefactionem ea ſinebant permanere, vt diximus ſuprà. Ceterùm quòd legerim in Actis martyrum, ac libris Gentilium, crurifragium erat ſupplicium à ceteris diſtinctum; quod deſcriptum habetur in Actis S. Hadriani martyris, quę quidẽ germana eſſe noſcuntur. Incus enim parabatur vnà cum vecte ac malleo ferreo: iubebantur miſeri tibias imponere ſuper incudem, quas ferus carnifex vecte vel malleo validis ictibus ſuffringebat. Meminit huius ſupplicij Plautus in Pœnul. dum ait: Ea Syncerasto crurifragium fecit. Cicero pro Roſc. Amer. Opinor, inquit, iis crura ſuffringantur. Polyb. hiſtor. lib. 1. de eadem ſæuiſſima pœna pluribus. Irrogari ſolitum erat eiuſmodi ſupplicium vilioribus tantùm perſonis, vel ob aliquod immane ſcelus. Seruus Apollonij ſenatoris, de quo ſuperiùs,domini ſui delator, ea Senatus ſententia crurifragio peremptus eſt. Ceterùm complures nobilium, quòd Chriſtiani eſſent, & ob hanc cauſam vilioris conditionis habiti, crurifragio necati reperiuntur, vt de Hadriano martyre accidit, cuius nuper meminimus. Crurifragium hodie eſſe in vſu apud barbaras nationes accepimus.

[f] In Meſopot.] Agunt de his item Euſeb. & Niceph. vbi ſuprà. Porrò eiuſmodi immẽſi ſupplicij genus fertur excogitatum eſſe primùm ab Auidio Caſſio tyranno,qui ad ſtipitem octoginta vel centum pedum à ſummo ad imum vſque damnatos cùm obligaret,ad ima igne ſubiecto,fiebat,vt alijs ardentibus, alij fumo præfocarentur, aut terrore exanimarentur. Vulc. Gal. in Auidio Caſſio.

[g] Deſiderij Epiſc.] De eodem Beda, & Ado hac die. Hîc quippe agitur natalis dies eius,tranſlatio autem tertio Idus Februarij, vt teſtatur idem Ado, dictis diebus. Tu vide quæ ſuperiùs ea die notata ſunt de S. Deſiderio.

[h] Michaëlis Epiſcopi.] Græci etiam de eodem agunt hac die in Menologio his verbis: Memoria S. Patris noſtri Michaelis confeſſoris, Epiſcopi Synnadarum. Hic primùm monachus, poſteà eſt factus Epiſcopus: qui cùm eſſet rectæ fidei obſeruantiſſimus, Leonis Iſaurici hęreſim redarguens, propter ſanctarum imaginum venerationem, quam libera voce profitebatur, in exilium miſſus; cùm bonum certamen & curſum conſummaſſet, migrauit ad Dominum. Hæc ibi.

[i] Mercurialis Epiſcopi.] De eo item vet. manuſcr. Agit de Mercuriali Epiſcopo Limenſi Petrus in catal lib 10. cap. 107. Sed deprauatè legitur, Limenſi, pro Liuienſi: nam conſtat fuiſſe Epiſcopum Foroliuienſem: ſiquidem anno Domini 1576. R. D. Antonius Iannotus Foroliuienſis Epiſcopus eius corpus reperit in marmoreo loculo conditum, ſerico tectum, vbi in lamina plumbea intus poſita hæc notata erat inſcriptio: HIC REQVIESCIT CORPVS BEATI MERCVRIALIS EPISCOPI LIVIENSIS: OBIIT ANN. CLVI. PRID. KALEND. MAII. Habentur hæc memoriæ prodita in libello ab eodem Epiſcopo ſcripto de modo celebrandi Iubilæi, Ceſenæ impreſſo apud Bartholomæum Raccenium.

[k] Euphebij.] De eo tab. eccleſiæ Neapolitanæ. Eius res geſtæ habentur deſcriptæ ex vetuſtis codicibus à Paulo Regio. Migrauit ex hac vita anno à Chriſto Domino 713. Legi & libellum miraculorum eius.

[l] Eutychij & Florentij.] Horum res geſtas ſcribit ſanctus Gregorius dialog. lib. 3. cap. 15. ex quo Petrus in catal. lib. 2. cap. 11. Plura de iiſdem habentur in veteri manuſcripto eccleſiæ eiuſdem S. Eutychij apud Nurſiam, vbi ipſius corpus religiosè reconditum aſſeruatur.

24 Nonò Kalendas Iunij. Luna. D v.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |

ANTIOCHIÆ natalis ſancti Manahen[a], Herodis Tetrarchæ collactanei, doctoris & prophetę ſub gratia noui teſtamẽti, in eadem vrbe quieſcentis. Item beatæ Ioannę[b] vxoris Chuzæ procuratoris Herodis, quam Lucas Euangeliſta commemorat. In Portu Romano natalis ſancti Vincentij[c] martyris. Brixiæ ſanctæ Afræ[d] martyris, quæ ſub Hadriano Imperatore paſſa eſt. Nannete in Britannia Minori beatorum martyrum Donatiani[e] & Rogatiani fratrum, qui ſub Diocletiano Imperatore pro conſtantia fidei in carcerem miſſi, & in equuleo ſuſpenſi ac laniati, deinde lancea militari confoſſi, nouiſſimè capita eorum præciſa ſunt. In Sicilia S. Agrippinæ[f] virginis & martyris ſub Valeriano Imperatore. In Iſtria ſanctorũ martyrum Zoelli[g], Seruilij, Felicis, Siluani, & Dioclis. Eodem die ſanctorum martyrum Meletij[h] ducis exercitus, ac ſociorum eius ducentorum & quinquagintaduorum, qui diuerſo mortis genere martyrium compleuerunt. Item ſanctarum martyrum[i] Suſannæ, Marcianæ, & Palladiæ prædictorum militum coniugum, quæ vnà cum paruulis ſuis confractæ ſunt. Mediolani ſancti Robuſtiani[k] martyris. In monaſterio Lirinenſi S. Vincentij[l] preſbyteri, doctrina & ſanctitate conſpicui. Bononiæ Tranſlatio[m] ſancti Dominici confeſſoris, tempore Gregorij Papæ Noni.

## M A I I 24.

[a] MANAHEN.] De quo Act. Apoſt. cap. 13. Agunt de eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & Petrus in catalog. lib. 5. cap. 34.

[b] Ioannæ.] De ea Lucas Euangel. cap. 8. & 24. Beda, Vſuard. Ado, & alij hac die.

[c] Vincentij.] De eo item hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac recentiores, adſtipulanturque vet. manuſcrip.

[d] Afræ.] De ipſa item tabulę eccleſię Brixianæ. Eius Acta à S. Philaſtrio fuiſſe ſcriptis mãdata, teſtatur Galeſinus, quę nos nondũ vidimus. Diuerſa eſt hęc ab illa quæ paſſa eſt Auguſtę Vindelicorũ.

[e] Donatiani & Rogatiani.] Agunt de his item hac die Beda, Vſuardus, Ado, Petrus in catal. libro 5. cap. 37. & alij recentiores. Recitat horum res geſtas Sur. tom. 3. Meminit eorumdem Gregor. Turon. de gloria mart. cap. 60.

[f] Agrippinæ.] Accepimus eius res geſtas à R. D. Ludouico de Torres, Archiepiſcopo Montiſregalis, ſed quæ erant admodum deprauatæ. Conſtat tamen eius cultum celebrem eſſe in Sicilia, vbi eius corpus conditum eſt. Recitatur de eadem officium Eccleſiaſt. extatque ipſum in Breuiario Gallicano.

[g] Zoelli & ſoc.] De his iidem qui ſuprà, Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores.

[h] Meletij & ſoc.] Græci iidem de his agunt in Menologio hac die, vbi & eorum Acta pluribus referunt.

[i] Suſannæ & ſoc.] Agunt de his item Græci in Menologio, recenſentque harum res geſtas iunctas Actis prædictorum Meletij & ſociorum.

[k] Robuſtiani.] De quo & tabulæ eccleſ. Mediolanenſis, ex quibus etiam Galeſinus hac die in ſuo Martyrologio.

[l] Vincentij.] De eo item Molan. in addit. ad Vſuard. De Vincentio Lirinenſi plura Gennadius de vir. illuſtr. cap. 64. Non eſt hoc loco prætermittendum, errare eos qui Vincentianas (ſic enim appellant) obiectiones illas aduerſus S. Proſperũ ſancti Auguſtini ſcripta defendentem, Vincentij huius exiſtimant fuiſſe, eò quòd illis temporibus vixerit. ſed huius rei falſitas ex hoc cognoſci poteſt, quòd hic non tantùm non impugnauit defenſores S. Auguſtini, ſed magnopere laudauit: nam eo libro quem ſcripſit aduerſus hæreſes cap. 43. vehementer commendauit Cęleſtini Romani Pontificis epiſtolam in defenſionem ſcriptorum S. Auguſtini, datam ad Epiſcopos Galliarum aduerſus eos qui tanti Patris doctrinam auſi fuerant impugnare. Sed vt intelligamus quiſnam ille fuerit Vincentius, qui pugnaciſſimas illas conſcripſit obiectiones: ſciendum eſt, eodem ſæculo alterum Vincentium claruiſſe in Gallia, de quo idem Gennadius ſcribit eodem lib. cap. 80. cui potiùs opus illud tribuendum putarem. Quidquid ſit, conſtat quidem lucubrationes illas eſſe Pelagiani hominis, nec dignas quæ tribuantur Vincentio Lirinenſi, qui aureo planè illo opuſculo fidem Catholicam egregiè teſtatam reliquit, quo cùm omnes hæreſes, tum maximè hæreſim Pelagianam cum auctoribus ſuis impugnat, vt conſtat ex eodem libro cap. 2. & 14. Hæc modò de Vincentij fide ſatis. Claruit temporibus Honorij Imp. magnamque ſui nominis in Eccleſia Catholica laudem reliquit.

[m] Tranſlatio S. Dominici.] De eadem iidem qui ſcripſerunt eius Acta, de quibus ſuo loco inferiùs prid. Non. Auguſti. Facta eſt eiuſmodi tranſlatio anno ſexto Gregorij Noni Rom. Pont. anno Domini 1233. Indict. ſexta, ab obitu eius anno 13. de qua & videas Antonin. in tertia par. tit. 9. cap. 4.

## iiij. E Octauo Kalend. Iunij. Luna. 25

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | | | |

ROMÆ via Nomentana natalis beati Vrbani[a] Papæ & martyris, cuius exhortatione & doctrina multi (in quibus fuere Tiburtius & Valerianus) Chriſti fidem ſuſceperunt, & pro ea martyrium ſubierunt: ipſe quoque pro Eccleſia Dei multa paſſus, tandem ceruicibus abſciſſis, martyrio coronatus eſt. Doroſtori in Myſia natalis ſanctorum martyrum Paſicratis[b], Valentionis, & aliorum duorũ ſimul coronatorum. Mediolani ſancti Dionyſij[c] Epiſcopi, qui ab Imperatore Conſtantio Ariano in Cappadociam pro fide Catholica relegatus, ibidem propiore martyribus titulo ſpiritum Deo reddidit. Eius ſacrum corpus ab Aurelio Epiſcopo Mediolanum tranſmiſſum eſt ad beatum Ambroſium Epiſcopum: cui piæ actioni officium quoque ſancti Baſilij Magni acceſſiſſe traditur. Romæ ſancti Bonifacij[d] Papæ Quarti, qui Pantheon in honorem beatæ Mariæ ad Martyres dedicauit. Salerni depoſitio beati Gregorij[e] Papæ Septimi, Eccleſiaſticæ libertatis propugnatoris ac defenſoris acerrimi. Florentiæ natalis S. Zenobij[f] eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, vitæ ſanctitate ac miraculorum gloria conſpicui. In Britannia ſancti Adel-

Aldelmi[g] Epiſcopi Schireburgenſis. In territorio Tricaſſino ſancti Leonis[h] confeſſoris. Aſſiſij in Vmbria Tranſlatio[i] S. Franciſci confeſſoris, tempore Gregorij Papæ Noni. Verulis in Hernicis Tranſlatio[k] S. Mariæ Iacobi, cuius ſacrum corpus plurimis miraculis illuſtratur.

## M A I I 25.

[a] VRBANI Papæ. ] De ipſo item hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. De huius ſucceſſione Euſebius in chron. & hiſtor. lib. 6. cap. 15. & 22. Optat. libro 2. contra Parm. Auguſtinus epiſt. 165. Nicephorus in chronic. & alij. Eius Acta, quæ extant inteata rebus geſtis S. Cæciliç, recitat Metaphraſtes. Pluribus nos de eo in Annalibus Eccleſiaſticis.

[b] Paſicratis & Valentionis. ] Agunt de his iidem qui ſuprà, Beda, ac ceteri. Habentur de his mentio in Actis S. Iulij martyris apud Bedam & alios ad vj. Kalend. Iunij. Doroſtorum in Myſia, de quo hîc habetur mentio, alij Doroſtolum dicunt, & in Thracia ſitum volunt, vt Theodoretus hiſtor. libro 3. cap. 6. Alio nomine hunc locum dictum Diſtram, tradit Cedrenus in compend. in Ioanne Imp.

[c] Dionyſij Epiſcopi. ] Agunt de eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij omnes. Huius meminit ſanctus Athanaſius in epiſtola ad ſolitar. & in lib. de Synodis, ſanctus Hilarius ad Conſtantium, ſanctus Ambroſius concione prima de baſil. non trad. & ſerm. 15. de ſanct. edit. Rom. Seuerus hiſt. ſacr. lib. 2. Lucifer Calarit. lib. 2. pro Athanaſio, Socrat. hiſt. lib. 2. cap. 29. Mentio de eodem habetur in Actis ſancti Euſebij Epiſcopi Vercellenſis. Recitat eius res geſtas Mombrit. tomo 1. Vit. ſanct. de eius tranſlatione ex Cappadocia Mediolanum, anuqua Mediolanenſis eccleſiæ monumenta à Galeſino expurgata atque illuſtrata teſtantur.

[d] Bonifacij Papę. ] Succeſſit hic Bonifacio eius nominis Tertio, anno Domini 606. Plura de ipſo in Annalib. Eccleſiaſt diximus.

[e] Gregorij Papæ Septimi, ] Sanctiſſimi Pontificis gloria nunquam valuit ſchiſmaticorum ſcriptorum ſchiſmaticis Regibus fauentium calumniis obſcurari, vel aliqua ea parte labefactari; quin potiùs longè clarior eſt ſemper reddita atque illuſtrior: ſicut olim ſancto Magno illi Athanaſio fidei propugnatori contigit, cùm & ipſe circumuentus ac pænè obrutus eſſet falſis obiectionibus Arianorum. Qui enim ab Eccleſia Catholica non deſciuerunt, reſque huius ſanctiſſimi Pontificis præclariſſimè geſtas ſinceræ mentis oculis ſunt contemplati, immenſis eum præconiis, ſi quem alium antiquorum ſanctorum Patrum, ſunt proſecuti. Et vt omittamus hîc referre teſtes pænè innumeros, ſatis ſit tibi modò Lambertus, qui ſui temporis per annos ſingulos puram ac germanam digeſſit hiſtoriam, eiuſque Acta conſcripſit. Hic inter cetera tanti Pontificis ornamenta recenſet, eum, dum vixit, miraculis claruiſſe. Conſule, ſi libet, & Marianum Scotum, qui illis ipſis etiam temporibus claruit, candidéque res eius per annos ſingulos conſcripſit, quales fuerint calumniæ ſchiſmaticorum, & qualia tanti Pontificis merita, ęqua lance librans. Multa hîc eſſent addenda, vt quæ Deſiderius abbas Caſſinenſis lib. 3. dialog. quæ etiam Petrus Damian. aliíque de eo ſcripſerunt. Porrò qualis quantúſve fuerit, qui zelus ipſius, quæ animi conſtantia, paſtoralis vigilantia, vigor, & diſciplina, ac denique ceterę virtutes tanto culmine dignæ in eo Pontifice enituerint, regiſtrum ipſius epiſtolarum, quod aſſeruatur in Vaticana bibliotheca, facilè indicat.

[f] Zenobij Epiſcopi. ] De eo Paulinus in vita ſancti Ambroſij: porrò eius vitam ex antiquis collectam monumentis Ioannes Aretinus conſcripſit. Agit de eodem S. Antonin. in 2. par. tit. 10. cap. 12. Petrus in catalog. lib. 5. cap. 41. & alij recentiores.

[g] Aldelmi Epiſcopi. ] Scribit de eo Beda de geſt. Angl. lib. 5. cap. 19. Feruntur eius Acta eſſe conſcripta à S. Eugenio, necnon etiam à ſancto Oſmundo, de quibus agitur in catal. ſcriptorum Britanniæ. Epitomen autem rerum ipſius recitat Sur. tom. 3. Eaceſſit ea hac vita anno Domini 719. Extant eiuſdem auctoris plurima ſcriptorum monumenta.

[h] Leonis. ] Agit de eodem Vſuardus hac die, atque recentiores.

[i] Tranſlatio S. Franciſci. ] De qua S. Bonauentura in vita ipſius cap. 15. & Marcus Vlhaippon. Minorita in chron. ord. Minor. lib. 2. cap. 75. egregiè meminerunt.

[k] Tranſlatio ſanctæ Mariæ Iacobi. ] Eius rei geſtæ hiſtoriam accepimus editam à Verulana eccleſia, vbi eius corpus decentiſſimè aſſeruatur. Habentur ibidem complura de ea re ſcripta miracula: alia inſuper de his manuſcripta accepimus ab eccleſia Piſtorienſi prædictis conſentientia.

nificibus, vel ab officio ſerirentur. Apparitores autem erant infimæ militiæ milites iudicibus ſeruientes, quibus nec ad altiorem militiam aſpirare licebat. Eſt de his L. 19. & 20. de diuerſ. offic. Cod. Theodoſ. Brutianos eidem muneri fuiſſe mancipatos ex ſenatuſconſulto, eò quòd ipſi primi ſe tradidiſſent Hannibali, auctor eſt Feſtus verbo Brutiani.

[d] Reſtitutæ.] Aſſeruantur eius martyrij Acta in eccleſia Sorana, in nonnullis tamen corrigenda: quę licet ſine auctoris nomine ferantur, poſt multum tandè laboris inueniſſe opinamur auctorem. Petrus etenim chartularius diac. monaſterij Caſſin. in lib. quē ſcripſit de vir. illuſt. monaſt. Caſſin. c. 32. cùm agit de Gregorio olim monacho Caſſinen. inde autem Epiſcopo Tarracinenſi, recenſetq; commentarios ab eo conſcriptos, hæc inter alia: Scripſit paſſionem ſanctæ virginis Reſtitutæ, necnon Acta ſanctorū martyrum Caſti & Caſſij. Hæc ille. Extat adhuc memoria in inſula Fibreni fluminis, vbi martyrio coronata eſt; illeq́ue putatur locus, quem Tullius lib 2. de legibus deſcribit his verbis: Ventum in inſulam eſt: hac verò nihil eſt amœnius: vt enim quaſi roſtro finditur Fibrenus, & diuiſus æqualiter in duas partes, latera hęc alluit, rapideq́ue dilapſus, citò in vnum confluit, & tantum complectitur, quod ſatis ſit modicæ palæſtrę loci, &c. Verè factus eſt palæſtræ locus, vbi poſteà Chriſti virgo nobile certamen pro Chriſto ſubiit, victrixque eſt coronata martyrio vnà cum ſociis. Putatur ex carnificina ſanctorum martyrum illic exerceri ſolita, ipſum Fibrenum flumen hodie vulgò dici Carnellum, quaſi carnarium. In Actis S. Placidi martyris, quæ ſcripſit Gordianus, idem flumen, Carnellus reperitur appellatum; vt ſcias non eſſe recentem nomenclaturam.

[e] Agathio Proconſule.] Auguſtus Imperator ex Mæcenatis ſententia dedit Italiæ ciuitatibus Conſulares cum iure gladij; ſunt iidem & Proconſules appellati. de his agit pluribus Dio libro 52 & 53 Ab eodem datum eſſe Proconſulem Soræ, haud dubium eſt: nam vna ex trigintaocto coloniis numeratur à Frontino lib. de colon. quas Auguſtum in Italiam duxiſſe ſcribit Suetonius in Octau. Aug. cap. 46. vbi & de iure colon. plura. ante etiam L. Genucio & Seruio Cornelio Coſſ. anno ab Vrbe condita 451. nobilitata fuit ea ciuitas colonia Romanorū, vt auctor eſt Liuius li. 10. Paterc. lib. 1. & vetus marmori inciſa, quæ in eadem ciuitate habetur, docet inſcriptio. Cicero in orat. pro Planco recenſere videtur eamdem ciuitatem inter municipia, quæ in quibuſdam præſtare coloniis demonſtrat Gellius lib. 16. c. 13. Quod item ad Conſulares iudices ſpectat, quorum eſt frequens mentio in Actis ſanctorum martyrum; auctor eſt Iulius Capitolinus in Antonino Pio, ab Hadriano Imp. quatuor fuiſſe inſtitutos Conſulares, qui toti præeſſent Italiæ. Addit Aurelius Victor in Hadriano, eamdem formam magiſtratuum & officiorum, quam in Romano Imperio Hadrianus inſtituiſſet, vſque ad ſua tempora, nempe ſub Theodoſio, eſſe ſeruatam. De Conſularibus agens Iuſtinianus Imperator, recenſet eos inter illos qui medias adminiſtrationes gerunt. Authen. coll. 3. tit. 4. de mand. princ. circa princ. Dabantur olim etiam aliquibus Italiæ ciuitatibus Præfecti, quorum duplex genus erat: alij enim eorum populi Rom. ſuffragiis, alij verò à Prætore Vrbano quotannis mittebantur. De his omnibus Feſtus his verbis: Præfecturæ eæ appellabantur in Italià, in quibus & ius dicebatur, & nundinæ agebantur; & erat quædam earum Reſpublica: neque tamen magiſtratus ſuos habebant; in quas legibus Præfecti mittebantur quotannis, qui ius dicerent: quorum genera fuerint duo: alterum, in quas ſolebant ire Præfecti quatuor, qui auctore vigintiſex virûm numero, populi ſuffragio creati erant in hęc oppida, Capuam, Cumas, Caſilinum, Vulturnum, Liternum, Puteolos, Acerras, Sueſſulam, Arellam, Calatium: alterum, in quas ibant, quos Prætor Vrbanus quotannis in quæque loca miſerat legibus, vt Fundos, Formias, Cære, Venafrum, Alliphas, Priuernum, Anagniam, Fruſinonem, Reate, Saturniam, Nurſiam, Arpinum, aliaq́ue complura. Hæc Feſtus verb. Præfecturæ. At verò Præſides non dabantur niſi prouinciis: ſi quando tamen in Martyrologio inuenis alicuius ciuitatis Italiæ Præſidem, impropriè ſcias dictum, loco Præfecti. Hæc autem ea potiſſimùm ex cauſa hîc deſcripſimus, quòd in Martyrologiis & Menologiis ſub Conſularibus, Proconſulibus, Præfectis, atque Præſidibus martyres paſſi reperiuntur, vt ex his harum vocum proprietatem intelligas.

[f] Ranulphi.] De eodem Vſuardus hac die, aliiq́ue recentiores agunt.

[g] Eutropij Epiſcopi.] Beda de ipſo hac die, & alij. Acta eius conſcripta eſſe à Vero Epiſcopo, teſtantur Vſuardus, Ado, & Sigebertus de ſcript. Eccleſ. cap. 73. Agit de eo item Petrus in catalogo lib. 5. cap. 57. floruiſſeq́ue eum ſcribit temporibus Valentiniani Secundi Imperatoris.

[h] Bedæ.] De eo in dicto vet. manuſcripto codice monaſt. S. Cyriaci. Hic ab aliquibus inconſultè nimis putatur, ob id quòd venerabilis dictus reperitur à nonnullis, ſanctus dici non debere. Sanè quidem ſanctitatis titulo ornarunt eum maiores. Ab Ilduino clariſſimo viro in Areopagiticis Beda ſanctus preſbyter dictus habetur. Marianus Scotus, ſcriptor non ignobilis, qui ante quingentos annos vixit, lib. de ſex ætat. anno Domini 678. hæc ait: Sanctus Beda preſbyter Anglicus, computator, his temporibus clarus habetur. Hæc ille. Bedę res geſtas cōſcriptas eſſe ab Cuthberto monacho illi æquali, teſtatur Molanus; nos nondum vidimus: illa autem perbreuis narratio, quæ in fronte operum ipſius edita habetur, alia omnino cenſetur ab illis, quemadmodum & ea quæ in fine poſita ſunt tomi octaui operum eiuſdem, accepta (vt apparet) ex Petro in catal. lib. 5. c. 55. Epiſtolam autem illam de obitu Bedæ illic poſitam, & à Surio relatam in tom. 7. die 10. Maij, germanam atque ſinceram eſſe, nullus qui eam legerit, iure poterit dubitare. De Beda illud etiam vulgatum conſtat eſſe figmentum; fuiſſe nimirum oculis orbum. Nemo id veterum teſtatur: quod ſanè tacendum non fuiſſet ob viri eximiam doctrinam, & inexhauſtum in ſcribendo laborem. Traditur & fabella quędam de ſepulchri ipſius epitaphio, quam his verbis idem Petrus refert in catalogo: Cùm, inquit, diſcipulus eius, ipſo defuncto, titulum ſepulchro ponere diſpoſuiſſet, vnico carmine Leonino ſic incipiens: *Hac ſunt in foſſa.* velletq́ue, finire: *Beda ſancti, vel preſbyteri oſſa.* nec metrum ſtare poſſet, nec vllum

ei

ei vocabulum aliunde occurreret: tædio affectus, tandem iuit dormitum: & ecce manè in tumulo angelicis manibus reperitur inſculptum:

*Hac ſunt in foſſa Beda venerabilis oſſa.*

Hæc Petrus, & alij; quos iure irridet atque redarguit falſitatis Trithem. lib. 2. de vir. illuſtr. ord. ſancti Benedicti cap. 21. aliter enim ſe habere dicit epitaphium ad eius ſepulchrum inſcriptum, quod recitat lib. 3. c. 115. eſtque huiuſmodi:

*Presbyter hic Beda requieſcit carne ſepultus.*
*Dona, Chriſte, animam in cælis gaudere per æuum:*
*Daq́ illi ſophiæ debriari fonte, cui iam*
*Suſpirauit ouans intento ſemper amore.*

Hæc ibi: ex quibus irritum prorſus redditur de Leonino verſu commentum. Hæc fortaſſe pluribus: ſed meâ ſententiâ pernecesſaria, cùm ea de Bedæ ſepulchro penes complures fidem inuenerint. De tempore autem eius obitus diuerſę feruntur ſententię. Auctor catalogi ſcriptorum eius, qui habetur excuſus poſt præfationem libri de temporibus, teſtatur Bedam obiiſſe diem anno Domini 734. Scribit Sigebertus in chron. Bedam ex hac vita migraſſe anno Domini ſeptingenteſimo triceſimoprimo. Ea puto ratione id eum exiſtimaſſe, quòd ad illud vſque tempus perduxit gentis Anglorum hiſtoriam: ſed cùm idem Beda opus epitomes perducat vſque ad ſeptingenteſimum ſexageſimumſextum Chriſti annum, profiteaturque ibidem in fine, ſe anno ſuæ ætatis quinquageſimonono Anglorũ hiſtoriam, aliaque ſuper diuinam Scripturam opera abſoluiſſe; planè conſtat diutiùs vixiſſe. Sed nec illis facilè aſſentimur, qui tradunt eum diem obiiſſe annos natum ſeptuaginta, vel duos ampliùs: qui item cùm tradant, oculos eius præ longæua ætate caligaſſe; ad diuturniorem ætatem perueniſſe, fatendum eſt: ipſe etenim (vt ex dicta epiſtola conſtat) iam migraturus, multum vixiſſe ſe temporis teſtatus eſt. Quantum autem ex ſcriptis ipſius elicere licuit, reperimus eum vſque ad nonageſimumquartum ſuæ ætatis vixiſſe annum, quorum octogintaſeptem exegit in monaſterio: ſeptennis enim (vt ipſe ſcribit) traditus eſt S. Benedicto abbati in monaſterium ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli poſitum in Anglia ad Vuirimundam & Ingirum. Horum omnium rationem, quoniam longiorem exigit narrationem, hîc ſubtrahimus: in Annal. autem Eccleſ. fuſiùs proſecuti ſumus.

## 28 Quinto Kalend. Iunij, Luna. A j.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17
t u A B C D E f F G H M N P
18 19 20 21 22 23 24 25 25 26 27 28 29 30

IN Sardinia ſanctorum martyrum Aemilij[a], Felicis, Priami, & Luciani, qui pro Chriſto certantes, coronati ſunt. Carnoti in Gallia ſancti Carauni[b] martyris, qui ſub Domitiano Imperatore capite amputato martyrium ſumpſit. Corinthi ſanctæ Helconidis[c] martyris, quæ primùm Gordiano Imperatore ſub Perennio Præſide multis tormentis afflicta, deinde ſub Iuſtino eius ſucceſſore iterùm cruciata, ſed ab Angelo liberata, demum diſſectis mammis, feriſque obiecta, atque igne probata, capitis obtruncatione martyrium compleuit. Item paſſio ſanctorum Creſcentis[d], Dioſcoridis, Pauli, & Helladij. Thecuę in Palæſtina ſanctorum Monachorum[e] martyrum, qui tempore Theodoſij Iunioris à Sarracenis occiſi ſunt: quorum ſacras reliquias accolæ colligentes, ſumma veneratione illas habuerunt. Lutetiæ Pariſiorum ſancti Germani[f] Epiſcopi & confeſſoris, qui quantæ ſanctitatis, quantique meriti fuerit, quibus etiam miraculis claruerit, Fortunatus Epiſcopus litterarum monimentis conſignauit. Mediolani ſancti Senatoris[g] Epiſcopi, virtutibus & eruditione clariſſimi. Vrgellæ in Hiſpania Tarraconenſi ſancti Iuſti[h] Epiſcopi. Florentiæ S. Podij[i] Epiſcopi & confeſſoris.

AEMILII & ſoc.[a] ] De his hac item die Beda, Vſuardus, Ado, & alij, nuper autem Fara de rebus Sardois.

[b] Carauni. ] Agit de eodem Vſuardus hac die. Eius verò Acta ex antiq. manuſcript. edidit Mombrit. tom. 1. vit. ſanct. paucis autem Petrus in catal. lib. 5. cap. 60. Scripſit de eodem epigramma Bonad. in lib. 2. monod. 81.

[c] Helconidis. ] De ea item agunt Græci in Menologio hac die: ibi & eius martyrij Acta compendio habentur deſcripta.

[d] Creſcentis & ſoc. ] De his prætereà Græci in dicto eorū Menologio hac item die agunt. de iiſdem mentio eſt in vita S. Nicolai Epiſc.

[e] Sanctorum monachorum. ] Hi illi eſſe videntur, de quibus agit Ioannes Caſſian. in collat. ſexta de nece ſanctorum cap. 1. 2. & ſeq.

[f] Germani Epiſcopi. ] Beda, Vſuardus, Ado, aliiq; omnes hac die. Scripſit eius res geſtas Fortunatus Epiſcopus Pictauienſis, quas recenſuit Sur. tom. 3. hac die. De eodem Greg. Turon hiſt. Franc. lib. 4. c. 51. & li. 5. c. 8. & de gloria confeſſ. cap. 92. Sæpiùs idem Fortunatus, vt in carmine ad clerū Pariſienſem, vbi oſtendit quàm florens eſſet illa eccleſia eius tempore. Idem in vit. ſancti Martini carmine ſcripta lib. 4. & in vita ſanctæ Radegundis. Epitaphium ad eius ſepulchrum inditum recitat Aimoin. lib. 3. de geſt. Franc. cap. 9. & 16. De eo etiam Ado in chron. In Actis S. Vrſicini Epiſcopi Bituricenſis, quæ extant apud Greg. Turonen. de glor. confeſſ. cap 80. plura de eodem: itemque in Actis ſancti Domnoli Epiſcopi Cenomanen. apud Sur. tom. 3. die 16. Maij. Vinc. lib 21. cap. 63. 64. Antonin. par. 2. tit. 22. cap. 6. & nouiſſimè Papir. Maſ. Annal. Franc. lib. 1. in Cheberto. Migrauit ex hac vita anno Domini 579. vt tradit Sigebert. in chron. quod etiam colligitur ex Greg. Turon. lib. 5. cap. 8. Numeratur decimus nonus eius ſedis Epiſcopus in tabulis Democharis. Hiſtoria tranſlationis eius extat apud Sur. tomo 7. die 25. Iulij. Aimoin. ſcripſit duos libros de miraculis ipſius, qui ibidem editi habentur. De eius item miraculis poſt mortem factis agit Greg. Turon. hiſt. Franc. lib. 8. c. 33.

[g] Senatoris Epiſc. ] De quo etiam tabulæ eccleſiæ Mediolanen. Extat de eodem egregium epigramma Ennodij Ticinenſis, cuius eſt exordium: *Qui vicit trabeas*, &c.

[h] Iuſti Epiſc. ] Hac die natalem eius celebrari, cōſtat ex tab. eius eccleſiæ, & ex Flor. ſanct. Hiſp. Agit de eodem S. Iſidorus de vir. illuſtr. c. 21. & ex eo Honorius, & alij. Interfuit S. Iuſtus Concilio Toletano ſecundo, vt eius Acta indicant. Claruit temporibus Iuſtiniani Imperatoris.

[i] Podij Epiſc. ] Hic ſucceſſit Ioanni, anno Domini milleſimo & tertio, vt conſtat ex Actis S. Zenobij, quæ à Ioanne archipreſbytero Aretino edita extant apud Sur. tom. 3.

## * B Quarto Kalend. Iunij. Luna. 29

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | | | |

ROMÆ via Aurelia natalis ſancti Reſtituti[a] martyris. Apud Iconium Iſauriæ ciuitatem paſſio ſanctorum Cononis[b], & filij eius annorum duodecim; qui ſub Aureliano Imperatore craticulæ prunis ſuppoſitis, & oleo ſuperinfuſo, ſuſpenſionis in equuleo, atque ignis pœnam conſtanter paſſi, malleo ad extremum ligneo manibus eorum contritis, ſpiritum emiſerunt. Eodem die natalis ſanctorum martyrum Siſinij[c], Martyrij, & Alexandri, qui tempore Honorij Imperatoris in Ananiæ partibus (vt ſcribit beatus Paulinus) perſequentibus Gentilibus, martyrij coronam adepti ſunt. Cæſareę Philippi ſanctarum martyrum Theodoſiæ[d] matris ſancti Procopij martyris, & aliarum duodecim nobilium matronarum, quæ in perſecutione Diocletiani capitis obtruncatione conſummatæ ſunt. In Vmbria paſſio ſanctorum[e] mille quingentorum & vigintiquinque martyrum. Treuiris beati Maximini[f] Epiſcopi & confeſſoris, à quo S. Athanaſius Epiſcopus perſecutionem Con-

Conſtantij fugiens, honorificè ſuſceptus fuit. Veronæ ſancti Maximi[g] Epiſcopi. Arcani in Latio ſancti Eleutherij[h] confeſſoris.

## M A I I 29.

R[a]ESTITVTI[a]. ] Agit etiam de eo hac die Beda, Vſuardus, Ado, & ceteri denique recentiores. Eius martyrij Acta habentur in cod. ſcripto S. Mariæ Maioris ad Pręſepe dictæ, quibus narratur paſſus eſſe ſub Diocletiano Imp. damnatuſque ab Hermogeniano Præfecto Prætorio, de quo conſule tomum ſecundum Annalium. eſt illorum exordium: Sub Diocletiano & Maximiano Auguſtis, &c.]

[b] Cononis & filij. ] De his item iidem qui ſuprà. Eorum paſſionis Acta paucis refert Petrus in catalog. lib. 5. cap. 62.

[c] Siſinij, Martyrij, & Alexandri. ] De his Beda, Vſuardus, Ado, & alij hac die. Horum martyriũ ſcripſit S. Vigilius Epiſcopus Tridentinus ad S. Simplicianum Epiſcopum Mediolanenſem; recitateum commentariolum Lipom. to. 2. & Surius tom. 3. Dicti ſunt hi martyres Anannenſes, eò quòd in valle Anauniæ paſſi ſint. Horum etiam meminit S. Auguſtinus ſcribens ad Marcellinum epiſt. 158. Paulinus in vita S. Ambroſij, S. Gaudentius Epiſcopus Brixianus in ſermone habito in dedicatione baſilicæ, dictę, Concilium Sanctorum. Habet horum Acta Mombrit. to. 1. vit. ſanct. Sur. t. 3. Pet. in catal. lib. 5. c. 63 Idem mentionem facit de eiſdem in vita S. Vigilij Epiſc. lib. 6. c. 10. In his autem Actis quæ Mombritius recitat, paſſi hi habentur hoc menſe & die, Stilicone Conſule; numeratur is annus (ſecundùm Faſtos Onuphrij) quadringenteſimus, quo Romanæ Eccleſiæ præerat S. Anaſtaſius, Mediolanenſi autem ſanctus Simplicianus, Imperatoris Honorij anno vj. quo etiam Conſulatu S. Vigilium ab eiſdem Gentilibus occiſum eſſe, Vſuardus auctor eſt die 26. Iunij. Horum veneranda corpora ante triennium tranſtulit Illuſtriſſ. ac R. D. ſanctæ memoriæ Card. Borromæus.

[d] Theodoſiæ. ] Agunt hac item die Græci in Menologio de Theodoſia, ſed ea quæ Byzantij paſſa eſt. De hac autem Cæſarienſi Acta habentur in vita ſancti Procopij martyris, quam refert Metaphraſtes octauo Id. Iulij: extat apud Lipom. tomo 6. & Sur. tom. 4. Agitur ibidem de martyrio aliarum nobilium matronarum, quarum hîc item mentio habetur.

[e] Mille quingentorum, &c. ] De his agitur in Actis martyrij S. Venantij: paſſique habentur in perſecutione Decij Imperatoris ſub Antiocho Præfecto.

[f] Maximini Epiſcopi. ] De eo hac item die Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri. Huius res geſtas à Lupo quodam conſcriptas recitat Sur. tom. 3. hac die. Interfuit hic Concilio Agrippioenſi, celebrato poſt Conſulatum Amantij & Albini, anno Domini (ſecundùm Faſtos Onuphrij) trecenteſimo quadrageſimoſexto. De eodem Hieron. in chron. aitque ab eo ſuſceptum hoſpitio S. Athanaſium, cùm Treueris exularet; qui ibidem manſit integro biennio & menſibus quatuor, vt ſcribit Theodoretus hiſtor. lib. 2. c. 1. Præſens fuit idem Maximinus Concilio Sardiceno. S. Athanaſius cùm recenſet Epiſcopos Galliarum, qui illuc conuenerunt, primo loco ponit Maximinum in apol. 2. col. 423. licet alicubi, deprauato codice, Maximianus pro Maximino legatur. Mortuus eſt eiuſdem Conſtantij Imp. temporibus, vt conſtat ex eodem Athanaſio in apolog. ad Conſtant. Paſſus & ipſe grauia ab eodem Imperatore Ariano, eò quòd faueret Catholicis, & impugnaret hæreticos, vt diffusè ſcribit Nicephorus hiſt. lib. 9. cap. 12. De eo prætereà recentiorum plures, quos mittimus numerare. In tabulis Epiſcoporum Treuerenſium adſcribitur Maximinus vigeſimusſextus Epiſcopus apud Democh. De miraculis ad ſepulchrum eius fieri ſolitis agit Greg. Turon. de glor. confeſſ. cap. 93.

[g] Maximi Epiſcopi. ] De eo item tabulæ eccleſiæ Veronenſis, & ſępiùs citatus commentarius de Epiſc. Veron. pag. 9. & 40.

[h] Eleutherij. ] De quo vetera monumenta eccleſiæ Aquinatis.

30 Tertio Kal. Iunij. Luna. C xxix.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | | | |

ROMÆ via Aurelia natalis ſancti Felicis[a] Papæ, & martyris, qui ſub Aureliano Principe martyrio coronatus eſt. Turribus in Sardinia ſanctorum martyrum Gabini[b] & Criſpuli. Antiochiæ ſanctorum Syci[c] & Palatini, qui pro Chriſti nomine multa tormenta paſſi ſunt. Rauennę ſancti Exuperantij[d] Epi-

ſcopi

ſcopi & confeſſoris. Papiæ ſancti Anaſtaſij[e] Epiſcopi. Cæſareæ in Cappadocia ſanctorum Baſilij[f] & Emmeliæ coniugis eius, parentum ſancti Baſilij Magni: qui tempore Maximini extorres facti, Ponticas ſolitudines incoluere, & poſt perſecutionem, filiis ſuarum virtutum relictis heredibus, in pace quieuerunt.

## M A I I 30.

[a] FELICIS Papæ.] De eo item hac die agunt Beda, Vſuardus, Ado, & alij. De eius ſucceſſione ſcribit Euſeb. in chron. & hiſt. lib. 7. cap. 24. Optat. libro 2. contra Parmen. Auguſt. epiſt. 165. Huius eſt epiſtola quæ citatur à S. Cyrillo contra Neſtorium, & in apologia, atque in Actis Concilij Epheſini, necnon à Vincent. Lirinen. lib. aduerſus hæreſes: nam Maximianus Epiſcopus Alexandrinus, ad quem ſcripſit, eius tempore ſedit, ſuffectus nimirum S. Dionyſio. Quòd autem hic paſſus ſit ſub Aureliano, & non ſub Claudio, vt alij tradunt, pluribus diximus in Annal. Eccleſiaſt. vbi & de ipſo locupletiùs.

[b] Gabini & Criſpuli.] De quibus Beda, Vſuar. Ado, & alij recenſentes, Fara etiam lib. de rebus Sardois. Extant prædictorum Acta, quę in eccleſia ipſorũ leguntur. Porrò putatur hęc eſſe dies tranſlationis: nam dies natalis agitur 25. Octob. mira celebritate, vnde & Sardi mẽſem Octobrem Gabinum appellant. Eſt etiam celebris apud eos dies dedicationis eius Eccleſiæ, quæ eſt cathedralis, factæ quarta Maij, anno Domini quingenteſimo decimoſeptimo, vt eiuſdem eccleſiæ vetera monumenta teſtantur. Sanctus Gregorius in regiſt. lib. 7. epiſt. 7. meminit de monaſterio nomine ſanctorum Gabini & Luxorij in Sardinia.

[c] Syci & Palatini.] Beda, & Vſuardus, & alij de iiſdem agunt hac die.

[d] Exuperantij Epiſc.] De eo tabulæ Eccleſiæ Rauen. & Hieronymus Rub. hiſt. Rauen. lib. 2. Claruiſſe eum ferunt temporibus Honorij Imperatoris. Eſt & alius eiuſdem nominis Exuperantius Epiſcopus Dertonenſis, qui interfuit vnà cum ſancto Ambroſio Concilio Aquileienſi. Fuit eiuſdem nominis Exuperantius, aliàs Superantius, Epiſcopus in Lucania, ſanctitate inſignis, cuius meminit Vranius in tranſitu S. Paulini Epiſcopi Nolani apud Surium tomo 3.

[e] Anaſtaſij Epiſcopi.] De ipſo etiam tabulæ eccleſiæ Papienſis. Hic ex Ariano factus Catholicus, egregia claruit ſanctitate, vixitque temporibus Rotharis Regis Longobardorum. Scribit de eo Paulus diaconus hiſt. Longobard. libro 4. cap. 15.

[f] Baſilij & Emmeliæ.] Agit de his S. Gregor. Nazianzenus in luculenta illa encomiaſtica oratione habita in funere S. Baſilij, circa principium: idemque de Emmelia meminit in epiſtola 8. ad Baſilium edit. Billianæ. Gregorius Nyſſenus etiam in epiſtola ad Olympium monachum, de Actis S. Macrinæ.

xxviij **D** Pridie Kalend. Iunij. Luna. 31

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |
| t | u | A | B | C | | D | | E | f | F | G | H | | M | N | P |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | | 26 | | 27 | 28 | 28 | 29 | 30 | | 1 | 2 | 3 |

ROMÆ ſanctæ Petronillæ[a] virginis, filiæ beati Petri Apoſtoli, quæ Flacci[b] nobilis viri coniugium ſpernens, acceptis triduanis ad deliberãdum induciis, interim ieiuniis & orationibus vacans, tertia die mox vt Chriſti ſacramentum accepit, emiſit ſpiritum. Aquileiæ ſanctorum martyrũ Cantij[c], Cantiani, & Cantianillæ fratrum, qui cũ eſſent ex illuſtri Aniciorum[d] progenie, ſub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus ob Chriſtianæ fidei conſtantiam vnà cum pędagogo ſuo Proto capite plexi ſunt. Turribus in Sardinia ſancti Creſcentiani[e] martyris. Apud Comanos in Ponto ſancti Hermiæ[f] militis, qui ſub Antonino Imperatore ab innumeris & ſæuiſſimis tormentis ope diuina liberatus, carnificem ad Chriſtum conuertit, & eiuſdem martyrij coronæ participem fecit,

quam

quam tamen ipſe primus gladio obtruncatus accepit. Veronæ ſancti Lupicini [g] Epiſcopi. Romæ ſancti Paſchaſij [h] diaconi & confeſſoris, cuius meminit beatus Gregorius Papa.

## MAII 31.

PETRONILLÆ [a].] De eadem Beda, Vſuard. Ado, & Wandel. his verſibus:

*Tum pridie Petronilla Petri de germine ſancto*
*Fulgida virgo micat Chriſti trabeata decore.*

De eius obitu agitur in Actis ſanctorum Nerei & Achillei. De eius corporis inuentione vide in libro de Rom. Pont. in Paolo Primo. Cuius autem fidei ſit eius hiſtoria, conſule S. Auguſtinum lib. contra Adimantum, cap. 17. Noonullas de ea dubitationes diſſeruimus in Annal. Eccleſ. Erat olim Romæ nomine ſanctæ Petronillæ cœmeterium nobile, in quo Gregorius Tertius Papa anniuerſariam ſtatuit ſtationem, vt conſtat ex eodem lib. de Rom. Pont. in Gregorio Tertio. Non prætermitteodum hîc (quando ſeſe offert occaſio) etiam de ſancti Petri vxore mentionem habere: quam martyrio occubuiſſe, Clemens Alexandrinus vetuſtiſſimus Theologorum libro 7. Strom. ſcribit his verbis: Aiunt certè beatum Petrum, cùm vidiſſet vxorem ſuam duci ad mortem, lætatum quidem eſſe propter vocationem, & quòd domum reuerteretur. Valdè autem exhortando & conſolando, proprio nomine eam compellantem, dixiſſe: Heos tu, memento Domini. Hæc Clemens.

[b] Flacci nobilis viri.] In prædictis Actis SS. Nerei & Achillei legitur: Flacci Comitis: quã lectionem non improbamus. Porrò vt huius vocis clarior notitia habeatur, ſciendom in primis, pro diuerſitate temporum, diuerſi generis Comites fuiſſe. Ante Conſtantioi Imp. tempora hi dicti erant Comites, qui Proconſules, Præſideſq. prouinciarum comitantes, erant in negotijs publicis obeundis illorum adminiſtri & adiutores, ijdemque aſſeſſores eorumdem cùm eſſent, ius dicebãt, vt declarant complures leges, L. 16. de off. præſid. L. 4. ff. de offic. aſſeſſ. L. 41. §. 1. de excuſ. tut. L. 6. §. Si quos comit. ff. de pœn. L. 5. ff. ad leg. Iul. repet. & L. 1. §. Sed. ff. de extra. cognition. De ijſdem Sueton. in Iulio, & in Tiberio, & Plin. lib. 9. c. 30. Ex his vnus erat Flaccus, de quo agimus, ceterique omnes qui in antiquis Actis martyrum Comites dicti reperiuntur. A temporibus autem Conſtantini Imp. & non Hadriani (vt putauit Geleoius) ea vox alio ſenſu accipi conſueuit. Idem etenim Imperator, Chriſtiana quadam humanitate, quoſdam è magiſtratibus ſibi ſubditis Comites dici voluit, quaſi conſocios in adminiſtratione Imperij: erantque hi triplicis ordinis, nempe primi, ſecundi, & tertij, vt ſcribit Euſebius in vita Cooſtantini lib. 4. cap. 1. Mutationem magiſtratuom à Conſtantino factam eſſe, Zoſimus etiam aſſeuerat lib. 2. Plura de his Alciat. lib. de Magiſtrat. In Not. prouinc. habeotur Comitiuarum diuerſarum deſcripta inſignia: ſunt de ijſdem Comitibus complures tit. in Cod. lib. xij. itemq. formulas eorumdem magiſtratuum habes apud Caſſiodorum variar. lib. 6. & 7.

[c] Cantij, Cantiani, & Cantianillæ.] De his item hac die Beda, ac ceteri omnes. Extat de his ſermo S. Maximi Epiſcopi Taurineoſis, qui & adſcribitur S. Ambroſio. Feruntur eorumdem Acta einſdem S. Ambroſij nomine. eſt illorum exordium: Seruus Chriſti Ambroſius, &c. Deſcripſit ea Mombritius tomo primo, ſummarim aotem Petrus in catalog. lib. 5. cap. 70. Fueruot condita eorum veneranda corpora Aquileiæ. De quibus & Venantius Fortunatus his verſibus:

*Aut Aquileienſem ſi fortè acceſſeris vrbem,*
*Cantianos Domini nimiùm venereris amicos*, &c.

[d] Ex illuſtri Aniciorum proſapia.] De ea familia meminit Prudentius lib. 1. aduerſus Symmachum, aitque primum omnium ſenatorum Anicium nomen dediſſe Chriſtianę militię, quod his verſibus explicat:

*Fertur enim ante alios generoſus Anicius Vrbis*
*Illuſtraſſe caput: ſic ſe Roma inclyta iactat*, &c.

Habes apud Lioium lib. 45. Lucium Anicium de Illyrijs ac Rege Gentio triumphaſſe. De Aniciorum nomioe & ſignificatione, ac perilluſtri ſtemmate ſcribit S. Gaudentius Brixianus in ſermone de Machabæis, & S Hieron. epiſt. 8. ad Demetriadem his verbis: Illuſtris, inquit, Aniciorum ſanguinis genus, in quo aut oullus aut ratus non meruit Conſulatum, &c. De eadem Caſſiodorus variar. lib. 10. epiſt. 11. & 12. Erant iam in prouerbio opes, ædificiorum moles, & ſplendor ædium familiæ Anicianæ. Hinc Secundinus ad Auguſtinum: Ego namque fateor, non tali diligentia, nec tanta induſtria Anicianę domus micare marmora, quanta tua ſcripta prælucent eloquentia. Hæc ipſe apud Auguſt. tom. 6. At hęc pro huius loci ratione ſatis. Fuit autem ea familia illuſtrata non tantùm Conſulibus & Imperatoribus, ſed & nobilitata martyribus & confeſſoribus: nam pręter martyres de quibus hîc agitur, ex ea etiam proſapia clariſſimæ illæ ſanctitate mulieres Probæ, Iulianæ, & Demetriades prodiere; ille item pietate atque doctrina celeberrimus Conſul ordinarius & confeſſor illuſtris Anicius Manlius Seuerinus Boëtius, & alij: de quibus pluribus in Annal. Eccleſiaſt.

[e] Creſcentiani.] Beda, Vſuardus, & Ado de eodem agunt hac die: adſtipulantur veteta manuſcript. & recentiores omnes, itemque Fara de rebus Sard.

[f] Hermiæ.] Agunt de eodem hac die Gręci in Menologio, vbi & ſummarim eius Acta refernnt, conſentientia his quæ hîc leguntur de Hermia.

[g] Lupicini Epiſcopi.] De eo tabulæ eccleſiæ Veronen. & Auguſtinus Valer. eius Epiſcop. & Card. in comment. de antiquis mon. eccleſiæ Veron. pag. 9. & 59.

[h] Paſchaſij diac.] Scribit de eo S. Gregorius Papa lib. 4. dialog c. 40. & 41. Vixit ijſdem temporibus alius Paſchaſius presbyter Romanus, tituli S. Euſebij; qui ſtetiſſe reperitur pro Symmacho aduerſus Laurentium ſchiſmaticum, vt doceent Acta ſecundę Synodi tunc Romæ celebratę.

Quod antem pertioet ad Paſchaſium de quo agimus, de ſchiſmate ſic excuſat eum ſanctus Gregorius, cùm ait: Quia enim non malitiæ, ſed ignorantiæ errore peccauerat, purgari poſt mortem à peccato potuit. Hæc Gregorius, excuſans eum. Vnde quod idem ſanctus Gregorius paulò ſuperiùs ait, ipſum in ſua ſententia vſque ad diem ſui exitus perſtitiſſe; ea verba vel ſunt excluſiuè intelligenda, quaſi ſic perſtiterit in ſententia, vt tandem die obitus pœnituerit: vel dicere neceſſe eſt, Paſchaſium diaconum, vertente adhuc illa de electione Symmachi controuerſia, ex hac vita migraſſe. Ceterùm peracta Synodo illa Palmari dicta (cuius nominis rationem reddidimus in Annalium tomo 6.) qua totius Catholicæ Eccleſiæ calculo adiudicata eſt cauſa Symmacho: nulla certè eum excuſare potuiſſet facti vel iuris ignorantia, quin anima eius ſupplicium ſubijſſet æternum. Prędictorum itaque alterum præceſſiſſe neceſſe eſt, cùm eius ſanctitati egregij virtute miraculi adſtipulari viſus ſit Deus: nam (vt inquit ſanctus Gregorius) eius dalmaticam feretro ſuperpoſitam dæmoniacus tetigit, ſtatimque ſanatus eſt. Quod autem ad dalmaticam pertinet, vt & hanc vocem explicemus, Fuit dalmatica vetus genus indumenti, ſic dictum (inquit Iſidorus libro 19. orig.) quòd primùm in Dalmatia texta eſt, habens clauos ex purpura. Vſi ſunt aliquando ea Reges: vnde de Commodo ſcribit Lampridius, quod dalmaticatus proceſſit in publicum; quam veſtem Dio in Commodo nominat tunicam manicatam, ſericam, albam: vt ex his ſatis poſſit intelligi, qualiſnam dalmatica veſti•fuerit. Meminit & Iulius Capitolinus de dalmaticis chirodatis, hoc eſt, manicatis, quibus Pertinax Imp. vtebatur. Trebellius Pollio in Claudio nominat ſingilones Dalmatenſes. Tunicam ſenatoriam, dalmaticam appellat Ioannes diaconus, dum agit de Gordiano patre ſancti Gregorij libro 4. cap. 83. Habes in Actis paſſionis ſancti Cypriani Epiſcopi Carthag. eumdem indutum eſſe dalmatica. Sunt hæc verba ibi deſcripta: Cùm ſe dalmatica expoliaſſet, & diaconibus tradidiſſet, in linea ſtetit, &c. Extant ea in prologomen. in S. Cyprian. edit. Pamel. Eademque ibidem leguntur in alijs eiuſdem Actis ex Paulo diacon. licet alia loco dalmaticæ habeant tunicam. Silueſtri Papæ fuit inſtitutio, vt diaconi Romanæ eccleſiæ vterentur dalmaticis in eccleſia, ſed tantùm diebus ſolemnibus in ſignum lætitiæ. diſt. 76. cap. de ieiunio. exteris autem non niſi ex priuilegio à Romano Pontifice conceſſo vti dalmaticis fas erat, vt Gregor. in regiſt. libro 7. epiſt. 111. ad Aregium Epiſcop. & diſtinct. 23. cap. Communis filius. Symmachus Papa ſancto Cæſario Epiſcopo Arelatenſi Romam aduenienti, quo tantum virum digno proſequeretur honore, inter alia tribuit, vt diaconi eccleſiæ Arelatenſis, ſicut & Romani diaconi, dalmaticis vterentur, vt auctor eſt Cyprian in Actis ſancti Cæſarij, quæ habes apud Surium tom. 4. Qualis fuerit olim forma dalmaticarum, quibus vtebantur diaconi, egregiè expreſſum habes ab Ammiano Marcellino libro 14. his verbis: Pectoralem tuniculam ſiue manicis textam Matas quidam nomine (vt appellant Chriſtiani) diaconus, per latera ſcripta Græco ſermone, &c. perſimilem enim fuiſſe chlamydi Imperiali, demonſtrat. Retinet & nunc idem nomen, vt quam ille tuniculam dicit, Italicè appelletur tonicella; licet ipſa noo eamdem prorſus formam retineat: nam vſque ad cubitum manicata hodie fit. Palmatam Conſularem veſtem litteris inſcribi ſolitam, & ab Impp. Conſuli tribui, teſtatur Auſonius in gratiarum actione pro ſuo Conſulatu, cùm hæc habet ex verbis Gratiani Auguſti: Palmatam tibi miſi, in qua Diuus Conſtantinus parens noſter intextus eſt. Me beatum, cuius inſignibus talis cura præſtetur. Hæc planè, hæc eſt picta, vt dicitur, veſtis, non magis auro tuo, quàm tuis verbis, &c. Eiuſmodi planè fuiſſe dalmaticam diaconorum, quam Ammianus tunicam appellat, qua & Imperator indui poſſet, apertè ipſe ſignificat. Ex his perpende, quanto anguſtius atque magnificentiùs legali veteri cultu Noui teſtamenti miniſterium apparetur: cùm olim Leuitis nec linea vti ſtola conceſſum eſſet, quam tandem illi contra leges ſacras ab Agrippa Rege precariò obtinuerunt, vt auctor eſt Ioſephus Antiquit. libro 20. cap. 8. edit. Gelen. Quod autem hodie non tantùm diaconi, ſed & ſubdiaconi in ſacris dalmaticati miniſtrent, id quidem non ex veteri inſtituto: nam ſanctus Gregorius Papa antiquum eſſe vſum Romanę Eccleſiæ dicit, vt ſubdiaconi tunicis induti lineis procederent, libro 7. regiſtr. epiſt. 63. ad Ioannem Epiſcopum Syracuſanum. Sed vt tandem eò vnde deflex imus, reuertamur, ad ipſum ſcilicet vſum dalmaticarum, quibus corpora defunctorum tegebantur: ſciendum, non tantùm diaconorum feretrum tegi dalmarica, moris fuiſſe, ſed Summorum Rom. Pontificum, vt auctor eſt idem Greg in regiſt. lib. 12. ex Synodo Rom. cap. 4. Quod certa ex cauſa fieri vlteriùs vetuit, ne honor, qui olim ſanctis martyribus tantùm impendi conſueuiſſet, cuiuſque vitæ meriti hominibus impartiretur: Eutychianus enim Papa ſtatuiſſe reperitur, ne quis martyrem ſine dalmatica, vel purpurato collobio ſepeliret. lib. de Rom. Pont. in Eutychiano.

IV-

Digitized by Google

# IVNIVS.

1 Kalendis Iunij. Luna. E xxvij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | | | |

ROMÆ ſancti Iuuentij [a] martyris. Cæſareæ in Palæſtina beati Pamphili [b] preſbyteri & martyris, viri admirandæ ſanctitatis & doctrinæ, atque in pauperes munifici, qui ob Chriſti fidem in perſecutione Maximini, primò ſub Vrbano Præſide cruciatus, & in carcerem truſus, deinde ſub Firmiliano iterùm reuocatus ad pœnas, vnà cum alijs martyrium conſummauit. Paſſi ſunt etiam tunc Valens diaconus, & Paulus, alijq. nouem, quorum memoria alijs diebus celebratur. Auguſtoduni ſanctorum Reueriani [c] Epiſcopi, & Pauli preſbyteri, cum alijs decem, qui ſub Aureliano Principe martyrio coronati ſunt. In Cappadocia ſancti Theſpeſij [d] martyris, qui ſub Alexandro Imperatore, & Simplicio Præfecto, poſt alia tormenta decollatus eſt. In Ægypto ſanctorũ martyrum Iſchyrionis [e] ductoris militum, & aliorum quinq. militum, qui ſub Diocletiano Imperatore pro fide Chriſti diuerſo mortis genere perempti ſunt. Item S. Firmi [f] martyris, qui in perſecutione Maximiani acerbiſſimis plagis affectus, lapidibus percuſſus, ac demum capite cæſus eſt. Peruſiæ ſanctorum martyrum Felini [g] & Gratiniani militum, qui ſub Decio varijs tormentis cruciati, martyrij palmam glorioſa morte perceperunt. Bononiæ ſancti Proculi [h] Epiſcopi & martyris, qui ſub Maximiano Imperatore paſſus eſt. Ameriæ ſancti Secundi [i] martyris, qui ſub Diocletiano in Tiberim proiectus, martyriũ conſummauit. Apud Tiphernum in Vmbria S. Creſcentiani [k] militis Romani, ſub eodem Imperatore martyrio coronati. In Vmbria ſancti Fortunati [l] preſbyteri, virtutibus & miraculis clari. In monaſterio Lerinenſi ſancti Capraſij [m] abbatis. Treuiris ſancti Simeonis [n] monachi, qui à Benedicto Papa Nono in ſanctorum numerum relatus eſt.

## IVNII 1.

IVVENTII [a].] De eo vet. manuſcr. ex quibus Molanus hac die. [b] Pamphili & ſoc.] De Pamphilo hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri Latinorum, Græci autem in Menologio ad Nonas Nouembr. Horum Acta conſcripſit Euſebius hiſt. lib 8. c. 17. & Metaphraſtes; quæ recitat Surius tom. 3. Porrò eius vitam tribus fermè voluminibus ab eodem explicatum, auctor eſt S. Hieron. ad Marcellam epiſt. 191. De Pamphilo item agit S. Hieronymus lib. de ſcript. Eccleſ. epiſt. 65. ad Pammachium contra Rufinum, & epiſt. 83. ad Magnum oratorem, cum ſummis laudibus celebrat. De eius inſigni bibliotheca idem Hieron. ſæpè meminit. ab eo Euſebius cognomentum accepit.

[c] Reueriani Epiſcopi & ſocior. ] Vſuardus item hac die, Petrus lib. 5. cap.73. & alij recentiores.

[d] Theſpeſij. ] Agunt de eodem hac die Gręci in Menolog. vbi & eius martyrium pluribus deſcribitur.

[e] Ischyrionis & ſoc. ] De ijſdem apud Gręcos. Alius hic ab illo, cuius meminit Dionyſius Alexand. apud Euſebium hiſt. lib.6. cap.34.

[f] Firmi. ] Itidem Græci in Menolog. de eodem hac die agunt.

[g] Felini & Gratiniani. ] De his vetera monumenta eccleſiæ Peruſinæ, quæ manuſcripta accepimus.

[h] Proculi. ] De quo & tab. eccleſ. Bononien. Percrebuit hucuſque de S. Proculo martyre ea opinio, quòd paſſus ſit temporibus Theodorici Arianorum Regis, ea de cauſa, quòd zelo fidei in Arianum Præfectum Catholicis infeſtiſſimum inſiliens, eum occidiſſet, vt habent quædam Acta, quæ tom. 7. Sur. recitat: ſed hęc omnia redduntur irrita ex his quæ ſcribit S. Paulinus Nolanus Epiſcopus, qui longè præceſſit tempora Theodorici Regis; agenſq. in Natali nono S. Felicis de nonnullis Italiæ martyribus, ac de his etiam qui Bononiæ in perſecutione Diocletiani & Maximini paſſi ſunt, hos ſcribit verſus:

*Vitalem, Agricolam, Proculumq́, Bononia condit:*
*Quos iurata fides pietatis in arma vocauit.*

Huius tanti viri auctoritate Illuſtriſſ. ac Reuerendiſſ. Gabriel Paleottus Cardinalis ampliſſ. Archiepiſcopus Bononien. emendauit tabulas priſtinas eius eccleſiæ. De natali die S. Proculi martyris ſolemniter celebrari ſolito ſcribit S. Greg. lib.1. dialog. c.9. in Bonifacio, circa medium. De illo etenim, & non alio, vt de martyre celeberrimo, cunctis notiſſimo, ibi agi perſuademur.

[i] Secundi. ] De quo tabulæ eccleſiæ Amerinæ, & vet. monumenta eiuſdem eccleſiæ, quibus eius Acta deſcripta habentur.

[k] Creſcentiani. ] Eius eccleſiæ antiquæ memoriæ de eius martyrio fidem faciunt.

[l] Fortunati. ] Eius res geſtas ex manuſcr. Spoletinæ eccleſiæ acceptas legimus: eſt earum exordium: Fuit quidam vir venerabilis, &c.

[m] Capraſij. ] De quo etiam hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores. Eius Acta ex vet. manuſcriptis recitat Sur. tom.7. Meminit eiuſdem Sidonius Apollinaris in carmine Euchariſtico ad Fauſtum; vbi dum relegit inſulæ Lerinenſis ſanctos, hæc de Capraſio:

*——— Quantos illa inſula plana*
*Miſerit ad cælū montes: quæ ſancta Capraſij*
*Vita ſenis,* &c.

De eo item in vita S. Honorati lib. 1. Vixit temporibus Theodoſij Imp. & Honorij eius filij.

[n] Simeonis. ] Apud Bedam & alios de eo hac die. Eius Acta ab Eueruino conſcripta recitat Surius tom. 3. De eius canonizatione agitur in chron. Hirſaugien. Scribit de eodem Sigebertus in chron. anno Domini 1015. & Trithem. de vir. illuſt. ord. S. Benedicti lib. 3. c.238.

25. xxvj. F **Quarto Nonas Iunij. Luna.** 2

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | | | |

ROMÆ natalis ſanctorum martyrū Marcellini presbyteri[a], & Petri exorciſtę, qui multos in carcere ad fidem erudiētes, ſub Diocletiano poſt dira vincula & plurima tormenta à Sereno Iudice decollati ſunt in loco qui dicebatur Silua Nigra, quæ poſteà in honorem ſanctorum cōmutato nomine Silua Candida appellata eſt. Horum corpora in crypta iuxta ſanctum Tiburtium ſepulta ſunt, eorumq. ſepulchrum S. Damaſus Papa verſibus poſteà exornauit. In Campania S. Eraſmi Epiſcopi[b] & martyris, qui ſub Diocletiano Auguſto primùm plumbatis cæſus, deinde fuſtibus grauiter mactatus, pòſt reſina, ſulphure, plūbo, pice, cæra, oleoq. perfuſus, illęſus apparuit: deinde Formijs ſub Maximiano diuerſis atque immaniſſimis ſupplicijs iterùm cruciatus, ſed ad confirmandum ceteros à Deo ſeruatus: tandem vocante Domino, martyrio clarus, ſancto fine quieuit: cuius corpus Caietam poſteà tranſlatum eſt. Lugduni ſanctorum martyrum Photini[c] Epiſcopi, Sancti diaconi, Vetij, Epagathi, Maturi, Pontici, Biblidis, Attali, Alexandri, & Blandinæ, cum alijs multis, quorum fortia &

tia & iterata certamina tempore M. Aurelij Antonini, & Lucij Veri, eccleſiæ Lugdunenſis epiſtola ad eccleſias Aſiæ & Phrygiæ ſcripta recenſet. In his ſancta Blandina ſexu infirmior, corpore imbecillior, conditione deiectior, diuturniora & acerbiora certamina ſubiens, & fortis adhuc permanens, gladio iugulata, ceteros ſecuta eſt, quos hortabatur ad palmam. Romæ ſancti Eugenij [d] Papæ & confeſſoris.

## IVNII 2.

MARCELLINI & Petri [a].] De his hac item die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Extant eorum Acta, quæ retulit Surius tom. 3. & Petrus in catal. libro 5. cap. 74. qui hos paſſos hac die tradit. Olim autem, menſe Decembri horum ſolemnitas agebatur, vt conſtat ex inſcriptione homiliæ ſextæ S. Gregorij in Euangel. habitæ ad populum in baſilica ſanctorum Marcellini & Petri Dominica tertia Aduentus, die natali ipſorum, niſi ſit mendum in codice. Horum illuſtri martyrio nobilitatus eſt locus, vbi ſunt paſſi. Siquidem Silua olim Nigra dicta, Candida eſt appellata, accepitque Epiſcopalis cathedrę ornamentum, vt conſtat ex veterum Romanorum Conciliorum monumentis; ſed poſtmodum à Calliſto Secundo vnita eſt eccleſiæ Portuenſi. Epitaphium ſancti Damaſi, cuius hic habetur mentio, intextum habetur in prædictis horum martyrum Actis. In honorem pręterea eorumdem Conſtantinus Imp. erexit baſilicam via Lauicana, quam & muneribus exornauit, ac reditibus locupletauit, ibique ſanctæ Helenæ martyris corpus ſepeliendum curauit. Extat de munificentia Conſtantini libellus in libro de Romanis Pontificibus, in Silueſtro, vbi de his agitur. Eſt Romę antiquus Titulus nomine ipſorum martyrum, cuius mentio habetur in regiſtro ſancti Gregorij lib. 4. cap. 88. in Synodo tunc Romę habita. De horum tranſlatione in Gallias agit Sigebertus in chronic. anno 826. Aim. de geſt. Franc. libro 4. cap. 115. factam refert ſub Gregorio Quarto Rom. Pontif. Cuius rei geſtæ hiſtoriam Einardus libris quatuor illuſtrauit. Extant prædicta Acta apud Surium tomo ſeptimo. Putatur eiuſdem quoque auctoris eſſe vita eorumdem martyrum verſibus ſcripta, quæ ibidem recitatur. De his & Marian. Scot. in chron. anno Domini 828. nouiſſimè autem Molanus in Indic. Sanct. Belgij.

[b] Eraſmi Epiſcopi.] Agit de eodem hac die Beda, Vſuardus, ac recentiores, Ado autem ſequenti die. Huius Acta reperimus in nonnullis vet. manuſcriptis; habemuſque eadem charactere Longobardo conſcripta. eadem ferè Mombrit. tomo 1. Vit. ſanct. Quæ cuncta etſi auctore careant; nihilominùs Petrus diaconus Caſſin. in lib. de vir. illuſtr. monaſterij Caſſinen. cap. 46. teſtatur, Gelaſium Secundum Rom. Pontif. cùm adhuc eſſet Caſſinenſis cœnobij monachus, ſcripſiſſe vitam ſancti Eraſmi Epiſcopi & martyris, aliorumque ſanctorum. De memoria eius apud montem Soractem Gregor. regiſt. lib. 1. epiſt. 23. Fuit ſanctus Benedictus eiuſdem martyris ſtudioſiſſimus: nam in eius honorem duas nobiles erigendas curauit eccleſias, Verulis alteram, alteram verò Romæ, vt habent Acta ſancti Placidi à Gordiano ſcripta. Erat olim corpus S. Eraſmi Formijs, vt ſcribit ſanctus Gregorius in regiſt. lib. 1. epiſt. 8. eratque Formiana eccleſia ſedes Epiſcopalis, cui idem ſanctus Gregorius vniuit eccleſiam Minturnenſem; ſed vtraque in propinquum locum, Caietam, vnà cum corpore eiuſdem ſancti martyris, quod ibi decentiſſimè aſſeruatur & colitur, tranſlata eſt. Adnumeratam legimus Caietanam eccleſiam inter illas ſedes, quæ ſub nullo Metropolitano poſitæ, immediatè ſubiectæ ſunt Romano Pontifici, quarum Epiſcopi, ſuffraganei dicebantur Papæ vrbis Romæ. Hæc ex libro cenſuum, qui aſſeruatur in Vaticana bibliotheca.

[c] Photini Epiſcopi & ſoc.] De ijſdem hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri. Horum omnium Acta ſcripta habentur ab eccleſia Lugdunenſi tunc temporis, quando ijdem paſſi ſunt, in epiſtola quę extat apud Euſebium hiſt. lib. 5. cap. 2. & 3. Horum martyrũ, quorum cineres in fluenta Rhodani merſi ſunt, meminit ſanctus Auguſtinus libro de cur. agend. pro mort. item Eucherius Lugdun. in ſermone de ſancta Blandina, qui falſo titulo Euſebij Emeſeni inſcribi hactenus conſueuit. Recenſet Gregorius Turonen. de gloria mart. cap. 49. item hîc Ado nomina quadragintaocto martyrum, qui tunc Lugduni paſſi ſunt. Agunt de his prętereà quàm plurimi recẽtiorum, quos mittimus hîc referre; cùm omnes non aliunde, quàm ex prædicta epiſtola acceperint.

[d] Eugenij Papæ.] Vet. manuſcripta hac die, quidam verò die ſequenti; ſed re vera hic eſt dies natalis eius, vt conſtat ex libro de Rom. Pontificibus. Hic ſuffectus eſt ſancto Martino Papæ & martyri, eiuſque non tantùm ſedis, ſed & ſanctitatis ſucceſſor extitit.



Digitized by Google

25. xxiiij. G Tertio Nonas Iunij. Luna. 3

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 .17 18 19 20 21 22 23
t u A B C D E f F G H M N P
24 25 26 27 28 29 1 2 1 .2 3 4 5 6

ARETII in Tuſcia ſanctorum martyrum Pergentini [a] & Laurentini fratrum, qui in perſecutione Decij, ſub Tiburtio Præſide, cùm eſſent pueri, poſt dira ſupplicia tolerata, & magna miracula oſtenſa, gladio cæſi ſunt. Conſtantinopoli ſanctorum martyrum Lucilliani [b], & quatuor puerorum, Claudij, Hypatij, Pauli, & Dionyſij: cum quibus Lucillianus ex ſacerdote idolorum Chriſtianus factus, poſt varia tormenta in fornacem iniectus eſt; ſed flamma imbre extincta, omnes illæſi euaſerunt: denique ipſe cruci affixus, pueri autem gladio obtruncati, ſub Siluano Præſide conſummati ſunt. Ibidem ſanctæ [c] Paulæ virginis & martyris; quæ cùm prædictorum martyrum ſanguinem colligeret, comprehenſa, virgis cæſa, & in ignem coniecta, ſed liberata, demum & ipſa eodem loco vbi ſanctus Lucillianus crucifixus fuerat, decollata eſt. Cordubæ in Hiſpania beati Iſaac [d] monachi, qui pro fide Chriſti gladio necatus eſt. Carthagine S. Cæcilij [e] presbyteri, qui ſanctum Cyprianum ad Chriſti fidem perduxit. In territorio Aurelianenſi S. Liphardi [f] presbyteri & confeſſoris. Lucæ in Tuſcia ſancti Dauini [g] confeſſoris. Pariſijs ſanctæ Crotildis [h] Reginæ, cuius precibus vir eius Clodoueus Rex fidem Chriſti ſuſcepit. Anagniæ S. Oliuæ [i] virginis.

## I V N I I 3.

PERGENTINI & Laurentini [a].] Agunt de his item hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac recentiores. Horum paſſionis Acta recitat Sur. tom. 3. Petrus in catalogo lib. 5. cap. 80. Accepimus eadem ab eccleſia Aretina.

[b] Lucilliani & ſoc.] De his itẽ Græci hac die in Menologio, vbi eorum res geſtas fuſiùs referunt.

[c] Paulæ.] Græci itidem hac die in Menolog. ibique eius præclarum certamen deſcribitur.

[d] Iſaac monachi.] De eodem etiam Vſuardus. De eius nece ſcribit ſanctus Eulogius lib. 2. memor. ſanct. cap. 2. narratque hac die paſſum, feria ſexta, æra octingenteſima octogeſimanona, à Chriſto Domino anno 851.

[e] Cæcilij presbyteri.] De quo item manuſcr. Agunt de eo Pontius diac. in vit. S. Cypriani, & S. Hieron. de ſcrip. Eccleſ. in Cypriano. Quantum licet opinari, hunc exiſtimo fuiſſe Cæcilium ſiue Cæcilianum (vtroque enim modo legimus) clarum oratorem, magiſtrum olim Diadumeni Cæſaris pueri laudatiſſimi, de quo Ælius Lampridius in Diadumeno: fuit etenim Afer, rhetor, & optimis moribus imbutus. Ab eo ſanctus Cyprianus Cæcilij cognomentum accepit, vt teſtatur S. Hieronymus de ſcript. Eccleſiaſt.

[f] Liphardi.] De quo hac die Vſuardus, Beda autem ſequenti. Huius vitam ex manuſcr. acceptam retulit Sur. tom. 3. Petrus in catalogo lib. 5. cap. 58. Trithem. de vir. illuſtr. ordinis ſancti Benedicti lib. 3. cap. 164. Floruit temporibus Clodouei Regis.

[g] Dauini.] Huius Acta manuſcripta ab eccleſia Lucenſi accepta vidimus.

[h] Crotildis.] Scribit de ea plura Gregorius Turoner. de geſt. Francorũ lib. 2. c. 2. 3. & 4. Aimon. lib. 1. cap. 14. & Sigebertus in chron. anno Domini 499. & 534. Molanus in addit. ad Vſuardum edit. primæ. Fuit eiuſdem nominis, & religione non impar eius filia, quæ iuncta coniugio Amalarico Regi Ariano, grauia multa ob fidem Catholicam paſſa eſt, vt idem ſcribit Gregorius Turonen. de geſt. Francorum lib. 3 cap. 10. De obitu S. Crotildis, de qua agimus, deque eius funere meminit Gregorius Turonenſis hiſt. lib 4. c. 1. deceſſiſſeq. ait eo tempore, quo S. Iniurioſus præerat eccleſiæ Turonenſi, qui (vt ex eodem Gregorio colligitur) ſedere cœpit anno Domini 532. ſeditq.

annos

annos 17. Verùm Sigebertus in chron. anno Domini 553. recenſet obitum Crotildis.

[i] Oliuæ. ] Eius vitæ Acta, itemque venerandum ipſius corpus Anagniæ aſſeruari firma aſſertione Epiſcopi eius ſedis accepimus. Alia rurſus eſt Oliua, cuius his verbis meminit Thomas Fazellus de rebus Siculis decade 1. lib. 8. Panormus, inquit, maximè inſignis facta ortu Oliuæ & Nymphæ virginum, quarum clara geſta habentur. Hæc ipſe.

4 Pridie Nonas Iunij. Luna. A xxiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | | | |

ROMÆ ſanctorum martyrum Aretij [a] & Daciani. Siſciæ in Illyrico ſancti Quirini [b] Epiſcopi, qui ſub Galerio Præſide pro fide Chriſti (vt Prudentius ſcribit) molari ſaxo ad collum ligato, in flumen præcipitatus eſt; ſed lapide ſupernatante, cùm circumſtantes Chriſtianos, ne eius terrerentur ſupplicio, néve titubarent in fide, diu fuiſſet hortatus, ipſe vt martyrij gloriam aſſequeretur, precibus à Deo vt mergeretur obtinuit. Brixiæ ſancti Clatei [c] Epiſcopi & martyris ſub Nerone Imperatore. In Pannonia ſanctorum martyrum Rutili [d] & ſociorum. Atrebati ſanctæ Saturninæ [e] virginis & martyris. Tibure ſancti Quirini [f] martyris. Conſtantinopoli ſancti Metrophanis [g] Epiſcopi & confeſſoris inſignis. Mileui in Numidia ſancti Optati [h] Epiſcopi, doctrina & ſanctitate conſpicui. Veronæ ſancti Alexandri [i] Epiſcopi.

## I V N I I 4.

ARETII & Daciani [a]. ] Rom. Martyrolog. vetus, & vet. manuſcr. ex quibus ceteri recentiores.

[b] Quirini. ] De eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri omnes. Eius nobile martyrium Prudentius cecinit hymno ſacro. Meminit eiuſdem Venantius Fortunatus libro 7. cùm ait:

*Africa Cyprianum dat, Siſcia clara Quirinum.*

Extant eiuſdem Acta fuſiùs ſcripta apud Mombrit. tom. 2. quibus fertur paſſus in perſecutione Diocletiani ſub Maximo, aliàs Maximino Præſide, quem Prudentius Galerium appellat: nulla tamen eſt diſcrepantia: nam & Galerius ipſe, Maximinus dictus eſt, qui poſteà ab eodem Imperatore Cæſar eſt appellatus. Ceterùm fuit alius Galerius Maximinus, qui vixit temporibus Valeriani Imp. & Proconſulatum gerens in Africa, in S. Cyprianum Epiſcopum Carthag. vltimi ſupplicij ſententiam tulit, & paulò pòſt infelix obijt. Hęc habes in Actis paſſionis S. Cypriani poſitis in prolegom. operum eius edit. Pamel. Eiuſdem ſancti Quirini corpus, cùm barbari Pannonias deuaſtarent, Romam tranſlatum eſt, atque reconditum ad S. Sebaſtiani ad Catacumbas, vt Beda & Ado hìc item profitentur: inde autem per Angibertum Mediolanenſem Epiſcopum Mediolanum fuiſſe delatum, prædicta Acta teſtantur: verùm Molanus in notis ad Vſuard. ſecundæ edit. & Cuſpinianus in Auſtria, dicunt tranſlatum fuiſſe Bauariam temporibus Pipini Regis; idque certis teſtimonijs Molanus comprobat.

[c] Clatei Epiſc. ] De quo & tabulæ eccleſiæ Brixianæ, ceteraq. vet. monumenta eiuſdem.

[d] Rutili & ſoc. ] De eo vet. manuſcr. ex quibus & Molan. in priori addit. ad Vſuardum.

[e] Saturninæ. ] De qua etiam prædicta vet. manuſcr. ex quibus recentiores accepere.

[f] Quirini. ] Alius hic ab illo Siſcienſi, de quo ſuprà. Huius corpus (vt accepimus ex veteribus monumentis eccleſiæ Tiburtinæ) reconditum ibi habetur in baſilica S. Laurentij, ſub altari ſanctiſſimi Saluatoris.

[g] Metrophanis. ] Agunt de eodē hac item die Græci in Menologio, vbi & eius Acta ſummatim comprehenſa narrantur: quibus aſſentiuntur ea quæ ſcribit Niceph. hiſt. lib. 8. cap. 6. & Niceph. Epiſc. Conſtantinopol. in chron. Habetur mentio de eodem in oratione de ſanctis Patribus Nicænæ Synodi, quam recitat Metaphraſtes ſexto Idus Iulij, & Lipom. Latinè redditam tom. 6.

[h] Optati Epiſcopi. ] Confundunt hunc aliqui cum Optato Epiſcopo Antiſiodori, vt Petrus in catal. li. 7. cap. vlt. qui ea die de hoc agit, qua à ceteris celebratur dies natalis Optati Antiſiodorenſis. De hoc S. Hieron. lib. de ſcrip. Eccleſ. Hono-

rins Auguſtod. & alij. Claruit tẽporib. Valentis & Valentiniani Impp. quando (vt idẽ teſtatur S. Hieronymus) aduerſus Parmenianum eruditos illos ſcripſit commentarios. At cùm in eius lib. 2. texitur ab eo ſeries Romanorum Pontificum, eaque perducitur vſque ad Siricium Papam; neceſſe erit affirmare, eum vſque ad Siricij tempora perueniſſe, qui ſedit temporibus Theodoſij. Putauit autem, & iure quidem, Balduinus in annot. ad Optat. ea verba: Damaſo Siricius: non eſſe eiuſdem auctoris, ſed ſuperaddita: quod quidem duplici ratione firmamus: Primò quidem, quòd ſanctus Auguſtinus, cùm de eo ſæpiùs agit, non tamquam de homine ſui temporis & æquali, ſed vt de eo qui ipſum longè præceſſerit, meminiſſe videtur, præſertim de doctrina Chriſtiana lib. 2. c. 40. præerat enim illis Auguſtini temporibus ſedi Mileuitanæ Seuerus, vt idem S. Auguſtinus teſtatur, cùm agit de ordinatione Eradij ſucceſſoris, epiſt. 110 & ſerm. 50. de diuerſ. tom. 10. Præterea ipſe Optatus lib. 1. & iterùm lib. 3. ab indicta perſecutione Diocletiani vſque ad illud tempus quo ea ſcribebat, numerat annos 60. & (vt ait) quod excurrit. Cùm autẽ conſtet ex publicis edictis, eam perſecutionẽ indictam eſſe anno Domini trecenteſimo ſecundo; ſatis liquet primis temporibus Valentis & Valentiniani (iuxta ſententiã Hieronymi) Optatum ea ſcripſiſſe, nec ad tẽpora Theodoſij & Siricij perueniſſe; niſi illud: Et quod excurrit: præter morem, laxatis habenis, longiùs nimis quis ad libitum ſinat excurrere. Qualis autem, quantúsve fuerit S. Optatus, ex eo reputa, quòd aduerſus Donatiſtarũ erumpentem eluuionem, totamq. Africam inundantem, ſolus ipſe eo tempore ſcriptorum ſuorum oppoſuit aggerem. De Mileuio, cuius Optatus erat Epiſcopus, frequens eſt mentio in Concilijs Africanis, & epiſtolis ſancti Auguſtini: ibi & celebratum eſt Concilium Mileuitanum dictum, quod inconſultè nimis dixit aliquis celebratum in inſula Melite: eius enim Synodica ad Innocentium Papam, literæq. Auguſtini & aliorum ad eumdem Pontificem, & aliæ ad Hilarium ſcriptæ, illud Mileuij in Numidia actum eſſe, luce clariùs manifeſtant.

[i] Alexandri Epiſc.] De quo & tabulæ eccleſiæ Veronenſis, ex quibus Auguſt. Valerius eius eccleſiæ Epiſcopus & Card. in libello quem ſcripſit de eius ſedis Epiſcopis agit.

## xxij. B Nonis Iunij. Luna. 5

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | † | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16• | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |

IN Ægypto natalis ſanctorum martyrum [a] Marciani, Nicanoris, Apollonij, & aliorum, qui in perſecutione Maximini illuſtre martyrium conſummarunt. Peruſiæ ſanctorum martyrum Florentij [b], Iuliani, Cyriaci, Marcellini, & Fauſtini, qui in perſecutione Decij capite cæſi ſunt. Cæſareæ in Palęſtina paſſio ſanctarum Zenaidis [c], Cyriæ, Valeriæ, & Marciæ, quæ per multa tormenta gaudentes ad martyrium peruenerunt. Tyri ſancti Dorothei [d] presbyteri, qui ſub Diocletiano multa paſſus, & vſque ad Iuliani tempora ſuperſtes, ſub eo annum agens ſeptimum ſupra centeſimum, venerandam ſenectam martyrio honeſtauit. Eodem die ſancti Bonifacij [e] Epiſcopi Moguntini, qui de Anglia Romam veniens, & à Gregorio Secundo in Germaniam miſſus, vt fidem Chriſti illis gentibus euangelizaret; cùm maximam multitudinem, præſertim Friſonum, Chriſtianæ religioni ſubiugaſſet, Germanorum Apoſtolus meruit appellari: nouiſſimè in Friſia à furentibus Gentilibus gladio peremptus, martyrium conſummauit cum Eobano & quibuſdam alijs ſeruis Dei. Cordubæ in Hiſpania beati [f] Sancij adoleſcentis, qui etſi in aula regia educatus, pro Chriſti tamen fide in perſecutione Arabica martyrium ſubire non dubitauit.

MARCIANI & ſoc. [a] ] De his Vſuardus, Ado, & alij recentiores hac die, & ad Nonas Aprilis; Græci etiam hac die in Menologio, ibique & ſociorum nomina exprimuntur.

[b] Florentij & ſoc. ] De quibus & antiqua manuſcripta eius eccleſiæ.

[c] Zenaidis & ſoc. ] Græci etiam de his agunt hac die in Menologio, vbi & earum martyrij Acta pluribus deſcribuntur.

[d] Dorothei. ] De eo etiam Græci in Menologio hac die, & iterùm ad ſeptimum Idus Octobr. Errore lapſi videntur nonnulli, qui hunc fuiſſe Tyri Epiſcopum dixerunt: nam licet patriâ Tyrius fuerit; tamen Euſebius, qui de ipſo agit lib 7. c. 26. & Niceph. lib. 6. c. 37. illum presbyterum tantùm fuiſſe tradunt: exploratum enim habetur, quinam Epiſcopi illis Dorothei temporibus Tyriæ eccleſiæ præfuerint. Siquidem, vt rem altiùs repetamus, ſedit illic Methodius tempore nouiſſimæ perſecutionis, vt ſcribit ſanctus Hieronym. de ſcript. Eccleſiaſt. in Methodio: poſteà ſubrogatus eſt Paulinus temporibus Conſtantini, vt conſtat ex Euſebio hiſtor. lib. 10. cap. 4. Eóque ex humanis ſublato, regimen eius eccleſiæ capeſſiuit Zeno, qui interfuit ſubſcripſitque Nicæno Concilio, quiq. longæua ætate peruenit vſque ad tempora Theodoſij, præſenſque fuit Concilio œcumenico Conſtantinopolitano, vt apparet ex ſubſcriptione Epiſcoporum: at Dorotheum, de quo agimus, conſtat temporibus Iuliani Apoſtatæ martyrio eſſe vita functum. Rurſum de Dorotheo alius increbuit error, vt putarint nonnulli, hunc ipſum auctorem eſſe libelli illius qui Dorothei Synopſis inſcribitur. Græci in eo quod citare conſueuimus Menologio, xviij. Kalend. Maij, cùm de quibuſdam Pauli Apoſtoli diſcipulis agunt, quorum meminit Dorotheus, hæc de ipſo auctore habent his verbis: Hæc beatiſſimus Dorotheus, cùm eſſet Romæ, Romana lingua ſcripta reliquit: non ſolùm autem de his, ſed & de reliquis Apoſtolis, & alijs ſanctis viris, & ſacris Prophetis hiſtoriam accuratè cõſcripſit: fuit enim vir ille & multarum rerum peritia inſignis, vt quiuis alius. Hæc ibi. quæ quidem nulla ratio patitur vt de illo Tyrio dicantur, cuius nulla eſt memoria quòd aliquãdo fuerit Romæ; & ſanctus Hieronymus, qui omnes, quos nouit, collegit ſcriptores Eccleſiaſticos, nullam prorſus de eo habuit mentionem. In bibliotheca Vaticana eumdem Dorotheum, abbatem, inſcriptum inuenimus: quod nec ignorauit Petrus in catal. qui dum eum allegat, abbatem appellat. Porrò quod ad Synopſim ſpectat, quam ſcripſit: nonnulla in ea habet, quæ caſtigatione ſunt digna. Non omittimus dicere, claruiſſe temporibus Leonis Imp. alterum Dorotheum, re vera Epiſcopum Tyri, cuius ſimul & aliorum Epiſcoporum extat egregia epiſtola ad ipſum Leonem Auguſtum conſcripta de fide Catholica. habetur tom. 2. Concil. recentioris editionis pag. 244. De Dorotheo presbytero & martyre, de quo hîc agitur, eadem ferè quæ in Romano Martyrologio recitantur, fuſiùs ſcripta legimus in chron. Anaſtaſij Bibliothecarij, quod manuſcript. accommodatum nobis fuit ab Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo Cardinale Sirleto: vbi Edeſſæ in Syria cum ſub Iuliano Apoſtata martyrium conſummaſſe, centeſimum quintum annum agentem, idem teſtatur auctor.

[e] Bonifacij Epiſc. ] De quo hac die etiam Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Scripſit eius vitã Wilibaldus eius diſcipulus, quã exſcripſit Vicellius in Hagiolog. Contexta eſt etiam de eo epiſtolaris hiſtoria, quam retulit Sur. in tom. 3. Rurſus autem Ruthardus, Rabani diſcipulus, eius martyrium ſcripſit heroico metro, vt teſtatur Trith. in chron. Hirſang. Plures epiſtolæ Romanorum Pontificum ad eum ſcriptæ extant in cod. manuſcript. quas & deſcripſimus in Annal. Eccleſ. De eo item agitur in Actis S. Burcardi Epiſcopi. Paſſus eſt (vt ſcribit Beda in epitome) anno Domini 754. Id ipſum profitetur Sigeber. in chron. Trithem. autem de viris illuſtr. ord. S. Benedicti li. 2. c. 24. ſequenti anno 755. martyrio obijſſe ſcribit: ſed prioribus citatis auctoribus inhæremus. Eiuſdem Bonifacij ſcitè dictum de ſacerdotibus ligneis & aureis recitatum habes in Concilio Triburienſi, cap. 18. Eadem de conſecrat. diſt. 1. cap. Vaſa quibus.

[f] Sancij. ] Scripſit eius martyrium S. Eulogius lib. 2. mem. ſanct. c. 3. paſſumq. tradit æra octingenteſima octogeſimanona, à Chriſto Domino anno octingenteſimo quinquageſimoprimo.

## 6 Octauo Idus Iunij. Luna. C xxj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | | | |

CÆSAREÆ in Palæſtina natalis beati Philippi [a], qui fuit vnus de ſeptem primis diaconis. Hic ſignis & prodigijs clarus, Samariam ad fidem Chriſti conuertit, & Candacis Æthiopum Reginæ eunuchum [b] baptizauit, ac demum apud Cæſaream requieuit: iuxta quem tres virgines eius filiæ propheteſſæ

tiſſæ

tiſſæ tumulatæ iacent: nam quarta filia eius plena Spiritu ſancto Epheſi occubuit. Romæ ſancti Artemij [c], cum vxore ſua Candida, & filia Paulina: qui Artemius ad prædicationem & miracula ſancti Petri exorciſtę in Chriſtum credens, & cum omni domo ſua à ſancto Marcellino preſbytero baptizatus, iuſſu Sereni Iudicis plumbatis cæſus [d], & gladio percuſſus eſt: vxor verò eius & filia in cryptam impulſæ, lapidibus ruderibuſque ſunt obrutæ. Tarſi in Cilicia ſanctorum Martyrum viginti [e], qui temporibus Diocletiani & Maximiani ſub Simplicio Iudice per diuerſa tormenta glorificauerunt Deum in corporibus ſuis. Nouioduni in Gallijs ſanctorum martyrum Amantij [f], Alexandri, & ſociorum. Feſulis in Tuſcia ſancti Alexandri [g] Epiſcopi & martyris. Mediolani depoſitio ſancti Euſtorgij [h] ſecundi, Epiſcopi & confeſſoris. Veronæ ſancti Ioannis [i] Epiſcopi. Veſontione in Gallijs ſancti Claudij [k] Epiſcopi. Eodem die ſancti Norberti [l] Epiſcopi Magdeburgenſis, fundatoris ordinis Præmonſtratenſis.

## IVNII 6.

PHILIPPI [a].] De quo Act. Apoſt. c. 6. 8. & 21. Beda, ac ceteri Launorum de eodem agunt hac die, Græci autem in Menologio quinto Idus Octobris. Hunc autem, ob Apoſtolicum munus ſuſceptum, nonnulli Apoſtolum appellarunt; vnde non modica exorta eſt ambiguitas ex confuſione geſtorũ, dum quod eſt huius, Philippo Apoſtolo tribuitur. quæ quidẽ quoniam longiori indigent examine, hîc pręterimus. Recens adhuc erat Cęſareæ maritimæ in Palęſtina, temporibus S. Hieronymi, memoria Philippi diaconi, & filiarum eius: nam ædicula Philippi, & filiarum cellulæ adhuc integræ permanebant, quas omnes S. Paula profectura Ieroſolymam inuiſit, vt idem S. Hieronymus ſcribit epiſt. 27. ad Euſtochium.

[b] Eunuchum baptizauit.] De quo hęc Dorotheus in Synopſi, in fine: Eunuchus Candacis Reginæ Æthiopum in Arabia Felici, & in inſula Taprobana, inque vniuerſa Erythra Euangeliũ Domini noſtri Ieſu Chriſti prædicauit. Fertur etiam martyrium glorioſè tuliſſe, ibique ſepultus eſſe: & cœmeterium ipſius monumentum inſuperabile eſt fidelibus, barbaros ſceleſtos fugans, morbos pellens, & ſanationes operans vſque in hodiernum diem. Hęc Doroth. Hieronymus in Iſai. c. 53. appellat eum Apoſtolum Æthiopum; agit de eodem epiſt. 103. ad Paulinum. Ante eum S. Irenęus meminit de eius Apoſtolatu ad Æthiopas lib. 3. c. 12. & Cyrillus Ieroſol. in catech. 1. Euſeb. lib. 2. c. 1. Niceph. lib. 2. c. 6. & alij. De fonte, in quo baptizatus eſt, agit S. Hieron. de locis Hebraicis. Si autem Æthiopum religionem altiùs repetas; habes ex Herodoto, quem citat Ioſephus Antiq. lib. 8. cap. 4. illos circumciſionem ab Ægyptijs didiciſſe: ſic vocat Hebræos, qui in Ægypto aliquando vixerunt.

[c] Artemij & ſociorum.] De his hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Horum res geſtæ connexæ habentur cum Actis SS. Marcellini & Petri, apud Sur. tom. 3. ſecunda Iunij. Corpora Artemij & Paulinæ tranſlata reperiuntur à Sergio Iuniori in titulum Equitij, vt vetus illic poſita teſtatur inſcriptio in marmore inciſa.

[d] Plumbatis cæſus.] Erat id genus tormentorum, quaſi flagellum ex funiculis, in quorum ſummitatibus glandes plumbeæ erant impactæ; his terga ac collum damnati hominis verberabantur. De his Prudentius Periſteph. hym. 10. in Romano, his verſibus:

*Tundatur, inquit, tergum crebris ictibus,*
*Plumboq; ceruix verberata extuberet.*

Et paulò poſt:

*Pulſatus ergo martyr illa grandine*, &c.

Porrò plumbatarum verberibus viliores tantùm perſonas torqueri conſueuiſſe, leges indicant. nam L. 2. de quęſt. Cod. Theod. hęc habet: Plumbatarum verò ictus, quos in ingenuis corporibus non probamus, ſed decem primos tantùm ordinis curiales ab immanitate huiuſmodi verberum ſegregamus. & L. 80. de decur. Cod. Theod. Omnis ordo curialis ab ictibus plumbatarum habeantur immunes. Conſtantinus Magnus, ac filij ab huiuſmodi ſupplicij genere exemerunt debitores, qui olim his affici conſueuerũt. L. 4. & 7. de exact. Cod. Theod. Viguit id genus ſupplicij etiam temporibus Honorij Imp. qui turpiſſimum Iouinianum hęreſiarchã contuſum primùm plumbo, vnà cum ſuis gregalibus damnauit exilio, vt conſtat ex L. 54. de hæret. C. Theod. Porrò etſi huiuſmodi plumbatarum verbera non eſſent ad inferendam mortem (nam ciuilium legum præſcripto cædere reum vſque ad mortem vetitum erat) complures tamen inter ictus plumbatarum efflaſſe ſpiritum reperiuntur, vt teſtatur Ammian. Marcel. lib. 28. Ambroſ. epiſt. 17. lib. 2. edit. Rom. cùm ait: Quid reſpondebo poſteà, ſi compertum fuerit, data hinc auctoritate, aliquos Chriſtianorum aut gladio, aut fuſtibus, aut plumbis necatos? Hęc ille. Prętermittimus recenſere innumeros ferè martyres, qui ad obitum vſque plumbatarũ verberibus ſunt affecti. Erant & plumbata ſpicula bellica, de

quibus

quibus Veget. de re milit. lib. 1. cap. 17. lib. 2. cap. 15. ſed de his nihil in præſentiarum. Erant & pondera plumbea, non ad cædendum, ſed ad diſtrahendas iuncturarum compagines, cùm damnatis ſublimè ſuſpenſis, reuolutis brachijs, eiuſmodi pondera deorſum ad pedes alligarentur. De his Ammianus lib. 29 Expediuntur, inquit, pondera plumbea, &c. Erat & pœna liquentis plumbi, cuius eſt frequens mentio in Martyrologio, de qua & Horatius:

*——— nec ſeuerus*
*Vncus abeſt, liquidúmve plumbum.*

Conſtantinus ad Populum reſcripſit, vt eius meatus oris & faucium, qui nefaria hortamenta prodendæ caſtitatis protulerit, liquentis plumbi ingeſtione claudatur. L. 1. de rapt. virgin. lib. 9. tit. 24 Cod. Theod.

[e] Martyrum viginti. ] Adò de his hac die, & Petrus in catal. lib. 5. c. 93. Paſſi ſunt Tarſi Ciliciæ ſub ijſdem Imp. & Iudice, quibus paſſus legitur S. Bonifacius, de quo ſuprà pridie Idus Maij. Cùm autem ibi (vt eius Acta teſtantur) corpora martyrum diſtraherentur pretio, eadem prędictorum viginti martyrum corpora coëmpta, tranſlata ſunt in Africam. Illuc etiam eadem ex cauſa, vt emeret corpora ſanctorum martyrum, profectus eſt S. Boniſacius, qui & ipſe eadem eſt donatus corona martyrij. Miram itaque habent conſenſionem, quę de his martyribus ſcribuntur, cum rebus geſtis S. Bonifacij. Erat Hippone regio celebris memoria horum martyrum, ibiq. editum eſt præclarum illud miraculum deſcriptum à ſancto Auguſtino de ciuit. Dei lib. 22. c. 8. Occiſorum corpora à militibus vendebantur aliquãdo: quod etiam & de Gentilium cadaueribus factum reperitur; vt de Piſonis & Galbæ corporibus tradit Tacitus lib. 17. de alijs Valer. Max. lib. 9. c. 4. 3.

[f] Amantij & Alexandri. ] Agit de his Vſuard. hac die, Beda verò ſequenti de Amantio: mendoſè autem loco Alexandri, ponit, Alexandriæ.

[g] Alexandri Epiſc ] Extant eius res geſtæ ex antiquis monumentis nuper editæ à Reuerendiſſ. Franciſco Cattano Epiſcopo Feſulano.

[h] Euſtorgij ſecundi. ] De eo etiam tabulę eccleſię Mediolanenſis. Extat ad hunc Theodorici Regis apud Caſſiod. variar. lib. 1. epiſt. 9. Idem ſcribens ad Agilam Comitem, meminit eiuſdem Euſtorgij, ac beatiſſimum virum appellat lib. 2. epiſtol. 29. Spectatæ ſanè ſanctitatis hominem etiam Rex Gothus & Arianus plurimi fecit.

[i] Ioannis Epiſc. ] De quo etiam tab. eccleſiæ Veronenſis. Eius Acta, ſicut & aliorum Veronenſium Epiſcoporum, Reuerendiſſ. Auguſtinus Valerius Epiſcopus Veronen. nunc S. R. E. Cardinalis, paucis complexus eſt.

[k] Claudij Epiſc. ] De eo Beda die ſequenti. Eius res geſtas ex vet. monumentis edidit Sur. tom. 4. Extant aliæ vberiores, quarum Molanus meminit. Reperitur hic interfuiſſe Conc. Epaunenſi, cui & ſubſcripſit, vt eius Synodi Acta demonſtrant. Migrauit ex hac vita anno quarto Chilleberti Tertij Regis Francorum.

[l] Norberti Epiſcopi. ] Huius Acta ſinceriſſimè ſcripta extant apud Sur. tom. 3. Diem obijt anno Domini 1134. vt eius Acta teſtantur, ac etiam Sigebert. in chron. eo anno; vbi & hæc de ipſo: Norbertus Archiepiſcopus, vir potens opere & ſermone, multorum monaſteriorum fundator, & ſanctæ religionis eximius propagator, Innocentij Papæ Catholici æquiſſimus fautor, Petri verò ſchiſmatici iuſtiſſimus execrator, &c. Addit & plura de progreſſu ordinis Præmonſtratenſium. Adſcribitur in tabulis Epiſcoporum Magdeburgenſium decimusquintus eius ſedis Epiſcopus.

## 7 Septimo Idus Iunij. Luna. D xx.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | | | |

CONSTANTINOPOLI natalis S. Pauli [a] eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, qui ſæpè ab Arianis ob fidem Catholicam pulſus, & à S. Iulio Romano Pontifice reſtitutus, demum à Conſtantio Imperatore Ariano ad Cucuſum oppidulum Cappadociæ relegatus, ibidem Arianorum inſidijs crudeliter ſtrangulatus, ad cæleſtia regna migrauit: cuius corpus, Theodoſio Imperatore, Conſtantinopolim ſummo honore tranſlatum [b] fuit. In Ægypto ſancti Lycarionis [c] martyris, qui laniatus, virgis ferreis ignitis cæſus, aliaq. ſæuiſſima paſſus, gladio demum percuſſus, martyrium conſummauit. Cordubæ ſanctorum martyrum Petri [d] preſbyteri, VValabonſi diaconi, Sabiniani, VViſtremundi, Habentij, & Ieremiæ monachorum. In Anglia ſancti Roberti [e] abbatis ordinis Ciſtercienſis.

PAVLI Epiſcopi [a]. ] De eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri Latinorum, Græci autem in Menologio octauo Idus Septembris. Eius Acta ex antiquis monumentis collegit Metaphraſtes; recitat ea Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 3. De eius electione ex præcedentibus prophetijs, habetur mentio in Actis ſancti Metrophanis. De tempore quo ſubrogatus eſt in locum Alexandri, ſcribit Socrat. lib. 2. cap. 3. Sozom. lib. 3. cap. 3. & alij poſt eos. In Annalibus refutauimus errorem aſſetentium ſancti Alexandri iudicio prælatum eſſe Macedonium Paulo in futura ſucceſſione. De huius rebus geſtis, atque his præſertim, quas ob tuendam fidem Catholicam paſſus eſt, ſcribit ſanctus Athanaſius in apologia ſecunda, & in epiſt. ad ſolit. vbi eum non ſemel, ſed quater pro fide exulaſſe tradit primò in Ponto, inde in Meſopotamia, tertiò Edeſſę, quartò demum Cucuſi. De eius perfugio ad Iulium Romanum Pontificem ſcribit Socrat. lib. 2. cap 9 & 10. De acceſſu ad Gallias ad S. Maximinum Epiſcopum Treuerenſem agit Niceph lib. 9. cap. 12. De nece ſæuiſſima illi ab Arianis illata ſcribit idem ſanctus Athanaſius in apologia de fuga ſua, & in epiſtola ad ſolitarios, Theodoret. hiſt. lib. 2. cap. 5. Socrat. lib. 2. cap. 12. & Sozom. lib. 3. cap 8.

[b] Tranſlatum fuit. ] Facta eſt eiuſmodi ſolemnis tranſlatio tempore Concilij œcumenici Conſtantinopolitani, magnaque clariſſimorum Epiſcoporum frequentia reconditum fuit in eccleſia nuper ablata Macedonianis, quorum ſæuitia ſæpiùs pulſus, & grauia paſſus erat. De his Socrat. hiſt. lib. 5. cap. 9 Sozom. lib. 5. cap. 8. & Niceph. lib. 9. cap. 29 & lib. 12. cap. 14. ijdemque tradunt, poſteros, rei geſtæ ignaros, exiſtimaſſe ex nomine Pauli, illic conditum eſſe corpus ſancti Pauli Apoſtoli: quæ quidem res apud aliquos ex vulgo fidem inueniens, etiam tranſmiſſa videtur ad ſucceſſores. Inde accidit, vt temporibus Clementis Papæ Quarti à Græcis in Gallia ad Reginam Francorum deferretur pro egregio munere caput, quod dicebatur eſſe Pauli Apoſtoli. Rei nouitatem admirata Regina, conſuluit de his prædictum Pontificem; qui ad eam reſcripſit epiſtolam, quæ in eius regiſtr. extat numero 477. qua quidem errorem redarguit, nec alibi quàm Romæ, vbi eſt paſſus, reperiri caput Apoſtoli, pluribus docet.

[c] Lycarionis. ] De eo item Græci hac die in Menologio, vbi etiam eius cruciatus narrantur.

[d] Petri & ſociorum. ] Vſuardus de his hac die. Horum martyrij Acta deſcribit ſanctus Eulogius in Memor. ſanct. lib 2. cap. 4. Paſſi ſunt (vt ait) æra 889 anno Domini octingenteſimo quinquageſimoprimo.

[e] Roberti abbatis. ] De eo item hac die Molan. in addit. ad Vſuardum. Extant eius Acta apud Sur. tom. 3. quibus habetur, eum migraſſe ex hac vita, anno Domini milleſimo centeſimo quinquageſimonono.

## xix. E Sexto Idus Iunij. Luna. 8

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | | | |

AQVIS in Gallia ſancti Maximini [a] primi eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, quem Domini diſcipulum fuiſſe tradunt. Eodem die ſanctæ Calliopæ [b] martyris, quæ ob Chriſti fidem mammis abſciſſis, atque aduſtis carnibus, ſuper teſtulas volutata, capite demum truncata martyrij palmam accepit. Apud Sueſſiones in Gallijs natalis ſancti Medardi [c] Epiſcopi Nouiomenſis, cuius vita & mors pretioſa glorioſis miraculis commendatur. Rhotomagi ſancti Gildardi [d] Epiſcopi, fratris eiuſdem ſancti Medardi, qui eodem die nati, eodemq. Epiſcopi conſecrati, vno quoque die de hac vita ſubtracti, ſimul in cælum migrarunt. Apud Senonas ſancti Heraclij [e] Epiſcopi. Metis ſancti Clodulphi [f] Epiſcopi. In Piceno ſancti Seuerini [g] Epiſcopi Septempedani. In Sardinia ſancti Salluſtiani [h] confeſſoris. Camerini ſancti Victorini [i] confeſſoris.

IVNII

MAXIMINI Epiſcopi [a]. ] Hunc vnum ex ſeptuagintaduobus diſcipulis fuiſſe tradunt; cuius res geſtæ intextæ habentur cum Actis ſanctæ Marthæ, & Mariæ Magdalenæ. De eo item Petrus in catalog. lib. 5. cap. 101. & Democh. in tab. Epiſc. Aquenſis eccleſiæ.

[b] Calliopæ. ] Agunt de eadem hac die Græci in Menologio, eiuſque martyrij Acta referunt.

[c] Medardi Epiſcopi.] De eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij omnes. Eius Acta ſcripta à Fortunato tunc preſbytero, poſteà Epiſcopo Pictauienſi, recitat Sur. tom. 3. De eius obitu, atque miraculis poſt mortem editis, extat item Fortunati carmen libro 2. idemque agit de ipſo etiam libro 4 vit. ſancti Martini, & in vita ſanctæ Radegundis, Gregor. Turonen. de glor. confeſſ. cap. 95. & de geſt. Francorum libro 4. cap. 19. Scribit Sigebertus in chronic. eum ex hac vita migraſſe anno Domini 556. Pro excellentia meritorum tanti viri ſanctus Gregorius Papa indulſit, vt eius monaſterium caput eſſet omnium monaſteriorum totius Galliæ, aliaque ſuperaddidit priuilegia; & quæ olim à ſancto Ioanne Papa eidem fuerant elargita, confirmauit, ſtabiliuitque. extant de his eiuſdem ſancti Gregorij litteræ Apoſtolicæ in regiſt. lib. 12. Indict. 7. cap. 31. Erat eiuſmodi monaſterium in ſuburbio Sueſſionenſi ſub nomine ſancti Medardi & ſancti Sebaſtiani, vt conſtat ex Actis Synodicis Concilij illic habiti anno xiij. Ludouici Pij Imp. ſub Hincmaro Epiſcopo Rhemenſi, qui Synodo pręfuit. In tabulis Democharis de ſacrificio Miſſæ adſcribitur hic decimuſquartus eius ſedis Epiſcopus: agit & de eo Molanus in Indic. Sanct. Belgij.

[d] Gildardi Epiſcopi. ] De ipſo etiam Vſuardus hac die, & alij recentiores. Extat de eodem carmen ſancti Audoeni, & Antiphona Gregorij Turonen. quæ cuncta recitat Sur. tomo 3. De Gildardo & Medardo fratribus hæc Sigebert. in chronic. anno Domini 535. Clarent, inquit, in Gallijs fratres vterini, vno eodemque die nati, & Pontifices conſecrati, Medardus ad titulum Nouiomenſem, Gildardus ad Rhotomagenſem; & vno die abſoluti à ſęculo, aſſumpti ſunt à Chriſto. Hæc ille. Molanus teſtatur Gildardi vitam manuſcriptam haberi: agit de eodem Petrus in catal. lib. 5 cap. 97. & 98. Reperitur interfuiſſe Gildardus Concilio primo Aurelianenſi celebrato temporibus Clodouei Regis Francorum, vt ex eius Actis apparet; numeraturque eiuſdem ſedis Rhotomagenſis Epiſcopus decimuſquintus in tabulis Democharis.

[e] Heraclij Epiſcopi. ] De eodem hac die Vſuardus, atque recentiores. Migrauit ex hac vita anno quingenteſimo ſeptimo, numeraturque eius ſedis Epiſcopus decimuſquintus in tabulis Epiſcoporum Senonenſium, quas recitat Demochar. libro de ſacrificio Miſſæ.

[f] Clodulphi Epiſc. ] Extant Acta Epiſcoporum Metenſium, vbi plura de Clodulpho, de quo etiam in vita ſancti Trudonis, apud Sur. tomo ſexto, die 23. Nouemb. Sigebert. in chron. anno Domini 640. Fuit hic patre Arnulpho & matre Doda progenitus, ſanctis ambobus, & in ſæculo clariſſimis. Ponitur in tabulis Epiſcoporum Metenſium triceſimusſecundus eius ſedis Epiſcopus.

[g] Seuerini Epiſcopi. ] Celebris fuit memoria ſancti Seuerini apud Septempedanos, adeò vt etiam ſuam ipſorum ciuitatem eius nomine appellari voluerint. Ambigua adhuc & ſubobſcura remanet de ſancto Seuerino narratio ob omnimodam ferè ſimilitudinem quam in omnibus habere videtur cum ſancto Seuerino Epiſcopo Neapolitano, quocum non tantùm nomine & dignitate Epiſcopatus conuenit, ſed (quod mirandum ſit) vterque fratrem habuit nomine Victorinum: vnde facillimè contingere potuit, vt quod eſſet alterius, tribueretur alteri: quod quidem Ado ſexto Idus Ianuarij, & Nonis Septembris feciſſe videtur; dum Victorinum illum, qui in eremo perarduam vitam duxit, germanum exiſtimauit Seuerini Neapolitani, cuius quidem frater eremum minimè coluit, ſed longè antè martyr factus eſt. Nec mirandum eſt duos Seuerinos duos fratres Victorinos habuiſſe; cùm moris Chriſtianorum fuiſſe conſtet, ſuis filijs nomina ſanctorum imponere, quo illorum ſectantes veſtigia, etiam patrocinio fulcirentur. Dionyſ. Alexand. apud Euſeb. lib. 7. cap. 20 Horum autem fratrum Seuerini & Victorini Acta legimus accepta ab ipſorum eccleſia, ex quibus nouimus hos fratres fuiſſe vterinos, eremiticamq. vitam excoluiſſe: quorum Victorinus cùm aliquando lapſus fuiſſet, arctioribus ſe diſciplinæ vinculis mancipauit, ac ſancto fine quieuit: Seuerinus autem ad regimen Epiſcopatus aſſumptus, ſanctitate clarus migrauit è vita, cuius venerandum corpus ante quadriennium repertum, honorificentiùs reconditum eſt. Floruerunt ambo temporibus Iuſtiniani Imp. cùm Vigilius Romanæ Eccleſiæ (vt ipſorum Acta teſtantur) præſideret.

[h] Salluſtiani. ] Agit de eo item hac die Vſuardus: meminit eiuſdem Fara de rebus Sardois.

[i] Victorini. ] Hic ille germanus S. Seuerini, de quo modò egimus, cuius & Acta iuncta habentur vitæ ſancti Seuerini.

xviij. F

## Quinto Idus Iunij. Luna. 9

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |

ROMÆ in monte Cælio natalis ſanctorum martyrum Primi [a] & Feliciani, ſub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus. Hi glorioſi martyres longæuam in Domino vitam ducentes, & nunc ſimul paria, nunc ſingillatim diuerſa & exquiſita [b] perferentes tormenta, tandem felicis pugnæ curſum, à Promoto Præſide Nomentano gladio animaduerſi, conſummauerunt. Agenni in Gallia paſſio ſancti Vincentij [c] Leuitæ & martyris. Apud Antiochiam ſanctæ Pelagiæ [d] virginis & martyris, quam ſancti Ambroſius & Ioannes Chryſoſtomus magnis efferunt laudibus. Syracuſis ſancti Maximiani [e] Epiſcopi, cuius ſanctus Gregorius Papa ſæpiùs meminit. In Scotia ſancti Columbi [f] preſbyteri & confeſſoris. Edeſſæ in Syria ſancti Iuliani [g] monachi, cuius præclara geſta ſanctus Ephræm diaconus ſcripſit.

## IVNII 9.

PRIMI & Feliciani [a]. ] De his item hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij omnes. Horum Acta ex Adone fuſiùs ſcripta recitat Sur. tom. 3. itemq. Mombrit. tom. 2. & Petrus in catal. lib. 5. c. 99. Sunt tamen in eis pauca quædam quæ corrigantur. Theodorus Papa prædictorum martyrum corpora, quæ erant in arenario via Nomentana, eleuauit, & in Vrbem tranſtulit, recondiditq. in baſilica ſancti Stephani protomartyris, multaque dona obtulit. Hæc in libro de Rom. Pontificibus in Theodoro. In eadem antiqua ſancti Stephani protomartyris memoria, in monte Cælio poſita, adhuc extant vetuſtiſſimæ ipſorum ſacræ imagines, muſiuo opere intextæ, vbi & eorum corpora fuerunt recondita. Reperiuntur duo alij iiſdem nominibus appellati, Primus & Felicianus germani, de quorum martyrio agitur in Actis S. Fidei apud Surium tom. 7. die 6. Octobris.

[b] Exquiſita perferentes tormenta. ] Cyprianus ad Demetrianũ: Admoues, inquit, in laniandis corporibus noua tormenta; excogitat nouas pœnas ingenioſa crudelitas, &c. Euſeb. hiſt. lib. 8. c. 24. Has quidem, inquit, pœnas ingenioſi illi, & æqui ſcilicet Iudices, quo ſuam ſolertem indolem & ingeniorum acumen oſtenderent, & perinde ac ſi ſingulare quoddam ſapientiæ ſpecimen in ea re eluxiſſet, attentiùs excogitarunt: atque in nouis ſuppliciorum generibus adinueniendis, non aliter atque in certamine, præmia aſſequi laborabant, ſeque inter ipſos ſuperare obnixè contendebant. Hæc Euſeb. Sed quid de Christianis ad illos Tertullianus in apolog. in fine? Exquiſitior (ait) quæque crudelitas veſtra, illecebra eſt magis ſectæ. Plures efficimur, quoties metimur à vobis: ſemen eſt ſanguis Chriſtianorum. Hæc ille. Inuehitur & Seneca in exquiſitam tormentorum inuentionem eo libro quem de Clementia ſcripſit ad Neronem, c. 25. Multiplicia exquiſitorum tormentorum genera recenſet Ioſephus lib. de Machab. ad Polyb. cuius hęc ſunt verba: Singula proferri in medium tormenta mandauit. exhibentur itaque rotæ, radij, vngulæ, rotabula, catapultæ, lebetes, cataſtæ, frixoria, digitaria, pugillaria, manus ferreæ, ſubulæ, ſuccenſoria, ollæ æneæ, ſartago. hæc illis nomina eſſe reperimus, &c. Hæc Ioſephus de his quæ ſpectant ad exquiſita tormentorum genera: ſed ex textu & verſione Eraſmiana: aliter tamen ſe habet communis Gręca editio, quæ habetur præ manibus, quam ad verbum ferè recitat Gregorius Nazianz. in orat. de Machab.

[c] Vincentij. ] Agunt de eodem hac die iidem qui ſuprà, Beda, Vſuardus, Ado, & alij. De cuius Actis, atque miraculis ad eius ſepulchrum editis agit Greg. Turonen. lib. de gloria mart. c. 105. & hiſt. de geſt. Franc. lib. 7. c. 35. Huic ſancto martyri, Patres in Concilio Cabilonenſi congregati, pro vita Clodouei Regis preces obtulerunt, vt conſtat ex eius Synodi Actis c. 1. De huius baſilica, & miraculis ibi factis, ſcripſit Venantius Fortunatus elegans epigramma: extat lib. 1. carm.

[d] Pelagiæ. ] De hac S. Ambroſius lib. 3. de virgin. & ad Simplicianum. Hanc & S. Ioannes Chryſoſt. duabus laudauit orationibus, quas habet Lipom. tom. 7. & Sur. tom. 3. qui & in oratione

de

de tranſlatione S. Ignatij, eiuſdem meminit, atq. eius memoriam celebrati ſolitam pridie eius diei, qua agi conſueuit ſolemnitas tranſlationis S. Ignatij; Græci autem in Menologio de ea agunt ad 4. Idus Iunij: ijdem etiam eius Acta referunt, mentionemq. faciunt de prędictis encomiaſticis orationibus à S. Ioanne Chryſoſtomo de ea dictis; in eodemq. Menologio, octauo Idus Octob. agunt de alia Pelagia Antiochena, quæ antequam teneretur à perſecutoribus, orans ne diſpendium pateretur virginitatis, in pace quieuit. Cùm in Martyrologio de vnà eademq. Pelagia Ambroſius & Chryſoſtomus æquè citentur: conueniunt prędicti in martyris nomine & loco; nimirum quòd Pelagia nomine, & patria fuerit Antiochena; quòd inſuper, ne iacturam pateretur virginitatis, mortem voluntariam oppetierit. verùm inter ſe diſcrepant, dum Ambroſius eam vnà cum matre & ſorore fluuio merſam teſtatur, Chryſoſtomus autem è ſublimi tecto ſe dediſſe præcipitem dicit. Quid ad hæc dicamus, non habemus. Ceterùm Ambroſio adſtipulari videtur Auguſtinus de ciuit. Dei lib. 1. cap. 26. vbi eiuſdem Pelagiæ ac ſociarum martyria in Eccleſia Catholica veneratione celeberrima frequentari teſtatur: excuſatque eas, quòd priuato quodam Dei conſilio ſibi ipſis necem intuliſſent. Scribit & Athanaſ. in apolog. quòd nonnullæ virgines Alexandrinæ, dum graſſarentur in eas Ariani, ſeſe in puteos præcipites egerint. Sunt alia complura de his exempla admiranda quidem, ſed non imitanda. Fuit non tantùm Antiochiæ, ſed & Conſtantinopoli celebris memoria ſanctæ Pelagiæ, cuius egregiam baſilicam impius Conſtantinus Copronymus demolitus eſt, vt teſtatur Cedren. in compend.

[e] Maximiani Epiſc.] De quo ſcribit S. Gregorius homil. 34. in Euangel. & dialog. lib. 3. c. 36. Huic ſuas vices delegauit in omnibus eccleſijs Siciliæ, vt apparet in regiſt. lib. 2. epiſt. 13. Agit de eius obitu, ſcribens ad Cyprianum diac. lib. 4. epiſt. 19. ex qua apparet, eum migraſſe ex hac vita Indictione decimatertia, anno Domini 596. Commendat plurimùm eius vigilantiam in cura paſtorali lib. 12. epiſt. 13. Agit de eodem Ioannes diac. in vit. S. Greg. lib. 1. cap. 6. & 33.

[f] Columbi, aliàs Columbæ, vel Columbani.] De eo hac die Beda, & alij recentiores; pluribus de eo idem Beda hiſt. de geſt. Angl. lib. 3. c. 4. & 25. vbi eumdem appellat Columbanum, Columbam autem in epitome anno Domini 565. quo anno ex Hibernia ſe contulit in Britanniam, vixitque ibi annis trigintaduobus, vt idem teſtatur auctor: ſicque perueniſſe videtur vſque ad annum Domini 597. de quo & Sigebert. in chron. anno 596. & 598. vbi ſemper Columbanum appellat. Scripſit eius vitam Adamandus eidem æqualis, de quo Sigebert. de vir. illuſtr. cap. 64. Nec moueat quemquam, quòd Columba hic præter morem Eccleſiæ Paſcha celebrabat decimaquarta Luna. excuſat enim eum Beda hiſt. Angl. lib. 3. c. 4. in fine, & Walfridus apud eumdem eod. lib. 3. cap. 25. Alius ab hoc eſt ſanctus Columbanus abbas Luxouienſis, de quo inferiùs ad xj. Kalend. Decembris.

[g] Iuliani.] Agunt de eo item Sozomen. hiſt. lib. 3. c. 13. & Niceph. hiſt. lib. 9. c. 15. quorum teſtimonio conſtat eius res geſtas ſcriptis mandatas à S. Ephræm diac. eccleſ. Edeſſenæ.

## 10 Quarto Idus Iunij. Luna. G xvij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | | | |

ROMAE via Salaria paſſio beati Getulij [a] clariſſimi & doctiſſimi viri, ſociorumque eius Cærealis, Amantij, & Primitiui: qui iuſſu Hadriani Imperatoris à Licinio Conſulari tenti, primò cæſi, deinde in carcerem truſi, poſtremò incendio traditi, cùm nullo modo ab igne læſi fuiſſent, fuſtibus illiſo capite martyrium compleuerunt: quorum corpora Symphoroſa beati Getulij vxor collegit, & in arenario prædij ſui honorificè ſepeliuit. Item Romæ via Aurelia natalis ſanctorum Baſilidis [b], Tripodis, Mandalis, & aliorum viginti martyrum, ſub Aureliano Imperatore, & Platone Vrbis Præfecto. Nicomediæ ſancti Zachariæ [c] martyris. Pruſiade in Bithynia ſancti Timothei [d] Epiſcopi & martyris ſub Iuliano Apoſtata. In Hiſpania ſanctorum martyrũ Criſpuli [e] & Reſtituti. In Africa ſanctorum martyrum Areſij [f], Rogati, & aliorum quindecim. Coloniæ S. Maurini [g] abbatis & martyris. Petræ in Arabia S. Aſterij [h] Epi-

ſcopi,qui ob fidem Catholicam ab Arianis multa paſſus,& à Conſtantio Imperatore in Africam relegatus, confeſſor glorioſus occubuit. Antiſiodori ſancti Cenſurij [i] Epiſcopi. In Scotia ſanctæ Margaritæ [k] Reginæ,amore in pauperes,& voluntaria paupertate celebris.

## IVNII 10.

GETVLII & ſoc. [a]] De his item hac die Beda, Vſuardus, Adò, & alij recentiores. Horum Acta ex antiquis codicibus eruta edidit Sur. tom. 3. hac die. In agro Tiburtino extat horum vetus memoria iam vetuſtate collapſa: cenſeturq. ille locus, Arenarium, vbi S. Symphoroſa prædictos martyres ſepeliuit. Habemus in vet. cod. manuſcr. horum martyrij Acta, quorum eſt eiuſmodi exordium: Iam quaſi tempeſtate, &c. In his enim Getulius item & Zoticus dictus reperitur maritus ſanctæ Symphoroſæ, de quo item ſuperiùs die 12. Ianuarij, quo idē Zoticus vnà cum Amantio poſt ignem ſuperatum, à militibus, eradicatis (vt eadem habent Acta) vinearum ſuſtibus, occiſus eſt.

[b] Baſilidis & ſoc.] Agunt de bis ijdem qui ſuprà, Beda, ac ceteri. Eorum Acta recitat Mombrit. tom. 1. Petrus in catal. lib. 5. c. 103.

[c] Zachariæ.] De eo prætereà hac die Beda, Vſuardus, ac recentiores.

[d] Timothei Epiſcopi.] Agunt de eodem hac die Græci in Menologio his verbis: Apud Pruſiam, ſactoſancti martyris Timothei, eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, qui ſub Iuliano Imp. Apoſtata, cùm eccleſiam ſuam benè regeret, & multorum miraculorum fama eſſet illuſtris, à Iuliano Chriſtianæ fidei deſertore obtruncatus eſt: cuius dies feſtus in ſanctiſſimo eius Martyrio celebratur. Hæc ibi.

[e] Criſpuli & Reſtituti.] Agit de bis item Beda hac die, Ado autem die ſequenti.

[f] Aretij & ſoc.] De his etiam hac die Beda, adſtipulanturq. vetera manuſcripta.

[g] Maurini.] Molanus de eodem hac die ex tab. eccleſiæ Colon. Scribit de eodem Trithem. de vit. illuſtr. ord. S. Bened. lib. 3. c. 134. Inuentionis eius hiſtoriam habet Surius tom. 3. hac die. Clatuit (vt idem Tritbem. auctor eſt) anno Domini ſexcenteſimo ſeptuageſimo.

[h] Aſterij.] De quo & Græci. Huius egregiam confeſſionem ſcribit S. Athanaſius in epiſtola ad ſolitarios col. 459. Receſſit hic ab Arianis venturus ad Synodum Sardicenſem, vt conſtat ex Synodica eiuſdem Concilij, quam recitat Athan. in apolog. 2. itemque interfuit Concilio Alexandrino ab Athanaſio celebrato temporibus Iuliani, functuſq. eſt legatione ex eadem Synodo ad Antiochenos, vt patet ex epiſtola Synodica eius Concilij, quę extat apud Athanaſium col. 87. Longè hic alius à perditiſſimo illo Aſterio, cuius idem auctor meminit lib. de Synodis.

[i] Cenſurij, aliàs Cenſorij.] De quo hac item die Beda, Vſuardus, & alij. Extat Sidonij Apollinaris ad hunc epiſt. 10. lib. 6. ad quem etiam Conſtantius de vita S. Germani Epiſcopi Antiſiodorenſis aliam dedit epiſt. quę extat apud Surium tom. 4. die 31. Iulij. In tabulis Epiſcoporum Antiſiodorenſium bic adſcribitur decimus ordine eius ſedis Epiſcopus, vbi & hæc ponuntur: Cenſurius ſedit annos 38. menſes 3. dies 6. obijt quarto Idus Iunij, ſepultus in eccleſia S. Germani. Hæc ibi apud Demochar. de ſacrif. Miſſæ.

[k] Margaritæ Reginæ.] Scripſit eius nobilia facta Dei donatus libro 12. hiſt. Scotorum, Turgotus etiam Prior Dunelmenſis idipſum pręſtitit: eadem in compendium redacta Surius habet tom. 3. Vide Molan. in annot. ad Vſuardum die 16. Nouembris editionis ſecundæ.

## xvj. A Tertio Idus Iunij. Luna. 11

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | | | |

NATALIS ſancti Barnabæ [a] Apoſtoli, qui natione Cyprius, à diſcipulis cum Paulo Gentium Apoſtolus ordinatus, multas regiones cum eo peragrauit, Euangelicæ prædicationis iniunctum ſibi opus exercens: poſtremò Cyprum profectus, ibi Apoſtolatum ſuum glorioſo martyrio decorauit: cuius corpus [b] tempore Zenonis Imperatoris, ipſo reuelante, repertum eſt, vnà cum codice Euangelij ſancti Matthæi ſua manu deſcripto. Aquileiæ paſſio ſanctorum Felicis [c] & Fortunati fratrum, qui in perſecutione

tione Diocletiani & Maximiani equuleo ſuſpenſi, atque ardentibus lampadibus circa eorum latera appoſitis, & mox diuina virtute extinctis, per ventrem feruenti oleo ſunt perfuſi, & ad vltimum, cùm in confeſſione Chriſti perſiſterent, capite truncati. Bononiæ ſancti Pariſij [d] confeſſoris, monachi ordinis Camaldulenſis. Romæ Tranſlatio [e] ſancti Gregorij Nazianzeni: cuius ſacrum corpus è Conſtantinopoli ad Vrbem anteà delatum, atque in eccleſia Dei genitricis ad Campum Martium diu aſſeruatum, Gregorius XIII. Pontifex Maximus in Cappellam [f] à ſe in Baſilica ſancti Petri magnificentiſsimè exornatam ſumma celebritate tranſtulit, ac poſtridie ſub altari digno honore condidit.

## IVNII 11.

BARNABÆ Apoſt. [a] ] Tam Latini quàm Græci de eodem agunt hac die. De eius Apoſtolatu Act. Apoſt. cap. 13. Erat autem vnus ex ſeptuaginta duobus diſcipulis, vt ſcribit Euſeb. lib. 2. cap. 1. Epiphan. in Panar. lib. 1. prope finem, Beda Act. Apoſt. c. 4. Alexand. monach. in encom. de ſancto Barnaba, & Hippolytus mart. libel. de 72. diſcip. vbi & de aduentu Barnabæ Mediolanum, de quo item Doroth. in Synopſi, & alij. Fertur nomine Ioannis cognomento Marci, cuius eſt mentio in Actis Apoſt. cap. 12. paſſio Barnabæ; quæ cùm multa habeat falſa, & quæ repugnent iiſdem Actis Apoſtolicis à Luca conſcriptis, indigna prorſus eſt quæ illi tribuatur, vt in Annal. Eccleſ. diſſeruimus. Rurſus ea quæ in illo apocrypho, Clementis nomine, Itinerario ſcripta habentur de Barnaba, quòd primus Romæ Euangelium prædicauit; à veritate prorſus aliena eſſe noſcuntur, licet illis nonnulli fidem præſtiterint, vt prædictus Alexander, Dorotheus, & ſi qui alij, affirmantes illum tunc veniſſe Romam, cùm Antiochiæ vnà cum Paulo, monente Spiritu ſancto, ſegregatus, prædicandi Euangelij munus accepit. Sed hæc non conſiſtere, pluribus probauimus in Annalibus Eccleſiaſticis, vbi ſatis demonſtrauimus, non fuiſſe facultatem Barnabæ in Italiam aduentandi ante annum Claudij nonum, quando diuiſus à Paulo, aſſumpto Marco (vt habent Acta cap. 15.) receſſit iterùm Antiochiâ: neque enim ad illud vſque tempus ſemel iunctus Paulo, ab eo receſſit. Romam autem conceſſiſſe, illicque Euangelium prædicaſſe, quamdiu Claudius vixit, minùs ei permiſſum fuiſſe videtur, prohibente illo Iudæos Romæ agere. Petrum verò Romam veniſſe anno ſecundo Claudij, omnium auctoritate conſtat. Nec eſt quòd quis dicat, ante coniunctionē cum Paulo Barnabam Romam eſſe profectum: nam needum apertum erat oſtium Gentibus, quod Petrus, & non Barnabas, primus reſerauit, Act. c. 10. & 11. Nec vlla patitur ratio, vt anteà Barnabas ſit profectus, quàm per Spiritum ſanctum ſegregatus in Euangelium, miſſus fuerit. Cetera de ſancto Barnaba vberiùs vbi ſuprà in Annalibus Eccleſiaſticis diximus.

[b] Cuius corpus tempore Zenonis. ] Cetera Martyrologia Bedæ, Vſuardi, Adonis, & aliorum eadē de inuentione corporis eius teſtantur. Huius rei geſtę hiſtoriam prolixiùs ſcribit Alex. monach. in Barnaba apud Sur. tom. 3. hac die, Theodorus lector lib. 2. collectan. Niceph. lib. 16. c. 37. Cedren. in compend. anno 4. Zenonis, Sigebertus anno 489. Marian. Scot. anno 483. & alij plures.

[c] Felicis & Fortunati. ] Agunt de iiſdem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Venantius Fortunatus de his agit lib. 7 his verſibus:

*Felicem meritis Vicentia læta refundit,*
*Et Fortunatum fert Aquileia ſuum.*

Et in vita ſancti Martini lib. 4. poſt alios recenſitos ſanctos ait:

*Et Fortunati benedicti martyris vrnam.*

Horum Acta ex antiquioribus codicibus manuſcripta edidit Mombrit. tom. 2. Petrus item in catal. lib. 5. cap. 167.

[d] Pariſij. ] De quo tabulæ eccleſiæ Bonon. Habentur eius Acta ſummatim expreſſa apud Surium tom. 7. hac die. Migrauit ex hac vita anno Domini 1267. annum ętatis agens circiter ſextumdecimum ſupra centeſimum, vt eadem Acta declarant.

[e] Tranſlatio S. Gregorij Nazianz. ] Primam eius tranſlationem Conſtantinopoli Romam factam, firma certaq. traditione didicimus, eam ob cauſam, quòd graſſantibus barbaris in eas regiones, ſanctimoniales feminæ, in quarum eccleſia tantus theſaurus erat conditus, fuga ſuæ pudicitiæ conſulentes, acceptum venerandum corpus, impoſitumq. nauigio, ad tutum pietatis aſylum Romam confugientes, detulerunt, atque in templo ſanctæ Mariæ in Campo Martio ſibi ab Apoſtolica ſede conceſſo condiderunt, ibique in adiacente domo, in qua habitabant, more patrio diuinas laudes per dies ſingulos perſoluebant: quibus iam vita functis, ceſſit locus Romanis virginibus, quę ibidem non ſub regula S. Baſilij (vt illæ olim) ſed ſub inſtitutis S. Benedicti hactenus perſeuerant. Eadem etiam exigente occaſione, alię ſanctimoniales ex Oriente profugæ, deferentes & ipſæ ſecum eccleſiæ ſuæ ſacra pignora, reliquias venerandas, & inter alias ſacrum caput S. Gregorij Armeni Epiſcopi, cùm appuliſſent ad litus Cam-

panum, à Neapolitanis honorificentiſſimè exceptæ ſunt; erectóque templo in honorem tanti Epiſcopi, ac monaſterio ſuperaddito, ibidem ſanctè pieque vixerunt: quibus ſuccedentes Neapolitanæ virgines, vſque ad præſens ſæculum ſub habitu & regulis ſancti Baſilij vixerunt; licet poſtmodum, cùm Larinas ſub Latinorum monachorum regulis monaſticam vitam colere congruere magis eſſet viſum, & ipſæ ſe S. Benedicti regulis ſubdiderint. Hæc autem, Neapoli cùm eſſem, ex antiquis eiuſdem eccleſię monumētis didici. Sed vt ad noſtri Gregorij Theologi tranſlationem redeamus: ſicut illa prima tranſlatio ob fugam celerem fuit ſubobſcura; ita ſecunda, de qua hac die ſolemnis memoria agitur, clariſſima planè extitit, ac celeberrima. Merui, licet indignus, tanti Patris, quem præcipuè veneror, triumphum hiſce oculis cominus intueri: cùm ampliſſimæ gloriæ cauſam mente reuoluens, Ecce tibi (mecum dicebam) Sol Orientis, occaſum neſciens, nebulis & denſa caligine inuidorum obfuſus aliquando, quibus modò coruſcat fulgoris radijs! En ſacer vertex Orientalis Eccleſiæ, fortiſſimus fidei propugnator & propagator, qui collapſam penitus Conſtantinopoli Catholicam fidem reſtituit, auxit, in tutóque collocauit: victiſque ac profligatis gladio verbi hæreticorum turmis, vrgente vehementi Catholicorum ex inuidia concitata procella, vt paci Eccleſiæ vniuerſalis conſuleret, non quæ ſua ſunt quærens, ceſſit ſedi, & receſſit inglorius. Sed quid tandem? Ecce pro Byzantio Deus rependit Romam, pro noua antiquam, pro illa exigua Anaſtaſia auguſtiſſimam Baſilicam Vaticanam, Vrbis ornamentum, Orbis miraculum; pro tenui denique ſepulchro fornicem triumphalem, ampliſſimum (inquam) Sacellum, quod in honorem ſui Gregorij Gregorius noſter Pontifex conſtruxit, magnificentiſſiméque exornauit atque illuſtrauit. Non eſt meæ facultatis, nec præſentis inſtituti, mirificum illud opus deſcribere; cùm præſertim eruditi complures viri, ac præcipuè noſter D. Laurentius Frizolius, poëticis litteris benè excultus, præclaro poëmate id egregiè præſtiterit. Tranſlationis hiſtoriam nobili commentario teſtatam reliquit R. D. Franciſcus Mocantius Magiſter cærimoniarum.

[f] In Cappellam.] Putarunt aliqui, dictam eſſe Cappellam à capiendo, ſicque ex Latina & Græca voce nomen eſſe compoſitum, quaſi capiens λαὸν. ſed planè errant. Francum vocabulum potiùs eſſe putatur à cappa deriuatum, quæ tegumen ſignificat, quod veluti tentorium factum ſecum veherent Reges, cùm eſſent in expeditione, ad vſum rerum ſacratum. Vel (quod ſcribit Durand. lib. 2. cap. 10. num. 8.) dicta Cappella à Cappa ſancti Martini, quam religionis ergô Francorum Reges procedentes ad prælia ſecum portarent. Sanè quidem conſueuiſſe Reges Francorum in expeditione ſecum ferre ſanctorum reliquias, ſacerdoteſque eidem muneri mancipatos dictos eſſe Cappellanos, teſtatur epiſtola Carlomanni Ducis Francorum, data anno Domini 742. quæ deſcripta habetur in Capitular. Franc. lib. 5. cap. 2. in qua hæc leguntur: Seruis Dei per omnia omnibus armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum & in hoſtem pergere, omnino prohibemus: niſi illis tantummodò, qui propter diuinum miniſterium, Miſſarum ſcilicet ſolemnia adimplenda, & ſanctorum patrocinia portanda, ad hoc electis: id eſt, vnum, vel duos preſbyteros cum Cappellanis preſbyteris, Princeps ſecum habeat. Hæc ibi. Equitare conſueuiſſe Reges Francorum, ſacris reliquijs præcedentibus, demonſtrat Gregor. Turon. hiſt. Franc. lib. 6. cap. 27. vbi ait de Chilperico Rege: Reliquijs multorum ſanctorum præcedentibus, vrbem ingreſſus eſt. Pro Oratorijs Cappellas accipi, item habes in Capitular. lib. 5. cap. 182. vbi hæc leguntur verba: Ne Cappellæ in noſtro palatio vel alibi ſine permiſſu Epiſcopi, cuius eſt parochia, fiant. Sic & in Concil. Tribur. c. Concedimus. de conſec. diſtinct. 1. Veteres enim loca illa, quæ nos Cappellas dicimus, Oratoria dicere conſueuere; antiquiores verò conſtat eadem appellaſſe Cubicula, ſecundùm ea quæ Saluator noſter apud Matthæum 6. ait: Intra cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora Patrem tuum, &c. Habes hanc vocem eo ſenſu vſurpatam à ſancto Paulino in epiſtola 12. ad Seuerum, in qua, dum deſcribitur extructum templum, hæc habet verba: Cubicula intra porticus quaterna longis baſilicæ lateribus inſerta, ſecretis orantium, vel in lege Domini meditantium. Et paulò pòſt: Omne Cubiculum binis per liminum frontes verſibus prænotatur, &c. Sic intelligas quod liber de Romanis Pontif. habet in Marcellino: Hic ſepultus eſt in cœmeterio Priſcillæ in Cubiculo claro. Itemque in Symmacho Papa appellantur ipſa Oratoria Cubicula, cùm dicitur: Fecit autem Oratoria duo, S. Ioannis Euangeliſtæ, & S. Ioannis Baptiſtæ, infra quorum confeſſiones fecit arcus argenteos penſantes libras 30. quæ Cubicula omnia à fundamento perfecta conſtruxit. Hęc ibi. In veteri Pœnitentiali, quod apud nos extat manuſcrip. hæc etiam leguntur: Cùm venerit aliquis ad ſacerdotem confiteri peccata ſua: mandat ei ſacerdos, vt expectet modicum, donec intret in Cubiculum ad orationem, &c. Eodem ſenſu etiam à Cubiculo dicti ſunt Cubicularij ijdem quos nos modò dicimus Cappellanos: ſicque accipias illa verba in Leone Romano Pont. quibus dicitur: Hic etiam conſtituit & addidit ſuper ſepulchra Apoſtolorum ex Clero Romano cuſtodes, qui dicuntur Cubicularij. Hodie tamen diuerſo ſenſu ea vox accipitur: eſt enim ordo familiæ Palatinæ laicis etiam communis. Scias etiam eiuſmodi Cubicula, vel Oratoria ſecundùm antiquiorem illum loquendi vſum impropriè dici Sacella: nam ſi priſcam eius vocis repetas ſignificationem, inuenies apud Feſtum Sacella dici loca dijs ſacrata ſine tecto: verùm recentior vſus obtinuit, vt eadem etiam Sacella dicantur.

Pridie

12 Pridie Idus Iunij. Luna. B xv.

| | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | | | |

ROMÆ via Aurelia natalis ſanctorum martyrum Baſilidis [a], Cyrini, Naboris, & Nazarij militum, qui in perſecutione Diocletiani & Maximiani ſub Aurelio Præfecto ob Chriſtiani nominis confeſſionem detruſi in carcerem, & ſcorpionibus [b] lacerati, capite truncati ſunt. Nicææ in Bithynia ſanctæ Antoninæ [c] martyris, quæ in eadem perſecutione à Priſcilliano Præſide iuſſa eſt fuſtibus cædi, ſuſpendi in equuleo, lateribus laniari, & flammis incendi, ac demum gladio necari. In Thracia ſancti Olympij [d] Epiſcopi, qui ab Arianis ſede pulſus, confeſſor occubuit. In Cilicia ſancti Amphionis [e] Epiſcopi, qui tempore Maximini confeſſor fuit egregius. In Ægypto ſancti Onuphrij [f] anachoretæ, qui vaſta [g] eremo ſexaginta annis vitam religioſè peregit, & magnis virtutibus ac meritis clarus migrauit in cælum: cuius inſignia geſta Paphnutius abbas conſcripſit.

## I V N I I   12.

BASILIDIS & ſoc. [a]] De his Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri recentiores. De horum tranſlatione in Gallias, cuius meminit hîc Beda, agit etiam Sigebert. in chron. an. Domini 764. Qui hîc ponuntur Nabor & Nazarius, diuerſi ſunt à Nabore & Nazario qui paſſi ſunt Mediolani. Ille etenim Nabor vnà cum Felice ibi paſſus eſt, Nazarius alio tempore vnà cum Celſo, hi autem Romæ cum Baſilide & Cyrino. Alius adhuc reperitur Nabor martyr in Africa, de quo inferius vnà cum ſocijs, ad ſextum Idus Iulij.

[b] Scorpionibus lacerati.] De eiuſmodi genere tormentorũ habetur mentio etiam in lib. 3. Reg. c.12. & 2. Paralip. c.10. cùm dicitur: Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cędã vos Scorpionibus. Quid autem per Scorpionẽ intelligas, habes ex Iſidoro lib. 5. Orig. cùm ait: Virga ſi eſt nodoſa, vel aculeata, Scorpio recentiſſimo nomine vocatur, quia arcuato vulnere in corpus infigitur. His ſimiles erant virgę palmeę, aculeos habentes, qui inhęrerẽt cęſorum lateribus; quibus Catholicos Alexandriæ ab Arianis eſſe ſæpè verberatos, Athanaſius tradit in lib. de fuga ſua. Eiuſdẽ generis & illæ viſę ſunt, quę à Victore de perſecutione Wandalica ſic deſcriptæ habentur: Iubet in modum ſecarum fuſtes robuſtos, veluti palmatos, cum ſtirpibus fieri: qui quatientibus tergis non ſolùm oſſa confringerent, ſed etiam terebrantes aculei intrinſecus remanerent. Sic & Græci interpretes σκορπίων appellant. Ceterùm eſt & Scorpio telum militare; quod à Cretenſibus eſſe adinuentum, auctor eſt Plinius nat. hiſt. lib. 7. c. 56.

[c] Antoninæ.] Græci etiam de eadem agunt hac die in Mènologio, vbi eius paſſionis Acta deſcripta habentur.

[d] Olympij Epiſc.] Fuit hic Epiſcopus Ænos in Thracia: meminit eius ciuitatis Plin. lib. 4. cap. 11. Huius glorioſum pro fide certamen & graues ærumnas, quas tam ipſe quàm Theodulus Epiſcopus Traianopolis paſſi ſunt ab Arianis, ſcribit S. Athanaſius in epiſtola ad ſolitar. & in apolog. de fuga ſua col. 334. & 335.

[e] Amphionis Epiſc.] Hic fuit Epiſcopus Epiphanię in Cilicia, cuius ciuitatis item Plinius meminit lib. 5. cap. 27. & Iuſtinus hiſt. ſæpè. Agunt de eodem Græci; interfuit Magno Nicæno Concilio, à quo ob ſpectatam ſui virtutem ſuffectus eſt in ſedem Nicomedienſem loco Euſebij Arianorum anteſignani, vt auctor eſt S. Athanaſ. in apolog. 2. col. 397. Theodoret. hiſt. lib. 1. c. 20. in fine, & Sozom. lib. 1. c. 10.

[f] Onuphrij.] Græci etiam hac die de eodem agunt in Menolog. his verbis: Sancti Patris noſtri Onuphrij Ægyptij: qui cùm eſſet in cœnobio in vrbe Hermopoli Thebaïdum, & audiret de Eliæ Prophetę & Ioannis pręcurſoris vita, egreſſus ex cœnobio, habitauit eremum annos ſexaginta, hominem omnino non videns. Vbi poſt admirabilem monaſticę vitæ conuerſationem in cælum migrauit, quem magnus Paphnutius ſepeliuit; cuius dies natalis celebratur 12. Iunij in ſanctiſſimo eius oratorio, in monaſterio S. Alipij. Hæc ibi. Extant eius Acta ab eodem ſancto Paphnutio ſcriptis conſignata in Vit. Patr. c. 52. Alia autem ab his diuerſa habet Metaphraſt. quę recitat

Sur. tom. 3. die 11. Iunij. Habemus item in noſtra bibliotheca vitam eiuſdem Sancti peruetuſto charactere Longobard. conſcriptam. Alius item fuit Onuphrius, qui vixit tempore quo Gentilium in Chriſtianos perſecutio ſæuiebat, de quo eſt mentio in Actis ſanctorum Galationis & Epiſtemis, quæ recitat Metaphraſt. Nonis Nouembris. Habet eadem Lipom. tom. 5.

8 In vaſta eremo.] Inter immenſas Ægypti ſolitudines primum locum obtinet illa quę appellata eſt Oaſis, eademq. duplex eſt, maior, & minor. De his Ptolem. lib. 4 Vtraq. in Notit. prouinc. Imperij Rom. ponitur ſub Duce Thebaidos. Errat planè Zonar. qui in 3. parte Annal. in fine ponit Oaſim in Arabia. Mentio eiuſdem Oaſis habetur in Prato ſpirit. c. 112. & 113. Dicta videtur eadem ſolitudo ab Oaſi ciuitate illi proxima. Meminit Procop. lib. 1. de bello Perſico de Oaſi ciuitate in extremis Ægypti finibus poſita. In magnam Oaſis ſolitudinem relegabantur facinoroſiſſimi homines: aliquando etiam ſanctiſſimi viri à perſecutoribus in eamdem Oaſim deportabantur. Meminit eiuſdem Oaſis Athan. apol. de fuga ſua col. 336. & ſanctus Hieron. epiſt. 3. cùm agit de Timaſio Exconſule in Oaſim relegato. Deſcribitur is locus à Zoſimo lib. 5. pag. 90. (licet pro Oaſi, Aſſe, mendosè legatur.) Is, inquit, erat locus inſigniter ſterilis, à quo nemo poſſet euadere, qui deportaretur: nam terra in medio arenoſa & vaſta prorſus & inhabitata notitiam tendentibus huc omnem adimit; partim quòd venti arena veſtigia compleant & oboleant; partim quòd nec arbor vlla, nec domicilium ſit, quæ indicium aliquod iter facientibus ad coniecturam relinquere poſſint. Hæc Zoſimus de Oaſi. Locus quidem complurium ſanctorum exilio illuſtratus olim fuit, vt S. Athanaſius ſcribit in apolog. de fuga ſua: eadem ſolitudo S. Hilarionis præſentia, qui tempore Iuliani Apoſtatæ illic annum egit (vt ſanctus Hieronymus ſcribit in Hilarione) eſt clarior reddita: ſed poſteà exilio impij Neſtorij, qui illuc eſt relegatus (vt tradit Euagr. lib. 1. c. 7.) eſt infamis effecta. Nota legibus fuit huiuſmodi relegatio; dicta enim fuit deportatio Oaſena: ſic appellatam inuenies in li. 1. tit. de Nili aggeribus, C. Theod. Quod quidem nomen nondum plenè germaneq. explicatum hactenus reperi penes interpretes Iuriſconſultiſſimos.

## xiiij. C Idibus Iunij. Luna. 13

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10. | 11 | 12 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | | | |

PATAVII ſancti Antonij [a] Luſitani confeſſoris, ordinis Minorum, vita & miraculis ac prædicatione illuſtris. Romæ via Ardeatina natalis ſanctæ Feliculæ [b] virginis & martyris, quæ Flacco nolens nubere, nec idolis immolare, tradita eſt cuidam Iudici, qui eam in confeſſione Chriſti perſeuerantem, poſt tenebricoſam cuſtodiam, & famis inediam, tamdiu fecit in equuleo torqueri, donec emitteret ſpiritum; & ſic demum deponi, & in cloacam præcipitari: quam ſanctus Nicomedes eadem via ſepeliuit. In Africa ſanctorum martyrum Fortunati [c] & Luciani. Bybli in Palæſtina ſanctæ Aquilinæ [d] virginis & martyris, quæ annos duodecim nata, ſub Diocletiano Imperatore & Voluſiano Iudice ob fidei confeſſionem colaphis & verberibus cæſa, & ſubulis [e] candentibus perforata, demum percuſſa gladio, virginitatem martyrio conſecrauit. In Pelignis ſancti Peregrini [f] Epiſcopi & martyris, qui à Longobardis pro fide Catholica in Aternum flumen demerſus eſt. Cordubæ ſancti Fandilæ [g] presbyteri & monachi, qui in perſecutione Arabica amputato capite pro fide Chriſti martyrium ſubijt. In Cypro S. Tryphillij [h] Epiſcopi.

IV-

ANTONII Luſitani[a]. ] Extant eius egregia facta apud Sur. tom. 3. De eo plura S. Antonin. in 3. par. tit. 24. c. 3. & alij plures. nouiſſimè verò collecta habes eius Acta in chronic. Franciſcanorum tomo 1. libro 5. per totum. Migrauit ex hac vita anno Domini 1231. ſequenti verò anno à Gregorio Nono Rom. Pont. receptus eſt in Sanctorum numerum. Cuius extant de ea re Apoſtolicæ litteræ ad omnes Eccleſiarum Præſides datæ Spoleti Kalend. Iunij, anno ſexto ſui Pontificatus: eſt illarum exordium: Cùm dicat Dominus per Prophetam, &c. Demum ex præcepto Sanctiſſ. D. N. Sixti Papæ Quinti iuſſum eſt hac die in eius ſolemnitate recitari officium eccleſiaſticum, quod dicitur Duplex.

[b] Feliculæ. ] De ea etiam hac die Beda, Vſuard. Ado, ac ceteri recentiores. Eius martyrij Acta continentur in rebus geſtis ſanctorum martyrum Nerei & Achillei, apud Sur. tom. 3. die 12. Maij. Petrus item in catal. lib. 5. c. 112. de eadem agit.

[c] Fortunati & Luciani. ] De his item Beda hac die, necnon & recentiores, adſtipulanturque vetera manuſcripta.

[d] Aquilinæ. ] De eadem agunt etiam Græci in Menologio hac die, eiuſque martyrium compendio explicant, ſed ſuſiùs Metaphraſt. ex vetuſtioribus codicibus eius Acta deſcripſit, quæ refert Lipom. tom. 7. & Sur. tom. 3. hac die.

[e] Subulis candentibus. ] De huiuſmodi tormenti genere Ioſephus libro de Machab. ad Polyb. his verbis meminit: Subulis etiam ferire pendentis latera ad viſcera iubet, vt per eas quæ his ductæ erant in longum tramitem rimas, ad intimas fibras flamma perueniret. Hæc Ioſephus, ſed ex textu & tranſlatione Eraſmiana, quam diuerſam à ceteris haberi diximus. Reperitur in Actis martyrum, complures illorum eiuſmodi cruciamento eſſe vexatos.

[f] Peregrini Epiſcopi. ] Extant eius Acta manuſcripta, ex quibus Petrus in catal. libro 5. c. 113. Claruit temporibus S. Gregorij Papæ, vt eadem Acta ſignificant.

[g] Fandilæ. ] De hoc item Vſuard. Petrus in catal. lib. 5. cap. 114. & alij recentiores. Acta verò martyrij eius ſcripſit S. Eulogius in Memor. ſanct. lib. 3. cap. 7. paſſumque tradit æra 891. à Chriſto autem anno 853.

[h] Tryphillij Epiſcopi. ] Agunt de eodem Græci hac die, necnon recentiores Latinorum. Fuit hic Epiſcopus Ledrenſis in Cypro, vt ſcribit Sozom. hiſt. lib. 5. c. 10. & Niceph. lib. 8. c. 42. Agit de eodem S. Hieronymus de ſcript. Eccleſ. eumque Conſtantij Imp. temporibus claruiſſe teſtatur: meminit de eodem, vt de viro celebri inter ſcriptores Eccleſiaſticos in epiſt. 84. ad Magnum oratorem. Vnus tantùm Metaphraſtes refert eum fuiſſe Epiſcopum Callinicenſem; pluraque de ipſo refert in vita S. Spiridionis Epiſcopi. Interfuit Tryphillius vnà cum Spiridione Concilio Sardicenſi, vt teſtatur Athanaſ. in apolog. 2. Agit de eodem Suidas in hiſtoricis.

## 14 Decimooctauo Kal. Iulij. Luna. D xiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | | | |

CÆSAREÆ in Cappadocia ordinatio ſancti Baſilij [a] Epiſcopi, qui tempore Valentis Imperatoris doctrina & ſapientia inſignis, omnibuſq. virtutibus ornatus, mirabiliter effulſit, & Eccleſiam aduerſus Arianos & Macedonianos mira conſtantia defendit. Samarię in Palæſtina ſancti Eliſæi [b] Prophetæ, cuius ſepulchrum dæmones perhorreſcere ſanctus Hieronymus ſcribit: vbi & Abdias Propheta quieſcit. Syracuſis S. Marciani [c] Epiſcopi, qui à beato Petro ordinatus Epiſcopus, poſt Euangelij prædicationem à Iudæis occiſus eſt. Apud Sueſſiones ſanctorum martyrum Valerij [d] & Rufini, qui in perſecutione Diocletiani à Præſide Rictiouaro poſt multa tormenta iuſſi ſunt decollari. Cordubæ ſanctorum martyrum Anaſtaſij [e] preſbyteri, Felicis monachi, & Dignæ virginis. Conſtantinopoli ſancti Methodij [f] Epiſcopi. Viennæ ſancti Ætherij [g] Epiſcopi. Apud Ruthenos ſancti Quinctiani [h] Epiſcopi.

BASILII [a]. ] Hęc eſt dies ordinationis eius: natalis autem cùm ex hac vita migrauit, ſuprà Kal. Ianuar. Agunt de eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri Latinorum. Contigit autem Baſilij ordinatio poſt Euſebij prædeceſſoris obitum, Valentiniano & Victore Conſulibus: eſt annus Domini ſecundùm veriorem ſupputationē 369. Agit de eius ordinatione ſanctus Gregorius Nazianzenus in oratione de laudibus Baſil. & in ea quam habuit in funere patris, inſuper epiſt. 22. 23. 24. ad diuerſos, & 29. ad S. Euſebium Epiſcopum Samoſatenſem, cùm conueniſſet ad electionem Baſilij. Luculentiſſimum encomium in ſanctum & Magnum Baſilium inſigni oratione deſcripſit beatus Ephrȩm Syrus, illuſtris & antiquus Eccleſiæ ſcriptor S. Baſilio σύγχρονος & amiciſſimus: eſt inter nondum impreſſa, quæ à ſe è Grȩco conuerſa, & ſcholijs, vbi opus eſt, illuſtrata, propediem vnà cum alijs eiuſdem auctoris operibus, quotquot hactenus Grȩcè reperiri potuerunt, in lucē editurus eſt R. D. Gerardus Voſſius S. Theologiæ Doctor Germ. mihi Romæ longè amiciſſimus. Encomiū autem illud in Magnum Baſilium eſſe S. Ephrȩm Syri, vel ex ipſa inſcriptione conijcitur, vel quòd ſe ipſum nō ſemel in eadem oratione encomiaſtica nominet, & quæ ipſi cum Baſilio acciderint, inter alia commemoret. eſt eius exordiū: Κλίνατέ μοι τὰς ἀκοὰς, ἀδελφοὶ ἀγαπητοὶ, διηγήσομαι ὑμῖν καλλίστην διήγησιν. Hoc eſt: Præbete mihi aures, fratres chariſſimi, & pulcherrimam vobis hiſtoriam enarrabo, &c. Quin idem Ephrȩm eiuſdem ſui ipſius encomij meminit in oratione in Quadraginta martyres, qua etiam præclaris laudibus exornat eumdem S. Baſilium, retexens eius certamen aduerſus Arianos ſuſceptum. Reperitur & perelegans quędam ſub nomine incerti, ſed antiqui auctoris Grȩci, σύγκρισις, aut ſi malis ὁμοίωσις, antehac non edita, ſanctorum Baſilij & Ephrȩm, copioſam laudationem vtriuſq. continens; quam ex vetuſtorum manuſcriptorum codicum Grȩcorum collatione, licet anonymam, ſimul cum operibus S. Ephrȩm, idem auctor breui eſt editurus: qui illam ex probabilibus coniecturis tribuit Amphilochio Epiſcopo, tantorum ſanctorum ſtudioſiſſimo. Incipit autē σύγκρισις illa: Ἀδελφοὶ, διήγησιν βούλομαι ποιήσασθαι ὠφέλιμον, φημὶ δὴ Βασιλείου τοῦ ἀοιδίμου, καὶ Ἐφραὶμ τοῦ Σύρου. hoc eſt: Fratres, vtilem vobis narrationem inſtitui facere de celebri Baſilio, & Ephrȩm Syro, &c. Ceteras autem ſanctiſſimi viri in Epiſcopatu res præclarè geſtas, per annos ſingulos, vt ſe habuerunt, digeſſimus in Annal. Eccleſ. idcircò hîc parciùs. Conſule præterea, quæ ſuprà notauimus Kalend. Ianuarij in eius obitu.

[b] Eliſæi prophetæ. ] De eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & ceteri Latinorum, necnon & Græci in Menologio. De eius ſepulchro Samariæ poſito, deque miraculis ibi fieri ſolitis S. Hieron. epiſt. 27. in epitaphio Paulæ ad Euſtochium, & in Abdiam Prophet. c. 1. in princ. Epiphan. de vit. & interit. Prophet. c. 6. ignotus auctor apud Iſidor. de vit. & mort. ſanct. c. 36. Niceph. lib. 10. cap. 13. Metaphraſtes in Artemio die 20. Octob. qui & recitat de Eliſæo encomium Baſilij Seleuciæ. De Eliſæi reliquiarum tranſlatione facta Alexandriam agit Cedren. in compend. anno ſeptimo Leonis Magni Imp.

[c] Marciani Epiſc. ] De quo vet. manuſcript. ex quibus recentiores, Maurolycus, Molanus, & Galeſinus. Meminit de eodem Sophron. in orat. habita in natali Apoſtol. apud Metaphraſt. 29. Iunij. Legimus eius Acta manuſcript. accepta ab eccleſia Caietana, apud quam illius venerandæ reliquiæ aſſeruantur, illuc tranſlatæ, cùm Sarracenorum incurſionibus Sicilia inſula vexaretur. eſt illorum exordium: Poſt triumphalem, &c. ibi & de titulo martyrij mȩntio habetur. Agunt de eodem Grȩci in Menologio ad tertium Kal. Nouembr. vbi eius martyrij Acta breui compendio referunt, quomodo à Iudæis occiſus ſit.

[d] Valerij & Rufini. ] Agunt de his Beda, Vſuardus, Ado, Wandel. ac recentiores. Extant horum Acta, quæ deſcripſit Mombrit. tom. 2. Petrus item in catal. lib. 5. cap. 116.

[e] Anaſtaſij & ſoc. ] Scripſit horum egregium martyrium S. Eulogius in Memorial. ſanct. lib. 3. cap. 8. eoſque hac die paſſos teſtatur, æra octingenteſima nonageſimaprima, à Chriſto Domino anno octingenteſimo quinquageſimotertio.

[f] Methodij Epiſc. ] Agunt & Grȩci de eodem hac die in Menologio his verbis: S. Methodij, qui ſanctas imagines oppugnantium errorem grauiſſimis diuinarum ſcripturarum teſtimonijs redarguēs, Orthodoxam Eccleſiæ Dei fidem protegens, multas ærumnas ab hæreticis perpeſſus, pro ſancto venerabilium imaginum cultu conſeruando laborans, æternam requiem adeptus, peccatorum remiſſionem nobis expoſcit. Eius natalis celebratur in ſanctiſſimo ſacello, in quo pretioſæ eius reliquiæ intra diuinum templum celeberrimorum Apoſtolorum repoſitæ ſunt. Hæc ibi. Porrò Methodius, antequam ordinatus eſſet Epiſcopus, functus eſt legatione Apoſtolica miſſus à Leone III. Rom. Pontifice Conſtantinopolim, vbi eius ciuitatis ordinatus eſt Epiſcopus, anno Domini octingenteſimo ſeptimo, vt teſtatur Anaſtaſius Biblioth. in epiſt. ad Carolum Caluum, apud Sur. tom. 5. in Dionyſio, vbi hæc habet de ſancto Methodio: Hic à ſede Apoſtolica Conſtantinopolim presbyter miſſus, eiuſdem vrbis tenuit Pontificium, & ex tunc inter ſanctos ab omnibus ob ſuæ confeſſionis & agonis certamen veraciter veneratur & colitur, &c. De eodem Cedren. in Michaële Imperatore, vbi etiam agit de alia legatione, qua Conſtantinopoli miſſus eſt Romam; de qua item Glycas in Theophilo Imp. De huius electione plura Theophanes in panegyrico de S. Nicephoro, apud Metaphr. 13. Martij. Migrauit ex hac vita anno Domini octingenteſimo quadrageſimoſeptimo, vt teſtantur Acta S. Ioannicij abb. vbi & alia plura de Methodio, apud Metaphraſt. die 4. Nouembr. Lipom. tomo 5. & Sur. tom. 6. Fuit & alius eiuſdem nominis Methodius Epiſcopus Patarenſis, ſanctitate & eruditione conſpicuus, quem citat S. Ioannes Damaſcen. orat. 3. de imag. in fin. de quo Græci in Menologio ad 10. Kal. Iulij. Alius item Methodius Epiſcopus Tyri, de quo infrà ad xiiij. Kal. Octobr. Iidemq. tres omnes ſelectiſſima lucubrationum ſuarum monumenta reliquerunt.

[g] Ætherij

[g] Ætherij Epiſc. ] De eodem hac die Beda, & alij recẽtiores. Meminit eiuſdem Ado in chron. anno Domini 604. numeraturque hic vigeſimuſnonus eius ſedis Epiſcopus, claruitque temporibus Dagoberti Regis Francorum.

[h] Quintiani Epiſc. ] Agunt de eodem Vſuardus, & alij; ſed cùm presbyterum dicunt, errare noſcuntur. Scribit de eo Greg. Turon. hiſt. Franc. lib. 2. cap. 36. & lib. 3. cap. 2. Sigeber. in chron. anno 506. Reperitur hic interfuiſſe Concilio primo Aurelianenſi habito temporibus Clodouei, necnon Aurelianenſi quinto, temporibus Childeberti eius filij. Habetur mentio de eodem in rebus geſtis S. Galli Epiſcopi Aruernenſis.

## 15 Decimoſeptimo Kal. Iulij. Luna. E xij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | | | |

IN Lucania apud Silarum flumen natalis ſanctorum martyrum Viti [a], Modeſti, atque Creſcentiæ, qui ſub Diocletiano Imperatore è Sicilia illuc delati, ibidem poſt ollam feruentis plumbi, poſt beſtias & cataſtas diuina virtute ſuperatas [b], curſum glorioſi certaminis peregerunt. Doroſtori in Myſia ſancti Heſychij [c] militis, qui cum beato Iulio comprehenſus, ſub Maximo Præſide poſt eum martyrio coronatus eſt. Cordubæ in Hiſpania ſanctæ Benildis [d] martyris. Zephyrij in Cilicia ſancti Dulæ [e] martyris, qui ſub Præſide Maximo ob Chriſti nomen virgis cæſus, in craticula poſitus, feruenti oleo incenſus, aliaque paſſus, martyrij palmam victor accepit. Palmyræ in Syria ſanctarum martyrum Libyæ [f] & Leonidis ſororum, & Eutropiæ puellæ annorum duodecim, quæ per diuerſa tormenta ad coronam martyrij peruenerunt. Apud Valencenas depoſitio ſancti Landelini [g] abbatis. Aruernis S. Abrahæ [h] confeſſoris, ſanctitate ac miraculis illuſtris.

## IVNII 15.

[a] VITI, Modeſti, & Creſcentiæ [a]. ] Agunt de his etiam Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Horum Acta ex antiquis codicibus manuſcript. primùm edidit Mombrit. tom. 2. Petrus in catal. lib. 5. c. 118. in compendiũ redegit; fuſiùs eadem Sur. tom. 3. Habemus eadem manuſcr. vetuſto charactere Longobard. Corpus venerandum S. Viti tranſlatum eſſe Romã Pariſios, ſcribit Sigeb. in chron. anno Domini 755. Inde verò (vt idem ait) in Saxoniam delatum eſt anno à Chriſto 836. vnde, inquit, Franci teſtati ſunt, quòd ab illo tempore gloria Francorum in Saxones tranſlata eſt. De eadem tranſlatione, & religioſo cultu S. Viti apud Saxones, plura ſcribit Witichindus lib. 1. geſt. Saxon. Saxo Grammat. hiſt. Dan. lib. 14. Martin. Polon. Albertus Crantz. in Metrop. Saxon. lib. 3. c. 6. nouiſſimè Sur. tom. 7. ex auctore recitat, qui præſens interfuit, factamq. refert dicto anno Domini 836. Indict. 14. Ludouici Imp. anno xxiij. Quod pertinet ad tranſlationẽ aliorum ſanctorum martyrum corporum Romã in Gallias, vel in alias Tranſalpinas prouincias ſæpè factas: noſſe debemus id agi cœptum eo tempore quo Franci Romanam Eccleſiam à Longobardis alijſq. tyrannis vindicantes, multis officijs de eadem ſunt optimè meriti: quod enim olim aliàs fuerat intentatum, tunc à Romanis Pontificibus conſequi cœperũt. Nam vetus Romanæ Eccleſiæ conſuetudo non tantùm abhorruit vt corpora ſanctorum Romã transferri pateretur, verùm nec tenues reliquias ex eis detrahi quoquo modo permiſit. In hac ſententia S. Gregorius in regiſt. lib. 3. epiſt. 30. ad Conſtantiam Aug. hæc ait: Romanis namque vel totius Occidentis partibus omnino intolerabile eſt & ſacrilegum, ſi ſanctorum corpora tangere quis fortaſſe voluerit: quòd ſi præſumpſerit, certum eſt quia hæc temeritas impunita nullo modo remanebit. Pro qua re de Græcorum conſuetudine, qui oſſa leuare ſanctorum ſe aſſerunt, vehementer miramur, & vix credimus, &c. His conſentiunt, immò & planiùs declarant ea quæ S. Germanus ac eius collegæ legati Apoſtolici reſcripſerunt ad Hormiſdam Papam ſub Conſulatu Ruſtici, anno Domini 520. Conſtantinopoli cùm eſſent; & inter alia hæc verba: Iuſtinianus filius veſter magnificus,

gnificus, res conuenientes fidei ſuæ faciens, baſilicam Apoſtolorum, in qua deſiderat ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli & beati Laurentij reliquias eſſe, conſtituit: ſperat per paruitatem noſtram, vt prædictorum ſanctorum reliquias celeriter concedatis. Habuit quidem petitio prædicti viri ſecundùm morem Græcorum; & nos contrà, conſuetudinem ſedis Apoſtolicæ expoſuimus. accepit rationem. Et quia talis eſt eius feruor fidei, qui metetur quidquid de ſede Apoſtolica depopoſcerit; & talis eſt, qui ſperat vnde & ſalus animæ & fidei accreſcat: talibus deſiderijs poſtulata comperit non negare. Vnde ſi beatitudini veſtræ videtur, Sanctuaria beatorũ Apoſtolorum Petri & Pauli, ſecundùm morem, ei largiri præcipite; & ſi fieri poteſt, ad ſecundam cataractam ipſa Sanctuaria deponere, veſtrum eſt deliberare, &c. Extant ad eoſdem legatos Hormiſdæ Papæ de eadem re ſcriptæ litteræ, aliæ itidem ad Iuſtinianum, ſignificantis ſe tantùm Sanctuaria mittere. extant dictæ litteræ apud nos manuſcriptæ ex codice Vaticano acceptæ. Per Sanctuarium autem, velum intelligere debemus, quod S. Gregor. in nuper citata ad Conſtantiam epiſtola Brandeum appellat, ex quo ſanguis effluxit, cùm à ſancto Leone Papa (vt ait) forcipibus incideretur. alibi autem idem appellat velamen, quod admoueri ſolitum erat ſanctis martyrum corporibus, vt lib. 4. epiſt. 44 ex Synodo Romana, & lib. 12. decret. 4. Brandeum item appellat velum illud Ioannes diac. in vita ſancti Gregor. libro 2. cap. 42. cùm ingens de ea re miraculum narrat. Ex quibus omnibus liquet, non corpora, non fragmina oſſium, vel tenuem raſuram illorum, ſed tantùm velum ſacris admotum reliquijs, pro magno munere conſueuiſſe Romanos Pontifices ad clariſſimas perſonas, illas cupientes, tranſmittere. Græcorum autem ab his fuiſſe diuerſam conſuetudinem, ex prædictorum aſſertionibus vidimus.

[b] Superatas.] Beda & Ado in ſuis Martyrologijs inter alia tormenta addunt, ſanctum Vitum à Valeriano Iudice catomis cæſum. alij codices habent, Catomo cæſum. Molanus multùm laborat circa huius vocis intelligentiam; multaq; eruditè cùm dicat, nec tamen rem aſſecutus ſibi ipſi viſus eſt. Arbitratus ſum aliquando textum eſſe deprauatum, vt pro catomis, latomijs, ſit reſtituendum. de eo etiam genere tormentorum hæc Iſidorus lib. 5. Orig. Latomia (licet alij plerique codices habeant Lautumna) eſt ſupplicij genus ad verberandum aptum, inuentum à Tarquinio Superbo ad pœnas ſceleratorum. Iſte enim prior latomia, ſeu lautumias, tormenta, fuſtes, metalla, atque exilia adinuenit, &c. Acquieſcerem prædictæ Iſidori interpretationi, niſi Feſtus, Liuius, Plautus, alijq. antiquiores latomias, ſeu latumias, vel lautumias (vt legitur apud Plautũ in Penul.) lapidicinas intelligerent, vel ipſa loca cæſis lapidibus execta: quo ſenſu & carcer Syracuſanus, de quo Cic. in Ver. lib. 7. latomia eſt appellatus, ſic & omnis carcer, vt l. 9. ff. ex quibus cauſis maior: Incluſos veluti latomijs, vinctorum numero haberi placet; quia nihil intereſt, parietibus, an compedibus teneantur. Habent eamdem vocem, catomum, Beda, & Ado die 18. Nouembris in Romano mart. ſed in alio ſenſu, cùm dicant: Catomo ſuſpendi eum ac verberari iuſſit: per catomum vinculum quoddam intelligentes, quo martyr ad verbera ſuſpenſus eſſet. Arrideret mihi quod Molanus è Græca voce deducit, vt κατώμιος, idem quòd demiſſis armis, pedibus videlicet in altum ſuſpenſis, ſic martyr ad verbera expoſitus fuerit: ſed quoniam eiuſmodi non leguntur in Actis eiuſdem martyris, neque apud Prudentium in Romano, neque apud alios qui paſſionem eius retexerunt; ſicut ipſe, ita & ego his minùs aſſentior. Sed cùm ſecundam editionem noſtrarum Notationum meditarer, accidit vt de re adeò ambigua agerem cum noſtro domino Latinio, viro inſigniter erudito, & in rebus Eccleſiaſticis admodũ verſato: quem eiuſmodi reperi eſſe ſententiæ, vt idem eſſet, catomis aliquem cædere, quod ſolent ludimagiſtri ad humeros alicuius appenſis pueris in eorum nates infligere verbera. Sicque tum Vitum, tum Baridam, quòd pueri eſſent, puerorum more iuſſos eſſe virgis verberari. Ceterùm more puerorum, maioris ignominiæ irrogandæ cauſa, haberi apud Victorem cæſum eſſe catomis venerabilem ſenem Thomam ſanctiſſimum Epiſcopum: quod ille de perſecutione Wandal. lib 1. ſic deſcribit: Quodam tempore venerabilem ſenem in publica facie catomis ceciderunt. Adducebat adhuc ille, Hippocratem lib. 1. de Articul. κατωμίζειν, vti pro, in humeros leuare aliquem. Probantur hæc à nobis, eoque magis, quòd Ioſephus in Iudaicis Antiq. lib. 5. c 10 κατωμαδὸν, vtitur pro eo quod habet Latina verſio, humeris impoſitas Gazæ portas à Samſone. quod & obſeruat Suidas in verbo κατωμαδὸν.

[c] Heſychij.] De eo item Beda, Vſuardus, Petrus in catal. lib. 5. c. 119. & in Iulio martyre eod. lib. cap. 16. & alij recentiores.

[d] Benildis.] Scripſit nobile certamen eius S. Eulogius in memor. ſanct. lib. 3. cap. 9. paſſamque tradit æra octingenteſima nonageſimaprima, anno à Chriſto Domino octingenteſimo quinquageſimotertio.

[e] Dulæ.] Agunt de eodem Græci in Menologio, vbi de eo pluribus; fuſiùs autem Metaphraſtes, quem Latinè à ſe redditum recitat Lipom. tom. 7. ex quo Sur. tom. 3. De Zephyrio ciuitate, de qua hîc habetur mentio, agit Plin. lib. 5. cap. 27. & alij.

[f] Libyę & Leonidis.] Harum martyrium narrat S. Brienna in Actis S. Febroniæ, quæ extant apud Lipom. tom. 7. & Sur. tom. 3. his verbis: Recordare Libyam & Leonidem, ſorores illas duas, quę martyrium glorioſè pertulerunt: è quibus Libya ipſa gladio percuſſa, capite priuata eſt; Leonis verò in ignem coniecta fuit. Recordare, quemadmodum puella Eutropia, duodecim annos nata, martyrium ſuſtinuerit, &c.

[g] Landelini.] Huius Acta retulit Surius in tom. 3. Diuerſa ab his ſcripta fuiſſe à Philippo abb. teſtatur Molanus in addit. ad Vſuard. qui & de eo pluribus agit in Indic. SS. Belg. Trithem. etiam de viris illuſtr. ord S. Benedicti lib. 3. cap. 100. eumque claruiſſe ait anno Domini 660. Conſtat quidem vixiſſe temporibus ſancti Martini Papæ & martyris, à quo & munus prædicandi ſuſcepit, nauiterq; impleuit.

[h] Abrahæ.] Scripſit eius res geſtas Gregorius Turon. lib. ſanctor. Patrum cap. 3. Agit de eodem in hiſtor. de geſt. Franc. lib. 2. cap. 21. in fin. De hoc ipſo ſcripſit egregium epitaphium

Sidonius

Sidonius Apollin. quod vnà cum epiſtola dedit ad Voluſianum Epiſcopum lib. 7. epiſt. 18. Claruit circa annum Domini quadringenteſimum ſexageſimum.

16 Sextodecimo Kal. Iulij. Luna. F xj.

| | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | | | |

VESONTIONE in Gallijs ſanctorum martyrum Ferreoli [a] preſbyteri, & Ferrutionis diaconi, qui à beato Irenæo Epiſcopo ad prædicandum verbum Dei miſſi, poſteà ſub Claudio Iudice diuerſis pœnis excruciati, gladio feriuntur. Tarſi in Cilicia ſanctorum martyrum Quirici [b] & Iulittæ matris eius, ſub Diocletiano Imperatore: quorum Quiricus triennis puellus, cùm matrem, quæ ante Alexandrum Præſidem neruis diriſſimè cædebatur, implacabili luctu lugeret, ad gradus tribunalis illiſus interijt: Iulitta verò, poſt dira verbera & grauia tormenta, martyrij ſui curſum obtruncatione capitis impleuit. Moguntiæ paſſio ſanctorum Aurei [c], & Iuſtinæ ſororis eius, & ceterorum martyrum, qui ſynaxim in eccleſia agentes, ab Hunnis Germaniam diripientibus trucidati ſunt. Amathuntæ in Cypro ſancti Tychonis [d] Epiſcopi, tempore Theodoſij Iunioris. Lugduni depoſitio beati Aureliani [e] Epiſcopi Arelatenſis. Nannete in Britannia Minori ſancti Similiani [f] Epiſcopi & confeſſoris. Miſnæ in Germania ſancti Bennonis [g] Epiſcopi. In Brabantia ſanctæ Lutgardis [h] virginis.

## IVNII 16.

FERREOLI & Ferrutionis [a].] De his item Beda hac die, Vſuardus, Ado, & alij. Horum martyrium deſcriptum habetur in Actis ſanctorum Felicis & Fortunati, apud Sur. tom. 2. die 23. April. & tom. 7. De miraculis ad ipſorum ſepulchrum agit Gregor. Turon. lib. de gloria martyr. cap. 71. Fuit prætereà Ferreolus alius martyr & Epiſcopus Viennenſis, de quo ſuo loco plura inferiùs ad xiiij. Kalend. Octobris.

[b] Quirici & Iulittæ.] De his Beda, Vſuardus, Ado, & ceteri Latinorum, Græci autem in Menologio Idibus Iulij, vbi Tarſi Ciliciæ eos occubuiſſe martyrio tradũt: quod verum eſſe, legitima eorumdem Acta teſtantur. Ex his plerique Latinorum ſunt corrigendi, qui Antiochiæ eos paſſos referunt. Exciderunt proculdubiò ea Acta Quirici & Iulittę, quę S. Gelaſius Papa, vt commentum hæreticorum, ex quibus & ſubſannandi tribueretur occaſio, procul rejecit in Decret. de ſcript. apocryph. apud Gratian. diſt. 15. cap. Sancta Rom. Diuerſa omnino ab illis cenſentur ea quæ recitat Metaphraſtes, quæ & retulit Lipom. in tom. 6. & Sur. in tom. 3. necnon Mombrit. licet paulò diuersè in tom. 2. quorum ſummam Græci referunt in Menologio, & hîc breuiùs cõprehenſa narrantur. Molanus in addit. ad Vſuard. 2 edit. poſt Lipomani & aliorum eruditorum ſententiam, dum probat eadem à Metaphraſte edita Acta prędictorum martyrũ, addit, Gelaſium non intellexiſſe de illis ipſis Actis Græcè conſcriptis, ſed quæ Latinè edita in vet. manuſcrip. habentur: ea videlicet, quorum eſt exordium: Domino fratri & coëpiſcopo Zoſimo Theodorus, &c. De erudito ac prudentiſſimo viro quid iure dicam, nihil habeo, niſi hoc vnum, quòd inciderit in eadem Acta deprauata. Siquidem illa Acta Quirici & Iulittæ, quæ ſcripſit Theodorus Epiſcopus ad Zenonem coëpiſcopum, quæ & in vetuſtiſſimo codice habemus in noſtra bibliotheca, ſunt ſanè eiuſmodi, vt in omnibus conueniant cum ijs quæ vel Metaphraſtes edidit, vel in Græcorum Menologio, vel hîc ſummatim collecta narrantur: ſed & eo fideliora exiſtimanda ſunt, quòd certus inſcribitur auctor, qui (vt ipſe profitetur) in id pręſertim incumbit, vt vera certaque de ijſdem ſanctis martyribus Acta ex antiquis monimentis edendo, falſa illa, vt ait, inſulsè, mendaciter, ac denique hæreticè à Manichæis de ijſdem ſanctis conſcripta, abolenda, & ab Eccleſia Catho-

lica prorſus proſcribenda curet. Ex huiuſmodi Theodori Epiſcopi preſatione ſatis notatur, quænam illa fuerint horum martyrum Acta à Gelaſio improbata: de eo enim Actorum libello hæc ibidem Theodorus: Tali, inquit, erat execratione digeſtus, vt meritò huic coaptetur illa ſententia, quam quidam contulit Patrum: Verè (inquiens) tanæ & culices digni ſunt iſta ſcriptura. Nam (quia textus ille ſatis declarat) datur conijci (Deo amabilis) vt Manichæorum ſit iſta deſcriptio, qui crucem Chriſti ſcandalum & ſtultitiam putant. Hæc & alia ibi Theodorus, qui & ſinceriſſima iſtorum Acta edidit, accepta (vt ait) à Martiano Tribuno Notario; qui eadem nactus fuerat à Zenone Iſauriæ Epiſcopo. Exſcripſiſſe ea Theodorus videtur temporibus Iuſtiniani Imp. longè ante tempora Metaphraſtis. Tranſlata fuiſſe horum ſanctorum martyrum corpora in Gallias per ſanctum Amatorem Epiſcopum Antiſiodorenſem, prædeceſſorem ſancti Germani, cùm in Orientem peregrinatus eſſet, tradit Mombrit. vbi ſuprà.

[c] Aurei & Iuſtinæ.] Agunt de his hac item die Beda, Ado, & recentiores. De graſſatione Barbarorum in Moguntinam eccleſiam ſcribit inprimis Ammianus Marcellinus lib. 27. itemque S. Hieronymus epiſt. 11. ad Ageruchiam. An autem illarum cladium tempore hi paſſi ſint, vel quando poſteà Attila irrupit in Gallias, nobis non ſatis eſt exploratum. Sanè quidem tam S. Hieron. quàm Ammianus teſtantur, tunc temporis multa millia hominum fuiſſe Moguntiæ in eccleſia trucidata. De miraculis ſancti Aurei conſcriptum eſſe libellum, teſtatur Molanus in annot. ad Vſuardum.

[d] Tychonis Epiſc.] De eo item hac die Græci in Menologio, vbi tradunt hunc à ſancto Epiphanio Epiſcopo Salaminæ Cypri fuiſſe ordinatum Epiſcopum temporibus Arcadij Imperatoris.

[e] Aureliani Epiſcopi.] De eo hac die Vſuardus, Ado, & alij. Nonnulli hunc Aurelium dicunt, atque ita ſubſcribitur Concilio Aurelianenſi quinto: cui lectioni conſentit ſancti Gregorij Papę epiſtola ad Vigilium Epiſcopum Arelaten. 115. lib. 7. regiſt. Indict. 2. At verò Aurelianus, & non Aurelius dictus habetur in Actis quintæ Synodi. Ad hunc ipſum Aurelianum Epiſcopum Arelatenſem extat epiſt. Vigilij Papæ, quæ recitatur in quinta Synodo collat. 7. Dicta Synodus Aurelianenſis, cui interfuit Aurelianus, celebrata eſt anno triceſimooctauo Childeberti filij Clodouei Regis Francorum; eſt annus Domini quingenteſimus quinquageſimusſecundus.

[f] Similiani Epiſcopi.] Vſuardus de eodem hac die, adſtipulanturque vetera manuſcripta.

[g] Bennonis Epiſc.] Hunc Hadrianus Sextus Rom. Pont. num. Sanctorum adſcripſit, vt ex eius Actis apparet: idq; in eiuſdem Hadriani Itinerario teſtatum habetur. Scripſerat iam olim Trithemius abb. ad Iulium Papam epiſtolam 64. id expoſcente Georgio Duce, pro canonizatione ſancti Bennonis, in qua hęc inter alia de eius vita atque miraculis: Vita Bennonis ſanctiſſima, plena virtutibus, à vetuſtioribus, ſuiſq; contemporaneis luculenter habetur deſcripta: & multa quotidie in eccleſia Miſnenſi ad eius tumulum fiunt miracula. Hæc ille. De eodem Cochlæus in comment. de Act. & ſcript. Luth. anno Domini 1524. Extat de eius canonizatione Pontificium diploma, quod hactenus aſſeruatur Romæ in eccleſia ſanctæ Mariæ de Anima, nationis Teutonicorum, quo quidem ſignificatur, anno Domini 1523. die Dominico, in die feſto ſanctiſſimæ Trinitatis, qui fuit 31. Maij, à dicto Pontifice canonizatos eſſe S. Bennonem Epiſcopum Miſnenſem, & ſanctum Antoninum Archiepiſcopū Florentinum, ſolemnitatemq. ſancti Bennonis relatam eſſe ad decimamſextam diem menſis Iunij, atque ab eodem Pontifice conceſſam plenariam indulgentiam, eamdem eccleſiam ea die viſitātibus. Huius autem præclariſſimas res geſtas Hieronymus Emſer ſcriptis mandauit: recitantur apud Sur. tom. 7. Ibidem eſt eiuſdem auctoris carmen, & ſacer hymnus Bartholomæi Steni. Migrauit ex hac vita anno à Chriſto Domino 1106. ætatis ſuæ nonageſimoſexto, ſedis autem quadrageſimo.

[h] Lutgardis.] Eius Acta conſcripſit Thomas Cantipratenſis, deſcripſit verò Sur. tom. 3. De ea item agit Molanus in Indic. SS. Belgij, & in additione ad Vſuardum hac die. Defuncta eſt anno Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimoſexto.

## x. G Quintodecimo Kal. Iulij. Luna. 17

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | | | |

ROMÆ natalis ſanctorum ducentorum [a] & ſexagintaduorum Martyrum, qui in perſecutione Diocletiani pro fide Chriſti necati, poſiti ſunt via Salaria veteri ad Cliuum Cucumeris. Tarracinæ ſancti Montani [b] militis, qui ſub Hadriano Imperatore & Leontio Conſulari, poſt multa tormenta, martyrij coronam accepit. Apud Venafrum ſanctorum martyrum

Nican-

Nicandri [c] & Marciani, qui in perſecutione Maximiani capite cæſi ſunt. Chalcedone ſanctorum martyrum Manuelis [d], Sabelis, & Iſmaelis, qui pacis cauſa apud Iulianum Apoſtatam pro Rege Perſarum legatione fungentes, cùm Imperatoris iuſſu idola venerari compellerentur, idque conſtanti animo recuſarent, gladio feriuntur. Apolloniæ in Macedonia ſanctorum martyrum Iſauri [e] diaconi, Innocentij, Felicis, Ieremiæ, & Peregrini Athenienſium, qui à Tripontio Tribuno variè torti, capite obtruncati ſunt. Ameriæ in Vmbria ſancti Himerij [f] Epiſcopi, cuius corpus Cremonam tranſlatum eſt. In pago Bituricenſi ſancti Gundulphi [g] Epiſcopi. Aurelianis ſancti Auiti [h] preſbyteri & confeſſoris. In Phrygia ſancti Hypatij [i] confeſſoris. Item ſancti Beſſarionis [k] anachoretæ. Piſis in Tuſcia ſancti Rainerij [l] confeſſoris.

## IVNII 17.

DVCENTORVM ſexagintaduorum martyrum [a].] De his item hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac recentiores. Poſiti dicuntur ad Clinum Cucumeris: eo enim nomine erat appellatum vetus cœmeterium via Salaria, vt conſtat ex indice cœmeteriorum Vrbis, quem exſcripſimus ex manuſcripto Vatican. lib. Cenſuum.

[b] Montani.] Cuius vitæ Acta accepimus ab eccleſia Caietana. eſt illorum exordium: Montanus miles & ciuis Romanus, &c.

[c] Nicandri & Marciani.] Horum illuſtre martyrium etiam in Orientali Eccleſia anniuerſaria die recolitur: agunt etenim de his Græci in Menolog. ſexto Idus Iunij, vbi paſſionis ipſorum cruciamenta his verbis narrantur: Certamen ſanctorum martyrum Nicandri & Marciani, qui propter Chriſtianæ fidei confeſſionem ſub Præſide Maximo in carcerem coniecti, cùm ad negationem adigi non poſſent, ferreis vngulis lacerantur, & in excelſis trabibus ſuſpenſi, atque detracti, ſuper carbones ignis extenſi, virgis deſuper verberantur, ſalſoq. aceto perfuſis plagis, teſtis acutis perfricantur, lapidibus ora contuſa, & facies confractæ, poſtremò linguæ gladio exciſæ, & enſe percuſſi migrauerunt ad Dominum. Hactenus ibi. Petrus in catal. lib. 5. cap. 90. nonniſi vltimum horum ſupplicium refert: additque paſſos eſſe prid. Non. Iunij inter Atinam & Venafrum; corpuſque Nicandri Venafrum, Marciani verò Atinam ait delatum: porrò Nicandri vxorem, quę virum ad martyrium roborauerat, poſt triduum capitalem ſubijſſe ſententiam, tradit. Vigent hactenus in Æquicolis horum martyrum priſcæ memoriæ. S. Nicandri eccleſiam apud Vrbem poſitam, via Lanicana, Gelaſius Papa dedicauit, vt apparet ex libro de Rom. Pont. Petrus diac. bibliothec. Caſſin. in lib. de viris illuſtr. eiuſdem monaſterij c. 45. teſtatur à Petro eiuſdem cœnobij diacono ſcriptum eſſe ſermonem legendũ in Vigilijs prædictorum martyrum, additumque ab eodem officium eccleſiaſticum recitandum in die eorum celebritatis. Horum martyrum Acta manuſcripta extant in biblioth. noſtræ Congregationis.

[d] Manuelis, Sabelis, & Iſmaelis.] Græci etiam de his in Menolog. hac die, ibique eorum certamen referunt; vberiùs autem Metaphraſtes ex antiquioribus monumentis; eadem & Lipom. tom. 6. & Surius recitat tom. 3.

[e] Iſauri diac. & ſociorum.] Agunt de his item hac die Gręci in Menologio, ibique eorum martyrium explicant.

[f] Himerij Epiſc.] De quo Petr. in catal. lib. 15. cap. 122. & Molanus in addit. ad Vſuardum.

[g] Gundulphi Epiſc.] De eodem Molan. in addit. ad Vſuard. & Galeſin. in ſuo Martyrol.

[h] Auiti presbyteri.] Agunt de eodem hac die Vſuardus, Ado, & alij recentiores: licet apud Bedam Vitus pro Auito mendosè legatur. Scribit de eo Greg. Turonen. hiſt. Franc. li. 3. cap. 6. idemque de alio Auito abbate libro de glor. confeſſ. cap. 99. De eodem Auito preſbytero, de quo agimus, ſcribit Ado Vien. in chron. & Sigebert. in chron. anno 495. Eius verò res geſtas atque miracula edita fuſiùs ſcripta refert Sur. tom. 3. Fuit eiuſdem nominis Epiſcopus Vienneſis, qui ſecundus ſedit poſt S. Mamertum, de quo plura Ado Vien. in chron. Vixit & alius eiuſdem nominis in Oriẽte Auitus monachus, cuius meminit Suidas.

[i] Hypatij.] De quo item Græci agunt in Menologio, eiuſque Acta ibidem paucis referunt.

[k] Beſſarionis.] Græci itidem de eo in Menologio, eiuſque vitam breui compendio comprehenſam referunt. Eſt frequens mentio de Beſſarione, eiuſque diſciplina, in Vit. Patr. par. 2.

[l] Rainerij.] Agit de eodem Molan. in additionibus ad Vſuardum edit. 2. teſtaturque eum ex hac vita migraſſe anno Domini 1161.

ix. A Quartodecimo Kal. Iulij. Luna. 18

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | | | |

ROMÆ via Ardeatina natalis ſanctorum martyrum Marci [a] & Marcelliani fratrum, qui in perſecutione Diocletiani à Iudice Fabiano tenti, & ad ſtipitem alligati, in pedibus clauos acutos acceperunt: cumque non ceſſarent laudare Chriſtum, lanceis per latera transfixi, cum gloriâ martyrij ad ſiderea regna migrarunt. Malacæ in Hiſpania ſanctorum martyrum Cyriaci [b] & Paulæ virginis, qui lapidibus obruti, inter ſaxa animas cælo reddiderunt. Tripoli in Phœnicia S. Leontij [c] militis, qui ſub Hadriano Præſide, vnà cum Hypatio Tribuno, & Theodulo, quos conuertit ad Chriſtum, per acerba tormenta peruenit ad coronam martyrij. Eodem die S. Ætherij [d] martyris, qui in perſecutione Diocletiani poſt ignes & alios cruciatus gladio cæſus eſt. Alexandriæ paſſio S. Marinæ [e] virginis. Burdigalæ S. Amandi [f] Epiſcopi & confeſſoris. Apud Saccam in Sicilia S. Calogeri [g] eremitæ, cuius ſanctitas in energumenis liberandis maximè effulget. Sconaugiæ ſanctæ Eliſabeth [h] virginis, monaſticæ vitæ obſeruantia celebris.

## I V N I I 18.

MARCI & Marcelliani [a]. ] De his Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri omnes. Scriptæ ſunt horum res geſtæ in Actis ſancti Sebaſtiani, apud Sur. tom. 1. die 20. Ianuarij.

[b] Cyriaci & Paulæ. ] Vſuard. item de his hac die, Petrus in catal. lib. 5. c. 125. Vaſęus in chron. item Flos SS. Hiſpan. & Theſ. concion. tom. 2.

[c] Leontij. ] Agunt de eo & Græci in Menolog. vbi & eius Acta ſummatim collecta narrantur, quę prolixiùs Metaphraſt. eſt proſecutus, ex quo Lipom. tom. 7. & Sur. tom. 3. referunt eadē. Meminit huius Leontij, vt perilluſtris martyris, Theodoretus in commentario de Euangelica veritate lib. 8. de Martyribus in fin. Tradit Procop. lib. 3. de ædific. Iuſtin. Imp. eidem martyri ab eodem Iuſtiniano extructam eſſe magnificentiſſimam baſilicam. Erat & Tripoli in Phœnicia nobilis memoria Leontij martyris, cuius mentio eſt in Quinta Synodo, Act. 1.

[d] Ætherij. ] Græci itidem de eo agunt in Menologio, eiuſque martyrium paucis deſcribunt.

[e] Marinæ. ] De ea & Ado hac die, qui martyrem eam dicit; cui tamen vet. manuſcript. contradicūnt. Hæc etenim illa eſt, quæ virili habitu monaſticam exercuit diſciplinam, Marinuſque nomine dicta eſt: cuius res præclarè geſtæ narrantur in Vit. Pat. par. 1. cap. 44. Petr. in catal. lib. 6. cap. 108. ex quibus & alij accepere.

[f] Amandi Epiſc. ] De eodē antiquæ tabulæ, ex quibus etiam Molan. in addit. ad Vſuard. Succeſſit hic S. Delphino, ad quem extāt Paulini epiſtolæ, qui & ad Amandum ſępiùs ſcripſit; extantque ſex ad eum datæ epiſtolæ, quarum aliquæ ſcriptæ videntur antequam eſſet Epiſcopus, cùm adhuc S. Delphinus ſuperſtes eſſet. Meminit eiuſdem Amandi ex verbis Paulini Gregor. Turon. de geſt. Franc. lib. 1. c. 19. & de glor. confeſſ. c. 45. Claruit tēporibus Honorij Imperatoris. Huic accepta ferimus ea quę S. Paulini Epiſcopi Nolani reperiuntur ſcriptorū monumenta: cùm ille, ſicut diuitiarum, ac ſui ipſius, ſic & lucubrationum ſuarum contemptor eſſet: & licet eas S. Hieron. ac etiam S. Auguſtinus, & alij mirificè pręd icarent; ipſe tamen eaſdem flocci faciens, perire fineret. Tantæ iacturæ occurrit S. Amandus, ad quem Paulinus hęc aliquando: Legimus, inquit, in tergo epiſtolæ annotationem epiſtolarum, quas meas eſſe indicatis: nam verè propè earum omnium immemor eram, vt meas eſſe non recognoſcerem, niſi veſtris litteris crediđiſſem. Vnde maius accepi documentum charitatis veſtræ: quia plus me vobis, quàm mihi, notum eſſe perſpexi. Hymnos, quos deſiderabam, accepiſſe gaudeo, &c. Extat hæc Paulini citata epiſtola manuſcripta in archiuo Nolano, quam inde deſcriptam ab erudito viro mei ſtudioſiſſimo R. D. Antonio Agellio, clerico regulari, pro magno accepi munere.

[g] Calo-

[g] Calogeri. ] De eo hac die Maurol. qui illum ipſum fuiſſe opinatur, cuius meminit S Gregorius Papa dialog. lib. 4. cùm de interitu Theodorici impijſſimi Regis à ſolitatio quodam præuiſo ſermonem habet. De eodem plura Breuiar. Gallic. item Facel. de reb. Sicul. lib. 6. prioris decad. c. 3. licet in quibuſdam mendoſa. Claruit hic ſanctus & viuens & poſt obitum multis miraculis, quibus eius ſanctitatem Deus in toto Siciliæ regno teſtatam fecit. Ipſius nomen in Romanum Martyrologium referri, S.D.N. Clemens VIII. mandauit.

[h] Elizabeth virginis. ] De ea & Molan. in addit. ad Vſuardum, aitque eius Acta ſcriptis mandata per Ecbertum monachum; itemque Einichonem abb. ipſius laudes ſcripſiſſe tradit Trithem. lib. de vir. illuſtr. ord. S. Benedicti lib. 2. cap. 120. pluribus autem lib. 3. cap. 315. Obijtque (vt ait) anno Domini 1156. ſuæ ætatis 36.

19 Tertiodecimo Kal. Iulij. Luna. B viij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | | | |

MEDIOLANI ſanctorum martyrum Geruaſij [a] & Ptotaſij fratrum: ex quibus priorem tamdiu iuſſit Aſtaſius Iudex plumbatis cędi, quouſq. ſpiritum exhalaret; ſequentem verò fuſtibus cęſum capite truncari. Horum corpora [b], Domino reuelante, beatus Ambroſius ſanguine conſperſa & ita incorrupta reperit, ac ſi eo die fuiſſent interempti: in quorum tranſlatione cæcus feretri tactu lumen recepit, & plurimi vexati à dæmonibus liberati ſunt. Rauennæ S. Vrſicini [c] martyris, qui ſub Paulino Iudice poſt plurima tormenta in cōfeſſione Domini immobilis permanēs, capitis abſciſſione martyrium compleuit. Sozopoli S. Zoſimi [d] martyris, qui in perſecutione Traiani ſub Domitiano Præſide poſt acerbos cruciatus capite amputato victor migrauit ad Dominum. Aretij in Tuſcia ſanctorum martyrum Gaudentij [e] Epiſcopi, & Culmatij diaconi, qui tempore Valentiniani furore Gentiliū cæſi ſunt. Eodem die S. Bonifacij [f] martyris, diſcipuli beati Romualdi, qui à Romano Pontifice ad prædicandum Euangelium in Ruſſiam miſſus, cùm per ignem tranſiſſet illæſus, Regemque ac populum baptizaſſet, à furente Regis fratre necatus, optatam martyrij coronam accepit. Rauennæ ſancti Romualdi [g] anachoretę, monachorum Camaldulenſium Patris, qui collapſam in Italia eremiticam diſciplinam reſtituit, ac mirificè propagauit.

IVNII 19.

GERVASII & Protaſij [a]. ] De his etiam Beda, Vſuardus, Ado, & alij Latinorum, Græci autem in Menologio pridie Idus Octobris. Feruntur horum res geſtę ſcriptę à ſancto Ambroſio ex libello Philippi: eas refert Mombrit. tom. 1. Lipom. tom. 1. ac demum Sur. tom. 3. Deſcripſit autem & alia horum Acta Metaphraſtes, quæ Lipomanus ſuper diuerſitate narrationum vtcumq. concordare conatus eſt: recitat eadem Sur. tom. 3. His non diſſimilia ſunt ea quæ Actis ſanctorum Syri & Euentij intexta habentur: deſcripſit eadem Sur. tom. 7. die 12. Septembris ex manuſcr. At non tantùm me reddit ancipitem, quòd in prędictis Actis nomine S. Ambroſij editis nulla de Nazario & Celſo habeatur mentio, vel quòd ſub diuerſo Præſide paſſi habeantur, quæ & Lipom. excuſat: ſed quod me maiori difficultate inuoluit, eſt illud in primis, quòd non tantùm in prędictis nulla habeatur de Nerone mentio, vel alterius cuiuſpiam Imperatoris, ſed Auguſtorum plurium tunc ſimul regnantium idem auctor meminerit; adeò vt ad alia tempora potiùs quàm Neronis illorum martyrium referre videatur. Huc accedit, quòd dum de bello Marcomannico ibi mentio fit; nihil ſanè eſt, vt ea ad Neronis tempora poſſint accommodari:

modari : ſiquidē nullum tale bellum tunc geſtum eſſe, perſpicuum eſt. Cùm itaq. ex illis Actis exploratum habeatur, plures Auguſtos tunc ſimul imperaſſe, inſuper & Marcomannicum bellum excitatum eſſe; cogimur vel inuiti in eam ire ſententiā (ſi tamen ea Acta certa firmaq. & Ambroſij eſſe dixerimus) vt credamus hos paſſos eſſe tēporibus Marci Aurelij Antonini & Lucij Veri Auguſtorum, quorū Imperij anno nono Marcomannicum bellum exortum eſt. Sanè quidē nec Beda, nec Vſuard. vel Ado, aut antiquorum aliquis, vel vetera manuſcr. cùm de his martyribus agunt, vel de eorum parente Vitale ad iiij. Kal. Maij, vllam de Nerone faciunt mentionem. Hæc tamen alijs expendenda relinquimus. Meminit eorumdem martyrum S. Ambroſius in Luc. lib. 7. cap. 13.

[b] Horum corpora.] De horum inuentione extat ſerm. S. Ambroſij 5. de ſanct. & lib. 7. epiſt. 53. & 54. edit. Rom. Agit de eadem S. Auguſt. ſępiùs, vt in li. 9. Confeſſ. c. 7. Ser. 39. de diuerſ. c. 5. & de Ciuit. Dei lib. 22. c. 8. Paulinus in vita S. Ambroſij, Auctor libri de vita perfecta apud Hieronym. tom. 9. Greg. Turon. de glor. martyrum cap. 47. Legi & de ea hymnum in Breuiar. Tolet. Conſtat autem prędictorū ſanctorum martyrum reliquijs quamplurimas eccleſias eſſe locupletatas, eorumque nomine erectas eſſe memorias. Romæ etenim Veſtina illuſtris femina in ipſorum honorem baſilicam conſtruxit, quam S. Innocentius Papa dicauit, & Titulo exornauit, Veſtinęq. Titulus, vel ſanctorum Geruaſij & Protaſij dictus reperitur. de his in lib. de Rom. Pontificibus in Innocentio Papa, & in regiſt. S. Greg. lib. 9. epiſt. 22. Dicitur hodie Titulus S. Vitalis, cuius ornamento inſignitus eſt preſbyter Cardinalis Illuſtriſſimus ac Reuerendiſſimus Donatus Cæſius, de noſtra Cōgregatione optimè meritus. Sanctus Paulinus eorumdē reliquias in Fundana baſilica à ſe erecta collocauit, vt ipſe ſcribit ad Seuerum epiſt. 12. S. Gaudentius eadem ſacra pignora cōdidit in baſilica ad Conciliū Sanctorum dicta, vt ipſe refert in ſerm. de eius dedicatione habito. Gallia etiam ferè tota iiſdem reliquijs ditata eſt. Teſtis eſt de his Gregor. Turonen. vbi ſuprà cap. 47. cùm de his agens, ait: Per totum Galliarū ambitum, Deo propitio, ſunt delatæ. Et paulò pòſt: Ex hoc enim eorum reliquiæ affatim collectæ, per vniuerſam Italiam & Galliam ſunt diuiſi. Idemque libro 10. c. 31. hiſt. Franc. agēs de eccleſia erecta Turoni, ibi horum reliquias poſitas, eorumque nomine eam appellatam eſſe teſtatur. Pariſijs etiam in baſilica S. Vincentij eas eſſe poſitas, teſtatur Aim. lib. 2. cap. 20. Ad Noricos vſque eaſdem eſſe delatas, ſcribit Eugipius abbas in vita S. Seuerini Noricorum Apoſtoli. Conſtat inſuper tranſmarinas Africanę eccleſię oras tantis fuiſſe muneribus exornatas. Cùm etenim ſcribat ſanctus Auguſtinus de Ciuitate Dei lib. 22. cap. 8. in Victoriana villa nomine prędictorum martyrum erectam eſſe memoriam; conſequens eſt, vt eorum martyrum reliquijs minimè caruerit: nam abſque reliquijs martyrum in eorum honorem eccleſias erigi prohibuerat Concilium Africanum can. 50.

[c] Vrſicini.] De eo item hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Recenſet eius Acta Petrus Damiani in ſerm. de SS. Vitale & Valeria: refert eum Sur. tom. 2. die 28. Aprilis, & Mombrit. in ſancto Vitale tom. 2. Hieron. Rub. hiſt. Rauen. lib. 5. Venantius Fortun. in vita ſancti Martini lib. 4. agens de Sanctis Rauennatis eccleſiæ, hos ſcribit verſus:

*Inde Rauennatum placitam pete dulciùs vrbem:*
*Pulpita ſanctorum per relligioſa recurrēs:*
*Martyris egregij tumulum Vitalis adora,*
*Mitis & Vrſicini, Pauli ſub ſorte beati,*
*Rurſus Apollinaris pretioſi limina lambe,*
*Fuſus humi ſupplex, & templa per omnia curre.*

[d] Zoſimi.] De eodem item Græci hac die in Menolog. Deſcripſit eius Acta Metaphraſt. quæ retulit Lipom. in tom. 7. & Sur. tom. 3. hac die.

[e] Gaudentij & Culmatij.] Horum Acta manuſcripta accepimus ab eccleſia Aretina.

[f] Bonifacij.] Huius egregia facta Petrus Damiani conſcripſit in vita S. Romualdi, quæ extat apud Lipom. tom. 8. & Sur. tom. 3. hac die. Vixit temporibus Othonis Imp. cuius erat affinis, circa annum Domini milleſimum.

[g] Romualdi.] Scripſit (vt nuper diximus) eius præclara Acta Petrus Dam. qui eum affirmat vixiſſe annos centum viginti, quorum viginti in ſæculo, tres in cœnobio, reliquos verò exegit in ſolitudine. Tranſlatum tradunt eius corpus Fabrianum oppidum in Piceno, vbi magna veneratione colitur. Tranſlationis hiſtoriam manuſcriptam accepimus. De eodem ſancto vide ſuperius die 7. Februarij.

## vij C Duodecimo Kal. Iulij. Luna. 20

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | | | |

NATALIS ſancti Siluerij [a] Papæ & martyris, qui cùm Anthimum Epiſcopum hæreticum ab Agapito prædeceſſore ſuo depoſitum reſtituere noluiſſet, agente impia Theodora Auguſta, à Beliſario in exilium pulſus ad inſulam Pontiam [b], ibidem pro fide Catholica multis ærumnis confectus defecit.

Romæ

Romæ depoſitio ſancti Nouati [c], filij beati Pudentis ſenatoris, & fratris ſancti Timothei presbyteri, & ſanctarum Chriſti virginum Pudentianæ & Praxedis, qui ab Apoſtolis eruditi ſunt in fide. Horum domus in eccleſiam commutata, Paſtoris Titulus appellatur. Tomis in Ponto ſanctorum martyrum Pauli [d] & Cyriaci. Petræ in Palæſtina ſancti Macarij [e] Epiſcopi, qui ab Arianis multa paſſus, in Africam relegatus quieuit in Domino. Hiſpali in Hiſpania ſanctæ Florentiæ [f] virginis, ſororis ſanctorum Leandri & Iſidori Epiſcoporum.

## IVNII 20.

SILVERII Papæ [a]. ] De quo item hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac reliqni. Succeſſit bic Agapeto, anno Domini 536. Egimus de eo cumulatè in Annalibus Eccleſiaſticis. Illic de Beliſario, cuius hîc babetur mentio, locupletiùs; vbi & de eius calamitate plura diximus.

[b] Ad inſulam Pontiam. ] Licet hæc de inſula Pontia in libro de Romanis Pontificibus ſcripta habeannt: tamen Liberatus diaconus, qni eodem ſæculo claruit, in Breuiar. hæreſ. Neſtorianæ & Eutych. cap. 22. apertè teſtatur ſanctum Silucrium miſſum fuiſſe in exiliũ Pataram Liciæ: ſed loci illius Epiſcopo apud Iuſtinianum agente, Romam reuerti iuſſum, ab aduerſarijs in Palmaria inſula eſſe detentum; illicque cuſtoditum, inedia defeciſſe. Hæc cùm ſcribat Liberatus, ac de Pontia inſula verbum nullum faciat; exiſtimamus ( niſi ſit error in codice ) ipſum errаſſe in nomine inſulæ, cùm ſint ſibi proximæ, ac Palmariam loco Pontiæ poſuiſſe.

[c] Nouati. ] Agunt de eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores. Extant eius Acta à Paſtore presbytero ſcripta, quæ recitat Ado. Copioſiùs deſcripta habentur in rebus geſtis ſanctarum Pudentianæ & Praxedis, quarum ſuprà meminimus. Erant Romæ thermæ Nouati in Viminali, quæ patuerunt olim Chriſtianis ad ſacras ſynaxes, quæ & Timothinæ dictæ reperiuntur, à fratre eius Timotheo: erant enim hi filij Pudentis ſenatoris, fratres verò prædictarum ſanctarum virginum, vt ex prædictis Actis apparet. Habetur mentio de thermis Timothinis in Actis martyrij ſancti Iuſtini philoſophi, quæ legitima germanaque eſſe, ſuperiùs demonſtrauimus. extant apud Sur. tom. 3. die 12. Iunij. Paſtoris titulus, de quo hîc agitur, etiam Pudentis dictus reperitur, vt eſt exemplum in Concil. Roman. 2. ſub Symmacho: Pudentis idcircò appellatus, quòd cùm eius domus priùs fuiſſet, ad titulum erigendum inde Paſtori conceſſa eſt. Non ignobile vel obſcurum erat Romæ Nouati nomen temporibus Neronis: ad Nouatum enim extant tres libri Senecæ de Ira conſcripti; meminit idem auctor & de Nouatilla in lib. de Conſolat. ad Martiam.

[d] Pauli & Cyriaci. ] De his bac item die Vſuardus, & alij recentiores.

[e] Macarij Epiſcopi. ] Hic & Arius in Græcorum codice dictus reperitur; Ariuſque mutatus eſt in Macarium, ob odium ſcilicet infauſti nominis. Scribit de eo ſanctus Athanaſ. in epiſt. ad ſolitarios: legiturque inter Epiſcopos, qui ſubſcripſerunt Concilio Sardicenſi, tam apud Athanaſ. in apologia 2. quàm etiam in tomo 1. Conciliorum.

[f] Florentię. ] De eadẽ hac die Beda, & Breuiar. Toletan. plura, & Flos ſanct. Hiſpan. Ad hanc ſcripſit S. Iſidorus eius germanus libros duos contra nequitiam Iudæorum, vt teſtatur ſanctus Ildefonſus libro de viris illuſtr. in Iſidoro. Idipſum Braulio in vita ſancti Iſidori, additq. ad eamdem ſcripſiſſe libros duos de virginitate. Agitur de eadem in Theſaur. concion. tom. 2. die 14. Martij.

## 21 Vndecimo Kalend. Iulij. Luna. D vj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | | | |

ROMÆ ſanctæ Demetriæ [a] virginis, quæ ſub Iuliano Apoſtata martyrio coronata eſt. Syracuſis in Sicilia natalis ſanctorum martyrum Rufini [b] & Martiæ. In Africa ſanctorum martyrum Cyriaci [c] & Apollinaris. Moguntiæ ſancti Albani [d] martyris, qui ob Chriſti fidem poſt longos labores &

dura certamina factus eſt dignus corona vitæ. Eodem die ſancti Euſebij [e] Epiſcopi Samoſateni, qui tempore Conſtantij Imperatoris Ariani ſub habitu militari incognitus eccleſias Dei viſitabat, vt in fide Catholica illas confirmaret: deinde ſub Valente in Thraciam relegatur: ſed reddita pace Eccleſiæ, tempore Theodoſij, ab exilio reuocatus, cùm iterùm eccleſias viſitaret, tegula ab Ariana muliere deſuper immiſſa, confracto capite, martyr tandem occubuit. Iconij in Lycaonia ſancti Terentij [f] Epiſcopi & martyris. Papiæ S. Vrciſceni [g] Epiſcopi & confeſſoris. Apud Tungrenſes S. Martini [h] Epiſcopi. In pago Ebroicenſi S. Leutfridi [i] abbatis.

## IVNII 21.

DEMETRIÆ virginis [a].] Agunt de eadem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij omnes. Res geſtæ ipſius continentur in Actis S. Bibianæ, de qua inferiùs; de ea item Petrus in catal. lib. 5. c. 135.

[b] Rufini & Martiæ. ] De his ijdem qui ſuprà agunt, necnon & Wandelbertus, adſtipulanturque vetera manuſcripta.

[c] Cyriaci & Apollinaris. ] Vſuardus item, & recentiores de his hac die agunt.

[d] Albani. ] De eodem hac die Beda agit pluribus, quem & ſecuti ſunt nonnulli. Huius res geſtas metricè ſcripſit Rubertus monachus monaſterij S. Albani, vt teſtatur Trith. in chron. Hirſaug. idemq. in epiſt. ad Albertum Epiſcopum Moguntinum refert Acta eius ſcriptis mandata à Sigeardo monacho eiuſdē monaſterij. De tempore martyrij huius magna inter ſcriptores varietas reperitur: ſiquidem Beda, & alij eum ſecuti, paſſum referunt temporibus Diocletiani; contrà verò alij, vt Petrus in catal. lib. 10. cap. 97. & Galeſ. dum agunt de Theoneſto eius martyrij ſocio, die 30. Octobris, temporibus Damaſi ab Arianis necatum affirmant; profitetur idipſum Molanus in addit. ad Vſuardum edit. 2. hac die. Diuersè ab his omnibus Sigebert. in chronic. dum Albani & ſociorum martyrium refert contigiſſe anno Domini 425. Habemus in vet. cod. manuſcripto vitam ſancti Albani, cuius eſt exordium: Erat olim in partibus Aquilonis, &c. ſed quæ videatur apocrypha, nullamque ſibi veriſimilem ſaltem vendicet auctoritatem.

[e] Euſebij Epiſcopi.] Nonnulli neſcientes Euſebium Epiſcopū Samoſatenſem, de quo hîc agitur, perperàm addiderunt nomen Cæſareæ Palæſtinę, falsò putantes de illo hac die agi. Hi quidem ſicut Euſebium Samoſatenſem ignorarunt, & nomen Samoſatenſis ob Paulum hæreſiarcham fortaſſe exhorruerunt; ita etiam res Euſebij Cęſarienſis parùm perſpectas habuiſſe videntur: nam etſi in SS. Nicæno Concilio, ad tempus morem gerens Conſtantino, palinodiam cecinit; tamen poſteà in conciliabulo Tyrio, alijſque eorum conuenticulis ſtetiſſe pro Arianis, omnibuſq. ſtudijs fauiſſe Ario, apparet: quam ob cauſam ſanctus Hieronymus ſæpiùs eum appellat anteſignanum Arianorum: S. Epiphanius, alijq. veteres eamdem illi notam inurunt. Quo loco autē poſteriores eum habuerint, conſule Patres qui interfuerunt Synodo ſecundæ Nicęnæ, Act. quinta & ſexta; videbiſque eumdem ab omni Orthodoxorum claſſe ſeparatum, execratumque. Agitur hîc itaque de ſancto Euſebio Epiſcopo Samoſatenſi, de quo & Græci agunt in Menologio die ſequenti, his verbis: Sancti martyris Euſebij Epiſcopi Samoſatenſis, qui fuit ſub Conſtantio Imperatore feruentiſſimus Orthodoxę fidei æmulator: nam tantum fortitudinis & rerum terrenarum contemptus in ipſius animo inerat, vt in id tantùm ſtuderet, quo pacto pietas ipſa, & Orthodoxa fides incrementum acciperet; licet Imperator ipſe tam contrariæ eſſet opinionis, quàm nemo alius vnquam fuerat. Itaque cùm Imperator Conſtantius comminatus illi aliquando fuiſſet, ſe illius manum abſciſſurum, niſi diuerſum ſentiret: ipſe vtramque manum extendit; vt ſignificaret, libentiùs ſe illarum abſciſſionem paſſurum, quàm quod proponebatur, facturum, aut pietatem proditurum. Hunc beatum virum poſt Conſtantium & Iulianum, Valens Imperator Ariana perfidia corruptus, ab Epiſcopali ſede deiecit, & ad Iſtrum fluuium exulare coëgit. Verùm defuncto Valente, ad eccleſiam ſuam reuerſus, poſt multa certamina & victorias, palmam etiam martyrij hoc pacto aſſecutus eſt. Femina quędam, Arianæ perfidiæ ſectatrix, è tecto quodam tegulam in viri ſancti tranſeuntis caput demiſit: cui tamen mulieri beatus martyr veniam largitus, & benè precatus eſt, neminem in illam permittens vlciſci, Chriſtum Dominum & Stephanum imitatus. Hæc ibi in Menologio; quæ quidem omnia à probatis Gręcis auctoribus ſibi vendicant teſtimonium. Eadem etenim, aliaque plura deſcribit Theodoretus biſt. lib. 2. cap. 31. lib. 4. cap. 12. 13. 14. & de eius obitu lib. 5. cap. 14. S. Greg. Nazian. hunc mirificè coluit, cuius ad eumdem quatuor reperiuntur datæ epiſtolæ in editione Billiana, quarum prima, tertia, & quarta num. 27. 28. & 30. eum pro fide exulem conſolatur: ſecunda autem, quæ eſt 29. agit de eccleſia Cæſarienſi deſtituta paſtore, cùm eius ſuffragio ſubſtitutus eſt S. Baſilius. Quantus hic fuerit, vt ex eiuſdem Theologi præclaro elogio intelligas, hæc accipe: Vnde, inquit, tuarum laudum exordium ducam, & quo nomine te propriè appellabo? an columnam & firmamentum Eccleſiæ te vocabo, aut luminare in mundo,

aut

aut glorificationis coronam, aut Dei donum, patriæ adminiculum, an fidei regulam, aut veritatis legatum, aut hæc omnia ſimul, & his plura? At hanc laudum exuberantiam, fidem propè excedentem, per ea quæ vidimus confirmabo, &c. Hęc Gregorius. Voluimus hęc omnia retuliſſe, vt inſignem martyrem in Martyrologiũ quaſi poſtliminiò redeuntem, meritis illum præconijs venerantes, digno etiam ſuſciperemus honore.

[f] Terentij Epiſcopi.] Agunt de eo etiam Græci hac die in Menologio.

[g] Vrciſceni Epiſcopi.] De eodem agunt tabulæ eccleſiæ Papienſis, ex quibus etiam Galeſinus hac die.

[h] Martini Epiſcopi.] De quo & Molanus hac die in addit. ad Vſuard. pluribus autem in Indiculo Sanct. Belgij. In tabulis Epiſcoporũ Tungrenſium ſeptimus hic ponitur ordine, Haſbanorumque Apoſtolus appellatur: eumque obijſſe tradunt anno Domini 276. Plures eiuſdem nominis reperiuntur Epiſcopi ſanctitate nobiles, vel eruditione conſpicui. Et vt prętereamus Martinum Turonenſem, & Martinum Romanum Pontificem famâ notiſſimos; fuit & Martinus Epiſcopus Moguntinus, qui interfuit Concilio Agrippinenſi anno Domini 346. itemque Concilio Sardicenſi, vt apparet ex Athanaſij apologia ſecunda; Martinus Epiſcopus Toloſanus, qui interfuit Concilio ſecundo Arelatenſi, temporibus Conſtantini; Martinus Viennenſis, de quo Ado in chronic. anno 101. Recenſetur inter nobiles Epiſcopos Treuerenſes à Mariano Scoto Martinus ſucceſſor Moſis. Fuit & martyr, de quo inferiùs 19. Iulij. Eiuſdem quoque nominis extitit Martinus Gallicienſis, de quo Gregor. Turon. de geſt. Franc. lib. 5. c. 37. & ad quem extat carmen Venantij Fortunati; Martinus Bracharenſis, qui inretfuit ſecundo Concilio Hiſpalenſi, & præfuit Bracharenſi; Martinus Dumienſis, de quo Iſid. de vir. illuſtr. ac denique Martinus Epiſcopus Aquinas, quem Trithem. multùm commendat lib. 4. de vir. illuſtr. ordinis ſancti Benedicti, cap. 262.

[i] Leutfridi.] Agunt de eodem hac die Vſuardus, Petrus in catal. lib. 5. cap. 136. & alij recentiores. Claruit temporibus Iuſtiniani Imp. & ſucceſſorum. Agit de eo Trithem. de vir. illuſtribus ordinis S. Benedicti lib. 3. cap. 136.

## 22 Decimo Kalendas Iulij. Luna. E v.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |

APVD Nolam Campanię vrbem natalis beati Paulini [a] Epiſcopi & confeſſoris, qui ex nobiliſſimo & opulentiſſimo factus eſt pro Chriſto pauper & humilis, & quod ſupererat, ſe ipſum pro redimendo viduæ filio, quem VVandali [b] Campania deuaſtata captiuum in Africam abduxerant, in ſeruitutem dedit. Claruit autem non ſolùm eruditione, & copioſa vitæ ſanctitate, ſed etiam potentia aduerſus dæmones: cuius præclaras laudes ſancti Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, & Gregorius ſcriptis ſuis celebrarunt. Eius corpus Romam tranſlatum, in eccleſia ſancti Bartholomæi in Inſula vnà cum corpore eiuſdem Apoſtoli honorificè aſſeruatur. In monte Ararath paſſio ſanctorum martyrum decem millium [c] Crucifixorum. Verolamij in Britannia ſancti Albani [d] martyris, qui tempore Diocletiani pro clerico hoſpite, quem ſuſceperat, ſe ipſum tradens, poſt verbera & acerba tormenta capite plexus eſt. Paſſus eſt etiam cum illo vnus de militibus, qui eum ducebat ad ſupplicium, qui in via conuerſus ad Chriſtum, proprio ſanguine meruit baptizari. Samariæ ſanctorum mille [e] quadringentorum octoginta Martyrum, ſub Coſrhoe Rege Perſarum. Eodem die ſancti [f] Nicææ Romatianæ ciuitatis Epiſcopi, doctrina, ſanctiſque moribus clari. Neapoli in Campania ſancti Ioannis [g] Epiſcopi, quem beatus

beatus Paulinus Epiſcopus Nolanus ad cæleſtia regna vocauit. In monaſterio Cluniacenſi ſanctæ Conſortiæ [h] virginis.

# IVNII .22.

PAVLINI Epiſc. [a].] De quo Beda, Vſuardus, Ado, & alij omoes. Eius obitum ſcripſit Vranius ipſi Paulioo optimè notus; meminit enim eius epiſt. 17. Recitat eam Vranij ſcriptionem Sur. tom. 3. hac die. De primordijs Paulioi complura ſcripſit Auſonius Gallus, qui eum humanioribus litteris erudiuit. De eius migratione è Senatu ad eremum, agit S. Ambroſius ad Sabinom epiſt. 30. edit. Rom. & Hieroo. epiſt. 13. Quanti autẽ huoc fecerit S. Auguſtinus, eius ad ipſum ſcriptæ epiſtolæ declarant, videlicet epiſt. 32. 34. 65. & 260. meminit eiuſdẽ de ciuitate Dei lib. 1. c. 10. & libro ad ipſum ſcripto de cura agẽda pro mortuis. Scribit de eodem S. Gregor. lib. 3. dialog. cap. 1. & 2. S. Proſper de vit. contempl. c. 9. Venantius Fortunatus in vita S. Martioi lib. 2. Seuer. in dialog. Gregor. Turonen. de glor. confeſſ. c. 107. S. Eulog. in martyr. docum. ad Floram, & alij recentiores. Legimus in vet. mooumentis bibliothecę Vaticanæ Honorij Imperatoris epiſtolam, rogantis Paulioum, vt adeſſe dignaretur indictę Synodo cauſa ſchiſmatis Eulalij aduerſus Bonifacium Papam; ex qua quidem, quantę Paulinus fuerit ęſtimationis, ſatis apparet. Paratus vir illuſtris Acta S. Paulini verſibus ſcribere ioſtituit, vt teſtatur prædictus Vranius vbi ſuprà. Carmen Euchariſticum, quod Ephemerides Paulini inſcribitur, non huius quidem, vt pręſefert falſa inſcriptio, ſed Paulini Conſularis, cuius extant ália monimenta in in collectione Chriſtianorum poëtarum, eſſe cooſtat. Paulinus de quo agimus (vt de eo ſcribit Vranios) ex humanis exceſſit Baſſo & Aotiocho Conſulibus, anno Domini 431. De eius corpore Romam tranſlato hæc legimus in cod. manuſcr. vit. ſanct. quem apud nos habemus. Eius corpus ounc videtur eſſe cõiuoctum corpori S. Bartholomęi in inſula Lycaonia in eccleſia S. Adalberti, quæ nunc vocatur ſancti Bartholomęi, quorum trium ſanctorum meritis ibi pręſtantur beneficia plurima. Hæc ibi. Porrò horum Confeſſio inſtaurata ac nobiliter illuſtrata eſt hiſce diebus ab Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo Iulio Antonio Sanctorio, eius eccleſiæ Cardinale.

[b] Quem VVandali.] Ingreſſi ſunt Waodali in Africam (vt auctor eſt S. Proſper in chron.) Hierio, aliàs, Hierone, & Ardaburio Coſſ. Eſt is anoos Domini, ſecundùm veriorem ſupputatioõẽ, 427. ante Paulini obitum annus quintus, quo tempore Wandali, comparata claſſe, oras Campaniæ infeſtaotes, inde abduxere captiuos, quibus cum & Paulinus volens abductus eſt: vbi cùm eſſet (vt idem Paulinus prædixerat) Rex Wandalorum defunctus eſt, vt auctor eſt ſanctus Gregorius dialog. lib. 3. cap. 1. Porrò ſi hæc ad Geoſericum Regem referas, falſa eſſe, neceſſe eſt affirmare: nam longè poſt Paulini tempora deceſſit Genſericus, qui regnauit in Africa annis 37. perueniтq. vſque ad annum Domini 464. Seotiens hanc difficultatem Balduinus in ſchol. Optat. ea quæ ſcribuntur de Paulino captiuo, ad Alarici tempora referre conatur, ſecuodũ ea quæ de eodẽ Paulino ſcribit S. Auguſt. de ciuitate Dei lib. 1. c. 10. Verùm eo tempore Paulinum permanſiſſe Nolæ, oec ductum fuiſſe captiuum, ſatis demonſtrat liber eiuſdem Auguſt. ad ipſum Paulinum ſcriptos de cura agenda pro mortuis. Pręterea oullo modo fieri potuit, vt eo tẽpore Paulinus duceretur captiuus in Africam: nam Italia ab Alarico deuaſtata, Africa libera remanſerat, illucq. complures Romanorum nobilium confugerant, vt tradit S. Hieronymus io epiſt. 8. ad Demetriadẽ, & alij. Reliquum eſt ergo, vt ea quæ ſcribit S. Gregorius de obitu Regis Wandalorũ, non ad Genſericum, vel alium, ſed ad Guntharium eius germanum, regnantem in Africa, referamus. Fuit enim Guntharius germanus Genſerici, ambo filij Modogiſchli Regis Wandalorũ, qui diem obijt io Hiſpania, ambo heredes in regno, amboq. traiecerũt io Africam, ſed Guntharius quamprimũ deceſſit, ſummaq. rerum tandem potitus eſt Genſericus. Agit de Gunthario Procopius de bello Wandal. lib. 1. pag. 185. & hiſtoria Miſcel. lib. 14. pag. 431. Paulinus itaque ſub genero Guntharij manſit captiuus; quo ſublato de medio, Genſericus ſolus potitus eſt regno.

[c] Decem millium crucifixorũ.] De his hac die Beda, cui adſtipulantur & vet. manuſcr. recentiores etiam, vt Petrus in catal. lib. 5. c. 137. Mombrit. tom. 1. Maurolycus, atque eruditus Petrus Galeſinus. Gręci etiam de ijſdem agunt in Menologio hac die. Licet autem Latinorum quàm Gręcorum aſſertione ijdem martyres comprobentur: tamen Radulphus Tungrenſ. de canon. obſeru. propoſ. 11. hęc de his ait: De decem millibus martyrum, quę fabuloſè (dicã donec aliud videro) fingũtur omni genere paſſionis Chriſti perpeſſi fuiſſe io mõte Ararath, prope Alexandriã; nec eorum paſſio in aliquo Martyrologio authentico annotatur, nec ipſorum diem Romæ in aliquo Kalendario antiquo potui reperire, &c. Miramur virum alioqui eruditum & grauem tam feſtinam de his martyribus protuliſſe ſententiam: qui Romani ſaltem Martyrologij auctoritate contineri debuiſſet; oec fruſtrà excipere de Kalendario Romano, cùm alia ſit ratio Martyrologij, alia Kalendarij, vbi tantùm illi Sancti ſcribi conſueuerunt, quorum recitatur officium Eccleſiaſticũ. Sed etſi rei veritas tam Latinorũ quàm Gręcorum teſtimonio ſatis firma videri poſſit: tameo operępretium ducimus hîc de his agere, illaq. ſtabilire, quæ alicui fabuloſa & minùs credibilia videri poſſunt. Ignoſcat interim lector, ſi menſuram notationis videamur excedere. Quòd autem habetur in primis in eorum Actis, hos paſſos eſſe in monte Ararath, prope Alexandriam; conſtat quidem diuinæ Scripturæ auctoritate, regionem ſic dictam eſſe in Maiori Armenia, vt patet ex Iſaia cap. 37. in fine, iunctis his quæ leguntur lib. 4. Reg. c. 19. in fine, & quæ ſanctus Hieronymus ſcribit in Iſaiam lib. 11. cap. 37. Quòd verò in dictis Actis ponitur idem mons prope Alexandriam, data eſt ex eo aliquibus occaſio ſubſannandi, exiſtimantibus

intelligi

intelligi Alexandriam quæ eſt in Ægypto, quæ longè admodum diſtat à monte Araraih, qui in Maiori Armenia ſitus eſt. Sed non eſt dubitandũ, plures eius nominis fuiſſe ciuitates, & inter alias Alexandriam iuxta Tigrim poſitam, cuius meminit Plinius lib. 6. cap. 27. & alij: qui quidem amnis interluit Maiorem Armeniam, vt idem auctor tradit lib. 6. cap. 9. & de hac loqui illa Acta, ſatis apparet ex eo, quòd ibi de Eufratenſibus agitur. Hæc de loci ambiguitate ſatis. Quod autem ad tam ingentem numerum crucifixorum ſpectat, ex quo huiuſmodi hiſtoria viſa eſt alicui eſſe commentum: ſanè quidem neque id nouum aut portentoſum videri poterit, ſi quis legerit ea quæ ſcribit Ioſephus de bello Iudaico lib. 6. cap. 12. vbi dum Iudæorum cladem recenſet, inter alia miſeratione digna refert, Iudæos omnes è muris lapſos, à Romanis comprehenſos, in dies ſingulos quingentos, & aliquando plures contra Ieroſolymorum mœnia cruci eſſe affixos; adeò vt cruces ſegetibus denſiores eſſe viderentur, atque (vt ait idem Ioſephus) propter multitudinem quam cepiſſent, iam ſpatium crucibus deeſſet, & corporibus cruces. Hæc Ioſephus, & auctor qui fertur nomine Hegeſippi de excid. Ieroſol. lib. 5. Si hæc ſcribunt hi de Tito naturâ clementiſſimo, & de loco vbi ingens erat lignorum penuria; quid de Hadriano inhumaniori, & de loco vbi denſiſſimæ eſſent arborum ſiluæ, quis non poterit verum exiſtimare? At ſi vetuſtius de his quæris exemplum, Q. Curtius lib. 4. hiſt. de rebus geſtis Alexandri Magni, vbi de Tyri expugnatione agit, hæc ait: Triſte deinde ſpectaculum victoribus ira præbuit Regis: duo millia, in quibus occidendi defecerat rabies, crucibus affixi, per ingens littoris ſpatium pependerunt. Hæc ille. De ingenti etiam numero crucifixorum Iudęorum rebellantium ab Alexandro eiuſdem gentis Rege, meminit Ioſephus Antiquit. lib. 13. cap. 22. Rurſus autem idem auctor lib. 17. cap. 18. Antiquit. tradit à Syriæ Pręſide Varo ad duo millia Iudęorum ſeditioſorum ſupplicio crucis extinctos. Et, ſi Oroſio credimus, ſena millia ſeruorum ab Auguſto, vno eodemq. tempore in crucem acta, teſtatur lib. 6. cap. 17. Poſſet adhuc quis dubitare, dum in ijſdem Actis mentio habetur de Sapore, vel Sabore, cuius conſilio ijdem martyres crucis ſupplicium ſubiere. At cõſtat ibi non agi de Sapore Rege Perſarum, qui vixit temporibus Conſtantini, ſed de alio (vt habent Acta) qui tunc erat Rex Armeniæ. eam enim prouinciam Romano ſubiectam Imperio, Traianus Imp. per legatos adminiſtrauit: Hadrianus autem (vt auctor eſt Spartianus in Hadriano) permiſit Armenis Regem habere. Nec quemquam moueat, ſi coram Hadriano iſtæc facta dicantur: eſto quòd non fuerit præſens Hadrianus; ſcimus tamen (quod & ſuperiùs admonuimus) commune eſſe multis martyrum Actis, vt quę ſub aliquo Imperatore à Pręfectis ſunt facta, coram ipſo factitata dicantur. Accedit ad hęc omnia auctoritas laudatiſſimi viri, qui eadem Acta à Gręcis accepta dedit Latinitati. Anaſtaſius enim Bibliothecarius, vir quidem diſertiſſimus, id egregiè præſtitit, cuius adhuc extat præfatio ad Petrum Epiſcopum Gabinenſem, eiuſmodi inſcriptione atque principio: Anaſtaſius Bibliothecarius Petro Epiſcopo Gabinenſis eccleſiæ. Poſt tranſlatam à me paſſionem Petri Alexandrini Epiſcopi, &c. Actorum autem eſt eiuſmodi exordium: Saluatore noſtro apparente, &c. Legimus hæc omnia in peruetuſto codice manuſcripto monaſterij S. Cæciliæ trans Tiberim poſiti, à quibus non ſunt valdè diſſimilia quæ Mombrit. edidit tom. 1. Non negamus tamen in his (quod in alijs ferè omnibus contigit) ineſſe aliqua, quæ leui quadam indigeant emendatione. Hæc de his ſatis: quæ quidem ſi Radulpho innotuiſſent, nequaquam ea ſcripſiſſe, ſed in contrariam ſententiam potiùs abijſſe, facilè exiſtimamus.

[d] Albani.] De quo & Beda, Vſuardus, Ado, & alij omnes hac die. Agit de eius martyrio Gilda Sapiens de excidio Britanniæ, circa princip. Beda de geſtis Anglor. lib. 1. cap. 6. & 7. Venantius Fortunatus hoc verſu meminit de eodem ſancto Albano:

*Egregium Albanum fœcunda Britannia profert.*

Eius Acta fuſiùs ſcripta eſſe ab Vnuone, teſtatur Molanus. De eccleſia ſancti Albani, quam ſanctus Germanus Epiſcopus Antiſiodorenſis inuiſit, cùm Apoſtolica legatione fungeretur in Britannia, meminit Conſtantius in vita ipſius Germani lib. 1. cap. 20.

[e] Mille quadringentorum.] Extant horum Acta in nuper citato codice S. Cæciliæ monaſterij trans Tiberim poſiti. habemus eadem apud nos breuiùs enarrata.

[f] Nicææ Romatianæ ciuitatis Epiſcopi.] De eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Alicubi Nicæta pro Nicæa legitur, ſed vſitatior prima lectio. Diuerſa lectio item diuerſorum codicum reperitur de ciuitatis nomine: dum apud aliquos Romatiana, vt hîc ponitur, apud aliquos autem Romanæ, vel Romaniciæ ciuitatis Epiſcopus dicitur. Agit de eo Gennadius de vir. illuſtr. cap. 22. & Honorius Auguſtod. cap. 27. Quænam fuerit iſta ciuitas, cuius Nicæas fuit Epiſcopus: diu multumque, fateor, quærens laboraui; ac tandem (ni fallor) rem mihi videor aſſecutus. Cenſeo enim illam eſſe Aquileiam, Nicæamq. vel Nicętam eſſe eius ciuitatis Epiſcopũ, ad quem extat S. Leonis Papæ epiſtola ſeptuageſimanona. Succeſſit hic S. Chromatio, de quo frequenter meminit S. Hieronymus, cuius tempore Nicæas ipſe erat eiuſdem eccleſiæ ſubdiaconus, vir quidem eruditione & morum probitate nobilis; ad quem extat S. Hieronymi epiſtola 42. eiuſmodi antiqua inſcriptione: Hieronymus ad Nicæam hypodiaconum Aquileiæ. Hic (vt diximus ex hiſtoria Aquileienſi lib. 1.) ſucceſſit S. Chromatio, ſuperſteſq. fuit poſt exciſam Aquileiam ab Hunnis, vt ex dicta ſancti Leonis epiſtola apparet, data ſub Conſulatu Maioriani, anno Domini (ſecundùm ſupputationem veriorem) quadringenteſimo quinquageſimooctauo. Cur autem Aquileienſis Epiſcopus, Romatianæ, ſiue Romanæ, vel Romaniciæ inueniatur ſcriptus Epiſcopus, ea ratio eſſe videtur, quam ex prædicta hiſtoria Aquileienſi depromſimus: nam ex eo quòd Aquileia fuiſſet nobiliſſima Romanorum colonia, Romana ſeu Romatiana dicta ciuitas reperitur. Sicut & Auſonius in carm. de nobilibus vrbibus, Arelatẽ nominat Romam Gallicam. Suffragatur maximopere huic veritati, dum S. Chromatius prædeceſſor S. Nicęę, de quo agimus, in egregio cõmentario quem ſcripſit de octo beatitudinibus, in eius

titulo

titulo inſcriptus reperitur: Chromatius Epiſcopus Romanus. edidit eum ex antiquis codicibus Margarin. in tom. 7. bibliothecæ ſuæ. Quamobrē hallucinatur planè Sixtus Senēſis, dum ait Chromatium dictum reperiri Romanum Epiſcopum, quòd Romanus patriâ eſſet. Sed vbi, quæſo, & penes quos eiuſmodi nomenclaturam inuenit, vt ciuis Romanus, factus alicuius ciuitatis extra Vrbem Epiſcopus, diceretur Epiſcopus Romanus? Verùm Chromatiū fuiſſe ciuem Aquileienſem, florereq. cœpiſſe cùm S. Valerianus illi præeſſet eccleſiæ, cui ſucceſſit poſt Fortunatianum Arianum hominem, qui legerit epiſtolam Hieron. 43. ad ipſum Chromatium, Iouinum, & Euſebium fratres, facilè intelliget. Leander, recens coſmographus, dum agit de Aquileienſi ciuitate, eam ſecundam Romam vocatam dicit.

[g] Ioannis Epiſc.] Conſtat eū die Sabbati, quod pręcedit ſanctum Paſcha, ex hac vita migraſſe; cur autem in hanc diem tranſlatus ſit natalis eius, me latet. Scribit eius ad Deum tranſitum Vranius in vita S. Paulini Epiſcopi Nolani in fine. extat apud Sur. tom. 3 die 22. Iunij, vbi poſt alia hęc ait: Sabbato autem, ſecunda hora diei, lętus ad eccleſiam proceſſit, & aſcenſo tribunali ex more populū ſalutauit, reſalutatuſq. à populo orationem dedit, & collecta oratione, ſpiritū exhalauit, &c. Quorum verborum hîc videtur eſſe ſenſus. Cùm enim ait: Ex more populum ſalutauit: indicat illud, cùm Epiſcopus ante orationem dicere conſueuit: Pax vobis. Cùm ſubdit: Reſalutatus à populo: ſignificat quod populus reſpondere ſolet: Et cum ſpiritu tuo. Cùm autem addit: Orationem dedit: eſt illud quod ante orationem præmittitur: Oremus. Et quod ſequitur: Collecta oratione: idem eſt, quod, Recitata oratione: quando (vt ait) ſpiritum exhalauit. Ex his autē cur collecta oratio dicatur, videtur explicari. Nam cùm ſalutato populo, & reſalutatus à populo Epiſcopus dat, hoc eſt, indicit orationem, dicendo, Oremus: tunc cùm populus aliquantulū orauit in ſilētio, Epiſcopus populi communes preces vnica ſua voce recitabat, & vt ſacerdos Deo offerebat; vnde vt populi preces à Deo exaudiantur, ſæpè collectæ continent. Hoc etiam ſenſu accipit collectam orationem Microlog. cap. 3. Plura de his eſſent dicenda, ſed ſatis ad antiqui vſus explicationem. Iam ad Ioannem Epiſcopum redeamus. Scimus Neapoli nobiliſſimas eccleſias ſancti Ioannis nomine Deo dicatas eſſe: quòd autem nulla illarum Ioannis Epiſcopi, ſed Ioannis Baptiſtæ nomine nuncupetur, id iniuria temporum factum puto, & veterum monimentorum inopia, vt huius eccleſia dicta S. Ioannis, tranſierit in nomen S. Ioannis Baptiſtę, cuius quidem rei & in alijs locis alia inuenimus exempla.

[h] Conſortię virginis.] De eadē hac dic Beda. Fuerunt Conſortia & Tullia duæ filię S. Eucherij poſteà Epiſcopi Lugdunenſis: meminit de his Ado ad xvj. Kal. Decembris, cùm agit de S. Eucherio. An autem Conſortia, de qua agimus, eadem ſit, condita poſtmodum in Cluniacenſi cœnobio, nobis hactenus incompertum habetur.

## iiij. F Nono Kal. Iulij. Luna. 23

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | | | |

VIGILIA [a] ſancti Ioannis Baptiſtæ. Romæ S. Ioannis [b] presbyteri, qui ſub Iuliano Apoſtata via Salària veteri ante ſimulacrum Solis decollatus eſt, & corpus eius à beato Concordio presbytero iuxta Martyrum Concilia [c] ſepultum. Item Romæ ſanctæ Agrippinæ [d] virginis & martyris ſub Valeriano Imperatore, cuius corpus in Siciliam tranſlatum, multis miraculis coruſcat. Sutrij in Tuſcia ſancti Felicis [e] presbyteri, cuius os tam diu iuſſit Turcius [f] Præfectus lapide contundi, donec emitteret ſpiritum. Nicomediæ commemoratio plurimorum [g] ſanctorum Martyrum, qui in montibus & ſpeluncis tempore Diocletiani latentes, pro Chriſti nomine martyrium læto animo ſubierunt. Philadelphiæ in Arabia ſanctorum martyrum Zenonis [h], & Zenæ ſerui eius, qui catenas domini ſui vincti exoſculans, eumque rogans vt ſe in tormentis participem dignaretur habere, à militibus tentus, parem cum domino martyrij coronam accepit. In Britannia ſanctæ Edildrudis [i] Reginæ & virginis, quæ ſanctitate & miraculis clara migrauit ad Dominum: cuius corpus vndecim poſt annis inuentum eſt incorruptum.

IVNII

VIGILIA S. Ioannis Bapt.[a]] De ea etiam Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Meminit eiuſdem Greg. Tutonenſis de geſtis Francorum lib. 10. cap. 31. in Perpetuo Epiſcopo.

[b] Ioannis presb.] Agunt de eodem iidem qui ſuprà, Beda, ac ceteri, ſimulque recentiores.

[c] Iuxta martyrum Concilia ſepultum.] Huius vocis interpretationem Molanus mihi videtur feliciter aſſecutus, vt Concilij martyrum nomine locus ille intelligatur, vbi multorũ martyrum corpora requieſcant: quemadmodum & Eccleſiæ nomen, quæ ſui natura importat conuentum fidelium, pro loco ipſo quo iidem conueniunt, accipi conſueuit. Habes apud Ambroſium aduerſus Symmachum eamdem vocem in eumdem ſenſum vſurpatam, dũ ſanctarum virginum collegium appellat Concilium virginitatis. Sic & locus vbi multi collecti ſunt martyres, meritò martyrum Concilium ſit appellatum. In hanc ſententiam Molanus citat in primis Gaudentium Brixianum in ſermone habito in dedicatione Cõcilij martyrum; addit librum de Romanis Pontificibus in Damaſo, necnõ & Acta S. Stephani Papę & martyris. Tu inſuper egregium de hoc locum vide in S. Hieronymi epiſtola ad Heliodorum 3. in epitaphio Nepotiani, vbi ait: Hoc idem poſſumus & de iſto dicere, qui Baſilicas eccleſiæ, & martyrum Cõciliabula diuerſis floribus & arborum comis, vitiumq; pampinis obumbrauit, &c. Sicque locum illum in lib. de Rom. Pontificibus in Damaſo, vbi hæc ſcribuntur de Damaſo: Hic multa ſanctorum corpora requiſiuit & inuenit, quorum etiam conchylia atque ſepulchra verſibus declarauit, & adornauit. Pro, Conchylia, Concilia, reſtituendum eſſe, prædicta ſuadent.

[d] Agrippinæ.] Agunt de ea etiã Græci hac die 23. Iunij eiuſmodi elogio: Sanctę martyris Agrippinæ, quæ in illuſtri vrbe Roma orta & educata, virginitate & fortitudine decorata, & Deo ipſi deſponſata, forti & alacri animo ad martyrij palmam occurrit, & propter amorem & claritatem ſponſi ſui Chriſti multis cruciatibus ſe ipſam tradidit. Itaque virgis cæſa, vinculis, carceribus, & torturis afflicta, in tormentis ipſis animam Deo commendãs, martyr eaceſſit. Eius corpus Baſſa, Paula, & Agathonices clàm ſuſceptum ex vrbe Roma in Siciliam transferentes, repoſuerunt. Cùm primùm verò Sicilia illud accepit, tenebricoſis dæmonum erroribus liberata eſt. Cumque Agareni auſi fuiſſent caſtrum diripere, in quo beatæ martyris corpus ſeruabatur, repentino interitu perierunt. Ea eo tempore ad hanc vſque diem, leproſi cum fide illuc accedentes purgantur, & reliqui morbi S. Agrippinæ interceſſione abiguntur. Hęc in dicto Menologio. Extant eius Acta, quibus eius martyrium vberiùs deſcribitur.

[e] Felicis presbyteri.] De eo item hac die Vſuardus. Extant eius Acta iuncta illis ſanctæ Muſtiolæ, quę leguntur apud Surium tomo 4. die 3. Iulij, & Petrum in catal. lib. 5. cap. vltimo.

[f] Turcius Præfectus.] In veteribus inſcriptionibus in marmoribus inciſis de Turcio Præfecto mentio habetur, vt Romæ ad ſanctos Apoſtolos his verbis: EX AVCTORITATE TVRCII APRONIANI V. C. PRÆFECTI VRBIS, &c. Et in ædibus Capranicis: L. TVRCIO APRONIANO V. C. FILIO LVCII TVRCII APRONIANI, &c. Habes has integrè deſcriptas ab Aldo Manutio in lib. de Orthographia.

[g] Plurimorum ſanctorum martyrum.] Quantum in Chriſtianos ſæuitum ſit Nicomediæ temporibus Diocletiani Imp. qui illic diutiùs conſedit, ſcribit Euſebius lib. 8. c. 1. 2. 3. & 4. & res geſtæ SS. Indes & Domnæ apud Metaph. die vigeſimaſexta Decembris.

[h] Zenonis & Zenæ.] Agunt de his item hac die Græci, in quorum Menologio ipſorum Acta habentur expreſſa: paſſique feruntur ſub Maximiano Imperatore.

[i] Ediltrudis.] De ea hac item die Beda, Vſuard. Ado, & alij recentiores: huius res præclarè geſtas ſcribit Beda de geſtis Anglor. lib. 4 cap. 19. & 20. ibique deſcribitur eius Epitaphium. Agit de eadem Trithem. de vir. illuſtr. ord. S. Bened. lib. 3. cap. 22. Floruit circa annum Domini 680.

24 **Octauo Kalend. Iulij. Luna.** G iij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | | | |

NATIVITAS[a] ſancti Ioannis Baptiſtæ præcurſoris Domini, Zachariæ & Elizabeth filij, qui Spiritu ſancto repletus eſt adhuc in vtero matris ſuæ. Romæ commemoratio ſanctorum plurimorum[b] Martyrum, qui ſub Nerone Imperatore de Vrbis incendio per calumniam accuſati, diuerſo mortis genere ab eodem iuſſi ſunt ſæuiſſimè interfici: quorum alij ferarum tergis contecti, laniatibus canum expoſiti ſunt; alij crucibus affixi; aliique incen-

incendio traditi, vt vbi defeciſſet dies, in vſum nocturni luminis deſeruirent. Erant hi omnes Apoſtolorum diſcipuli, & primitiæ martyrum, quas Romana Eccleſia, fertilis ager martyrum, ante Apoſtolorum necem tranſmiſit ad Dominum. Ibidem ſanctorum martyrum Fauſti[c], & aliorum vigintitrium. Satalis in Armenia ſanctorum martyrum ſeptem fratrum Orentij[d], Herois, Pharnacij, Firmini, Firmi, Cyriaci, & Longini militum, qui à Maximiano Imperatore, eò quòd Chriſtiani eſſent, cingulo militari priuati ſunt, & abinuicem ſeparati, atque in diuerſa loca abducti, in doloribus & ærumnis poſiti quieuerunt in Domino. In territorio Pariſienſi, in vico Chriſtolio, paſſio ſanctorum martyrum Agoardi[e] & Agliberti, cum aliis innumeris promiſcui ſexus. Auguſtoduni depoſitio ſancti Simplicij[f] Epiſcopi & confeſſoris. Laubiis Theodulphi[g] Epiſcopi. Apud Stylum in Calabria ſancti Ioannis[h] cognomento Thereſti, monaſticæ vitæ laude & ſanctitate inſignis.

## IVNII. 24.

Nativitas S. Ioannis Baptiſtę[a].] De qua tam Latini, quàm Græci hac die. Latini olim tribus Miſſis eiuſmodi celebritatem agere conſueuerunt, vt Ordo Rom. Albinus Flac. & Amalarius teſtantur; redduntque rationem vſus priſtini Homilias ſanctorum Patrum tam Latinorum quàm Gręcorum eo die dictas in vnum collectas deſcripſit Lipom. to. 8. & Sur. to. 3. quibus accedunt aliæ eiuſdem generis S. Ambroſij, Auguſtini, Petri Chryſologi, & aliorum. Cur autem non alicuius alterius martyris, aut Prophetæ, Patriarchæ, vel Apoſtoli ortus dies celebretur, docet S. Auguſtinus ſermone ſecundo de natal. Ioan. Bapt. eſt 23. de Sanctis. Extat de eodem natali die egregium carmen Paulini Conſularis, quod intextum habetur in collect. Chriſtianorum poëtarum.

[b] Plurimorum mart.] De his martyribus, & Vrbis incendio, falsò à Nerone illis adſcripto, ipſi etiam Chriſtiani nominis hoſtes, Gentiles hiſtorici ſunt teſtes; è quibus Cornelius Tacitus lib. 15. Annalium hiſtoriæ veritate compulſus, falſas Neronis in Chriſtianos calumnias in ipſum retorquet: id ipſum Suetonius, Dio, & alij omnes ingenuè profitentur: immò id etiam Subrius Flauius eidem Neroni palàm exprobrare non timuit, vt idem Tacitus ſcribit. De eadem Vrbis conflagratione, & Chriſtianorum afflictatione, extat epiſtola Senecæ nomine ad Paulum, de cuius fide in Annalibus egimus pluribus. Neronis ſæuitia tunc in Chriſtianos exhibita ab eodem Tacito breui compendio deſcribitur. Cœpta eſt huiuſmodi tam dira Vrbis incenſio xiiij. Kal. Sextilis, ſexque diebus durauit, Baſſo ac Frugi Coſſ. qui annus à recentioribus numeratur à Chriſto Domino ſexageſimusquintus: contigitque horum martyrium triennio ante paſſionem Apoſtolorum; meritoque primitiæ nobiles Romanorum martyrum eſſe dicuntur.

[c] Fauſti & ſoc.] Agit etiam de his Beda, licet in mendoſo codice Fiſcus pro Fauſto legatur: Ado de his item, ac recentiores.

[d] Orentij & ſoc.] De his item Græci hac die in Menolog. vbi pluribus eorum paſſio recenſetur. De eccleſia Satalorum in Armenia, cuius hîc mentio habetur, S. Baſilius agit in epiſt. 6. ad Terentium, in addit. Cuius fidei conſtantia ſpectatiſſima temporibus perſecutionis Arianorum eadem epiſtola commendatur.

[e] Agoardi & ſoc.] De his item hac die Vſuardus & manuſcripta.

[f] Simplicij Epiſc.] De quo etiam Beda & Vſuard. hac die; pluribus Greg. Turon. de glor. confeſſor. c. 74 76. & 77. Floruit hic temporibus Conſtantij Imp. interfuitque vnà cum S. Seruatio Concilio Agrippinenſi celebrato poſt Conſulatum Amantij & Albini, anno Domini 346. Fuit eiuſdem nominis inſignis meritis Simplicius Epiſc. Bituricenſis, cuius egregias laudes ſcribit Sidonius lib. 7. epiſt. 10. Eſt decimusquintus eius ſedis Epiſcopus.

[g] Theodulphi Epiſcopi.] De eo plura Molanus in addit. ad Vſuardum, & vberiùs in Indiculo Sanctorum Belgij, eiuſque Acta conſcripta fuiſſe à Fulquino abbate teſtatur. Agit de eo Trithem. de vir. illuſtr. ord. S. Benedicti lib. 3. cap. 296. qui eum Rhemenſium Archiepiſcopum fuiſſe dicit: at in tabulis Rhemenſium Epiſcoporum, quas deſcripſit Demochares, nulla prorſus de Theodulpho mentio habetur.

[h] Ioannis.] Extant eius Acta fideliter conſcripta, quæ & mihi enarrata fuerunt ab Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo Cardinali Sirleto, qui & de eius cognomento, cur à metendo Thereſti fuerit appellatus, reddidit ex Actis eius certam rationem. Diuerſus ab hoc eſt Ioãnes Syreſti monachus, qui claruit temporibus Agapeti Papæ, de quo eſt mentio in Actione prima Quintę Synodi.

Septi-

25 Septimo Kal. Iulij. Luna. **A** ij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | | | |

APVD Berœam natalis ſancti Soſipatri [a] diſcipuli beati Pauli Apoſtoli. Romæ ſanctæ Luciæ [b] virginis & martyris, cum aliis vigintiduobus. Alexandriæ ſancti Gallicani [c] martyris, viri Conſularis, qui triumphalibus inſulis ſublimatus, & Conſtantino Auguſto charus, à ſanctis Ioanne & Paulo ad fidem Chriſti conuerſus eſt: qua ſuſcepta, cum ſancto Hilarino ad Oſtia Tiberina ſecedens, hoſpitalitati & infirmorum ſeruitio totum ſe dedit: cuius rei fama in toto Orbe diuulgata, multi vndique illuc venientes videbant virum ex Patricio & Conſule lauantem pauperum pedes, ponentem menſam, aquam manibus effundentem, languentibus ſolicitè miniſtrantem, & cetera pietatis officia exhibentem. Qui poſtmodum ſub Iuliano Apoſtata inde expulſus, Alexandriam perrexit: vbi cùm à Rauciano Iudice ſacrificare cogeretur, & contemneret, percuſſus gladio, Chriſti martyr effectus eſt. Sibapoli in Syria ſanctæ Februniæ [d] virginis & martyris, quæ in perſecutione Diocletiani ſub Lyſimacho Præſide, ob fidem & pudicitiam ſeruandam, primò virgis cæſa, & equuleo torta, deinde pectinibus laniata, atque igne ſuccenſa, demum excuſſis dentibus, mammiſque abſciſſis, capitis damnata, tot paſſionum ornata [e] monilibus migrauit ad Sponſum. Veſontione in Galliis ſancti Antidij [f] Epiſcopi & martyris, qui ob fidem Chriſti à Vuandalis occiſus fuit. Apud Regium ſancti Proſperi Aquitani [g], eiuſdem vrbis Epiſcopi, eruditione ac pietate inſignis, qui aduerſus Pelagianos pro fide Catholica ſtrenuè decertauit. Taurini natalis ſancti Maximi [h] Epiſcopi & confeſſoris, doctrina & ſanctitate celeberrimi. In Hollandia ſancti Adelberti [i] confeſſoris, diſcipuli ſancti Vuillibrordi Epiſcopi. In territorio Guleti prope Nuſcum ſancti Gulielmi [k] confeſſoris, Patris eremitarum Montis Virginis.

## I V N I I 25.

SOSIPATRI [a]. ] De quo Acta Apoſt. c. 10. & Paul. ad Rom. c. 16. Agunt de eodem hac die Beda, Vſuard. Ado, & alij. Hunc Origenes in epiſt. ad Rom. ait ordinatum fuiſſe Theſſalonicenſem Epiſcopum, licet Doroth. in Synop. eum ſediſſe Iconij aſſeueret. Hippolytus etiam libel. de 72. diſcip. Iconij eum fuiſſe Epiſcopum teſtatur. Extat epiſt. Dionyſij ad Soſipatrum.

[b] Luciæ, aliàs Luceiæ, & ſoc.] De his Beda, Vſuardus, Ado; & Petrus in catal. lib. 6. cap. 4. eorum Acta deſcribit.

[c] Gallicani.] De quo Vſuardus & Ado pluribus, conſentiuntque vet. manuſcript. Huius res præclarè geſtæ in Actis ſanctorum Ioannis & Pauli continentur, recitatq; eas Sur. tom. 3. die ſequenti. Geſſit Conſulatum Ouinius Gallicanus anno 25. Conſtantini Imp. qui adſcribitur in Faſtis Onuphrij annus à Chriſto Domino 330. De perarduo illo & difficili bello aduerſus Sauromatas, quod

per Gallicanum confecit Conſtantinus, ſcribit Euſebius in vita Conſtan. lib.4.cap.5.6.& 7.quo bello feliciter geſto, ſecundum meruit Conſulatum; poſt quem ſæculo renuntians, humillimum vitæ genus ob Chriſti amorem ſectatus eſt, Orbe toto mirante. Habetur de Gallicano mentio in libro de Rom. Pont. in Silueſtro, cùm agitur de munificentia Conſtantini. Pluribus de eo egimus in Annalibus Eccleſiaſticis.

[d] Febroniæ. ] De qua etiam Græci hac die in Menologio. Porrò eius Acta recitat Metaphraſtes, quę olim Thomais ſanctimonialis fideliſſimè ſcripſerat; habet eadem Lipom.tom.7.& Sur.tomo 3.die 25.Iunij, Mombritius tom.1.& alij, qui ex prædictis eius Actis accepere.

[e] Tot paſſionum ornata monilibus. ] Vetus Chriſtiana locutio; vnde & Cyprian.de habit. virg. hæc verba: Si in carne ſit gloriandum; tunc planè, quando in nominis confeſſione cruciatur, quando fortior femina viris torquentibus inuenitur, quando ignes, aut cruces, aut ferrum, vel beſtias patitur, vt coronetur: illa ſunt carnis pretioſa monilia; illa corporis ornamenta meliora. Hæc Cyprianus.

[f] Antidij Epiſcopi. ] De eo item Molan. in addit.ad Vſuard. Sigebert. in chron.anno Domini 411. ſed quædam admiſcet apocrypha, & à veritate aliena; quæ cùm magiam magis quàm pietatem redoleant, meritò reiicienda ſunt. Agit de eodem Petrus in catal.lib.8. c. 32. ſed errare conuincitur, dum ait fuiſſe Epiſcopum Turonenſem. Quinam ſederint Turoni vſque ad annum Domini ferè ſexcenteſimum, ſatis explicat Greg. Turonenſis de geſt. Franc. lib.10. cap 31.

[g] Proſperi Epiſc.] De quo Gennadius de vir. illuſtr.c.84. Honorius Auguſtod.& alij qui agunt de ſcrip. Eccleſ. Extat de eo epiſtola Cæleſtini Papæ ad Epiſcopos Galliarum. Eius ſcripta comprobat commendatq; Gelaſius Papa in cap. Sancta Rom diſt. 15. Ado Vien. & alij tradunt hunc fuiſſe ab epiſtolis S. Leoni Papæ, ab eoque ſcripta fertur famoſiſſima illa epiſtola S. Leonis ad Flauianum de Incarnatione Verbi; quod non tantùm Gennadius, Honorius, & alij Latinorum, ſed & Marcellinus Comes teſtatur in chronico ſub Conſulatu Olybrij & Ruſtici. Eius res geſtas collectas à Ioanne Anton. Flamin. recitat Sur. tom.3.hac die. De eius Actis aduerſus Pelagianos & laboribus pro ſcriptis S. Auguſtini ſuſceptis, pluribus egimus in Annal. Meminit de eodem Caſſiod. lib.1.Inſtit. diuin. lect. Ne cui autem errandi detur occaſio, aduertendũ eſt, vixiſſe iiſdem temporibus in Galliis alium eiuſdem nominis Proſperum Epiſcopum Aurelianenſem, ſucceſſorem S. Aniani, ad quem extat ſcripta epiſtola Sidonij Apollinaris 15. libro 6. quem illum eſſe opinamur, qui ſubſcriptus habetur Concilio Vaſenſi, atque Carpentoratenſi. Migrauit S. Proſper, de quo hîc agitur, ex hac vita anno Domini 466. Ex Flaminij ſententia, vel ſexageſimoquinto, vt ſcribit Petrus in catal. lib.6.cap.7.

[h] Maximi Epiſcopi. ] Plura de eodem Gennad. de vir illuſtr. c.40. qui tamen dum ait eum diem obiiſſe Honorio & Theodoſio Impp. omnino errare videtur: nam conſtat perueniſſe ad tempora Valentiniani & Marciani Augg. Reperitur enim interfuiſſe Synodo Mediolanenſi ſub Euſebio eius ciuitatis Epiſcopo, cuius Synodica extat ad S Leonem Papam conſcripta. Præſens fuit etiam Synodo Romanæ habitæ ſub Hilaro Papa, Coſſ. Baſiliſco & Herminerico, an. Domini 465.

[i] Adelberti. ] De eodem Molanus in addit. ad Vſuardum his verbis: In Egmunda partium Hollandiæ S. Adelberti confeſſoris & Leuitæ, regalis ſtirpis Anglicanæ, diſcipuli ſancti prȩſulis Vuillibrordi. Hæc ibi. Pluribus tamen de eius rebus nobiliter geſtis, in Indiculo Sanctorum Belgij: idem exſtare teſtatur eius vitam conſcriptam à cœnobitis Medolacenſibus iuſſu Egberti Epiſcopi Treuerenſis, aliam rurſus manuſcript. per monachum Egmundæ.

[k] Gulielmi. ] Habentur eius Acta nuper edita à R.P. Felice Renda, Priore monaſterij Mõtis Virginis. Migrauit ex hac vita anno Domini 1142.

B Sexto Kalend. Iulij. Luna. 26

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | | | |

ROMÆ in monte Cælio ſanctorum martyrum Ioannis[a] & Pauli fratrum, quorum primus erat Præpoſitus domus, ſecundus Primicerius Conſtantiæ virginis, filiæ Conſtantini Imperatoris: qui poſteà ſub Iuliano Apoſtata martyrij palmam gladio cędente perceperunt. Apud Tridentũ ſancti Vigilij[b] Epiſcopi, qui cùm reliquias idololatriæ penitus extirpare conaretur, à feris & barbaris hominibus lapidum imbre percuſſus, pro Chriſti nomine martyrium impleuit. Cordubę in Hiſpania natalis ſancti Pelagij[c] adoleſcentuli, qui ob confeſſionem fidei iuſſu Abdarameni Sarracenorum Regis forcipibus[d] ferreis membratim præciſus, martyrium ſuum

glo-

Digitized by Google

glorioſè conſummauit. Apud Valencenas paſſio ſanctorũ Saluij [c] Epiſcopi Engoliſmenſis, & Superij [f] martyrum. Item memoria S. Anthelmi [g] Epiſcopi Bellicenſis. In pago Pictauienſi ſancti Maxentij [h] preſbyteri & confeſſoris, qui miraculis claruit. Theſſalonicæ ſancti Dauid [i] eremitæ. Eodem die ſanctæ Perſeuerandæ [k] virginis.

## IVNII 26.

IOannis & Pauli [a].] Agunt de iiſdem hac die Beda, Vſuard. Ado, ac ceteri. Feruntur horum Acta à Terentiano conſcripta, quæ retulit Surius in tom. 3. Mombritius tom. 2. & Petrus in catalogo lib. 6. cap. 9. Vetus eſt Romæ titulus ipſorum nomine, qui & Pammachij dictus reperitur, cuius mentio habetur in Concilio 2. Romano ſub Symmacho Papa: de eo & Gregorius in regiſtro lib. 4. c. 88. in fine. Habuit ibidem S. Gregorius homiliam 34. qui de eadem eccleſia optimè meritus eſt, multaque eſt illi largitus, vt apparet ex antiquis monumentis eius eccleſiæ in marmorea tabula inciſis. Præeſt hodie huic Illuſtriſſimus ac Reuerendiſſimus Antonius Carrafa, eiuſdem tituli Cardinalis ampliſſimus, S.R.E. Bibliothecarius, cuius egregia eruditio, ſpectatiſſima morum integritas, atque pro Chriſtiana religione ardentiſſimum ſtudium, non tantùm titulum illum, ipſamq; Romanam Eccleſiam, ſed totum Chriſtianum orbem illuſtrat. De horum martyrum reliquiis in Gallias tranſlatis tempore Pelagij Papæ, meminit Gregorius Turonenſis de gloria martyrum cap. 83. De baſilica eorumdem martyrum nomine Rauennæ poſita, deque egregio miraculo illic edito meminit Paulus diaconus de geſt. Longobard. lib. 2. cap. 9. & Fortunatus lib. 4. de vita S. Martini, in fine.

[b] Vigilij Epiſcopi.] Vſuardus de eo agens, paſſum refert ſub Conſulatu Stiliconis. Ponitur primus Cõſulatus Stiliconis anno Domini quadringenteſimo, ſecundùm veriorem ſupputationem. Ad hũc, cùm creatus eſt Epiſcopus, S. Ambroſius ſcripſit epiſtolam de inſtitutione Epiſcopi, eſt 24. lib. 3. edition. Rom. qua illud in primis monuit, ne eius eccleſia (vt ait) fieret corpus commune, Gentiles Chriſtianis admiſcendo. Hoc Vigilium conſtat totis neruis curaſſe, ac nauiter impleſſe, atque eam ob cauſam etiam martyrium ſubiiſſe, incumbentibus in id ipſum vnà cum eo Alexandro, Siſinio, & Martyrio, qui antè & ipſi martyrio coronati ſunt, quos idem S. Vigilius ſepeliuit, atque eorum Acta conſcripſit ad Simplicianum Epiſcopum Mediolanenſ. vt teſtatur Gennadius de viris illuſtribus cap. 33. Extant ea apud Lipomanum tomo 2. Mombritium tom. 1. & Surium tom. 3. Legi res geſtas S. Vigilij, quæ extant ante eius commentarios contra Eutychen, quorum eſt exordium: Cùm verò tanti viri, &c. Ibidem præfixa eſt præfatio Curterij, qui eos commentarios edidit. Inibi autem inconſultè nimis fertur ille Vigilius vnus idemque eſſe cum hoc, de quo agimus, martyre; qui (vt vidimus) vixit temporibus ſancti Ambroſij & Simpliciani, & martyr occubuit ſub Conſulatu Stiliconis primo, vel ſaltem ſecundo, qui incidit in annum Domini quadringenteſimum quintum: quando non tantùm Eutychis hæreſis, ſed nec Neſtorij exorta erat. Quomodo ergo potuit hic ſcripſiſſe aduerſus Eutychen, qui diu ante illũ martyr ex hac vita migrauit? Legi illos quinque libros Vigilij aduerſus Eutychen ſcriptos, ex quibus facilè poteſt intelligi, auctorem vixiſſe temporibus Zenonis & Anaſtaſij Imperatorum, quando aduerſus ſacroſanctum Concilium Chalcedonenſe, & epiſtolam ſancti Leonis Papę ad Flauianum grauiſſimę concitatæ ſunt turbæ, poſt annos circiter ſeptuaginta à martyrio S. Vigilij Tridentini. Si alius fuit illis temporibus eiuſdem Eccleſię Tridentinę Epiſcopus eiuſdem nominis, qui & martyrio coronatus ſit, vt habent alia quædam eiuſdem Vigilij Acta breuiùs incerto auctore conſcripta, quæ ſic incipiunt: Vigilius patriâ Romanus, &c. extantque ante libros eius affixa tom. 5. Bibliothecæ ſanctæ: dicendum eſſet, duos diuerſis temporibus, ſed eiuſdem nominis fuiſſe illius ciuitatis Epiſcopos, eoſdemque viros eruditos, & ex eadem cauſa martyres: quod non facilè quis admiſſurus erit. Compertum tamen habemus, eiuſdem nominis Epiſcopum interfuiſſe Concilio Agathenſi in Gallia celebrato ſub Conſulatu Meſſallæ, anno Domini quingenteſimo ſexto, atque eadem circa tempora vixiſſe ſanctum Vigilium Epiſcopum Brixianum, qui poſt ſanctum Philaſtrium, qui ſedit temporibus ſancti Ambroſij, ſeptimus ordine numeratur, quorum tempore illas agitatas eſſe contentiones in Eccleſia, certum eſt. Meminit & Caſſiodorus de alio Vigilio Epiſcopo Africano, claro inter ſcriptores Eccleſiaſticos, de Inſtit. diuin. lect. c. 9. An autem ipſorum aliquis ea ſcripſerit, nihil audeo temerè affirmare. Sanè quidem Gennadius de viris illuſtribus cap. 37. nec non Honorius Auguſtodunenſis, cùm agunt de Vigilio Tridentino, qui ad S. Simplicianum de martyribus libellum ſcripſit, recenſentque eius ſcripta; nullam prorſus faciunt mentionem de libris contra Eutychen ſcriptis, recenſentque eum inter illos ſcriptores Eccleſiaſticos, qui vixerunt temporibus Honorij Imp. ponuntque etiam ante S. Auguſtinum: vt quibus temporibus vixerit, ex his ſaltem poſſit intelligi.

[c] Pelagij.] Paſſus eſt S. Pelagius anno Domini nongenteſimo vigeſimoquinto, ſexto Kalend. Iulij, die Dominico, vt tradit Ambroſius Moral. in addit. ad S. Eulogium ex codice eccleſiæ Toletanæ, Sanctorali ſmaragdino, & antiquis monumentis Tudenſis eccleſiæ. Teſtatur idem auctor, Roſuintham virginem heroico carmine nobile eius certamen ſcripſiſſe; additque plura de eius ſacri corporis tranſlatione Ouetum facta, ęra milleſima ſexageſimaprima, anno Domini milleſimo vigeſimotertio, vj. Id. Nouembris. De eodem

Vaſæus in chron. Hiſpan. in Flore ſanct. Hiſpan. recenſetur eius martyrij hiſtoria ſcripta à Raguele presbytero illi æquali. De eodem agitur in Theſauro concionum tomo 2. hac die.

[d] Forcipibus ferreis.] Triplicis generis erant forcipes quę adhibebantur in carnificinis ſanctorum martyrum. Harum aliæ erant ad incidendum, vt hæ de quibus agimus; aliæ autem ad comprimendum & contorquendum compoſitæ: harum meminit Syneſius Epiſcopus Epiſtola quinquageſimaoctaua, cùm agit de Andronici Præſidis feritate, aitque: Naſi forcipe, auribus apprehendendis & labiis obtorquendis parato inſtrumento, &c. Agit illic item auctor de digitali & pedali tormento, ac de prælo. Tertij generis erant forcipes dentatæ, quæ quidem tribus ferreis aculeis cutem martyris perforabant, cùm ſtringerentur; quæ crudeliter nimis membra carpentes, vellebant. Aſſeruatur hactenus eiuſmodi genus inſtrumenti in baſilica Vaticana inter ſanctorum reliquias, licet ſcorpiones à quibuſdam falsò eſſe credantur: ſed qui verè fuerint ſcorpiones tortorij, diximus ſuperiùs duodecima huius menſis. Meminit & Ioſephus libro de Machab. de forcipe dentata, cùm ait: His dictis, ignea forcipe eius lingua cauteriatur, &c. Huic ſimile erat genus illud cruciamenti, quod Victor libro ſecundo de perſecutione Vuandalica appellat palos dentatos, dum ait: Illicò palis minoribus dentatis iactis in capite, crinibuſque in eiſdem colligatis, ac vehementiùs ſtringentes, ſimul cum capillis omnem pelliculam capitis auferebant. Hæc Victor.

[e] Saluij Epiſcopi.] De eo hac die Vſuardus in editione ſecunda, Molanus autem in prima ad Kalend. Iulij. Eius martyrium contigit anno Domini octingenteſimo primo, vt auctor eſt Sigebertus in chron. qui illud recenſet; Vincentius item libro 24. cap. 24. Antoninus par. 2. tit. 14. cap. 4. §. 11. licet Ambianenſem dicat fuiſſe Epiſcopum. Pluribus autem Molanus in Indiculo Sanctorum Belgij. Fuit eiuſdem nominis Saluius Epiſcopus Albigenſis, & ipſe ſanctitate celebris, de quo plura Gregor. Turonenſis hiſt. Francorum lib. 5. cap. 50. lib. 6. c. 29. lib. 7. cap. 1.

[f] Superij.] De eo Molanus in Indiculo Sanctorum Belgij hæc ait: Sanctus Superius coniungitur ſancto Saluio, cum quo martyr occubuit apud Valencenas.

[g] Anthelmi Epiſcopi.] Extant eius res geſtæ, quas ex priſcorum memoriis recitat Surius to. 3. hac die. Vixit temporibus Alexandri Tertij Romani Pontificis, circa annum Domini milleſimum centeſimum ſexageſimum.

[h] Maxentij.] Agit de eodem hac die Vſuard. Plura de eo Greg. Turonenſis in hiſt. Franc. lib. 2. cap. 37. Sigebertus in chron. anno 506. Petrus in catalogo lib. 6. cap. 14. Floruit temporibus Clodouei Regis Francorum.

[i] Dauid eremitæ.] De quo etiam hac die Græci agunt in Menologio, & multis quidem narrant eius res geſtas: in eoque præcipuè magnam ſibi apud Deum & homines laudem comparaſſe ferunt, quòd frequentem populum ad tuguriolum ſuum aduentantem ſalutaribus imbuens diſciplinis, à peccatis liberos, & ſinceritati Chriſtianæ diſciplinæ reſtituit.

[k] Perſeuerandæ.] Agunt de eadem hac die Vſuardus, atque recentiores.

## * C Quinto Kalend. Iulij. Luna. 27

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | *17 | 18 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | | | |

IN Galatia ſancti Creſcentis [a] diſcipuli beati Pauli Apoſtoli, qui in Gallias tranſitum faciens, verbo prædicationis multos ad fidem Chriſti conuertit: rediens verò ad gentem cui ſpecialiter datus erat Epiſcopus, cùm Galatas ipſos vſque ad finem vitæ ſuæ in opere Domini confirmaſſet, demum ſub Traiano martyrium conſummauit. Cordubæ ſanctorum martyrum Zoili [b] & aliorum decem & nouem. Cæſareæ in Palæſtina ſancti Anecti [c] martyris, qui in perſecutione Diocletiani ſub Vrbano Præſide, cùm aliis ad martyrium hortatus eſſet, & oratione ſua idola proſtraſſet, à decem militibus verberari iuſſus, manibus [d] pedibuſque præciſis, truncatus capite, martyrij coronam accepit. Conſtantinopoli ſancti Sampſonis [e] presbyteri, pauperũ exceptoris. In pago Turonico ſancti Ioannis [f] presbyteri & confeſſoris. Varadini in Hungaria ſancti Ladiſlai [g] Regis, qui clariſſimis miraculis vſque ad diem hodiernum coruſcat.

CRESCENTIS diſcipuli [a].] De eo item hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij; qui omnes teſtantur, Creſcentem non tantùm in Galatia, ſed etiam in Galliis Euangelium prædicaſſe, & Viennenſem, necnon & Moguntinam ſedem erexiſſe, reuerſumque in Galatiam, martyrij corona donatum eſſe. Id enim abſque aliqua ambiguitate profitetur Ado Epiſcopus Viennenſis in chron. de inſtitutione ſedis Viennen. De ſede Moguntina tradit Petrus Cluniacenſis lib. 2. epiſt. 1. Trithem. in vita S. Maximi Epiſc. Mogunt. & ipſæ integræ tabulæ Epiſcoporum Moguntinorum, quas recitat Democbares, aliaque eiuſdem nobiliſſimæ eccleſiæ antiqua monumenta. De prædicatione Creſcentis in Galliis adſtipulatur S. Epiphanius in Panar. hæreſi 51. vbi dum agit de textu epiſtolæ ſecundæ Pauli ad Timotheum c. 4. vbi legit Vulgata: Creſcens in Galatiam: legendum eſſe contendit: Creſcens in Galliam. Sunt hæc verba eius: In epiſtolis ſuis idem Apoſtolus dicit: Creſcens in Galliam. non enim, in Galatiam, vt quidam decepti putant, ſed, in Galliam, legendum eſt. Hęc S. Epiphanius. Cui maximè fauet, quòd Ammianus Marcellinus lib. 15. cùm agit de Gallorum origine, Gallos dictos eſſe Galatas affirmat: ita inquit, Gallos ſermo Græcus appellat. In quam ſententiam & Theodoretus in epiſt. 2. ad Tim. cap. 4. vbi Creſcentem ad Galatas miſſum legens: Sic, inquit, Gallias appellauit. Ceterùm ſcire debemus, Gallos & Galatas, ſicut nomine, ſic re coniunctos fuiſſe: Galataſque coloniam fuiſſe Gallorum, quod pluribus docet Iuſtinus hiſt. lib. 24. & 25. item ſanctus Hieronymus in prooemio lib. 2. comment. in epiſt. ad Galat. Galatiamq; Gallogræciam olim dictam fuiſſe confirmat. De coloniis Gallorum per Brennum in Orientem deductis, agit poſt Iuſtinum Suidas, & alij, vt Clitophor. lib. 1. rerum Galat. Creſcens itaque cùm dicitur profectus in Galatiam; pro Galatia Galliam eſſe intelligēdam, quę dicta ſunt, ſignificant. Ceterùm quòd alij complures per Galatiā, non Gallias, ſed ipſam Minoris Aſiæ prouinciam eſſe ſic dictam intellexerunt; dicere opus eſt, ſi conſultum quoque velimus verbis hîc in Martyrologio poſitis, quòd idem Creſcens, cùm accepiſſet Apoſtolatum in Gallias, Galatas quaſi eiuſdem gentis populos ſibi erudiendos exiſtimauit: ſicque ſecundū prædictorum auctoritatem, eiuſque res geſtas, Gallos primùm, ac Galatas demum imbuit Euangelio. Neſcio quid ſibi velit Dorotheus in Synopſi, cùm ait, Creſcentem Chalcedonis, quę eſt in Gallijs, factum eſſe Epiſcopum. Puto textum eſſe deprauatum, vt pro Vienna, habeat Chalcedonem.

[b] Zoili & ſociorum.] Beda, Vſuardus, Ado, & alij de ijſdem hac die. Zoëllum, vel potiùs Zoilum hunc Prudentius hym. 4. appellat. Eius Acta, & inuentionem corporis deſcribit Surius ex hiſtoria Lucij tom. 7. De eccleſia ab eo denominata, vbi & corpus eius aſſeruatur, ſcribit ſanctus Eulogius in memoria ſanctorum lib. 2. cap. 6. quem ibi functum munere clericatus, teſtatur Aluar. in vita ſancti Eulogij. In Breuiario Toletano eſt ſacer hymnus de Zoilo, qui incipit: Martyris geſta Zoili, &c. De eo etiam Vaſæus in chronic. Hiſpan. Elos ſanct. Hiſpan. Paſſumque ferunt temporibus perſecutionis Diocletiani & Maximiani Imperatorum. Eadem in Theſaur. concion. tom. 2. hac die habentur.

[c] Anecti.] Agunt de eodem Græci diffusè in Menologio hac die. De præfectura Vrbani, de qua hîc habetur mentio, ſcribit Euſebius hiſtor. lib. 8. Ibi & de his quæ dignè paſſus eſt ſæuiſſimus martyrum carnifex.

[d] Manibus pedibuſque præciſis.] Auidius Caſſius tyrannus eiuſmodi genus pœnæ excogitauit aduerſus milites deſertores, aliis manus excidens, aliis crura atque poplites, dicens: maius exemplum eſſe viuentis miſerabiliter crimino ſi, quàm occiſi. Hæc Vulcatius Gal. in Auidio Caſſio. At hæc Chriſtianis non erant ignominiæ notæ, ſed monumenta victoriæ.

[e] Sampſonis presbyteri.] Græci item de Sampſone hac die in Menologio pluribus: eius autem Acta à Metaphraſte deſcripta refert Lipom. to. 6. & Surius to. 3. Numeratur ſolemnitas ſancti Sampſonis inter eas quibus Græci vacarent à iudiciis, ceteriſque negotiis, vt conſtat ex conſtitutione nouella Emmanuelis Imperatoris de feriis: recitat eam Theodorus Balſ. in Nomoc. Phot. tit. 7. cap. 1. De celebri hoſpitali ſancti Sampſonis agit Procopius lib. 1. ædificiorum Iuſtiniani Imperatoris, qui illi multa contulit priuilegia, dicebaturque hoſpitale ſanctę Marię Sampſon, de quo idem Imperator in Authentic. de eccleſiaſt. titul. §. vlt. & Authent. Si quidquid. de impenſ. quæ fier. oport. nouel. coll. 10. conſtit. 59. Ex his quæ ſcribit Procopius dicto lib. 1. de ædif. Iuſtiniani Imp. redarguuntur erroris prædicta Acta Sampſonis à Metaphraſte relata, quibus fertur Sampſon vixiſſe temporibus Iuſtiniani Imperatoris, eiuſdemque hortatione eumdem Imp. erexiſſe xenodochium Sampſonis nomine appellatum. nam Procopius, qui illis vixit temporibus, eaq; ob oculos habuit, teſtatur hoſpitale Sampſonis nomine ab eodem Sampſone erectum, olim incendio conflagraſſe; cumque vix quædam remanſiſſent veſtigia, illud ipſum hoſpitale ab eodem Iuſtiniano Imperatore munificentiùs inſtauratum fuiſſe, cenſuq; annuo ingentis pecunię locupletatum. Cùm autem dicta Acta teſtentur dictum incendium contigiſſe poſt obitum Sampſonis, quando & Sophiæ nobile templum exuſtum eſt; cumque prædictum incendium factum reperiatur temporibus Anaſtaſij Imp. vt auctor eſt Marcellinus in chronico: neceſſe eſt affirmare, longè ante Iuſtinianum Imp. Sampſonem diem obiiſſe. Ex eodem Procopio multò magis redarguitur Cedrenus, dum ait conflagraſſe domum Sampſoniam anno penultimo Iuſtiniani Imp. De miraculis ſancti Sampſonis idem Metaph. vbi ſuprà pluribus agit.

[f] Ioannis.] Scribit de eo Greg. Turonenſis de gloria confeſſ. cap. 23. ex quo ceteri acceperunt, qui de eo agunt.

[g] Ladiſlai Regis.] Hunc Cæleſtinus Papa Tertius recenſuit inter ſanctos. Plura de eo legimus in Breuiario Polonorum, & apud Bonfin. de rebus Hungaricis lib. 4. dec. 2.

xxix. D Quarto Kal. Iulij. Luna. 28

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | | | |

VIGILIA [a] ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli. Romæ ſancti Leonis [b] Papæ ſecundi. Lugduni in Gallia ſancti Irenęi [c] Epiſcopi & martyris,qui(vt ſcribit S.Hieronymus) beati Polycarpi Smyrnenſis Epiſcopi diſcipulus fuit, & Apoſtolicorum temporum vicinus. Is cùm aduerſus hæreticos verbis ac ſcriptis plurimùm decertaſſet, in perſecutione Seueri cum omni ferè ciuitatis ſuæ populo coronatus eſt glorioſo martyrio. Alexandriæ in eadem Seueri perſecutione ſanctorum martyrum Plutarchi [d], Sereni, Heraclidis catechumeni, Heronis neophyti, & alterius Sereni, Rhaidis catechumenæ, Potamiœnæ [e], & Marcellæ eius matris: inter quos præcipuè enituit Potamiœna virgo, quæ primò immenſos innumeroſque agones pro virginitate deſudans, deinde etiam exquiſita & inaudita tormenta pro fide perpeſſa, ad vltimum vnà cum matre igne conſumpta eſt. Eodem die ſancti Papij [f] martyris,qui in perſecutione Diocletiani flagris cæſus, & in lebetem oleo & adipe feruenti plenum iniectus,aliaque horrenda ſupplicia perpeſſus, demum datis ceruicibus coronatur. Traiecti ſancti Benigni [g] Epiſcopi & martyris. Cordubæ ſancti Argymiri [h] monachi & martyris, qui in perſecutione Arabica pro fide Chriſti necatus eſt. Romæ ſancti Pauli [i] Papæ & confeſſoris.

## I V N I I 28.

VIGILIA ſanctorum Apoſtolorum [a].] De qua & Beda, Vſuardus, Ado, Gregorius Turon. hiſt. Franc. lib. 10. c. 31. Amalarius de ord. antiphon. cap. 50. Radulf. de obſer. can. cap. 19. & 21. & alij recentiores, qui agunt de diuin. offic. Venerabilem illam noctem Vigiliarum Apoſtolorum appellat Valentinianus Imperator in epiſtola ad Theodoſium Aug. De iiſdem Vigiliis, præter antiqua monumenta Romanæ Eccleſiæ, legimus vetus atque ſolemne officium Eccleſiaſticum in Breuiario Toletano.

[b] Leonis Papæ Secundi.] De quo hîc Beda, Vſuardus, Ado, ac recenniores. Succeſſit hic ſancto Agarhoni, anno Domini ſexcenteſimo octogeſimoſecundo. Egimus de eo fuſiùs in Annal. Eccleſiaſt. vbi eius Acta per annos ſingulos digeſſimus.

[c] Irenæi Epiſcopi.] Agunt de eodem Beda, ac ceteri qui ſuprà, hac die. Subrogatus eſt hic in locum S. Photini eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, vt teſtatur S. Hieronym. in epiſt. 84. ad Magnum: agit de eo etiam in lib. de Seript. Eccleſiaſt. & in epiſtola ad Theodorum 29. appellat eum virum Apoſtolicorum temporum, Papiæ auditoris Ioannis Euangeliſtæ diſcipulum. Tertullianus lib. contra Valentinum vocat eum omnium doctrinarum accuratiſſimum exploratorem: commendatur etiam à S. Epiphanio in Panar. hæreſ. 24. & 31. qui & eum appellat ſanctiſſimum priſcumq; Theologum, ſucceſſorem Apoſtolorum. Pluribus de eo Euſeb. hiſt. lib. 5. cap. 4. 7. 8. Greg. Turon. hiſt. Franc. lib. 1. cap. 29. & alij recentiores, vt Feuardentius in apparatu operū Irenęi, quę nuper edidit. Latuerunt aliquamdiu tam Acta, quàm etiam ſcripta S. Irenæi; adeò vt neque in Galliis, nec in Italia, licet multùm quęſita, potuerint inueniri, vt ſcribit S. Gregorius in regiſtr. lib. 9. epiſt. 50. ad Ætherium Epiſcopum. Habemus in noſtra bibliotheca tomo 9. Acta martyrij S. Irenæi ac ſociorum eius: eſt illorum exordium: Quamquam nonnullis inuicta, &c. ſed (quod non mediocriter dolemus) vna ſublata pagina, ſunt imperfecta.

[d] Plu-

[d] Plutarchi & ſoc.] De his etiam hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Horum res geſtas ſcribit Euſeb. lib. 6. c. 4. Nicepb. lib. 5. c. 4. & 5.

[e] Potamicenæ.] De qua Euſebius & Niceph. vbi ſuprà. Paſſa hæc eſt temporibus Seueri Imp. Alia ab bac diuerſa eiuſdem fetè nominis eſt Potamœnia dicta, quæ ſubiir martyrium æquè illuſtre tempotibus Maximiani Imp. quod, referente Iſidoro preſbytero, deſcribir Palladius Galata cap. 1. de vit. ſanct. Patrum ad Lauſum.

[f] Papij.] Agunt de eodem hac die Græci in Menologio, ac pluribus eius Acta referunt.

[g] Benigni Epiſcopi.] De ipſo Molanus item agit in addit. ad Vſuard. & Galeſinus ex tab. eccleſiæ Traiectcn. Forraſſe hic ille S. Benignus Epiſcopus, de quo ſcribit Greg. Turon. de gloria confeſſ. cap. 17. Extat epiſtola decretalis Pelagij Papæ Secundi ad Benignum Epiſcopum ſedem mutare cupientem, ac de ea re ſedem Apoſtolicam conſulentem.

[h] Argymiri.] De eo ſcribit S. Eulogius lib. 3. memor. ſanct. c 16. paſſumque tradit æra octingenteſima nonageſimaquarta, anno à Chriſto octingenteſimo quinquageſimoſexto, vt idem auctor teſtatur.

[i] Pauli Papæ.] Succeſſit hic Stephano Tertio, anno Domini ſeptingenteſimo quinquageſimoſeptimo: cetera de eodem in Annal. Eccl. diximus.

## 29 Tertio Kalend Iulij. Luna. E xxviij

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | | | |

ROMÆ natalis ſanctorum Apoſtolorum Petri [a] & Pauli, qui eodem anno, eodemque die paſſi ſunt ſub Nerone Imperatore: quorum prior in eadem vrbe capite ad terram verſo cruci affixus, & in Vaticano iuxta viam Triumphalem ſepultus, totius Orbis veneratione celebratur: alter verò gladio animaduerſus, & via Oſtienſi ſepultus, pari habetur honore. In caſtro Argentomacho ſancti Marcelli [b] martyris, qui pro fide Chriſti vnà cum Anaſtaſio viro militari capite plexus eſt. Genuæ natalis ſancti Syri [c] Epiſcopi. Narniæ ſancti Caſſij [d] eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, de quo ſanctus Gregorius refert, quòd nullus pęnè dies vitæ eius abſcedebat, quo omnipotenti Deo hoſtias placationis non offerret: cui & concordabat vita, quia cuncta quæ habebat, in eleëmoſynis tribuens, in hora ſacrificij totus in lacrymis diffluebat: demum natalitio Apoſtolorum die, quo ſingulis annis Romam venire conſueuerat, cùm Miſſarum ſolemnia celebraſſet, & corpus Dominicum pacemque omnibus dediſſet, migrauit ad Dominum. In Cypro ſanctæ Mariæ [e] matris Ioannis, qui cognominatus eſt Marcus. In territorio Senonenſi ſanctæ Benedictæ [f] virginis.

## IVNII 29.

PETRI & Pauli [a].] De eadem ſolemnitate tam Latini quàm Græci etiam hac die agunt: qui tamen cùm in ea peragenda celebritate aliquantulum tepuiſſent; Feſtus ſenator Romanus, cùm legatum ageret apud Anaſtaſium Imp. indignè id ferens animo, totis viribus operatus eſt, vt frequentiſſimo populo ac ſplendidiſſimo cultu eadem ſolemnitas ageretur, vt auctor eſt Theodorus lector lib. 2. collectaneorum. Bis feſta dies hæc dicitur à Prudentio hymn. 12. atque in ea duplicare ſacra vota conſueuiſſe Romanum Pontificem teſtatur, cùm ait:

*Tranſtiberina priùs ſoluit ſacra peruigil ſacerdos,*
*Mox huc recurrit, duplicatq; vota.*

Ipſum populum frequentiſſimo cœtu vtramque baſilicam tam Petri in Vaticano, quàm Pauli via Oſtienſi ea die inuiſere ſolitum, idem auctor eodem hymno profitetur. Sanctus Ambroſius in hymno huius diei, non duabus tantùm (vt ait Prudentius) ſed tribus viis huiuſmodi feſtum diem Romæ celebrari ſolitum, quaſi tria loca à

populo ea die viſitarentur, teſtatur his verſibus:

*Tanta per Vrbe ambitum*
*Stipata tendunt agmina:*
*Trinis celebratur viis*
*Feſtum ſanctorum martyrum.*

Exiſtimamus etenim, non ſolùm ipſas baſilicas Apoſtolorum hac die populum freqnentaſſe; ſed vel locum vbi Petrus cruci affixus eſt, vel vbi Paulus capite truncatus, aut ipſum carcerem ſacroſanctum redditum, vbi vterque diu detentus eſt (vt hodie videmus) adiiſſe: prædictę enim omnes antiquæ memoriæ non ſolùm in ipſo natali die Apoſtolorum, ſed & per Octauas à cœtu fidelium in hanc diem ardenti pietatis ſtudio viſitantur. Conſtat etiam ad eamdem ſolemnem diem ex diuerſis Orbis regionibus innumerabilem hominum multitudinem, religionis ergô, Romam confluere conſueuiſſe. Hinc Galla Placidia Auguſta ſcribens ad Pulcheriam Imperatricem, cùm reddit cauſam ſui Romam aduentus, hæc ait: Vt Romam frequentibus concurſionibus adæquè deſideremus inſpicere, cauſa nobis eſt amplectendæ religionis, vt terminis ſanctorum noſtram exhiberemus præſentiam: quos certum eſt pro ſua virtute in cæleſtibus conſtitutos, neque inferiora deſpicere. Nos itaque ſacrilegum eſſe credimus, ſi ſolemnium ordinem denegemus, &c. Epiſcopos etiam hincinde ad eamdem ſolemnitatem olim confluere conſueuiſſe, ex epiſtola 13. Paulini ad Seuerum, & 16. ad Delphinum, vbi ſolemnem hanc appellat cònſuetudinem, ſatis exploratum habetur. Vt autem ſemel in anno omnes Epiſcopi limina adirent Apoſtolorum, Anacleti & Zachariæ Papæ decretis ſtatutum eſt; de quo diſtinctione 93. c. Iuxta ſanctorum. Exegiſſe hoc ab Epiſcopis Siculis videtur S. Gregorius ſcribens ad Petrum ſubdiaconum lib. 1. regiſt. epiſt. 70. De iugi protectione Apoſtolorum, qua Vrbs fulciri conſueuit, cùm innumera ſint exempla, ſatis modò ſit locum S. Gregorij Papæ in epiſt. 22. ad Ruſticianam patriciam libro 7. regiſt. prænotaſſe, & quod pulchrè Venantius Fortunatus his verſibus docet:

*A facie hoſtili duo propugnacula præſunt,*
*Quos fidei turres Vrbs caput Orbis habet.*

Quàm autem barbaris Romani Imperij hoſtibus, & Catholicæ fidei aduerſariis Petri & Pauli baſilicæ Romæ in ſuburbiis poſitæ fuerint venerabiles, quantamque erga eas obſeruantiam præſtiterint, dicemus inferiùs in Dedicatione ipſarum. Plura hîc etiam dicenda eſſent aduerſus quorumdam ſententiam, qui licet vna die, non tamen eodem anno coſdem ſanctos Apoſtolos paſſos ferunt: aliaque differenda de eorum rebus geſtis, quæ vulgò circumferuntur, quibuſnam fides vt veris adhibenda ſit, & quæ tamquam apocryphæ refellendæ: ſed cùm non ſint eiuſmodi, vt hîc paucis perſtringi poſſint, contenti erimus eas vberiùs explicuiſſe in Annalibus Eccleſiaſticis, vbi etiam pluribus demonſtrauimus eoſdem ſanctos Apoſtolos ſubiiſſe martyrium Lucio Fonteio Capitone, & Caio Iulio Rufo Coſſ. tertio Kalendas Iulij, anno à Chriſto Domino ſecundùm veriorem ſupputationem ſexageſimonono. De horum martyrio Hegeſippus Iunior de excid. Ieroſol. libro 3. cap. 2. & Acta paſſionis ipſorum, quæ feruntur Lini nomine, agunt.

[b] Marcelli.] De eodem Vſuardus, Petrus in catalogo libro 6. cap. 24. & alij recentiores. Alius adhuc fuit Marcellus martyr Cabilonenſis, clarus in Galliis, de quo Gregor. Turonenſis de glor. mart. cap. 52.

[c] Syri Epiſcopi.] Hunc ſanctus Gregorius libro 4. dialog. cap. 53. appellat martyrem, dum agit de eius eccleſia, quam vetuſtate collapſam, his diebus, Clerici regulares in auguſtiorem amplitudinem reſtituerunt, addideruntque nobile cœnobium; vbi, ſicut & in aliis præcipuis Italiæ ciuitatibus, priſtinam illam Apoſtolicam viuendi formam ex integro redditam ſanctè pieque colunt. Ab eorum Præpoſito R. D. Marco Paraſe, viro ſingulari eruditione & vitæ integritate ſpectatiſſimo, de ſancto Syro & aliis ſanctis eius ciuitatis Epiſcopis hæc antiquitatū digna monumenta inde miſſa percepimus, eademq; teſtata publici Notarij fide, cuius authentica ſcriptura expreſſum habetur, anno Domini 1283. die 8. Ianuarij, cùm ab Ogerio abb. eiuſdem eccleſiæ primarium reſtitueretur altare, quòd eius menſa lapidea perfracta eſſet, tres diſtinctos loculos repertos eſſe, in quibus tria ſanctorum corpora recondita erant. In eorum primo plumbea lamina, quid intus lateret, his deſcripta litteris ſignificabat:

✠ M. S. HIC REQVIESCIT CORPVS SANCTI SYRI EPISCOPI IANVENSIS. OBIIT III. KAL. IVLII. FILIVS ÆMILIANI. In ſecundo autem loculo alia plumbi lamina ſic ſcripta inuenta eſt:

✠ M. S. HIC REQVIESCIT SANCTVS FELIX EPISC. IANVENS. QVI VIXIT ANN. LXX. REXIT EPISCOP. XX. RECESSIT VII. ID. IVLII. In tertio autem loculo nulla erat inſcriptio, ſed (vt habent eadem publica Acta) corpus illic poſitum exiſtimatur eſſe ſancti Romuli eiuſdem ciuitatis Epiſcopi. Accepimus ab eodem eiuſdem ſancti Syri Acta quædam manuſcripta, ſed perpauca ex multis quæ deſiderantur.

[d] Caſſij Epiſcopi.] Agit de eo S. Gregor. in homilia 37. in Euangel. & dialog. lib. 3. cap. 6. & lib. 4. cap. 56. Claruit temporibus Iuſtiniani Imperatoris. Sedere enim cœpit anno eius decimo, migrauitque ex hac vita, eiuſdem anno trigeſimoprimo, prout conſtat ex eiuſdem ſepulturæ epitaphio, quod extat Narniæ in eccleſia cathedrali ſupra ianuam cryptæ ſancti Iuuenalis, vbi & corpus ſancti Caſſij requieſcere creditur. Eſt inſcriptio inciſa in marmore oblongo, in cuius medio Crucis forma expreſſa eſt, itemque duo agni exſculpti, qui ſe è regione aſpiciunt. Creditur S. Caſſius, cùm de ſuo obitu diuinitus eſſet admonitus (vt eſt apud S. Gregorium) ſibi viuenti ſepulchrum poſuiſſe, atque ſuum epitaphium ſex hiſce verſibus conſcripſiſſe:

*Caſſius immeritò Præſul de munere Chriſti,*
*Hic ſua reſtituo terra mihi credita membra.*
*Quem fato anticipans conſors dulciſſima vitæ,*
*Ante meum in pacem requieſcit Fauſta ſepulchrum.*
*Tu, rogo, quiſquis ades, prece nos memorare benigna,*
*Cuncta recepturum te noſcens congrua factis.*

SD. ANN. XXI. M. IX. D. X. RQ. IN PACE. PRID. KAL. IVL. P. C. BASILII. V. C. ANN. XVII. Numeratur hic annus Domini quingenteſimus quinquageſimusoctauus, Iuſtiniani Imp. trigeſimusſecundus. Porrò illa verba poſt car-

mina poſita, Sedit, &c. eo mortuo fuiſſe addita, certum eſt.

[e] Mariæ.] De qua Act. Apoſt. cap. 12. Pluribus in Actis Barnabæ deſcriptis ab Alexandro monacho apud Sur. tom. 3. die 11. Iunij.

[f] Benedictæ.] De eadem Vſuardus hac die: Trithemius de vit. illuſtr. ordinis ſancti Benedicti libro 3. cap. 264. agit de ſancta Benedicta abbatiſſa, cuius ſolemnitas agitur xvj. Kalend. Decembris, quæ videtur ab hac eſſe diuerſa.

30 Pridie Kalend. Iulij. Luna. F xxvij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | | | |

COMMEMORATIO ſancti Pauli[a] Apoſtoli. Lemouicis in Gallia ſancti Martialis[b] Epiſcopi, cum duobus preſbyteris Alpiniano & Auſtricliniano, quorum vita miraculorum ſignis admodum effulſit. Ipſo die ſanctorum Caij[c] preſbyteri, & Leonis ſubdiaconi. Alexandriæ paſſio ſancti Baſilidis[d] ſub Seuero Imperatore: qui cùm ſanctam Potamiœnam virginem, quam ad ſupplicium ducebat, ab impudicorum hominum petulantia tutatus eſſet, religioſi officij mercedem ab ea recepit: nam ipſa poſt triduum illi apparens, & eius capiti coronam imponens, non ſolùm eum conuertit ad Chriſtum, ſed etiam breui agone certantem, ſuis precibus martyrem glorioſum effecit. Romæ ſanctæ Lucinæ[e] Apoſtolorum diſcipulæ, quæ facultatibus ſuis ſanctorum neceſſitatibus communicans, Chriſtianos in carcere detentos viſitabat, ac martyrum ſepulturæ inſeruiebat, iuxta quos & in crypta à ſe conſtructa ſepulta eſt. Ibidem ſanctæ Æmilianæ[f] martyris. In territorio Viuarienſi ſancti Oſtiani[g] preſbyteri & confeſſoris.

## IVNII 30.

COMMEMORATIO S. Pauli.[a]] De ipſa hac item die Beda, Vſuardus, Ado, & alij omnes. Græci autem in Menolog. agunt hac die commemorationem omnium Apoſtolorum. Porrò Latini totam hanc Octauam in laudibus Apoſtolorũ Petri & Pauli impendunt. At licet pridie huius diei tam Petri quàm Pauli agatur ſolemnis celebritas: tamẽ hac potiſſimùm die ſolius Pauli commemorationem fieri debere, ex S. Gregorij Papæ inſtitutione docet Microlog. c. 42. Idemque recentiores, qui agũt de diuinis officiis. Cuius quidem rei gerendæ illa mihi magis probatur cauſa, quæ ex hymno Prudentij 12. ſatis poſſe colligi videtur, dum antiqui vſus meminit, conſueuiſſe nimirum Romanum Pontificem vna eademque die Pontificias functiones in vtraque baſilica exercere. Cum hoc autem propter nimiam locorum inter ſe diſtantiam non ſine nimio ac intolerabili ferè labore perfici poſſe videretur; conſultius viſum eſt, prima die in baſilica Vaticana vtriuſque celebrare ſolemnitatem, ſequenti autem die in baſilica Pauli ſacra peragere, vberiuſque perſoluere, quod pridie ea de cauſa ibidẽ loci videretur omiſſum.

[b] Martialis Epiſc.] De eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Eius Acta circumferuntur ſcripta ab Aureliano eius ſucceſſore; citantur autem, tacito auctoris nomine, ab Innocentio Tertio extra. de ſacra vnctione in fine, vbi & gloſ. Meminit eiuſdem Martialis Gregor. Turonen. lib. 1. hiſt. cap. 30. & de glor. confeſſ. cap. 27. qui tamen inſigniter errat, dum tempore Decij Imp. eum cum aliis, qui illic deſcribuntur, in Gallias veniſſe teſtatur. Meminit eiuſdem Martialis Petrus Cluniacen. lib. 1. epiſt. 2. Petrus in catal. lib. 6. cap. 29. qui tradit eum diem obiiſſe anno tertio Veſpaſiani Imp. De duabus eius epiſtolis nuper inuentis egimus in Annalibus Eccleſiaſt. ibi etiam de Cephæ nomine, quod tribuunt Martiali. Hunc autem non tantùm Lemouicenſis ſedis auctorem, ſed & Anicienſis, Rhutenenſis, Aruernenſis & Mimmatenſis erectorem fuiſſe tradunt. de his Democh. in tabul. Epiſcoporum Lemouicenſium.

[c] Corſici & Leonis.] De his item hac die Vſuardus, & recentiores omnes.

[d] Baſilidis.] Scribit de eo Euſebius hiſt. lib. 6. cap. 4. & Nicephorus lib. 5. cap. 7.

[e] Lu-

[a] Lucinæ.] Agunt de eadem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij: mentio habetur de ipſa in actis ſanctorum martyrum Proceſſi & Martiniani. Alia inſuper vixit Lucina Romana temporibus Diocletiani Imperatoris, quæ non minùs quàm iſta pietatis operibus addicta, celebris fuit; de qua ſæpiùs in Actis ſancti Sebaſtiani, atque in rebus geſtis ſancti Marcelli Papæ agitur.

[f] Æmilianæ.] Erat Romæ titulus S. Æmilianæ, de quo in Concilio primo Romano ſub Symmacho habetur mentio.

[g] Oſtiani.] Agit de eo etiam Vſuardus hac die. Exſtare eius Acta, teſtatur Molanus in additione ad Vſuardum.

# IVLIVS.

xxvj. G Kalendis Iulij. Luna. I

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | | | |

OCTAVA[a] ſancti Ioannis Baptiſtæ. In monte Hor depoſitio ſancti Aaron[b] primi ſacerdotis ordinis Leuitici. In Britannia ſanctorum martyrum Iulij[c] & Aaron, qui poſt ſanctum Albanum in perſecutione Diocletiani paſſi ſunt: quo tempore ibidem quamplurimi diuerſis cruciatibus torti, & ſæuiſſimè lacerati, ad ſupernæ ciuitatis gaudia conſummato agone peruenerũt. Machliniæ paſſio ſancti Rumoldi[d] martyris, Scotorum Regis filij, & Epiſcopi Dublinenſis. Sinueſſæ ſanctorum martyrũ Caſti[e] & Secundini Epiſcoporum. Viennæ ſancti Martini[f] Epiſcopi, Apoſtolorum diſcipuli. Aruernis ſancti[g] Galli Epiſcopi. In territorio Lugdunenſi depoſitio ſancti Domitiani[h] abbatis, qui primus illic eremiticam vitam exercuit, & cùm plurimos ibi in Dei ſeruitio congregaſſet, magnis virtutibus & glorioſis miraculis valdè clarus, collectus eſt ad patres in ſenectute bona. In territorio Rhemenſi ſancti Theodorici[i] preſbyteri, diſcipuli beati Remigij Epiſcopi. Engoliſmæ ſancti Eparchij[k] abbatis. Apud Emeſam ſancti Simeonis[l] confeſſoris, cognomento Sali, qui ſtultus propter Chriſtum factus eſt: ſed altam eius ſapientiam Deus magnis miraculis declarauit.

## IVLII I.

[a] OCTAVA ſancti Ioannis Baptiſtæ.] De ea Beda, Ado, & Rudulphus de obſeru. canon. cap. 19. vbi agit de differentia maiorum ac minorum Octauarum. Numeratur hæc autem inter maiores Octauas.

[b] Aaron ſacerdotis.] Agunt item de eo hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Præter ea quæ in diuinis ſcripturis de eo ſcripta habentur, Ioſephus de ipſo ſcribit lib. 2. Antiquit. cap. 6. & ſequen. & de eius obitu lib. 4. cap. 4.

[c] Iulij & Aaron.] De his vet. manuſcripta. Eorumdem meminit Gilda Sapiens libro de excidio Britan. Beda de geſt. Anglorum libro 1. cap. 7. in fine, Petrus in catalogo libro 6. cap. 53. & alij.

[d] Rumoldi.] Eius Acta ſcriptis mandauit Theodoricus abb. S. Trudonis, vt teſtatur Sigebert. de vir. illuſtr. cap. penult. deſcripſit eadem Sur. tom. 7. hac die. Plura de eodem in vita S. Gummari apud Sur. tom. 5. die 11. Octobris, & Molanus in Indiculo ſanctorum Belgij; atque huius ſolemnitatem agi hac die, auctoritate Alexandri Quarti Romani Pontificis; coronatumque martyrio refert anno Domini ſeptingenteſimo ſeptuageſimoquinto, octauo Kalend. Iulij. Fuit & alius Remoldus dictus, monachus, & ipſe corona martyrij donatus, cuius natalis dies

agitur

agitur ſeptimo Idus Ianuarij: de quo Trithem. de viris illuſtribus ordinis ſancti Benedicti lib. 3. cap. 249.

[e] Caſti & Secundini Epiſcoporum.] Petrus diaconus biblioth. monaſterij Caſſinen. in lib de vir. illuſt cap. 29. hęc ait: Benedictus, qui & Guaiphetus, ſanctitate & religione conſpicuus, ſuauis eloquio, ingenio magnus, & ſermone facundus, ſcripſit ad Troianum Epiſcopum vitam ſancti Secundini, & cantum eius, ſermonem & hymnos de eodem. Rurſum etiā c. 32. hęc ait: Gregorius Tarracinenſis Epiſcopus, paruulus & ipſe in Caſſino oblatus, memoria tenax, ingenio viuax, tantæ fuit grauitatis, ſuauitatis, & eloquentiæ, vt à nonnullis columna diceretur Eccleſiæ: ſcripſit paſſionem ſanctorum Caſti & Caſſij, &c. Habemus Acta eorumdem martyrū incerto auctore, quæ accepimus ab eccleſia Caietana: eſt illorum exordium: Poſtquam beatiſſimi, &c. & ſermonem de iiſdē, cuius eſt exordium: Hodierna die ſolemnitatem, &c.

[f] Martini Epiſcopi.] De quo etiam Beda hac die. Ado Viennen. in chron. anno 101. tertium hunc ponit eius ſedis Epiſcopum, ſucceſſoremque S. Zachariæ, ac prædeceſſorem ſancti Veri.

[g] Galli Epiſcopi.] Scribit de ſancto Gallo Epiſcopo Gregorius Turonenſis de geſt. Francorum lib. 4. cap. 5. & 6. vbetiùs in vita ſanctorum Patrum cap. 6. Eius epitaphium & virtutes egregias ſcripſit carmine Venantius Fortunatus lib. 4. Interfuit per legatum tertio Concilio Aurelianenſi, præſens autem quarto & quinto ſubſcripſit, vt ex illorum monumentis apparet: ex quibus facilè poteſt intelligi, quibus temporibus vixerit: quinta enim Synodus Aurelianenſis celebrata eſt anno triceſimooctauo Regis Childeberti, qui numeratur annus Domini 552. Interfuit etiam Concilio Aruernenſi celebrato poſt Conſulatum Paulini Iunioris, vt eius Acta teſtantur. Ponitur hic in tabulis Epiſcoporum Aruernenſium vigeſimusſeptimus ordine apud Domochar. de ſacrif. Miſſæ.

[h] Domitiani abbatis.] De quo item Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Eius Acta extare teſtatur Trithemius de viris illuſt. ordinis ſancti Benedicti libro 5. cap. 296. Fuit eiuſdem nominis Epiſcopus Tungrenſis, de quo agitur 7. Maij. vbi Molanus de eo, & in Indic. Sanct. Belgij; interfuitque quinto Concilio Aurelianenſi. agit etiam de ipſo Sigebertus in chron. anno 528.

[i] Theodorici.] Agit de eo Vſuardus hac die; eius autem geſta deſcripſit Surius tom. 4. hac die. Claruit temporibus Clodouei Regis Francorum.

[k] Eparchij abb.] De eo item hac die Vſuardus. Acta ipſius, etſi incerti auctoris, tamen veritatem profitentis, refert Sur. tom. 4. hac die. De eo pluribus etiam Gregorius Turonenſis de geſtis Francorum libro 6. cap. 9. Migrauit ex hac vita anno Domini 583. vt ex dicto auctore colligitur. Fuit eiuſdem nominis, ſed longè antè Eparchius Epiſcopus Aruernenſis, ſanctitate inſignis, cui ſucceſſit Sidonius Apollinaris, vt ſcribit idem Gregorius Turonenſis de geſtis Francorum libro 2. cap. 21.

[l] Simeonis Sali.] Agunt de eodem hac die Græci in Menologio. Scripſit eius res geſtas humanum captum excedentes probatiſſimus auctor Leontius Epiſcopus in Cypro, quas deſcripſerunt Metaphraſtes, Lipomanus, & Surius hac die: id etiam teſtantur Acta Synodi ſecundę Nicenæ, vbi Act. 4. de eodem auctore hæc leguntur: Pater, qui lectus eſt, in vna ex ciuitatibus Cypri decenter & ſanctè conuerſatus eſt, multaque encomia & panegyticas illius orationes etiam habemus, inter quas extat oratio de transfiguratione Domini. ſcripſit & Ioannis, Miſericordis appellati, Epiſcopi Alexandrini vitam, præterea beati Simeonis, &c. De eodem Simeone agit Euagrius hiſtor. libro 4. cap. 33. & alij plures.

## 2 Sexto Nonas Iulij. Luna. A 25. xxv.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | | | |

VISITATIO [a] beatæ Mariæ Virginis ad Eliſabeth. Romæ via Aurelia natalis ſanctorum martyrum Proceſſi [b] & Martiniani, qui à beato Petro Apoſtolo in cuſtodia Mamertini baptizati, ſub Nerone, oris contuſionem, equuleum, neruos, fuſtes, flammas, ſcorpioneſque perpeſſi, nouiſſimè gladiò cæſi, martyrio coronati ſunt. Item Romæ paſſio ſanctorum trium [c] Militum, qui in martyrio beati Pauli Apoſtoli ad Chriſtum conuerſi, cum eo cæleſtis gloriæ participes fieri meruerunt. Eodem die ſanctorum martyrum Ariſtonis [d], Creſcentiani, Eutychiani, Vrbani, Vitalis, Iuſti, Feliciſſimi, Felicis, Marciæ, & Symphoroſæ, qui omnes apud Campaniam, cùm Diocletiani Imperatoris perſe-

cutio deſæuiret, martyrio coronati ſunt. Vuintoniæ in Anglia ſancti Suuithuni[e] Epiſcopi, cuius ſanctitas gratia miraculorum effulſit. Bambergæ S. Othonis[f] Epiſcopi, qui Pomeranis Euangelium prædicans, eoſdem conuertit ad fidem. Turonis depoſitio ſanctæ Monegundis[g] religioſæ feminæ.

## IVLII 2.

VISITATIO beatæ Mariç[a].] Hæc quidem ſolemnitas ab Vrbano Papa Sexto inſtituta, & à Bonifacio Nono cõfirmata, vel potiùs publicata eſt; idq́ue occaſione vrgentis ſchiſmatis, ad quod componendum eiuſdem Dei genitricis opem Dei Eccleſia propenſiùs (ea aucta celebritate) ſtuduit implorare: idque anno Domini 1389. Extantq́ue de ea re diplomata excuſa in ſecunda parte Legend. In bibliotheca Vaticana plut. 4. num. 226. nactus ſum tractatum manuſcriptum Ioannis Pragenſis contra Adalbertum eius ſolemnitatis impugnatorem; in quo, cùm plura eruditè diſſerat, texit etiam nonnulla diuina miracula, & certas reuelationes, quibus Deus dictam ſacratiſſimam ſolemnitatem manifeſtiſſimè comprobauit.

[b] Proceſſi & Martiniani.] De quibus etiam Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri recentiores. Horum paſſionis Acta ex antiquis codicibus deſcripſit Mombritius tom. 2 & Surius to. 4. hac die. Erat olim Romę in prędictorum ſanctorum martyrũ honorem erecta baſilica, in qua ſanctus Gregorius Papa habuit homiliam 32. in Euang. vbi & de miraculis ad eorum ſepulchrum fieri conſuetis meminit. Diruta autem prædicta eccleſia, tranſlata ſunt eorum corpora in baſilicam Vaticanam ſancti Petri Apoſtoli, vbi hactenus aſſeruantur.

[c] Trium militum.] Agunt de his item hac die Vſuard. Ado, & alij, adſtipulanturq; vet. manuſc. ex quibus etiam nomina ſingulorum produntur: ſunt autem hęc, Longinus, Aceſtus, & Megiſtus. Mentio prædictorum habetur etiam in paſſionibus Apoſtolorum Petri & Pauli, quibus adſtipulari videtur præclara illa encomiaſtica oratio ſancti Ioannis Chryſoſtomi de Principibus Apoſtolorum. Habetur tomo 5. col. 1533. edit. Niuel. vlt. vbi tamen non tantùm tres, ſed trigintaquinque vnà ſimul coronatos martyrio, refert his verbis: Qualis locus tuum, Paule, ſanguinem excepit, qui lacteus apparuit in eius veſte qui te percuſſit: qui quidem ſanguis barbaricum illius animum reddens melle dulciorem, vt ipſe vnà cum ſociis ad fidem traduceretur, ita effecit? Sit mihi inſtar coronæ gladius ille, qui triginta & quinque viros ſumma ad ſeruiendum alacritate Dęo Domino mancipauit, &c. Hæc ibi.

[d] Ariſtonis & ſociorum.] De his etiam Beda, Vſuardus, Ado, & alij, omnesq; ex Actis ſancti Sebaſtiani martyris, quæ refert Surius tomo primo, 20. Ianuarij, vbi horum paſſiones deſcribuntur.

[e] Suuithuni Epiſcopi.] Scripſit eius res geſtas Gothzelinus, quas retulit Sur. in tom. 4. eas autem ſcriptis mandatas à Lanfrido monacho, prodit catal. ſcrip. Britan. Exceſſit ex humanis anno à Chriſto Domino 862.

[f] Othonis Epiſcopi.] Acta ipſius recitat Surius tomo 4. hac die; ſed alia longè prolixiora eſſe videntur, quæ duobus libris ſcripta dicuntur. De eodem plura Albertus Crantz. in hiſtor. Eccleſ. Saxon. lib. 6. cap. 5. & in Metropol. libro 5. c. 44. & 45. vbi de eius Apoſtolatu ad Pomeranos ei credito à Calliſto Romano Pontifice: in chronic. item Bambergenſ. & hiſtor. Pomer. lib. 4. cap. 17. & ſequent. Extat epiſtola ipſius ad Paſchalem Secundum Romanum Pontificem, qua ſe excuſat, inuitum per manum laicam accepiſſe inueſtituram, petens (ſi placeat) ab eo confirmari, &c. Profitetur in ea ingenuè Apoſtolicæ ſedis auctoritatem. Interfuit hic Concilio Moguntino anno Domini milleſimo centeſimo trigeſimoprimo, vt teſtatur de eo chronic. Hirſaug. Adſcriptus fuit in Sanctorum numerum à Clemente Papa Tertio, anno Domini milleſimo centeſimo octogeſimonono, vt habetur in chronic. Bambergen. Tunc etiam venerandum corpus eius tranſlatum eſt. Migrauit autem ex hac vita anno Domini milleſimo centeſimo trigeſimonono.

[g] Monegundis.] De qua etiã Vſuard hac die. Scripſit eius res geſtas Gregorius Turonen. in vita ſanct. Patr. cap. 19. & de gloria confeſſ. cap. 24.

xxiiij. B — Quinto Nonas Iulij. Luna. 3

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | | | |

ALEXANDRIÆ ſanctorum martyrum Tryphonis[a] & aliorum duodecim. Conſtantinopoli ſanctorum Eulogij[b] & ſociorum martyrum. Cæſareæ in Cappadocia ſancti Hyacinthi[c] cubicularij Traiani Imperatoris, qui accuſatus quòd Chriſtianus eſſet, plagis variè afflictus, & in carcerem truſus,

ibi

ibi conſumptus fame expirauit. Cluſij in Etruria ſanctorum martyrum Irenæi [d] diacorti,& Muſtiolæ matronæ, qui ſub Aureliano Imperatore dñerſis atrocibuſque ſuppliciis cruciati, coronam martyrij meruerunt. Eodem die ſanctorum martyrum Marci [e] & Muciani, qui pro Chriſto gladio cæſi ſunt: quos cùm puer paruulus, ne immolarent idolis, alta voce moneret, verberibus iuſſus eſt cædi: cumque vehementiùs Chriſtum confiteretur, vnà cum quodam Paulo martyres exhortante necatus eſt. Laodiceæ in Syria ſancti Anatolij [f] Epiſcopi, qui non ſolùm religioſis viris, ſed & philoſophis admiranda ſcripta reliquit. Altini ſancti Heliodori [g] Epiſcopi, doctrina & ſanctitate inſignis. Rauennæ ſancti Dathi [h] Epiſcopi & confeſſoris. Edeſſæ in Meſopotamia Tranſlatio ſancti [i] Thomæ Apoſtoli ex India: cuius reliquiæ Ortonam poſteà tranſlatæ ſunt.

## I V L I I 3.

TRYPHONIS & ſoc [a].] De quibus Vſuardus hac die, & manuſcripta agunt.

[b] Eulogij & ſociorum.] Agunt de his etiam hac die Græci in Menologio. Paſſi ſunt autem ſub Valente Imp. ob fidem Catholicam, quam ſtrenuè profeſſi ſunt.

[c] Hyacinthi.] Græci itidem de eo in Menol. ibiq; eius paſſionis Acta compendio deſcribunt.

[d] Irenæi & Muſtiolæ.] De his hac die Vſuardus. Horum Acta ex antiquis codicibus edidit Sur. tom. 4. hac die, Petrus in catalog. libro 6. cap. 48. & alij ex iiſdem.

[e] Marci & Muciani.] De iiſdem etiam Græci hac die in Menologio, vbi pluribus deſcribunt eorum martyrium.

[f] Anatolij.] De eo Vſuardus, Ado, & alij. Euſebius pluribus libro 7. hiſt. cap. 26. Hieron. de ſcript. Eccleſiaſt. & in epiſt. ad Magnum orat. 84. Niceph. biſtor. lib. 6. cap. 36. & ex iiſdem alij deſcripſerunt.

[g] Heliodori Epiſcopi.] Agit etiam de eo Molanus in addit. ad Vſuardum 2. edit. Hic ille, cuius frequenter meminit S. Hieron. ad quem etiam ſcripſit epiſt. 1. de laude vitę ſolitarię, & de obitu Nepotiani epitaphium epiſt. 3. Mentionem facit eiuſdem in epiſt. 2. ad Nepot. & ad Iulianum 37. & pręfat. 110 & 115. Reperitur interfuiſſe Cōc. Aquileienſi, vbi aduerſus ingruentes Arianos vnà cum S. Ambroſio, cōiunctis viribus, ſtrenuè decertauit.

[h] Dathi Epiſcopi.] De eodem hac die tabulæ eccleſ. Rauennatis: pluribus Agnellus & Hieron. Rub. hiſt. Rauen. lib. 1. Claruiſſe eum tradunt temporibus Commodi Imperatoris.

[i] Tranſlatio S. Thomæ.] De qua item hac die Beda, Vſnardus, Ado, & alij tecentiores. S. Thomæ Apoſtoli venerandum corpus tranſlatum olim fuit Edeſſam in Syria, atque in eius honorem ampliſſima eſt erecta baſilica, ad quam ex longinquis remotiſque Orbis regionibus Chriſtiani religionis cauſa confluebāt, vt ſcribit Socr. hiſt. lib. 4. c. 14. & Sozom. lib. 6. cap. 18. De eadem tranſlatione Rufin. lib. 2. cap. 5. Greg. Turonenſis de gloria martyrum cap. 31. & Venantius Fortunatus boc verſu:

*Producens Thomam munus Edeſſa pium.*

His alludit S. Ioannes Chryſoſtomus, cùm in homilia 26. in epiſt. Pauli ad Hebræos, notum eſſe ait, & veneratione habitum ſepulchrum ſancti Thomæ, ſicut & Petri ac Pauli Apoſtolorum. Non omittimus dicere, quòd Hieronymus Oſorius Epiſcopus Siluenſis Luſitaniæ libro 3. res Indicas proſecutus, teſtatur Indos nuper recipientes Euangelium affirmare, penes ſe eſſe corpus S. Thomæ Apoſtoli, à quo olim acceperunt Euangelium, illudque vſque hodie multis fulgere miraculis. Sed cùm de tranſlatione Edeſſam facta luce clarius conſtet; dicere de hoc cogimur, quòd frequenter de aliis reperitur, nempe vnius corporis partes in diuerſa loca diſtributas, occaſionem dediſſe multis opinandi, vel hìc vel alibi contineri vnum idemque corpus. De tranſlatione ſancti Thomæ reliquiarum Ortonam facta, cuius hìc mentio habetur, extat vnà cum vita eiuſdem Apoſtoli, eiuſdemque miraculis libellus editus à Ioanne Baptiſta Ortonenſi. De perenni miraculo Edeſſæ fieri ſolito ad corpus S. Thomę, conſule Petrum in catalogo lib. 6. cap. 44.

xxiij C **Quarto Nonas Iulij. Luna.** 4

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |

OSee[a] & Aggæi Prophetarum. In Africa natalis ſancti Iucundiani[b] martyris, pro Chriſto in mare merſi. In territorio Bituricenſi ſancti Lauriani[c] Epiſcopi Hiſpalenſis & martyris, cuius caput Hiſpalim in Hiſpania delatum eſt. Sirmij ſanctoum martyrum Innocentij[d] & Sebaſtiæ, cum aliis triginta. Madauri in Africa ſancti Namphanionis martyris, & ſociorum, quos ille roborauit ad pugnam, & ad coronam prouexit. Cyrene in Libya ſancti Theodori[f] Epiſcopi, qui in perſecutione Diocletiani ſub Digniano Præſide plumbatis cæſus, & lingua abſciſſa, in pace tandem confeſſor occubuit. Eodem die natalis ſanctorum Flauiani[g] ſecundi Epiſcopi Antiocheni, & Eliæ Epiſcopi Ieroſolymorum; qui pro Synodo Chalcedonenſi ab Anaſtaſio Imperatore in exilium acti, victores migrarunt ad Dominum. Auguſtæ in Rhætia ſancti Vldarici[h] Epiſcopi, miræ abſtinentiæ, largitatis, & vigilantiæ, ac miraculorum gratia illuſtris. Turonis translatio ſancti Martini[i] Epiſcopi & confeſſoris, & dedicatio eius baſilicæ hoc ipſo die, quo etiam is ante aliquot annos in Epiſcopum fuerat ordinatus.

## I V L I I 4.

OSee & Aggæi Prophetarum[a].] De his hac die Beda & Ado, Vſuardus de Oſea tantùm, Græci autem ſeorſum ab inuicem: agunt enim de Oſea xvj. Kalend. Octobris, de Aggæo xvij. Kalend. Ianuarij in Menologio. Præter illa quæ de Oſea in diuinis Scripturis leguntur, agit de eo S. Epiph. lib. de vit. & interit. Proph. cap. 11. Hieronym. in præfat. 121. & in procem. in Oſeam. Apud Iſidor. de vit. & mort. ſanct. cap. 41. Doroth. in Synop. cap. 1. & 10. De Aggæo Ioſephus antiq. lib. 11. c. 4. Epiphan. vbi ſup. cap. 20. Hieron. in procem. in Aggæum, & apud Iſidor. cap. 59.

[b] Iucundiani.] De quo Beda, Vſuardus, Ado, & alij omnes, Petrus item in catal. lib. 6. cap. 54.

[c] Lauriani Epiſcopi.] De eodem iidem qui ſuprà. Vaſæus in chronic. Hiſpan. anno. 544. paſſum refert ſub Totila Gothorum Rege. Pluribus agitur de eo in Flor. ſanct. Hiſpan. & in Theſaur. concion. tom. 2. hac die.

[d] Innocentij & ſoc.] De his item hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores.

[e] Namphanionis & ſociorum.] Sunt hæc ſociorum nomina, Migdon, Sanaën, Lucitas; ceterorum autem ignorantur. Sunt hæ Punicæ voces. Porrò Namphanion, idem quod apud nos, Bonus euentus. Fuit hic præclariſſimus martyr in Africa, adeoq; celebris, vt Archimartyris titulo fuerit inſignitus: in quem præ ceteris Madaurenſes Apuleij conciues idololatræ omne genus blaſphemiæ & contumeliarum iactabant. Extant de his litteræ Maximi Madaurenſis ad Auguſtinum 43. & rurſus Auguſtini epiſt. 44. ad ipſum reſcripta.

[f] Theodori Epiſc.] Agunt de his hac die Græci in Menologio, vbi & eius paſſio recitatur.

[g] Flauiani & Eliæ Epiſcoporum.] Agitur hic de ſecundo Flauiano: primus enim ſedit temporibus Theodoſij in ſchiſmate aduerſus Euagrium; hic autem præfuit eccleſiæ Antiochenæ ſub Anaſtaſio Imp. à quo & diriſſima paſſus eſt; habuitque in eo pro fide Catholica ſuſcepto certamine fortem commilitonem Eliam Epiſcopum Ieroſolymorum: horum ſpectatiſſima virtus teſtimonio ſancti Sabæ laudata, in ſeptima Synodo Act. 5. repetita eſt. Plura de iiſdem Cyrillus monachus in Ioanne Silentiario, in Euthymio, & in Actis ſancti Sabæ abbatis. Niceph. hiſt. lib. 16. cap. 32. 34. 38. hiſt. Miſcel. lib. 15. Cedren. in Anaſtaſio, & alij. De ipſorum autem obitu admiranda ſcribuntur in Prat. ſpirit. cap. 53. vbi habetur, poſt duos dies ab obitu Anaſtaſij Imperatoris prædictos Flauianum & Eliam migraſſe ad Dominum. In Actis autem ſancti Sabæ decem dies ponuntur interceſſiſſe ab eiuſdem Imp. morte,

morte, vſque ad prædictorum exitum; ibidemque babetur, nono die menſis Iulij Anaſtaſium ex hac vita exceſſiſſe: idemque ex Euagrio biſt. lib. 4. cap. 1. exploratum habetur, dum air, eadem die nona menſis Iulij Iuſtinum ſeniorem ex Senatuſconſulto Imperium cepiſſe. Cur itaque hac potiſſimùm die de his agatur, nulla mihi certa ſuppetit ratio, cùm multæ eſſe poſſint, nempe tranſlatio, vel baſilicæ dedicatio, vt de aliis factum videmus. Iam reliquum eſt vt Flauianum ab hæreticorú calumniis vindicemus. Recitat Euag. lib. 3. cap. 31. & ex eo Niceph. lib. 19. c. 18. litteras quaſdam monachorum Palæſtinæ ad Alciſonem de Flauiani lapſu, quaſi ex parte damnaſſet Concilium Chalcedonenſe. Rurſus autem in Actis S. Sabæ, quæ ex Metapbraſte deſcripſir Lipom. to. 5. habetur, quòd coactus ab hæreticis, damnare Synodum Chalcedonenſem. Quod ad litteras monachorum ab Euagrio recitatas ſpectat, ſcias deprauatas eſſe ab hæreticis; quod quiſque, licet cæcutiens, diſſimulare non poterit. Quid eſt quòd ibi dicitur, Flauianum ingenuè profeſſum eſſe Concilium Chalcedonenſe in bis quæ ſpectãt ad damnationem Neſtorij & Eutychis; in his autem quæ eſſent fidei, non item? hæc quidé inter ſe inuicem pugnant, vt ſimul vera eſſe nõ poſſint: nam vtriuſq; bæreſiarchę damnationem recipere, non aliud eſt quàm rectæ fidei normæ ab eodẽ Concilio contra prędictos editę cõſentire. Quid inſuper eſt, quòd idem Euagrius ibidem in fine dicit, Flauianum ab hæreticis in exilium eſſe pulſum; niſi ipſum illis aduerſarium demonſtraſſe? Quæ item ſequenti c. 32. ſcribit Euagrius de conſtantia Flauiani pro Chalcedonẽſi, prędicta omnia aduerſus illum conficta mendacij arguunt. Quòd item ex vita Sabæ lapſus Flauiani comprobari videatur; locum illum ab aliquo nebulone deprauatum ac mutilatú eſſe, Acta Nicænæ ſecundæ Synodi manifeſtè declarãt. In Actione enim prima eius Synodi idem locus hiſce verbis deſcriptus habetur: Itaque variis modis Flauianũ afflixerunt & vexatunt; cogentes interim & obtorto collo huc trahentes, vt Acta Chalcedonenſis Concilij anathemate proſequeretur: quo nolente, Epiſcopatu ſuo priuatus, in exilium quoque damnatus eſt. Hæc ibi; quibus quidem Seuerianorum impoſtura de Flauiani lapſu detegitur. Marcellinus Comes in chron. exilium Flauiani nulla alia ex cauſa contigiſſe teſtatur, niſi quòd Seuerianorú procellę, qui Sydone conuenerant, ſe viriliter oppoſuiſſet. Qua autem æſtimatione poſt mortem ab Orthodoxis habitus ſit Flauianus, conſule Acta Synodi Conſtantinopolitanę, quæ celebrata eſt Iuſtino Aug. & Euthario Coſſ. vbi totius populi feſtiuas acclamationes de S. Flauiano reperies; quibus, vt eius nomen ab hęreticis etaſum reſtitueretur in diptycha, eiuſque venerandæ reliquiæ transferrentur, petitum ſæpius eſſe cognoſces. Non tantùm Flauianus, ſed & Elias, de quo agimus, iiſdem aſperſus calumniis ab hæreticis reperitur, quibus inconſultè nimis fidem adhibens Theodorus lector lib. 2. collectaneorum hæc ſcribit: Ipſe ſolus Neſtorium, Eutychen, Diodorum, & Theodorum, & Synodum Chalcedonenſ. anathemate condemnauit. Hæc ille. Sed quæ hæc aduerſantiú ſibi rerum confarcinatio? Si damnauit Eutychen & Neſtorium; damnantem illos Synodum Chalcedonenſem ſuſcepiſſe oportuit. At litteræ eius ad Anaſtaſium Imp. ceteræque res geſtę ipſius à Cyrillo monacho in Actis S. Sabæ relatæ, Acta Synodica, ac ceterorum teſtimonia, non tantùm ab omni hæreſeos ſordis labe purgatum reddunt; ſed adeò illi fauent, vt cognoſcas perditiſſimis illis temporibus, inter tot naufragia Epiſcoporú, ipſum ſolum cum Flauiano Antiocheno, & Ioanne Epiſcopo Palti ſteriſſe intrepidum aduerſus innumeras hæreticorum phalanges. Hæc autem pluribus in Annalibus Eccleſiaſticis pertractauimus.

[h] Vldarici Epiſc. ] De eodem Beda, licet pro Vldarico legat, Valricum: Ado de eodem, & alij. Scripta ſunt eius Acta à Bernone abbate, quæ habet Sur. tom. 4. hac die. De eo item Sigeber. in chron. anno 976. Trithem. de vir. illuſtr. ordinis S. Bened. lib. 3. cap. 223. & lib. 4. cap. 212. Diem obiit anno Domini 973. ſuæ ætatis octuageſimo, ordinationis quinquageſimo.

[i] Tranſlatio S. Martini. ] De ea etiam Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Rei geſtę hiſtoriam deſcribit Greg. Turonen. hiſt. de geſt. Franc. lib. 2 c. 14. & lib. 10 cap. 31. in Perpetuo Epiſcop. Turonenſ. Hæc eſt enim illa tranſlatio, quæ à præfato Perpetuo Epiſcopo facta eſt; qui in nouam auguſtioremque baſilicam à ſe ędificatam beatiſſimi Martini corpus tranſtulit 4. Non. Iulij. Nam & aliàs, irruentibus in Galliam Danis, S. Epiſcopi corpus in Burgundiam ad tempus tranſlatum fuit, atque inde poſtmodum, ceſſantibus illorum incurſionibus, Turonos relatú eſt. Eius rei geſtæ hiſtoriam narrat S. Odo Cluniac. abbas, ſcribens ad Fulconem.

5 **Tertio Nonas Iulij. Luna.** D xxij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | | | |

ROMÆ ſanctæ Zoæ [a] martyris, vxoris beati Nicoſtrati martyris, quæ dum ad Confeſſionem beati Petri Apoſtoli oraret, ſub Diocletiano Imperatore à perſecutoribus artata, & in cuſtodiam obſcuriſſimam truſa, deinde collo & capillis in arbore ſuſpenſa, adhibito ſubter horribili fumo, in confeſſione

Aa 3 Do-

Domini emiſit ſpiritum. In Syria natalis ſancti Domitij[b] martyris, qui virtutibus ſuis multa incolis præſtat beneficia. Cyrene in Libya ſanctæ Cyrillæ[c] martyris, quæ in perſecutione Diocletiani ardentes carbones cum thure ſuper manum poſitos diu tenuit, ne prunas excutiendo, thus obtuliſſe videretur: deinde ſæuiſſimè laniata, proprio ſanguine decorata migrauit ad Sponſum. Ieroſolymis ſancti Athanaſij[d] diaconi, qui pro ſancta Synodo Chalcedonenſi ab hæreticis comprehenſus, & omnium cruciatuum genera expertus, ferro tandem necatus eſt. In Sicilia ſanctorum martyrum Agathonis[e] & Triphinæ. Tomis in Scythia ſanctorum martyrum Marini[f], Theodoti, & Sedophæ. Treuiris ſancti Numeriani[g] Epiſcopi & cõfeſſoris. Apud Septempedanos in Piceno ſanctæ Philomenæ[h] virginis.

## IVNII 5.

ZOÆ[a].] De ea etiam hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri omnes. Eius Acta intexta habentur martyrio ſancti Sebaſtiani apud Surium tom. 1. 20. Ianuarij. De Confeſſione S. Petri Apoſtoli, de qua hîc habetur mentio, vide quæ habentur notata die ſequenti in Tranquillino, cùm agitur de Confeſſione S. Pauli Apoſtoli; ibi de vtriuſque Confeſſionibus plura.

[b] Domitij] Agunt de eodem hac die iidem qui ſuprà auctores. Alius hic videtur ab illo de quo Gregorius Turonen. de gloria mart. cap. 100. agit.

[c] Cyrillæ.] De qua & Græci in Menologio hac die, ibique eius paſſionis Acta ſummatim referunt his conſentientia, quæ hîc narrantur.

[d] Athanaſij diaconi.] Huius initum pro Catholica fide certamen, conſummatumque martyrium deſcribit Nicephorus hiſt. lib. 15. c. 9. Agunt Græci hac die de alio Athanaſio abbate.

[e] Agathonis & Triphinæ.] De his etiam hac die Beda, & alij recentiores.

[f] Marini & ſociorum.] Agunt de his item Beda, & alij qui ſuprà auctores.

[g] Numeriani Epiſcopi.] Recenſet eumdem hac die Molanus in addit. ad Vſuardum. Succeſſit hic S. Rodoaldo. Claruit circa annum Domini ſexcenteſimum quadrageſimum.

[h] Philomenæ.] Huius corpus honorificè aſſeruatur & colitur apud Septempedanos, nunc Seuerinates dictos, in eccleſia S. Laurentij, quò Totilæ Regis Gothorum tempore tranſlatum fuit à S. Seuerino Epiſcopo, vt vetus inſcriptio docet, quæ vnà cum corpore reperta eſt ſub maiore altari anno Domini 1527. cùm illud in elegantiorem formam reſtitueretur, procurante Antonio S.R.E. Cardinale de Monte.

xxj. E Pridie Nonas Iulij. Luna. 6

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | | | |

OCTAVA[a] ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli. In Iudæa ſancti Eſaiæ[b] Prophetæ, qui ſub Manaſſe Rege ſectus[c] in duas partes occubuit, ſepultuſque eſt ſub quercu Rogel iuxta tranſitum aquarum. Romæ natalis ſancti Tranquillini[d] martyris, patris ſanctorum Marci & Marcelliani, qui ad prædicationem ſancti Sebaſtiani martyris conuerſus ad Chriſtum, à beato Polycarpo preſbytero baptizatus, & à ſancto Caio Papa preſbyter ordinatus eſt. Is cùm ad Confeſſionem[e] beati Pauli die Octauarum Apoſtolorum oraret, ſub Diocletiano Imperatore à Paganis tentus & lapidatus, martyrium conſummauit. Feſulis in Tuſcia ſancti Romuli[f] Epiſcopi & martyris, diſcipuli beati Petri Apoſtoli, qui ab eodem

miſſus

miſſus ad prędicandum Euangelium, cùm in multis Italię locis Chriſtum annuntiaſſet, rediens Feſulas, ſub Domitiano Principe martyrio coronatus eſt cum aliis ſociis. In Campania ſanctæ Dominicæ[g] virginis & martyris, quæ ſub Diocletiano Imperatore cùm fregiſſet idola, ad beſtias damnata, ſed ab illis nil læſa, demum capite obtruncata migrauit ad Dominum: cuius corpus Tropeæ in Calabria ſumma veneratione aſſeruatur. Eodem die ſanctæ Luciæ[h] martyris, quæ natione Campana, à Rixio* Vicario tenta, & acriter cruciata, eumdem conuertit ad Chriſtum: quibus adiuncti ſunt Antoninus, Seuerinus, Diodorus, Dion, & alij decem & ſeptem, qui in paſſione collegæ, & in corona fuere conſortes. In pago Treuirenſi ſancti Goaris[i] presbyteri & confeſſoris. *Varo

## IVLII 6.

OCTAVA ſanctorum Apoſtolorum[a].] De qua Beda, Ado, & alij recentiores, vt inter alios Radulph. Tung. de obſeruat. canon. cap. 19. Eſt de eadem antiqua mentio in Actis ſancti Tranquillini martyris in martyrio S. Sebaſtiani. Exſtat ſermo S. Leonis Papæ eadem die habitus, quo demonſtrat, ea Octauarum die anniuerſaria repetita, populum conuenire conſueuiſſe ad perſoluendas gratias pro liberata Vrbe à furore Attilæ: quod ibi S. Leo non obſcurè ſignificare videtur.

[b] Eſaiæ Prophetæ.] De eodem Beda, ac ceteri Latinorum hac die, Græci autem ad ſeptimum Idus Maias in Menologio. Præter illa quæ de Iſaia leguntur in diuinis Scripturis, Ioſephus etiam Antiquitat. lib. 10. de eodem agit: S. Zeno Veronenſis Epiſcopus ſermonem habuit 28. de Eſaia, ac ſæuiſſima eius cæde. Cur autem in diuinis Scripturis nulla mentio habeatur de nece Prophetarum, quam Dominus Iudæis exprobrat apud Matthæum cap. 23. conſule Origenem, cùm de Suſannæ hiſtoria agit, ſcribens ad Africanum. De eodem Eſaia Epiph. lib. de vita & obitu Prophet. cap. 7. Doroth. cap. 14. De reliquiis eiuſdem Prophetæ aduectis Panneadem, collocatiſque in baſilica S. Laurentij, anno tricesimoquinto Theodoſij Iunioris Imperatoris, ſcribit Cedren. in comp. eo anno.

[c] Sectus in duas partes.] Peremptos eſſe eiuſmodi ſæuiſſimo ſupplicij genere non tantùm ſanctos antiquæ legis, teſtimonio ſancti Pauli in epiſtola ad Hebræos c. 11. exploratum habetur: ſed & quamplurimos martyres eodē affectos eſſe, certiſſimum eſt. Hoc ſuppliciū licet irrogatum lege xij. tabularum conſtet: aliquem tamen ſectum fuiſſe, nec ſe legiſſe vel audiſſe, teſtatur Gellius l. 12. c. 2. Barbaricam potiùs quàm Romanam eam fuiſſe ſæuitiam, Val. Max. monſtrare videtur lib. nono, cap. 2. exter. 4. Primus qui hoc tam immane ſpectaculum oculis Romanorum ingeſſit, reperitur fuiſſe Caius Caligula, de quo Suet. c. 27. in Caio.

[d] Tranquillini.] Agunt de eodem Beda, Vſuardus, Ado, & alij omnes. Habentur eius res geſtæ in Actis ſancti Sebaſtiani.

[e] Cùm ad Confeſſionem.] De Confeſſionibus Apoſtolorum hæc Caſſiodorus Var. libro 10. epiſt. 2. Tenemus aliquid Apoſtolorū proprium, ſi peccatis diuidentibus non reddatur alienum: quando Confeſſiones illas, quas videre vniuerſitas appetit, Roma felicior in ſuis finibus habere promeruit. Hæc Caſſiod. Quod autem ad ipſum nomē ſpectat, Confeſſio apud nos idem eſt, quod apud Græcos Martyrium: quamuis nō idem prorſus apud illos, qui apud nos, earum vocum ſenſus ſit. Nam Græci Martyrij nomine nonnumquam totam baſilicam martyribus dicatam appellant; vt videre eſt ex Chalcedonenſi Concilio, vbi ſępè de Martyrio ſanctæ Euphemiæ fit mentio, & apud alios ſæpiſſimè. Martyrium enim appellandum eſſe locum in quo martyr ſepultus ſit, habetur ex L. vlt. de ſepulcbris violatis, Codic. Theod. Non tantùm eccleſiæ in honorem martyrum erectæ Martyrium dici conſueuerunt, ſed & aliæ: nam auctor eſt Cyrillus catech. 14. eccleſiam Ieroſolymis, Reſurrectionis appellatam, in Golgotha poſitam, Martyrion eſſe dictam: qui etiam, cur eo dicta ſit nomine, declarat. Latini verò (quod viderim) partem tantùm illam in eccleſia, vbi conditæ ſunt reliquiæ ſub altari, non ipſam integram eccleſiam appellant Confeſſionem. Factum eſt aliquando, interpretis errore vim Latinæ vocis minimè aſſecuti, vt quod Græci pro eccleſia martyrum, Martyrium dixerunt, ille eamdem vocem Latinè dixerit Confeſſionem, vt apparet in cau. 20. Concilij Gangrenſis, prioris editionis, in quo cùm Græcè legatur, τὰς συνάξεις τῶν μαρτύρων, hoc eſt, martyrum conuentus, interpres Confeſſiones martyrum tranſtulit, pro eccleſiis martyrum. Non igitur Latini baſilicam, Confeſſionis nomine aliquando intellexerunt, vt falsò ex illo canone nonnulli ſunt arbitrati; ſed magis ea ſignificatione ea vox dicta reperitur, vt locus ille intelligeretur ſub maiori altari poſitus, quo reliquiæ ſanctorum martyrum, ſeu integra ipſorum corpora conderentur; idque ex antiquo vſu Eccleſiæ, & Apoſtolica traditione, ſecundùm illud Apocalypſis cap. 6. Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter Verbum Dei, & propter teſtimonium quod habebant, &c. Hoc itaque ſenſu liber de Romanis Pontificibus in Hilaro Papa ait: In oratorio S. Crucis fecit Confeſſionem, ibi poſuit lignum Domini: in Confeſ-



Digitized by Google

ſione fecit argenteas ianuas, &c. Pluribus ibidem de Confeſſione facta in oratorio S. Ioannis Baptiſtæ, & alia in oratorio S. Ioannis Euangeliſtæ. In eodem ſenſu idem liber in Sixto, his verbis: Fecit Confeſſionem beati Laurentij martyris cum columnis porphyreticis, & ornauit tranſennam, & altare, & Confeſſionem ſancti martyris Laurentij de argento puriſſimo, &c. Sunt & alia de his innumera loca, quæ breuitatis cauſa referre omittimus. In hoc itaque ſenſu illa verba hîc poſita accipienda ſunt, quibus dicitur: Cùm oraret ad Confeſſionem beati Pauli. ad locum ipſum videlicet, vbi ſacrum corpus eius eſſet poſitum. Latini eccleſias in honorem ſanctorũ martyrum erectas, non Martyria, nec templa, ſed magis proprio vocabulo Memorias dicere conſueuerunt. Vnde S. Auguſtinus de ciuitate Dei lib. 22. cap. 10. Nos, inquit, martyribus noſtris non templa, ſicut diis, ſed Memorias, ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt ſpiritus, fabricamus. Hæc Auguſtinus, qui eo nomine frequenter eſt vſus. Caius antiquus Theologus ipſas quas dicimus Confeſſiones Petri & Pauli, Apoſtolorum Trophæa appellat apud Euſebium hiſt. lib. 3. cap. 24.

[f] Romuli Epiſcopi.] Huius Acta ex antiquioribus monumentis nuper edidit R. D. Franciſcus Cattaneus Epiſcopus Feſulanus. De eodem S. Antoninus plura in prima parte tit. 6. cap. 26. §. 4. Volaterranus, & alij.

[g] Dominicæ virginis.] De qua hac etiam die Maurolycus & Galeſinius pariter agunt.

[h] Lucię & ſociorum.] Agunt de his item Gręci in Menologio hac die, vbi pluribus horum Acta deſcribunt.

[i] Goaris.] Beda de eodem agit hac die. Huius res geſtæ à Vuandelberto diacono ſcriptis mandatæ extant apud Surium tomo 4. hac die. Scribit de eodem Sigebertus in chron. anno 600. Regino in chron. in Mauritio, Vincent. Spec. lib. 22. cap. 13. & Petrus in catalogo libro 6. cap. 62.

xx. F Nonis Iulij. Luna. 7

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28
t u A B C D E f F G H M N P
29 30 1 2 3 4 5 6 6 7 8 9 10 11

ROMÆ ſanctorum martyrum Claudij[a] commentarienſis, Nicoſtrati primiſcrinij[b], Caſtorij, Victorini, & Symphoriani, quos ſanctus Sebaſtianus ad fidem Chriſti perduxit, & beatus Polycarpus preſbyter baptizauit. Eoſdem in perquirendis ſanctorum martyrum corporibus occupatos Fabianus Iudex comprehendi iuſſit, & per decem dies minis & blãditiis exagitans, cùm in nullo penitus poſſet commouere, iuſſit tertiò torqueri, ac poſteà in mare præcipites dari. Dyrrachij in Macedonia ſanctorum martyrum Peregrini[c], Luciani, Pompeij, Heſychij, Papij, Saturnini, & Germani, qui natione Itali, in perſecutione Traiani ad eam vrbem confugientes, cùm ſanctum Aſtium Epiſcopum ibi pro fide Chriſti in cruce pendentem viderent, Chriſtianos ſe eſſe palàm confeſſi, iuſſu Præſidis tenti, atque in mare demerſi ſunt. Alexandrię natalis ſancti Pantæni[d], viri apoſtolici, & omni ſapientia adornati: cui tantum ſtudij & amoris erga verbum Dei fuit, vt etiam ad prædicandum Chriſti Euangelium gentibus quæ in Orientis vltimis ſeceſſibus reconduntur, fidei & deuotionis calore ſuccenſus profectus ſit: ac demum Alexandriam reuerſus, ſub Antonino Caracalla in pace quieuit. Brixiæ ſancti Apollonij[e] Epiſcopi & confeſſoris. In Saxonia ſancti Vuillebaldi[f] primi Eiſtetenſis Epiſcopi, qui vnà cum ſancto Bonifacio laborans in Euangelio, multas gentes conuertit ad Chriſtũ. Aruernis ſancti Illidij[g] Epiſcopi. Vrgellæ in Hiſpania Tarraconenſi ſancti Odonis[h] Epiſcopi. In Anglia ſancti Heddæ[i] Epiſcopi Saxonum Occidentalium. Ibidem ſanctæ Edilburgæ[k] virginis, Anglorum Regis filiæ.

IV-

CLAVDII, Nicoſtrati, & ſoc.[a]] De his hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij omnes. Horum pro fide Chriſti agones narrantur in Actis S. Sebaſtiani, apud Sur. tom. 1. Diuerſi omnino ſunt hi ab illis martyribus, qui iiſdẽ nominibus ſunt appellati, agiturque natalis eorum inferiùs ad ſex. Idus Nouembr. prout diuerſa ipſorum Acta declarant.

[b] Primiſcrinij.] Diuerſi ordinis Primiſcrinios poſitos habes in Notitia Prouinciarũ Imp. Rom. Omnes militabant ſub officio Comitis rerum priuatarum: ſunt hi: Primiſcrinius beneficiorum, Primiſcrinius Canonum, ſeu rationum, Primiſcrinius ſecuritatum, ac Primiſcrinios largitionum priuatarum. Erat & Magiſter Scriniorum memoriæ, epiſtolarum & libellorum. Erant & Primiſcrinij diuerſorum magiſtratuum tum Palatinæ, tum etiam Caſtrenſis militiæ. Erat & ſchola Scriniariorum, eorum ſcilicet, qui ſcriniis, hoc eſt, arcis publicis ſcripturarum præerant. Primiſcrinij emeriti promouebantur inter Notarios & Tribunos: id habes ex Caſſiod. Var. lib. 11. c. 20. & 21. ibi de forma Primiſcrinij, qui accedit, deque eo qui egreditur. Horum magiſtratuum frequens eſt mentio in Codice Theodoſ. & Iuſtinianeo, necnon in Nouellis eiuſdem.

[c] Peregrini, Luciani, & ſoc.] Agunt de his hac item die Græci in Menologio, vbi eorum acta pluribus deſcribuntur.

[d] Pantæni.] De quo & Beda, Vſuard. Ado, ac ceteri Latinorũ. Plura de Panteno Euſeb. hiſt. l. 4. c. 10. & 11. Ante eum Clemens Alex. eius diſcipulus lib. 1. Strom. circa principium, licet ipſum expreſſè non nominet; Hier. de ſcript. Eccleſ. & in epiſt. ad Magnum orat. 84. Niceph. hiſt. lib. 4. c. 32. lib. 5. c. 10. 13. & 18. & alij recentiores. Nos quoq; de eo pluribus egimus in Annal. Eccleſiaſt.

[e] Apollonij Epiſcopi.] De quo tabulæ eccleſ. Brixianæ, vnde & Galeſinius hac die. Numeratur hic quintus ordine eius eccleſiæ Epiſcopus.

[f] Vuillebaldi Epiſc.] De eodem hac die Ado & alij. Scripſit præclaras res geſtas ipſius Reginoldus Epiſcopus: ipſe verò vitam S. Bonifacij Epiſcopi Moguntini, cui acceſſit ſocius prædicationis, ſcriptis mandauit. De eo Trithem. de vir. illuſt. ord. S. Bened. lib. 3. c. 187. Vixit temporibus Gregorij Tertij, & Zachariæ Romanorum Pontificum, circa annum Domini 755.

[g] Illidij Epiſc.] Agit de eo Gregor. Turon. qui eum mirificè laudat lib. 1. hiſt. Franc. c. 45. pluribus tamen in vit. ſanct. Patr. cap. 2. Numeratur hic quartus eius ſedis Epiſcopus in tabul. à Democh. deſcriptis.

[h] Odonis Epiſcopi.] De eo mentio habetur in Flore ſanct. Hiſpan. ibique agi hac die natalem eius, auctor teſtatur.

[i] Heddæ, aliàs Heddi Epiſcopi.] De eo Beda de geſt. Angl. lib. 3. c. 5. & lib. 5. cap. 19. Trithem. de vir. illuſt. ord. ſancti Benedicti lib. 1. cap. 164. Migrauit ex hac vita anno Domini 705.

[k] Edilburgæ.] De ea etiam Beda de geſt. Angl. lib. 3 cap. 8. & lib. 4. c 9. Trithem. vbi ſuprà lib. 3. c. 74. Alia rurſus fuit Edilburga ſoror S. Erchonualdi Epiſcopi, de qua item Trithem. eodem libro cap. 220. eamque claruiſſe refert anno Domini ſexcenteſimo octogeſimo.

8 Octauo Idus Iulij. Luna. G xix.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |

IN Aſia Minori ſanctorum Aquilę [a] & Priſcillæ vxoris eius, de quibus in Actibus Apoſtolorum ſcribitur. In Portu Romano ſanctorũ quinquaginta [b] Militum Martyrum, qui in confeſſione ſanctæ Bonoſæ ad fidem adducti, & à beato Felice Papa baptizati, in perſecutione Aureliani occiſi ſunt. In Palæſtina ſancti Procopij [c] martyris, qui ſub Diocletiano Imperatore ab Scythopoli ductus Cæſaream, ad primam reſponſionum eius confidentiam à Iudice Fabiano capite cæſus eſt. Conſtantinopoli paſſio ſanctorum monachorum [d] Abrahamitarum, qui ob cultum ſanctarum imaginum reſiſtentes Theophilo Imperatori, martyrium conſummarunt. Herbipoli in Germania ſancti Chiliani [e] Epiſcopi, qui à Romano Pontifice ad prædicandum Euangelium miſſus, cùm multos ad Chriſtum perduxiſſet, vnà cum ſociis Colomanno presbytero & Totnano diacono trucidatus eſt. Treuiris ſancti Auſpicij [f] Epiſcopi & cõfeſſoris.

IV-

Aquilæ & Priſcillæ [a].] De his Acta Apoſt. c. 18. Paulus ad Roman. cap. 16. 1. ad Corinth. c. 16. & ad Timoth. 2. c. 4. licet pro Priſcilla Priſca ponatur aliquando. Agunt de his item hac die Beda, Vſuard. Ado, & alij Latinorum, Græci autem de Aquila in Menologio pridie Idus Iulij. De his plura S. Ioannes Chryſoſt. homilia in illa Pauli verba: Salutate Priſcam & Aquilam. Tradit Dorotheus in Synopſi, Aquilam fuiſſe præfectum eccleſiæ Heracleæ: ſed vnde id acceperit, non inuenimus. Erat Romæ celebris memoria Aquilæ & Priſcillæ, vt dictum eſt ſuperiùs in Priſca 18. Ianuar. Fuit item Romæ nobiliſſima matrona Priſcilla nomine, mater Pudentis ſenatoris, auia Pudentianę & Praxedis virginum: de qua mentio habetur in Actis S. Pudentianæ à Paſtore conſcriptis, quorum ſuprà meminimus. Celebre fuit Romæ Priſcillę nomine cœmeterium via Salaria, de quo frequens mentio habetur in Martyrologiis, & Actis ſanctorum martyrum; egimus de eo ſuperiùs: aliud item ad Vrſum pileatum, de quo inferiùs 3. Octobr.

[b] Quinquaginta militum.] Horum martyrum Acta ſunt iuncta ſimul cum rebus geſtis ſanctæ Bonoſæ martyris, quas habemus apud nos manuſcriptas.

[c] Procopij.] De eo Beda, ac ceteri Latinorum hac die; Græci itidem in Menologio, feſtumque celebrant diem, vt conſtat ex nouel. conſtitut. Emmanuelis Imp. tit. de feriis, apud Theodor. Balſ. in nomoc. Phot. tit. 7. c. 1. Huius fortiſſima certamina ex antiquis codicibus edidit Metaphraſtes, quæ habes apud Lipom. tom. 6. & Sur. tom. 4. hac die: quæ citata reperiuntur in ſecunda Synodo Nicæna Act. 4. ibique ex iiſdem Actis recitatur elegans exemplum de cultu ſanctarum imaginum. Niceph. lib. 7. cap. 15. De eius baſilica meminit Suidas in hiſtor. Alius eſſe videtur ille Procopius de quo agit Euſeb. lib 8. c. 12.

[d] Monachorum Abrahamitarum.] Agit & de his Cedren. in compend. traditque hos non tantùm ob cultum ſacrarum imaginum, ſed etiam quia monachiſmum (quem Theophilus Imp. execrandus hæreticus impugnabat) Patrum ſcripturis, traditione, & exemplis in Eccleſia Dei ſemper ſacroſanctum eſſe habitum, libera voce profeſſi ſunt. Addit & hæc in fine: Eorum cadauera inſepulta, in ſolum proiecta, diu admodum integra permanſerunt, donec quidam pij ea humauerunt, & eodem quo Chriſti martyres honore dignati ſunt. Hæc ille in Theophilo.

[e] Chiliani Epiſcopi & ſociorum.] Beda tam de eo, quàm ſociis ipſius, pluribus agit; Ado item, & alij. Horum omnium res nobiliter geſtas recitat Sur. tom. 4. Sigebert. in chron. an 685. Otho Friſing. lib. 5. c. 13. Trithem. de vir. illuſtr. ord. ſancti Benedicti lib. 3. cap. 131. & lib. 4. c 172. Plura de his etiam Demochares, dum ſeriem deſcribit Herbipolenſium Epiſcoporum in lib. de ſacrific. Miſſæ; aitque horum veneranda corpora per S. Burchardum Epiſcopum eleuata, & in Baſilica à ſe erecta eſſe recondita; eumdemque à Romano Pontifice impetraſſe, vt iiſdem ſanctis honor martyribus debitus deferretur. In eius templi crypta hos verſus fuiſſe ſcriptos, eoſdemque hactenus ibidem legi, idem auctor teſtatur:

*Hi ſunt, Herbipolis, qui te docuere magiſtri,*
*Qua verum coleres religione Deum:*
*Impia quos tandem iuſſit Geilana necari,*
*Celauitq́; ſub hunc corpora cæſa locum.*
*Ne turpi ſine laude ſitu defoſſa tacerent,*
*Corpora Burchardus ſub monumenta locat.*

[f] Auſpicij Epiſcopi.] Agit de eo etiam Molan. in addit. in Vſuard. Numeratur quartus eius eccleſiæ Epiſcopus in tab. Democh. Fuit alius eiuſdem nominis Tullenſis Epiſcopus, ordine quintus, ſanctitate ac doctrina conſpicuus; cuius extat inſignis epiſtola metro ſcripta ad Arbogaſtum Comitem: vixitque temporibus Theodoſij Imp. Diuerſus ab his omnibus habendus eſt ille Auſpicius, ad quem ſcribit Sidon. Apollin. epiſt. 11. li. 7.

xviij. A — Septimo Idus Iulij. Luna. 9

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | | | |

Romæ ad Guttam iugiter manantem, natalis ſanctorum martyrum Zenonis[a], & aliorum decem millium ducentorum trium. Gortynæ in Creta ſancti Cyrilli[b] Epiſcopi, qui in perſecutione Decij ſub Lucio Præſide flammis iniectus, cum incenſis vinculis euaſiſſet illæſus, ac ſtupore tanti miraculi à Iudice dimiſſus eſſet, rurſus pro inſtanti & alacri fidei prędicatione facta de Chriſto, ab eodem capite plexus eſt. In ciuitate Thora[c] apud lacum Velinum paſſio ſanctorum Anatoliæ[d] & Audacis, ſub Decio Impe-

Imperatore: quorum Anatolia Chriſti virgo, poſtquam plurimos per totam Piceni prouinciam variis languoribus affectos curaſſet, & in Chriſtum credentes feciſſet, iubente Fauſtiniano Iudice diuerſis pœnarum generibus vexata, cùm ab immiſſo ſerpente liberata Audacem conuertiſſet ad fidem, nouiſſimè extenſis manibus orans gladio tranſuerberata eſt: Audax quoque in cuſtodiam datus, ſine mora capitali ſententia coronatur. Alexandriæ ſanctorum martyrum Patermuthij [e], Copretis & Alexandri, qui ſub Iuliano Apoſtata cæſi ſunt. Martulæ ſancti Brictij [f] Epiſcopi, qui ſub Marciano Iudice pro confeſſione Domini multa paſſus, cùm magnam populi multitudinem ad Chriſtum conuertiſſet, confeſſor in pace quieuit.

# I V L I I 9.

ZENONIS & ſoc. [a] ] De his etiam hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores. De loco vbi ſunt paſſi qui hîc ponitur, Ad Guttam iugiter manãtem: in ſecunda editione Molani hæc adduntur: Quæ aliàs dicitur eccleſia ſanctæ Mariæ fontis olei Tranſtiberim. Mirati ſumus hęc in textum Vſuardi ex alicuius interpretatione perperàm facta irrepſiſſe. Locus etenim, vbi prædicti martyres paſſi ſunt, eſt dictus ad Aquas Saluias, tertio vel ampliùs ab Vrbe lapide, vbi & prædictorum martyrum ſacræ reliquiæ aſſeruantur. Ipſa traditio, veteraque monumenta prædictos martyres ibi coronatos eſſe teſtantur; vt nullus remaneat de hoc ambigendi locus: alia prorſus ac diuerſa eſt ratio de fonte olei Tranſtiberim poſito. Sed & magna differentia eſt inter locum dictum, Gutta iugiter manans, &, Gutta largè fluens: nam hæc erat iuxta portam Capenam, de qua Martialis libro 3. Epigram. ad Fauſtinum de Baſſo:

*Capena grandi porta, quà pluit gutta.*

[b] Cyrilli Epiſcopi. ] De eo Vſuardus, & alij, Græci etiam in Menologio hac die, vbi pluribus martyrium eius deſcribitur ſub Diocletiano conſummatum. Acta autem eius, quæ recitat Sur. tom. 4. ſub Decio paſſum eſſe teſtantur; quod & verius exiſtimamus. Celeberrimi habiti ſunt Cretenſes martyres, vel ex ea cauſa, quòd illorum meritis ea inſula cuſtodiens ſemper Catholicam fidem, illæſa permanſerit ab omni hæreſum labe; prout Martyrius Epiſcopus Gortinæ in Creta vnà cum collegis Epiſcopis ſcribens ad Leonem Magnum Imp. recenſet his verbis: Dicimus tranquillitati tuæ, quia ab initio totius hæreticæ blaſphemiæ inexperta eſt veſtra Creta, decem martyribus paſſionis tempore deprecantibus, vt libera à tentationibus hæreticis, ſemper ab æſtu eorum prouincia ſeruaretur, &c. Extat ea epiſt. tomo 2. Concil. edit. 2. Colon. pag. 275. & 276.

[c] In ciuitate Thora apud lacum Velinum.] Legebatur in aliis Martyrologiis: Tyri ad lacum Vulſinum; ſed pro Thyro, ſeu Thurio, vel Thyre, Thora, & pro lacu Vulſino, Velinus eſt poſitus. In martyrum Actis, Thurenſis, pro Thorenſis, ſeu Thorana, mendosè legitur. Vetera enim monumentá eius eccleſiæ, firmaque traditio populi, hos de quibus hîc agitur martyres ibi paſſos eſſe, abſque aliqua ambiguitate teſtantur. Non ignoramus tamen, lacum Vulſinum, Tirenſem eſſe appellatum; cuius mentio habetur in decreto Deſiderij Regis Longobardorum, quod ex tabulis Viterbien. exſcripſit Aldus Manut. in lib. de Orthograph. ſed nulla (vt accepimus) in eius loci oppidis de his martyribus extat memoria; quæ virens recenſque in prædicta Thorana eccleſia perſeuerat, quæ eſt (vt accepi) in diœceſi Reatina. Hęc accepimus à R.D. Curtio Franco Canonico S. Petri in Vaticano, qui in his perquirendis plurimum laborauit. Porrò Thora à Dionyſ. Halycarnaſ. lib. 1. Tiora dicitur, quam à Reate Latinam viam verſus ſtadiis 40. diſtare teſtatur. Corrupto vocabulo, i, eſt mutata in h, vt loco Tioræ Thora dicatur.

[d] Anatoliæ & Audacis.] De his Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Horum Acta ex antiquis codicibus Surius edidit tom. 4. De iiſdem Aldelmus in libro de laud. virginitatis pluribus agit. De ſancta Victoria, quæ eodem tempore paſſa eſt in Trebulano, agemus ſuo loco inferius. Petrus diac. Caſſin. in libro de viris illuſtr. cœnob. Caſſin. cap. 46. teſtatur vitam S. Anatoliæ ſcriptam eſſe à Gelaſio Secundo Romano Pontifice.

[e] Patermuthij & ſoc.] Agunt de his item Gręci hac die in Menologio, ac eorum Acta ſummatim comprehenſa referunt. Legi horum Acta in vet. cod. Baſilicæ ſancti Petri in Vaticano, ſed quæ cenſura & emendatione indigeant.

[f] Brictij Epiſcopi.] De eodem Vſuardus & Ado pluribus, Petrus in catal. lib. 6. cap. 74. quos & ſecuti ſunt recẽtiores. In Actis ſanctorum Abundij & Carpophori (qualiacumque ſint) multa de Brictio ſcripta habentur de his quæ paſſus eſt ſub Marciano Proconſule temporibus Diocletiani Imperatoris, apud Mombrit. tomo 1.

xvij. B **Sexto Idus Iulij. Luna.** 10

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | | | |

ROMÆ paſſio ſanctorum ſeptem fratrum[a], filiorum ſanctæ Felicitatis martyris, id eſt, Ianuarij, Felicis, Philippi, Siluani, Alexandri, Vitalis, & Martialis, tempore Antonini Imperatoris, ſub Præfecto Vrbis Publio: ex quibus Ianuarius poſt verbera virgarũ, & carceris macerationem, plumbatis occiſus: Felix & Philippus fuſtibus mactati: Siluanus præcipitio interemptus: Alexander, Vitalis, & Martialis capitali ſententia puniti ſunt. Item Romæ ſanctarum virginum & martyrum Ruffinę[b] & Secundæ ſororum, quæ in perſecutione Valeriani & Gallieni tormentis ſubactæ, ad vltimum altera gladio capite illiſo, altera cæſa ceruice migrarunt in cælum: quarum corpora in baſilica Lateranenſi prope Baptiſterium debito honore ſeruantur. In Africa ſanctorum martyrum Ianuarij[c], Marini, Naboris, & Felicis decollatorum. Nicopoli in Armenia ſanctorum martyrum Leonrij[d], Mauritij, Danielis, & ſociorum, qui ſub Licinio Imperatore & Lyſia Pręſide variè excruciati, tãdem in ignem coniecti, martyrij curſum confecerunt. In Piſidia ſanctorum martyrum Bianoris[e] & Siluani, qui ſæuiſſima pro Chriſti nomine paſſi, demum ceruicibus abſciſſis coronantur. Iconij ſancti Apollonij[f] martyris, qui per crucem inſigne martyrium conſummauit. Apud Gandauum ſanctæ Amelbergæ[g] virginis.

## IVLII 10.

SEPTEM fratrum[a].] Agit de his Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri. Deſcribitur horum nobile certamen in Actis ſanctæ Felicitatis eorum matris, quæ breuiùs enarrata recitat Mombrit. tom. 1. & Sur. tom. 4. Meminit horum martyrum ac matris ipſorum S. Gregorius in homil. 3. in Euangelium, quam habuit in eccleſia eiuſdem S. Felicitatis. Habemus prædictorum Actà fuſiùs ſcripta in noſtra bibliotheca.

[b] Ruffinæ & Secundæ.] De his item Vſuard. hac die, Ado autem longè vberiùs. Extant harum ſanctarum virginum Acta martyrij, quæ Mombrit. tom. 2. Petrus in catal. lib. 6. cap. 78. & Sur. deſcripſit tomo 4. Habemus eadem & manuſcripta. Agit de his pluribus S. Aldelm. in libro de virginitate. Extat Romæ in regione Tranſtiberina vetus memoria prædictarum ſanctarum. Locus vbi ſunt paſſæ, via Aurelia, decimo ab Vrbe lapide, auctus eſt ſede Epiſcopali, quam & titulo Siluæ candidæ inuenimus ſæpiùs appellatam.

[c] Ianuarij & ſoc.] De quibus hac die etiam Beda, Ado, & alij recentiores. Nabor & Felix, quorum hìc recitantur nomina, diuerſi ſunt ab illis de quibus inferiùs ad quartum Idus Iulij: nam illi in Italia; hi autem, de quibus agimus, in Africa paſſi ſunt.

[d] Leontij & ſoc.] Agunt de his etiam hac die Græci in Menologio. De Nicopoli in Armenia à Pompeio Magno condita ob Mithridatem ibi deuictum, habes auctorem Dionem Caſſ. lib. 36. hiſt. De Nicopolitana eccleſia in Armenia, eiuſque laudibus, quòd temporibus Valentis Imp. inconcuſſa ſteterit aduerſus Arianorum procellas, pluribus meminit S. Baſilius in epiſtol. addit. 6. 9. 10. 11. & 12. edit. Nut. Eam enim, vt par eſt, mirificè prædicat.

[e] Bianoris & Siluani.] De his itidem Græci agunt hac die in Menologio, eorumque res geſtas copioſè deſcribunt.

[f] Apollonij.] De quo & Græci agunt hac die, in eorumque Menologio eius Acta narrantur.

[g] Amelbergæ.] De ea item Molanus in addit. ad Vſuardum, pluribus autem in Indiculo Sanctorum

ctorum Belgij, refertque eius res geſtas eſſe ſcriptas à S. Trudone, necnon à S. Radbodo. De ipſa etiam Trithem. de vir. illuſtr. ord. ſancti Bened. lib. 3. c. 190. qui teſtatur eam ex hac vita emigraſſe anno Domini 772. Fuit præterea & alia eiuſdem nominis Amelberga vidua, & ipſa ſanctitate celebris, cuius Acta deſcribit Sur. tom. 4. hac die. porrò feſta dies eius non ſexto Idus Iulij, ſed Iunij agitur, vt teſtatur Molanus, de ipſa agens in Indic. Sanctorum Belgij.

11 Quinto Idus Iulij. Luna. C xvj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | | | |

ROMÆ beati Pij [a] Papę & martyris, qui in perſecutione Antonini martyrio coronatus eſt. Nicopoli in Armenia natalis ſanctorum martyrum Ianuarij [b] & Pelagiæ, qui equuleo, vngulis, & teſtarum fragmẽtis diebus quatuor cruciati, martyrium impleuerunt. In territorio Senonenſi ſancti Sidronij [c] martyris. Iconij ſancti Marciani [d] martyris, qui ſub Perennio Præſide per multa tormenta peruenit ad palmam. Sidæ in Pamphilia ſancti [e] Cindei preſbyteri, qui ſub Diocletiano Imperatore & Stratonico Præſide poſt multa tormenta in ignem iniectus, & nil læſus, demum in oratione reddidit ſpiritum. Brixiæ ſanctorum martyrum Sauini [f] & Cypriani. Bergomi ſancti Ioannis [g] Epiſcopi, qui ob tuẽdam Catholicam fidem ab Arianis occiſus eſt. Cordubæ ſancti Abundij [h] preſbyteri, qui cùm in Mahumetis ſectam inueheretur, martyrio coronatus eſt. In territorio Pictauienſi ſancti Sabini [i] confeſſoris.

## IVLII 11.

[a] PII Papæ.] Beda, Vſuardus, Ado, & alij omnes hac die. De eius ſucceſſione agit S. Irenæus lib. 3. c. 3. Euſeb. in chron. & hiſt. lib. 4. c. 10. Epiphan. in Panar. hæreſ. 27. Optatus Mileuit. lib. 2. contra Parmen. Auguſtinus ad Generoſum epiſt. 165. licet tam ipſe, quàm Optatus Pium numerent poſt Anicetum, quem ſucceſſiſſe Pio, ceteri omnes teſtantur. De eodem Niceph. hiſt. lib. 3. cap. 25. & Niceph. Epiſcopus in chron. Cetera de ipſo fuſiùs in Annal. Eccleſ. diximus. Quod autem ſpectat ad eius martyrium, re vera ipſum martyrem vita functum, vetera quæque eccleſiaſtica monumenta teſtantur, Miſſales, Breuiaria, ac Martyrologia cuncta. At licet ab Antonino Pio nulla in Chriſtianos fuerit indicta perſecutio, vigẽtibus tamen adhuc priorum Auguſtorum edictis, illorum vigore complures Chriſtianos ſub prædicto Antonino neci traditos eſſe, apologia Iuſtini philoſophi certam fidem facit. Porrò etſi ſub Antonino Pio Pius noſter vixit; tamen ſi fidem adhibemus libro de Rom. Pont. qui fertur nomine Damaſi, eum ſub Marco Aurel. Antonino & Lucio Vero finem viuendi feciſſe, conſtat; quo tempore ſæua perſecutio vaſtauit eccleſias.

[b] Ianuarij & Pelagiæ.] De his iidem qui ſuprà, Beda, & alij. Petrus in catalog. libro 5. cap. 85. hos paſſos eſſe ſub Licinio refert.

[c] Sidronij.] De eodem hac die Vſuardus, & alij recentiores, adſtipulanturque dicta vetera manuſcripta, quæ his addunt Lucianum, Sabinum, & Cyprianum; ſed hi duo Brixiæ ponuntur.

[d] Marciani.] Græci etiam de eo hac die in Menologio, pluribuſque eius certamen deſcribunt.

[e] Cindei.] De quo item hac die Græci in Menologio, eiuſque Acta his quæ hîc ponuntur conſentientia referunt.

[f] Sabini & Cypriani.] De his tabulæ eius eccleſiæ, quibus adſtipulantur prædicta vet. manuſcripta.

[g] Ioannis Epiſc.] De quo Paul. diac. de geſt. Longobard. lib. 6. c. 3. Interfuit hic Synodo Romanæ ſub Agathone Papa, vt cõſtat ex eius Actis, quæ recitãtur in ſexta Synodo œcumenica Act. 4. Habita eſt ea Synodus Romæ anno à Chriſto Domino 680. Agunt præterea de dicto Ioanne quamplures recentiorum, vt Platina, Sabellicus, ac nouiſſimè Sigonius de Reg. Ital.

[h] Abundij.] De cuius martyrio agit ſanctus Eulogius in Memor. ſanct. lib. 3. cap. 12. paſſumque refert æra 892. anno à Chriſto Domino octingenteſimo quinquageſimoquarto.

[i] Sabini.] De quo etiam hac die Vſuardus & recentiores omnes agunt.

xv. D **Quarto Idus Iulij. Luna.** 12

| | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | | | |

MEDIOLANI ſanctorum martyrum Naboris[a] & Felicis, qui in perſecutione Maximiani paſſi ſunt. In Cypro beati Iaſonis[b] antiqui Chriſti diſcipuli. Aquileiæ natalis ſancti Hermagoræ[c], diſcipuli beati Marci Euangeliſtæ, & primi eiuſdem ciuitatis Epiſcopi: qui inter miracula ſanitatum, & prædicationis inſtantiam, ac populorum conuerſionem, plurima pœnarum genera expertus, tandem vnà cum Fortunato diacono, ſuo capitali ſupplicio perpetuum meruit triumphum. Lucæ in Tuſcia beati Paulini[d], qui à ſancto Petro primus eiuſdem ciuitatis Epiſcopus ordinatus, ſub Nerone ad radices montis Piſani poſt multos agones martyrium ſuum cum aliis ſociis conſummauit. Eodem die paſſio ſanctorum Procli[e] & Hilarionis, qui ſub Traiano Imperatore & Maximo Præſide per acerbiſſima tormenta ad palmam martyrij peruenerunt. Apud Leontinos ſanctæ Epiphanæ[f], quæ ſub Diocletiano* Imperatore & Tertyllo Præſide vberibus præciſis reddidit ſpiritum. Toleti ſanctæ Marcianæ[g] virginis & martyris, quæ pro fide Chriſti beſtiis obiecta, atque à tauro diſcerpta, martyrio coronatur. Lugduni ſancti Viuentioli[h] Epiſcopi. Bononiæ ſancti Paterniani[i] Epiſcopi. In monaſterio Paſſiniano prope Florentiam S. Ioannis[k] Gualberti abbatis, inſtitutoris ordinis Vallisumbroſæ.

*Decio

## IVLII 12.

NABORIS & Felicis[a].] De his item Ado, atque alij recentiores hac die. Horum acta ex antiquis monumentis edidit Mombrit. tom. 2. habemus eadem manuſcripta: eſt eorum exordium: Regnante impio Maximiano, &c. De eorum venerandis corporibus Mediolani poſitis, & frequenter viſitari ſolitis, agit Paulinus in vita S. Ambroſij. De iiſdem martyribus ſanctus Ambroſ. in Luc. lib. 7. cap. 13. deque eorum baſilica idem Ambroſ. meminit ſcribens ad Marcellinam de inuentione corporum ſanctorum Geruaſij & Protaſij.

[b] Iaſonis.] De eo Acta Apoſt. cap. 17. & 21. Agunt de eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri Latinorum, Græci autem in Menologio quarto Kal. Maij, vbi & plura habentur de ipſo: referunt enim, præfectum fuiſſe Tarſenſi eccleſiæ Epiſcopum; quod etiam teſtatur Dorotheus in Synopſi: in Syria autem fuiſſe Epiſcopum, auctor eſt Hippolytus mart. lib. de 72. diſcipulis. Verùm duo fuerunt Iaſones: quorum alter, de quo agimus, Mnaſon alio nomine dictus reperitur, idemq. Cyprius genere, de quo in Act. c. 21. Alter verò Theſſalonicenſis, apud quem Paulus eſt hoſpitatus, de quo Act. 17. eumq. conſtat ipſius Pauli fuiſſe diſcipulum; quem illum ipſum puto, cuius idem Paulus ſcribens ad Romanos cap. 16 meminit. Sicque optimè accidere potuit, vt alter eorum Tarſi in Cilicia, alter verò in Syria ſit factus Epiſcopus.

[c] Hermagoræ.] Agunt de eodem Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Feruntur eius Acta conſcripta à Gregorio, cuius filia obſeſſa à dæmone, ab eodem ſancto fuit incolumitati reſtituta: recitat ea Mombrit. tom. 2. Petrus in catal. lib. 6. c. 86. eadem ſummatim refert, idemq. in Actis SS. Euphemiæ & Dorotheæ lib. 8. cap. 29. & alij recentiores, vt Vincentius, Antoninus, Sabellicus, Volaterranus, Hier. Rubeus, & edita nuper hiſtoria Aquileiæ.

[d] Paulini Epiſc.] Huius Acta manuſcripta accepimus ab eccleſia Lucenſi. Incipiunt: Multi fuerunt Reges, &c.

[e] Procli & Hilarionis.] De his item hac die

Græci

Greçi agunt in Menologio, eorumque martyrium pluribus narrant.

[f] Epiphanæ.] Huius agones deſcripti habentur in Actis ſanctorum martyrum Leontinorum, Adelphij, & ſoc. quæ è Græcorum priſcis monumentis in Latinum reddita, ſunt typis excuſa, in aliquibus tamen corrigenda; ex quibus, ſub Decio potiùs paſſam fuiſſe, colligi poſſe videtur, non ſub Licinio, vt ibi mendosè ponitur.

[g] Marcianæ.] De qua hac die etiam in Breuiario Toletano, vbi facet hymnus de eius martyrio conſcriptus habetur, & capitula quibus eius martyrium egregiè deſcribitur. Agitur de eadem die 9 Ianuarij; ſed altera eſt dies natalis, altera verò tranſlationis.

[h] Viuentioli Epiſc.] Agunt de eodem Beda, & alij eum ſecuti. Interfuit hic cum aliis Epiſcopis Concilio Epaunenſi: enumeratur vigeſimuſnnus eius ſedis Epiſcopus in tabulis Epiſcoporum Lugdunen. apud Democh.

[i] Paterniani Epiſc.] De quo tab. eccleſiæ Bononien. ſucceſſit hic S. Petronio, adſcribiturque ſeptimus ordine eius eccleſiæ Epiſcopus. Plura de eo Sigon. in comment. quem ſcripſit de eccleſia Bononienſi, quem nondum editum nobis legendum tradidit.

[k] Ioannis Gualberti.] Extant eius res geſtæ fideliſſimè ſcriptæ, quas retulit Sur. in tom. 4. hac die. De eius cauſa cum Epiſcopo Florentino, multa collegimus ex epiſtolis Petri Damiani. Migrauit ex hac vita anno Domini 1073. vt eius Acta teſtantur. Agit de eodem Anton. in 2. part. tit. 15. cap. 17. Citantur de eius approbatione litteræ Cæleſtini Papæ Tertij. Porrò eiuſdem ſancti commemorationem in Eccleſiaſtico officio hac die fieri, Clemens Papa VIII. præcepit.

## 13 Tertio Idus Iulij. Luna. E xiiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | | | |

ROMÆ ſancti Anacleti[a] Papç & martyris, qui poſt ſanctum Clementem Eccleſiam Dei regens, eam glorioſo martyrio decorauit. Eodem die ſanctorum Ioëlis[b] & Eſdræ[c] Prophetarum. In Macedonia beati Silæ[d], qui cùm eſſet de primis fratribus, & ab Apoſtolis ad eccleſias Gentium vnà cum Paulo & Barnaba deſtinatus, prædicationis officium gratia Dei plenus inſtanter conſummauit, atque in paſſionibus ſuis Chriſtum clarificans, poſtmodum requieuit. Item ſancti Serapionis[e] martyris, qui ſub Seuero Imperatore & Aquila Præſide per ignem peruenit ad coronam martyrij. In inſula Chio ſanctæ Myropis[f] martyris, quæ ſub Decio Imperatore & Numeriano Præſide vectibus contuſa, migrauit ad Dominum. In Africa ſanctorum confeſſorum Eugenij[g] Carthaginenſis Epiſcopi, fide ac virtutibus glorioſi, & vniuerſi cleri eiuſdem eccleſiæ, qui ferè quingenti, vel eo ampliùs in perſecutione ſub Hunnerico Rege Ariano cæde inediaque macerati (inter quos plurimi erant lectores[h] * & infantuli) gaudentes in Domino procul exilio crudeli extruſi ſunt. Erant etiam in eis nobiliſſimi archidiaconus nomine Salutaris, & Muritta ſecundus in officio miniſtrorum, qui tertiò confeſſores effecti, glorioſæ in Chriſto perſeuerantiæ titulo illuſtrati ſunt. In Britannia minori ſancti Turiani[i] Epiſcopi & confeſſoris, miræ ſimplicitatis & innocentiæ viri.

* infantuli

ANACLETI Papæ[a].] De quo item Vſuardus,& alij recentiores, & Græci omnes, licet pro Cleto eum ponere videantur, quem prætereunt. Agunt de eo ſanctus Ignatius in epiſtola ad Mariam Caſſobolitem, Irenæus lib. 3. cap. 3. Euſeb. in chron. & hiſt.lib. 3. cap. 2. & Niceph. Epiſcopus in chron. & alij Græcorum; Latinorum autem præter librum de Rom. Pont. Optatus contra Parmen. lib. 2. Auguſt. epiſt. 165. Cetera autem de geſtis ipſius pluribus egimus in Annal. Eccleſiaſticis.

[b] Ioëlis.] De Ioële, præter ea quæ leguntur in diuinis ſcripturis, ſcribit S.Epiph. lib. de vit. & interit. Prophet. cap. 14. Doroth. in Synop. cap. 4. S.Hieron. in præfat. in Ioëlem. Alius eiuſdem nominis fuit filius Samuelis Prophetæ, de quo & Ioſephus Antiq. lib. 6. cap. 3.

[c] Eſdræ.] Eſdra Propheta extra numerum duodecimum ponitur ab omnibus, exceptis his qui Hebræis conſentientes, eumdem putant eſſe cum Malachia, prout ſcribit ſanctus Hieronymus in proœmio in Malachiam, qui de eodem agit in præfatione lib. 1. Reg. 106. & 109. Epiphan. in Pan. lib. 1. in octaua Iudæorum ſecta, Ioſephus Antiq. lib. 11. cap. 5. & recenter Sixtus in Bibliotheca ſua.

[d] Silæ.] De eo Act. Apoſt. cap. 15.16.17.& 18. Sanctus Hieronymus in epiſt. 143. in fine ſcribés ad Damaſum, húc ait eumdem eſſe cum Siluano, qui ponitur in inſcriptione Pauli epiſtolę ad Theſſal. Sunt hæc verba Hieronymi: Sciendum Silam collegam Pauli lingua Hebræa Apoſtolum dici, qui cum eo nonnullas epiſtolas ſcribit: & vitiosè Siluanus legitur pro Sila, cùm Siluanum in Apoſtolorum Actis non legamus. Hęc S.Hieron. Græci autem Silam & Siluanum non vnum, ſed duos putant, aguntque de ambobus ſimul in Menologio tertio Kalend. Auguſti. Diuerſos item inter ſe conſtituit Dorotheus, dum Silam Epiſcopum Corinthiorum, Siluanum verò Theſſalonicenſium tradit: ſicque magis vulgatę ſacrorum librorum editioni conſentiunt. Eadem & Hippolytus martyr libel. de 72. diſcip.

[e] Serapionis.] De quo & Græci hac die in Menologio, vbi eius martyrij Acta explicant.

[f] Myröpis.] Græci itidem hac die, ac iterùm ad tertium Nonas Decembr. & fuſiùs referunt eius Acta.

[g] Eugenij Epiſcopi.] De quo item Vſuardus, Ado,& alij recentiores. Huius pręclaras res geſtas ſcripſit Victor Vticenſis de perſecut. Wand. libro 2. & 3. pluraque de eodem Gregor. Turon. de geſt. Franc. lib. 2. cap. 3. licet inconſultè dicat Hunnericum ſucceſſiſſe Traſamundo; cùm certum firmumque ſit, Hunnericum ſucceſſiſſe Genſerico patri: quod Victor, Procopius, Marcellinus, & ceteri qui proſecuti ſunt res Wandalicas, atteſtantur. Succeſſit Eugenius Deogratias Epiſcopo, claruitque Zenonis temporibus. Agit de eodem Sigebert. in chron. anno Domini 483. & 487. traditque eum reuocatum ab exilio anno 392. De reliquis autem, quorum hîc mentio habetur, idem Victor pluribus agit libro 3. Laudatur ſummopere ſanctus Eugenius à S. Gelaſio Papa in ea epiſtola quam ſcribit ad Epiſcopos Dardaniæ, quam integram habemus apud nos manuſcriptam: quæ enim typis excuſa legitur, mutilata eſt.

[h] Lectores & infantuli.] Dum infantulos puerulos legis, non eo ſenſu accipias, vt loqui neſcirent; cùm eodem Victore teſte, iidem ad canendos modulos eccleſiaſticos eſſent inſtructi. Vetus enim mos fuit,& in præſens viget vſus, vt impuberes pueri ob vocis elegantiam ad canendas res eccleſiaſticas modulis muſicis imbuerentur; quod quidem non tantùm hîc expreſſum habetur, ſed & Venantius Fortunatus lib. 2. in carm. ad clerum Pariſiacum, quo deſcribit florentiſſimum ſtatum & pulcherrimam effigiem eius eccleſiæ ſub ſancto Germano eius Epiſcopo, hæc ait:

*Hinc puer exiguus attemperat organa cannis,*
*Inde ſenex largam ructat ab ore tubam.*
*Cymbalicæ voces calamis miſcentur acutis,*
*Diſparibuſq; tropis fiſtula dulcè ſonat.*
*Tympana rauca ſenum, puerilis fiſtula mulcet,*
*Atque hominum reparant verba canora lyram.*

Et in fine iterùm idem Venantius:

*Pontificis monitis, clerus, plebs, pſallit & infans,* &c.

Quòd autem iidem pueruli tam hîc, quàm etiam ab Vſuardo (ſi magis placet ea lectio) dicantur lectores; non eo ſenſu accipias velim, vt iidem eo ordine eccleſiaſtico fuerint initiati, qui inter inferiores Acolythatum præcedit, is etenim ordo in eccleſia Africana nonniſi prouectæ ætatis, meritis inſignibus, & eruditione claris dabatur perſonis, & in primis conſtat ex Cypriano de Celerino & Aurelio epiſt. 33. & 34. edit. Pam. & de Saturo epiſt. 24. & 32. qui (vt apparet ex epiſt. 55.) poſteà fuit ordinatus acolythus. De lectoris enim miniſterio in eadem Africana eccleſia eſt canon octauus Concilij quarti Carthaginenſis. Qui autem cantorum munere fungebantur, erant infimę claſſis: qui non dicebantur propriè lectores, ſed pſalmiſtæ, vt apparet ex eodem quarto Concilio Carthag. can. 10. Itaque magis probatur ea lectio, vt dicat, Lectores, & infantuli, quàm, Lectores infantuli, vt legit Vſuardus: cùm præſertim apud Victorem nulla ſit mentio quòd hi fuerint lectores, niſi lata quadam ſignificatione lectoris dictionem accipiamus pro pſalmiſtis atque cantoribus. Erant hi numero duodecim, qui nec blanditiis, nec minis cedentes, ne à Catholica diuellerentur Eccleſia, fortiter viriliterque agentes, martyrij ſunt adepti coronam; quos (inquit Victor lib. 3.) nunc Carthago miro colit affectu, & quaſi duodecim Apoſtolorum chorum ſuſcipit puerorum.

[i] Turiani Epiſcopi.] De quo etiam Vſuardus hac die, & alij recentiores agunt.

## 14 Pridie Idus Iulij. Luna. F xiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | | | |

LVGDVNI depoſitio ſancti Bonauenturæ[a] Cardinalis & Epiſcopi Albanenſis, confeſſoris & Doctoris, ordinis Minorum, doctrina & vitæ ſanctitate celeberrimi. Romæ ſancti Iuſti[b] militis ſub Claudio Tribuno, qui, apparente ſibi diuinitus Cruce, credidit in Chriſtum, & mox baptizatus, omnia ſua pauperibus erogauit: tentus deinde à Magnetio Præfecto, verberari neruis, galea ignita contegi, & in rogum immitti iuſſus, nec in capillo quidem læſus, in confeſſione Domini reddidit ſpiritum. Synope in Ponto ſancti Phocæ[c] martyris, eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, qui ſub Traiano Imperatore carcerem, vincula, ferrum, ignemque pro Chriſto ſuperans, euolauit in cælum: cuius reliquiæ Viennam in Gallia delatæ, in baſilica ſanctorum Apoſtolorum conditæ ſunt. Alexandriæ ſancti Heraclæ[d] antiſtitis, ob cuius celeberrimam opinionem Africanus hiſtoriographus memorat ſe Alexandriam ad eum viſendum properaſſe. Carthagine ſancti Cyri[e] Epiſcopi, in cuius feſtiuitate ſanctus Auguſtinus de eo ſermonem ad populum habuit. Nouocomi ſancti Felicis[f] primi eiuſdem ciuitatis Epiſcopi. Brixiæ ſancti Optatiani[g] Epiſcopi. Dauentriæ in Belgis ſancti Marcellini[h] preſbyteri & confeſſoris. Bambergæ ſancti Henrici[i] primi Imperatoris, qui cum vxore ſua Chunegunde perpetuam virginitatem ſeruauit, & ſanctum Stephanum Hungarorum Regem cum vniuerſo ferè eius regno ad fidem Chriſti ſuſcipiendam perduxit.

## I V L I I 14.

[a] BONAVENTVRÆ.] Eius præclaras res geſtas Octauius Sueſſanus luculenta oratione recitauit coram Sixto Quarto Romano Pontifice, cùm ab eo relatus eſt in Sanctorum numerum: deſcripſit eamdem Sur. tom 4. hac die. Extant eiuſdem Pontificis diplomata in tom. 2. opuſculorum eiuſdem Sancti; ibique habetur relatio Actorum eius ad eumdem Pont pro canonizatione faciẽda. De iiſdem plura S. Antoninus in 3.par. tit.24. c.8.& 9. & alij recentiores, at chron. Franciſcan. copioſiùs.

[b] Iuſti.] Agunt de eodem in Menologio Græci hac die, ibique egregium certamen eius deſcribitur conſentiens his quæ hîc paucis narrantur.

[c] Phocæ.] De eo etiam hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Huius Acta ſummatim complexus eſt Petrus in catalog. lib.6. c.98. prolixiùs autem Mombritius tom. 2. Verùm ne oſcitanter aliquibus errandi cauſam ſinamus; ſciendum re vera duos fuiſſe Phocas, amboſque martyres illuſtres; alterum de quo hac die, alterũ verò de quo 3. Nonas Martij agitur. Idque non ſolùm Latinis, ſed etiam Græcis notum fuiſſe videtur, quamuis illi de ambobus agant x. Kalend. Octobris, amboſque Synope oriundos affirment. diuerſitas tamen tum munerum, tum loci vbi paſſi leguntur, diuerſumque mortis genus, duos eſſe fateri compellit. Siquidem noſter hic fuit Epiſcopus, vt geſta eius teſtantur, & comprobat Ado Viennenſis in chron. anno 101. vbi etiam, quomodo oſſa eius Viennam tranſlata ſint, refert: at verò ille, de quo 3. Nonas Martij, hortorum cultor & hoſpes fuiſſe perhibetur. Inſuper quod ad martyrij locum pertinet, illum Antiochiæ, hunc Synope in Ponto paſſum tradunt. Et quod denique ad martyrij genus attinet, hic de quo agimus, poſt multa tormenta demum abſque gladio migrauit in cælum; ille autem truncatus capite ſolutus eſt.

Quo fit, vt exiſtimem Aſterium Epiſcopum in oratione de Phoca, quam recenſet Lipom. tom. 6. communione nominis deceptum (quod ſæpiùs in aliis factum vidimus) alterius geſta alteri tribuiſſe; eumdemque errorem nonnullos Græcorum ſecutos fuiſſe: atque adeò certiora, multoque veriora eſſe, quæ de vtroque ſcribunt auctores Latini, in quibus omnibus legitur, Phocam hunc ex nauta Epiſcopum eſſe factum, illumque ipſum eſſe quem nautæ in tempeſtatibus tanto ſtudio conſueuerint inuocare; atque huius eſſe, quæ de nautis Aſterius ea oratione proſequitur. Quæ verò Aſterius de horti cultura, hoſpitalitate, & martyrij genere pertractat, ad Syrum illum Phocam ſpectare exiſtimamus, de quo etiam ſcribit Gregorius Turonenſis de glor. martyrum cap. 99. quem & capite plexum, tam Græcorum Menologia, quàm etiam Aſterius profitentur.

[d] Heraclæ Epiſc.] De quo Vſuardus hac die. Plura Euſebius de eo in chronic. & hiſt. lib. 6. cap. 12. 14. & 24. &. 28. vbi teſtimonium ex Africano recitatur: Nicephorus, & alij ex eodem Euſebio eadem referunt.

[e] Cypri Epiſcopi.] Poſſidius in Indiculo cap. 8. tradit S. Auguſtinum de eo tractatum habuiſſe ad populum.

[f] Felicis Epiſcopi.] Ad hunc proximè celebraturum diem natalem ſuæ ordinationis extat ſancti Ambroſij epiſtola 60. lib. 8. Rom. edit. Erat is dies Kalend. Nouembrium, vt ibidem teſtatur S. Ambroſius.

[g] Optatiani Epiſc.] Vixit hic temporibus Valentiniani Tertij Imperatoris, cùm Romanæ Eccleſię præeſſet S. Leo Papa, cuius tempore interfuit Mediolanenſi Synodo ſub Euſebio Epiſcopo Mediolanenſi, cuius extat Synodica ab Epiſcopis qui aderant ſcripta ad S. Leonem, vbi in ſubſcriptione Epiſcoporum pro Optatiano, Octauianus mendosè legitur. Meminit eiuſdem Rampertus Epiſcopus Brixienſ. in ſermone de tranſlatione S. Philaſtrij, ſeptimumque hunc numerat à Philaſtrio. Huic ſucceſſit Vigilius.

[h] Marcellini.] De eo etiam Molan. in addit. ad Vſuard. & pluribus in Indic. Sanctorum Belgij. Agitur de ipſo item in vita ſancti Suitberti Epiſcopi, cap. 14.

[i] Henrici Primi.] De eo item hac die Molan. in addit. ad Vſuard. licet Henricum Secundum appellet reſpectu Henrici alterius, qui anno Domini 919. ſucceſſit Conrhado Imp. Sed ille pientiſſimus, præ humilitate dici noluit Imperator, vt ſcribit Vuitichindus mon. in Annal. Sax. lib. 1. Albert. Crantz. in Metropoli Saxon. lib. 3. cap. 2. & hiſt Eccleſiaſt. Sax. lib. 3. cap. 14. & alij omnes. Ex quibus apparet, Henricum hunc, de quo agimus, primum eius nominis fuiſſe Imperatorem, licet plerique reſpectu illius hunc ſecundum appellent. Sed re vera nemo tunc vocabatur Imperator, niſi quem Papa coronaſſet, vt apertiſſimè conſtat ex ſcriptoribus illorum temporum, & diplomatibus Pontificum & Impp. Regumq; Germaniæ, & epitaphiis ad eorum ſepulchra poſitis, quæ Spiræ leguntur. Sed de his pluribus Pannin. lib. de Comit. Impp. Huius præclariſſimas res geſtas ſcriptas fuiſſe ab Adelbodo Epiſcopo Vltraiectenſi, tradit Sigebert. de vir. illuſtr. cap. 139. Præter ipſum Vuitichindú, & alios, qui res Saxonum ſunt proſecuti, plura de eodem in diuerſorum ſanctorum Actis ſcriptis mandata reperiuntur, vt in vita ſancti Hereberti Epiſcopi Colonien. in Actis S. Cunegundis Auguſtæ eius vxoris in rebus geſtis ſancti Stephani Regis Hungarorum, in vita ſancti Romualdi, ſancti Popponis abbatis Sabulenſis, & aliis innumeris pænè locis diuerſorum auctorum.

xij. G **Idibus Iulij. Luna.** 15

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |

IN Portu Romano natalis ſanctorum martyrum Eutropij [a], Zoſimæ, & Bonoſæ ſororum. Carthagine beati Catulini [b] diaconi, de cuius laudibus ſanctus Auguſtinus ſermonem ad populum habuit; & ſanctorum Ianuarij, Florentij, Iuliæ, & Iuſtę martyrum, qui poſiti ſunt in baſilica Fauſti. Alexandrię ſanctorum martyrũ Philippi [c], Zenonis, Narſæi, & decem infantum. In inſula Tenedo ſancti Abudemij [d] martyris, qui ſub Diocletiano paſſus eſt. Sebaſte ſancti Antiochi [e] medici, qui ſub Hadriano Pręſide capite obtruncatus eſt: cumque ex eo lac pro ſanguine manaret, Cyriacus carnifex conuerſus ad Chriſtum, & ipſe martyrium ſubiit. Papię ſancti Felicis [f] Epiſcopi & martyris. Niſibi natalis ſancti Iacobi [g] eiuſdem vrbis Epiſcopi, magnæ ſanctitatis viri. Hic miraculis & eruditione clarus,

Digitized by Google

clarus, vnus fuit ex numero confeſſorum ſub perſecutione Maximini, qui in Nicæna Synodo peruerſitatẽ Arij, homouſij oppoſitione damnarunt: cuius & Alexandri Epiſcopi oratione ipſe Arius condignam ſuæ iniquitatis mercedem, effuſis viſceribus, Conſtantinopoli recepit. Neapoli in Campania ſancti [h] Athanaſij eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, qui ab impio nepote Sergio multa paſſus, ac ſede pulſus, Verulis confectus ærumnis migrauit in cælum, tempore Caroli Calui.

## IVLII 15.

[a] Evtropii & ſociorum.] De his Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Habemus horum Acta tom. 7. vit. ſanct. manuſcript. in noſtra bibliotheca: eſt eorum exordium: Ab incarnatione Domini, &c. Alia autem prolixiora vidimus accepta ab eccleſia ſanctæ Bonoſæ trans Tiberim poſita.

[b] Catulini & ſociorum.] De quibus etiam Petrus in catal. lib. 6. cap. 103. Hic ille Catulinus, in cuius laudem S. Auguſtinum tractatum habuiſſe, ſcribit Poſſid. in Iudiculo c. 9. De baſilica Fauſti, cuius hîc mentio habetur, meminit Concil. Carthag. 6. in princ. & Conc. African. cap 74. Victor item de perſecutione Vuand. libro 2.

[c] Philippi & ſoc.] Agunt de his etiam Beda hac die, ceteríque Latinorum.

[d] Abudemij.] De quo etiã Græci hac die in Menologio agunt, pluribuſq; eius acta cõmemorant.

[e] Antiochi.] Græci item de Antiocho hac die, eiuſque martyrium in dicto Menologio referunt: ibi etiã & de Cyriaco ex carnifice martyre. Olim autem poſt diem ſequentem agebatur natalis S. Antiochi martyris, vt conſtat ex Actis ſancti Theodori Sicæotæ apud Lipom. tom. 7.

[f] Felicis Epiſcopi.] De quo tabulæ eccleſiæ Papienſis, ex quibus & Galeſinius hac die.

[g] Iacobi.] De eo Beda, Vſuardus, Ado, ceteriq; Latinorum, Græci autem pridie Kal. Nouembris in Menologio. Scribit eius res geſtas Theodoretus in Theophilo cap. 1. & hiſt. lib. 1. c. 7. & lib. 2. cap. 30. Gennad. de vir. illuſtr. cap. 1. ex quo Caſſiod. & Niceph. hiſt. lib. 8. cap. 14. & lib. 9. c. 28. Interfuit hic non tantùm magno Nicæno Concilio, ſed etiam Antiocheno pro Catholicis contra Arianos. Mentio de eo habetur in Actis ſancti Alexandri Epiſcopi Conſtantinopolitani.

[h] Athanaſij Epiſcopi.] De eo tabulæ eccleſiæ Neapolitanę. Eius res geſtę nuper editę habẽtur à Paulo Regio. Vidimus in regiſtro Ioannis Octaui Romani Pontificis, quod manuſcriptum extat in Vaticana bibliotheca, nonnullas eius epiſtolas ſcriptas ad Athanaſium. Verùm diuerſus ille eſt ab eo de quo hîc agitur; quippe qui nepos illius ſenioris ſancti Athanaſij eſſe dicatur, & eiuſdem Sergij de quo hîc eſt mentio, frater. Duo itaque fuerunt Athanaſij Epiſcopi Neapolitani; ſenior, cuius hac die celebritas agitur; & eius nepos, ad quem extãt litteræ Ioannis Octaui 42. 76. 251. 281. & 307. Meminit eiuſdem Athanaſij Iunioris Leo Oſtien. chron. Caſſin. lib. 1. cap. 42.

## 16 Decimoſeptimo Kal. Auguſti. Luna. A xj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | | | |

Natalis ſancti Fauſti [a] martyris, qui ſub Decio cruci affixus, quinque diebus in ea vixit, ac demum ſagittis cõfoſſus, migrauit in cælum. Sebaſte in Armenia ſanctorum martyrum Athenogenis [b] Epiſcopi, & decem diſcipulorũ eius, ſub Diocletiano Imperatore. Antiochiæ in Syria natalis beati Euſtathij [c] Epiſcopi & confeſſoris, doctrina & ſanctitate celebris, qui ſub Conſtantio Imperatore Ariano ob Catholicæ fidei defenſionem Traianopolim Thraciæ pulſus exilio, ibidem in Domino requieuit. Eodem die S. Hilarini [d] monachi, qui vnà cum ſancto Donato in perſecutione Iuliani comprehenſus, cùm nollet ſacrificare, fuſtibus cæſus, Aretij in Tuſcia martyrium ſumpſit: cuius corpus ad Oſtia Tiberina tranſlatum eſt. Treuiris S. Valentini [e] Epiſcopi & martyris. Cordubæ

in Hiſpania ſancti Siſenandi [f] Leuitę & martyris, qui pro fide Chriſti à Sarracenis iugulatus eſt. Santis in Gallia ſanctorum martyrum Raineldis [g] virginis, & ſociorum eius, qui à barbaris pro fide Chriſti cæſi ſunt. Bergomi ſancti Domnionis [h] martyris. Capuæ ſancti Vitaliani [i] Epiſcopi & confeſſoris.

## IVLII 16.

FAVSTI [a].] De eo etiam hac die Grȩci agunt in Menologio, vbi pluribus martyrium eius deſcribunt.

[b] Athenogenis Epiſcopi, ac ſociorum.] Agunt de iiſdem hac die Græci in Menologio; Metaphraſtes autem deſcripſit horũ Acta, refertque die ſequenti, diſſentitq́ue à ceteris, dum ait, eum in pace abſq; gladio quieuiſſe in Domino: cùm tamen poſt multa tormenta vnà cum ceteris capite truncatus, in dicto Menologio conſcribatur. Diuerſus planè hic ab illo Athenogene, quem conſtat, S. Baſilij auctoritate, per ignem martyriũ conſummaſſe, de quo & ſuperiùs actum eſt.

[c] Euſtathij Epiſcopi.] De quo Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri Latinorum, Græci verò in Menologio nono Kal. Martij, ac iterùm Nonis Iunij agũt de eius tranſlatione, quando temporibus Zenonis Auguſti venerãdum corpus eius delatum eſt Antiochiam; de qua tranſlatione ſcribit etiam Theodorus lector in collectaneis libro 1. Sanctus Athanaſius in epiſt. ad ſolitarios col. 453. eiuſmodi de Euſtathio profert elogium: Fuit Euſtathius Epiſcopus Antiochiæ, vir cõfeſſione clarus, religione pius, quem magno ſtudio pro veritate ſtantem, & Arianam hæreſim odio proſequentem, aduerſantes homines Arianæ opinionis apud Conſtantium accuſarunt, &c. Hic quidem præ meritorum excellentia inter tot tantoſque ſanctiſſimos Epiſcopos, qui magno Concilio Nicæno interfuerunt, delectus fuit, qui in eo ſacra perageret, vt ſcribit Theodoretus hiſtor. lib. 1. cap. 7. & 8. & Greg. presbyt. in encomio de ſanctis Patribus eiuſdem Concilij: id etiam quædam Acta eius S. Synodi, quæ extant, ſatis declarant. Agit prætereà de eo S. Hieron. in chron. & de ſcrip. Eccleſ. in epiſt. 84. ad Magnum, in apologia aduerſus Rufinum, & ad Euagrium epiſt. 126. vbi hæc de eo: Primus Antiochenæ eccleſiæ Epiſcopus contra Arium clariſſima tuba bellicum cecinit. Hæc ibi. Citatur in dicto Grȩcorum Menolog. de eo eiuſdem S. Hieronymi teſtimonium, necnon & ſancti Ioannis Chryſoſtomi, cùm dicitur: Extat beati Ioannis Chryſoſtomi in hunc virum ſanctum nobiliſſima laudatio: hunc & beatus Hieronymus ſuo teſtimonio inſigni commendauit. Hæc illi. Errare verò de Euſtathio omnino videntur Sozomenus, Socrates, Theodoretus, & alij hos ſecuti, dum dicunt ipſum à Conſtantino Auguſto in exilium eſſe amandatum. Maioris ſanè fidei penes nos eſt vel vnus Athanaſius, qui ea omnia ob oculos habuit: nam à Conſtantio, non à Conſtantino in eum decretum exilium eſſe, apertè teſtatur dicta epiſtola ad ſolit. col. 453 & 454. Sed de his fuſiùs egimus in apologia pro Conſtantino conſcripta, in Annalibus Eccleſiaſticis intexta; vbi etiam diximus, quonam modo hic dicatur præfuiſſe Nicæno Concilio.

[d] Hilarini.] De eodem Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores. Habetur mentio de Hilarino in Actis ſanctorum martyrum Ioannis & Pauli, necnon in vita ſancti Donati Epiſcopi Aretini, licet admodum deprauata.

[e] Valentini Epiſcopi.] Succeſſit hic ſancto Maximino: ponitur viceſimusſeptimus eius ciuitatis Epiſcopus in tabulis Democharis; agitq; de eo hac die Molanus in additione ad Vſuardum.

[f] Siſenandi.] Deſcribit eius martyrij Acta S. Eulog. in memor. Sanct. lib. 2. cap. 5. aitq́ue eum eſſe paſſum feria 5. æra 889. anno autem Domini octingenteſimoquinquageſimoprimo.

[g] Raineldus & ſociorum.] Habétur eius Acta apud Sur. tom. 4. Plura de ea in vita S. Gudulæ eius ſororis, atque alumnæ S. Gertrudis, apud eumdem tom. 1. Acceperunt ambæ ſacrum velamen à ſancto Authberto Epiſcopo Cameracenſi, qui vixit vſque ad annum Domini 650. vt ſcribit Sigebert. in chron. Molanus item de ea agit in addit. ad Vſuard. & in Indic. Sanctorum Belgij.

[h] Domnionis.] De quo tabulæ eccleſiæ Bergomenſis, & Galeſinius hac die.

[i] Vitaliani Epiſcopi.] De eo in Breuiario eccleſiæ Capuanæ.

2. B Sextodecimo Kal. Auguſti. Luna. 17

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
22 23 24 25 26 27 28 29 30 1 2 3 4 5 6 7 8
t u A B C D E f F G H M N P
9 10 11 12 13 14 15 16 16 17 18 19 20 21

ROMÆ ſancti Alexij [a] confeſſoris, filij Euphemiani ſenatoris, qui prima nocte nuptiarum, ſponſa intacta, è domo ſua abſcedens, ac poſt longam peregrinationem ad Vrbem rediens, decem & ſeptem annos tamquam egenus in domo paterna receptus hoſpitio, noua mundum arte deludens,

incog-

incognitus manſit: ſed poſt obitum, & voce per Vrbis eccleſias audita, & ſcripto ſuo agnitus, Innocentio Primo Pontifice Maximo, ad eccleſiam ſancti Bonifacij ſummo honore delatus eſt, vbi multis miraculis claruit. Carthagine natalis ſanctorum martyrum Scillitanorum[b], Sperati, Nartali, Cythini, Beturij, Felicis, Aquilini, Letarij, Ianuariæ, Generoſæ, Beſſiæ, Donatæ, & Secundæ: qui iuſſu Saturnini Præfecti poſt primam Chriſti confeſſionem in carcerem miſſi, & in ligno confixi, deinde gladio decollati ſunt. Sperati reliquiæ[c] cum oſſibus beati Cypriani, & capite ſancti Pantaleonis martyris ex Africa in Gallias tranſlatæ, Lugduni in Baſilica ſancti Ioannis Baptiſtæ religioſè conditæ fuerunt. Amaſtride in Paphlagonia ſancti Hyacinthi[d] martyris, qui ſub Baſtritio Præſide multa paſſus, quieuit in carcere. Tibure ſancti Generoſi[e] martyris. Conſtantinopoli ſanctæ Theodotæ[f] martyris, ſub Leone Iconoclaſta. Romæ depoſitio S. Leonis[g] Papæ Quarti. Papiæ ſancti Ennodij[h] Epiſcopi & confeſſoris. Antiſiodori ſancti Theodoſij[i] Epiſcopi. Mediolani ſanctæ Marcellinæ[k] virginis, ſororis beati Ambroſij Epiſcopi, quæ Romæ in baſilica S. Petri à Liberio Papa velum conſecrationis accepit: cuius etiam ſanctitatem idem beatus Ambroſius ſcriptis ſuis teſtatam facit. Venetiis Tranſlatio ſanctæ Marinæ[l] virginis.

## IVLII 17.

ALEXII[a].] De eodem hac die Beda, aliique recentiores. Extant eius res geſtæ Latinis & Græcis notiſſimæ: recitat eas Mombrit. tom. 1. Petrus in catal. lib. 6. cap. 107. & alij complures; Græcis autem edidit eadem Acta Metaphraſtes, quæ retulit Lipom. tomo 7. & Sur. tom. 4. in nonnullis tamen corrigenda. Vixit item Romæ iiſdem temporibus Innocentij Papæ, & Honorij Imperatoris, eiuſdem ferè nominis Aletius nobilitate generis, & virtutum meritis ſpectatiſſimus, qui fuit gener S. Paulæ; vxorem enim duxit eius filiam Ruffinam; quę cùm deceſſiſſet ex hac vita, S. Paulinus Nolanus Epiſcopus ſcripſit ad eum egregiam epiſtolam de illius funere, vbi hæc in fine de illa: Eſt enim coniunx fidei, ſoror virginitatis, filia perfectionis, cui Paula mater, ſoror Euſtochium, tu maritus. Hæc Paulinus.

[b] Scillitanorum, Sperati, & ſociorum.] De his Beda, Vſuardus, Ado, & alij. In horum laudem tractatum habuiſſe S. Auguſtinum, teſtatur Poſſidius in Indiculo cap. 9. Habemus horum ſanctorum martyrum Acta, prout excepta fuerūt à Notariis, & relata in Acta Proconſularia, abſque vllo aliquo fuco vel additamento inde deſcripta, nobis quidem quouis theſauro cariora; eſt illorum eiuſmodi exordium: Præſente Claudiano Conſulari, aliàs Proconſule, &c. Hallucinantur prorſus hi qui hos Carthagine in Hiſpania paſſos dicunt: nam ex prædictis ipſorum Actis erroris coarguuntur, & aliis antiquorum monumentis: nam in Breuiario Toletano ſecundùm regulam ſancti Iſidori, dum de ſancto Sperato agitur, hęc in hymno facto de eodem ſcribuntur:

*Hunc vrbs præpollens Africa*
*Carthago ſeruat martyrem*, &c.

[c] Sperati reliquiæ.] De tranſlatione S. Sperati agit hîc Beda, ſed Ado Treueren. decimooctauo Kalendas Octobris, Ado Viennen. in chron. anno 806. & Sigeber. anno 802. Itemque de tranſlatione reliquiarum S. Sperati, Cypriani, & Pantaleonis martyrum, eſt carmen Agobardi Epiſcopi Lugdunenſis, quod Pamelius deſcripſit in apparatu editionis ſui Cypriani: vbi & alia de eadem re ex archiuis deprompta ſubnectit. Ceterorum autem reliquiæ Romam tranſlatæ ſunt, atque reconditæ in titulo Pammachij, in eccleſia ſcilicet SS. Ioannis & Pauli, vt vetera eiuſdem eccleſiæ monumenta indicant, vbi & eius tranſlationis vetus pictura ipſam hiſtoriam repræſentans, vſque ad noſtros dies illæſa permanſit.

[d] Hyacinthi.] De quo etiam Græci hac die in Menologio, vbi & eius paſſio deſcribitur.

[e] Generoſi.] De eo tabulæ, ac vet. monumenta eccleſiæ Tiburtinæ, quæ accepimus. Huius venerandum corpus aſſeruati ſub maiori altari eccleſiæ ſancti Laurentij, ex iiſdem didicimus.

[f] Theodotæ.] Agunt de eadem hac die Græci in Menologio, vbi plura, & inter alia hęc de cauſa necis eius: Hęc cùm ex facultatibus ſuis tres ſanctas imagines fieri procuraſſet, vnam Chriſti Domini, Dei genitricis alteram, tertiam verò S. Anaſtaſiæ, reliquis opibus erogatis in pauperes; vnà cum aliis religioſis feminis, iuſſu Leonis Imperatoris gladio percuſſa, martyrium conſummauit. Hæc ibi.

g Leo-

[g] Leonis Papæ Quarti. ] Soccesſit hic Sergio Secundo. Res ab eo pręclarè geſtas, quas conſcripſit Anaſtaſius Bibliothecarius, qui his tẽporibus claruit, aliaque de ipſo ex antiquis codicibus accepta digeſſimus in Annalibus Eccleſiaſticis. Agit de eodem hac die Petrus in catal. lib. 6. cap. 106.

[h] Ennodij Epiſcopi. ] De eodem hac die tabulę Ticinenſes. Succesſit hic ſancto Epiphanio, cuius etiam Acta conſcripſit; ſedit temporibus Hormiſdæ Papę, à quo iterùm miſſus eſt legatus Conſtantinopolim ad Anaſtaſium Imperatorem. Legimus harum legationum commonitoria eiuſdem Hormiſdæ Pontificis. Geſta Ennodij ad illud vſque tempus, quo diaconus ordinatus eſt, ipſemet deſcripſit, imitatus nimirum ſanctum Auguſtinum in libris Confeſſionum. Incipiunt: Oraculum eſt, &c. Extant eruditiſſimi viri præclariſſima ſcriptorum monumenta, quæ Illuſtriſſimus ac Reuerendiſſ. Card. Sirletus in ſua bibliotheca, nobiliſſimo antiquitatum promptuario, recondita habet.

[i] Theodoſij Epiſcopi. ] De eo tabulæ Epiſcoporum eccleſiæ Antiſiodorenſis: legitur enim in eis, hunc ſucceſſiſſe S. Vrſo, ſediſſe annos octo & dies vigintiocto, hacque die ex hac vita ad Deum migraſſe. Claruit temporibus Clodouei Regis Francorum, interfuitque primo Concilio Aurelianenſi, eius tempore celebrato, vt eiuſdem Synodi Acta indicant.

[k] Marcellinæ. ] De ſacro velamine à Liberio Papa Romæ ſuſcepto, cuius hîc mentio habetur, ſcribit ſanctus Ambroſius lib. 3. de Virgin. vbi idem recitat eiuſdem Liberij ſermonem eo die in illis ſolemnibus habitum. Idem ſanctus plura de ipſa in ſermone habito in funere fratris, & in epiſtola ad Siagrium 47. libro 6. edit. Rom. in fine, vbi meminit domus paternæ, Romæ poſitæ, in qua ſancta Marcellina degebat vnà cũ aliis ſanctis virginibus: quæ quidem ſemel eidem vſui dicata, hactenus perſeuerat: eſt enim ibi eccleſia & monaſterium monialium nomine ſancti Ambroſij non longè à Capitolio prope Forum Piſcarium. Superuixit ſancta Marcellina poſt obitum ſancti Ambroſij, vt ex Paulino in vita ſancti Ambroſij colligi poteſt. Quanti verò eam fecerit S. Ambroſius, ex citatis locis ipſius, & epiſt. 13. lib. 2. edit. Rom. quam ad ipſam ſcripſit, ſatis accipitur.

[l] Tranſlatio ſanctæ Marinæ. ] De eius geſtis, atque tranſlatione facta Venetias, agit Petrus in catal. lib. 6. cap. 108. De ea item in vit. Patrum par. 1. cap. 44. Græci autem in Menolog hac die agunt de alia Marina martyre Antiochiæ Piſidiæ, filia Ædeſij ſacerdotis idolorum, quam plerique Latinorum Margaritam appellant.

ix. C Quintodecimo Kal. Auguſti. Luna. 18

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
23 24 25 26 27 28 29 30 1 2 3 4 5 6 7 8 9
t u A B C D E f F G H M N P
10 11 12 13 14 15 16 17 17 18 19 20 21 22

TIBVRE ſanctæ Symphoroſę [a] vxoris ſancti Getulij martyris, cum ſeptem filiis ſuis, Creſcente, Iuliano, Nemeſio, Primitiuo, Iuſtino, Stacteo, & Eugenio: quorum mater ſub Hadriano Principe ob inſuperabilem conſtantiam primò palmis diu cæſa, deinde crinibus ſuſpenſa, nouiſſimè ſaxo alligata, in flumen præcipitata eſt: filij autem ſtipitibus ad trochleas extenſi, diuerſo mortis exitu martyrium compleuerunt. Eorum corpora poſtcà Romam tranſlata, Pio Quarto Summo Pontifice in Diaconia S. Angeli in Foro Piſcario inuenta fuerunt. Carthagine ſanctæ Gundenis [b] virginis, quæ iuſſu Ruffini Proconſulis ob Chriſti confeſſionem quater diuerſis temporibus equulei extenſione vexata, & vngularum horrenda laceratione cruciata, carceris ſqualore diu afflicta, nouiſſimè gladio cæſa eſt. Doroſtori in Myſia ſancti Æmiliani [c] martyris, qui tempore Iuliani Apoſtatæ ſub Capitolino Præſide in fornacem iniectus, martyrij palmam accepit. Traiecti ſancti Friderici [d] Epiſcopi & martyris. Gallæciæ in Hiſpania ſanctæ Marinę [e] virginis & martyris. Mediolani ſancti Materni [f] Epiſcopi, qui ſub Maximiano Imperatore pro fide Chriſti, & pro eccleſia ſibi commiſſa, in carcerem detruſus, & ſæpè verberibus cæſus, tandem multis confeſſionibus

nibus clarus obdormiuit in Domino. Brixiæ natalis ſancti Philaſtrij[g] eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, qui aduerſus hæreticos, præſertim Arianos, à quibus multa paſſus eſt, plurimum verbis ſcriptiſque pugnauit, demum clarus miraculis confeſſor in pace quieuit. Metis in Gallia S. Arnulphi[h] Epiſcopi, qui ſanctitate & miraculorum gratia illuſtris, eremiticam vitam deligens, beato fine quieuit. Signiæ S. Brunonis[i] Epiſcopi & confeſſoris.

# I V L I I 18.

SYMPHOROSÆ & filiorum[a].] De his hac item die Vſuardus, Beda, autem & Ado ad quintum Kalen. Iulij. Habemus eorum Acta manuſcripta: edidit ea Mombritius tom. 2. ſcripta (vt præfert titulus) ab Africano, nobili illo antiquo ſcriptore, qui vixit temporibus Decij Imperatoris. Recitat eadem compendio deſcripta Petrus in catalog. lib. 6. cap. 111. Extat adhuc Tibure ciſterna ſicca, vbi illis perſecutionis temporibus ſancta Symphoroſa cum filiis aliquando delituit: Via etiam Tiburtina habetur nobilis ac peruetuſta S. Symphoroſę memoria. Horum reliquię Romam tranſlatæ, noſtris temporibus inuentę ſunt in Diaconia S. Angeli in Foro Piſcario, ac vnà cum eis plumbi lamina his verbis deſcripta: HIC REQVIESCVNT CORPORA SANCTORVM MARTYRVM SYMPHOROSÆ, VIRI SVI ZOTICI, ET FILIORVM EIVS, A STEPHANO PAPA TRANSLATA. Mentio habetur de Symphoroſa in Actis ſancti Getulij in fine, apud Sur. to. 3. die 10. Iunij. Getulius enim, Zoticus item dictus reperitur, de quo ſuperiùs pluribus egimus.

[b] Gundenis.] De qua etiam hac die Beda, Ado, & alij; habentque Conſules, ſub quibus prædicta virgo paſſa eſt: licet pro Zeta, Geta ſit reſtituendus: geſſit enim Conſulatum Septimius Geta vnà cum Septimio Plautiano temporibus Seueri Imper. anno Domini ducenteſimo quinto. De his etiam tabulæ Caſſiodori.

[c] Æmiliani.] De eo item Vſuard. ac Gręci etiam in Menologio hac die his verbis: Sancti martyris Æmiliani: hic fuit ex Doroſtoro vrbe Myſiæ, ſeruus Græci cuiuſdam, temporibus Iuliani Apoſtatæ, & Capitolini Præſidis. cùm verò Chriſtum coleret, & idola execraretur; nactus opportunum tempus, arrepto malleo, ingreſſus in templum, idolorum ſimulacra omnia contriuit, & ſacrificia diſperſit, adienſque Præſidem, ſeipſum denunciauit: quocircà verberatus, & in fornacem iniectus, ſpiritum Deo commendauit. Hæc ibi. In eamdem ſententiā ſanctus Hieronymus in chron. anno primo Iuliani Apoſtatæ hæc ait: Æmilianus ob ararum ſubuerſionem Doroſtori à Vicario incenditur. De eodem Theodoretus lib. 3. cap. 6. & Caſſiod. lib. 6. cap. 16. Ex legibus Conſtantini & Conſtantij eius filij Auguſtorum, templa, araſque ſubuerti, & idola frangi, legitimum fuit. Reſtituit eccleſiam Æmiliani martyris Baſilius Imp. vt ſcribit Cedren. in compen. in Baſilio.

[d] Friderici Epiſcopi.] De eo tabulæ eccleſiæ Traiectenſis, Molanus in addit. ad Vſuard. at pluribus in Indiculo ſanctorum Belgij. Geſta autem eius fuſiùs ſcripta recitat Sur. to. 4. ex quibus alij plures, qui de ipſo ſcripſere, accepiſſe noſcuntur: Martyrio occubuit anno Domini 838. ea de cauſa, quòd, ſicut & ſanctus Ioānes Baptiſta, hic coarguit Regem ob introductam pellicem conſanguineam; cuius artibus, miſſis ſicariis, occiſus eſt.

[e] Marinæ.] De qua pluribus in Flore ſanctorum Hiſpan. & in Theſauro concion. tomo 2. die ſequenti.

[f] Materni Epiſcopi.] Agit de eodem hac die Beda, ſimulque tabul. Eccleſ. Mediolanen. Eius Acta recitat Mombrit. tom. 2. extatque de eo præfatio Ambroſiana.

[g] Philaſtrij Epiſcopi.] Extat ſermo S. Gaudentij Epiſcopi, eius ſucceſſoris, quo deſcribitur vita ipſius. De tranſlatione autem eſt ſermo Ramperti eiuſdem eccleſiæ Epiſcopi. habet ea omnia Lipom. tomo 2. & Sur. tom. 4. Vixit Philaſtrius ſub Theodoſio ſeniore, interfuitq; vnà cum ſancto Ambroſio ceteriſque ſanctis Epiſcopis Concilio Aquileienſi aduerſus Arianos, vt apparet ex Actis eiuſdem Cōcilij. Meminit eiuſdem ſanctus Auguſtinus libro de hæreſibus ad Quoduultdeū, ſeque eum nouiſſe teſtatur: obiit autem diem, cùm adhuc ſuperſtes eſſet ſanctus Ambroſius, vt apparet ex ſermone ſancti Gaudentij, eius ſucceſſoris; habito in ordinatione ſua. Vnde conſtat vel mendoſum eſſe codicem, vel ab aliquo ſuperadditum, quod habetur apud Philaſtr. de hæreſib. cap. 112. à Chriſto Domino vſq; ad illud tempus cùm ea ſcriberet, intercurriſſe annos quadringentos triginta: cùm liquidò appareat ſanctum Ambroſium, qui ei ſuperuixit, longè ante ea tempora ex humanis deſiiſſe, Cæſario & Attico Conſulib. anno Domini trecenteſimo nonageſimoſeptimo. Sed Latinius noſter, qui in mendis illapſis cognoſcendis lynceos habet oculos, ſic iure putat locum eſſe reſtituendum, leuiſſima facta mutatione, nimirum vt nota numeri CCCCXXX. ſic ſit corrigenda, CCCLXXX.

[h] Arnulphi Epiſcopi.] De eodem hac die Beda, Vſuardus autem & Ado ad xvij. Kalend. Septembris, quo die eius venerandum corpus tranſlatum eſt. Extant eius Acta apud Bedam tomo 3. incerto auctore. Paulus diac. de geſt. Longobard. lib. 6. cap. 5. meminit de libro geſtorum ac miraculorum eius, quem aſſeruari dicit in Metenſi eccleſia, hæcque ſubdit: De hoc ſanctiſſimo viro Arnulpho quædam miranda ſcripſi, quæ ſuperfluum duxi modò replicare. De eo Otho Friſingen. Epiſcop. lib. 5. cap. 9. Vincentius in ſpecul. libro 23. cap. 72. & ſequen. & alij plures ex recentioribus. Migrauit ex hac vita (vt tradit Sigebert. in chron.) anno Domini 640. Mirati ſumus, viros alioqui eruditos confundere hunc Arnulphum

Meten-

Digitized by Google

Metenſem Epiſcopum cum Arnulpho Sueſſionenſi Antiſtite, cuius Acta habet Surius tom. 4. die 15. Auguſti. quam etſi nulla alia differẽtia alterũ ab altero diſtingueret, temporum ſaltem diſtantia diuerſitatem ſignificaret: ſiquidem (vt diximus) hic Metẽſis, de quo agimus, migrauit ex hac vita anno Domioi 640. ille autem Sueſſionenſis anno 1087. vt tradit Trithem. de vir. illuſtr. ordinis ſancti Benedicti lib. 3. cap. 326. & Molanus in Indic. Sanctorum Belgij: quod quidem & eius Acta apertè teſtantur. Confuſio autem de duobus Arnolphis non tantùm ex nomine eodem eueniſſe videtur, ſed etiam quoniam vtriuſque natalis incidit in eumdem diem: in fine enim vitæ ſancti Arnulphi Sueſſionenſis hæc leguntur: Quo die ſancti Arnulphi Metenſis Epiſcopi feriæ celebrantur, eodem huius ſancti viri Arnulphi Soeſſionenſis in eccleſia beati Petri Apoſtoli corpus conditum fuit.

[i] Brunonis Epiſcopi.] Huius Acta typis excuſa ab eccleſia Signina accepimus. Plura de eo Leo Oſtienſis in chroo. Caſſin. lib. 4. cap. 33. & io literis Paſchalis Papæ; item Petrus diacon. Caſſinen. lib. de vir. illuſtr. monaſterij Caſſin. cap. 34. Migrauit ex hac vita ſub Calliſto Secundo Romano Pontifice.

viij. D Quartodecimo Kal. Auguſti. Luna. 19

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | | | |

NATALIS ſancti Epaphræ [a] quem ſanctus Paulus Apoſtolus concaptiuum appellat. Hic ab eodem Apoſtolo Coloſſis Epiſcopus ordinatus, clarus virtutibus ibidem martyrij palmam pro ouibus ſibi commendatis virili agone percepit: cuius corpus Romæ in baſilica ſanctæ Mariæ Maioris conditum eſt. Hiſpali in Hiſpania paſſio ſanctarum virginum Iuſtæ [b] & Ruffinæ, quæ à Præſide Diogeniano comprehenſæ, primò equulei extenſione, & vngularum laniatione vexatæ, pòſt carcere, inedia, & variis torſionibus afflictæ; tandem Iuſta in carcere ſpiritum exhalauit, Ruffinæ verò ceruix in confeſſione Domini confracta eſt. Cordubæ ſanctæ Aureæ [c] virginis, quæ aliquando lapſa, ſed facti pœnitens, iterato certamine hoſtem effuſo ſanguine ſuperauit. Treuiris ſancti Martini [d] Epiſcopi & martyris. Romæ ſancti Symmachi [e] Papæ, qui ſchiſmaticorum factione diutiùs fatigatus, demum ſanctitate conſpicuus migrauit ad Dominum. Veronæ ſancti Felicis [f] Epiſcopi. Apud Scetim Ægypti montem ſancti Arſenij [g] Romanæ Eccleſiæ diaconi, qui Theodoſij tempore in ſolitudinem ſecedens, virtutibus omnibus conſummatus, & iugi lacrymarum imbre perfuſus, ſpiritum Deo reddidit. In Cappadocia ſanctæ Macrinæ [h] virginis, ſororis ſanctorum Baſilij Magni & Gregorij Nyſſeni.

## IVLII 19.

EPAPHRÆ [a].] De eo Paulus ad Coloſſen. cap. 1. & 4. & in epiſt. ad Philemonem. Agunt de eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & Petrus in catalogo libro 6. capite 116. Eius venerandum corpus aſſeruari Romæ in baſilica ſanctæ Mariæ Maioris ex certis eiuſdem eccleſiæ veteribus monumentis accepimus.

[b] Iuſtę & Ruffinę.] De his hac die Beda, Vſuar. Ado, & Petrus in catal. lib. 6. cap. 117. In Breuiario Toletano extat vetus ſacer hymnus, quo ipſarum res geſtæ narrantur. incipit:

*Adſunt Punicea floſcula virginum*, &c.

Ioannes Maldonatus, vir quidem diſertiſſimus, inter alia multa præclariſſima ingenij ſui monumenta reliquit harum Acta à ſe paucis deſcripta, magis conſulens hiſtoriæ veritati, quàm ſtudio eloquentiæ. Pluribus de eiſdem in Flore ſanct. Hiſpan.

Hiſpan. & in Theſaur. concion. tom. 2. hac die.

[c] Aureæ.] Huius certamen exactè deſcribit S. Eulogius in memor. ſanct. lib. 3. cap. 17. aitque eam paſſam eſſe æra octingenteſima nonageſima-quarta, à Domino autem anno octingenteſimo quinquageſimoſexto.

[d] Martini Epiſcopi.] Agit de eo item Molanus in addit. ad Vſuardum 2. edit. Diuerſus hic ab illo qui ſucceſſit ſancto Agritio, qui interfuit Cōcilio ſecundo Arelatenſi, præceſſitque ſanctum Maximinum, qui reperitur inter Patres qui præſentes fuerūt Concilio Agrippinenſi, & ſedit circa vltima tempora Conſtantini, numeraturq; vigeſimusquintus eius ſedis Epiſcopus in tabulis à Democh. deſcriptis: hic autem decimus ponitur.

[e] Symmachi Papæ.] Hic ſucceſſit Anaſtaſio Secundo, magnamque adeptus eſt laudem & titulum ſanctitatis, quòd aduerſus ſchiſmaticos ſtetit intrepidus: quo quidem tempore ob eam cauſam complures necati ſunt, vt inter alios Digniſſimus & Gordianus Romani presbyteri. Hîc mihi occurrit aurea illa ſancti Dionyſij Alexandrini Epiſcopi ſententia, qua, ſcribēs ad Nouatum ſchiſmaticum, ait his verbis: Oportuerat omnia incommoda pati potiùs, quàm Eccleſiæ Dei diſcidiſſe concordiam. At illud martyrium, quod quis patitur ne dirimatur Eccleſiæ conſenſio, non minus certè, ſed multo plus, meo quidem iudicio, habet commendationis, quàm illud quod ſuſcipitur ne idolis omnino immoletur. Hęc Dionyſius apud Euſebium hiſtor. lib. 6. cap. 37. Nouimus ea de cauſa inter celebres martyres eos adnumeratos, qui adhærentes ſancto Ioanni Chryſoſtomo tunc exulanti, occiſi ſunt Conſtantinopoli, cùm nollent communicare cum Arſatio intruſo atque ſchiſmatico, quorum dies natalis agitur 12. Ianuarij.

[f] Felicis Epiſcopi.] dictus aliàs Felicinus. De eo ex antiquis monumentis Epiſcoporum Veronenſiū Auguſtinus Valerius Epiſcopus Veronen. & Card. pag. 6. & 38.

[g] Arſenij.] Agunt de eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij Latinorum, Græci autem in Menologio octauo Idus Maij. Collegit eius Acta ex antiquis codicibus Metaphraſtes, quæ refert Lipom. tomo 6. & Sur. tomo 4. De ceteris actis, ſcitiſque eiuſdem ſententiis, confertus eſt liber qui inſcribitur Vitæ Patrum in 2. & 3. parte. Adnumeratur inter præcipuos eremi cultores; vnde & Hieron. epiſt. 27. Quid, inquit, narrem Macarios, Arſenios, Serapiones, & reliqua columnarum Chriſti nomina? &c.

[h] Macrinæ.] Hæc reſpectu S. Macrinæ auiæ, de qua ſuprà actum eſt, iunior ſeu minor Macrina dicta eſt. Huius præclariſſima geſta in epiſtola ad Olympium vertex ille eloquentium Theologorum Gregor. Nyſſenus germanus eius conſcripſit, quam Latinè redditam recitat Lipom. to. 2. & Sur. tom. 4. hac die. Qualis autem, quantàve fuerit virgo hæc, & quo ſanctitatis & doctrinæ faſtigio ſublimata, ex his quæ idem Greg. frater in lib. de anima ſcribit, facillimè poteſt intelligi: dum ſe illius eſſe diſcipulum, illam verò magiſtram, ſæpè ingenuè profitetur: ab ipſa enim abdita quæque Chriſtianæ Theologiæ, purgatis tantùm mentibus peruia, ſe accepiſſe teſtatur.

## 20 Tertiodecimo Kal. Auguſti. Luna. E vij.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
25 26 27 28 29 30 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11
t u A B C D E f F G H M N P
12 13 14 15 16 17 18 19 19 20 21 22 23 24

ANTIOCHIÆ paſſio ſanctæ Margaritæ [a] virginis & martyris. In monte Carmelo ſancti Eliæ [b] Prophetæ. Eodem die natalis beati Ioſeph [c], qui cognominatus eſt Iuſtus, quem Apoſtoli cum beato Matthia ſtatuerunt, vt locum Apoſtolatus Iudæ proditoris impleret: ſed cùm ſors cecidiſſet ſuper Matthiam, ipſe nihilominùs prædicationis & ſanctitatis officio inſeruiens, multamque pro fide Chriſti à Iudæis perſecutionem ſuſtinens, in Iudæa victorioſo fine quieuit: de quo etiam refertur, quòd venenum biberit, & nihil ex hoc triſte propter Domini fidem pertulerit. Damaſci ſanctorum martyrum Sabini [d], Iuliani, Maximi, Macrobij, Caſſiæ, & Paulæ, cum aliis decem. Cordubæ S. [e] Pauli diaconi & martyris, qui cùm infideles principes Mahumeticæ impietatis ac ſæuitiæ argueret, & Chriſtum conſtantiſſimè prædicaret, eorum iuſſu necatus, ad præmia euolauit in cælum. In Luſitania ſanctæ Vuilgefortis [f] virginis & martyris, quę pro Chriſtiana fide ac pudicitia

decertans, in cruce meruit glorioſum obtinere triumphum. In pago Bolonienſi in Gallia S. Vulmari[g] abbatis, admirandæ ſanctitatis viri. Treuiris ſanctæ Seueræ[h] virginis.

## IVLII 20.

MARGARITÆ[a].] Hanc aliter Marinam dicit Beda, & Vſuardus xiiij. Kalend. Iulij. Græci verò, qui eam Marinam etiam dicunt, agunt de ea in Menolog. xvj. Kal. Auguſti: in veteri autem Romano Martyrologio, cui adſtipulantur antiqua manuſcripta atque recentiora Martyrologia, hac die agitur. Errare noſcuntur hi qui ipſam Alexandriç paſſam referunt, cùm conſtet Antiochiæ Piſidiæ id factum, quod & Græci tradunt. Vetus fuit in Eccleſia Occidentali etiam huius ſanctę martyris cultus; in antiquis enim Litaniis Rom. Eccleſiæ, quæ & poſitæ habentur in Ordine Romano, inter alias ſanctas virgines & martyres hæc recenſetur. de eiuſdem celebri feſta die habetur mentio in Conc. Oxonienſi. Quod autem ſpectat ad Acta ipſius, hæc Radulphus Tung. de obſer. can. c. 11. Paſſionem, inquit, beatæ Margaritæ vidi Romæ apud Lateranum in dicto canone beati Gelaſij apocryphis adnumeratam. Hæc ipſe: quæ vehementer miramur, cùm nec in antiquis manuſcriptis, quorum plurima ſuppetunt exemplaria è diuerſis quæ Romæ extant bibliothecis, nec in his qui typis excuſi ſunt codices, aliquid tale in decreto Gelaſij potuerimus inuenire. Non tamen imus inficias, in Actis eius, quę edidit Metaphraſtes, & recitat Lipom. tomo 6. & Sur. tom. 4. quæ etiam è Latinis codicibus accepta deſcripſit Mombritius tomo 2. quæ denique legimus in pluribus manuſcriptis peruetuſtis codicibus, vt inter alios, S. Mariæ ad Martyres, & ſanctæ Cæciliæ trans Tiberim: non (inquam) negamus, in eis nonnulla reperiri, quæ indigeant emendatione non leui. Cùm autem omnes tradant hanc fuiſſe filiam Ædeſij idolorum ſacerdotis, in mentem ſubiit ille Ædeſius addictiſſimus idolorum cultui, rerum Chriſtianarum hoſtis acerbiſſimus, de quo plura ſcribit Eunapius Sardianus in vitis philoſophorum. Extat de eadem Margarita epigramma Bonad. Sant. libro 3. monad. 31. Cecinit & eius martyrium egregiè Hieron. Vida Alben. Epiſcopus, addiditque epigramma de eius eccleſia reſtituta. Itidem Baptiſta Mantuanus Carmelita præclarus poëta S. Margaritæ agonem heroico poëmate pulcherrimo decantauit.

[b] Eliæ Prophetæ.] Agunt & Græci de eodem hac die in Menologio; ſicque colunt, vt abſtineant à ſeruilibus operibus, vt apparet ex Emmanuelis Imp. conſtitutione apud Theodorum Balſ. in nomoc. Photij tit. 7. cap. 11. Præterea quæ in diuinis ſcripturis de Elia leguntur, Ioſephus etiam de eo ſcribit lib. 8. Antiquit. cap. 7. & ſequen. Epiphan. de vita & interit. Proph. cap. 5. & Metaphraſtes, quem recitat Lipom. tom. 6. & Surius tom. 4. De æde Eliæ nomine, Dominicum, nuncupata, extat epigramma ſancti Gregorij Nazianzeni in edit. Leuuencl. Rurſus autem de templo Eliæ per Baſilium Imp. reſtituto meminit Cedrenus in compen. hiſtor. in Baſilio.

[c] Ioſeph Iuſti.] De eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij ex Act. Apoſt. cap. 1. Fuiſſe hunc ex numero ſeptuagintaduorum diſcipulorum, ſcribit Clemens Alexand. quem citat Beda in retract. in Act. Apoſtol. qui cùm etiam Barſabas cognominatus legatur; hinc factum eſt, vt errore ducti aliqui exiſtimarent illum eumdem eſſe cum Barnaba, qui & ipſe dictus eſt Ioſeph, vt teſtantur Acta Apoſtolorum cap. 4. ſecundùm editionem vulgatam. Eſt prætereà mentio in iiſdem Actis c. 15. de alio diſcipulo, qui Iudas nomine, & ipſe cognominatus eſt Barſabas: quos omnes inter ſe diuerſos fuiſſe, ipſa Actorum hiſtoria patefacit. Quæ autem hîc habentur de Ioſeph, accepta ſunt ex Papia; eaque recenſet Euſebius hiſt. lib. 3. cap. 33. Tradit Dorotheus in Synopſi, hunc factum eſſe Epiſcopum Eleutheropolis in Palæſtina.

[d] Sabini & ſoc.] De quibus Beda, Vſuardus, Ado, & alij denique recentiores.

[e] Pauli.] Agit de eodem Vſuardus hac die: martyrium autem eius deſcribit S. Eulogius in memor. Sanct. lib. 2. cap. 6. paſſumque dicit hac die, æra octingenteſima octogeſimanona, anno à Chriſto Domino octingenteſimo quinquageſimoptimo.

[f] Vuilgefortis.] Eadem ipſa, quæ de ea hîc habentur, recitat Molanus in additionib. ad Vſuardum.

[g] Vulmari abbatis.] De eo item Vſuardus in recentiori editione, Ado, & alij. Res geſtas eius habet Sur. tom. 3. die 17. Iunij, & tom. 7. hac die, Trithem. de vir. illuſtr. ordinis ſancti Benedicti lib. 3. cap. 293. & Molanus in Indic. ſanct. Belgij. Vixit circa annum Domini ſexcenteſimum octogeſimum.

[h] Seueræ.] De ea tabulæ eccleſiæ Treuerenſis, ex quibus Molan. in addit. ad Vſuard. hac die. Fuit hæc ſoror S. Modoaldi Epiſc. Treuerenſis, & Ittæ coniugis Pipini Ducis. Plura de ea in vita S. Modoaldi, quam recitat Sur. tom. 3. die 12. Maij. ibique lib. 2. cap. 14. agitur de S. Seueræ obitu: de eadem Trithem. de vir. illuſt. ord. S. Benedicti lib. 3. cap. 156. Claruit circa annum Domini ſexcenteſimum ſexageſimum.

Duo-

21 Duodecimo Kal. Auguſti. Luna. F vj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | | | |

ROMÆ ſanctæ Praxedis[a] virginis, quæ in omni caſtitate & lege diuina erudita, vigiliis & orationibus atque ieiuniis aſſiduè vacans, quieuit in Chriſto; ſepultaque eſt iuxta ſororem ſuam Pudentianam via Salaria. Babylone ſancti Danielis[b] Prophetæ. Maſſiliæ natalis S. Victoris[c], qui cùm eſſet miles, & nec militare, nec idolis ſacrificare vellet, primò in carcerem truſus, ibique ab angelo viſitatus, deindè variis cruciatibus punitus, nouiſſimè contritus in mola piſtoria martyrium conſummauit. Paſſi ſunt cum eo & tres milites, Alexander, Felicianus, & Longinus. Trecis ſanctæ Iuliæ[d] virginis & martyris. Ibidem paſſio ſanctorum Claudij[e], Iuſti, Iucundini, & ſociorum quinque ſub Aureliano Imperatore. Comanæ in Armenia S. Zotici[f] Epiſcopi & martyris, qui ſub Seuero coronatus eſt. Argentorati ſancti Argobaſti[g] Epiſcopi, miraculis clari. In Syria ſancti Ioannis[h] monachi, collegæ ſancti Simeonis.

## I V L I I 21.

PRAXEDIS[a].] De eadem hac die Beda, Vſuardus, Ado, ceterique omnes. Plura de ipſa ex Paſtore presbytero in Actis eius, Nouati, & Pudentianæ, quorum ſuprà meminimus: habemuſque eadem manuſcripta vnà cum epiſtola Timothei fratris earumdem ſanctarum Praxedis & Pudentianæ, ibiq; de erectione tituli ſanctę Praxedis. eſt horum exordium: Virgo venerabilis, &c. tom. 10. vit. ſanct. Non longè ab his diuerſa ſunt ea quæ Mombrit. deſcripſit tomo 2. vit. ſanct.

[d] Danielis Prophetæ.] Agunt de eodem hac die Beda, ac ceteri Latinorum, Græci autem vnà cum tribus pueris ad xvj. Kal. Iannarij in Menologio. Præter multa, quæ de Daniele in libris diuinarum Scripturarũ leguntur, ſcribit de eo Ioſephus Antiq. lib. 10. c. 14. Epiph. de vita & interit. Prophet. cap. 10. vbi hæc habet in fine; Humatus eſt in auguſta cauerna honoribus magnis; extatq; monumentum eius vſque ad hoc ſæculum noſtrũ in Babylone cunctis notiſſimum. Hęc Epiphanius. De eodem Daniele Doroth. in Synop. cap. 17. & apud Iſidor. de vit. & obit. ſanct. cap. 40. Extat inſuper commentariolus Metaphraſtis de Daniele & tribus pueris apud Sur. tom. 4. Tranſlatas eorũ reliquias Babylone Alexandriam, & in eccleſia ſanctorum Ioannis & Cyri poſitas, Acta eorumdem ſignificant, eaſdemque Venetias tranſlatas accepimus; inſuper & Vercellis crus S. Danielis aſſeruari percepimus, theſaurum planè incomparabilem: ceterùm eorumdem trium puerorum ſacrorum pignorum magnam partem Romæ in diaconia S. Hadriani reconditã religioſè aſſeruari ſcimus. Ne quid prætereamus; eiuſdem Danielis inter leones poſiti ſtatuam ære conflatam, auroq; ornatam, Conſtantinus Magnus Imp. Conſtantinopoli in medio foro poſuit, vt auctor eſt Euſeb. in vita Conſtantini lib. 3. c. 48. Antiquus mos Chriſtianorum fuiſſe reperitur, vt in ſuis ſepulchris inter alia reſurrectionis ſymbola, Danielem in lacu inter leones liberum ſtantem ſculperent. Extant eius rei in veteribus lapideis ſepulchris complura exempla. Ea fortaſſe de cauſa, quòd de reſurrectione mortuorum cap. 12. apertiſſimè ſit locutus: ſeu quòd è lacu ipſe liber egrediens, quodammodò hieroglyphicum hominis è tumba reſurgentis expreſſerit.

[c] Victoris.] De quo Beda, Ado, Petrus in catal. lib. 6. cap. 122. & alij recentiores hac die. Scribit de eo Gregor. Turonen. lib. de glor. mart. cap. 77. Venant. Fortunat. hoc verſu libro 7. ad Bod. ducem:

*Maſſilia Victor martyr ab vrbe venit.*

Repetimus in Vaticana biblioth. huius martyris Acta metro conſcripta in codice notato nn. 137. cuius exterior inſcriptio eſt: Sancti Ambroſij opera. Paſſus hic traditur in perſecutione Diocletiani & Maximiani AA. Fuit inſuper alius Victor, ſeu Victorinus Maſſilienſis, qui eruditione clarus vixit temporibus Theodoſij Iunioris & Valentiniani Imperatorum, de quo Gennadius de viris illuſtribus cap. 6. Ado in chron. & alij.

[d] Iuliæ.] De ea etiam Vſuardus hac die, ibi & Molanus de tranſlatione eiuſdem.

e Claudij & ſoc.] Agit & de his Molanus in addit. ad Vſuardum hac die.

f Zotici Epiſc.] Meminit huius magna cum laude Apollinaris Epiſcopus Hierapol. apud Euſeb. lib. 5. cap. 15. vbi legitur, hunc adnumeratum inter Epiſcopos fuiſſe ex vico Comana; licet Nicephorus dicat eum presbyterum Oſtrenum lib. 4. cap. 23.

g Arbogaſti Epiſc.] Huius acta eſſe conſcripta ab Vthone eiuſdẽ eccleſiæ Epiſcopo, teſtatur Guilielmus Einſengren. Suffectus eſt hic S. Amãdo, anno Domini 646. ſeditque annos duodecim, vt habent tabulæ Epiſcoporum eius eccleſiæ deſcriptæ à Demochare in libro de ſacrificio Miſſæ.

h Ioannis.] De eodem item Græci agunt hac die in Menologio. Huius res geſtæ intextæ ſimul ſunt cum Actis S. Simeonis, quę (vt diximus, cùm de eo ſuprà egimus) ſcripſit Leontius Epiſc. in Cypro, citatque ea Septima Synodus; habent eadem Lipom. tom. 6. & Surius tom. 4.

## G Vndecimo Kal. Auguſti. Luna. 22

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | | | |

APVD Maſſiliam natalis ſanctæ Mariæ [a] Magdalenæ, de qua Dominus eiecit ſeptem dæmonia, & quæ ipſum Saluatorem à mortuis reſurgentem prima videre meruit. Philippis ſanctæ Syntyches [b], cuius beatus Paulus Apoſtolus meminit. Ancyræ in Galatia natalis S. Platonis [c] martyris, qui ſub Agrippino Vicario verberibus cæſus, vncis ferreis laniatus, aliiſque immaniſſimis tormentorum generibus cruciatus, demum abſciſſo capite, inuictam animam Deo reddidit: cuius miracula in ſubueniendis captiuis Acta ſecundæ Synodi Nicænæ teſtantur. In Cypro ſancti Theophili [d] Prætoris, qui ab Arabibus tentus, cùm nec donis nec minis flecti poſſet vt Chriſtum negaret, gladio cæſus eſt. Antiochiæ ſancti Cyrilli [e] Epiſcopi, doctrina & ſanctitate conſpicui. In territorio Aruernenſi ſancti Menelei [f] abbatis. In Blandinio monaſterio ſancti Vuandregiſili [g] abbatis, miraculis clari. Scythopoli in Palæſtina ſancti Ioſeph [h] Comitis.

## I V L I I 22.

MARIÆ Magdalenę [a].] De eadem hac die Beda, ac ceteri omnes Latinorum; Græci etiam in Menologio. De famoſiſſima & antiquitus diſputata quæſtione, an vna vel plures fuerint Magdalenæ, diſſeruimus pluribus in Annalibus Eccleſiaſticis; ibique vnam tantùm fuiſſe Magdalenam, profeſſi ſumus. Multa quidem de eadem apocrypha legimus, vt hiſtoriam quamdam Ioſeph nomine, cuius eſt principium: In diebus Claudij, &c. Libellum inſuper de eius acceſſu ad ſenatũ Romanum, vt Pilatum de nece Chriſti poſtularet iudicio, & alia eiuſmodi, nobis quidem inſulſa viſa. De acceſſu antem eius cum Martha & Maximino in Gallias, cùm vetus traditio, tum etiam antiqui manuſcripti codices edocent: quibus adde ea quę nouiſſimè ſcripta ſunt à Silueſtro Prierate Dominicano in Aurea roſa in expoſitione Euangelij feriæ quintæ infra Octauas Paſchæ quę recitat Sur. tom. 4. hac die. Lege & ea quæ Petrus in catal. ſcribit lib 6. cap. 124. & alia id genus: in omnibus ſeruans Apoſtoli regulam, vt cuncta probans, quod bonum eſt teneas. Sigeb. agẽs de eius tranſlatione anno Domini 745. hæc compendio deſcribit: Perſecutione poſt lapidationem Stephani protomartyris mota, Maximinus vnus de ſeptuagintaduobus diſcipulis ad Gallias tranſiens, Mariam Magdalenam ſecum adduxit, & eam apud Aquenſem vrbem, cui præſidebat, ſepeliuit defunctam. Aquenſi verò vrbe à Sarracenis deſolata, corpus eius à Gerardo Comite Burgundiæ ad cœnobium Viceliacum à ſe cõſtructum transfertur. Quamquam aliqui ſcribant, quòd illud apud Epheſum quieſcat, nullum ſuper ſe tegumen habens. hæc Sigebertus. Fuit etenim Gręcorum opinio, quòd corpora Mariæ Magdalenæ & Lazari quieſcerent Epheſi: vnde Cedrenus in comp. hiſt. in Leone Imp. Baſilij filio hæc ait: Condidit templum ſancto Lazaro ſacrum, inque eo Lazari & Magdalenæ reliquias Epheſo allatas

depo-

fuit. Hæc Cedrenus in compend. hiſt. in Leone Philoſopho. Inſuper Zonaras lib. 3. Annal. teſtatur S. Lazari corpus è Cypro inſula tranſlatum Conſtantinopolim, necnon & S. Mariæ Magdalenæ ſimul condita eſſe à Leone Imp. cognomento Philoſopho, in baſilica à ſe erecta: ſed Latinis magis aſſentimur. Inter alia de ſancta Maria Magdalena Patrum encomia, celebrior habetur oratio ab Origene conſcripta, quamquam Latinum ſcriptorem potiùs redoleat.

[d] Syntyches.] De qua Paul. ad Philippenſ. cap. 4. Agunt de eadem hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac cæteri.

[e] Platonis.] Agunt de eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij, Græci autem in Menologio xv. Kal. Ianuarij. Extant res geſtæ ipſius à Metaphraſte editæ, quas retulit Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 4. De miraculis virtute S. Platonis editis ſcripſit S. Nilus hiſtoriam ad Heliodorum, quæ recitata eſt in Septima Synodo, Actione quarta. Iuſtinianus Imp. in honorem S. Platonis ampliſſimum erexit monumentum, vt ſcribit Procopius, agens de ædific. Iuſtiniani Imp. de quo Cedren. in Baſilio Imperatore: Platonis, inquit, templum, quod corruerat, excitauit.

[d] Theophili.] Eius certamen deſcribitur in hiſtoria miſcella. Martyrij coronam adeptus eſt Conſtantino & Hirene imperantibus, anno Domini ſeptingenteſimo octogeſimoquarto.

[e] Cyrilli Epiſcopi.] De eo hac die Beda. Adſcribitur hic decimuſnonus eius ſedis Epiſcopus. Agit de eo Euſebius in chron. & hiſt. lib. 7. c. 26. Niceph. Calliſt. hiſt. lib. 6. cap. 34. atque etiam Niceph. epiſc. Conſtantinop in chron. Habentur eius Acta iuncta illis ſanctorum Claudij & Nicoſtrati, quæ ex antiquis codicibus edidit Mombrit. tomo 1. vbi ſcribitur, ipſum ob Chriſti fidem paſſum, ac tandem in carcere Deo ſpiritum reddidiſſe.

[i] Menelei.] De eo item hac die Vſuardus, & alij recentiores.

[g] Vuandregiſili.] Eius Acta ſincerè conſcripta refert Surius tomo 4. ex quibus conſtat, migraſſe ex hac vita anno Domini ſexcenteſimo ſexageſimoquinto, Indict. octaua, temporibus Vitaliani Papæ, licet malè Sigebert. referat ad annum 692. ſicut & Trithem. de viris illuſtribus ord. S. Benedicti lib. 3. cap. 96. Scribit de eodem Petrus in catal. lib. 6. c. 127. & nouiſſimè Molan. in Indiculo Sanct. Belgij.

[h] Ioſeph.] De quo & Græci. Eius verò admirabilem ad Chriſtum conuerſionem & fidei conſtantiam aduerſus Arianos, pluribus deſcribit S. Epiphanius in Panar. hæreſi 30. contra Hebionitas. Apud hunc hoſpitio ſuſceptus eſt S. Euſebius Epiſcopus Vercellenſis pro fide Catholica exul, quando eum inuiſit idem Epiphanius, qui hæc refert.

## 23 Decimo Kal. Auguſti. Luna. A iiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | | | |

NATALIS ſancti Apollinaris[a] Epiſcopi, qui ab Apoſtolo Petro Romæ ordinatus, & Rauennam miſſus, pro fide Chriſti diuerſas & multiplices pœnas perpeſſus eſt: poſteà in Æmilia Euangelium prædicans, plurimos ab idolorum cultu reuocauit: tandem Rauennam reuerſus, ſub Veſpaſiano[b] Cæſare glorioſum martyriũ conſummauit. Romæ ſancti Raſyphi[c] martyris. Ibidem paſſio ſanctæ Primitiuæ[d] virginis & martyris. Item ſanctorum martyrum Apollonij[e] & Eugenij. Eodem die natalis ſanctorum martyrum Trophimi[f] & Theophili, qui ſub Diocletiano Imperatore lapidibus cæſi, & igne incenſi, demum gladio percuſſi, martyrio coronantur. In Bulgaria ſanctorum plurimorum[g] Martyrum, quos Nicephorus impius Imperator, eccleſias Dei deuaſtans, diuerſo mortis genere, enſe, laqueo, ſagittis, diutino carcere, & fame necari fecit. Cenomanis in Gallia ſancti Liborij[h] Epiſcopi & confeſſoris. Romæ ſanctarum virginum Romulæ[i], Redemptæ, & Herundinis, de quibus ſcribit ſanctus Gregorius Papa. Eodem die tranſitus ſanctæ Brigittæ[k] viduæ, quæ poſt multas ſanctorum locorum pere-

grinationes, diuino afflata Spiritu, Romæ quieuit: cuius corpus in Sueciam poſteà tranſlatum fuit.

# IVLII 23.

Apollinaris Epiſcopi[a].] De quo etiam hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac reliqui omnes, necnon & Græci in Menologio. Huius geſta, quæ in antiquis manuſcriptis codicibus latitabant, edidit Mombritius tomo 1. & Sur. tomo 4. Petrus item in catalog. lib. 6. cap. 128. & alij qui res eccleſiæ Rauennatis ſunt proſecuti. Extat de eodem ſermo ſancti Petri Chryſologi, alij etiam Petri Damiani. De eius eccleſia religioſè adeunda, hæc Venantius Fortunatus:

*Rurſus Apollinaris pretioſi limina lambe.*

De ſepulchro eiuſdem, & iuramento illic præſtari ſolito, agit S. Gregorius in regiſt. lib. 5. epiſt. 33.

[b] Sub Veſpaſiano Cæſ.] Nō ſic quidem, vt aliqua illius tempore fuerit in Chriſtianos excitata perſecutio: ſed quod ait Sueton. in vita ipſius cap. 15. his verbis: Non temerè quis punitus inſons reperitur, niſi abſente eo, & ignaro, aut certè inuito, atque decepto. Hæc de eo Suetonius.

[c] Raſyphi.] De quo vet. manuſcript. ex quibus & alij recentiores.

[d] Primitiuæ.] Agit de eadem Petrus in catalog. lib. 11. num. 200. & alij.

[e] Apollonij & Eugenij.] De his etiam hac die Græci in Menologio agunt.

[f] Trophimi & Theophili.] Græci item in eodem Menologio hac die, ibique pluribus eorum martyrium referunt.

[g] Plurimorum martyrum.] Agunt itidem de his Græci in Menologio his verbis: Commemoratio eorum qui ſunt apud Bulgariam interfecti ſub Nicephoro Stauratio Imp. anno nono Imperij eius: quorum alij letalibus plagis acceptis, cùm Chriſtum negare non paterentur, multiplicibus & acerbiſſimis tormentis ſubiecti, è vita deceſſerunt, aliique enſe obtruncati, alij funibus vincti & ſuffocati, alij ſagittis confoſſi, alij denique carceribus & fame conſumpti expirarunt, & corona martyrij donati ſunt. Hæc ibi. Erat autem prædictus Imperator ſectâ Manichæus; de cuius immani crudelitate meminit Theodorus Studita in panegyrico S. Platonis. De his etiam hiſtor. Miſcel. in anno octauo eiuſdem Imp. Cedrenus etiam in compendio, anno nono. Facta hæc tradunt anno Chriſti 804. Indict. 5. ſed ſecundùm veriorem ſupputationem, anno Domini octingenteſimo vndecimo.

[h] Liborij Epiſcopi.] Agit de eodem hac die Ado. Res geſtas ipſius retulit Surius in tom. 4. Ponitur quintus eius ſedis Epiſcopus: ſedit annos 49. temporibus Valentiniani, Gratiani, & Theodoſij Auguſtorum. Facta eſt autem corporis eius tranſlatio anno Domini 836. Indictione 14. Ludouici Imperatoris anno 23.

[i] Romulæ & ſoc.] Agit de his S. Gregorius Papa lib. 4. dialog. cap. 15. vbi & de eccleſia S. Mariæ, apud quam manebant. Porrò earumdem Romulæ & Redemptæ veneranda corpora aſſeruari Romæ in baſilica S. Mariæ Maioris, inſcriptio muſiuo opere in apſide poſita his verbis declarat: IN HAC SACRA BASILICA CORPORA SANCTORVM MATTHIÆ APOSTOLI. HIERONYMI DOCTORIS. ROMVLÆ ET REDEMPTÆ VIRGINVM RECONDVNTVR. Hæc ibi; licet & Tiburtini eadem ſibi vendicent, de iiſdemque hac die ſolemnitatem agant. Verùm aliquam partem, non ipſa integra corpora eos accepiſſe putamus.

[k] Brigittæ, aliàs Birgittæ.] Hanc Bonifacius Nonus Rom. Pontifex adſcripſit in Sanctarum numerum. Vitam eius ſincerè conſcriptam habet Sur. tomo 4. Moritur anno Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimotertio.

## iij. B Nono Kalend. Auguſti. Luna. 24

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | | | |

Vigilia ſancti Iacobi[a] Apoſtoli. Tyri in Tuſcia apud lacum Vulſinium ſanctæ Chriſtinæ[b] virginis & martyris: quæ in Chriſtum credens, cùm patris idola aurea & argentea comminuiſſet, ac pauperibus erogaſſet, eius iuſſu verberibus dilaniata, aliiſque ſuppliciis diriſſimè cruciata, & cum magno ſaxi pondere in lacum proiecta, ſed ab angelo liberata: deinde ſub alio Iudice patris ſui ſucceſſore acerbiora tormenta conſtanter perferens, nouiſſimè à Iuliano Præſide poſt fornacem ardentem, vbi quinque diebus illæſa permanſit, poſt ſerpentes Chriſti virtute ſuperatos,

ratos,

ratos, abſciſſione linguæ, & ſagittarum infixione martyrij ſui curſum compleuit. Romæ via Tiburtina ſancti Vincentij [c] martyris. Amiterni in Veſtinis paſſio ſanctorum Militum [d] octogintatrium. Emeritæ in Hiſpania ſancti Victoris [e], viri militaris, qui cum duobus fratribus Stercatio & Antinogene in perſecutione Diocletiani per diuerſa ſupplicia martyrium conſummauit. In Lycia ſanctarum martyrum Nicetæ [f] & Aquilinæ, quæ beati Chriſtophori martyris prædicatione ad Chriſtum conuerſæ, martyrij palmam capitis obtruncatione ſumpſerunt. Item ſanctorum martyrum Menei [g] & Capitonis. Apud Senonas ſancti Vrſicini [h] Epiſcopi & confeſſoris.

## I V L I I 24.

VIGILIA S. Iacobi [a].] De ea etiam Beda, & alij recentiores.

[b] Chriſtinæ.] Ponitur hæc paſſa Tyri apud lacum Vulſinium, qui ab eadem ciuitate nomen accipiens, dictus eſt (vt iterùm diximus) lacus Tyrenſis: ſic enim appellatus reperitur in edicto Deſiderij Regis Longobardorum, quod extat Viterbij inciſum in marmore. Tyri enim ſanctam Chriſtinam paſſam eſſe, cùm vetera illorum locorum monumenta, & firma certaque à maioribus accepta traditio, tum etiam veteres manuſcripti codices confirmant. Porrò Tyrus ciuitas illic olim poſita à lacus excreſcentia abſorpta eſt, vt Vulſinienſes oppidani olim illi vrbi vicini teſtantur. Hæc de loco ſatis ſint dicta. Agunt etiam de eadem Chriſtina hac die Beda, Vſuardus, ac ceteri Latinorum, ac Græcorum, in quorum Menologio eius Acta narrantur conſentientia iis quæ à Latinis ſcribuntur, quæ poſt Mombrit. tomo 1. & Petrum in catalog. libro 6. cap. 130. Surius ex Martyrologio Adonis ſummatim deſcribit tomo 4. Vincent. libro 12. cap. 86. Antonin. part. 1. tit. 8. & alij. Habemus in noſtra bibliotheca eius Acta fuſiùs ſcripta, aliaque legimus in vetere codice ſanctæ Cæciliæ trans Tiberim. eſt priorum eiuſmodi exordium: Erat quædam ſancta & ſacra puella ex Aniciorum perilluſtri familia, &c. Illa autem quæ extant in dicto codice S. Cæciliæ, ſic incipiunt: Beatiſſima, &c. Putarunt aliqui de hac agere S. Auguſtinum in Pſalm. 120. Fefellit fortaſſe eos mendoſus codex: non enim de Chriſtina, ſed de Criſpina agit, perilluſtri martyre in Africa, de qua idem Auguſtinus ſæpiùs meminit, vt loco ſuo dicemus inferiùs: Criſpinam, & non Chriſtinam legit editio Louanienſis. Corpus ſanctæ Chriſtinæ Panormi in Sicilia ſumma veneratione aſſeruari percepimus, nec aliam ab iſta eſſe tradunt. Meminit ſanctæ Chriſtinæ Aldelmus Epiſcopus de laudib. virginitatis, & alij recentiores.

[c] Vincentij.] De quo Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Eſt Tibure eccleſia ſancti Vincentij, huius quidem, & non alterius Vincentij, vt multi credunt, dicta nomine, atque dicata.

[d] Militum octoginta.] Ponuntur hi paſſi Amiterni, quę fuit olim nobiliſſima ciuitas in Veſtinis; licet in alia edit. errore typographi, Amiternum in Sabinis ſit poſitum; nam Furconium, & Aquila, loca illi proxima, in Veſtinis ponuntur inferiùs. Amiternum eſſe in Veſtinis, ſcribit Cato libro orig. Ptolemæus libro 3. tabula ſexta Europæ id apertè docet. Strabo id ipſum libro 5. A Varrone meliùs diſces, vbi ſit Amiternum, & cur ita dictum: nam lib. 4. de lingua Latina ſic ait: Qui circum Aternum habitant amnem, Amiternini ſunt appellati. Porrò de Aterno flumine Veſtinos alluente meminit Strabo libro 5. & Vibius Sequeſt. libro de flum. & alij. Vnus tantùm Plinius lib. 3. cap. 12. ponit Amiternum in Sabinis, ea (vt puto) occaſione deceptus, quòd dicti reperirentur Amiternini Sabinorum, ea nimirum ex cauſa, quòd Amiternini à Sabinis venirent, vt auctor eſt Varro lib. 5. de lingua Latina. Dicta eſt alio nomine illa regio Prouincia Valeriæ, de qua ſuperiùs locuti ſumus. Fuerunt huius cohortis præcipui Florentius & Felix, vt ex manuſcriptis Aquilà tranſmiſſis accepimus.

[e] Victoris & ſoc.] De his Vſuardus, Ado, & alij recentiores: alij pro Stercatio habent Eſtertium. De his Vaſæus in chron. Hiſpan. item Flos ſanctorum Hiſpaniæ.

[f] Nicetæ & Aquilinæ.] Agunt de his etiam hac die Vſuardus, Ado, Petrus in catalog. lib. 6. c. 132. & alij recentiores. Habentur earum Acta iuncta illis S. Chriſtophori martyris; de his etiam Vincent. in Spec. lib. 13. cap. 25.

[g] Menei & Capitonis.] De his item hac die Græci in Menologio agunt.

[h] Vrſicini Epiſcopi.] Succeſſit hic ſancto Polycarpo, adſcribiturque in ſerie Epiſcoporum Senonenſium decimus ordine: claruit circa annum Domini 310. vt apparet ex tabulis Democharis lib. de ſacrificio Miſſæ.

## C Octauo Kalend. Auguſti. Luna. 25

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | | | |

SANCTI Iacobi [a] Apoſtoli, fratris beati Ioannis Euangeliſtę, qui prope feſtum Paſchæ ab Herode Agrippa docollatus eſt. Eius ſacra oſſa ab Ieroſolymis ad Hiſpanias tranſlata, & in vltimis earum finibus apud Gallæciam recondita, celeberrima illarum gentium veneratione, & frequenti Chriſtianorum concurſu religionis & voti cauſa illuc adeuntium, piè coluntur. In Lycia ſancti Chriſtophori [b] martyris, qui ſub Decio virgis ferreis attritus, & à flammæ æſtuantis incendio Chriſti virtute ſeruatus, ad vltimum ſagittarum ictibus confoſſus, martyrium capitis obtruncatione compleuit. Barcinone in Hiſpania natale beati Cucuphatis [c] martyris, qui in perſecutione Diocletiani ſub Daciano Præſide plurimis tormentis ſuperatis, percuſſus gladio, victor migrauit in cælum. In Palæſtina ſancti Pauli [d] martyris, qui in perſecutione Maximini ſub Firmiliano Præſide capitis damnatus, exiguo orandi ſpatio impetrato, primùm pro contribulibus ſuis, deinde pro Iudæis & Gentilibus, vt fidei veritatem agnoſcerent, poſteà pro circumſtantium multitudine, demum pro Iudice qui ipſum damnauerat, & pro carnifice à quo feriendus erat, Deum toto corde precatus, abſciſſis ceruicibus, martyrij coronam accepit. Ibidem ſanctæ Valentinæ [e] virginis, quæ ad aram vt immolaret adducta, cùm eam calcibus euertiſſet, diriſſimè cruciata, vnà cum ſocia virgine in ignem coniecta, cucurrit ad Sponſum. Furconij in Veſtinis ſanctorum martyrum Florentij [f] & Felicis Sipontinorum. Cordubæ S. Theodemiri [g] monachi & martyris. Treuiris ſancti Magnerici [h] Epiſcopi & confeſſoris.

## IVLII 25.

IACOBI Apoſtoli [a].] De eodem Beda ac ceteri Latinorum; Græci autem in Menologio agunt pridie Kalend. Maij, in quem diem natalem eius, quando ab Herode occidi iuſſus eſt, transferunt: Latini verò hac die agunt, quando eius venerandum corpus ex Iria Flauia Compoſtellam tranſlatum eſt, vbi hactenus celeberrimo totius Chriſtiani orbis officio colitur, vt conſtat ex Apoſtolicis litteris Calliſti Papæ Secundi, quibus etiam expreſſum habetur, vt tertio Kal. Ianuarij celebretur eius tranſlatio Ieroſolymis facta Gallæciam, itemque electio: rurſus autem, vt quinto Nonas Octobris ſolemnitas agatur, qua recolantur eiuſdem S. Iacobi miracula. Kalendis verò Iunij agitur Compoſtellanæ eccleſiæ dedicatio facta à Turpino Epiſcopo Rhemenſi, & aliis ſexaginta Epiſcopis, id curante Carolo Magno Imp. vt idem Turpinus teſtatur. De eius acceſſu & prædicatione in Hiſpanias, hæc liber qui inſcribitur nomine S. Iſidori de vita & mort. ſanct. cap. 75. Hiſpaniæ atque Occidentalium locorum populis Euangelium prædicationis infundit, &c. Hæc ibi: licet ille, an ſit Iſidori, non immeritò adducatur in controuerſiam, cùm complura in eo indigna Iſidoro reperiantur coagmentata mendacia. Rurſus autem in Breuiario Toletano inſtitutionis S. Iſidori, habetur ſacer hymnus, quo de eius acceſſu in Hiſpaniam agitur: vbi etiam inter alios hi verſus deſcripti habentur:

*Magni deinde filij tonitrui,*
*Adepti fulgent prece matris inclyta,*

Vtri-

*Vtrique vita culminis inſignia:*
*Regens Ioannes dextra ſolus Aſiam,*
*Et læua frater poſitus Hiſpaniam,* &c.

Beda etiam in collectaneis agẽs de diuiſione Apoſtolorum, Iacobum hunc in Hiſpanias eſſe profectũ teſtatur: id ipſum Turpinus in libro de rebus geſtis Caroli Magni Imp. id denique Calliſtus Papa Secundus (eius enim nomine litteræ Apoſtolicę ſcriptæ reperiuntur) affirmare videtur. Sed cùm omnium Apoſtolorum primus S. Iacobus martyrio ex hac vita migrarit, idque etiam ante diuiſionem Apoſtolorum: inde nonnullis de ea re dubitandi occaſio orta eſt. Verùm Iacobi in Hiſpaniam profectio tunc potiſſimùm potuit contigiſſe, cùm poſt necem Stephani protomartyris ſecuta eſt ſtatim diſperſio omnium diſcipulorum: & licet dicat S. Lucas in Actis, omnes diſperſos eſſe præter Apoſtolos, intelligendum ex maiori parte; ſicut cùm ibidem ait, omnes diſcipulos diſperſos eſſe per regiones Iudææ atque Samarię: cùm tamen conſtet, inter alios Ananiam tũc temporis profectum eſſe Damaſcum Syriæ, illicq́ue Euangelium prædicaſſe. Sanè quidem & horum matrem, vxorem Zebedæi, Mariam, eadem diſperſione fugatam, in Italiam aduentaſſe, & apud Hernicos, itinere fatigatam, in pace quieuiſſe, produnt vetera monumenta eccleſiæ Verulanæ, vbi eius venerandum corpus religioſè aſſeruatur. Hæc autem de acceſſu Iacobi in Hiſpanias nuper dicta non ſic accipias, vt illic prædicauerit Gentibus Euangelium (nondum enim decreto Apoſtolorum illis fuerat oſtium reſeratum) ſed Iudęis tantùm, ſuis gentilibus, Chriſtum annuntiarit; nec ſic quidem, vt aliquã illic fundarit eccleſiam: eoq́ue ſenſu ſunt accipienda verba Innocentij Papæ in epiſt. ad Decentium, quòd nullus Apoſtolorum in Hiſpania vel Gallia populum Gentilem docuerit, ſed illi tantùm, quos in eas regiones miſiſſet Petrus Apoſtolus. Prędicta autem non ſic mordicus defendimus, vt his inuitos adſtipulari cogamus; ſed potiùs vt oſtenderemus, quę dicuntur de profectione eius in Hiſpaniã, non eſſe adeò impoſſibilia, vel haberi pro mõſtro, vt putant aliqui. Addimus & illud de eodem Apoſtolo; ipſum nimirum, ſicut Ioannem, virginem permanſiſſe: id etenim teſtatur S. Epiphanius in Panar. hæreſi 58. his verbis: Quinam igitur hi fuerint, quàm generoſi Apoſtoli, ac monaſticam vitam degentes, ac deinceps virgines? Ioannes quidem & Iacobus, filij Zebedæi, qui manſerunt in virginitate. Hæc Epiphanius. Agit de eodem Suidas in Herode, recitatq́; hiſtoriam de martyrio illius qui illum accuſauerat, & quomodo veniam precatus, martyrium ſubiit. Trithemius de vir. illuſtr. dum recenſet Calliſti Papæ commentarios, ait illum copioſo ſermone & maxima diligentia tractatum ſcripſiſſe de miraculis S. Iacobi. Legimus eiuſdem Calliſti nomine de ea re quinque libros digeſtos, quibus continentur miracula eiuſdem Apoſtoli virtute edita, licet (vt conſtat ex ratione annorum numeri) aliqua fuerint ſuperaddita, atque illis admiſta. Habentur & eiuſdem Calliſti ſermones de tranſlatione S. Iacobi, itemq́ue de ea re epiſtolæ, necnon & litteræ Leonis Papæ Tertij de trãſlatione S. Iacobi in Hiſpaniam facta tertio Kalend. Ianuarij. eſt earum exordium: Noſcat fraternitas veſtra, &c. Itemq́ue litteræ Innocentij Papæ Secundi habentes ſubſcriptionem S.R.E. Cardinalium, qui illis vixere temporibus, quibus eiuſdem Calliſti commentar. comprobatur. recitatur in eo & epigramma Fortunati de martyrio S. Iacobi.

[b] Chriſtophori.] Martyr eſt tam Latinis quàm Græcis notiſſimus, de quo hac item die Beda, Vſuard. Ado, & alij omnes recentiores; Græci autem de eo agunt in Menologio ad ſeptimum Idus Maias. Huius quidem Acta deprauata ac inter ſe diuerſa admodum reperiuntur. Edidit ea primùm Mombrit. tomo 1. vit. ſanct. Petrus in catalogo lib. 6. cap. 135. Vicellius in Hagiolog. ex Ruggero Fuldenſi paucis contraxit. Legimus eadem in nonnullis antiquis codicibus; quæ & Sur. retulit in tomum quartum: ſed omnia quæ cenſura indigeant. Irrepſit inter alia, vt pro Decio Imperatore Dagnus quidam ſit poſitus: ſub Decio etenim eſſe paſſum vnà cum ceteris Chriſtianis commilitonibus, conſtat ex veteri hymno ſacro, qui legitur in Breuiario Toletano ſecundùm regulam S. Iſidori, quo etiam eiuſdem martyris Acta deſcribuntur: quæ quidem præ ceteris omnibus nobis arrident. Aſſeruantur ibidem (vt in eodem Breuiario legimus) eiuſdem martyris venerandæ reliquiæ. Frequens erat ac religioſus in Hiſpaniis Chriſtophori martyris cultus. Erat etiam Cordubę nobilis ac vetus memoria S. Chriſtophori, eccleſia & monaſterium ab eo denominatum, cuius meminit S. Eulogius, dum agit de alio Chriſtophoro eiuſdem monaſterij alumno; qui ſicut & nomen, ita etiam eum imitatus, martyrij coronam eſt conſecutus tempore perſecutionis Sarracenorum. De alio monaſterio nomine eiuſdẽ S. Chriſtophori dedicato meminit S. Gregor. in regiſt. lib. 8. epiſt. 33. Hæc de antiquis eius memoriis. Quod pertinet ad giganteam ſtaturam, qua pingi conſueuit, quid dicam, non habeo: referam hîc tantùm ex hymno præfato hos verſus, quibus eius imago deſcribitur, immò potiùs tantummodò adumbratur:

*Elegansq́; ſtatura, mente elegantior,*
*Viſu fulgens, corde vibrans, & capillis rutilans,*
*Ore Chriſtum, corde Chriſtum Chriſtophorus inſonat.*

Et in capitulo ſic dicitur: De minimo grandis, vt ex milite dux fieret fidelium populorum, &c. Porrò ea cuncta quę de S. Chriſtophoro ferũtur, de palma, flumine, ſtatura procera; ea, inquam, omnia Hieronymus Vida Epiſcopus Albæ allegorico ſenſu interpretata egregio cecinit epigrammate. De ſymbolicis picturis Chriſtianis antiquitus pingi ſolitis diximus ſuperiùs 23. Aprilis in Georgio.

[c] Cucuphatis.] De quo & Beda, Vſuardus, Ado, & alij hac die. Prudentius hymno quarto de eo hoc verſu meminit:

*Barchinon claro Cucuphate freta*
*Surget*, &c. Huius Acta ex anonymo deſcripſit Surius tomo 4. Mombritius tomo 1. Petrus in catalogo lib. 6. cap. 136. ſed eadem feliciùs canuntur ſapphico carmine, hymno ſacro, qui legitur in Breuiario Toletano. Plura de eodem in Flore ſanct. Hiſpan. & in Theſauro concion. tomo 2. Kal. Auguſti; ibi & de Felice agitur.

[d] Pauli.] Agit de eo Euſebius hiſtor. lib. 8. cap. 18. paſſumq́ue tradit anno ſexto perſecutionis Diocletiani Imp. qui eſt annus Domini 307.

[e] Va-

[e] Valentinæ.] Eadem ipſa eo paſſa eſt tempore, quo & Paulus, de quo modò actum eſt. Scribit de ea idem Euſebius hiſt. lib. 8. c. 18.

[f] Florentij & Felicis.] Sunt hi duo ex numero illorum octogintatrium militum, de quibus agitur pridie huius diei; ibi & de his diximus. Furconij cùm hi ponantur, ſciendum eſt, nobilem fuiſſe eccleſiam Furconienſem in Veſtinis, cuius mentio habetur in Concilio Romano ſub Agathone, quod recitatur in Sexta Synodo Act. 4. Adnumeratam eamdem inueni inter eas, quarum Epiſcopi dicebantur olim Suffraganei Romani Pontificis, nec erant ſub ditione alicuius Archiepiſcopi, ſed tantùm immediatè ſubiecti Romano Pontifici, vt habet codex manuſcript. bibliothecæ Vaticanæ, qui inſcribitur Liber cenſuum.

[g] Theodomiri.] De quo agit S. Eulogius in memor. ſanct. lib. 2. cap. 6. aitque eumdem 25. Iulij, die Sabbati, martyrij coronam eſſe adeptum, æra octingenteſima nonageſimanona, anno à Christo Domino octingenteſimo quinquageſimoprimo.

[h] Magnerici Epiſc.] Agit de eodem hac die Molan. in addit. ad Vſuar. Acta eius ſcripſit Ebruinus abbas. Habetur de eo mentio in Actis S. Gauderici, quæ recitat Sur. to. 4. 11. Auguſti, Gregor. Turonenſis de geſt. Franc. lib. 8. c. 37. lib. 9. c. 10. & in tabulis Epiſcoporum Treuerenſium poſt Nicetium. De hoc extare carmen Fortunati, tradit Molanus: verùm in libris Fortunati nuper editis Calari, non de Magnerico Treuerenſi, ſed de Agerico Virdunenſi carmen extat lib. 3. Vixit circa annum Domini 505.

j. D **Septimo Kal. Auguſti. Luna.** 26

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | | | |

DORMITIO ſanctæ Annæ [a] matris genitricis Dei Mariæ. Philippis in Macedonia natalis S. Eraſti [b], qui illic à beato Paulo Apoſtolo relictus Epiſcopus, ibidem martyrio coronatus eſt. Romæ via Latina ſanctorum martyrum Symphronij, Olympij, Theoduli, & Exuperię, qui (vt in geſtis S. Stephani Papæ legitur) ignibus combuſti, martyrij palmam adepti ſunt. In Portu Romano ſancti Hyacinthi [d] martyris, qui primò in ignem iniectus, deinde in profluentem præcipitatus, illæſus euaſit: poſt hæc à Leontio Conſulari ſub Traiano Imperatore gladio percuſſus, vitam finiuit: cuius corpus Iulia matrona in prædio ſuo iuxta Vrbem ſepeliuit. Item Romæ ſancti [e] Paſtoris presbyteri, cuius nomine Titulus [f] extat in Viminali apud ſanctam Pudentianam. Veronæ ſancti Valentis [g] Epiſcopi & confeſſoris. In monaſterio ſancti Benedicti in agro Mantuano ſancti Simeonis [h] monachi & eremitæ, qui multis miraculis clarus, in ſenectute bona quieuit.

## IVLII 26.

ANNÆ [a].] Græci autem de ea pridie huius diei agunt in Menologio: in conſtitutione Emmanuelis Imp. ponitur inter eas ſolemnitates, quibus vacandum eſt religionis gratia. De eadem Dei genitricis matre meminit S. Epiphan. in Panar. hær. 78. & 79. itemq; in commentariolo de laudibus Deiparæ. Antiochus monachus, qui doctrina & ſanctitate claruit temporibus Heraclij Imperatoris, de eadem agit in hom. 10. Ioannes Damaſcenus de fide Orthodoxa lib. 4. c. 15. in oratione prima de dormitione beatæ Mariæ, & orat. 1. & 2. in natiuitate eiuſdem. Andreas Cretenſis plura in Natali Deiparæ, & in ſacris hymnis. Multa præterea de ea apud Cyrum Prodromum. Eſt de eadem ſermo Fulperti Epiſcopi Carnotēſis. In Breuiario Toletano ineſt de ea vetus officium eccleſiaſticum cum ſacro hymno eodem die canendo. Habemus in noſtra bibliotheca tom. 7. de eadem ſermonem, cuius eſt initium: Beatiſſimæ & multiplici, &c. Ibique carmina quędā in laudem ipſius ſcripta ſunt, in aliqua eccleſia cani ſolita. Fertur de eadem apocryphum quoddam, nomine S. Hieronymi, quod incipit: Poſtulatis, filiæ, &c. De miraculis S. Annæ Trithemius ſcripſit. Eius venerandum caput aſſeruari Duræ, quod eſt oppidum Iuliacenſe, teſtatur Molanus in addit. ad Vſuardū edit. 2. annulus autem eius Romæ in ipſius Eccle-

ſia

ſia cuſtoditur. Iuſtinianus Imperator eidem etexit Conſtantinopoli auguſtiſſimam baſilicam, vt auctor eſt Procop. lib. 1. ędif. Iuſtiniani Imperatoris, de qua habetur mentio in Actis S. Stephani Iunioris: eamdem tandem vetuſtate collabentem Baſilius Imp. reſtituit, vt ſcribit Cedren. in Baſilio. Plura in laudem ſanctæ Annæ tam carmine quàm ſoluta oratione à recentioribus ſcripta ſunt, vt à Vicellio, & aliis. Conſtat ex prædictis, tam in Orientali quàm Occidētali Eccleſia peruetuſtum fuiſſe ſanctæ Annæ cultum; quem Sanctiſſimus Dominus noſter Gregorius XIII. Papa, diuino afflatus Spiritu, Apoſtolicis litteris datis hoc anno Domini 1584. Kal. Maij, ſui Pontificatus anno duodecimo, firmauit auxitque: præcipiens nimirum, vt perpetuis futuris temporibus beatæ Annę dies feſtus ſeptimo Kal. Auguſti per totius Orbis eccleſias Duplici officio quotannis recolatur, Romaniſque ac aliarum eccleſiarum Kalendariis addatur, & Duplex ei adſcribatur.

[b] Eraſti.] De quo Acta Apoſtolorum c. 19. Paulus ad Romanos cap. 16. & ad Timoth. cap. 4. Agunt de eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Hunc creatum fuiſſe Epiſcopum Paneadis, ſcribit Dorotheus in Synopſi; licet ceteri omnes, quibus magis aſſentimur, Philippenſem cum dicant factum Epiſcopum.

[c] Symphronij & ſoc.] De his hac die Vſuardus, & alij. Res geſtæ ipſorum deſcriptæ habentur in Actis S. Stephani Papæ, apud Surium tomo quarto, die ſecunda Auguſti.

[d] Hyacinthi.] Agunt de eo etiam Beda, Vſuar. Ado, & alij recentiores: Acta verò ipſius recitat Surius tomo 4. hac die.

[e] Paſtoris.] Non tantùm in vet. Romano Martyrologio, ſed & in antiquis manuſcriptis de eo agitur hac die. Plura de ipſo ſcripta habentur in Actis ſanctarum Pudentianæ, Praxedis, Nouati, & Timothei, quorum ſuprà meminimus. Mentio de eodem habetur in libro de Rom. Pontificibus in Pio Papa. De eius obitu agitur in litteris eiuſdem Pontificis ad Iuſtum Epiſcopum Viennenſem; quas eſſe germanas, monſtrauimus in Annalibus Eccleſiaſt. In eis hæc de Paſtore ſcripta habentur: Paſtor Titulum condidit, & dignè in Domino obiit. Hæc ibi. Habemus in noſtra bibliotheca res geſtas ſancti Paſtoris, ſeu potiùs panegyrim in die natali eius alicubi in eccleſia legi ſolitam. Eſt eius exordium: Sanctorum veſtigia, &c. Ibi etiam ea die de alio Paſtore agitur diſcipulo S. Eraſmi Epiſcopi, qui paſſus eſt Romæ via Salaria, temporibus Diocletiani, atque ſepultus ad Cliuum Cucumeris. De ſcriptis S. Paſtoris, quorum penes Græcos vſitatior fuit lectio, in Annalibus pluribus egimus.

[f] Titulus.] Idem Titulus, quod Memoria, ſeu Eccleſia; ſic dictus, quòd in loco vbi erat eccleſia erigenda, crux poneretur in titulum. ſic L. vlt. de Pagan. Cod. Theod. & L. Decernimus C. de Epiſc. & cleric. Nouel. 117. cap. 7. ex Iulian. & conſt. 4. c. 1. Auth. coll. 5. tit. 17. Vt nullus fabric. c. Nemo eccleſiam. de conſecrat. diſtinct. 1. ex Concil. Aurelianenſi & in Capitularibus Franc. libro 5. cap. 239. Ord. Roman. de diuinis officiis c. de ædif. eccleſ. pag. 107. Habes de Titulo hæc ex Prudentio hym. 5. Periſteph. de ſancto Vincentio:

*Iam nunc & oſſa extinxero,*
*Ne ſit ſepulchrum funeri,*
*Quod plebs gregalis excolat,*
*Titulumq́; figat martyris.*

Et hymno 12. de paſſionibus Apoſtolorum, in hunc modum:

*Parte alia Titulum Pauli via ſeruat Oſtienſis.*

Romæ autem obtinuit vetus loquendi vſus, vt non omnis eccleſia, martyrúmve Memoria Titulus diceretur, ſed tantùm inſigniores eccleſiæ, quibus præficerentur presbyteri Cardinales.

[g] Valentis Epiſcopi.] De eo tabulæ eccleſiæ Veronenſis, & in antiquis monumentis Epiſcoporum Veronenſium, quæ collegit Illuſtriſſ. ac Reuerendiſſimus, hodie Cardinalis, Auguſtinus Valerius eiuſdem ciuitatis Epiſcopus.

[h] Simeonis.] Huius res geſtas ſcripſiſſe fertur Hilarion monachus ord. S. Benedicti: eas nos non vidimus, niſi ſint illæ quæ in bibliotheca Vaticana manuſcriptæ leguntur abſque auctoris nomine, in codice qui habet numeri notam 709. vbi traditur, hunc Armenum fuiſſe genere, ordine Leuitam, profeſſione monachum; veniſſe in Italiam, ac multis egregiis operibus illuſtratum quieuiſſe in Domino anno à Chriſto milleſimo decimoſexto, Indict. 14. ſeptimo Kal. Auguſti, Henrico Imp. Quibus temporibus etiam Treoiris in Galliis claruit alius eiuſdem nominis & profeſſionis, ordiniſque S. Benedicti; qui in turri incluſus, ibidem vſque ad obitum vixit, de quo Sigebert. in chron. anno Domini 1015. & Trithemius de vir. illuſtr. ord. B. Benedicti libro 3. cap. 238.

## 27 Sexto Kalend. Auguſti. Luna. E *

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18
t u A B C D E f F G H M N P
19 20 21 22 23 24 25 26 26 27 28 29 30 1

NICOMEDIÆ paſſio S. Pantaleonis[a] medici, qui à Maximiano Imperatore pro fide Chriſti tentus, & equulei pœna, ac lampadarum exuſtione cruciatus, ſed inter hæc Domino ſibi apparente refrigeratus, tandem ictu gladij martyrium conſummauit. Ibidem ſancti Hermolai[b] presbyteri, cuius doctri-

tyris, qui ſub Licinio Imperatore poſt diuerſas pœnas in fornacem iniectus, ac Dei ope ſeruatus illæſus, martyrium capitis abſciſſione compleuit. In Britannia Minori ſancti Sampſonis [i] Epiſcopi & confeſſoris. Lugduni ſancti Peregrini [k] presbyteri, cuius beatitudinem miraculorum gloria teſtatur.

## IVLII 28.

[a] VICTORIS Papæ [a]. ] Succeſſit hic ſancto Eleutherio, vt patet ex libro de Romanis Pontificibus, Euſebio in chron. & hiſt. lib. 5. cap. 22. & ſequen. Optat. Mileuitan. lib. 2. contra Parmen. Auguſtin. epiſt. 165. & alijs: noſque de eo egimus in Annalib. Eccleſ. vbi & pro eodem ſcripſimus apologiam aduerſus eos, qui nimiæ ſeueritatis, ob res ab eo geſtas aduerſus hæreticos Quartodecimanos, redarguunt.

[b] Innocentij Papæ. ] Hic ſuffectus eſt in locum S. Anaſtaſij, vt conſtat ex lib. de Rom. Pontificibus, Proſpero, Marcellino, & Nicephoro Epiſc. in chron. Eius autem Acta per annos ſingulos digeſſimus in Annal. vindicauimuſque eum à calumnijs Zoſimi Ethnici ſcriptoris Chriſtianis infenſiſſimi. Eius corpus tranſlatum eſſe à Sergio Iuniori in titulum Equitij, docet vetus inſcriptio ibidem poſita.

[c] Nazarij & Celſi. ] De his hac die Vſuardus, & alij: nonnulli autem ad pridie Idus Iunij, qua ſanè die inuentarũ reliquiarum per S. Ambroſium ſolemnis dies celebrabatur: hodie autem illorum dies natalis colitur, de quo extat ſermo S. Ambroſij 14. de ſanct. edit. Rom. quem etiam habet Lipom. tom. 6. & Sur. tom. 3 19. Iunij. Meminit idẽ de Nazario in comment. in Lucam lib. 7. c. 13. Deſcribit eorumdẽ Acta Metaphraſt. quę & Lipom. & Surius in ijſdem locis referunt. Alia inſuper fuſiùs ſcripta recitat Mombrit. tom. 2. Narrantur inſuper horum martyrum res geſtæ in Actis ſanctorum Syri & Iuuentij, quę extant apud Surium tom. 7 die 12. Septemb. Agunt etiã Gręci horum martyrum annuam commemorationẽ prid. Idus Octobr. vt conſtat ex dicto ipſorum Menolog. De adinuentione ipſorum corporum ſcribit Paulinus in vita S. Ambroſij, cuius liberalitate eorumdem ſacræ reliquiæ in diuerſas orbis Chriſtiani regiones diuiſæ ſunt. Accepit eas S. Paulinus, qui in Fundana atque Nolana baſilica collocauit, vt ipſe ſcribit ad Seuer. epiſt. 12. & in Natali 9. S. Felicis. Sanctus Gaudentius Brixianus Epiſcopus eaſdem ab eodem acceptas condidit in baſilica, quam dedicauit, vt ipſe ſcribit in ſermone in eius dedicatione habito. Miſit Nazarij reliquias ad Epiſcopos Africanos eas expoſcẽtes Ennodius Ticinenſis, cuius ad eoſdem extat epiſtola: tranſlatæ ſunt etiam in Gallias Ebredunum: ſed ob frequentes barbarorum incurſus iam obliuione ſepultæ, ac iterùm inuentę, occaſionem dederunt, vt Gregor. Turonenſis de gloria martyr. cap. 47. rerum geſtarum inſcius, exiſtimaret dictos martyres Ebreduni in Gallia eſſe paſſos, ſecurus fidem cuiuſdam apocryphi. De baſilica S. Nazarij in Gallijs, quam in auguſtiorem formam reſtituit Leontius Epiſcopus, ſcribit epigramma Venantius Fortunatus lib. 1. De alijs eorumdem reliquijs Pariſijs collocatis Aim. lib. 2. de geſt. Franc. cap. 20. Erat & Conſtantinopoli memoria S. Nazarij, cuius baſilicam vetuſtate collapſam reſtituit Baſilius Imp. vt ſcribit Cedren. in compend. in Baſil. Imp. Naboris item & Nazarij ſacras reliquias rurſus tranſlatas in Gallias anno ſeptingenteſimo ſexageſimo, tradit Herman. in chron. Quem tamen putamus intelligere de Nabore & Nazario Romæ paſſis, de quibus ſuprà 12. Iunij, ſecundùm ea quæ ibi notata ſunt ex Sigeberto.

[d] Anolinus, aliàs Anulinus. ] Non tantùm Neronis temporibus Anolinus Præfectus aduerſus Chriſtianos exercuit gladium, ſed & temporibus Maximini Imp. qui ſucceſſit Alexandro, alius eiuſdem nominis Anolinus dictus geſſit ſub ſæuiſſimo Principe præfecturam prætorij, de quo Iulius Capitolinus in Maximino filio. Tertius Anulinus etiam fuit, qui vixit ſub Aureliano & Gallieno Impp. cuius mentio habetur in Actis ſanctarum Maximæ, Donatillæ, & Secundæ. Rurſus etiam Diocletiani & Maximini Impp. temporibus quartus reperitur Anulinus Proconſul in Africa, qui aduerſus Chriſtianos diras exercuit quæſtiones, vt Acta martyrum teſtantur: meminit eiuſdem Optat. Mileuit. lib. 3. aduerſus Parmenianum, & ſanctus Auguſtinus ſæpiùs agens aduerſus Donatiſtas, vt in Breuic. collat. diei 3. c. 12. & alibi.

[e] Commemoratio plurimorum ſanctorum martyrum. ] Horum certamina breui ſumma deſcribit S. Hieronymus in vita S. Pauli primi eremitæ, in eius exordio.

[d] Simplicij & ſociorum. ] De his item hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Horum agones deſcripti habentur in Actis ſancti Anthimi, apud Surium tomo 3. die 11. Maij, & Mombritium tomo 2. Seorſum poſita ſunt apud nos manuſcripta quæ incipiunt: Temporibus Diocletiani, &c. De horum venerandis corporibus hæc leguntur in libro de Romanis Pontificibus in Leone Papa Secundo: Hic fecit eccleſiam in vrbe Roma iuxta S. Bibianam, vbi corpora ſanctorum Simplicij, Fauſtini, & Beatricis, & aliorum martyrum recondidit, & ad nomẽ beati Pauli Apoſtoli dedicauit. Hæc ibi. In ſacratio baſilicæ S. Mariæ Maioris

in

in tabula lapidea eiuſmodi legitur epitaphium: MARTVRES SIMPLICIVS ET FAVSTINVS, QVI PASSI SVNT IN FLVMEN TIBERE, ET POSITI SVNT IN CEMITERIVM GENEROSES SVPER FILIPPI.

[e] Lucillæ, Floræ, & ſoc. ] Agit de his item Molanus in addit. ad Vſuardum. Extat manuſcr. ſermo Petri Damiani in die natali prædictarum virginum & martyrum :incipit: Gaudeamus, fratres, &c. Quæ autem Petrus in catalog. lib. 6. cap. 157. de his ſcribit, apocrypha omnino eſſe noſcuntur, nec vlla penitus veritate ſubſiſtunt. Eiuſdem generis eſſe probantur ea quæ legimus in manuſcript. quorum eſt exordium : Tempore quo Marcus Antoninus cum Aurelio Commodo,&c. Habet complura,quæ nec temporum,nec rerum veritati vlla ex parte conſentiunt. Nec meliora his nactus videtur Petrus Damiani,dum de ijſdem Actis ſermonem texens, quaſi anceps, per latum campum excurrentem orationem freno quodam coërcens ,ait : Si tamen rei fides eſt adhibenda, qua dicitur, &c. Dolemus clariſſimarum martyrum germana Acta perijſſe ; ſed magis dolemus à neſcio quo otioſo ac imperito quædam fabuloſa commenta illorum loco eſſe ſuppoſita. Legimus libellum de earumdem ſacrorum corporum tranſlatione, qui ſic exorditur: Anno Dominicæ incarnationis 861. Ioannes humilis Epiſcopus Aretinus, &c. Has paſſas eſſe ſub Gallieno Imperatore, Petrus Galeſinius in ſuo Martyrologio etiam profitetur.

[f] Callinici. ] De eo etiam Græci hac die in Menologio. Eius Acta fuſiùs explicata deſcripſit Metaphraſtes, quæ retulit Lipom. tomo 6. & Sur. tom. 4. Olim autem feſtum ſancti Callinici celebrari ſolitum fuit viij. Kalend. Nouembris, vt apparet ex Actis SS. Synodi Chalcedonenſ. ea enim die, ſexta Actio eius Concilij eſt habita. Verùm ea verba, quę in tranſlatione Dionyſij Exigui poſt ſubſcriptionem Epiſcoporum in ea Actione reperiuntur, in Græco textu deſunt hodie. De eius nominis eccleſia, ac ſacris reliquijs eius, Gangræ poſitis, habes in hiſt. Miſcel. lib.15. anno 25. Anaſt. Imp. Cedren. eodem anno de ijſdem agit in compend. hiſt.

[g] Olaui. ] Hunc in baptiſmate Iacobum dictum ferunt. Scribit de eo Saxo Grammat. lib.10. hiſtoriæ Danicæ, & Ioannes Olaus pluribus hiſt. Goth. lib. 17. cap. 21. 22. 23. & lib. 18. cap. 1. & 5. vbi agitur de nece ipſius.

[h] Lupi Epiſcopi. ] Agunt de eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Eius Acta extant apud Sur. tom. 4. De ipſo item ſcribit Beda de geſt. Anglor. lib. 1. c. 17. & ſequen. Conſtantius item in vita ſancti Germani Epiſcopi Antiſiodori lib. 1. cap. 19. & ſequen. Sidon. Apollinaris lib. 6. epiſt. 1. & 4. lib. 7. epiſt. 14. & in carmine Euchariſtico ad Fauſtum. Gildam Sapientem ſcripſiſſe huius res geſtas, teſtatur catalog. ſcriptorum Britan. Gregor. Turonenſis item de eo lib. de gloria confeſſ. cap. 67. 68. Ado in chron. anno 452. Sigebertus anno 435. & 436. alijque recentiores, qui res Attilæ proſecuti ſunt.

[i] Gulielmi Epiſc. ] Scripſit eius res geſtas Godefridus Epiſc. Bituricenſis, quas recenſet Sur. tom. 4. Exceſſit ex humanis anno Domini 1241. Retulit eum in Sanctorum numerũ Innocentius Papa Quartus, cuius extant de ea re litteræ Apoſtolicæ, datæ anno vndecimo Pontificatus ſui, vt vidimus in regiſtro ipſius, anno 11. num. 532.

[k] Proſperi Epiſcopi. ] De quo Beda hac die. Succeſſit hic ſancto Aniano : extant ad hunc litteræ Sidonij Apollinaris lib. 9. epiſt. 15. Vixit temporibus Leonis Magni Romani Pontif. ęqualis ſancti Proſperi Aquitani.

[l] Fauſtini. ] De quo vetera monumenta eccleſiæ Tudertinę, quæ ad nos allata ſunt.

[m] Seraphinæ. ] Tam in Martyrologio antiquo Romano, quàm in vet. manuſcript. de ea habetur mentio hac die.

## 30 Tertio Kalend. Auguſti. Luna. A xxvij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | | | |

ROMÆ ſanctorum martyrum Abdon [a] & Sennen Perſarum, qui ſub Decio catenis alligati Romam adducti, pro Chriſti fide primùm plumbatis cæſi, deinde gladio interfecti ſunt. Tuburbi Lucernariæ in Africa ſanctarum virginum & martyrum Maximæ [b], Donatillæ, & Secundæ: quarum duæ primæ in perſecutione Valeriani aceto & felle potatæ, deinde plagis acerrimis cæſæ, & equulei extenſione cruciatæ, craticulis etiam exuſtæ, & calce perfricatæ, poſtmodum cum Secunda virgine duodecim annorum ad beſtias ſimul proiectæ, ſed ab his intactæ, nouiſſimè gladio iugulatæ ſunt. Aſſiſij in Vmbria ſancti Rufini [c] martyris.

Cæſareæ in Cappadocia ſanctæ Iulittæ [d] martyris, quæ bona ſua à quodam potente ſibi vſurpata in iudicio repetens, cùm ille exceptionē daret, quòd vt Chriſtiana non deberet audiri, mox à Iudice iuſſa eſt thus idolis offerre, vt poſſet audiri: quod illa conſtanter recuſans, in ignem coniecta, ſpiritum Deo reddidit: corpus autem à flamma remanſit illęſum. Eius pręclaras laudes ſanctus Baſilius Magnus egregio encomio celebrauit. Antiſiodori S. Vrſi [e] Epiſcopi & confeſſoris.

## IVLII 30.

ABDON & Sennen [a].] Agunt de his hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores. Narrantur horum res geſtæ in præambulis hiſtoriæ martyrij ſancti Laurentij; ſeorſum autem Mombrit. tom. 1. Petrus in catalog. lib. 6. cap. 158. & alij. Continent eaſdem vet. manuſcripta quæ tamen caſtigatione indigent.

[b] Maximæ, Donatillæ, & Secundæ.] De his item Beda, ac ceteri omnes; Ado autem vberiùs harum Acta refert, ac Petrus in catalogo. lib. 6. cap. 159. qui cùm dicant, has paſſas eſſe ſub Anulino Iudice; conſule quæ ſuperiùs diximus die 28. huius, plures eiuſdem nominis extitiſſe Chriſtianorum perſecutores, qui diuerſis temporibus, ſub diuerſis Imperatoribus, in Chriſtianos ſæuierunt.

[c] Rufini.] Extat de eodem ſermo Petri Damiani, necnon ſacer hymnus: quæ omnia habes apud Surium tom. 4. hac die.

[d] Iulittæ.] Agunt præterea de eadem Græci hac die in Menologio. Extat de eadem luculenta oratio S. Baſilij, vbi de eius diei celebratione hæc ait: Hunc diem vobis indiximus celebriter agendum, &c. De eius verò ſepulchro hęc habet: Corpus autem honore præcipuo venerabile aſſeruauit affinibus & cognatis incolume, nec vlla ſui parte læſum: quod ſanè in ornatiſſimo primarij templi vrbis totius veſtibulo conditum, loco quidem affert venerabilem ſanctimoniam; nec minùs qui eo loci conueniunt, efficit ſanctiores, &c. Sequitur narrare de fonte, qui ibidem, cùm illuc perlatum eſt martyris ſacrum corpus, diuino miraculo è terra mox erupit.

[e] Vrſi Epiſcopi.] De eodem hac die Beda. Adnumeratur hic vndecimus eius ſedis Epiſcopus in tabulis Epiſcoporum Antiſiodorenſium. Sedit annos ſex, & menſes quatuor; obijtque hac die, ſepultus in baſilica ſancti Germani: ponitur inter illos qui ſcripſerunt Synodicam ad Leonem Papam. Hæc ex Demochare de ſacrif. Miſſæ.

xxv. 25. B Pridie Kalend. Auguſti. Luna. 31

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | | | |

CÆSAREÆ paſſio beati Fabij [a] martyris, qui cùm ferre vexilla præſidalia recuſaret, primùm diebus aliquot in carcerem truſus, deinde interrogatus ſemel & iterùm, cùm in confeſſione perduraret, mox à Iudice capitali ſententia condemnatur. Mediolani ſancti Calimerij [b] Epiſcopi & martyris, qui in Antonini perſecutione comprehenſus, vulneribus confoſſus, ceruicibuſque gladio transfuerberatis, præceps in puteum deiectus, martyrij curſum confecit. Synnadæ in Phrygia Pacatiana ſanctorum martyrum Democriti [c], Secundi, & Dionyſij. In Syria ſanctorum trecentorum quinquaginta [d] Monachorum martyrum, qui ob defenſionem Synodi Chalcedonenſis ab hæreticis occiſi ſunt. Rauennæ tranſitus ſancti Germani [e] Antiſiodorenſis Epiſcopi, genere, fide, doctrina, & miraculorum gloria

gloria clariſſimi, qui Britanniam à Pelagianorum hæreſibus penitus liberauit. Tagaſte in Africa ſancti Firmi [f] Epiſcopi, gloria confeſſionis illuſtris. Senis in Tuſcia natalis beati Ioannis [g] Columbini, inſtitutoris ordinis Ieſuatorum, ſanctitate ac miraculis clari.

## I V L I I 31.

FABII [a]. ] Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri recentiores de eodem hac die; Petrus item in catalog. lib. 6. cap. 165. & Surius ex Adone tom. 4. eius Acta deſcripſit.

[b] Calimerij Epiſcopi. ] De eo tabulæ eccleſiæ Mediolan. præfatio Ambroſiana, & alia monumenta eius eccleſiæ, quæ citat Galeſinius: habetur mentio de eodem in Actis ſanctorum Fauſtini & Iouitæ.

[c] Democriti & ſoc. ] Beda hos ponit in Africa, ſed Vſuardus & alij Synnadæ paſſos tradunt.

[d] Trecentorum quinquaginta Monachorum. ] Cæſi ſunt hi temporibus Anaſtaſij Imperatoris. Extat de ipſorum nece libellus vigintiquatuor archimandritarum ad Hormiſdam Rom. Pontific. de execrandis facinoribus Petri Gnaphæi & Seueri hæreſiarcharum: ibique hæc de his leguntur: Euntibus nobis ad Mandram domini Simeonis pro cauſa Eccleſiæ, inſidiati ſunt nobis in itinere perditi, coinquinati: & ſuperuenientes occiderunt ex nobis trecentos quinquaginta, quoſdam autem vulnerauerunt; alios verò, qui potuerant ad colenda altaria fugere, ibidem peremerunt, & monaſteria incenderunt, &c. Eſt apud nos eiuſmodi libellus ſupplex manuſcr. itemque alius extat de eorumdem martyrio libellus monachorum Syriæ oblatus Synodo Conſtantinopolitanæ ſub Menna Epiſcopo celebratæ poſt Conſulatum Beliſarij, anno Domini 536. vt eiuſdem Synodi Acta declarant.

[e] Germani Epiſcopi. ] Agunt de eodem hac die Beda, & alij omnes. Scripſit eius res pręclarè geſtas Conſtantius, ſcriptor illorum temporum non ignobilis, cuius frequens eſt mentio apud Sidonium Apollinarem, & Iſidorum de vir. illuſtr. in Paulino presbytero cap. 4. Ex eodem auctore Conſtantio ceteri accepiſſe noſcuntur, vt Beda lib. de ſex ætat. & de geſt. Angl. lib. 1. cap. 12. & ſequen. De eodem ſancto Germano agit S. Proſper in chron. ſub Conſulatu Florentij & Dionyſij, Greg. Turonen. de glor. confeſſ. cap. 41. licet malè, eum Romæ obijſſe, dicat. De eodem Ado Viennen. in chron. & Sigebertus, qui ait, Herminum monachum ſcripſiſſe eius vitam verſibus, & obtuliſſe Carolo Imperatori. Adſcribitur hic ſeptimus eius ſedis Epiſcopus: ſeditq. annos 30. & dies 25. temporibus Honorij Imp. & eius ſucceſſoris Valentiniani, vt liquet ex tab. eccleſiæ Antiſiod. Omittimus referre innumeros recentiorum auctorum, qui de ipſo ſcripſerunt, cùm omnes nonniſi ex prædictis antiquioribus eadem referant.

[f] Firmi Epiſcopi. ] Scribit ſanctus Auguſtinus de eodem Firmo Epiſcopo Tagaſtenſi lib. contra mendacium ad Conſentium cap. 13. aitque: Fecit hoc Epiſcopus quondam Tagaſtenſis eccleſiæ, Firmus nomine, firmior fide, &c.

[g] Ioannis Columbini. ] Huius ac ſociorum res geſtæ ſcriptæ ſunt à Phæo Belchario, quæ typis excuſæ leguntur, magnamque redolent pietatem.

# A V G V S T V S.

1 Kalendis Auguſti. Luna. C xxiiij. xxv.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | | | |

ROMÆ in Eſquilijs dedicatio [a] ſancti Petri ad Vincula. Antiochię paſſio ſanctorum ſeptem fratrum Machabæorum [b], cum matre ſua, qui paſſi ſunt ſub Antiocho Epiphane Rege. Eorum reliquiæ Romam tranſlatæ, in eadem eccleſia ſancti Petri ad Vincula conditæ fuerunt. Romæ paſſio ſanctarum virginum Fidei [c], Spei, & Charitatis, quę ſub Hadriano Principe martyrij coronam adeptę ſunt. Item Romę via Latina ſanctorum martyrum Boni [d] presbyteri, Fauſti, & Mauri, cum alijs nouem, qui in Actis S. Stephani Papæ deſcribuntur.

Philadelphiæ in Arabia ſanctorum martyrum Cyrilli[c], Aquilę, Petri, Domitiani, Rufi,& Menandri, vna die coronatorum. Pergæ in Pamphilia ſanctorum martyrum Leontij[f], Attij, Alexandri,& aliorum ſex agricolarum,qui in perſecutione Diocletiani ſub Flauiano Præſide decollati ſunt. Gerundę in Hiſpania natalis S.Felicis[g] martyris, qui poſt diuerſa tormentorum genera à Daciano tam diu iuſſus eſt laniari, donec inuictum Chriſto ſpiritum redderet. Vercellis S. Euſebij[h] Epiſcopi & martyris, qui ob confeſſionem fidei Catholicę à Conſtantio Principe Scythopolim, & inde in Cappadociam relegatus, poſtmodum ad eccleſiam ſuam reuerſus, perſequentibus Arianis, martyrium paſſus eſt. In territorio Pariſienſi S. Iuſtini[i] martyris. Viennæ ſancti Veri[k] Epiſcopi. VVintoniæ in Anglia ſancti Ethelwoldi[l] Epiſcopi. In pago Liſuino ſancti Nemeſij[m] confeſſoris.

## AVGVSTI I.

DEDICATIO ſancti Petri ad Vincula[a]. ] Quod in primis pertinet ad Kalendas Auguſti;certum eſt errare omnes illos, qui putarũt eas in honorem Auguſti olim celebrari ſolitas, eò quòd Sextilis menſis Auguſti nomine ſit nuncupatus. Cuinam Auguſti Kalendę dicatę eſſent; hęc à Dione ſcribuntur: Quę enim equeſtria certamina Kalendis Auguſti (qui eſt natalis Claudij Imp.)exhiberentur, inſtituta ſunt, proptereà quòd ea die Martis ædes conſecrata fuit. Hęc Dio lib.60. Quod autem ſpectat ad dedicationem baſilicæ ſancti Petri ad Vincula eadem die peractam; agunt de ea ſolemnitate Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri Latinorum. Græci etiam feſtum diem de catenis S.Petri agere conſueuerunt ad xvij. Kalend. Februarij, in quorum Menologio ea die hæc leguntur: Veneratio pretioſæ illius catenæ, qua beatus Apoſtolus Petrus, Chriſti cauſa, Herodis iuſſu, vinctus eſt. Hęc ibi. Duabus catenis S. Petrum vinctum eſſe Ieroſolymis, produnt Acta Apoſtolorum cap.12. Harum altera ab Eudocia Auguſta Conſtantinopolim eſt delata, altera autem ab eadem Romã miſſa eſt ad Eudoxiam Auguſtam eius filiam, Valentiniani Imp. coniugem: vtrobique autem feſta dies ſtatuta eſt. Extat de ijſdem encomium apud Lipom. tomo 7. & Sur. tomo 4. quod aliqui tribuunt Ioanni Chryſoſtomo; ſed S. Procli potiùs eſſe videtur, vel S.Germani: nam tẽporibus Ioannis Chryſoſtomi nondum prædictæ catenæ erant repertæ, vt dicemus paulò inferiùs. Sanè quidem non videtur hoc vacare myſterio, quod de Petri tantùm catenis tam in Oriente, quàm in Occidente agatur ſolemnitas, non autem de vinculis alicuius alterius Apoſtolorum: vt cuius eſt in ligandis atque ſoluendis alienis vinculis poteſtas pręcipua in Eccleſia, eius etiam vincula à cunctis Fidelibus in honore haberentur. Petri etiam vincula, quibus Romæ in carcere vinctus fuit, à maioribus ſemper in veneratione ſunt habita, & fideliſſimè cuſtodita; de quibus hęc in Actis S. Alexandri Papę leguntur: Dixit Alexander: Deſine has oſculari boias (erant boiæ, inquit Iſidor. lib. 5. orig. torques damnatorũ, quaſi iugum boum. vox antiqua, cuius meminit Plaut. in Aſin. & Feſtus de eadem agit) inquire autem domini mei Petri Apoſtoli vincula, & ea potiùs oſculare. Albina, his auditis, cum multo ſtudio ac deſiderio peruenit tandẽ ad illa beata vincula, &c. Non tantùm Petri catenæ, quibus Romæ etiam vinctus fuit, ſed & Pauli fuerunt à maioribus aſſeruatę; quas multis fuiſſe miraculis illuſtratas, ſcribit S.Gregorius ad Conſtantiã Auguſtam in regiſt. lib. 3. epiſt. 30. Fertur apocrypha ſcriptura, & meritò in angulum reiecta, nomine ſancti Hieronymi ad Euſtochium de Vinculis Petri, qua mendax auctor teſtatur eiuſmodi Vinculorum ſolemnitatem à Silueſtro Papa ex Conſtantini decreto ſtatutam: quæ quidem ſcriptio cùm nullius priſcorum auctorum teſtimonio fulciatur, & firmæ auctoritates contrarium perſuadeant, ab omnibus improbatur. Aliorum inſuper corrigendus eſt error, dicentium baſilicam Eudoxiæ, vbi recondita ſunt prædicta Petri vincula, erectam fuiſſe ab Eudoxia Auguſta Arcadij Imper. vxore. Id etenim legitur in quodam ſermone Bedæ tributo, cuius eſt exordium: Solemnem obſeruantiã, &c. Vbi ſunt etiam alia multa, quę corrigantur; vt quòd habet, Arcadium ante Eudoxiam diem obijſſe, contradicentibus hiſtoricis omnibus. Quiſquis autẽ ille fuerit auctor, vel ſi qui alij id ſenſerunt, Eudoxiæ nomine decepti ſunt, hanc illam eſſe putantes, quæ famoſiſſima eſt ob perſecutionem grauiſſimam ab ea in S.Ioannem Chryſoſtomum excitatam. Verùm illa ex humanis exceſſit longè antequã prędicta Petri vincula Ieroſolymis eſſent reperta. Porrò Eudoxia auctrix Tituli, neptis fuit Eudoxię ſenioris, filia nimirum Theodoſij Iunioris & Eudociæ Auguſtæ, quæ peregrinata eſt iterùm Ieroſolymam, vt teſtantur Socrat. libro 7. cap.46. Euag. lib. 1. c. 20. Niceph. lib. 14. c. 23. 49. & 50. vita S. Melaniæ Iunioris, atque Acta S. Euthymij abbatis: de Eudoxia autem Arcadij vxore nuſquam legitur adijſſe Ieroſolymam, ſed tantùm (vt diximus) Eudocia Auguſta vxor Theodoſij id egit: quæ prędictas catenas dono accipiens, illarum alteram Cõſtantinopoli voluit aſſeruari,

alteram

alteram verò Romam miſit ad Eudoxiam filiam. At ſicut Conſtantinopoli in honorem alterius catenarum eſt erecta baſilica, vt patet ex encomio Vinculorum Petri ſuprà citato; ita etiam Romæ Titulus eſt erectus, qui tum Eudoxiæ, tum etiam Vinculorum Petri nomine dictus reperitur in antiquis memorijs. Rei geſtæ hiſtoriam inter alios etiam Sigebert. deſcribit in chronic. anno Domini 438. licet (vt in pleriſque alijs) librariorum vitio, pro Eudocia inuentrice, Eudoxia ponatur; cùm Eudoxia filia fuerit, quæ erexit eccleſiam. Peregrinata eſt Eudocia Ieroſolymam anno ſequenti à nuptijs Eudoxiæ filiæ, vt ſcribit Euagrius libro 1. cap. 20. Factæ ſunt ipſæ nuptiæ (vt refert Socrates) Iſidoro & Senatore Conſulibus, anno à Chriſto quadringenteſimo triceſimoſexto, vel ſequenti, ſi fidem habemus Marcellino, qui prædictas nuptias recenſet ſub Conſulatu Æij & Sigiſuulti. Hæc ſpectant ad hiſtoriæ veritatem. De inſigni autem miraculo vinculorũ Petri, cuius habetur mentio in Romano Breuiario, meminit etiam Sigebert. in chronic. anno Domini nongenteſimo ſexageſimonono, additq. de annulo illius catenæ Theodoro Metenſi Epiſcopo conceſſo. De limatura catenarum Petri pro ingenti munere ad Reges & Principes, alioſque viros primarios de Dei Eccleſia benemeritos à Romano Pontifice mitti ſolita, quamplurimæ epiſtolæ ſancti Gregorij poſitæ fidem faciunt. Moris enim erat eam includere aurea claui ab altari Petri Apoſtoli accepta, & ad abſentes tranſmittere. Hi verò, ad quos paruula clauis mittebatur, religioſè accipientes, eam ſuſpendebant ad collum, vt Apoſtoli muniti præſidio, à malis imminentibus tuti eſſent: id etenim idem ſanctus Gregorius ſcribit inter alios ad Childebertum Regem Francorum lib. 5. epiſt. 6. Indictione 14. & in epiſtola 23. lib. 6. Indict. 15. Recenſet idem grande miraculum de terribili vltione diuina in Longobardum eiuſmodi religioſi inſtituti contemptorem. Petijt & ab Hormiſda Papa Iuſtinianus V. C. poſteà verò Imperator, vt earumdem catenarum limaturam ad ſe mitteret. Extant de his epiſtolæ manuſcriptę quas deſcripſimus in Annalibus Eccleſiaſt. vt ſcias non à temporibus Gregorij Papæ eiuſmodi conſuetudinem de mittendis hiſce ſacris muneribus ortum habuiſſe.

[b] Machabęorum.] Non tantùm Latini, ſed & Gręci hac eadem die agunt de Machabęis. Vetus quidem huiuſmodi celebritas eſt, quam maiores propenſiori ſtudio coluerũt, vt teſtantur complures ſanctorum Patrum orationes ea ſolemni die in eccleſia recitatæ, vt S. Greg. Nazianzeni oratio; homil. 2. Ioannis Chryſoſtomi, quæ habetur tomo 1. operum eius; alia S. Gaudentij Epiſcopi Brixiani, qui & rationem eius celebritatis reddit; ſancti Auguſtini ſerm. 109. & 110. de diuerſis: in ſermone autem 109. hęc habentur inter alia: Sanctorum Machabæorum baſilica eſſe in Antiochia prædicatur, in illa ſcilicet ciuitate quæ Regis ipſius perſecutoris nomine vocitatur: Antiochum quippe Regem perſecutorem impium pertulerunt, & memoria martyrij eorum Antiochiæ celebratur, vt ſimul ſonet & nomen perſecutoris, & memoria coronatoris. hæc baſilica à Chriſtianis tenetur, & à Chriſtianis ædificata eſt, &c. Hæc Auguſtinus. Eſt & de eiſdem ſermo ſancti Leonis Papæ, quo ſignificat, hanc ſolemnitatem frequenti populo Romæ peragi conſueuiſſe; qua item non tantùm prædictorum martyrum conſueta ſolemnitas celebraretur, ſed etiam anniuerſaria commemoratio dedicationis eius eccleſiæ, quam (vt ſuprà diximus) Eudoxia Auguſta vxor Valentiniani Imp. erexit in Titulum, & catenarum munere exornauit. ait enim: Feſtiuitatis magnificentiam etſi ſermo non indicet, congregatio tamen ipſa teſtatur, & rectè: duplex enim cauſa lætitiæ eſt, in qua & natalem eccleſiæ colimus, & martyrum paſſione gaudemus, &c. De eadem ſolemnitate olim agi conſueta meminit S. Ambroſius ſcribens ad Theodoſium Imperatorem epiſtola 17. lib. 2. edit. Roman. Eſt de eadem ſerm. S. Maximi, nomine Euſebij Emiſſeni, itemque ſermones quatuor de S. Euſebio Vercellenſi, in quibus ſicut de illo, ita etiam agitur de Machabæis, cùm vna eademq. die ipſorum omnium ageretur natalis dies. Cur autem præ ceteris martyribus veteris Teſtamenti hi potiſſimùm colantur in Chriſti Eccleſia: ijdem qui ſuprà ſancti Patres reddunt rationem. quibus adde quæ ſanctus Iſidorus ſcribit libro allegoriarum, dicens: Machabæi ſeptem, qui ſub Antiocho acerbiſſima perpeſſi tormenta, glorioſiſſimè coronati ſunt, ſignificant Eccleſiam ſeptiformem, quæ ab inimicis Chriſti multam martyrum ſtragem pertulit, & gloriæ cæleſtis coronam accepit. Hæc Iſidorus. Vide quid de his S. Bernardus ſcribat epiſt. 313. Horum autem martyrum hiſtoria non tantùm in Canonicis ſcripturis habetur expreſſa, ſed & Ioſephus Iudęus eam conſcripſit ad Polybium Megalopolitanum, quod & S. Hieronymus teſtatur in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſt. Extat ipſe commentarius ad Polybium Megalopolitanum ſcriptus. De ijſdem Cyprianus lib. de exhort. ad mart. c. 11. Marius Victorinus heroico carmine eamdem cecinit; S. Ambroſius lib de Iacob c. 10. & 12. eamdem hiſtoriam paraphraſticè narrat; Theophilus Alexandrinus in Paſchali epiſtola tertia, Prudentius, & alij: licet in generibus tormentorũ non omnium ſit vna narratio. Nomina prædictorum Machabęorum Ioſephus in dicto commentario recenſet. ſunt hęc: Mater ipſarum dicta eſt Salomona, filius maior natu Machabæus, huic ętatis gradu proximus Aber, tertius Machir, quartus Iudas, quintus Achas, ſextus Arath; ſeptimus verò, vltimo loco natus, Iacob eſt appellatus. Omnes autem è caſtello Iudææ Soſandro, omneſque dicti ſunt Machabęi. Hęc ex Ioſepho, ſed verſione Eraſmiana, ex diuerſo textu (vt apparet) ab eo qui communiori vſu receptus eſt. Quod autem ad vocem Machabæi ſpectat, nomen eſt Hebraicum, quod noſtris litteris ſic ſcribitur MACABAI, cuius ſingulę litterę ſingulas dictiones ſignificant ſumptas ex Cantico Moyſi Exod. 15. vbi hæc verba ſunt, MICHX MOCHA BAELIM IEHOVA, Hebraicis characteribus: quod Latinè eſt: Quis ſimilis tui in fortibus, Domine? Quæ verba per ſingulas primas tantùm notatas litteras ſic in vexillis fecit inſcribi; M C. B. I. ijſdemq. vti pro teſſera militari; vnde ipſe ac poſteri eius Machabæi dicti ſunt. Hæc de ſignificatione huius vocis Sixtus lib. 1. biblioth. ſanct.

[c] Fidei, Spei, & Charitatis.] De his item hac die Vſuardus. Metaphraſtes harum Acta ex antiquioribus monumentis deſcripſit XV. Kalend.

lend. Octobris, quo die etiam Græci de ijſdem agunt in Menologio: eadem Latinè reddita habet Lipom. tom. 6. & Sur. tom. 4. Mombrit. tom. 2. & Petrus in catal. lib. 7. c. 7.

[d] Boni & ſociorum.] De his Vſuardus etiam & alij Latinorum, Græci autem in Menologio die ſequenti. Agitur de his martyribus in Actis ſancti Stephani Papæ & martyris, ex quibus ceteri acceperunt.

[e] Cyrilli & ſoc.] Agunt de his item Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores, Petrus etiam in catalogo lib. 7. cap. 10.

[f] Leontij & ſoc.] De his item Græci hac die in dicto Menologio, vbi horum Acta fuſiùs expreſſa habentur.

[g] Felicis.] Beda, Vſuardus, Ado, & alij de eo hac die. Meminit eiuſdem Prudentius in Periſteph. hymno quarto, cùm ait:

*Paruæ Felicis decus exhibebit*
*Artubus ſacris locuples Gerunda.*

Sanctus Eulogius in memor. Sanctorum inter alios martyres qui ſeſe martyrio ſponte obtulerunt, recenſet Felicem hunc, quem ait Cæſareâ Mauritaniæ Gerundam vſque martyrij cupidum pertexiſſe. De eodem Gregorius Turonenſis libro de gloria martyrum cap. 92. vbi agit de eius miraculis. In Breuiario Toletano legi de eodem martyre ſacrum hymnum, quo eius Acta narrantur. Incipit:

*Fons vitæ Deus*, &c.

Scribunt de eo alij plures ex recentioribus, vt Vincentius in ſpecul. lib. 13. c. 134 & 153. & alij.

[h] Euſebij Epiſcopi.] De eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Non tantùm vetera Martyrologia hunc dicunt martyrem, ſed etiam in epitaphio in ſepulchro eius inuento acroſticis verſibus AVAEBIVS APISCOPVS ET MARTYR inſcribitur. Eiuſmodi inſcriptiones hoc carminum genere antiquitus conformari, ac primis verſiculorum litteris nomen aliquod exprimi conſueuiſſe, exemplo eſt vetus epitaphium ſanctæ Eugeniæ martyris Cordubenſis, quod recitat Ambroſius Moralis in appendice ad Eulogium. Vitam ſancti Euſebij cùm ex antiquis monumentis eccleſiæ Vercellenſis, tum etiam ex ſanctorum Patrum elogijs contextam, vnà cum tranſlatione ipſius recenter facta, Reuerendiſſimus D. Ioannes Franciſcus Bonhomius, eius ſedis Epiſcopus, edendam curauit. Eadem autem eius Acta nonnihil locupletata per annos ſingulos, vt geſta ſunt, iam diu intexuimus in Annalibus Eccleſiaſticis, reſtituimuſque locum Epiphanij in Panar. hæreſ. 30. vbi Euſebius Fregellæ mendosè pro Vercellis legitur. Cur autem hic martyr dicatur, quem ſanctus Ambroſius & alij antiqui ſcriptores ſemper confeſſorem appellant, ibidem non paucis explicuimus. De miraculis in eius eccleſia fieri ſolitis ſcribit Gregorius Turonenſis libro de gloria confeſſorum c. 3. vbi etiam ipſum confeſſorem appellat, & inter confeſſores adnumerat.

[i] Iuſtini.] Agit de eodem Vſuardus, & Molanus in additione, qui de eius corpore poſito Pariſijs in baſilica ſanctæ Mariæ meminit. Diuerſus ab eo eſt Iuſtinus preſbyter, de quo Gregorius Turonenſis de gloria confeſſorum cap. 49.

[k] Veri Epiſcopi.] De eodem Beda, & alij. Ado eius eccleſiæ Epiſcopus tradit in ſuo chronico, claruiſſe hunc Traiani temporibus; ſed perueniſſe vſque ad Pij Papæ Pontificatum, eiuſdem Pontificis litteræ ad eum ſcriptæ ſignificant. habentur tom. 1. biblioth. ſanct. Sed & illud admonendum putamus, tres reperiri Viennenſes eius nominis Epiſcopos diuerſis temporibus: nimirum hunc, de quo eſt ſermo; ſecundum, qui interfuit Concilio Arelatenſi ſecundo ſub Conſtantino; tertium, qui vixit temporibus ſancti Gregorij Papæ, cuius ad eum extant ſcriptæ litteræ; qui ab Adone ponitur ſediſſe anno Domini quingenteſimo octuageſimotertio, numeraturque vigeſimusſextus eius ſedis Epiſcopus.

[l] Ethelvvoldi Epiſcopi.] Agit de eodem Molanus in additione ad Vſuardum, extantque eius Acta, quæ habes apud Surium tom. 4. Scripta ea eſſe à Wolſtano monacho, teſtatur catalogus ſcriptorum Britanniæ libro 2. cap. 36. Migrauit ex hac vita anno Domini nongenteſimoquarto.

[m] Nemeſij.] De eo etiam Vſuardus hac die, & alij recentiores.

xxiij. D **Quarto Nonas Auguſti. Luna.** 2

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | | | |

ROMÆ in cœmeterio Calliſti natalis ſancti Stephani [a] Papæ & martyris, qui in perſecutione Valeriani, dum Miſſæ ſacrum peragerer, ſuperuenientibus militibus, ante altare intrepidus & immobilis cœpta myſteria perficiens, in ſede ſua decollatus eſt. Nicææ in Bithynia paſſio ſanctæ Theodotæ [b] cum tribus filijs ſuis: ex quibus primogenitum nomine Euodium, Chriſtum fiducialiter confitentem, fecit primò Nicetius Conſularis Bithyniæ

thyniæ fuſtibus cædi, deinde matrem cum omnibus filijs igne conſumi. In Africa ſancti Rutilij [c] martyris, qui cùm ſæpiùs de loco in locum perſecutionem fugiſſet, & periculum interdum etiam pecunia redemiſſet, ex inopinato aliquando comprehenſus, & Præſidi oblatus, tormentis plurimis cruciatur: demum ignibus traditus, egregio martyrio coronatur. Patauij ſancti Maximi [d] eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, qui miraculis clarus beato fine quieuit.

## AVGVSTI 2.

STEPHANI Papæ [a].] De quo non tantùm Beda, ac ceteri Latinorum hac die, ſed & Græci in Menolog. agunt, vbi ipſius ac ſociorum Acta ſub compendio deſcribuntur: ampliora autem ex antiquis monumentis edidit Metaphraſtes: repetiuntur eadem non ex Græcorum, ſed Latinorum fontibus in vet. manuſcr. codic. quæ & apud nos habemus. De eius ſucceſſione meminit Euſebius in chron. & hiſt. lib. 7. cap. 3. & 4. Cyprianus, Optatus, Auguſtinus, Nicephorus, & alij. Eius autem celeberrima & admiranda planè geſta, cùm, aduerſante Orbe ferè toto, de Baptiſmate tutatus eſt maiorum traditionem, digeſſimus in Annal. Eccleſiaſt. ibique eumdem vindicauimus à calumnijs Firmiliani Epiſcopi Cæſareę Cappadociæ. Interim vide, quid de his ſcribat Vincentius Lerinenſis aduerſus hær. nou.

[b] Theodotæ & fil.] De ijſdem hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri Latinorum, Græci autem in Menologio ad quartum Kalend. Auguſti. Eius Acta ac filiorum recitantur in vita ſanctę Anaſtaſiæ, quam habes apud Surium tom. 6. Mombritius tom. 2. & Petrus recitat in catalogo lib. 7. cap. 14. Nobile templum in huius honorem erexit Iuſtinianus Imperator in ſuburbijs Conſtantinopolitanis, vt auctor eſt Procop. lib. 1. de ædif. Iuſtiniani Imperatoris.

[c] Rutilij.] Quę hîc de Rutilio dicũtur, habentur etiam apud Tertullianũ lib. de fuga temp. perſecut. cùm tamen auctor ipſe Montani afflatus ſpiritu, negaret fugiendum eſſe tempore perſecutionis vrgentis. De redemptione martyrij, de qua hîc agitur, conſule ea quæ ſuprà diximus, cùm egimus de temporibus Commodi, die 18 Aprilis.

[d] Maximi Epiſc.] De quo tabulæ eccleſiæ Patauinæ. Habetur de eo mentio in Actis ſancti Proſdocimi, ex quibus Scard. lib. 2. Annal.

## 3 Tertio Nonas Auguſti. Luna. E xij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | | | |

HIEROSOLYMIS Inuentio [a] corporis beatiſſimi Stephani Protomartyris, & ſanctorum Gamalielis, Nicodemi, & Abibonis, ſicut Luciano presbytero diuinitus reuelatum eſt, Honorij Principis tempore. Conſtantinopoli natalis ſancti Hermelli [b] martyris. Apud Indos Perſis finitimos paſsio ſanctorum [c] Monachorum, & aliorum fidelium, quos Abenner Rex, perſequens Eccleſiam Dei, diuerſis afflictos ſupplicijs cædi iuſsit. Neapoli in Campania ſancti Aſpren [d] Epiſcopi, qui à S. Petro Apoſtolo ab infirmitate curatus, & deinde baptizatus, eiuſdem ciuitatis Epiſcopus ordinatus fuit. Auguſtoduni depoſitio ſancti Euphronij [e] Epiſcopi & confeſſoris. Anagnię S. Petri [f] Epiſcopi, qui monaſtica primùm obſeruantia, deinde paſtorali vigilantia clarus, quieuit in Domino. Philippis in Macedonia ſanctæ Lydiæ [g] purpurariæ,

purariæ, quæ prædicante ibidem ſancto Paulo Apoſtolo, prima omnium credidit Euangelio. Bcrœæ in Syria ſanctarum mulierum Maranæ [h] & Cyræ.

# AVGVSTI 3.

INVENTIO corporis beatiſſimi Stephani Protomartyris [a]. ] De eadem hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri omnes; in quos tamen librariorum vitio errorem irrepſiſſe putandum, dum eiuſmodi inuentio facta dicitur anno ſeptimo Honorij Imperatoris, cùm de ea nullus relictus ſit errandi locus: nam litteræ Luciani, ab omnibus comprobatæ, notanr Conſules, quibus ea contigerunt, nimirum Honorio decimû & Theodoſio ſextùm Coſſ. qui quidem annus eſt Honorij Imperatoris 21. Nec verò quis putet mendoſam eſſe epiſtolam Luciani: nam Marcellinus Comes in chron. & Niceta in oratione de ea re habita, ijſdem Conſulibus id factum confirmant. De integritate litterarum Luciani, quibus agitur de huiuſmodi inuentione, nullus hactenus dubitauit: illis etenim adſtipulantur Gennadius de vir. illuſtr. cap. 46. & 47. qui teſtatur eadem à Luciano Græcè ſcipta, Latinè reddita eſſe ab Auito. Marcellinus in chron. Nicepborus hiſt. lib. 14. cap. 9. Beda in Retract. in Act. Apoſt. & de ſex ætatibus, & alij recentiores. Eam quidem biſtoriam, ipſaſque Protomartyris venerandas reliquias ptimus omnium ad oras Occidentales detulit Oroſius preſbyter Hiſpanus, qui illis temporibus peregrinatus eſt Ieroſolymam, tantiſque pignoribus ditauit illuſtrauitque Eccleſiam Africanam; dum tot tantaque ex illis edita ſunt miracula, quę S. Auguſtinus pluribus in locis fideliſſimè recitat, vt lib. 22. de ciuit. Dei cap. 8. ſerm. de diuerſis 31. 32. 33. & epiſt. 103. ad Quinctianum; Euodij prætereà Epiſcopi Vzalenſis nomine de ijſdem duo libri conſcripti extant. Agit de ijſdem S. Proſper libro de prædict. dimid. temp. cap. 6. Cùm autem poſtmodum Wandali in Africanam prouinciam graſſarentur, fertur ſanctus Gaudioſus Epiſcopus ampullam vitream concreti ſanguinis ſancti Stephani inde Neapolim Campaniæ vrbem fugiens ſecum aſportaſſe; quæ hactenus ibidem in eccleſia eiuſdem ſancti Gaudioſi religiosè aſſeruatur: vbi adhuc miraculum perſeuerat, vt ſuper altare ampulla poſita, dum ſacra Miſſarum ſolemnia peraguntur, liqueſcere, velut recens effuſus ſanguis, aliquando conſpiciatur: idque hac ipſa die, qua ſancti Stephani corporis inuentio celebratur. Sed illud planè admiratione digniſſimum, quòd cùm olim annis ſingulis tertio Auguſti id fieri conſueuerit; ipſo etiam anno quo auctoritate ſanctiſſ. mem. Gregorij Papę XIII. reſtitutum eſt Romanum Kalendarium, ad formam reductionis anni, non vt olim decem poſt dies, ſed eadem ipſa feſta die, ſanguis viſus eſt ebulliſſe, ſicq. annis ſequentibus: idemq. accidit de ſanguine S. Ioannis Baptiſtæ. Eſt eius rei fidiſſimus ac ſinceriſſimus teſtis inter alios Illuſtriſſ. ac Reuerẽdiſſ. D. Franciſcus Maria Taruſius S.R.E. nunc Cardinalis, qui noſtræ Congregationis Oratorij Neapoli exiſtentis olim Pręfectus, cùm in altari, vbi ampulla ſanguinis erat, ſacras Miſſas ageret, concretus inſtar lapidis viſus eſt ſanguis liqueſcere totus in guttas. Alia complura his ſimilia in diuerſis orbis Chriſtiani partibus accidiſſe audiuimus: vt ex his planè conſtet, diuinis ſuffragijs, quæ in ſancta Catholica Eccleſia, ab ipſoque Rom. Pontifice ſunt conſtituta, probari atque firmari. Quod ad eamdẽ ampullam ſanguinis Protomartyris ſpectat, quã per S. Gaudioſum ex Africa Neapolim diximus fuiſſe delatam; hanc illam ipſam opinamur, vel ſaltem illi admodum ſimilem, cuius idem qui ſuprà auctor commentarij, qui fertur nomine Euodij Epiſcopi Vzalenſis, meminit, cùm agit de reliquijs & miraculis Protomartyris Stephani lib. 1. cap. 1. his verbis: Ampulla quędam ei demonſtratur intra ſe habens ſanguinis quamdam aſperſionem, & ariſtarum quaſi oſſium ſignificationem. Et paulò pòſt: Ampullam, ſicut oculis ſuis viderat ancilla Dei in ſomnij reuelatione, ſic inter manus ſuas accepit poſteà ſacerdos. Hæc auctor, qui licet perperàm inſcribatur Euodius, cùm potiùs ad Euodiũ ſcripſerit, de eius tamen ſinceriſſima fide nõ dubites. Produnt enim eiuſdem Luciani litteræ, non tantùm articulos martyris, ſed & terram ipſam ſanguine madefactam ob Oroſio in Africam tranſportatam. Non præterimus, eodem tempore Honorij Imper. eiuſdem Protomartyris reliquias eſſe perlatas in Minoticam inſulam; quarum virtute vniuerſa gens Iudæorum, quæ inſulam incolebat, ad fidem Chriſti mirandis prodigijs conuerſa eſt. Extat de his inſignis epiſtola Seueri Epiſcopi Minoticenſis, quam manuſcrip. nacti ſumus in bibliotheca Vaticana; cuius fidei integritati adſtipulatur prædictus auctor commentarij de miraculis S. Steph. lib. 1. c. 2. bis verbis: Epiſtola quoque ad nos delata cuiuſdam ſancti Epiſcopi Seueri Minoricenſis inſulæ de pulpito in aures Eccleſiæ cum ingenti fauore recitata eſt, &c. Scripta habetur xv. Kal. Martij, Aſclepiodoto & Mariniano Coſſ. eſt is annus octauus ab inuentione prædictarum reliquiarum, à Chriſto autem annus quadringenteſimus vigeſimustertius. In Gallias etiam eiuſdem Protomartyris reliquiæ fuerunt delatæ, de quibus Greg. Turon. hiſt. lib. 1. cap. 31. & de glor. mart. cap. 33. vbi & de miraculis editis. Illud etiam ad annotationem præſentis diei ſolemnitatis ſpectare magnopere videtur; quid eſt quòd hac potiſſimùm die eiuſmodi inuentio celebretur, quam conſtat ex Luciani litteris factam eſſe menſe Decembri, tranſlationem verò Ieroſolymam ad vij. Kalend. Ianuarij: aliam autem tranſlationem Conſtantinopolim ad quintum Kalend. Octobr. auctor eſt Theodorus lector in collectaneis lib. 2. in fine. Rurſus autem tertiam Romam factam eſſe tranſlationem pridie Nonas Maij, eius Acta teſtantur, quorum ſuprà meminimus. Cùm autem nec inuentio, nec tranſlatio aliqua hac die contigerit: exiſtimarunt nonnulli, hac ipſa die S. Stephanum Protomartyrem martyrium ſubijſſe: quorum quidem ſententiæ

maiorum

maiorum refragatur auctoritas: ſiquidem S. Auguſtinus, Fulgentius, & alij tam Latinorum quàm Gręcorum Patrum in homilijs, quas ea die habuerunt, abſque vlla hæſitatione profitentur S. Stephanum conſummaſſe martyrium poſtridie Natalis Domini: idque adeò firmum ratumq. maiores habuere, vt licet in eam dilata fuerit tranſlatio illa prima Ieroſolymam facta; nihilominùs remanſerit, vt erat, ea dies conſecrata natalitio Protomartyris, & ſolemnitatem Inuentionis maluerunt in hunc diem transferre. Sed qua (inquam) ratione factum ſit, vt hac potiùs die, quàm ceteris, memoria hæc agereretur: dicam quid acceperim à D. Antonio Geronio Tarraconenſi, Eccleſiaſticarum antiquitatum apprimè erudito, quocum de ambiguitatibus rerum Eccleſiaſticarum ad hiſtorię veritatem ſpectantibus familiariter diſſerere ſępiſſimè cōſueui: cuius hęc de ea re eſt ſententia; vt exiſtimet longè ante inuentionem ſancti Stephani hanc ipſam diem in honorem eiuſdem Protomartyris eſſe dicatam, poſtmodum autem redditam ſolemniorem ex commemoratione prædictæ inuentionis. Id etenim in primis maximè perſuadent antiqua monumenta, vt vetus illud, cuius ſæpè meminimus, Martyrologium ſancti Cyriaci, in quo nulla habetur hac die de inuētione mentio, ſed tantùm hęc verba: Sancti Stephani Protomartyris in Ancona, vbi haberi dicitur vnus de lapidibus, quibus percuſſus eſt. Hæc ibi. Eadem Beda; licet apud eum mendosè, Antiochia, pro Ancona ponatur his verbis: In Antiochia S. Stephani Protomartyris, vbi haberi dicitur vnus de lapidibus, quibus in brachio percuſſus eſt, & multas ex eo virtutes ſanitatum fieri. Hæc Beda. Quibus omnibus ſi addas quę ſcribit S. Auguſtinus ſerm. 31. & 32. de diuerſis pag. 488. 489. edit. Louan. vbi agit de perantiqua Memoria eiuſdem Protomartyris Anconæ poſita, deque illo ſaxo quo idem in cubito percuſſus eſt, quod collegit, qui lapidationi illius interfuit, & in Italiam detulit, & Anconæ reliquit, ex quo tempore illic memoria S. Stephani eſſe cœpit, vt idem ſcribit dicto ſerm. 32. Hæc, inquam, omnia ſi prædictis antiquioribus Martyrologijs iungas, facilè intelliges, longè ante inuentionem Protomartyris celebrari conſueuiſſe hac die memoriam eius, vel ſaltem in Italiæ regionibus. Celebris itaque olim fuit cultus memoriæ eius martyrij ex illo lapide: poſtmodum autem, venerando corpore inuento, aucta ea dies eſt celebriori ſolemnitate, quæ iam ſemel lapidis eius memoriæ dicata erat. Vnde apud Bedam, & aliqua alia manuſcripta, non tantùm hac die agitur de inuentione prædicta, ſed & de viuo lapide illo, ex quo multa etiam miracula, velut mel de petra (iuxta Propheticum illud) oleumque de ſaxo duriſſimo, emanabant. Hæc prædicto diſerto viro accepta ferimus, cuius ſententiæ libenter ſubſcribimus. De eccleſia S. Stephani Anconæ meminit etiam ſanctus Gregorius lib. 1. dialog. cap. 1.

[b] Hermelli.] De eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, alijque recentiores.

[c] Sanctorum Monachorum.] De his ſcribit S. Ioannes Damaſcen. in vita SS. Barlaham & Ioſaphat, de quibus ſuo loco inferiùs.

[d] Aſpren Epiſcopi.] Fortaſſe Aſprenatis. De eodem tabulæ eccleſiæ Neapol. extantque eius Acta typis nuper excuſa; à Paulo Regio ſcripta. Quamuis hoc ſit nomen Romanum: reperies enim geſſiſſe Conſulatum Aſprenatem vnà cum Clemente anno decimotertio Domitiani Imp. vt habent tabulæ Caſſiodori: quo etiam ſæculo hic, de quo agimus, vixiſſe reperitur. Meminit Aſprenatis etiam Dio libro 56. Sueton. in Auguſto cap. 43. ait ab eo tempore Aſprenates dictos etiam fuiſſe Torquatos. De eodem nomine Seneca controuerſ. 24. Plinius item de domo Aſprenarum agit.

[e] Euphronij Epiſcopi.] Scribit de S. Euphronio Greg. Turon. lib. 2. cap. 11. De eodem Sidon. Apollin. lib. 4. c. 25. & ad eum lib 7. epiſt. 8. & lib 9. epiſt. 2. Interfuit Concilio Lugdunenſi, ſubſcripſitq. cum alijs epiſtolam Fauſti damnantis cunctos Pelagianorum errores.

[f] Petri Epiſcopi.] De quo etiam tabulæ eccleſiæ Anagninæ, indeque eius Acta accepimus.

[g] Lydię.] De ea Acta Apoſt. c. 16. Dicta eſt Purpuraria à purpura tingenda. Erat eiuſmodi opificium non ignobile, non enim liberum erat cuique tingere purpuram, vel cuilibet petenti impartiri, vt conſtat ex Ammiano Marcellino lib. 14. Erat enim inter alios magiſtratus Præfectura tingendę purpuræ, qua velut magno munere donatus eſt Dorotheus Tyrius ab Imperatore, vt ſcribit Euſebius hiſt. lib. 7. cap. 26. Sunt de tinctura purpuræ leges ſeueriſſimæ Codic. lib. xj. de veſtibus.

[h] Maranæ & Cyræ.] Scripſit harum feminarum præclaras res geſtas Theodor. in Theophil. cap. 29.

## 4 Pridie Nonas Auguſti. Luna. F xxj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | | | |

BONONIÆ ſancti Dominici[a] confeſſoris, fundatoris ordinis Fratrum Prædicatorum, viri ſanctitate & doctrina clariſſimi: qui virginitatem perpetuò illibatam ſeruauit, & ob ſingularem meritorum gratiam tres mortuos ſuſcitauit: cumque prædicatione ſua hæreſes compreſſiſſet, ac plurimos ad religioſam

ligioſam & piam inſtituiſſet, octauo Idus menſis huius in pace quieuit: eius tamen feſtiuitas ex conſtitutione Pauli Papæ Quarti hac die celebratur. Theſſalonicæ natalis beati Ariſtarchi [b] diſcipuli & comitis indiuidui ſancti Pauli Apoſtoli, de quo ipſe ad Coloſſenſes ſcribit: Salutat vos Ariſtarchus concaptiuus meus. Is ab eodem Apoſtolo Theſſalonicenſium Epiſcopus ordinatus, poſt longos agones ſub Nerone coronatus à Chriſto, quieuit. Romæ via Latina paſſio beati Tertullini [c] preſbyteri & martyris, qui ſub Valeriano Imperatore poſt impiam fuſtium mactationem, ignium circa latera exuſtionem, oris quaſſationem, atque in equuleo extenſionem, neruorumq́. cæſionem, data ſententia, capitis amputatione martyrium conſummauit. Conſtantinopoli ſancti Eleutherij [d] martyris, ordinis ſenatorij, qui pro Chriſto in perſecutione Maximiani gladio cæſus eſt. In Perſide ſanctarum martyrum Iæ [e] & ſociarum, quæ cum nouem millibus Chriſtianis captiuis ſub Sapore diuerſis pœnis afflictę martyrium ſubierunt. Coloniæ ſancti Protaſij [f] martyris. Veronæ ſancti Agabij [g] Epiſcopi & confeſſoris. Turonis ſancti Euphronij [h] Epiſcopi. Romæ ſanctæ Perpetuæ [i], quæ à beato Petro Apoſtolo baptizata, Nazarium filium, & Africanum virum ad fidem Chriſti perduxit, & multa ſanctorum martyrum corpora ſepeliuit [k], ac tandem bonorum operum meritis cumulata migrauit ad Dominum.

## AVGVSTI 4.

DOMINICI [a].] Huius ſanctiſſimi viri prçclariſſima geſta octo libris digeſſit Theodoricus eiuſdem ordinis frater, quç Surius refert tom. 4. S. Antoninus in tertia parte tit. 23. cap. 1. 2. 3. 4. & ſequen. Ioannes Garzonius de vir. illuſt. ord. Prædicat. M. Antonius Flaminius; ac nouiſſimè R.D. Franciſcus Diacetius Epiſcopus Feſulanus egregium de eadem re commentariũ ad ſanctiſſimæ memorię Pium Papam Quintum conſcripſit. Migrauit ex hac vita octauo Idus Auguſti, feria ſexta, hora ſexta, agens ſuç ętatis annum quinquageſimumprimum (vt auctor eſt S. Antoninus) anno à Chriſto Domino 1221. Facta eſt autem eius tranſlatio anno Domini 1233. Gregorio Nono Rom. Pontiſ. anno ſexto ſedis eius. De canonizatione autem eius extant litteræ Apoſtolicæ eiuſdem Gregorij Noni, datæ Spoleti v. Kalend. Septembris, anno octauo Pontificatus ipſius; recitat eas Anton. dict. 3. par. tit. 23. cap. 4. §. 17. quibus etiam prçcipitur, vt ad Nonas Auguſti, ante diem obitus eius, quo relatus eſt inter Sanctos, anniuerſaria eius ſolemnitas in Eccleſia ageretur. At Sanctiſſ. D.N. Paulus Quartus Rom. Pontiſ. in hanc retulit diem ob feſtum beatæ Mariæ ad Niues, quòd in eamdem diem incideret.

[b] Ariſtarchi.] De quo Act. Apoſt. cap. 19. 20. & 27. Paul. ad Coloſſ. cap. 4. & ad Philemonem. Agunt de eodem hac die Beda, Vſuard. Ado, ac ceteri Latinorum, Græci autem in Menolog. ad xviij. Kal. Maij.

[c] Tertullini.] Agunt de eodem Beda, Vſuard. Ado, & alij. Eius autem res geſtæ extant in Actis S. Stephani Papæ & martyris.

[d] Eleutherij.] De eodem hac item die Græci agunt in Menologio, ibique eius Acta breui compendio referunt.

[e] Iæ.] Græci item de eadem hac die agunt in Menologio, narrantq́. breuiter eius martyrium. Huius nomine templum vetuſtate pęnè collapſum reſtituit Iuſtinianus Imperator, vt ſcribit Procop. lib. 1. ædif. Iuſtiniani Imperatoris.

[f] Protaſij.] De eo etiam Galeſinius hac die, qui eiuſdem eccleſiæ citat tabulas.

[g] Agabij Epiſc.] Agit de eo Reuerendiſſ. ac Illuſtr. D. Auguſt. Valerius eiuſdem eccleſiæ Epiſcopus, S. R. E. Cardinalis, in lib. antiquorum monumentorum Epiſcoporum Veronenſium.

[h] Euphronij Epiſcopi.] Præceſſit hic Gregorium Turon. qui de eo plura ſcribit de geſt. Franc. lib. 10. cap. 31. & de glor. confeſſ. cap. 18. 19. & 20. Extant Venantij Fortunati ad hunc epiſtolæ, quarum poſteriore egregias eius virtutes contexit: extatque de eadem re eiuſdem auctoris carmen lib. 3. De eodem item agit in carm. ad Felicem Epiſcopum, cùm interfuit dedicationi baſilicæ. Idem præſens fuit etiam Concilio Pariſienſi: eius epiſtolam ac collegarum Epiſcoporum ad Radegundem Reginam habet idem Gregorius Turonenſis lib. 9. cap. 39. Numeratur hic ſedis Turonenſis Epiſcopus viceſimus ordine.

[i] Perpetuæ.] De qua & tabulæ eccleſiæ Mediolanenſis.

diolanenſis. Narrantur eius res geſtæ in Actis ſanctorum Nazarij & Celſi, quæ habet Mombrit. tomo 2.

[k] Sepeliuit.] In ſepeliendis ſanctorũ martyrum corporibus, & condiendis eis aromatibus, effuſæ erant impenſæ Chriſtianorum, vt auctor eſt Tertull. in apolog. de iiſdem Prudent. in Cathemer. hym. in exequijs defunct. Greg. Nyſſ. in orat. in funere Meletij, Gregorius Nazianz. epiſt. 18. ad Sophr. & alij. Ex Iudæis ea traditio manauit ad Chriſtianos: ſic enim mos erat Iudæis mortuos ſepelire, Ioannis 19. Præ ceteris id diligentiùs præſtitiſſe videntur Ægyptij, qui ea arte ſic deſiccabant corpora defunctorum, vt eadem quaſi ænea redderent, appellarentque lingua Ægyptia Gabbaras, vt tradit Auguſtinus ſerm. de diuerſis 120. cap. 12. Inde eſt, quòd impius Eunapius Sardianus in Ædeſio Ægyptios Chriſtianos, ipſos Alexandrinos, in quos inuehitur ob demolitum templum Serapidis, irridet, quòd religionis ergô oſtentarent ſalita capita damnatorum: ſic Ethnicus Chriſtianorum hoſtis appellat ſanctos martyres, quos Alexandrini maximo honore habebant. Porrò condiendorum corporum vſum ab Ægyptijs mutuatos eſſe Iudæos, auctor eſt Tacitus lib. 21. Annalium.

## 5 Nonis Auguſti. Luna. G xx

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | | | |

ROMÆ in Eſquilijs dedicatio [a] Baſilicæ [b] ſanctæ Mariæ ad Niues. Item Romæ paſſio ſanctorum Martyrum [c] viginti trium, qui in perſecutione Diocletiani via Salaria veteri capite truncati, ibidem ſepulti ſunt ad cliuum Cucumeris. Auguſtæ Vindelicorum natalis ſanctæ Afræ [d] martyris, quæ cùm eſſet Pagana, per doctrinam ſancti Narciſſi Epiſcopi ad Chriſtum conuerſa, & cum omni domo ſua baptizata, pro confeſſione Chriſti igni tradita eſt. Aſculi in Piceno ſancti Emygdij [e] Epiſcopi & martyris, qui à ſancto Marcello Papa Epiſcopus ordinatus, & illuc ad prædicandum Euangelium miſſus, in confeſſione Chriſti ſub Diocletiano Imperatore martyrij coronam accepit. Antiochiæ ſancti Euſignij [f] militis, qui annum agens centeſimum decimum, cùm Conſtantini Magni fidem, ſub quo militauerat, Iuliano Apoſtatæ exprobraret, eumque vt patriæ pietatis deſertorem redargueret, ab eodem iuſſus eſt capite cædi. Item ſanctorum martyrum Cantidij [g], Cantidiani, & Sobelis Ægyptiorum. Catalauni in Gallia ſancti Memmij [h] ciuis Romani, qui à ſancto Petro illius ciuitatis Epiſcopus conſecratus, populum ſibi commiſſum ad Euangelij veritatem perduxit. Auguſtoduni beati [i] Caſſiani Epiſcopi. Apud Theanum ſancti Paridis [k] Epiſcopi. In Anglia ſancti Oſuualdi [l] Regis, cuius actus venerabilis Beda preſbyter commemorat. Eodem die ſanctæ Nonnæ [m] matris beati Gregorij Nazianzeni.

DEDICATIO Baſilicæ S. Mariæ ad Niues [a]. ] De ea ſolemnitate, eiuſque inſtitutionis cauſa habentur vetera manuſcripta eius eccleſiæ, quæ paucis complexus eſt Petrus in catal. lib. 7. c. 21. Dicta eſt hæc Baſilica Liberij, de qua hæc in libro de Romanis Pontificibus in Liberio: Hic fecit baſilicam nomine ſuo iuxta Macellum Libiæ. Meminit eiuſdem Marcellinus preſbyter, cùm agit de ſchiſmate Vrſicini. Quod autem ſpectat ad Macellum Libiæ: erat in quinta Vrbis Regione, quæ Eſquilina dicitur, Macellum Liuianum appellatum, de quo Sext. Rufus de Region. Vrbis, & Publius Victor. De eadem Baſilica etiam in eodem libro de Rom. Pontificibus in Sixto Tertio hæc leguntur: Hic fecit baſilicam S. Mariæ matris Domini, quæ ab antiquis, Liberij cognominabatur. Hadrianus Papa in epiſt. ad Carolum Magnum Imperatorem de imag. hęc ait: Sixtus Papa, ſucceſſor Cęleſtini, fecit baſilicam ſanctę Dei genitricis Marię, cognoměto Maiorem, quę & apud Pręſepe dicitur: ſimili modo & ipſe tam in metallis aureis, quàm in diuerſis hiſtorijs, ſacris decorauit imaginibus. Hæc Hadrianus. Hactenus extant ferè integræ ſactæ illæ hiſtoriæ muſiuo opere contextæ, atque ſuper maiorem arcum eodem opere exornatum eiuſmodi inſcriptio perſeuerat: SIXTVS PLEBI DEI. A Sixto Sixtiana baſilica dicta reperitur apud Ioannem diac. in vita S. Gregorij Papę lib. 4. c. 68. De eiuſdem baſilicæ excellentia, deque miraculis cereorum illic incendi ſolitorum, ſcribit Petrus Cluniac. lib. 2. c. 30. De alijs item cereis Natalis Domini die illic poni ſolitis cum nota annorum currentium à paſſione Dominica, meminit Beda de temporum ratione cap. 45. Cetera autem eiuſdem Baſilicæ antiqua monumenta habent hi qui ſcripſerunt de ſeptem Vrbis eccleſijs. At ne intentus tantùm veteribus, recentiora prætermittam; eadem Baſilica his diebus noſtris longè auguſtior ac illuſtrior redditur à ſanctiſſimo D.N Sixto Quinto Rom. Pont. tum ob nobiliſſima illic monumenta excitata, ac præſertim magnificentiſſimum ſacellum, quo ſacroſanctum Domini Præſepe contineatur; tum etiam ob apertas directaſque vndique vias, quibus populo Chriſtiano facilior ac gratior pateat ad eam acceſſus. Sed in his omnibus deſcribendis commentario potiùs quàm notatione opus eſſet.

[b] Baſilicæ. ] Vox iſta quidem etſi à Gentilibus accepta videatur, non abhorret tamen à phraſi diuinæ Scripturæ: nam atrium illud maius templi Salomonis, Baſilica dicitur in 2. Paralipom. c. 4. & 6. licet Gręcè αὐλὴν legatur, quod alij vertunt, atrium. Apud nos autem loquendi vſus obtinuit, vt non quæcumque eccleſiæ appellentur Baſilicæ, ſed illæ tantùm, quarum auguſtior eſſet amplitudo. Vnde autem id acciderit, vt eiuſmodi eccleſiæ dicerentur Baſilicę, Iſidorus lib. 15. Originum hęc ait: Baſilicę priùs vocabantur Regum habitacula, vnde & nomen habent: nunc tamen ideò Baſilicę diuina templa nominãtur, quia ibi Regi omnium Deo cultus & ſacrificia offeruntur. Hęc Iſidorus: eadem Amal. de Eccleſiaſt. offic. lib. 2. c. 2. & Walfridus Strabo de rebus Eccleſiaſticis c. 6. Hęc licet ſint vera; eiuſmodi tamen nomen vnà cum re à Gentilibus ad Chriſtianos deriuaſſe, mihi magis probatur. Nam Baſilicę illę Gentilium in eccleſias Chriſtianorum aliquando commutabantur. Eſt de his locus egregius Auſonij Galli in gratiarum actione pro ſuo Conſulatu ad Gratianum Auguſtum his verbis: Baſilicæ olim negotijs plenæ, nunc votis, votiſque pro tua ſalute ſuſceptis, &c. Nec quis putet, apud Gentiles, ſicut apud nos, eiuſdem eſſe ſignificationis Baſilicas, & templa. Erant enim illę (vt ſcribit Vitruuius lib. 5. c. 1.) loca venalium rerum Foris coniuncta, in quibus hieme potiſſimùm publicę conciones & negotiantium conuentus habebantur. ea etiam ſignificatione ſumuntur L. Pediculos. §. Item cùm. ff. de auro & argen. legat. & L. Inter ſtipulantẽ. §. Sacram rem. ff. de verb. obligat. Dicebatur ius etiam in Baſilica, vt apparet ex Plinij epiſtola 21. lib. 5. cùm ait: Deſcenderam in Baſilicam Iuliam, auditurus quid proxima comperendinatione reſpõdere debeam. Sedebant Iudices, &c. De eadem eodem ſenſu & Seneca lib. 3. de ira c. 33. cùm ait: Fremitu iudiciorum Baſilicę reſonant, &c. Eius generis ea eſſe putatur, quam Theodoſius Iunior Imperator ab ergaſterijs, tabulatis, & intromiſſione equorum liberam eſſe voluit. C. de oper. publ. L. Baſilicam. Erant & priuatorum Baſilicæ ad inambulandum constructæ, & magno ſumptu ornatæ; quarum meminit S. Hieronymus ſcribens ad Marcellam epiſt. 18. atque: Vbi (Romę ſcilicet) inſtar palatij priuatorum extructæ Baſilicæ, vt vile corpuſculum hominis pretioſiùs inambulet, & quaſi mundo quidquam poſſit eſſe ornatius, tecta ſua magis velint aſpicere, quàm cælum. Hæc ille. Quod autem ad ipſarum ſtructuram ſpectat; erant plures ſimul in longum iunctæ porticus ſuffultæ columnis, ęquis inter ſe diſtantibus ſpatijs, epiſtylijs deſuper iunctis, velut intextis inuicem. His reſpondent quę Cicero ad Atticum lib. quarto ſcribit his verbis: Paulus in medio Foro Baſilicam pęnè texuit ijſdem antiquis columnis, &c. Secundùm ea quæ à Vitruuio ſunt deſcripta lib. 5. c. 1. eiuſmodi ferè ſtructurę eſſe ipſas Chriſtianorum antiquas Baſilicas, nullus ignorat: nam paucis mutatis, vel additis, ex ipſis aliquæ, vel (quod frequentiùs accidit) ipſarum Baſilicarum columnę in vſum Chriſtianæ religionis tranſiere cum nomine. Ab aliquibus vſurpatam hanc vocem, Baſilicam, pro quacumq. eccleſia inuenimus, vt apud Optatum libro primo, cùm ait de his quæ Romæ erant eccleſijs: Inter quadraginta, & quod excurrit, Baſilicas, &c. Verùm vſitatiori vocabulo dictas fuiſſe ab antiquis eccleſias ipſas domos Dei, & templa, ſanctus Zeno in Pſalm. 126. ſignificare videtur his verbis: Conuentus quidem eccleſiarum, ſiue templi, quos ad ſecretam Sacramentorum religionem ædificiorum ſepta claudunt, conſuetudo noſtra vel domum Dei ſolita eſt nuncupare, vel templa. Hæc ille. Verùm non his tantùm nominibus loca Deo ſacrata nominari conſueuiſſe, ſed & alijs, nempe dici Memoriam, Martyrium, Dominicum, alibi diximus.

[c] Martyrum vigintitriũ. ] Habetur mentio de ijſdem martyribus in Actis SS. Abundij, Abundantij, & Marciani, de quibus ſuo loco inferiùs.

[d] Afræ.

[d] Afræ. ] De eadem hac die Vſuardus, Ado, & alij; Beda autem ad ſeptimum Idus Auguſti, vt in eccleſia Auguſtana, in qua hac die agitur de ſancto Afro martyre. Extant eius Acta, quæ recitat Sur. tom. 4. hac die. Sinceriora mihi ea videntur, quæ ex Actis publicis deſcripſit Vicellius in Hagiologio. In Auguſtano Breuiario atque Miſſali libro eiuſdem res geſtæ narrantur; cumque ſimul omnia monumenta eam olim fuiſſe meretricem tradant, miror vehementer, quomodo Venantius Fortunatus eam appellet virginem his verſibus in libro quarto vitæ S. Martini Epiſcopi Turonenſis:

*Pergis ad Auguſtam, quam Vindo, Licuſq; fluentant:*
*Illic oſſa ſacra venerabere virginis Afræ.*

Cùm hanc tradant à ſancto Narciſſo Epiſcopo ad Chriſtianam fidem eſſe conuerſam, putant aliqui, inter quos Petrus in catalogo lib. 7. c. 28. hunc illum eſſe Narciſſum Epiſcopum Ieroſolymitanum laudatiſſimum, de quo ſcribit Euſebius lib. 6. c. 9. Alij autem dixerunt hunc fuiſſe Narciſſum martyrem Gerundenſem; idque teſtantur eius Acta, ac ceteri, vt Vincentius lib. 7. cap. 28. Anton. 1. par. tit. 8. c. 1. §. 18. & nouiſſimè Flos Sanctorum, quibus magis aſſentior.

[e] Emigdij Epiſc. ] Petrus in catalogo lib. 7. c. 24. refert eius Acta, ſed eiuſmodi quæ cenſura indigeant.

[f] Euſignij. ] Agunt de eodem hac die Græci in Menolog. ibique deſcribunt eius certamen.

[g] Cantidij & ſoc. ] De his item Græci hac die vbi ſuprà in Menologio agunt.

[h] Memmij Epiſcopi. ] Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri de eodem hac die, pluribus autem Gregorius Turonenſis de gloria confeſſ. cap. 66. Vincent. & Antonin. par. 1. tit. 6. c. 27. Petr. in catal. lib. 7. c. 25.

[i] Caſſiani Epiſc. ] De quo Beda, & alij qui ſuprà. Meminit eiuſdem Conſtantius in vita S. Germani Epiſcopi Antiſiodor. lib. 2. cap. 7. Gregor. Turon. de glor. confeſſ. c. 24. Petr. in catal. Vincent. Antonin. & alij. Molanus teſtatur eius Acta extare: ſed ea hactenus nobis ſunt incognita.

[k] Paridis Epiſc. ] Tam ipſius, quàm aliorũ plurimorum ſanctorum totius prouinciæ Campaniæ & adiacentium regionum Acta percepi collegiſſe in vnum ſumma cum diligentia ac labore Illuſtr. ac Reuerendiſſ. D. Iulium Antonium Sanctorium Cardinalẽ ſanctæ Seuerinę dictum, ſanctæ Rom. Eccleſiæ ornamentum; eaque aliquando ab ipſo edi ac peruulgari, vehementer optamus.

[l] Oſualdi. ] De eo hac die Beda, qui & de eodem in geſt. Anglorum lib. 2. cap. 4. & in epitome: quæ cuncta ſimul collecta recitat Surius tom. 4. Migrauit ex hac vita anno Domini ſexcenteſimo quadrageſimoſecundo.

[m] Nonnæ. ] Agunt de eadem hac die Græci in Menologio: eius autem egregia facta recenſet eius filius S. Gregorius Nazianzenus in oratione habita in funere patris, ac item alia quæ dicta ab ipſo eſt in funere Cæſarij fratris, atque illa quam habuit in obitu ſororis Gorgonię, itemque in carmine de rebus ſuis, & de vita ſua ad populum Conſtantinopolitanum. Quod autem ad nomen ſpectat: Nonnæ dicebantur moniales, vt notat Cæl. Rhodig. lect. antiq. lib. 5. c. 13. in fine, idemque habes lib. 5. Capitularium Regum Franc. c. 2. & 3. In eodem fortè ſenſu ſanctus Hieronymus epiſt. 22. ad Euſtochium de cuſt. virginit. ait: Maritorum expertæ dominium, viduitatis præferunt libertatem: caſtæ vocantur, & nonnæ, &c. At non tantùm apud Gręcos eiuſmodi nomen appellatiuum aliquando tranſiuit in proprium, ſed & apud Latinos: nam & S. Auguſtini mater eodem fermè nomine eſt appellata, licet pro Monacha, Monica dicta ſit, quod eſt idem quod Nonna. Sicque duæ ampliſſimorum eccleſiæ Doctorum matres eodem dictæ nomine habentur.

## 6 Octauo Idus Auguſti. Luna. A xix.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | ĩ | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | | | |

IN monte Thabor Transfiguratio [a] Domini noſtri Ieſu Chriſti. Romæ via Appia in cœmeterio Calliſti natalis beati Sixti Secundi [b] Papæ & martyris, qui in perſecutione Valeriani, gladio animaduerſus, martyrij coronam accepit. Item ſanctorum martyrum Feliciſſimi [c] & Agapiti, eiuſdem beati Sixti diaconorum, Ianuarij, Magni, Innocentij, & Stephani ſubdiaconorum, qui omnes cum eo pariter decollati ſunt, atque in cœmeterio Prætextati ſepulti. Paſſus eſt etiam cum eis beatus Quartus, vt ſcribit ſanctus Cyprianus. Compluti in Hiſpania ſanctorum martyrum Iuſti [d] & Paſtoris fratrum, qui cùm adhuc pueri litteris imbuerentur, proiectis in ſchola tabulis,

ſponte ad martyrium cucurrerunt: & mox à Daciano Præſide teneri iuſſi, & fuſtibus cædi, cùm ſe mutuis exhortationibus conſtantiſſimè roborarent, extra ciuitatem perducti, à carnifice iugulati ſunt. Romæ ſancti Hormiſdæ [e] Papæ & confeſſoris. Amidæ ſancti Iacobi [f] eremitæ, miraculis clari.

# AVGVSTI 6.

TRANSFIGVRATIO Domini [a]. ] De hac ſolemnitate non tantùm Larini, ſed & Græci hac die agunt; vt conſtat tam ex eorum Menologio, quàm ex conſtit. Emmanuelis Imp. quę extat apud Theod. Balſ. in Nomoc. Photij tit. 7. cap. 1. Pluribus agunt de eadem, qui ſcripſerunt de diuinis offic. Sicardus, Durandus, Belethus, & alij; traduntque eam eſſe inſtitutam à Calliſto Papa Tertio: idque affirmat Platina, additque ab eodem conſcriptum eſſe officium Eccleſiaſticum de ea die, & cum indulgentijs promulgatum ijſdem quæ conceſſæ ſunt in ſolemnitate Corporis Chriſti. Sed hæc quidem à Calliſto de inſtitutione diuini officij ea die ſolemniter recitandi: at verò inſtitutio eius ſolemnitatis longè ante eius tempora facta conſpicitur; id etenim non tantùm vetuſtiſſima Græcorum Menologia & Martyrologia manuſcripta teſtantur: ſed & Wandelbertus, qui (vt ſcribit Trithem. de vit. illuſtr. ord. ſancti Benedicti libro 2. cap. 36. & de ſcript. Eccleſ. & Sigeb. cap. 129.) vixit temporibus Lotharij Imp. circa annum Domini octingenteſimum quinquageſimum: in ſuo Martyrologio, quod ſcripſit carmine, de eadem ſolemnitate agit hac die his verſibus:

*Idibus octauis mortem paſſura crucemq;*
*Chriſti ſancta caro æthercam dedit antè figuram.*

Acta ſecundæ Nicænæ Synodi, dum recenſent egregia Leontij in Cypro Epiſcopi ſcriptorum monumenta, orationem ſcripſiſſe de Transfiguratione Domini teſtantur, Actione 4. De eadem Transfiguratione Domini extat ſermo S. Ephręm Syri, alius item Baſilij Seleuciæ, necnon etiam Andreæ Cretenſis: habentur Græcè ſcripti in bibliotheca Sfortiana cod. manuſcript. num. 33. prope finem. Ioannes Damaſcenus etiam de eadem ſolemnitate habuit orationem, cuius eſt exordium: Agedum, ô pie cœtus, hodiernum hunc diem lætis animis celebremus, &c.

[b] Sixti Secundi, aliàs Xyſti. ] Beda, Vſuardus, Ado, ac reliqui de eodem agunt hac die. De eius ſucceſſione Euſebius ſcribit in chronic. & hiſt. lib. 7. cap. 4. Optatus lib. 2. Aug. epiſt. 165. Niceph. Calliſt. lib. 6. cap. 34. & alij recentiores. De eius martyrio Cyprianus ad Succeſſum epiſtol. 82. Pontius in Cypriano, Auguſtinus in Ioan. tract. 27. Maximus Taurin. hom. 1. & 2. de ſancto Laurentio, Petrus Chryſol. ſerm. de eod. Prudentius in Periſteph. hymn. 2. Acta Laurentij, & alij plures. De reliquijs S. Sixti in Angliam à ſe miſſis agit S. Gregorius in regiſt. lib. 12. reſp. 9. ad Aug. Sed cuiuſnam fuerint Sixti martyris, iſtiúſne, an prioris, vel alicuius non Pontif. Sixti martyris, non liquet. Cetera de eo in Annal. Eccleſ. ibique de genere martyrij ab eo ſuſcepti egimus. De eccleſia S. Sixti Romæ via Appia poſita meminit S. Gregorius Papa dial. lib. 4. c. 26.

[c] Feliciſſimi & Agapiti. ] De ijſdem Beda, Vſuardus, Ado, atque alij. Huic Agapito S. Felix Papa Tertius erexit baſilicam iuxta eccleſiam S. Laurentij, vt auctor eſt lib. de Rom. Pontific. in Felice Tertio. Quod ad Quartum ſpectat, de ipſo S. Cyprianus in dicta epiſt. ad Succeſſum hęc ait: Sixtum autem in cœmeterio animaduerſum ſciatis, & cum eodem Quartum, &c. At licet in prædictis Actis de Quarto nulla ſit mentio, tamen Beda, Vſuardus, & alij recentiores, Cypriani auctoritate, de eodem agunt hac die.

[d] Iuſti & Paſtoris. ] De his item hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Recitantur eorum Acta apud Sur. tom. 7. quæ & plenè explicantur in ſacro hymno, eodemque peruetuſto, qui extat in Breuiario Toletano. De his & Prudentius in Periſtephan. hymn. 4. his verſibus meminit:

*Sanguinem Iuſti, cui Paſtor hæret,*
*Ferculum duplex, geminumq; donum*
*Ferre Complutum gremio iuuabit*
*Membra duorum.*

Meminit ſumma cum laude eorumdem S. Eulogius in memor. ſanct. lib. 1 & ibi Ambr. Moral. in ſchol. Petrus in catal. lib. 7. cap. 32. Flos ſanct. Hiſp. & Theſaur. concion. tom. 2. hac die.

[e] Hormiſdæ Papæ. ] Agunt de eodem hac die Beda, & recent. Succeſſit hic S. Symmacho. Huius fortiſſimos agones pro Catholica fide ſuſceptos digeſſimus in Annal. Eccleſ. per annos ſingulos, ex codicibus antiquis manuſcriptis.

[f] Iacobi Eremitæ. ] Qualis autem, quantúſve hic fuerit, ex his quę ſcripſit Procop. lib. 1. de bello Perſico, facilè poteſt intelligi; vbi eum à Cadabe Perſarum Rege viſitatum fuiſſe tradit. Alter eiuſdem nominis ſanctitate nobilis claruit in Syria tempore Theodoſij Iunioris, de quo Theodoret. in Theoph. cap. 21. Meminit eiuſdem Euagr. hiſt. lib. 2. cap. 9. in fine.

Septimo

7 Septimo Idus Auguſti. Luna. B xviij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |

ARetii in Tuſcia natalis S. Donati [a] Epiſcopi & martyris, qui inter cetera virtutis opera (vt ſcribit B. Gregorius Papa) fractum à Paganis calicem ſanctum [b] orando inſtaurauit. Is in perſecutione Iuliani Apoſtatę à Quadratiano Auguſtali cõprehenſus, cùm idolis ſacrificare renuiſſet, gladio percuſſus martyriũ conſummauit. Paſſus eſt etiã cum eo beatus Hilarinus monachus, cuius feſtiuitas decimoſeptimo Kalendas Auguſti celebratur, quando eius corpus ad Oſtia Tiberina tranſlatũ fuit. Romę ſanctorum martyrum Petri [c] & Iuliani, cum alijs decem & octo. Mediolani S. Fauſti [d] militis, qui ſub Aurelio Commodo poſt multa certamina martyrij palmam adeptus eſt. Nouocomi paſſio ſanctorum martyrũ Carpophori [e], Exanthi, Caſſij, Seuerini, Secundi, & Licinij, qui in confeſſione Chriſti capite truncati ſunt. Niſibi in Meſopotamia S. Dometij [f] monachi Perſæ, qui cum duobus diſcipulis ſub Iuliano Apoſtata lapidatus eſt. Rhotomagi S. Victricij [g] Epiſcopi, qui adhuc miles, ſub eodem Iuliano pro Chriſto abijciens cingulum, à tribuno multis tormentis afficitur, & capitis damnatur; ſed carnifice, qui ad eum cædendum miſſus fuerat, cæcitate percuſſo, ipſe vinculis ſolutis liber euaſit: poſteà Epiſcopus factus, Morinorum & Neruiorum gentes indomitas verbi prædicatione ad fidem Chriſti perduxit, & demum confeſſor in pace quieuit. Catalauni in Gallia S. Donatiani [h] Epiſcopi. Meſſanę in Sicilia ſancti Alberti [i] confeſſoris, ordinis Carmelitarum, miraculis clari.

## AVGVSTI 7.

DONATI Epiſc. [a]] De quo Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri hac die. Eius martyrij Acta ſinceriſſimè olim ſcripta fuiſſe apparet, ex quibus S. Greg. Papa lib. 1. dial. cap. 7. de fracto calice mutuatur exemplum. ſcripta eſſe feruntur à Seuerino Epiſcopo, qui quartus à Donato Aretinę eccleſię pręfuit. Vtinam (ſicut ille edidit) integra permanſiſſent; & non aliquis ſibi viſus nimis ſapiens, aliqua ſuperaddidiſſet, quibus cetera reuocantur in dubium. Legimus ea in pluribus codicibus manuſcr. edidítq. eadem Mombritius tom. 1. vit. ſanct. & Petrus in catalog. breui compendio lib. 7. cap. 33. Diſplicent ea quæ de Iuliani educatione Romæ ſub Pigmenio vnà cum Donato narrantur. Vbi enim Iulianus puer vixerit vnà cum Gallo fratre in Cappadocia; vbi & adoleſcentior Athenis eruditus fuerit; vbi demum in Gallijs exercitibus præfuerit, ſatis conſtat ex Græcorum ac Latinorum antiquis hiſtoricis, ac in primis ex eiuſdem Iuliani epiſtolis. Illud etiam ab omni ratione alienum eſt, vt Iuliani perſecutionis tempore, qui nec integro biennio imperauit, idem ſanctus Donatus lector fuiſſe dicatur, indéque conſecratus diaconus, ac poſt multos annos presbyter ordinatus, ac denique adhuc eo imperante, decedente Saturo Epiſcopo, ſuffectus ſit in locum ipſius; inſuper & adhuc eodem viuente Iuliano, fuerit martyrio coronatus. Quomodo etiam temporibus Iuliani lector adhuc fuiſſe perhibetur, qui à Iulio Pontif. Rom. ibidem dicitur Epiſcopus ordinatus? Quid autem de ea re ſentiam, abſque aliquo veritatis pręiudicio libenter ac liberè dicam. Puto Donati pueritiam & educationem Romæ factam, parentúmque necem, non ſub Iuliani Imperio, ſed ſub Diocletiano, circa extrema illius perſecutionis

tempora contigiſſe: ab illis enim temporibus vſque ad Iulianum quinquaginta duorum annorum ſpatium intercedit, quo Donatus fugâ lapſus, ſe contulit Aretium, ibique ſacris ordinibus à Saturo Epiſcopo initiatus, ac deinde illo defuncto, à S. Iulio Papa in eius locum ſubrogatus, & demum ſub Iuliano Imperatore martyrio fuit coronatus. Hæc ſi dicamus, cetera omnia, quæ in Actis eius leguntur, remanent inconcuſſa: quòd ſi ſecùs fiat, omnia ſub prædictorum errorum caligine inuoluuntur. Sed cùm dicunt Donatum ætate iuniorem conſummaſſe martyrium, id profectò non aliunde emanaſſe cognoſcitur, quàm ex dictis Actis deprauatis, vbi biennij ſpatio Donatus puer, lector, diaconus, preſbyter, Epiſcopus, & martyr deſcribitur: vel fortaſſe antiquæ eius imaginis forma, raſa barba (more maiorum) depicta decepit, vt iunior videretur. Hęc eadem memini me reſpondiſſe, cùm de ambiguitatibus prędictorum Actorum conſultus eſſem: pluraque his adderem, ſi id ferret inſtituti ratio.

[b] Calicem fractum.] Vitreum fuiſſe calicem, Acta eius declarant. Vitreus calix & patenę vitreę olim erant vſui in ſacris miniſterijs. De patenis vitreis habes in lib. de Rom. Pontif. in Zephyrino Papa. De vitreo calice Hieronymus epiſt. 4. ad Ruſticum, agens de S. Exuperio Epiſcopo Toloſano: Nihil, inquit, illo ditius, qui corpus Domini caniſtro vimineo, ſanguinem portat in vitro. Rurſus etiam Cyprianus Gallus in vita ſancti Cæſarij Epiſcopi Arelatenſis, qui claruit temporibus Theodorici Regis Italiæ: An non, inquit, in vitro habetur ſanguis Chriſti? A temporibus enim Apoſtolorum vitreus calix in vſu fuiſſe videtur: vnde Marcus hæreſiarcha illis temporibus proximus, & ipſe æmulatus Catholicam Eccleſiam, vtens calice vitreo in ſuis ſacris, impoſtura quadam per magicam artem exhibita populum dementabat; dum vini color albus, qui foris apparebat in vitro, quibuſdam præſtigijs mutabatur in rubrum, adeò vt vinum conuerſum in ſanguinem videretur. de his Epiph. in Panar. hæreſ. 34. In Concilio autem Rhemenſi, quod temporibus Caroli Magni eſt celebratū, calix vitreus vetitus eſt; idque laudabiliter, ob periculum quod immineret materiæ fragili. De his habes can. Vt calix. de conſecrat. diſtinct. 1. De calice ligneo item vetito cap. Vaſa in quibus. ead. diſt. 1. Porrò hęc ſic accipias de patenis & calicibus vitreis; non quòd apud omnes eſſent huiuſmodi, nec in illa primitiua Eccleſia fuerint ad ſacrum miniſterium vaſa aurea vel argentea: nam illis temporibus perſecutionis Eccleſiæ, vaſa ſacra facta eſſe argentea ab Vrbano Papa, habes in lib. de Rom. Pontif. in Vrbano. Rurſus de temporibus Diocletiani Imp. extat egregium monumentum apud S. Auguſtin. epiſt. 165. vbi ex Actis Proconſularibus legitur, inter vaſa ad vſum eccleſiæ compoſita, adnumeratam Capitulatam, & Lucernam argenteam: erat Capitulata illa, quam hodie Italicè dicimus *lampadario*. Optatus Mileuitanus & ipſe de illis ipſis temporibus perſecutionis Diocletiani agens, hęc ait: Erant ex auro & argento quamplurima ornamenta, quæ nec fodere terrâ, nec ſecum portare poterat, &c. hæc Optatus lib. 1. contra Parmen. Itemque Auguſtinus contra Creſcon. lib. 3. c. 29. ex Actis Proconſularibus: In Breui (quod eſt idem quod nos dicimus Inuentarium) ſic: Calices aurei duo, item calices argentei ſex, &c. hæc Aug. Vaſa ſacra miniſterialia argentea effoſſa eſſe è cryptis, in quibus ſancti martyres ſacra peragentes deliteſcebant, teſtatur Gregorius Turon. de glor. martyr. cap. 38. Hæc ante Chriſtianos Imperatores: poſteà autem quàm abundarint eccleſiæ vaſis aureis & argenteis pretioſiſſimis, ſuperfluum eſt dicere: erant enim etiam ipſis Gentilibus in admiratione. Vndè Iulianus Præfectus Orientis, auunculus Iuliani Apoſtatæ, illa Antiochiæ intuens, & obſtupeſcens, dixit: En quàm ſumptuoſis vaſis filio Mariæ miniſtratur. hæc ille apud Theodoret. hiſt. lib. 3. cap. 11.

[c] Petri, Iuliani, & ſoc.] Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri de ijſdem hac die agunt.

[d] Fauſti.] De quo etiam Beda, ac ceteri, tabulæ inſuper & vetera monumenta eccleſiæ Mediolanenſis.

[e] Carpophori & ſoc.] Agit de ijſdem Galeſinius, citatque vet. monumenta eccleſ. Mediolanenſis, Bergomenſis, & Aquileienſis.

[f] Dometij.] Græci de eodem agunt hac die in Menologio, ibique certamen eius deſcribitur.

[g] Victricij Epiſcopi.] Adſcribitur hic in tabulis Epiſcoporum Rhotomagenſium octauus ordine; cuius egregia facta deſcribit S. Paulinus Nolanus Epiſc. in epiſt. 26. ad ipſum ſcripta, ad quem etiam dedit epiſt. 25. Innocentius Papa ad hunc ipſum ſcripſit inſignem illam epiſtolam decretalem ordine ſecundam.

[h] Donatiani Epiſcopi.] Agit de eodem Molanus in addit. ad Vſuardum; ponitur que in tabulis Epiſcoporum eius eccleſiæ ſecundus ordine. Hic falsò ille eſſe perhibetur, qui interfuit Concilio Agrippinenſi, licet (textu deprauato) Cabilonenſis pro Catalaunenſi ſcribatur. Sed quòd vixerit temporibus Conſtantij Imperatoris, diuerſum ab eo eſſe oportuit: nam is proximus fuiſſe legitur temporibus Apoſtolorum, ſancti Memmij diſcipulus.

[i] Alberti.] Eius res geſtas Surius recitat tom. 4. & Petrus in appendice cap. 13. Cecinit eiuſdem Acta Sapphico carmine Baptiſta Mantuanus Carmelita. Migrauit ex hac vita anno à Chriſto Domino milleſimo ducenteſimo nonageſimoſecundo.

Sexto

8 Sexto Idus Augusti. Luna. C xvij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | | | |

ROMÆ ſanctorum martyrum Cyriaci [a] diaconi, Largi, & Smaragdi, cum alijs viginti, qui in perſecutione Diocletiani & Maximiani paſſi ſunt decimoſeptimo Kalend. Aprilis. Eorum corpora à Ioanne preſbytero via Salaria ſepulta, S. Marcellus Papa in prædium Lucinæ via Oſtienſi hac die tranſtulit: quæ poſteà in Vrbem delata, in Diaconia [b] ſanctæ Mariæ in via Lata recondita fuerunt. Anazarbi in Cilicia ſancti Marini [c] ſenis, qui ſub Diocletiano Imperatore & Lyſia Præſide flagris cæſus, in ligno ſuſpenſus ac laniatus, feris tandem obiectus interijt. Item ſanctorum martyrum Eleutherij [d] & Leonidis, qui per ignem martyrium conſummarunt. In Perſia ſancti Hormiſdæ [e] martyris ſub Sapore Rege. Cyzici in Helleſponto ſancti Æmiliani [f] Epiſcopi, qui pro ſacrarum imaginum cultu à Leone Imperatore multa paſſus, demum in exilio vitam finiuit. In Creta S. Myronis [g] Epiſcopi, miraculis clari. Viennæ in Gallia S. Seueri [h] preſbyteri & confeſſoris, qui ex India Euangelij prædicandi cauſa laborioſam peregrinationem ſuſcepit, & ad præfatam vrbem deueniens, ingentem Paganorum multitudinem verbo & miraculis ad fidem Chriſti conuertit.

## AVGVSTI 8.

[a] CYRIACI, Largi, & Smaragdi.] De his etiam Beda, Viuardus, Ado, & alij recentiores hac die. Horum martyrij certamē deſcriptum habetur in Actis S. Marcelli Papę. Erexit eccleſiam S. Cyriaco via Oſtienſi, ſeptimo ab Vrbe lapide Honorius Papa, vt apparet in lib. de Roman. Pontificibus. Eſt vetus Romę Titulus S. Cyriaci in Thermis, cuius mentio habetur in Actis ſecundæ Synodi Romanæ ſub Symmacho Papa, & io regiſt. S. Gregorij lib. 9. epiſt. 22. Non tantū Diaconia S. Marię horum martyrum ſacris corporibus locupletata eſt, vt narratur in Martyrolog. ſed & Titulus Equitij (vt vetus epitaphium eodem in loco poſitum docet) eorumdem reliquijs nobilitatus eſt per Sergium Iuniorem Romanum Pontificem.

[b] Diaconia.] Erant Diaconiæ loca ſacra, vbi Diaconi regionarij per ſingulas Vrbis regiones reſidentes ſtipem miniſtrabant egentibus; viduarumque, pupillorum, aliarumque miſerabilium perſonarum neceſſitatibus conſulebant: erant etenim veluti quędam eleemoſynarum promptuaria. Tenebantur huiuſmodi Diaconiarū miniſtri rationem reddere de ſua adminiſtratione Summo Pontifici, niſi ab eodem eximerentur. dicebantur hi exhibere diaconiam; idemq́. erat, quod pauperibus, erogando eleemoſynas, miniſtrare. Eſt de his epiſtola 24. S. Greg. Papæ ad Ioannem lib. 9. regiſt. in qua hęc inter multa: Igitur te Ioannem, religioſo intentionis tuæ ſtudio prouocati, menſis pauperum, & exhibendæ diaconiæ eligimus præponendum: ne qua tibi ex hac adminiſtratione naſcatur dubietas, hac te munitione proſpeximus fulciendum: conſtituentes, vt de hoc, quòd menſas pauperum, vel diaconiæ exhibitionem ſuſcepiſti, ſiue ſubinde perceperis erogandum, nulli vmquam hominū quolibet modo, ſeu ingenio cogaris ponere rationem, &c. Eius muneris functionem expreſſam habes in Actis S. Laurentij martyris, & ſi recentiora quęras tempora, in Tito diacono; cuius meminit S. Proſper in chron. anno Domini 429. Habet eadem vox, Diaconia, & alias ſignificationes: nam aliquando ſic dicta reperitur collecta ſolita fieri in eccleſia; ſic apud Caſſian. collat. 18. cap. 7. vt notat ibi diſertus vir D. Petrus Ciaconus ex epiſt. 2. Paul. ad Corinth. c. 8. & 9. qui eadē vtitur voce, cùm ait: περὶ μὲν διακονίας, &c. Accipitur ab eodem auctore Diaconia pro ipſa œconomia, ac monaſterij diſpenſatione, collat. 21. c. 1. 8. & 9. Diſpenſationem

etenim,

Digitized by Google

etenim, Latina voce, idem munus appellāt lib. 5. c 40. Differt à diaconia diaconion, quod idem eſt apud Græcos, quod apud Latinos ſecretarium, vt expreſſum habes ex Concilio Agathen. can. 66. vbi hæc leguntur: Quoniam non oportet inſacratos miniſtros licentiam habere in ſecretarium (quod Græci diaconion appellant) ingredi, & contingere vaſa Dominica. Hæc ibi, & apud Grat. diſtinct. 23. cap. Non oportet.

[c] Marini.] Agunt de eodem hac die Græci in Menologio, ibique eius Acta ſummatim comprehenſa referunt.

[d] Eleutherij & Leonis.] Græci itidem de hîs agunt in Menologio.

[e] Hormiſdæ.] Cuius illuſtre certamen deſcribit Theodoretus hiſtor. lib. 5. cap. 38. Nicephorus libro 14. cap. 20. & Caſſiod. ex eodem Theodoreto in Tripart. Agit de eodem Petrus in catalog. lib. 7. cap. 31.

[f] Æmiliani Epiſc.] De quo & Græci hac die in Menologio, eiuſque res geſtas referunt.

[g] Myronis Epiſcopi.] Hunc autem Græci ob præclaram miraculorum operationem Thaumaturgum appellant, vt conſtat ex eorum Menologio hac die.

[h] Seueri.] Agunt de eodem Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Errare videtur Petrus in catalogo lib. 7. cap. 36. & alij eum ſecuti, qui dicunt eum Epiſcopum, cùm conſtet fuiſſe tantummodò presbyterum. Nec enim Ado Viennenſis Epiſcopus, cùm de eo ſcribit in chron. anno Domini 452. nec tabulæ Viennenſium Epiſcoporum eum recenſent inter eius ciuitatis Epiſcopos. Pręfuit autem huius temporibus illi eccleſiæ Iſicius, inde Auitus, poſteà Iulianus, ac ceteri ſucceſſores. Diuerſus eſt hic Seuerus presbyter ab eo, de quo Gregorius Turonenſis de gloria confeſſorum cap. 5. & 51.

## xvj. D Quinto Idus Auguſti. Luna. 9

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ

15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 1 2

t u A B C D E f F G H M N P

3 4 5 6 7 8 9 10 9 10 11 12 13 14

VIGILIA [a] ſancti Laurentij martyris. Romæ ſancti Romani [b] militis, qui confeſſione beati Laurentij compunctus, petijt ab eo baptizari; & mox exhibitus, ac fuſtibus cæſus, ad vltimum decollatus eſt. In Tuſcia natalis ſanctorum martyrum Secundiani [c], Marcelliani, & Veriani, qui tempore Decij à Promoto Conſulari primùm cęſi ſunt, deinde in equuleo ſuſpenſi, & vngulis abraſi, atq. igne lateribus appoſito aſſati, triumphalē martyrij palmā capite cęſi meruerunt. Veronę ſanctorum martyrum Firmi [d] & Ruſtici, tempore Maximiani Imperatoris. In Africa commemoratio plurimorum [e] ſanctorum Martyrum, qui in perſecutione Valeriani, hortante eos ſancto Numidico, in ignem coniecti, martyrij palmam adepti ſunt. Ipſe autem Numidicus, licet cum alijs in rogum iniectus, & lapidibus obrutus fuiſſet, à filia tamen effoſſus, & ſemiuiuus repertus, curatus eſt, ac poſteà ob eius virtutem in eccleſiæ Carthaginienſis presbyterum à beato Cypriano meruit cooptari. Conſtantinopoli ſanctorum martyrum Iuliani [f], Marciani, & aliorum octo, qui ob Saluatoris imaginem, quam in porta ænea conſtituerant, impij Leonis Imperatoris iuſſu poſt multa tormenta gladio necati ſunt. Catalauni in Gallia ſancti Domitiani [g] Epiſcopi & confeſſoris.

## AVGVSTI 9.

VIGILIA S. Laurentij. [a] ] De ea etiam Beda, Vſuardus, Ado, Amalarius de ordin. antiph. cap. 6. Gregor. Sacrament. & alij. Cur autem præ ceteris martyribus ſancti Laurentij agantur Vigiliæ, id quidem non alia de cauſa factum putamus, quàm ex priſtina illa Fidelium obſeruatione, qui propenſiori ſtudio ad corpus tanti martyris vigilare cœperunt, vt eius Acta teſtantur: ſic enim habent: Cùm tradidiſſent ſepulturę ſanctū Laurentium,

tium, ieiunantes celebrarunt vigilias noctis triduo cum multa Chriſtianorum frequentia, nec ceſſarunt à luctu & lacrymis: beatus verò Iuſtinus presbyter obtulit ſacrificium laudis, & participes facti ſunt omnes. Hæc ibi. Quod quidē ſacratiſſimū inſtitutum, etſi non triduanis vigilijs, vnis ſaltem anniuerſaria die obſeruandū, retinuit ſancta Eccleſia vſque in hodiernum diem. Scio tamen alios alias reddere rationes; ſed hæc mihi magis probatur, quæ ex Actis eius accipitur.

[b] Romani.] De eodem ijdem qui ſuprà, Beda, & alij. Eius Acta narrantur in rebus geſtis ſancti Laurentij martyris.

[c] Secundiani & ſociorum.] De his Vſuardus hac die. extant horum res geſtæ apud Mombrit. tom. 2. & Sur. tom. 4. De his item & Petrus in catal. lib. 7. c. 41.

[d] Firmi & Ruſtici.] De ijſdem Beda, ac recentiores. Horum Acta recitat Mombrit. tomo 2. Petrus in catalog. libro 7. cap. 42. Tabulæ eccleſiæ Veronenſis, & Illuſtriſſim. ac Reuerend. D. Auguſtinus Valerius Epiſcopus Veronenſ. S. R. E. Cardinal. libro de antiquis mon. Epiſcoporum Veronenſ. pagina 21. & 49.

[e] Plurimorum martyrum.] Horum egregia certamina inuicto animo ſuſcepta & conſummata, Numidico fortiſſimo agonotheta hortante, ſcribit S. Cyprianus epiſt. 35. qui & de Numidico iterùm epiſt. 40. edit. Pamel.

[f] Iuliani & ſociorum.] De his item hac die Græci in Menologio, referuntq. ceterorum nomina, quę ſunt, Ioannes, Iacobus, Alexius, Demetrius, Photius, Petrus, Leontius, & Maria patricia, horumque martyrium recolunt.

[g] Domitiani Epiſcopi.] Succeſſit hic ſancto Donatiano, de quo ſuprà ſeptimo Idus Aug. Agit de eodem Molanus hac die in addit. ad Vſuard. & Demochares in tab. Epiſcoporum Catalannenſium. Si verum eſt quod habent Acta S. Memmij eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, quę hunc vixiſſe ponunt proximum temporibus Apoſtolorum; alium oportuit eſſe eius nominis & ciuitatis Epiſcopum, qui interfuit ſecundę Synodo Turonenſi anno ſexto Regis Chariberti, qui eſt Domini 570. Agit de eodem Fortunatus lib. 3. in carm. ad Felicem, cùm interfuit dedicationi baſilicæ.

## 10 Quarto Idus Auguſti. Luna. E xv.

| | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | | | |

ROMÆ via Tiburtina natalis beati Laurentij [a] archidiaconi, qui in perſecutione [b] Valeriani, poſt plurima tormēta carceris, verberum diuerſorum ſcorpionum, fuſtium, & plumbatarum, & laminarum ardentium, ad vltimum in craticula ferrea aſſatus, martyrium compleuit: cuius corpus à beato Hippolyto & Iuſtino presbytero ſepultum fuit in cœmeterio Cyriacæ in agro Verano. Item Romæ paſſio ſanctorum centum ſexagintaquinq. [c] Militum martyrum ſub Aureliano Imperatore. Bergomi ſanctæ Aſteriæ [d] virginis & martyris, in perſecutione Diocletiani & Maximiani Imperatorum. Alexandriæ commemoratio [e] ſanctorum Martyrum, qui in perſecutione Valeriani ſub Præſide Æmiliano diuerſis exquiſitiſque tormentis diutiùs cruciati, vario mortis genere martyrij coronam adepti ſunt. Carthagine ſanctarum virginum & martyrum Baſſæ [f], Paulæ, & Agathonicæ. Romæ ſancti Deuſdedit [g] confeſſoris, qui quod in hebdomada manibus ſuis operando lucrabatur, die ſabbati pauperibus erogabat.

## AVGVSTI 10.

LAVRENTII [a].] De eodem Beda, ac ceteri Latinorum, Græci etiam in Menologio hac die. Habentur Acta eius apud Surium tomo 4. quorum exordio præmittuntur res geſtæ ſanctorum Abdon & Sennen & aliorum; quæ cùm ob ſtyli diuerſitatem, tum ob hiſtoriæ varietatem & inconſtantem veritatem, alterius cuiuſpiam auctoris eſſe apparent: multa etenim in illis apocrypha, multaque veritati contraria,

præſertim

præſertim illa de obitu Decij & Valeriani, eſſe noſcuntur. Hoc idcircò dixerimus, vt ſciat prudens lector illa à germanis Actis S. Laurentij ſeparare. Eiuſdem S. Laurentij certamen Prudentius cecinit ſacro hymno, S. Ambroſ. offic. lib 1. cap. 41. lib. 2. cap. 28. Auguſtin. in Ioan. tract. 27. ſerm. 3. de ſanct. & ſerm. 37. 38. 111. & 123. de diuerſis, edit. Louan. Maximus Taurin. ſerm. 1. 2. & 3. ſanctus Leo Papa ſerm. 1. Petrus Chryſolog. ſerm. 135. & alij recentiorũ. Fuit etiam notiſſimus Gręcis: agit de eo Euſeb. in chron. Metaphraſtes eius Acta Gręcis edidit, accepta eadem ab antiquis Græcorum monumentis: qui ſolemni cultu eamdem ſancti Laurentij celebritatem agere conſueuerunt. in Actis enim S. Matronæ hæc leguntur apud Metaphraſtem: Celebrabatur quidem publicum & venerandum feſtum Laurentij martyris, in cuius templum confluxerat maxima multitudo populi, & diem in eo tranſigebant, &c. S. Pulcheria Auguſta erexit Conſtantinopoli baſilicam S. Laurentij, in eaque eius reliquias, atque Agnetis Roma petitas, vnà cum ſancti Stephani collocauit, vt ſcribit Marcellinus in chron. Theodorus lector in collectan. lib. 2. in fin. Niceph. hiſt. lib. 14. cap. 10. & Beda de ſex ætat. in Theodoſio Iuniore: eamdem baſilicã Iuſtinianus Imper. amplioribus ſpatijs auxit, vt ſcribit Procop. lib. 1. ędifie. Iuſtiniani Imp. Idem Iuſtinianus dum adhuc eſſet Patricius, per S. Germanum Epiſc. Capuanum, & alios tunc miſſos legatos Conſtantinopolim ad Iuſtinum Imp. petijt ab Hormiſda Papa ad ſe mitti de reliquijs ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, necnon de craticula S. Laurentij: extant de ea re litteræ legatorum ad Hormiſdam apud nos manuſcriptæ. De eadem craticula S. Laurentij multis miraculis illuſtrata meminit ſanctus Gregorius Papa in regiſt. lib. 2. epiſt. 33. De parte eius in Gallias tranſlata, vide in Actis S. Domnoli apud Sur. tom. 3. die 16. Maij. De ſepultura eiuſdem, & prodigijs quæ in ea acciderunt tempore Pelagij Papæ Secundi, idem Gregor. lib. 3. epiſt. 30. De miraculis ad reliquias eius Greg. Turonen. de gloria mart. cap. 42. vbi & carmina Venantij Fortunati de baſilica ſancti Laurentij conſcripta recitat.

[b] In perſecutione Valeriani. ] Ex hoc non tantùm cetera Martyrologia corriguntur, ſed & prædicta Acta S. Laurentij, aliorumque omnium opinio, qui ſub Decio eum paſſum dixerunt. Eius rei auctor videtur Euſebius, qui & ceteris errandi fuit occaſio, dum in chronico Laurentium paſſum in perſecutione Decij Imp. teſtatur. Licet verius ſit, ea non ab Euſebio ſcripta, ſed ab alio aliquo ſuperaddita: nam qua ratione anno Domini ducenteſimo quinquageſimoquarto ſub Decio potuit poſuiſſe martyrium S. Laurentij, ſi poſt annos quatuor Sixti Papę ponit ingreſſum? Vt autem cuncta de ea re certa, explorataq. habeantur; ex tempore martyrij S. Sixti Papæ, cuius S. Laurentius erat diaconus, quem & poſt triduum ſecutus eſt ad martyriũ, certa ſententia de tempore paſſionis Laurentij eſt deducenda. Conſtat quidem ſanctum Sixtum occubuiſſe ſub Valeriano Imper. idque ex S. Cypriani auctoritate, qui tunc viuebat, & de rebus tunc Romæ geſtis certum accepit nuntium, qui & ea omnia de martyrio Sixti ſcripſit in epiſtola ad Succeſſum 82. Pontius quoque diac. in Actis S. Cypriani apertè docet, eodem anno quo S. Cyprianus martyrium ſubijt, Sixtum Rom. Pontific. illum præceſſiſſe ad palmam. Porrò manifeſtè conſtat ex Actis eius ſanctum Cyprianum capite plexum eſſe, Baſſo, & Fuſco, aliàs Tuſco Coſſ. anno videlicet ſeptimo Valeriani Imperatoris. Hæc autem cùm luce meridiana ſint clariora, miramur adhuc nonnullos perſtitiſſe in ea ſententia, vt dicerent Laurentium ac Sixtum paſſos eſſe ſub Decio Imp. & Valeriano Pręfecto, nõ Imp. Arbitror hos non legiſſe prędictam S. Cypriani epiſtolã ad Succeſſum, qua apertiſſimè Valerianum dicit Imperatorem, & non Præfectum: nec eoſdem animaduertiſſe ex Flauio Vopiſco, temporibus Decij, præfecturam Vrbanam Cornelium Secularem, Prætoriam verò adminiſtraſſe Bebium Macrum, Valerianũ verò creatum eſſe Cenſorem. Rurſus alij, vt prædictam ſententiam de Decio tuerentur, illud excogitarunt: Gallienum ſcilicet Valeriani filium, qui vnà cum patre imperauit, dictũ eſſe Decium Gallienum. ſed hæc planè ridicula eſſe videntur, quæ nullis fulciuntur antiquitatis teſtimonijs: nã cùm veteres illarum rerum ſcriptores, tum inſcripti lapides, numiſmata, & alia antiqua monumenta declarant, quibus ſit nominibus Gallienus appellatus, nimirum, Publius Licinius Gallienus. Alij rurſus commodiùs dixerunt, perſecutionem Decij & Valeriani vnam eamdemque eſſe exiſtimatam: ſuppetuntque de his plura exempla in Martyrologijs, Actiſque martyrum, auctoritas inſuper ſancti Hieronymi in Paulo primo eremita, & de ſcrip. Eccleſiaſt. in Methodio; quibus in locis vnam perſecutionem ſub Decio & Valeriano Impp. nominat: idem Opt. lib. 3. Sed ſciendum eſt, auctores grauiſſimos, qui perſecutiones Eccleſiæ enumerant, harum alteram ab altera diſtinxiſſe, eamq. ſub Decio ſeptimam, ſub Valeriano autem octauam poſuiſſe, vt Seuerus hiſt. ſacr. libro 2. Oroſ. lib. 7. cap. 27. Auguſt. de ciuitate Dei lib. 18. cap. 52. Cùm autem hæc ita ſe habeant, queri adhuc poteſt, cur aliquando ſub vtriuſque ſimul nomine, alterius eorum perſecutio denominetur? Exiſtimauit Zonaras, id ea ex cauſa accidiſſe, quòd Decius ſibi adſciuerit Valerianum collegam Imperij: quod quidem nullius antiquorum probatur auctoritate. Rei veritas, mea ſententia, aliunde petenda eſt; eamq. hanc ipſam, quam ſubinferimus, eſſe putamus. Scribit Trebellius Pollio in Valeriano, Decium Imp. ex Senatus conſulto ampliſſimam poteſtatem Valeriano tribuiſſe, nec tantùm illi Cenſuram, more maiorum, ſed eamdem auctam poteſtate ſcribendarum ſponte legum tradidiſſe; indeque factum, vt ſicut cetera edicta, ita ea quæ aduerſus Chriſtianos ſunt promulgata, Decij & Valeriani nominibus inſcriberentur; quo titulo perſecutio primùm indicta, eodem nomine perſeuerauit in poſterum; cùm præſertim nihil opus fuerit Valeriano nouas leges ſancire in Chriſtianos, vigentibus illis, quas idem ipſe iam tulerat, Decio imperante. Dicere adhuc poſſumus, perſecutionem Valeriani ſæpè Decij nomine appellari, ea de cauſa, quòd ab auctore qui eam indixit, quæ ſub ſucceſſore eſt facta, perſeuerauit denominari. Eſt de his patens exemplum de perſecutione Diocletiani & Maximiani: nam cùm eam illi indixiſſent, atq. duobus tantùm annis eam in Chriſtianos exercuiſſent; nihilominùs & octo ſequentes anni, quibus imperauit

nit Galerius Maximianus acerbiſſimus Eccleſiæ perſecutor, inſcribuntur nomine perſecutionis Diocletiani & Maximiani, vt patet ea multorum martyrum Actis, ac potiſſimùm ex his quæ ſcribit Euſebius hiſtor. lib. 8. qui per annos ſingulos eam teſtatam ſuorum ſcriptorum monumentis reliquit. Sub vno typo leonis perſecutionem Decij & Valeriani à Daniele oſtenſam, ſcribit Optat. lib. 3.

[c] Centum ſexagintaquinque milit. ] De his Beda, Vſuardus, Ado, & Petrus in catal. lib. 7. cap. 44. in dictis manuſcrip. vbi Claudius, Seuerus, & Romanus inter ceteros nominantur.

[d] Aſteriæ. ] De qua & Galeſinius ex tabulis eccleſiæ Bergomenſis.

[e] Commemorat. ſanctorum martyrũ. ] Agit de his Euſebius hiſt. lib. 7. c. 10. ex epiſt. S. Dionyſij Epiſcopi Alexandrini ad Domitium & Didymum ſcripta, quam idem Euſebius recitat.

[f] Baſſæ & ſociarum. ] De his etiam prædicta antiqua manuſcripta: quando autem ſint paſſæ, non produnt.

[g] Deuſdedit. ] Scribit de eo ſanctus Gregorius Papa dialog. lib. 4. cap. 36.

## 11 Tertio Idus Auguſti. Luna. F xiiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | | | |

ROMÆ inter duas lauros natalis ſancti [a] Tiburtij martyris, qui ſub Iudice Fabiano in perſecutione Diocletiani, cùm nudis plantis ſuper carbones ardentes ingreſſus Chriſtum maiori confiteretur conſtantia, duci in tertium [b] ab Vrbe milliarium, atque ibidem gladio animaduerti iubetur. Item Romæ S. Suſannæ [c] virginis, quæ cùm eſſet nobili proſapia orta, & beati Caij Pontificis neptis, martyrij palmam, tempore Diocletiani, capitis obtruncatione promeruit. Comanæ in Ponto ſancti Alexandri [d] Epiſcopi, cognomẽto Carbonarij, qui ex philoſopho diſertiſſimo eminentem Chriſtianæ humilitatis ſcientiam adeptus, & à ſancto Gregorio Thaumaturgo in thronum illius eccleſiæ ſublimatus, non ſolùm prædicatione, ſed etiam per ignem conſummato martyrio fuit illuſtris. Eodem die paſſio ſanctorum Rufini [e] Marſorum Epiſcopi, & ſociorum, ſub Maximino Imperatore. Apud Ebroicenſes in Gallia ſancti Taurini [f] Epiſcopi, qui à beato Clemente Papa illius ciuitatis Epiſcopus ordinatus, Euangelij prædicatione Chriſtianam fidem propagauit, ac multis pro ea ſuſceptis laboribus, miraculorum gloria conſpicuus obdormiuit in Domino. Cameraci in Gallia ſancti Gaugerici [g] Epiſcopi & confeſſoris. In prouincia Valeriæ S. Equitij [h] abbatis, cuius ſanctitas beati Gregorij Papæ teſtimonio comprobatur. Tuderti ſanctæ Dignæ [i] virginis.

## AVGVSTI 11.

TIBVRTII [a]. ] De eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores. Huius martyrium deſcribitur in Actis ſancti Sebaſtiani apud Sur. tomo primo, 20. Ianuarij.

[b] Tertium ab Vrbe milliarium. ] Non ab ipſis Romanę vrbis portis milliarium numerari incipiebat, ſed à columna in Foro Romano ad hoc poſita, vt auctor eſt Plinius lib. 3. c. 5. Dicebatur columna illa Milliarium aureum, quòd aurata eſſet: in ea etenim omnes nobiles viæ Italiæ inciſæ erant, vt teſtatur Plutarchus in Galba. Sub æde Saturni fuiſſe poſitam, tradit Tacitus, cùm agit de Othone Imp. lib. 17. id ipſum Suetonius in Othone. Ab Auguſto erectum fuiſſe Milliarium aureum, auctor eſt Dio hiſt. lib. 54. Verùm quòd

Milliarium aureum dictum ſit columna milliaria, apud neminem legimus, niſi apud Plutarch. licet à Xilandro fuerit incuriâ prætermiſſum.

[c] Suſannæ.] Beda, ac ceteri qui ſuprà de eadem agunt hac die. Extant eius Acta, quæ ex vet. manuſcrip. Mombrit. inde Sur. edidit tom. 4. Romę Titulus S. Suſannę in Quirinali hactenus perſeuerat, qui & ſactarum virginum S. Bernardi monaſterio auctus, & ab Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſ. D. Hieronymo Ruſticuccio S.R.E. eiuſdem Tit. preſbytero Cardinale magnificentiſſimè reſtitutus & exornatus eſt. habetur de eo mentio in Concilio primo Rom. ſub Symmacho Papa, & Greg. in regiſt. lib. 9. epiſt. 22. Traditur illic fuiſſe olim domus eius, quæ (vt eadem Acta teſtantur) erat in Regione ſexta, in Quirinali, in Vico Mamuri, ante Forum Salluſtij; de quibus ipſis locis conſule P. Victorē, & Sextum Rufum.

[d] Alexandri Epiſc.] Eius eminentem philoſophiam, & nobile pro Chriſti fide certamen deſcribit Greg. Nyſſenus in vita S. Gregorij Thaumaturgi Epiſcopi Neocæſareæ.

[e] Rufini Epiſc.] Agitur de eodem hac die in Eccleſia Marſicana. Legi tam eius quàm S. Cæſidij eius filij martyrij Acta ab eadem eccleſia accepta; quæ tamen non leui indigent emendatione. Repetimus verò alia illis fideliora, ſed imperfecta, nobis impartita ab eccleſia Piſtorienſi, producta tantummodò vſque ad Rufini carcerem, in quem Romæ detruſus fuit. cetera autem quæ deſiderabantur in primo exemplari, ab alio aliquo ſunt ſuperaddita, qui maluit ea ſuo ingenio ad finem perducere, quàm relinquere imperfecta; quibus tradit Rufinum ſolutum vinculis quieuiſſe in pace tertio Idus Februarij, Cæſidiumque filium abſque martyrio deceſſiſſe ſexto Idus Aprilis; quibus quidem tum prędicta Acta, tum etiam vetus traditio prædictæ eccleſiæ, & antiqua monumenta contradicunt; quibus conſtat ſanctum Rufinum vnà cum Silone & Alexandro apud Reate fuiſſe truncatum capite, tertio Idus Auguſti, Cæſidium autem paſſum eſſe Tranſaquis, apud lacum Fucinum, pridie Kalend. Septemb. Viget ibidem vtriuſque martyris religioſa memoria multis miraculis illuſtrata.

[f] Taurini Epiſcopi.] Agit de eodem Vſuardus hac die, Petrus in catal. lib. 4. cap. 50. & Vincent. in ſpec. lib. 11. cap. 78. 79. tabulę prętereà eiuſdem eccleſiæ à Demochare deſcriptæ lib. de ſacrif. Miſſæ.

[g] Gaugerici Epiſcopi.] De eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Extant eius res geſtæ apud Sur. tom. 4. Agit de eodem Sigebertus in chron. anno Domini 594. & Molanus in Indiculo Sanctorum Belgij. Ponitur hic quintus ſedis Epiſcopus, qui ſedit annis 39. vt habent tabulæ eius eccleſiæ à Demochare recitatæ.

[h] Equitij abbatis.] De quo ſanctus Gregorius dialog. lib. 1. c. 4. Hactenus viget religioſius cultus atque clara memoria ſancti viri in prouincia Valeriæ in loco prope Aquilam, qui dicitur Pizolum, quod oppidum poſſident nunc domini de Torres; quorum vnum in primis Reu. D. Ludouicum vtr. Signat. S.D.N. Papę Referendarium, ob eius doctrinam, prudentiam, & pietatem mirificè colo, tantumque ei tribuo, vt eius iudicij ſtatera hoſce meos labores priùs examinari voluerim, quàm in hominum conſpectum prodirent.

[i] Dignæ.] De qua vet. monumenta manuſcrip. eccleſiæ Tudertinæ, quæ inde accepimus.

## xiij. G Pridie Idus Auguſti. Luna. 12

| | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | | | |

ASSISII in Vmbria ſanctæ Claræ [a] virginis, primæ plantæ pauperum feminarum ordinis Minorum, quam vita & miraculis celebrem Alexander IIII. in numerum ſanctarum Virginum retulit. Catanæ in Sicilia natalis ſancti Euplij [b] diaconi, ſub Diocletiano & Maximiano Auguſtis: qui cùm diutiſſimè pro confeſſione Domini torqueretur, tandem martyrij palmam gladio cædente percepit. Auguſtæ Vindelicorum ſanctæ Hilariæ [c] matris beatæ Afræ martyris; quæ cùm ad ſepulchrum illius excubaret, ibidem pro fide Chriſti à perſecutoribus igni tradita eſt cum Digna & Euprepia & Eunomia ancillis ſuis. Paſſi ſunt etiam eodem die in præfata vrbe Quiriacus [d], Largio, Creſcentianus, Nimmia, & Iuliana, cum alijs viginti. In Syria ſanctorum martyrum Macarij [e] & Iuliani. Nicomediæ ſanctorum martyrum Aniceti [f] Comitis,

mitis, & Photini eius fratris, cum alijs pluribus ſub Diocletiano Imperatore. Faleriæ in Tuſcia paſſio ſanctorum Graciliani [g], & Feliciſſimæ virginis, quorum pro fidei confeſſione ora lapidibus primò contuſa ſunt; dehinc gladio percuſſi, optatam martyrij palmam ſuſceperunt. Eodem die ſanctorum martyrum Porcarij [h] abbatis monaſterij Lerinenſis, & quingentorum monachorum, qui pro fide Catholica à barbaris cæſi, martyrio coronati ſunt. Mediolani depoſitio ſancti Euſebij [i] Epiſcopi & confeſſoris. Brixiæ ſancti Herculani [k] Epiſcopi.

## AVGVSTI 12.

CLARÆ [a].] Extant eius præclariſſima vitæ Acta apud Surium tom. 4. iuſſu Alexandri Quarti Romani Pontificis ſcripta, qui eam inter Sanctas cenſuit adnumerandam anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimoquinto, cùm iam ante biennium ex hac vita migraſſet. De eadem Antonin. in tertia par. tit. 24. cap 6. & nuper pluribus chron. Franciſcanorum, & alij.

[b] Euplij.] Agunt de eodem hac die Beda, & Vſuardus, necnon & Græci in Menologio, vbi fuſiùs eius Acta referunt, vberiùs autem Metaphraſtes eadem die, quæ habet Lipom. tom. 7. & Sur. tom. 4. Sed fideliora his omnibus nobis probantur, quę ex publicis Actis accepta ſunt, conſcripta olim à notarijs exceptoribus. habemus eadem apud nos in noſtra bibliotheca tom. 10. vit. ſanct. manuſcript. eſt illorum exordium: Diocletiano nouies & Maximiano octies Coſſ. Plura illic referantur vetuſtatis monumenta: qualia ſunt de lectione diuinorum librorum Imperatorum legibus interdicta, de ſacris codicibus exhibendis ex edicto Diocletiani Imper. de modo quæſtionis habendæ in Chriſtianos, deque ſententia in eos ex tabella recitata, atque alia eiuſmodi in Chriſtianos adhiberi ſolita. Deſcribimus ea integra in Annal. Eccleſiaſt. Theodorus Papa erexit in honorem ſancti Euplij oratorium Romę prope portam ſancti Pauli, vt habet liber de Rom. Pontificibus in Theodoro. Meminit de huius martyris reliquijs S. Gregor. in regiſt. lib. 12. epiſt. 10. ad Felicem Epiſcopum Meſſanenſem.

[c] Hilariæ & ſociarum.] De his hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Narratur harum conſtans martyrium in Actis S. Afræ, quorum ſuprà meminimus Nonis Auguſti.

[d] Quiriacus & ſoc.] Vſuardus de his etiam, & Petrus in catal. lib. 7. cap. 55. vbi nonnullorum ex illis nomina exprimuntur.

[e] Macarij & Iuliani.] Agunt de his etiam Beda, Vſuardus, Ado, ex quibus cæteri.

[f] Aniceti & Photini.] De quibus etiam Græci hac die in Menologio.

[g] Graciliani, aliter Gratiliani, & Feliciſſimæ.] Quoniam apud Vſuardum & nonnullos alios manuſcr. Falari legebatur loco Faleriæ: idcircò & irrepſit error, vt Falari in Piceno legererut: nam Falaris eſt ciuitas in Piceno iam penè diruta, vulgò dicta Falarone. Falarienſes in Piceno ponit Plinius lib. 3. c. 13. eratque Falaris ſedes Epiſcopalis, cuius Epiſcopus ſediſſe reperitur in Concilio Romano ſub Martino Papa. At verò non Falari, ſed Faleriæ eſſe legendum, vetera monumenta eccleſiæ ciuitatis Caſtellanæ, vbi horum ſanctorum ſacra corpora aſſeruantur, & digno honore coluntur (poſita ſunt enim in eccleſia cathedrali) nos adeò certiores reddiderunt, vt nullus protſus remaneat dubitandi locus. De Faleria Faliſcorum meminerunt Ptolemæus, Plinius, Strabo, & alij.

[h] Porcarij abbatis.] Legitur huius ac ſociorum martyrium in commemoratio qui fertur Fauſti nomine; recitat eum Margar. in tomo 9. bibliothecę ſuæ: ſed alterius potiùs cuiuſuis auctoris opus, quàm Fauſti, eſſe cognoſcitur. In vita ſancti Honorati libro 3. cap. 20. & 24. hæc habentur: Horum, ſcilicet Porcarij & ſociorum, paſſionis hiſtoria publicè in ſancta Dei Eccleſia legitur die natali eorum, qui pridie Idus Auguſti celebris habetur. Agitur adhuc etiam de eodem in vita ſancti Cæſarij Epiſcopi Arelatenſis, quam recitat Surius tomo 4. die 27. Auguſti: Porcarius enim abbas ſanctum Cæſarium monaſticis imbuit diſciplinis.

[i] Euſebij Epiſcopi.] De quo etiam tabulæ eccleſiæ Mediolanenſis. Vixit temporibus ſancti Leonis Papæ, quando habita Synodo aduerſus hæreſim Eutychianam nuper Chalcedone à SS. Patribus damnatam, miſit inde Synodicam ad eumdem Pontificem. Scribit de eodem epigramma S. Ennodius Ticinenſis Epiſcopus, quod incipit: Euſebius Ligurum, &c.

[k] Herculani Epiſcopi.] De eo in tabulis eccleſiæ Brixianæ. Meminit eiuſdem Rempertus eius ciuitatis Epiſcopus in ſermone de tranſlatione ſancti Philaſtrij.

xij. A Idibus Auguſti. Luna. 13

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | | | |

ROMÆ beati Hippolyti [a] martyris, qui pro confeſſionis gloria ſub Valeriano Imperatore poſt alia tormenta ligatis pedibus ad colla indomitorum equorum, per carduetum & tribulos crudeliter tractus, toto corpore lacerato emiſit ſpiritum. Paſſi ſunt etiam eodem die beata Concordia eius nutrix, quæ ante ipſum plumbatis cæſa, migrauit ad Dominum; & alij decem & nouem de domo ſua, qui extra portam Tiburtinam decollati ſunt, & vnà cum eo in agro Verano ſepulti. Apud Forum Syllæ natalis ſancti Caſſiani [b] martyris, qui cùm adorare idola noluiſſet, vocatis à perſecutore pueris, quibus docendo exoſus factus fuerat, data eſt eis facultas eum [c] perimendi: quorum quanto infirmior erat manus, tanto grauiorem martyrij pœnam dilata morte faciebat. Tuderti ſancti Caſſiani [d] Epiſcopi & martyris ſub Diocletiano Imperatore. Burgis in Hiſpania ſanctarum [e] Centollæ & Helenæ martyrum. Conſtantinopoli ſancti Maximi [f] monachi, doctrina & zelo Catholicæ veritatis inſignis: qui cùm aduerſus Monothelitas ſtrenuè decertaret, à Conſtante Imperatore hæretico præciſis manibus ac lingua in Cherſoneſum relegatus, reddidit ſpiritum. Tunc etiam duo Anaſtaſij eius diſcipuli, alijque plures diuerſa tormenta & dura exilia ſunt experti. In Germania S. VVigberti [g] preſbyteri & confeſſoris. Pictauis ſanctæ Radegundis [h] Reginæ, cuius vita miraculis & virtutibus claruit.

## AVGVSTI 13.

HIPPOLYTI & ſoc.[a] ] De his omnibus Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri: meminit eiuſdem diei natalis Prudentius hymn. 11. Periſtephan. his verſibus:

*Si benè commemini, colit hunc pulcherrima Roma*
*Idibus Auguſti menſis, vt ipſa vocat.*

Narratur horum martyrium in Actis S. Laurentij. Scripſit de S. Hippolyto hymnum idem Prudentius, licet (vt ſuperiùs diximus) ex tribus Hippolytis vnum faciat. Erat Romæ celeberrimus natalis dies ſancti Hippolyti, ad quem (vt idem auctor pluribus ſcribit) non tantùm populus Romanus, ſed & adiacentes prouinciæ confluere conſueuerant. Fuit olim illuſtris memoria S. Hippolyti, quam eodem hymno Prudentius deſcribit. Patebat inde acceſſus ad cœmeterium Cyriacę, non Calliſti, vt aliquis exiſtimauit: eſt ibi & baſilica S. Laurentij in agro Verano, à quo non longè poſita erat eccleſia S. Hippolyti, cuius antiqua veſtigia inter vineta adhuc extare dicuntur. Habetur præterea perelegans ſacer hymnus in Breuiario Toletano inſtitutionis S. Iſidori, quo eiuſdem Hippolyti nobile certamen deſcribitur, & omnia quæ paſſus eſt tormenta adnumerantur, illudque præcipuè, cùm ab equis indomitis raptatus atque diſcerptus dicitur ad ſimilitudinem antiquioris Hippolyti Theſei filij, de quo Euripides in Phædra: id enim huic profuit nomen Hippolyti, illudente Gentilium crudelitate, vt ex nominis ſimilitudine, conſimili mortis genere idem dilaniaretur.

[b] Caſſiani. ] De eodem hac die Beda, ac ceteri qui ſuprà. Eius inſigne martyrium Prudentius cecinit ſacro hymno: Mombrit. tom. 1. & Sur. tomo 4. idem ſoluta oratione conſcriptum referunt, quod & nos manuſcript. habemus. ex quibus illud etiam compertum habetur, hunc ipſum Caſſianum fuiſſe Epiſcopum Brixienſem, indeq. pulſum, Romam venturū, Imolę conſediſſe,

ibique

ibiq́ue ludum litterarium aperuiſſe, ac tandem martyrium conſummaſſe. hæc ferè eadem habet Pettus in catalog. lib. 7. cap. 58. At non aſſentior dicentibus hunc ordinatum eſſe Epiſcopum à Fortunatiano Epiſcopo Aquileiæ, quem conſtat vixiſſe temporibus Conſtantij Auguſti, & ſectâ fuiſſe Arianum, vt teſtatur Hieron. de ſcrip. Eeeleſiaſt. cap. 97.

[c] Eum perimendi.] Graphijs poetorum confoſſum Caſſianum martyrem, eius Acta teſtantur. Eiuſmodi genus ſupplicij, cùm quis graphijs confoderetur, acerbiſſimum exiſtimabatur. de eo habes apud Senecam de clementia ad Neron. lib. 1. cap. 14. cùm agit de Erixonis equitis Romani populari ſupplicio: de eodemq́. mortis genere Suet. in Caio cap. 28. hæc ait: Cùm diſcerpi ſenatorem concupiſſet, ſubornauit qui ingredientem curiam repentè hoſtem publicum appellantes inuaderent, graphijſque confoſſum lacerandum ceteris traderent. Hæc ibi: & paulò ſuperiùs de alio meminit, ab eodem traditum eſſe pueris verberandum, cap. 27. Teſtatur idem de Galba c. 17. minutiſſimis ictibus fuiſſe excarnificatum. Hæc autem omnia ſimul ob Chriſti glorioſam confeſſionem expertus eſt noſter Caſſianus, vt à pueris & minutiſſimis graphiorũ ictibus ſit confoſſus. Non tantùm autem ad inferendam tardam necem ſtimuli adhibebantur, ſed etiam in quæſtionibus ad extorquendam veritatem: vnde Porcia ad Brutum virum ſuum hęc inter alia: Neque enim adeò muliebri ſum natura, vt me ad efferendum arcanum vel flamma, vel flagra, vel ſtimuli adigere poſſint. Hęc apud Dionem lib. 44. At de huius cruciamenti genere ſuperiùs dictum eſt die 3. Maij. c.

[d] Caſſiani Epiſcopi.] Accepimus eius Acta ab eccleſia Tudertina, quorum eſt exordium proœmij: Hortaris me, venerande Pater Baſſiane, &c. Paſſus habetur in perſecutione Diocletiani ſub Venuſtiano Conſulari.

[e] Centollę & Helenę.] Pluribus de his agitur in Breuiar. Burg. De his Vaſæus in chron. Hiſpan. ex Ioan. Maldonado, Flos ſanct. Hiſpan. & Theſaur. concion. tom. 2. vbi agitur etiam de tranſlatione earum ſub Alfonſo Decimo facta.

[f] Maximi & ſociorum.] Agunt de Maximo Græci pluribus in Menologio: de eo item in Actis ſancti Martini Papæ & mart. in hiſt. Miſcel. ex Theophane anno 8. & 9. Heraclij Imp. Cedren. anno 16. Conſtantis nepotis Heraclij, Zonaras in eodem. Multò his plura ex Actis Synodicis de eodem ſcripſimus in Annal. Eccleſ. Extant eiuſdem Maximi quamplurima ſcriptorum monumenta nondum Latinè edita in bibliotheca Sfortiana.

[g] VVigberti.] De quo hac die Beda, qui & de eo ſermonem ſcripſit; eſt primus ordine inter varios tomo ſeptimo colum. 473.

[h] Radegundis.] Beda de eadem hac die. Huius egregia facta vno libro ſcripſit Venantius Fortunatus, altero verò Bandomina monialis: habet vtrumque Sur. tom. 4. hac die, & Mombrit. tomo 2. vit. ſanct. Gregor. Turonen. Epiſc. qui eius temporibus vixit, eamq́ue ſepulturæ mandauit, plura de ea teſtata reliquit lib. 9. hiſt. Franc. c. 2. & cap. 39. recenſetq́. epiſtolam Epiſcoporum ad eam ſcriptam. De eius miraculis in lib. de glor. confeſſor. cap. 106. Multa prætereà de ea Fortunatus ſcripſit carmin. lib. 8. in cuius exordio eius mirificas canit laudes. de eadem lib. 11. Fuit enim illi familiariſſimus idem Fortunatus, eamq́ue prę dilectione & obſeruantia matrem appellat, ſicut & ſanctum Germanum Pariſienſem dicit patrem: vnde ipſe de his aliquando:

*Hunc retinet mater, me vocat inde pater:*
*Dulcis vterque mihi, voto amplectente, cohæſit.*
*Plenus amore Dei, dulcis vterque mihi.*

De eadem Sigebertus in chron. an. Domini 557. Vincentius in ſpec. lib. 21. cap. 79. 80. & 85. Trithem. de vit. illuſtr. ord. ſancti Benedicti lib. 3. cap. 30. & alij plures de ea ſcripſerunt. Migrauit ex hac vita (vt ex Gregor. Turonen. colligitur lib 9. cap. 2.) anno Domini 590. ipſe eſt annus 12. Childeberti Regis Franc.

## 14 Decimonono Kal. Septembris. Luna. B xj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | | | |

VIGILIA [a] Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis. Romæ natalis beati Euſebij [b] preſbyteri, qui à Conſtantio Imperatore Ariano ob Catholicæ fidei defenſionem in quodam cubiculo domus ſuæ incluſus, ibiq́ue menſes ſeptem in oratione conſtanter perſeuerans, dormitionem accepit: cuius corpus Gregorius & Oroſius preſbyteri colligentes, in cœmeterio Calliſti via Appia ſepelierunt. In Illyrico ſancti Vrſicij [c] martyris, qui ſub Maximiano Imperatore & Ariſtide Præſide, poſt multa & diuerſa tormenta, pro Chriſti nomine gladio cæſus eſt. In Africa ſancti

Demetrij [d] martyris. Apameæ in Syria ſancti Marcelli [e] Epiſcopi & martyris; qui cùm Iouis delubrum diruiſſet, à furentibus Gentilibus occiſus eſt. Tuderti ſancti Calliſti Epiſcopi & martyris. In Ægina inſula ſanctæ Athanaſiæ [g] viduæ, monaſtica obſeruantia & gratia miraculorum illuſtris.

## AVGVSTI 14.

VIGILIA Aſſumptionis [a]. ] De eadem Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Plura de ea Ordo Roman. Amalar. in Antiphonar. cap. 62. Microlog. de obſer. Eccleſ. cap. 48. & alij qui ſcripſerunt de diuinis offic. Habemus ſermonem manuſcrip. in tom. 1. vit. Sanct. qui alicubi ea die legi conſueuit in eccleſia. incipit: Felix puerperium, &c.

[b] Euſebij. ] De eodem Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri recentiores. Recitat eius Acta Mombrit. tom. 1. habemus eadem manuſcripta. Eſt Romæ vetus Titulus S. Euſebij, cuius mentio habetur in Concilio primo Romæ habito ſub Symmacho Papa. Aſſeruantur illic veneranda corpora ſanctorum Euſebij, Oroſij, atque Paulini, multæque aliorum martyrum reliquiæ, vt eiuſdem eccleſiæ vetera monumenta declarant. Eamdem eccleſiam Zacharias Papa vetuſtate collapſam reſtituendam curauit; hæcque tam inſcriptiones in marmore inciſæ, quàm etiam liber de Roman. Pontificibus teſtantur.

[c] Vrſicij. ] Agunt de eodem hac die etiam Græci in Menologio, eiuſque martyrij Acta ibidem referunt.

[d] Demetrij. ] De quo in veteri Romano Martyrologio, cui adſtipulantur manuſcripta, & alij.

[e] Marcelli Epiſcopi. ] De eodem hac die Græci in Menologio. Eius Acta deſcribit Sozomen. hiſtor. lib. 7. cap. 15. Theodoret. libro 5. cap. 21. Nicephorus lib. 12. cap. 25. 26. Caſſiodorus in Tripart. & alij. Paſſus eſt Gentilium factione anno vndecimo Theodoſij Imperatoris ea de cauſa, quòd delubrum illud famoſiſſimum Iouis Apameæ, diuino fultus præſidio, eſt demolitus. In dicto Græcorum Menologio nonnulla de eo habentur, quæ deſiderantur in prædictis hiſtoricis, vt de munere præfecturæ, qua idem functus eſt ante Epiſcopatum, & alia.

[f] Calliſti Epiſcopi. ] De quo vet. monumenta eccleſię Tudertinę, quæ manuſcripta Romam miſſa accepimus.

[g] Athanaſiæ. ] Agunt de eadem hac die Gręci in Menologio. Eius autem Acta deſcripſit Metaphraſtes, quę Surius retulit in tom 4. hac die. In quibus dum mentio habetur de S. Ioannicio, qui ea quæ de ipſa eſſent futura præuidit, colligi poteſt, eam vixiſſe circa tempora Michaëlis & Theodoræ Auguſtorum. Alia fuit eiuſdem nominis clariſſima femina, quæ Conſtantinopoli vixit cum ſancta Matrona; de qua plura in Actis eiuſdem Matronę apud Lipom. tomo 5. Itemque eiuſdem nominis alia, de qua inferius ad ſeptimum Idus Octobris.

x. C Decimooctauo Kal. Septemb. Luna. 15

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | | | |

ASSVMPTIO [a] ſanctiſſimæ Dei genitricis Virginis Mariæ. Romæ via Appia ſancti Tharſicij [b] acolythi, quem Pagani cùm inueniſſent corporis Chriſti ſacramenta [c] portantem, cœperunt diſquirere quid gereret: at ille indignum iudicans porcis prodere margaritas, tam diu ab illis mactatus eſt fuſtibus & lapidibus, donec exhalaret ſpiritum: & reuoluto eius corpore ſacrilegi diſcuſſores, nihil ſacramentorum Chriſti in manibus, aut in veſtibus inuenerunt: Chriſtiani autem corpus martyris collegerunt, & in cœmeterio Calliſti honorificè ſepelierunt. Tagaſte in Africa ſancti Alipij [d] Epiſcopi, qui beati Auguſtini olim diſcipulus, poſteà in conuerſione ſocius, in munere paſtorali collega, & in certaminibus aduerſus hereticos commilito ſtrenuus,

ac de-

ac demum in cæleſti gloria conſors fuit. Sueſſione in Gallijs ſancti Arnulphi [e] Epiſcopi & confeſſoris.

# AVGVSTI 15.

Assvmptio ſanctiſſimę Dei genitricis Mariæ [a]. ] De eadem celebertima ſolemnitate non tantùm Beda, ac ceteri Latinorum hac die agunt, ſed & Græci in Menologio, & in Nouel. conſtit. Emmanuel Imp. Mentio habetur de eadẽ in prędictis Actis S. Athanaſię, de qua pridie actum eſt. In Sacramentario S. Greg. habetur de eadem ſolemnitate prefatio: agitur de eadem in Ordin. Rom. in Concil. Mogunt. ſub Carolo Magno canone 36. alijſq. monumentis, quę ſcripta ſunt de diuinis officijs. Antiquitus celebrari conſueuiſſe, Romę prę ſertim, feſtiuitatem Aſſumptionis Dei genitricis Marię, argumento eſt, quòd Nicolaus Papa ſcribens ad conſulta Bulgarorum c. 4. dum commemorat ieiunia antiquitus ſeruari ſolita à ſancta Romana Eccleſia, recenſet inter ea ieiunium celebrari conſuetum ante ſolemnitatem Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis. Eſt ſermo ſancti Athanaſij nomine, quo præclara quidem & mirifica de Dei genitricis Aſſumptione ſcribuntur: meritoq; ea die in Eccleſia legendus ponitur. Verùm ille ſermo non in die Aſſumptionis, ſed Annuntiationis habitus apparet ex eius exordio: quem potiùs Cyrilli quàm Athanaſij eſſe puto: nam dogma Neſtorij auctor inſectatur. Feruntur item duo alij ſermones nomine ſancti Auguſtini; quos, vt alterius cuiuſpiam auctoris potiùs, quàm Auguſtini, ſchola Louanienſis in appendice collocauit. Rurſus autem extat ſermo titulo ſancti Hieronymi ad Paulam & Euſtochium ſcriptus: quem nonnulli exiſtimarunt eſſe illius Sophronij, cuius idem S. Hieronymus meminit in libro de ſcript. Eccleſiaſticis; ſed neutrius puto: quin potiùs conſtat eſſe alicuius auctoris, qui vixit circa vel poſt tempora Concilij Epheſini, & Chalcedonenſis: multùm enim verſatur in deſtruendis Neſtorij atque Eutychetis dogmatibus: quæ quidem longè poſt tempora Hieronymi atque Sophronij in Eccleſiam irruperunt. Quòd autem ſcribit Nicephorus lib. 17. c. 28. eiuſmodi ſolemnitatem edicto Mauritij Imperatoris ſtatutam; ſic accipias, vt eam anteà ab Eccleſia inſtitutam, ipſe in Oriente, ſanctione edita, promulgarit. Sanctus Bernardus ad canonicos Lugdunenſes epiſt. 174. non aliunde, quàm à ſancta Dei Eccleſia hanc ſolemnitatem ſe accepiſſe teſtatur: in Gallijs verò circa tempora Caroli Magni receptam eſſe apparet: nam in lib. 1. Capitul. Reg. Franc. cap. 163. quo agitur de ferijs, hæc ſcribuntur in fine: De Aſſumptione ſanctę Marię interrogandũ relinquimus. hæc ibi. Libro autem 2. cap. 35. & lib. 6. cap. 186. ea celebritas Aſſumptionis inter ceteras recenſetur; ſicut & in Concil. 5. Moguntino, cap. 36. Extant de eadem celebritate plures Græcorum ſermones, Ioannis Damaſceni, Andreæ Cretenſis, Metaphraſtis, & aliorum; ex Latinis autem ſancti Bernardi, Abſalonis abbatis, Petri Damiani, Honorij Auguſtodunenſis, Autberti abbatis Caſſinen. Pandulphi Capuani mon. Caſſinen. Gregorij Epiſcopi Tarracinæ, & ſancti Brunonis Epiſcopi Signini, vt teſtatur Petrus diaconus mon. Caſſin. libro de vir. illuſtr. dum agit de prædictis auctoribus. Extant de eadem Guerrici abbatis Igniacen. ſermones quatuor. Dicta eſt eadem ſolemnitas ob eius excellentiam, Dies Dominæ; ſic etenim & Hunni eamdem appellare conſueuerunt, vt ſcribit Carthuitius in vita Stephani Regis, qui ampliſſimam baſilicam in honorem eiuſdem ſolemnitatis erexit. Quod autem ſpectat ad hiſtoriam de Aſſumptione Dei genitricis; ne quid prætcrijſſe videamur, ſcire debemus, improbatam fuiſſe ab Eccleſia Catholica opinionem Collyridianorum hæreticorum aſſerentium beatam Virginem diuinæ fuiſſe naturæ, protſuſque mortis expertem, vt de his ſcribit ſanctus Epiphan. in panar. hæreſ. 78. & 79. Humanę autem tantùm eam naturæ fuiſſe, ſed auctam multis immenſiſque prærogatiuis, Catholica Eccleſia profitetur. idque cùm omnes Orthodoxi antiqui Patres, tum inter eos idem ſanctus Epiphan. aduerſus prædictos agens, pluribus comprobet; tamen de eius obitu non audet certi aliquid definite, cùm ait: Non autem omnino definio hoc, & non dico quòd immortalis manſit, ſed neque affirmo an mortua ſit. Rurſus fuit quorumdam opinio dicentium eam martyrio vitam finiſſe. His aduerſatur auctor, qui dicitur Iſidorus, lib. de vit. & obit. Sanct. c. 68. & alij poſt eum. Supradictę autem omnes opiniones ab Eccleſia Dei reijciuntur: quæ catholicè profitetur, eamdem, vt hominem, naturali exitu vita functam. Rei autem geſtæ hiſtoria, quæ inſcribitur de tranſitu Virginis, à Gelaſio connumeratur inter apocrypha, diſt. 15. cap. Sancta Rom. Putatur illa eſſe, quę nomine Melitonis Sardenſis legitur: quam & Beda reijcit in retract. Apoſt. cap. 8. De eadem Aſſumptione meminit Dionyſius Areopag. de diuin. nom. cap. 3. Greg. Turon. de glor. mart lib. 1. cap. 4. & 9. Plura item refert Nicephorus lib. 2. c. 22. & lib. 15. cap. 14. eaque ex maiorum traditione à Iuuenale Epiſcopo Ieroſolymitano conſcripta; Ioannes Damaſcenus, Metaphraſtes, Glycas, & alij ferè eadem. Quid autem de his ſenſerint maiores (vt prætereamus apocryphum illud ſancti Hieronymi nomine conſcriptum) Vſuardus & Ado, cùm hac die celebrari dicant Dei genitricis dormitionem, de Eccleſiæ iudicio verba hæc ſubdunt: Plus elegit ſobrietas Eccleſiæ cum pietate neſcire, quàm aliquid friuolum & apocryphum inde tenendo docere. Hæc illi. Porrò Dei Eccleſia in eam partem propenſior videtur, vt vnà cum carne aſſumpta ſit in cælum: nam in huius diei celebritate illas ſanctorum Patrum homilias legendas tradidit, quibus eadem de eius Aſſumptione firmantur: quæ quidem ſententia cùm plurimorum Theologorum auctoritate, tum etiam communi conſenſu Fidelium iam recepta videtur. Quonam autem tempore ſanctiſſima Dei genitrix ex hac vita migrarit, diuerſæ feruntur ſententię. Euſebius in primis eius ex hac vita

iste sermo non habetur in breviarijs Clementis viij recognitis.

tranſitum ponit anno à Chriſto Domino quadrageſimooctauo, aitque: Maria Virgo Ieſu Chriſti mater ad filium ad cælum aſſumitur, vt quidam fuiſſe ſibi reuelatum ſcribunt. Hæc ille. Rurſus autem ex alia quadã reuelatione ſcribit S. Antoninus in 3. parte tit. 19. cap. 15. in fine, poſt annum elapſum ab Aſcenſione filij, & tot dies, quot intercurrunt ab eo tempore vſque ad decimamquintam Auguſti, eam eſſe defunctam, ac demum poſt alios quadraginta dies ab eius obitu aſſumptam eſſe in cęlum nono Kalen. Octobris. Ex hac ſententia addita videntur ad Martyrolog. Bedæ, ea die, hęc verba: Secunda Aſſumptio S. Virginis Mariæ. De eadem hęc Belethus cap. 147. Mulier, inquit, quędam religioſiſſima, appellata Elizabeth, quæ nunc etiam in viuis eſt, habitat in finibus Saxoniæ: ait lib. 4. c. 1. ſibi reuelatum, quòd circiter dies quadraginta aſſumptum fuerit corpus poſt aſſumptionem animę; de qua re opuſculum quoddam compoſuit, ſed non eſt in Romana Eccleſia comprobatum, &c. Ex hac itaque aut ſimili reuelatione alicui placuit ad Bedam adijcere ſecundam Aſſumptionem eiuſdem Virginis Mariæ. Antoninus autem dum de his agit, dicit eam fuiſſe ſanctam Elizabeth filiam Regis Hungariæ, vxorem quondam Lantgrauij, quam Gregorius Nonus retulit inter ſanctos; cuius tamen de ea re ſententiam minùs probari teſtatur, aitque: Nec propterea detrahimus ſanctitati eius; quia non ſemper, quæ ſancti viderunt in ſpiritu, eadem vt Prophetæ viderunt, ſed iuxta ſuas mente conceptas imaginationes. Hæc ille. ac de his ſatis modò, ſed locupletiùs in Annalibus.

Ezech. 13. Væ Prophetis [illegible]

[b] Tarſicij. ] De quo etiam hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij, ijdemque omnes ex Actis ſancti Stephani Papæ & martyris, in quibus eius certamen deſcribitur.

[c] Sacramenta portantem. ] Non eſt quòd mireris, cùm audis acolythum Chriſti corporis ſacramenta portantem: olim etenim, ingruentibus in Chriſtianos perſecutionibus, laicis etiam domum ferre Euchariſtiam, certis diebus ſumendam (quod non eſſet liberum, cùm vellent ad eccleſiam conuenire, ac ſynaxim celebrare) permiſſum erat. Id habes ex Tertulliano lib. 1. ad vxorem, Cyprian. lib. de lapſis, Clemente Alexandrino lib. 1. Stromat. atque alijs. Quod autem magis mireris, illud eſt; quòd, reddita pace Eccleſię ſub Chriſtianis atque Orthodoxis Impp. idem vſus diuturnus aliquamdiu permanſit. Habes de his complura exempla, vt ex Gregor. Nazian. oratione in laudem Gorgoniæ, Hieron. apolog. pro libris aduerſus Iouin. ad Pammachium, cùm ait: Quod in eccleſia non licet, nec domi licet. Ambroſius in orat. in funere fratris Satyri: ante hos S. Baſilius eadem ſcribit ad Cęſaream Patriciam de perceptione ſacramentorum, his verbis: Tempore perſecutionis cogi quempiam, abſente ſacerdote aut miniſtro, communionem ſua manu ſumere, minimè abſurdum eſſe, ſuperuacuum eſt oſtendere, cùm eius rei etiam longa cõſuetudo rebus ipſis fidem faciat. Nam omnes qui per ſolitudines monaſticã vitam agunt, vbi non adeſt ſacerdos, cùm domi communionem habeant, per ſeipſos accipiunt, &c. Hanc epiſtolam è bibliotheca Cardin. Sirleti acceptam, meus Antonius Agellius, Græcis facultatibus egregiè excultus, in Latinum tranſtulit, eiuſdemque mihi copiam fecit, quam poſteà à Cuthebert o Tonſtallo in priori libro de veritate Corporis & Sanguinis Domini Græcè Latinèque ſimul editam reperi. Sed ne impoſturam credas; habes eamdem citatam, & ex ea fragmentum recitatum ab Anaſtaſio Nicæno in libris quæſtionum; licet pro Cæſarea, habeat Cæſarium. Suppetunt de eadem re complura alia exempla in Prato ſpirituali, quibus proditur, perſeueraſſe eumdem vſum etiam temporibus Zenonis, Anaſtaſij, ac Iuſtini Impp. quibus temporibus, cùm Hormiſda Papa Romanæ præſideret Eccleſiæ, in Occidente celebrata eſt Synodus Cæſarauguſtana, in qua ea conſuetudo antiquata habetur his verbis: Euchariſtiæ gratiam ſi qui probatur acceptam non conſumpſiſſe in eccleſia, anathema ſit in perpetuum. At in Oriente vſum illum ſumendi manibus Euchariſtiam diutiùs perſeueraſſe, ſatis liquet ex canone 102. ſextæ Synodi in Trullo habitæ: ibi & de manuum compoſitione, ſecundùm ea quæ habet Cyrillus in myſtagog. quinta in fine. De eiuſdem ritus vſu in Eccleſia Occidentali, inter alios fidem facit etiam S. Auguſtinus ſerm. 252. de temp. dum ait: Omnes viri quando communicare deſiderant, lauant manus ſuas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, vbi corpus Chriſti accipiãt. Hæc Auguſtinus. Porrò ob eam cauſam illud ipſum linteamen maiores noſtri, Dominicalem dicebant; de quo in Concilio Antiſiodorenſi capite 42. hæc leguntur: Vt vnaquæque mulier, quando communicat, Dominicalẽ ſuam habeat; quòd ſi non habuerit, vſque in alium diem Dominicum non communicet. Hinc eſt, quòd & ſuperiùs can. 36. hæc habet: Non liceat mulieri nuda manu Euchariſtiam ſumere. Et canone 38. Non liceat mulieri manum ſuam ad pallas Dominicas mittere. Ex his igitur videmus, etſi viris, feminis tamen inconceſſum, nuda manu Euchariſtiam ſumere, ſed tantùm velamine.

[d] Alipij Epiſcopi. ] De eodem ſanctus Auguſtinus frequentiſſimè, vt lib. confeſſ. 6. cap. 7. & ſequentibus, lib. 9. cap. 4. 5. de ciuitate Dei lib. 22. cap. 8. epiſt. 67. 224. 225. & 245. De eodem S. Hieronym. ad Auguſtin. epiſt. ſanctus Paulinus Epiſcopus Nolanus apud Auguſt. epiſt. 24. 33. 35. & 36. Interfuit cum ceteris Africanis Epiſcopis Concilio Mileuitano, quod (vt ſuperiùs diximus) Mileui in Numidia eſt celebratum aduerſus emergentem Pelagij hęreſim; alijs etiam Concilijs Carthaginenſibus præſtò fuit, functuſque eſt legatione Romam ad Bonifacium Papam, à quo humaniſſimè ſuſceptus eſt, vt ſcribit idem Auguſtin. lib. contra duas epiſt. Pelagij cap. 1. & ad Quoduultdeum epiſt. 4. tomo 6. circa princip.

[e] Arnulphi Epiſc. ] Scripſit eius vitam Liſiardus eius ſucceſſor, quam habet Surius tom. 4. De eodem Sigebert. in chron. anno Domini 1087. Trithemius de viris illuſtribus ordinis ſancti Benedicti lib. 3. cap. 326. & Molanus in Indic. Sanctorum Belgij. Exceſſit ex humanis anno Domini milleſimo octogeſimoſeptimo.

Decimo-

16 Decimoſeptimo Kal. Septemb. Luna. D ix.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | | | |

ROMÆ ſancti Titi [a] diaconi, qui Vrbe à Gothis occupata, pecunias pauperibus diſtribuens, à tribuno barbaro iuſſus eſt occidi. Nicææ in Bithynia ſancti Diomedis [b] medici, qui in perſecutione Diocletiani pro Chriſti fide gladio cæſus, martyrium compleuit. Item ſanctorum trigintatrium [c] Martyrum. Ferentini in Hernicis ſancti Ambroſij [d] centurionis, qui in perſecutione Diocletiani varijs modis cruciatus, nouiſſimè per ignem illæſus tranſiens, demerſus in aquam, eductus eſt in refrigerium. Mediolani depoſitio ſancti Simpliciani [e] Epiſcopi, ſanctorum Ambroſij & Auguſtini teſtimonio celebris. Antiſiodori ſancti Eleutherij [f] Epiſcopi. Nicomediæ ſancti [g] Arſacij confeſſoris, qui ſub Licinio perſecutore militia relicta, ſolitariam vitam ducens, tantis virtutibus claruit, vt & dæmones expuliſſe, & ingentem draconem orando interemiſſe legatur: denique futuram ciuitatis cladem prænuntians, in oratione ſpiritum Deo reddidit. Craconiæ in Polonia ſancti Hyacinthi [h] confeſſoris, ordinis Prædicatorum, quem Clemens Papa Octauus in Sanctorum numerum retulit. In Gallia Narbonenſi apud Montem Peſſulanum depoſitio beati Rocchi [i] confeſſoris, qui multas Italiæ vrbes à morbo epidimiæ ſigno crucis liberauit: cuius corpus Venetias poſteà tranſlatum fuit. Romæ ſanctæ Serenæ [k] vxoris quondam Diocletiani Auguſti.

## A V G V S T I 16.

TITI diaconi [a].] Agit de eodem S. Proſper in chron. Theodoſio duodecimùm & Valentiniano ſecundùm Conſulibus, quo anno trucidatus eſt à Gothis Arianis.

[b] Diomedis.] Græci etiam hac die de eodem agunt in Menologio, vbi & martyrium eius deſcribitur. Cedren. in compend. in Baſilio Imperatore hæc ait: Baſilius portò celeberrimum in martyrum numero Diomedem pretioſiſſimis & ſplendidis donarijs & prædijs amplos habentibus redirus locupletauit, atque exornauit. Hæc ille. Vſuardus tam de Diomede quàm ſocijs agit quarto Idus Iunij.

[c] Trigintatrium martyrum.] De ijſdem hac die Gręci in Menolog. igniq. abſumptos ferunt.

[d] Ambroſij centurionis.] Huius Acta manuſcripta ab eccleſia Ferentinate accepimus, quorum eſt exordium: Cùm omnipotentis Dei clementia, &c.

[e] Simpliciani Epiſcopi.] De eodem tabulæ eccleſiæ Mediolanen. Scribit de eo Paulinus in vita ſancti Ambroſij, Auguſtin. lib. 8. confeſſ. cap. 2. 3. & 5. Mentio fit de eo in Concilio 3. Carthaginen. cap. 48. Extant ad eumdem ſancti Ambroſij complures epiſtolæ. Ad eum ſanctus Auguſtinus inſcripſit duos libros de diuerſ. quęſtionib. quorum meminit in Retract. lib. 2. cap. 1. & de prędeſt. Sanct. lib. 1. cap. 4. Scripſit ad eumdem ſanctus Vigilius Epiſcopus Tridentinus libellum de Martyribus. Extat de eodem epigramma Ennodij Ticinenſis, cuius eſt exordium:

*Ambroſius linquens viduata*, &c.

[f] Eleutherij Epiſc.] Interfuiſſe hic reperitur Concilijs Aurelianenſibus 2. 3. 4. & 5. numeraturq. eius ſedis Epiſcopus decimusſextus: ſedit annos 28. menſes 8. dies 9. temporibus Pelagij Papæ, vt habent tabulæ eius eccleſiæ, quas deſcripſit Demochares libro de ſacrificio Miſſæ.

[g] Arſacij.] Agunt de eodem Beda, Vſuardus,

dus, Ado, qui tamen Vrſacium vocant; ſed Græci, qui eius res geſtas deſcribunt, dicunt Arſacium, vt Sozomenus hiſt. lib. 4. cap. 15. & Nicephorus lib. 9. cap. 38. Vixit autem temporibus Iuliani Apoſtatæ Arſacius alter Rex Armeniæ Chriſtianus, in quem ob odium in Chriſtum idem impius Imperator ſe illiberalem nimis exhibuit, de quo Sozomen. lib. 6. cap. 1. & Ammianus Marcellinus frequenter meminit.

[h] Hyacinthi. ] Extat in archiuo Cracouienſis eccleſiæ vetus liber de beati Hyacinthi vita & miraculis à F. Staniſlao lectore Cracouienſi ordinis Prædicatorum ante annos ferè 260. conſcriptus. De eodem agunt chron. & hiſtoriç Polonorum, Hartmannus Schedel artis medicæ Doctor in comment. de Sarmatia, dum agit de Cracouia, Martinus Cromer. lib. 7. & 9. de orig. & reb. geſt. Polonorum, Leander Albertus lib. 5. de viris illuſt. ordinis Prædicatorum, Ferdinandus de Caſtel. in hiſt. ſancti Dominici lib. 1. cap. 48. & alij, qui chron. & de viris ſanctis eiuſdem ordinis ſcripſerunt. Demum R. F. Seuerinus Cracouienſis, ſacræ Theologiæ magiſter ex eodem ordine, libellum edidit de vita, miraculis, & actis canonizationis eiuſdem Sancti. Deceſſit ſanctus Hyacinthus ex hac vita anno Domini MCCLVII. die XV. Auguſti, ſanctitate ac miraculis clarus. Eum S. D. N. Clemens VIII. Pontif. Max. anno Domini MDXCIV. Pontificatus ſui tertio, XV. Kal. Maias Romæ in Vaticana baſilica ſolemni ritu Sanctorum catalogo adſcripſit, eiuſque feſtum decima ſexta Auguſti die annis ſingulis in Eccleſia Catholica celebrari ſtatuit: de qua re Pontificium diploma extat eodem anno & die canonizationis datum, cuius initium eſt: Benedictus Pater miſericordiarum.

[i] Rocchi.] Huius res geſtę ſcriptę ſunt à Franciſco Diedo, & Petro Pino; habetque eiuſdem Acta Claud. de Rota in Legend. ſanct. cap. 191. Petrus in catalog. appendice cap. 15. De eodem Crantz. in Metrop. Saxon. lib. 9. cap. 25. Scribit idem Died. eum obijſſe diem anno Domini 1327. anno autem 1414. innotuiſſe Patribus Concilij Conſtantienſis, quorum decreto ad propulſandam ingruentem luem eidem honores Sanctis debiti ſunt impenſi: nam & ſolemni pompa eius imaginem, omni comitante populo, per vrbem detulerunt: quo facto, illa peſtis mox euanuit. Inde verò exemplum ſumptum eſt, vt vbique locorum eius venerandę imagines, altaria, ſacella, ac deniq. templa erecta fuerint. Tranſlatum eius corpus Venetias ferunt anno Domini 1485.

[k] Serenæ. ] De qua Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Agitur de ea in Actis ſanctę Suſannę martyris, itemque in rebus geſtis ſancti Marcelli Papæ, & alijs martyrum Actis, licet penes ſcriptores Gentiles de ea nulla mentio habeatur: nec mirum, cùm Diocletiani res geſtæ remanſerint obſcuriſſimæ, deperditis illorum commentarijs, qui eas exactè fuerant proſecuti.

viij. E    Sextodecimo Kal. Septemb. Luna.    17

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |

OCTAVA [a] ſancti Laurentij martyris. Carthagine in Africa ſanctorum martyrum Liberati [b] abbatis, Bonifacij diaconi, Serui & Ruſtici ſubdiaconorum, Rogati & Septimi monachorum, & Maximi pueri, qui in perſecutione VVandalica ſub Hunnerico Rege pro confeſſione Catholicæ fidei, & vnici baptiſmatis defenſione varijs & inauditis ſupplicijs exagitati, demum ſuper ligna, quibus concremandi erant, clauis confixi, cùm ignis ſæpiùs accenſus fuiſſet, ac diuinitus ſemper extinctus, eius iuſſu remorum vectibus percuſſi, & comminutis cerebris enecati, ſpecioſum curſum certaminis ſui, coronante Domino, perfecerunt. Cæſareæ in Cappadocia natalis ſancti Mamantis [c] martyris, qui à pueritia ad ſenectutem vſque longum martyrium duxit, & tandem imperante Aureliano, ſub Alexandro Præſide illud feliciter conſummauit: quem ſancti Patres Baſilius & Gregorius Nazianzenus ſummis laudibus celebrarunt. In Achaia ſancti Myronis [d] preſbyteri & martyris, qui ſub Decio Imperatore & Antipatre Præſide poſt multa tormenta Cyzici capite truncatus eſt. Nicomediç ſanctorum martyrum Stratonis [e], Philippi,

& Euty-

& Eutychiani, qui damnati ad beſtias, & nihil læſi, per ignem martyrium conſummarunt. Ptolemaide in Palæſtina ſanctorum martyrum Pauli [f], & Iulianæ ſororis eius, qui ſub Valeriano paſſi ſunt. Interamnæ S. Anaſtaſij [g] Epiſcopi & confeſſoris.

## A V G V S T I 17.

[a] OCTAVA S. Laurentij [a]. ] De eadem Beda, ac ceteri omnes. Radulphus de obſeruat. can. cap. 19. adnumerat eam inter maiores Octauas.

[b] Liberati & ſoc. ] Agunt de his hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Eorum res geſtas ſcripſit Victor Vticenſis lib. 3. de perſecut. Wandal. & libello ſeorſum poſito in appendice eius operis. Cùm ibi paſſi legantur ſexto Non. Iulij, hac tamen die de his prædicti omnes agunt, fortaſſe ob factam ea die tranſlationem.

[c] Mamantis. ] De quo Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri Latinorum, Græci autem in Menologio ad quart. Non. Septembr. Erat olim Romæ celebris huius martyris memoria; in eius baſilica ſanctus Greg. Papa habuit homiliam trigeſimamquintam in Euangelium die natali ipſius. Extat de eodem egregia homilia S. Baſilij; agit & de eo S. Gregorius Nazianzenus in oratione in Nouam Dominicam, in fine; vbi de eodem Niceta plura in ſchol. Metaphraſtes ex antiquioribus monumentis edidit eius Acta, quæ refert Lipomanus tom. 6. & Surius tom. 4. Conſueuit celebrari in Oriente eiuſmodi ſolemnitas vigilijs præcedentibus, vt ex Actis Danielis Stylitæ apparet. Huic martyri Gallus & Iulianus, Conſtantij Imperatoris nepotes, ſeorſum quiſque ſuum conati ſunt templum erigere; ſed Iuliani, qui ſimularè agebat, fruſtratum eſt opus, Galli autem perfectum finem conſecutum eſt, vt ſcribit Sozom. hiſtor. lib. 5. cap. 2. & Niceph. lib. 10. cap. 1. De alia eiuſdem Sancti perilluſtri baſilica Conſtantinopoli erecta agit Nicephorus lib. 18. cap. 41. De ponte ad S. Mamantem, vide Suidam in hiſt. De reliquijs eius Ieroſolymis poſitis, conſule Fortunatum in Actis S. Radegundis lib. 2. vbi de eius digito in Gallias tranſlato.

[d] Myronis. ] De quo Græci in Menologio hac die, vbi pluribus martyrij eius Acta deſcribuntur.

[e] Stratonis & ſoc. ] Agunt de his item Græci hac die, Beda autem ſuprà xviij. Kal. Septembr.

[f] Pauli & Iulianæ. ] Græci itidem de his in Menologio. Acta autem eorum fuſiùs deſcripſit Metaphraſtes; quæ extant apud Lipoman. tom. 7. & Sur. tom. 4.

[g] Anaſtaſij Epiſcopi. ] De quo tabulæ, ac vetera monumenta eius eccleſiæ.

## 18 Quintodecimo Kal. Septemb. Luna. F vij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |

PRÆNESTE natalis ſancti Agapiti [a] martyris, qui cùm eſſet annorum quindecim, & amore Chriſti ferueret, iuſſu Aureliani Imperatoris tentus eſt, ac primò neruis crudis diutiſſimè cæſus, deinde ſub Antiocho Præfecto grauiora ſupplicia paſſus; exinde cùm ex præcepto Imperatorio leonibus objiceretur, & minimè læſus eſſet, gladio miniſtrorum coronandus percutitur. Romæ beatorum Ioannis [b] & Criſpi presbyterorum, qui in perſecutione Diocletiani multa ſanctorum corpora officioſiſſimè ſepelierunt, quorum meritis & ipſi poſtmodum ſociati, gaudia vitæ æternæ meruerunt. Ibidem ſanctorum martyrum Hermæ [c], Serapionis, & Polyeni, qui per anguſta, ſaxoſa, & aſpera loca raptati, animas Deo reddiderunt. In Illyrico ſanctorum martyrũ Flori [d] & Lauri artis lapicidinę, qui, cõſumptis martyrio eorum magiſtris Proculo & Maximo, ſub Licione Præſide poſt multa tormenta in profundum puteum

ſunt

ſunt demerſi. Myræ in Lycia ſanctorum martyrū Leonis[e] & Iulianæ. Metis in Gallia S. Firmini[f] Epiſcopi & confeſſoris. Romæ via Lauicana S. Helenę[g] matris Conſtantini Magni, pijſſimi Imperatoris, qui primus Eccleſię tuendę atque amplificandę exemplum ceteris Principibus prębuit.

## AVGVSTI 18.

AGAPITI[a].] De quo pluribus Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri. Recitat eius Acta Mombrit. tom.1. ſed admodum deprauata; Petrus item in catal. lib.7. cap.74. Celebris eſt ipſius memoria Præneſte, vbi ſacræ eiuſdem reliquiæ aſſeruantur.

[b] Ioannis & Criſpi.] Agunt de his Beda, & alij qui ſuprà, necnon Petrus in catal. lib.7. cap.75.

[c] Hermæ & ſoc.] De ijſdem agunt etiam Græci hac die in Menolog. vbi ijdem eorum paſſionis Acta breui compendio referunt.

[d] Flori & Lauri.] Græci itidem de his agunt hac die in Menologio, & genus martyrij deſcribunt, quod paſſi ſunt.

[e] Leonis & Iulianæ.] De quibus ijdem qui ſuprà in eodem Menologio.

[f] Firmini Epiſcopi.] Agit de eodem Molanus in addit. ad Vſuardum. Legitur Firminus Epiſcopus inter alios Epiſcopos qui interfuerunt Concilio Agathenſi in Gallijs celebrato anno Domini quingenteſimo ſexto. Fuit hic vndecimus eius ſedis Epiſcopus, vt produnt tabulæ eccleſiæ Metenſis, quas deſcripſit Demochares libro de ſacrif. Miſſæ.

[g] Helenæ.] De eadem hac die Vſuardus, & Ado, adſtipulanturq́. vet. manuſcr. Græci autem ad xij. Kal. Iulij. Scribunt eius res geſtas Euſebius in vita Conſtantini lib. 3. c.41. 42. & ſeq. Rufin. hiſt. lib.1. c.7.8. Seuer. hiſt. li. 2. Paulinus epiſt. 11. ad Seuerum, Ambroſ. in oratione dicta in funere Theodoſij: de ea item in Actis ſancti Silueſtri, in Concilio Romano ſub Silueſtro can. 20. & in libello de munif. Conſtant. Ex Græcis autem hiſtoricis poſt Euſebium ſcribit Socrates lib.1. c. 12. & 13. Sozom. lib.2. cap.1. lib.1. cap.18. Nicephorus lib. 8. cap. 31. & alij recentiores. Romæ eam obijſſe diem, ibiq́ue ſepulchro conditam, tradit Niceph. lib. 8. cap. 3. & libellus ſuprà citatus de munif. Conſtant. necnon & Suidas in hiſtoricis in verbo Veſtales. De reliquiarum eius tranſlatione agit Sigebertus in chron. anno 849. Viget nobilis memoria S. Helenę Romę in Atrio Seſſoriano in Baſilica dicta S. Crucis, quam conſtat olim appellatam eſſe Baſilicam Helenianam, vt apparet ex Actis Sixti Papæ Tertij, quibus agitur de damnatione Baſſi Exconſulis. Aliæ ferè de ea innumeræ memoriæ erant, vt Conſtantinopoli, de qua in Authentic. vt determin. ſit num. cler. coll. 1. tit. 3. Itemq́ue Pontus Polemaicus, ſic dictus à Polemone Rege, qui (vt colligitur ex Tacito lib. 2.) vixit temporibus Auguſti & ſucceſſorum Imperatorum, Helenopontus ab Helena matre Conſtantini meruit appellari, vt nouella conſtit. 28. de moderatore Helenoponti coll. 10. Erat in Bithynia ciuitas Helenopolis ab ea dicta, & aliæ multæ de ea antiquæ memoriæ, quas enumerare omittimus: de his ſiquidem vberiùs egimus in Annal. Eccleſ. vbi de eadem, quòd Britanna fuerit, & non Græca, aduerſus Græcorum aſſertiones pluribus diſſeruimus.

## vj. G Quartodecimo Kal. Septemb. Luna. 19

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ

25 26 27 28 29 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12

t u A B C D E f F G H M N P

13 14 15 16 17 18 19 20 19 20 21 22 23 24

ROMÆ ſancti Iulij[a] Senatoris[b] & martyris, qui Vitellio Iudici traditus, & ab eo in carcerem truſus, iubente Commodo Imperatore tamdiu fuſtibus cæſus eſt, donec emitteret ſpiritum: cuius corpus in cœmeterio Calepodij via Aurelia ſepultum fuit. In Cilicia natalis ſancti Andreæ[c] tribuni, & ſociorum militū, qui victoria de Perſis diuinitus adepta, ad fidem Chriſti conuerſi, & hoc nomine accuſati, ſub Maximiano Imperatore in anguſtijs Tauri mōtis ab exercitu Seleuci Præſidis trucidati ſunt. In Palæſtina S. Timothei[d] martyris, qui in perſecutione Diocletiani ſub Vrbano Præſide, poſt multa ſuperata ſupplicia, lento igne combuſtus eſt. Paſſi ſunt etiam ibidem Thecla & Agapius: illa feris expoſita,

earum

earum dentibus laniata tranſiuit ad Sponſum: Agapius verò plurima tormenta perpeſſus, ad maiora certamina fuit dilatus. Anagniæ ſancti Magni[e] Epiſcopi & martyris, qui in perſecutione Decij necatus eſt. In Prouincia apud Caſtrū Brincolam depoſitio ſancti Ludouici[f] Epiſcopi Toloſani, vitæ ſanctitate & miraculis clari: cuius corpus inde Maſſiliam tranſlatum, in eccleſia Fratrum Minorum honorificè conditum eſt. In Gallia in pago Sigiſterico beati Donati[g] preſbyteri & confeſſoris, qui ab ipſis infantiæ rudimentis mira Dei gratia præditus, anachoreticam vitam multis annis exegit, & miraculorum gloria clarus migrauit ad Chriſtum. In territorio Bituricenſi ſancti Mariani[h] confeſſoris. Mantuæ ſancti Rufini[i] confeſſoris.

## AVGVSTI 19.

IVLII[a].] Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores de eodem hac die; addit & Beda alios, qui prædictum Iulium fide Chriſtiana imbuerunt, de quibus inferiùs agitur ad viij. Kal. Septemb. Recitat eius Acta Mombrit. tom. 2. Vincent. lib. 11. cap. 119. quæ & apud Sur. to. 7. habentur die 25. Auguſti. Eadem Petrus in catalogo lib. 7. cap. 79. Extant eadem apud nos manuſcripta, quorum eſt exordium: Regnante Commodo, &c.

[b] Senatoris.] Quod autem ad dignitatem Senatoriam pertinet; impoſſibile erat, Senatorem, cùm in Chriſtum credidiſſet, in Senatu vlteriùs permanere; nam neceſſe erat vel Chriſtianum Senatorem à Senatu abire, vel à Chriſtiana religione diſcedere. Auguſtus enim Imp. lege ſtatuerat, vt Senatorum quiſq; antequam ſuo loco conſideret, thure ac mero ſupplicaret apud aram eius Dei, in cuius templo coiretur. Hæc Sueton. in Octauio cap. 35. Tantùm enim in templis Senatus cogebatur, immolabaturque ſacrificium; atque primū de rebus diuinis, inde de humanis ſermo habebatur. Hęc pluribus ex M. Varrone, & Gell. l. 14. c. 7.

[c] Andreæ tribuni & ſoc.] De his hac die Vſuard. & Ado; licet Andream cum S. Magno confundant. Græci item de his in Menologio hac die, adduntque duo millia quingentos & nonaginta tres ſocios, qui cum eo ſunt paſſi. Horum Acta ex antiquis codicibus edidit Metaph. quæ recenſet Lipom. tom. 7. & Sur. to. 4.

[d] Timothei, Theclæ, & Agapij.] De iiſdem Græci etiam agunt hac die. Horum autem Acta ſcripſit Euſebius hiſt. lib. 8. c. 13. & 16. Paſſi ſunt Timotheus & Thecla anno ſecundo perſecutionis Diocletiani, Agapius autem quarto eiuſdem martyrium conſummauit xj. Kal. Decembris, vt ex prædictis eorum Actis apparet.

[e] Magni Epiſcopi.] De quo tabulæ & vetera monumenta eccleſiæ Anagninæ, cuius res geſtas manuſcript. inde miſſas accepimus; reperimus eadem in noſtra bibliotheca to. 7. Plura de eodem in Actis S. Secundinæ, quæ ibidem celebratur, de qua ſuperiùs actum eſt. Agunt alij hac die de alio Magno martyre, de quo & Petrus in catal. lib 7. cap. 76. Fuit item alius S. Magnus Epiſcopus Altinenſis, de quo apud eumdem in appendice c. 17.

[f] Ludouici Epiſc.] Huius Acta recitat Sur. tom. 4. Martin. Polon. in chron. Antonin. par. 3. tit. 24. c. 14. & nouiſſimè chron. Franciſcan. par. 2. lib. 6. Obiit anno Domini 1297. Ioannes Papa Vigeſimus ſecundus retulit eum inter Sanctos; qua de re extant litteræ Apoſtolicæ, quibus eius res geſtæ recoluntur.

[g] Donati.] De eo Beda, Vſuardus, Ado, Petrus in catal. lib. 7. cap. 78. & alij recentiores.

[h] Mariani.] Agit de eodem hac die Vſuardus, pluribus autem Gregorius Turonenſis de gloria confeſſorum cap. 81.

[i] Rufini.] De eo vet. manuſcript. ex quibus & Galeſinius hac die, & Maurolycus.

20 Tertiodecimo Kalend. Septemb. Luna. A v.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |

IN territorio Lingonienſi depoſitio ſancti Bernardi[a] primi Claræuallenſis abbatis, vita, doctrina, & miraculis glorioſi. In Iudæa ſancti Samuelis Prophetæ[b], cuius ſacra oſſa (vt beatus Hieronymus ſcribit) Arcadius Auguſtus Conſtantinopolim tranſtulit, & prope Septimum collocauit. Eodem

die ſancti Lucij [c] Senatoris, qui perſpecta conſtantia Theodori Cyrenenſis Epiſcopi in martyrio poſiti, ad fidem Chriſti conuerſus, ad eam etiam Dignianum Præſidem pertraxit: cum quo Cyprum profectus, cùm ibi alios Chriſtianos pro confeſſione Domini coronari videret, vltrò ſe ipſum obtulit, & eandem martyrij coronam, capitis obtruncatione, promeruit. In Thracia ſanctorum trigintaſeptem [d] Martyrum, qui ſub Præſide Apelliano pro Chriſti fide manibus pedibuſque præciſis, in caminum ardentem iniecti ſunt. Item ſanctorum martyrum Seueri [e] & Memnonis centurionis, qui eodem mortis genere conſummati, victores abierunt in cælum. Cordubæ ſanctorum martyrum Leouigildi [f] & Chriſtophori monachorum, qui in Arabum perſecutione, pro Chriſtianæ fidei defenſione in carcerem coniecti, ac mox ceruicibus abſciſſis igni traditi, martyrij palmam adepti ſunt. Romæ beati Porphyrij [g] hominis Dei, qui ſanctum martyrem Agapitum erudiuit in fide & doctrina Chriſti. In Herio inſula ſancti Philiberti [h] abbatis. Albæ in Pannonia ſancti Stephani [i] Regis, qui diuinis virtutibus exornatus, primus Hungaros ad fidem Chriſti conuertit. In caſtro Cainone S. Maximi [k] confeſſoris, diſcipuli beati Martini Epiſcopi.

## AVGVSTI 20.

BERNARDI abb. [a]] De eodem hac die cetera Martyrologia. Huius res præclarè geſtas Guilielmus abbas Bonæuallis, & Godefridus monachus Claræuallenſis digeſſerunt libris quinque; qui adhuc vberiores redderentur ex ipſius epiſtolis, aliiſque tum eius tum aliorum ſcriptis. Migrauit ex hac vita anno à Chriſto Domino 1153. quem Alexander Papa Tertius inter Sanctos cenſuit adnumerandum. Extant de ea re litteræ Apoſtolicæ datæ Anagoiæ xv. Kal. Februarij, anno ſexto Pontificatus eius, Chriſti autem milleſimo centeſimo ſexageſimoquinto.

[b] Samuelis Prophetæ.] De eo Beda, Vſuard. Ado, & alij recentiores, necnon & Græci hac die in Menologio. Eius Acta ex diuinis Scripturis omnibus patent, quæ & Ioſephus proſecutus eſt Iudaic. antiq. lib. 5. & 6. & alij qui libros Regum expoſuerunt. De celebri autem tranſlatione reliquiarum eius agit S. Hieron. lib. aduerſus Vigilantium, Niceph. lib. 14. cap. 10 Sub Attico Epiſcopo Conſtantinopolitano eas allatas eſſe Conſtantinopolim, locataſq; in templo ad Septimum poſito, ſcribit Theodorus lector in collectan. libro 2. De templo in honorem eiuſdem Prophetæ Samuelis erecto meminit Procop. lib. 5. de ædificiis Iuſtiniani Imp.

[c] Lucij.] Agunt de eodem Græci in Menologio hac die, eiuſque martyrium referunt, prout etiam hîc narratur.

[d] Trigintaſeptem martyrum.] De his item hac die Græci in Menologio.

[e] Seueri & Memnonis.] Græci etiam de iiſdem vbi ſuprà in Menologio.

[f] Leouigildi & Chriſtophori.] Agunt de his hac die Beda & Vſuard. ceterique recentiores; Acta autem ipſorum ſcripſit S. Eulogius in Memor. ſanct. lib. 2. cap. 11. paſſoſque tradit hac die, æra octingenteſima nonageſima, anno à Chriſto Domino 852.

[g] Porphyrij.] De eodem Beda ac ceteri. Eius martyrium deſcriptum habetur in Actis ſancti Agapiti, de quo ſuprà xv. Kal. Septembris.

[h] Philiberti abb.] Agunt de eodem Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri recentiores. Extant eius Acta apud Sur. tom. 4. Plura de eodem in geſtis S. Aicardi, apud eumdem Sur. tom. 5. & in vita S Auſtrebertħæ virg. apud Sur. to. 1. die 10. Febr. Sigebert. in chron. anno 649. Vincent. lib. 23. Trithem. de vir. illuſtr. ord. S. Benedicti lib. 3. cap. 97. Vixit temporibus Dagoberti Regis Francorum, ac filiorum.

[i] Stephani.] Hac die tranſlatum eſt corpus eius: migrauit autem ex hac vita xviij. Kal. Septembris, anno Domini milleſimo triceſimoquarto. Scripſit eius vitam Chartuitius Epiſcopus, quam retulit Sur. in to. 4. De eodem plura in Actis S. Gerardi, & in vita ſancti Americi, Leo Oſtien. in chron. Caſſin. lib. 2. cap. 79. nouiſſimè Bonfin. de rebus Hungaric. decad. 2. lib. 1. & alij.

[k] Maximi.] De eo ſcribit Greg. Turon. de gloria confeſſ. cap. 22. citatque eius Acta ſcripta carmine. Vixit temporibus Theodoſij Imperatoris. De eodem Molanus in addit. ad Vſuard. hac die.

Duo-

21 Duodecimo Kal. Septembris. Luna. B iij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |

ROMÆ in agro Verano ſanctæ Cyriacę [a] viduæ & martyris, quæ in perſecutione Valeriani cùm ſe ſuaque omnia in Sanctorum miniſteria impendiſſet, demum pro Chriſto martyrium ſubiens, viram quoque ipſam libenter impendit. Salonæ S. Anaſtaſij [b] Cornicularij [c], qui cùm videret beatum Agapitum conſtanter tormenta perferentem, conuerſus eſt ad fidem, & pro confeſſione nominis Chriſti, iubente Aureliano Imperatore, interemptus, martyr migrauit ad Dominum. In Sardinia natalis ſanctorum martyrum Luxorij [d], Ciſelli, & Camerini, qui in perſecutione Diocletiani ſub Delphio Præſide gladio cæſi ſunt. In territorio Gaualitano ſancti Priuati [e] Epiſcopi & martyris, qui paſſus eſt in perſecutione Valeriani & Gallieni. Eodem die ſanctorum martyrum Bonoſi [f] & Maximiani. Fundis in Latio ſancti Paterni martyris [g], qui ab Alexandria Romam veniens ad Apoſtolorum Memorias, & inde in agrum Fundanum ſecedens, cùm martyrum corpora ſepeliret, à tribuno comprehenſus, in vinculis expirauit. Edeſſæ in Syria ſanctorum martyrum Baſſę [h], & filiorum eius Theogonij, Agapij, & Fidelis, quos in perſecutione Maximiani pia mater exhortans, martyrio coronatos præmiſit ad palmam, & truncato capite gaudens ſecuta eſt cum victoria. Veronæ ſancti Euprepij [i] Epiſcopi & confeſſoris. Item ſancti Quadrati [k] Epiſcopi.

## A V G V S T I 21.

[a] CYRIACÆ.] De ea prædicta ſæpiùs citata manuſcr. in quibus hæc etiam adduntur: Tamdiu ſcorpionibus cæſa eſt, atque plumbaris, vſque dum ſpiritum exhalaret. Habemus eiuſdem Acta manuſcripta. Plura de ea habentur in Actis S. Laurentij. Huius nomine appellatum eſt nobile cœmeterium poſitum in agro Verano, quod deſcribi à Prudentio in hymno 11. de S. Hippolyto, rem accuratè intuenti patebit. Corpus S. Cyriacæ viduæ tranſlatum eſt à Sergio Papa Secundo in Titulum Equitij, vt docet vetus inſcriptio illic marmori inciſa.

[b] Anaſtaſij.] De hoc Anaſtaſio plura ſcripta habentur in Actis S. Agapiti, de quo ſuprà decimoquinto Kal. Septembris.

[c] Cornicularij.] Quod autem ad Cornicularij nomen ſpectat; erant in Caſtrenſi militia nobilis ordinis equites merentes Corniculo, quod erat ornamentum militare, à quo dicti Cornicularij: vnde Liuius in 10. Omnes ob inſignem in multis locis nauatam operam Papyrius Corniculis armilliſq; donat. Plin. de viris illuſtr. de M. Aurelio Scauro meminit, quòd primus in Hiſpania Corniculum meruit. idem Suet. de Orbilio in libello de Grammat. Eſt tit. in Cod. Theod lib. 8. de cohortalibus principibus Cornicularijs. Porrò non tantùm in Caſtrenſi, ſed & in Palatina militia erat ordo Corniculariorũ, de quibus L. 8. & 9. de diuerſ. offic. Cod. Theod. Caſſiodorus Variarum lib. 11. c. 18. 19. præſcribit formam Cornicularij accedentis, & Cornicularij egredientis, & merentis inter Tribunos & Notarios. Prætorianos Cornicularios præfuiſſe exequendis ſententiis damnatorum, Maternus libro 2. eſt auctor. Habes in Notit. prouinc. Rom. Imp. ſub quolibet maiori magiſtratu militiæ Palatinæ Cornicularium militaſſe.

[d] Luxorij & ſoc.] Horum Acta recitat Mombrit. to. 2. vit. Sanct. Accepimus eadem ſinceriora

ex Sardinia inſula. Huius Luxorij nomine dictum eſt monaſterium, de quo S. Greg. in regiſt. lib. 7. ad Ianuarium Epiſcopum Calaritanum.

[e] Priuati Epiſcopi.] De quo hac die Beda, Vſuard. Ado, & alij omnes. Agit de eo Gregor. Turonenſ. de geſtis Francorum lib. 1. cap. 34 & Venant. Fortunatus lib. 7. carm. ad Bodegiſ. Eius verò acta habet Mombritius tomo 2. & Surius tomo 4. Vincent. autem in ſpecul. lib. 1. cap. 75. & alij.

[f] Bonoſij & Maximiani.] De his Vſuard. qui & eorum Acta exſtare teſtatur: ſed iam excidiſſe videntur; nuſquam enim reperire potuimus.

[g] Paterni.] De quo vet. monumenta eius eccleſiæ, quibus eius Acta narrantur.

[h] Baſſæ & filiorum.] Agunt de his hac item die Græci in Menologio, eorumque martyrij Acta paucis complexa referunt. De templo Baſſæ martyris Chalcedone poſito meminit Theodorus lector lib. 1. collectaneorum, & Nicephorus hiſt. lib. 15. cap. 28.

[i] Euprepij Epiſc.] De quo tabulæ eccleſiæ Veron. pluribus autem Auguſt. Valer. Epiſcopus Veronen. & Cardin. lib antiq. monum. Epiſcop. Veronen. pag. 6. & 38. huncque S. Petri Apoſtoli diſcipulum Veronenſi eccleſiæ Epiſcopum primum fuiſſe ab eo præfectum teſtatur.

[k] Quadrati Epiſc.] Hic ſine Epiſcopatus loci titulo, tam in veteri Romano Martyrologio, quàm in vet. manuſcript. hactenus poſitus reperitur; nec cuinam eccleſiæ præfectus fuerit, aliquis docet.

## iij. C Vndecimo Kal. Septemb. Luna. 22

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | | | |

OCTAVA [a] Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis. Romæ via Oſtienſi natalis ſancti Timothei [b] martyris, qui tentus à Tarquinio Vrbis Præfecto, & longa carceris cuſtodia maceratus, cùm ſacrificare idolis noluiſſet, tertiò cæſus, & grauiſſimis ſuppliciis attrectatus, ad vltimum decollatus eſt. In Portu Romano ſancti Hippolyti [c] Epiſcopi, eruditione clariſſimi, qui ſub Alexandro Imperatore ob præclaram fidei confeſſionem manibus pedibuſque ligatis in altam foueam aquis plenam præcipitatus, martyrij palmam accepit: cuius corpus à Chriſtianis apud eumdem locum ſepultum fuit. Auguſtoduni ſancti Symphoriani [d] martyris, qui tempore Aureliani Imperatoris, cùm idolis ſacrificare nollet, primò verberibus afflictus, deinde carceri mancipatus, ad vltimum cæſo capite martyrium conſummauit. Romæ ſancti Antonini [e] martyris, qui cùm ſe Chriſtianum libera voce fateretur, à Vitellio Iudice capitali ſententia damnatus eſt, & via Aurelia ſepultus. Item in Portu Romano ſanctorum martyrum Martialis [f], Saturnini, Epicteti, Maprilis, & Felicis, cum ſociis eorum. Nicomediæ paſſio ſanctorum Agathonici [g], Zotici, & ſociorum martyrum, ſub Maximiano Imperatore, & Eutholomio Præſide. Tarſi ſanctorum Athanaſij [h] Epiſcopi & martyris, Anthuſæ nobilis feminæ, quam ipſe baptizauerat, & duorum eius ſeruorum, qui ſub Valeriano Imperatore paſſi ſunt. Rhemis ſanctorum martyrum Mauri [i] & ſociorum. In Hiſpania ſanctorum martyrum Fabriciani [k] & Philiberti. Papiæ ſancti Gunforti [l] martyris.

A V-

OCIAVA Aſſumotionis[a].] De quâ Beda, Vſuatdus, Ado, & alij recentiores, atque ij qui agunt de diuin. offic. Vt autem Octaua aſſumptionis Dei genitricis ageretur, ex inſtitutione Leonis Quarti Romani Pontificis prouenïſſe ſcribit Sigebertus in chron. anno 847. quâ autem occaſione id ab eodem Pontifice fuerit inſtitutum, Acta eiuſdem Leonis Quarti, quæ ab Anaſtaſio Bibliothecario, qui illis ipſis temporibus vixit, putantur conſcripta, declarant. Habemus ea in noſtra biblioth. in cod. manuſcr.

[b] Timothei.] Agunt de eo poſt Sacramentariũ S. Greg. Beda, Vſuard. Ado, & alij hac die. Huius res geſtæ intextæ ſunt in Actis S. Silueſtri Papæ; ſeorſum autẽ poſitæ, & fuſiùs ſcriptæ extant apud nos. eſt illorum exordium: Sub perſecutione Cõſtantini Imp. &c. Petr. in catal. de eo agens, errare omnino conſpicitur, dum eum refert paſſum ſub Valeriano Imp cùm nihil commune habeat Valerianus Imp. cum Melchiade Papa, cuius tempore hunc paſſum eſſe idem ipſe teſtatur. Sed & eius martyrium perperàm ponitur apud Cuſpinianum ſub ſexto Conſulatu Conſtantij: nam cùm paſſus ſit ſedente Melchiade Papa, nequaquam aptari poteſt tẽpori illi, quo Romanæ Eccleſ. Marcellus præerat. In antiquis manuſcript. & illis ipſis monaſt. S. Cyriaci ceteris omnibus vetuſtioribus, hęc de Timotheo: Natalis S. Timothei, qui ab Antiochia veniens, Romæ ſub Melchiade Papa ſuſceptus eſt in hoſpitium à Silueſtro, qui poſteà Epiſcopus factus eſt: qui totũ annũ & aliquot menſes ibi prædicans, cùm multos ad Chriſtum conuertiſſet, tentus à Tarquinio Vrbis Præfecto, & lõga carceris cuſtodia maceratus; cùm ſacrificare idolis noluiſſet, tertiò cæſus, & grauiſſimis ſuppliciis attrectatus, ad vltimum decollatus eſt. Hæc ibi. Recenſet eadem Ado; quibus aſſentiuntur tum Acta Silueſtri, tum ipſius Timothei, quæ citauimus. Ceterùm cùm tempore Conſtantini Imp. paſſum eſſe conſtet, perperàm in prædicto codice ſcripto legimus, in perſecutione eiuſdem Conſtantini ſubiiſſe martyrium. Licet enim aliquando Conſtantinus, de conſulendis haruſpicibus reſcribẽs, breui tẽporis ſpatio à Chriſtianitate viſus ſit alienus; id tamẽ longè poſteà accidit, vt ſuo loco diximus in Annalibus: Timothei namque martyrium contigit primo anno Melchiadis, cùm Maxentius diram tyrannidem exerceret, & Vrbanam præfecturam Tarquinius Perpenna gereret, antequam Conſtantinus ſe Romam conferret: nam alij qui ſequuntur Melchiadis Papæ anni aliis Præfectis Vrbanis notati habentur. Decepti verò nos errore ſcripti codicis, in noſtris his Notationibus primæ & ſecũdę editionis plura hîc ſuperfluè de Cõſtantini in Chriſtianos indignatione diſſeruimus; quę cùm in noſtris Annalibus correxerimus, haud ab re fore exiſtimamus, ſi quæ ibi de his ſcripſimus, eadem hîc ad verbũ referamus. Anno enim Domini 312. Conſtãtini verò ſeptimo, ſcripta noſtra veritatis amore corrigentes, hæc verba poſuimus:

*His de pietate Conſtantini enarratis, nodus ille ſoluendus eſt, qui me diutiùs perplexum reddidit: quẽ enim in Notis noſtris ſoluiſſe putabam, accuratiùs re perſpecta magis implicuiſſe cognoui; adeò vt à priori ſententia recedere, & quæ firmiter ſtabiliſſe videbar, retractare minimè diffidam. Siquidem quicumque ſtudio veritatis vehementer afficitur, & in ea peruestiganda atque illuſtranda omnes neruos intendere, omnemq; adhibere conatum, ſemel in conſilio habuit, nihilq; veritate antiquius, eidemq; cuncta poſthabere decreuit; apud neminem acriùs ac vehementiùs mendacia inſectatur, quàm apud ſemetipſum; nempe cùm ea in ſua ſcripta eſſe illapſa, acriori viſus obtutu peruiderit. Quòd enim ex veteri quadã inſcriptione compertũ haberem, poſt Maxentij interitum Conſtantinum Imp. Gentilitiæ ſuperſtitionis nominatum eſſe Pontificem Maximum; quodque de haruſpicibus conſulẽdis eiuſdem quoque reſcripta extarent: his atque aliis quibuſdam perſuaſus, in eam ſententiã vi quadam trahi videbar, vt certo certiùs opinarer, Conſtãtinum, etſi de Chriſtiana religione optime meritus eſſet, non tamen adhuc eo tempore ita fuiſſe Chriſtianum, vt à deorum cultu penitus deſciuiſſet. Re autem vigilantiſſimo ſtudio exactiùs perueſtigata, atque attentiùs diſquiſita, à priori à me aſſerta ſententia volens libenſq; diſcedens, in eam potius venio, quam veritas ipſa perſuadet.*

*Quod igitur ad Conſtantini Pontificatum maximum ſpectat (de aliis enim aduerſa ſententiæ obiectionibus inferius, ſeruato temporum ordine, agendum erit) præſtat in primis antiquam illam hic etiam reddere inſcriptionem de eius Pontificatu maximo atteſtantem. Romæ enim in ædibus Caſiis apud Vaticanum poſitis, in baſi eiuſmodi leguntur inciſæ litteræ:*

MAGNO. ET. INVICTO. IMP. CÆS. C. VAL. AVREL. CONSTANTINO. PIO. FEL. INVICTO. AVG. PONTIF. MAX. TRIB. POTEST. CON. III. P. P. PROC. D. N. CORPVS. CORIARIORVM. MAGNARIORVM. SOLATARIORVM. DEVOTI. NVMINI. MAIESTATIQVE. EIVS.

*hac fidem deſcribentis ſecutus. Sed cùm, eodẽ lapide diligenter inſpecto, inuenta ſit eiuſmodi in ipſius latere inſcriptio:* DEDIC. KAL. IAN. DD. NN. DIOCLETIANO. III. ET. MAXIMIANO. CONSS. *planè non Conſtantini ea eſſe prima inſcriptio videtur, ſed Diocletiani, cuius abraſo nomine (vt apparet) in odium Eccleſiæ perſecutoris, fuerit ſuperinductũ Conſtantini (vt legitur) nomen; ac deturbata ex illa baſi ſtatua Diocletiani, ſuperpoſitũ fuerit Conſtãtini ſimulacrum tẽpore tertij Conſulatus eiuſdem Imperatoris.*

*Quoniam verò in hac inſcriptione mentio habetur tertij Conſulatus eiuſdem Conſtantini, cui ea ſtatua dicata fuit; iam exploratum redditur, ea conſcripta fuiſſe poſt præſentem annũ: tertius enim Conſtantini Conſulatus vnà cum Licinio cõtigit anno ſequenti. Quomodo igitur dici poterat Chriſtianus, qui adhuc, quod pertinebat ad omnium deorũ cultum, Pontificem Max. agebat? His quoque adſtipulantem Zoſimum, atque dicentem, omnes Imperatores, etiam Chriſtianos, vſque ad Gratianum, dictos eſſe Pontifices Maximos, calũniæ nomine, quippe qui de rebus Chriſtianis multa mentitus ſit, ſuſpectũ habebam, atq; eo magis, quòd apud antiquos ſcriptores ea minimè legerentur. Sed quod minùs in ſcriptis codicibus inueniri poterat memoriæ commendatum, id ex aliis inſcriptionibus poſtea mihi cognitis atque perſpectis affatim ſuppeditatum eſt; quarum prior extat in ponte Ceſtio iuncto inſulæ Tiberinæ, his verbis:*

DOMINI. NOSTRI. IMPERATORES. CÆSARES
FL. VALENTINIANVS. PIVS. FELIX. MAXIMVS.
VICTOR. AC. TRIVMF. SEMPER. AVG. PONTIF.
MAXIMVS
GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC.
MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VI.
CONS. II. P. P. P. ET

FL. VALENS. PIVS. FELIX. MAX. VICTOR. AC. TRIVMF. SEMPER. AVG. PONTIF. MAXIMVS
GERMANIC. MAX. ALEMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VI. CONS. II. P. P. P. ET
FL. GRATIANVS. PIVS. FELIX. MAX. VICTOR. AC. TRIVMF. SEMPER. AVG. PONTIF. MAXIMVS
GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. III. IMP. II. CONS. PRIMVM. P. P. P.
PONTEM. FELICIS. NOMINIS. GRATIANI. IN. VSVM. SENATVS. AC. POPVLI. ROM. CONSTITVI. DEDICARIQVE. IVSSERVNT

*De Gratiano rurſum Emerita in Hiſpania eiuſmodi extat inſcriptio:*

IMP. CÆS. GRATIANVS. PIVS. FELIX. M. VICT. AC. TRIVMPH. SEMP. AVG. PONT. MAX. GER. MAX. ALAMANNVS. MAX. FRANC. MAX. GOTH. M. TR. P. IIII.

*Sed & Auſonius Gallus in gratiarum actione pro ſuo Conſulatu Gratianum nominat Pontificem Maximum. Contigit Conſulatus Auſonij anno quarto eiuſdem Gratiani, quo etiam Theodoſius ab eo creatus eſt Imperator. Porrò tam Conſtantinum, quàm ceteros vſque ad Gratianum eo titulo nominatos eſſe Imperatores Chriſtianos, & omnes ſtolam Pontificis Max. induiſſe, Gratiano excepto, Zoſim. lib. 4. teſtatur, ſic dicens: Simul enim atque ſummum imperium quiſq; accipiebat, amictus ei ſacerdotalis à Pontificibus offerebatur, & continuò Pontificis Maximi titulum vſurpabat. Ac ceteri quidem Principes vniuerſi lubentiſſimis animis hunc honorem accepiſſe, & hoc vſi titulo videntur: adeò, & Conſtantinus etiam potitus Imperio, licet is à recta ſacris in rebus via deflexiſſet, & fidem Chriſtianorum amplexus eſſet: item q; poſt illum reliqui ordine ſecuti, & Valentinianus, atque Valens. Cùm ergo Pontifices ex more Gratiano talem amictum attuliſſent, auerſatus eſt id quod petebant; ratus nō eſſe fas, huiuſmodi habitu Chriſtianum vti. Cumq; ſacerdotibus ſtola reddita fuiſſet; aiunt eum, qui dignitate Princeps inter eos erat, dixiſſe: Si Princeps non vult appellari Pontifex, admodū breui Pontifex Maximus fiet.] hac quippe amphibologia ille Gratianum eluſit: maximū enim Pontificatū Maximo tyranno ijdē qui Romæ erant Pontifices poſteà contulerūt.*

*Ex quibus ſatis perſpecta habetur cauſa, cur qui Chriſtiani erant Imperatores, maximi Pontificatus titulū cum inſignibus ſuſceperint: quòd ſcilicet ſic videretur Imperatoriæ dignitati ſummus Pontificatus adiunctus, vt ſine maximo Pontificio Imperator eſſe non poſſet, in eumq; Senatus populuſq; Rom. Gentilicię factionis facilè conſpirarent, quem non viderent patria religione firmatum. Alia rurſus fuit cauſa Chriſtianis Imperatoribus ſummū Pontificatum capeſſendi, quòd ampliſſima eſſet, atque etiam ſupra Cōſules eius magiſtratus auctoritas; quippe qui poſſet comitia, ne fierent, religionis intuitu prohibere, factaq; reddere irrita, decretis à Senatu intercedere, eademq; intercedere; fierent ne bella, ex eius arbitrio penderet; cuius quoque iuſſu ſe Conſules abdicarent, vt Cicero pluribus, & alij docent: quam quidem auctoritatem omnes Romanæ Reipublicæ Imperatores ſibi perneceſſariam iudicabant, vt ſummo religionis iure Senatum in Imperatores ſæpe moleſtum, veluti freno coërcitum, obſequentem in omnibus redderent. Quę quidē ex eo magiſtratu comparata auctoritas Chriſtianis Imperatoribus magis neceſſaria videbatur, quòd ſcirent ſe, inuito Senatu, regnare, & diuerſa religione iam in ſe Gentiliū omnium inuidiam atq; odium concitaſſe. Quæ ſanè cauſa cùm poſteà iam ceſſaſſet, quòd Senatores eſſent maiori ex parte Chriſtiani; deſierunt pariter Chriſtiani Imperatores ſummi Pontificatus titulū & ſtolam ſumere: quorum primus (vt diximus) Gratianus fuit, quem imitatus eſt Theodoſius, cuius tempore conſtat Romanum Senatum Chriſtianis adeò fuiſſe refertum, vt horum maior pars eſſet: quod S. Ambroſius, ſcribens ad Valentinianum de relatione Symmachi, teſtatur dicens: Abſit vt hoc Senatui perijſſe dicatur. pauci Gentiles communi vtuntur nomine.] & paulò poſt: Dignum eſt temporibus veſtris, hoc eſt, Chriſtianis temporibus, vt dignitas Chriſtianis Senatoribus abrogetur, quo Gentilibus Senatoribus profana deferatur voluntatis affectus? Et Prudentius aduerſus Symmachum:*

*Sic conſulta Patrum ſubſiſtere Conſcriptorum*
*Non aliter licitum priſco ſub tempore, quàm ſi*
*Trecentum cenſiſſe ſenes legerentur in vnum:*
*Seruemus leges patrias: infirma minoris*
*Vox cedat numeri, paruaq; in parte ſileſcat.*
*Aſpice quàm pleno ſubſellia noſtra Senatu*
*Decernant infame Iouis puluinar, & omne*
*Idolum longe purgata ex Vrbe fugandum.]*

*Videas igitur, quibuſnam prætextibus abſque idololatriæ aliquo crimine tum Conſtantinus, tum ceteri eo vſi fuerint titulo atque tunica, quam non ad ſacra facienda induebant, ſed ad auctoritatem poteſtatemq; ſibi vendicandā capeſſebant: permiſiſſentq; hoc illis Pontifices Chriſtiani, quorum nulla penitus ea de re, ſicut de aliis ab eis patratis criminibus, obiurgatio legitur. At horum omnium multo æquior cauſa videri poterat Conſtantini, qui Ethnicis Senatoribus, Senatum repletum inuenit. Si enim inter Chriſtianos Imperatores tantopere tum ab Ambroſio, tum à ceteris Gratianus commendatur, quem tamen ad annos quatuor eo titulo eſſe vſum inuenimus, cùm numeroſo ſatis Chriſtianorum cœtu Senatus conſertus eſſet: quis hoc nomine deroget Conſtantino, poſt eius imperium, extincto perſecutore, cœperunt manifeſtari aliqui ex Senatoribus Chriſtiani? Ruſſum verò non ſic quidē, vt ceteri Gentiles, facere conſueuerant Chriſtiani Principes, cùm veſtem ac titulum ſumerent Pontificis Maximi, vt more ipſorū (quod ſcribit Prudentius Periſteph. lib. 4.) ſub terram alta ſcrobe merſi, necati in ſacrificio tauri ſanguinem excipientes atque ebibentes, initiarētur, vel quòd Ioui Capitolino, aliiſue diis ſacra facerent: hæc enim perfecta fuiſſet apoſtaſia, & Chriſtianæ religionis abdicatio, nec aliquo velamento diſſimulanda: ſed tantùm (quod ait Zoſimus) amictu oblato, eoq; accepto, tunc Imperator titulum Pontificis Maximi vſurparet. Sic igitur nihil penitus eſt, quod ex titulo huiuſmodi Pontificis Maximi Conſtantinum poſt debellatum Maxentium argui poſſit idololatra; ſed Chriſtianum fuiſſe, infimi tamen ordinis atque Claſſis, militantemq; inter eos qui nomen tantùm Chriſtianæ militiæ dediſſent, quæ à nobis ſunt recitata declarant.]*

Hæc ex Annalibus excerpta verbatim hîc voluimus poſuiſſe. Ceterùm Conſtantinū, licet Chriſtianis ſemper fauiſſet, tamē de conſulendis haruſpicibus reſcriptū dediſſe, atque ſub eo à Gentilibus aliquādo vexatos fuiſſe Chriſtianos, ob eamq; cauſam Silueſtrum Papam (vt eius Acta referunt) ad mōtem Soractem latuiſſe, eidemq; Imperatori mala plurima inde eueniſſe, in iiſdem Annalibus demonſtrauimus: Cùm ipſe domeſticorum cæde pollutus, ac lepra à Deo percuſſus, patratorum ſcelerū pœnitens, non aliam expiationem reperit, quàm ſacri baptiſmatis ſuſceptionem, quo quidē initiatus eſt poſt Criſpi & Fauſtæ necem, quæ (vt auctor eſt Euſebius in chronico) contigit anno decimonono eiuſdem Imperij, cùm videlicet idem Criſpus cum Conſtantino fratre tertiùm ageret Conſulatum, & nonus eſſet annus ex quo Cæſar fuerat appellatus, duodecimus autem à debellato Maxen-

Maxentio, tertius verò à promulgatione edicti nuper citati de conſulendis haruſpicibus. Suffragantur & his de baptiſmo Conſtantini eo anno ſuſcepto Acta Romani Cōcilij, eodem ipſo anno, iiſdemque Conſulibus Criſpo & Cōſtantino celebrati, quorum hæc ſunt verba: Cùm multi nobiles gauderent, quòd Conſtantinus baptizatus eſſet à Silueſtro Epiſcopo vrbis Romæ, & mundatus eſſet à lepra; pro hoc beneficio quod accepit à Domino noſtro Ieſu Chriſto per Silueſtrum Epiſcopum, cœpit integrè prædicare Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & confiteri eius beneficia, &c. Cōſentit & his Anaſtaſius Bibliothecarius, cuius breue chronicon manuſc. accepimus ab Illuſtriſſ. ac Reuerendiſſ. Card. Sirleto: nam in eo profitetur Conſtantinum baptizatum eſſe anno decimooctauo ſui Imperij: eſt enim hic ille annus Conſulatus prędictorum, quo Imperij eiuſdem Conſtantini decimusoctauus expletur, & decimusnonus inchoatur. Hæc Bibliothecarium Apoſtolicæ ſedis non aliunde quàm ex antiquis eiuſdem bibliothecę monumētis accepiſſe putandum eſt. Quod autem pertinet ad Conſtantini lepram, licet eadem tum Actis Silueſtri, tum etiam Romanæ Synodi teſtimonio (vt vidimus) teſtata habeatur; ſcimus tamen complures viros eruditos ad hæc multū dubitare, cùm audiunt, conſilio ſacerdotū Capitolij, ſanguine puerorum balneum præparandum fuiſſe ad curandam Conſtantini lepram. At in primis quis miretur Conſtantinum lepræ morbo laboraſſe, cùm & Conſtantiam eius filiam eadem tabe affectam, eius Acta certa veraq; teſtentur? Sanè quidem vbi morbus iſte erat frequētior in Ægypto, regias perſonas eo etiam tangi conſueuiſſe, auctor eſt Plinius lib. 26. cap. 1. Eſt egregius locus, quo etiam affirmatur, eoſdem Reges ex humano ſanguine confecto balneo morbum elephantiacum curare ſolitos eſſe. Reddam eius verba, quibus hæc certiora habeātur; ſuntque hæc ipſa: Ægypti peculiare hoc malum (elephantiæ ſcilicet) & cùm in Reges incidiſſet, populis funebre: quippe in balneis ſolia temperabantur humano ſanguine ad medicinam eam. Hæc Plinius, quæ à ſacerdotibus Capitolij accepta, ab iiſdem Conſtantino ſunt perſuaſa. Teſtatur & Minutius Felix, humano ſanguine comitialem quoque morbum curari ſolitum. Hęc modò ſatis; vt quę habētur in Actis Silueſtri; vel alibi de fuga atque latebris Silueſtri Papæ in Soracte, de lepra Conſtantini, eiuſque baptiſmate, nulla ex parte fide careant. Ceterùm quod ſpectat ad confutandum id quod homo Arianus Euſebius de eiuſdē Conſtantini baptiſmate in fine vitæ accepto ſcripſit, de his pluribus egimus in Annalibus Eccleſiaſticis, ex quibus modò hæc pauca deprompſimus occaſione martyrij Timothei, de quo agitur.

[c] Hippolyti Epiſc.] De eodem hac die Vſuardus, & alij, Beda autem & Ado die ſequenti. Scribit de Hippolyto Portuenſi S. Hieronymus in lib. de ſcript. Eccleſiaſt. in epiſt. 84. ad Magnum, & in procem. ſuper Matth. vbi eum appellat martyrem. Claruit temporibus Alexandri Imp. vt ſcribit Euſebius lib. 6. cap. 16. Agens de eodem Niceph. hiſt. lib. 5. cap. 15. appellat eum Epiſcopum Portuenſem. Miramur quòd Hieronymus de eo agens, cuius eccleſiæ Epiſcopus fuerit, ſe non potuiſſe ſcire teſtetur: Gelaſius autem in lib. de duabus naturis contra Eutychen, cùm Hippolytum citat, dicit fuiſſe Epiſcopum Metropolitanum Arabiæ; quod verum puto, antequam veniret in Italiam. Qualis autem & quantæ fuerit eruditionis, ex eo quis poteſt intelligere, quòd in eius æmulationem Ambroſius Origenem (vt idem ſcribit S. Hieronymus) cohortatus eſt in Scripturam diuinam commentarios ſcribere, præbens ei ſeptem atque etiam plures notarios, eorumque expenſas, & his librariorum parem numerum, incredibili ſtudio ab eo quotidie opus exigens. De hoc Hippolyto Prudentium in hymno vndecimo decipi perſpicuum eſt; dum quod eſt alterius Hippolyti Antiocheni presbyteri, olim Nouatiani, huic tribuit: ſed hæc, dum de illo egimus ſuprà, ſatis diſſeruimus. Rurſus autem illud Petri Damiani de Hippolyto Portuenſi in epiſtola ad Nicolaum Secundum Rom. Pontif. qua hunc etiam Nonnum dictum eſſe teſtatur, illum (inquam) qui quæſtuariam illam Antiochenam ad meliorem frugem reddidit, nullatenus putamus eſſe conſentaneū veritati: ille etenim Nonnus fuit Edeſſæ Epiſcopus, vixitque tēporibus Theodoſij Iunioris Imp. vt ſcribit Nicephorus hiſt. lib. 14. cap. 30. de quo etiam habetur mentio in Concilio Chalcedonenſi. At verò de Nonno plura dicturi ſumus inferiùs die 2. Decembris. Extant Acta Hippolyti & ſociorum, in quibus corrigenda ſunt ea quæ de Claudio dicuntur: nam ſub Alexandro Imperatore eum claruiſſe, iidem qui ſuprà auctores teſtantur. Quod præterea de Vlpio in illis ſcribitur, Vlpianum, pro Vlpio reſtituendum putamus: is etenim ſub Alexandro præfecturam Vrbanam adminiſtrans, diriſſimas de Chriſtianis ſumpſit pœnas. Mentio etiam habetur de eodem Hippolyto in Actis S. Aureæ, quæ apud nos habemus manuſcripta. Viget adhuc in Portu Romano Memoria S. Hippolyti Epiſcopi, illaq; conſpicitur alta fouea aquis plena, in quam proiectus, martyrium conſummauit. His adiicimus, ex agro Verano, è Memoriæ Hippolyti antiquæ ruderibus effoſſum eſſe eiuſdem Hippolyti antiquum marmoreum ſimulacrum ſolio inſidens, in quo circumcircà Græcis litteris inſcripti ſunt cycli Paſchales annorum ſexdecim: quod inde Romam delatum, poſitum eſt in Vaticana bibliotheca, operâ Illuſtriſs. ac Reuer. D. Marcelli Ceruini tunc Cardinalis, inde autem Romani Pontificis. Meminit & Euſebius, cùm recenſet lucubrationes Hippolyti, eiuſdem canonis de ſexdecim annorum tempore lib. 6. cap. 16. & alij. Moris fuiſſe videtur, vt Kalendaria ac Faſti publicæ vtilitatis cauſa ederentur, & inciſi marmori publicè exponerentur. Quid ſimile ſcribit Sueton. lib. de Grammat. de Verrio, qui prope ſuam ſtatuam in hemicyclo poſitam incidi fecerit Faſtos à ſe ordinatos. Primus omnium qui Faſtos in Albo circa Forum poſuerit, vt quando lege agi poſſet, ſciretur, fuit C. Flauius Ædilis, vt auctor eſt Liuius lib. 9. ad finem decad. 1. Permanſit diutiùs eiuſmodi conſuetudo in nonnullis eccleſiis, vt Kalendaria Eccleſiaſtica in monaſterij parietibus deſcriberentur; cuius antiquitatis monumenta adhuc Romæ in aliquibus antiquis monaſteriis viſuntur.

[d] Symphoriani.] Agūt de eodem Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Extant eius Acta apud Surium tom. 4. de eodem plura Greg. Turon. de glor. confeſſ. cùm agit de ſimulacro Berecynthiæ cap. 77. & hiſt.

& hiſt.lib.2.cap.15.Celebrabatur eius ſolemnitas vigiliis præcedentibus, vt idem ſcribit ibidem lib.10. cap.31.cùm agit de S.Perpetuo. Meminit eiuſdem Venant. Fortun.lib.7.ad Bod.in carm.de gaudiis vit.æternæ. De eius baſilica idē auctor in vita S.Germani Epiſcopi Pariſiorum, Petrus item in catalogo lib.7.cap.93.& alij recentiores. Alius prætereà Symphotianus egregius martyr eſt ille, de quo ſcribitur in Actis S.Stephani Papę & martyris. Scripſit de eodem, de quo agimus, elegans epigramma Bonadius lib.2. monod. 40.

[e] Antonini.] De quo iidem qui ſuprà, Beda, & alij. Plura de eodem in Actis S.Euſebij, quæ extant apud Surium tom.2. die 25.Auguſti, & Petr. in catalogo lib.7 c.94.

[f] Martialis & ſoc.] De iiſdem hac die Beda, Vſuardus, & alij, itemque in Actis prædictis S. Hippolyti Epiſcopi Portuenſis.

[g] Agathonici & Zotici.] Agunt de his hac item die Gręci in Menologio. In honorem S.Agathonici martyris Iuſtinianus Imperator [illegible] basilicam Conſtantinopoli erexit, vt ſcribit Procopius lib.2. de ædific.Iuſtiniani Imperatoris.

[h] Athanaſij & ſoc.] Extat horum martyrium breui compendio enarratum in prædicto Græcorum Menologio, vbi de iiſdem agitur hac die.

[i] Mauri & ſoc.] De his tabulæ Rhemenſis eccleſiæ, ex quibus etiam Molanus agit hac die in addit. in Vſuardum.

[k] Fabriciani & Philiberti.] De his vet. manuſcript. & in tabulis eccleſiæ Toletanæ.

[l] Guniforis.] Huius Acta recitat Mombrit. tom.1. ex ſermone quodam incerti auctoris.

ij. D Decimo Kal. Septemb. Luna. 23

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | | | |

ANTIOCHIÆ natalis ſanctorum martyrũ Reſtituti[a], Donati, Valeriani, & Fructuoſæ, cum aliis duodecim, qui pręclariſſimo confeſſionis honore coronati ſunt. Ad Oſtia Tiberina ſanctorum martyrũ Quiriaci[b] Epiſcopi, Maximi preſbyteri, Archelai diaconi, & ſociorum, qui ſub Vlpiano Præfecto tẽpore Alexandri paſſi ſunt. Ægææ in Cilicia ſanctorum martyrum Claudij[c], Aſterij, & Neonis fratrũ, qui Chriſtianæ religionis à nouerca accuſati, ſub Diocletiano Imperatore & Lyſia Præſide poſt acerba tormenta cruci affixi, victores cũ Chriſto triumpharunt. Paſſę ſunt poſt eos Donuina & Theonilla. Rhemis in Gallia natalis ſanctorũ Timothei[d] & Apollinaris, qui ibidem conſummato martyrio cæleſtia regna meruerunt. Lugduni ſanctorum martyrum Mineruii[e], & Eleazari cum filiis octo. Item ſancti Luppi[f] martyris, qui ex ſeruili conditione, Chriſti libertate donatus, martyrij quoque corona dignatus eſt. Ieroſolymis ſancti Zacchæi[g] Epiſcopi, qui quartus à beato Iacobo Apoſtolo Ieroſolymitanam eccleſiam rexit. Alexandriæ ſancti Theonæ[h] Epiſcopi & confeſſoris. Vticæ in Africa beati Victoris[i] Epiſcopi. Auguſtoduni ſancti[k] Flauiani Epiſcopi. Aruernis ſancti Sidonij[l] Epiſcopi, doctrina & ſanctitate conſpicui. Apud Tudertum beati Philippi[m] Florentini inſtitutoris ordinis Seruorum beatæ Mariæ.

## AVGVSTI 23.

RESTITVTI & ſoc[a].] De his hac die Beda, Vſuard. Ado, aliiq; recentiores.

[b] Quiriaci Epiſcopi & ſoc.] Beda de his hac die. Horum res geſtæ narrantur in Actis ſanctæ Aureæ, vbi legitur, hos paſſos eſſe tempore Hippolyti Portuenſis Epiſcopi, quem diximus Alexandro Imp. conſummaſſe martyrium: vnde corrigendi ſunt qui hos paſſos temporibus Probi Imp. anno Domini 285. tradunt.

[c] Clau-

[c] Claudij & ſoc.] De his Beda, Vſuardus, & Petrus in catal. li. 7. c. 100. Extant horũ Acta germana quidem, & illa ipſa quę excepta ſunt à Notariis publicis: recitat eadem Sur. tom. 4. Paſſi ſunt vnà cum his Donuina & Theonilla, Coſſ. Diocletiano ſecundùm & Ariſtobulo. & eſt hic annus à Chriſto ſecundùm veriorem ſupputationem 285.

[d] Timothei & Apollinaris.] Beda, Vſuardus, & alij de his hac die: pluribus Gregorius Turonen. de gloria martyrum cap. 54. Petrus in catal. lib. 7. cap. 95. & alij. Habemus eadem Acta manuſcripta, quorum eſt exordium: Sub Nerone Imperatore, Lampadio Præſide, &c.

[e] Mineruì & ſoc.] Agunt de his etiam Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores hac die.

[f] Luppi.] De quo hac die agunt etiam Græci in Menologio.

[g] Zacchæi Epiſc.] De eodem Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Euſeb. in chron. & hiſt. lib. 4. c. 5. Niceph. Calliſt. hiſt. lib. 6. c. 25. & Niceph. Epiſcopus in chron. cùm agit de Epiſcopis Ieroſolymitanis. Hunc autem (niſi ſit mendum in codice) S. Epiph. Zachariam appellat in Panar. hæreſ. 66. cùm agens contra Manichæos, texit catalogum Epiſcoporum Ieroſolymitanorum.

[h] Theonæ Epiſcopi.] Agunt de eodem Beda, ac ceteri. Meminit de eo item Euſebius in chron. & hiſtor. libro 7. cap. vlt. Niceph. Calliſt. lib. 6. cap. 34. & Niceph. Epiſcop. in chron. De Eccleſia ſub Theonæ inuocatione Alexandriæ poſita meminit S. Epiph. in Panar. hæreſ. 69. Mentio de eodem habetur in Actis S. Petri Alexandrini Epiſcopi.

[i] Victoris Epiſc.] Hic ille, qui de perſecutione Vuandalica ſub Genſerico & Hunnerico ſequente tres ſcripſit libros, & iiſdem temporibus vixit: qualis autem, quantúſve fuerit, ex iiſdem libris metiri licet. Claruit temporibus Zenonis Auguſti; ſcripſit (vt apparet ex initio lib. 1.) anno ſexageſimo, ex quo Vuandali ex Hiſpania in Africam tranſierunt; fuit ille annus (vt teſtatur S. Proſper in chronico) cùm Theodoſius duodecimùm, & Valentinianus iterùm renuntiati eſſent Conſules, anno Domini ſecundùm Faſtos Onuphrij 426. vel potiùs (vt correximus in Annalibus) anno Domini 427. ſub Conſulatu Hierij & Ardaburij. Ex quibus colligitur, ipſum illos ſcripſiſſe libros anno à Chriſto quadringenteſimo octogeſimoſeptimo, decimoquarto Zenonis Auguſti, cùm adhuc eadem perſecutio fureret, qua etiam ſublatus eſſe putatur. Vixit eodem tempore Genſerici Regis alius eiuſdem nominis Victor Epiſcopus Cartennæ Mauritaniæ, qui aduerſus Arianos librum ſcripſit, quem Genſerico Regi Ariano per ſuos offerendum curauit, aliaque nobiliſſimi ingenij reliquit monumenta, vt teſtatur Gennadius de viris illuſtribus cap. 77.

[k] Flauiani Epiſcopi.] De quo tabulæ Auguſtodunenſis eccleſiæ, & vet. manuſcrip. necnon recentiores hac die.

[l] Sidonij Epiſcopi.] De eius vita & obitu miraculis illuſtratis ſcribit Gregor. Turon. de geſt. Francorum lib. 2. c. 22. 23. 24. Gennadius de vir. illuſtr. cap. 92. Extat eiuſdem liber epiſtolarum, & alter carminum, ex quibus viri integritas eluceſcit. De eodem agit Molanus in addit. ad Vſuardum hac die. Vixit temporibus Leonis Imperatoris.

[m] Philippi.] Huius Acta aſſeruantur penes religioſos Fratres eius ordinis; quibus tum præclaræ illius virtutes, tum etiam egregia miracula enarrantur, omniaque fide digniſſima. Ceterùm non hoc vno tantùm beato Philippo nobiliſſima ciuitas Florentia exornatur, ſed & altero eiuſdem nominis, inſtitutore ac Patre noſtro, noſtræque Congregationis Oratorij in Vrbe fundatore beato Philippo cognomento Nerio, ſanctitate & puritate vitæ, atque eximia in Deum & proximum charitate clariſſimo; quem Sanctorum conſortio in cælis perfrui, miracula crebra teſtantur.

24 Nono Kal. Septemb. Luna. E j.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | | | |

VIGILIA [a] ſancti Bartholomæi Apoſtoli. Carthagine ſanctorum trecentorum [b] Martyrum tempore Valeriani & Gallieni: qui inter alia ſupplicia, cùm Præſes fornacem calcariam accendi iuſſiſſet, & in præſentia eius prunas cum thure exhiberi, atque illis dixiſſet: Eligite è duobus vnum, aut thura ſuper his carbonibus offerte Ioui, aut in calcem demergimini: fide armati, Chriſtum Dei Filium confitentes, ictu rapidiſſimo ſe iniecerunt in ignem, & inter vapores calcis in puluerem ſunt redacti: ex quo candidatus ille beatorum exercitus, Maſſa candida meruit appellari. Apud Oſtia Tiberina ſanctæ Aureæ [c] virginis & martyris, quæ, ſaxo ad collum ligato, in mare demerſa eſt: cuius corpus ad litus eiectum,

bea-

beatus Nonnus ſepeliuit. In Iſauria ſancti Tationis[d] martyris, qui in perſecutione Diocletiani ſub Vrbano Præſide gladio cæſus, martyrij coronam accepit. Eodem die ſancti Eutychij[e] diſcipuli beati Ioannis Euangeliſtæ, qui ob Euangelij prædicationem in multis regionibus carceres, verbera, & ignes perpeſſus, in pace tandem quieuit. Item ſancti Georgij[f] Limniotæ monachi, qui cùm impium Leonem Imperatorem reprehendiſſet, quòd ſacras imagines frangeret, Sanctorumque reliquias combureret, eius iuſſu manibus abſciſſis, & capite incenſo, martyr migrauit ad Dominum. Rhotomagi ſancti Audoëni[g] Epiſcopi & confeſſoris. Niuernis ſancti Patricij[h] Abbatis.

## AVGVSTI 24.

VIGILIA S. Bartholomæi[a].] De eadem Beda, & alij pridie huius diei, Concil. Oxonienſ. Radulph. Tungr. de obſeruat. can. cap. 19. Duran. lib. 6. c. 7. & alij.

[b] Trecentorum Martyrum.] Agit de iiſdem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores. Deſcribitur nobile martyrium ipſorum à Pontio diacono in Actis S. Cypriani, & à Prudentio in Peristeph. hymno 13 de S. Cypriano. Dicti ſunt hi Maſſa candida, eò quòd in fornace calcaria martyrium conſummarint. Habuit S. Auguſtinus de his ſermonem centeſimum duodecimum de diuerſ. cuius meminit Poſſidius in Indic. Vticæ autem præcipuè agebatur horum ſolemnitas, atq; ea de cauſa idem S. Auguſtinus ſermone 115. Maſſam candidam Vticenſem dictam eſſe refert. Idem in tract. in Pſal. 49. Audire, inquit, martyrum numeroſitatem, ſola in proximo quæ dicitur Maſſa candida plus habet, quàm centum quinquaginta tres martyres. Legimus de Maſſa candida adhuc alium ſermonem S. Auguſtini in cod. manuſcrip. S Mariæ ad Martyres Romæ, poſitum inter lectiones quę legi conſueuerunt in ſolemnitate omnium Sanctorum. incipit: Dilectiſſimi fratres, natalem martyrum celebramus, &c. Quod autem ad numerum ſpectat; cùm Pontius dicat fuiſſe trecentos, idemque profiteantur omnia Martyrologia; mendum eſſe putatur apud S. Auguſtinum, dum in dicto tractatu ponitur adeò minor numerus.

[c] Auteæ.] De ea in prædicto vet. manuſcr. hac die. Extant apud nos tam ipſius quàm ſociorum Acta manuſcripta, paſſaque habetur tempore Alexandri Imperatoris ſub Vlpiano Præfecto. Viget adhuc eius memoria ad Oſtia Tiberina, vbi & ſacræ eius reliquiæ aſſeruantur.

[d] Tationis.] De quo etiam Græci agunt in Menologio hac die, eiuſque martyrium referunt.

[e] Eutychij.] Agunt de eo item Græci vbi ſuprà in Menologio, eiuſque Acta deſcribunt.

[f] Georgij.] Recitantur eius res geſtæ in præfato Gręcorum Menolog. vbi de eodē hac die agitur.

[g] Audoëni Epiſcopi.] De quo Vſuard. Ado, & alij recentiores. Habentur eius Acta fideliter ſcripta & recitata per Surium tom 4. Plura de eodem in vita S. Philiberti abb. apud Surium to. 5. die 20. Auguſti, & in Aicardo, apud eumdem tomo 5. die 15. Septembr. Eadem refert Aim. de geſt. Franc. lib. 4. c. 41. Ado in chron. anno 696. eius obitum refert, Sigebertus autem in chron. anno 690. qui & de eodem agit ſuprà anno 649. Interfuit Concilio Cabilonenſi. Ponitur eius ſedis vigeſimusprimus Epiſcopus, ſecundùm tabulas Democharis.

[h] Patricij abb.] Agunt de eodem Vſuardus, vet. manuſcript. ac ceteri recentiores.

F Octauo Kal. Septemb. Luna. 25

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | | | |

SANCTI Bartholomæi[a] Apoſtoli, qui in India Chriſti Euangelium prædicauit: inde in Maiorem Armeniam profectus, cùm ibi plurimos ad fidem conuertiſſet, viuus à barbaris decoriatus eſt, atque Aſtyagis Regis iuſſu capitis decollatione martyrium compleuit. Eius ſacrum corpus[b] primò ad Liparam inſulam, deinde Beneuentum, poſtremò Romam ad inſulam Tibe-

Tiberinam tranſlatum,ibi pia Fidelium veneratione honoratur. Lutetiæ Pariſiorum ſancti Ludouici[c] confeſſoris, Regis Francorum, vitæ ſanctitate,ac miraculorum gloria illuſtris. Romæ ſanctorum martyrum Euſebij[d], Pontiani, Vincentij,& Peregrini, qui primò ſub Commodo Imperatore in equuleo leuati, neruis quoque diſtenti, ac deinde fuſtibus cæſi ſunt, flammis circa eorum latera appoſitis: & cùm in laude Chriſti fideliſſimè permanerent, plumbatis vſque ad emiſſionem ſpiritus mactati ſunt. Item Romæ ſancti Geneſij[e] martyris, qui primùm ſub Gentilitate mimus, cùm in theatro, ſpectante Diocletiano Imperatore, myſteriis Chriſtianorum illuderet, à Deo inſpiratus, repente conuerſus ad fidem, & baptizatus eſt: mox Imperatoris iuſſu fuſtibus crudeliſſimè cæſus, deinde in equuleo ſuſpenſus, & vngularum diutiſſima laceratione vexatus, lampadibus etiam inflammatus, cùm in fide Chriſti perſiſteret, dicens: Non eſt Rex præter Chriſtum, pro quo ſi millies occidar, ipſum mihi de ore, ipſum mihi de corde auferre non poteritis: martyrij palmam capitis obtruncatione promeruit. Italicæ in Hiſpania ſancti Geruntij[f] Epiſcopi, qui tempore Apoſtolorum Euangelium in ea prouincia prædicans, poſt multos labores in carcere quieuit. Arelate in Gallia beati item Geneſij[g], qui exceptoris officio fungens,cùm impia edicta,quibus Chriſtiani puniri iubebantur, nollet excipere, & proiectis in publicum tabulis, ſe Chriſtianum eſſe teſtaretur, comprehenſus atque decollatus,martyrij gloriam proprio cruore baptizatus accepit. In Syria ſancti Iuliani[h] martyris. Tarracone ſancti Magini[i] martyris. Conſtantinopoli ſancti Mennæ[k] Epiſcopi. Traiecti ſancti Gregorij[l] Epiſcopi. Neapoli ſanctæ[m] Patriciæ virginis.

## AVGVSTI 25.

BARTHOLOMÆI Apoſt.[a]] Natalem diem S.Bartholomęi agunt pridie huius diei Beda, Vſuardus, Ado, & alij: Romæ autem xiij. Kalend. Septembris agi conſueuiſſe,teſtantur vet.manuſcr.S.Cyriaci,de quibus ſuprà. Antiquum manuſcript.Kalendarium, quod apud nos habemus,ad viiij.Kalend. Septemb. habet tranſlationem S.Bartholomæi: in Græcorum autem Menologio hac die ſic ſcribitur:Relatio ſanctarum reliquiarum S.Apoſtoli Bartholomæi. At verò natalem diem eius celebrant tertio Idus Iunij: in dicto autem Kalendario agitur ad av. Kal. Iulij. Ea bis apparet, tam Romæ, quàm etiam in Orientali Eccleſia hac die agi conſueuiſſe de tranſlatione S. Bartholomæi. Eſt de his etiam conſtitutio Emmanuelis Imperatoris, quam deſcripſit Theodor. Balſ.in Nomoc. Photij tit.7. c.1. Quòd autem alij præcedenti die agunt de eadem ſolemnitate: id (ſecundùm Innocentium in extrauag.de obſer.ieiun.c.Conſilium noſtrum) relinquendum eſt cuiuſque regionis conſuetudini. De Bartholomæo apud nonnullos ea inualuit opinio, vt fuerit Syrus genere, atque à Rege Ptolemęo originem duxerit,dictuſque Bartholomæus, quaſi filius Ptolemæi: ſed perperàm quidem: nam Ptolemæi in Ægypto, non in Syria regnarunt: præterea Apoſtolos omnes Galilæos fuiſſe, docet diuina Scriptura,quæ ait Act.Apoſt. cap.1. Viri Galilæi,&c. & cap. 2. Ecce omnes qui loquuntur, Galilæi ſunt,&c. Ceterùm ſi Bartholomæum hîc genere Syrum dixerimus, quòd Galilæa eſt in Palæſtina, & Palæſtina in Syria;eadem quoque ratione ceteros etiam Apoſtolos Syros eſſe, dicere debemus. Theodoretus in præfat. de Euang. verit. cùm agit de lib.de Legibus,Bartholomæum, ſicut ceteros, nullum excipiens, fuiſſe piſcatorem affirmat, idque etiam Metaphraſtes teſtatur: quod quidem verius mihi probatur: nam ſecundùm Paul. 1. ad Corinth. cap. 1. Ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus. Ad hæc addimus etiam, Bartholomæum non à Ptolemæo eſſe dictum; ſed ſicut Iudæus erat genere, ab Hebraicis vocibus ſic appellatus, Bar Tholmai, filius Tholmai. Eſt Tholmai nomen proprium Hebraicum, & in diuinis Scripturis repetitum, vt Num.15. Ioſue cap.5. Iudic.1. ſecundo

Reg.

Reg.cap.3.& Paralip. c. 3. Quod autem pro Bartholmai, dicamus Bartholomæum, mirum videri non debet, cùm & in ceteris Hebraicis vocibus id ipſum contingat, vt eadem Latinè vel Græcè reddita, non eodem modo pronuntientur. Nec illis libenter acquieſco, qui eumdem eſſe putant Bartholomæũ cum Nathanaële, ex leuibus quibuſdam coniecturis. Sunt hi, Rupertus abbas, Cornelius Ianſenius, & alij hos ſecuti. Refragatur enim S. Auguſtini ſententia, dum in tractatu in Pſalm.65. & ſuper Ioan. tract.17.c.1. ſcribit Nathanaëlem idcircò à Domino non fuiſſe electum inter Apoſtolos, quòd fuerit legis doctor; cuius ſententię adſtipulor libétiùs. Conſentit & S. Gregorius lib.33.Moral.c.21. De eodẽ Bartholomęo, præter ea quæ à ſanctis Euãgeliſtis ſcripta habentur, meminit etiam Dionyſius Areopagita in lib. de myſtica Theolog. Profectum eſſe ad Indos, illucque ſecum lato volumine Euangelij Matthæi, Chriſtum annuntiaſſe, ſcribit Euſebius hiſt. lib.5.c.10.& ante eum Origenes in Geneſ. S. Hieron de Script. Eccl. in Panteno, Socrat. lib.1.c.15. Niceph.hiſt.lib.4.c.32. Fortunatus hoc verſu:

*Inde triumphantem fert India Bartholomæum.*

Lycaonas inſuper ad temperantiam inſtituiſſe, ait Chryſoſtomus. De paſſione eius hiſtoriam recitans Gregor. Turon. de glor. mart. cap.34. Apud Aſiam, inquit, paſſum, agonis ipſius narrat hiſtoria, &c. Nec ab his diſſentiunt, qui ſcribunt in Armenia fuiſſe coronatum martyrio, vt Sophronius apud Hieron. De genere mortis, diuerſæ ſunt ſententiæ: In commentariolo Hippolyti de duodecim Apoſt. legi S. Bartholomæum capite deorſum pendente eſſe crucifixum. Teſtatur etiam Ioſephus apud Metaphraſten, fuiſſe cruci affixum; idque Nicephorus profitetur lib.2.c.39. At verò excoriatum fuiſſe, tradunt alij, vt apud Iſidorum (licet Iſidori eum non dixerim librum) de vit. & obit. ſanct. 177. Idque præſatio Ambroſiana, id antiqua lectionaria, id denique traditio docet, potuit tamen vtrumque contigiſſe. Geſtorum autem eius quædam feruntur Abdiæ nomine; quædam incerto auctore in libro qui inſcribitur, Paſſiones Apoſtolorum, habentur: alia his ſimilia extant in antiquis codicibus manuſcript. alia quæ ſcripta à Ioſepho recitat Metaphraſtes: edidit & alia Perionius, in quibus omnibus (ſecundùm Apoſtoli ſententiam) ſic omnia probet lector, vt, quod bonum eſt, teneat.

[b] Eius ſacrum corpus.] Quod autem ad eius venerandas reliquias ſpectat: fuit illis in primis illuſtrata Daras ciuitas in finibus Perſidis, vt ſcribit Theod. lector lib.2. collectan. & Niceph. hiſt. lib.16.c.37. De eius ampliſſimo templo illic erecto à Iuſtiniano Imperatore meminit Procopius lib.2. ædif. Iuſtinian. Imp. De tranſlatione Liparim ſacta, cuius hîc habetur mentio, agit Gregor. Turon. de gloria martyrum cap.34. Scripſit olim rei geſtæ hiſtoriam Theodorus Studita, quam Latinitati reddidit Anaſtaſius. Conſentit his Molanus in not. ad Vſuardum. Legimus eam in bibliotheca Vaticana plut.4. num. 234. pag.24. Incipit: Maximum quidem certamen, &c. Paucis eamdem refert hiſtoriam Metaphraſtes ex Ioſepho apud Surium to.4. & alij. Facta eſt autem alia poſtmodum tranſlatio Beneuentum ex prædicta inſula Liparitana anno Domini 832. vt auctor eſt Sigebertus in chron. Leo Oſtienſis lib.1. cap.26. factam ſcribit anno Domini 840. Rurſus autem ſub Othone Secundo Imp. Romam delatum eſt corpus eius, vt Otho Friſingenſis lib. 6. c.25. teſtatur his verbis: Tradunt de Othone Romani, quòd capto Beneuento, beati Apoſtoli Bartholomæi oſſa inde aſportauit, ac Romæ in Lycaonia inſula in tumba porphyretica ea collocauit, in terramque ſuam per Tiberim & mare in præſato ſarcophago deportare cogitauit: ſed eo tamen breui vita exempta, pretioſum theſaurum ibidem remanſiſſe. Hæc Otho. Factum id eſſe conſtat anno Domini 983. eiuſdem autem Imperatoris vndecimo, quo & ex hac vita migrauit. id ipſum etiam Albertus Crantz. in Saxon. & alij, qui proſecuti ſunt res Othonis Imperatoris. Eadem legi in codice manuſcripto Vaticano, vbi regiſtrata ſunt priuilegia Romanæ Eccleſiæ; hæcque omnia conſtare ex litteris aureo ſigillo munitis, ibidem ſcribitur. Supra 262. a

[c] Ludouici.] Eius præclariſſimas res geſtas ſcripſit Gaufridus, ex quibus ea putantur accepta quæ extant apud Sur. to.4. De eodem Anton. in 3. par. tit.20 c.1. §.12. Iudocus Clictouæus, & alij plures, qui proſecuti ſunt res Francorum, ac nouiſſimè Papyrius Maſſon. qui ea quæ à ceteris erant prætermiſſa, ſumma induſtria collegit. Migrauit ex hac vita anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo. Bonifacius Octauus Rom. Pont. retulit eum inter Sanctos. Hic eius nominis numeratur nonus, & non quintus, vt alicubi typographi errore poſitus reperitur; Regum verò Francorum quadrageſimuſtertius ponitur.

[d] Euſebij & ſoc.] De iiſdem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Recitantur horum Acta apud Surium tomo 7. & nos habemus manuſcript. quæ incipiunt: Regnante impiiſſimo Commodo, &c. Plura de iiſdem Vincentius in Spec. lib.10 cap.119. Mombrit. tomo 1. Petrus in catalogo lib.7.c.111. & alij recentiores.

[e] Geneſij.] De eodem iidem qui ſuprà, Beda, & alij. Eius Acta ex manuſcr. refert Surius tomo 5. Confundunt hunc cum Geneſio Arelatenſi Mombritius, & Petrus in catalogo. Eius Acta manuſcrip. habemus, quæ incipiunt: Sanctus Geneſius martyr, &c. Erat olim Romæ illuſtris Memoria huius Geneſij, quam Gregorius Papa Tertius inſtaurauit, atque muneribus exornauit, vt conſtat ex lib. de Romanis Pontificibus in eodem Gregorio Tertio.

[f] Geruntij Epiſcopi.] De eodẽ hac die Vſuardus, & alij recentiores. Huius Acta deſcribuntur ſacro hymno, quem legimus in antiquo Breuiario Toletano: quæ miramur prætериiſſe eos qui res Hiſpanicas nouiſſimè ſunt proſecuti, & ieiunè admodum de eo ſcripſere.

[g] Geneſij Arelat.] Agunt de eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado & alij. Eius Acta feruntur ſcripta à S. Paulino Epiſcopo Nolano, quæ deſcripſit Surius tom.4. Recenſetur ibidem editum ab eo miraculum, conſcriptum à beato Hilario Epiſcopo Arelatenſi, necnon & homilia falsò adſcripta Euſebio Emiſſeno. Meminit de eodem Prudentius hymno 4. cùm ait:

*Teque præpollens Arelas habebit,*
*Sancte Geneſi.*

Et Venantius Fortunatus his verſibus:

*Porrigit ipſa decens Arelas pia dona Geneſi*
*Aſtris Cæſario concomitante ſuo.*

In

In Breuiario Toletano legitur vetus ſacer hymnus, quo eiuſdem Geneſij Acta egregiè canuntur. De eodem præterea agit Gregor. Turon. de glor. mart. cap 66.

[h] Iuliani.] De quo etiam dicta vetera manuſcripta, adſtipulanturque alij recentiores.

[i] Magini.] Agitur de eodem hac die in Flore ſanct. Hiſpan. ex tab. eccleſiæ Tarraconenſis.

[k] Mennæ Epiſc.] De quo hac item die Græci in Menologio. Agitur de eo in libro de Rom. Pont. in Agapito Papa, itemque in epiſtola monachorum Palæſtinæ ad Iuſtinian. Imp. recitata in Quinta Synodo, Act. 1. in cuius ſequētibus Actionibus frequens de eodem Menna habetur mentio, ſicut & in conſtitutionibus eiuſdem Iuſtiniani Imp. in Authenticis, & Nouellis. Scribit plura de eo Euag. lib. 4. cap. 35. 36. & 37. Niceph. lib 17. cap. 25. & 26. Succeſſit hic Anthimo, vt prædicta Synodica Acta teſtantur. Errat autem Euagrius, qui Epiphanio Mennam ſubſtitutum dicit, & Epiphaniū Anthimo: nam præceſſit Epiphanius, cui Anthimus, & ei Mennas eſt ſubrogatus: ita etiam Nicephorus in chron. & alij. Celebrat egregias laudes Mennæ Agapitus Papa ſcribens ad Petrum Epiſcopum Ieroſolymitanum: recitatur ea epiſtola in prima Actione Quintæ Synodi. Hic etſi ad tempus adhæſit Theodoro Epiſcopo Cæſareæ Cappadociæ, ob quam cauſam à Vigilio Romano Pontifice ſacris eſt interdictus, vt eiuſdem Vigilij litteræ indicant, quæ extant in to. 2. Concil. in Vigilio: tamen tam ipſum, quàm etiam Theodorum, cùm vterque Vigilio ſatisfeciſſet, & fidei Catholicæ profeſſionem eidem tradidiſſet, receptos eſſe ad Apoſtolicam communionem, declarat Conſtitutum eiuſdem Vigilij Papæ, quod ex bibliotheca Vaticana depromptum intexuimus Annalibus Eccleſiaſticis. Nicephorus etiam lib. 17. cap. 26. de Menna à Vigilio communioni reſtituto meminit. Porrò multa Mennæ nomine ad Vigilium Papam ab hæreticis fuiſſe conficta, Sexta Synodus declarauit Act. 3. 12. & 14.

[l] Gregorij Epiſcopi.] Scripſit eius res geſtas S. Ludgerus Epiſcopus Monaſterienſis, quas Surius retulit in to. 2. die 26. Martij. Ad hunc olim preſbyterum extat epiſtola S. Lulli Epiſcopi Moguntini. Fuit hic, ſicut ille, diſcipulus S. Bonifacij, & ex monacho factus eſt Epiſcopus Traiectenſis; ſeditque annos 32. Exceſſit ex humanis anno Domini 784. Agit de eodem hac die Molanus in addit. ad Vſuardum, & in Indiculo Sanct. Belgij, & Trithemius de viris illuſtr. ord. S. Benedicti lib. 3. c. 284. & lib. 4. cap. 188. & alij.

[m] Patriciæ.] Claruit temporibus Conſtantini Imperatoris, quando vnà cum nutrice & famulabus Conſtantinopoli in Italiam veniens, venerata limina Apoſtolorum, Neapoli in Campania diem clauſit extremum; multiſque miraculis eius eſt ſanctitas declarata. Eſt celebris memoria Neapoli huius virginis.

## 26 Septimo Kal. Septembris. Luna. G xxix.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ

3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

t u A B C D E f F G H M N P

20 21 22 23 24 25 26 27 26 27 28 29 1 2

ROMÆ ſancti Zephyrini [a] Papæ & martyris. Ibidem ſanctorum martyrum Irenæi [b] & Abundij, qui in perſecutione Valeriani, eò quòd corpus beatæ Concordiæ in cloacam proiectū leuauerant, in eamdem cloacam demerſi fuerunt: quorum corpora à Iuſtino preſbytero inde extracta, in crypta iuxta beatum Laurentium ſepulta ſunt. Apud Albintimelium Liguriæ ciuitatem ſancti Secundi [c] martyris, viri ſpectabilis, & ducis ex legione Thebæorum. Bergomi in Gallia Ciſalpina ſancti Alexandri [d] martyris, qui & ipſe vnus ex eadem legione, cùm nomen Domini Ieſu Chriſti conſtantiſſimè fateretur, martyrium capitis abſciſſione compleuit. Nicomediç paſſio ſancti Hadriani [e], filij Probi Cęſaris, qui Licinio perſecutionem in Chriſtianos commotam exprobrans, ab eodem iuſſus eſt occidi: cuius corpus Domitius Byzantij Epiſcopus, eius patruus, Argyropoli ſepeliuit. In Hiſpania ſancti Victoris [f] martyris, qui à Mauris pro Chriſti fide occiſus, martyrij corona donatus eſt. Capuæ ſancti Rufini [g] Epiſcopi & confeſſoris. Piſtorij ſancti Felicis [h] preſbyteri & confeſſoris.

ZEPHYRINI Papæ[a].] De quo hîc Beda, Vſuardus, Ado, & alij. De eius ſucceſſione agit Euſeb. in chron. & hiſt. libro 5. cap. 27. & lib. 6. cap. 15. Optat. lib. 2. cōtra Parmen. Auguſtinus epiſt. 165. Niceph. Calliſt. lib. 4. c. 10. & Nicephorus Epiſc. in chronico.

[b] Irenæi & Abundij.] De iiſdem Beda, ac ceteri qui ſuprà, omneſque ex rebus geſtis S. Laurentij, in quibus horum martyrij Acta deſcribuntur. Quod iam S. Côcordiæ, quàm horum martyrum corpora in cloacam fuerint proiecta, tum hîc in Martyrologio, tum etiam in prædictis Actis nuper citatis habetur; quod & factum in alijs compluribus martyribus Romę paſſis repetitur. Quales fuerint Romæ cloacæ, conſule in primis quæ admiratione digna ſcribit Plin. lib. 36. c. 15. conſule & Caſſiodor. Variar. lib. 3. epiſt. 30. qui de his mira ſcribit ad Argolicum Vrbis Pręfectum, dum ait: Tantum viſentibus conferunt ſtuporem, vt aliarum ciuitatum poſſint miracula ſuperare. Videas illic fluuios, quaſi montibus concauis clauſos, per ingentia ſtagna decurrere: videas ſtructis nauibus per aquas rapidas non minima ſolicitudine nauigari, ne præcipitato torrenti marina poſſint naufragia ſuſtinere. Hæc Caſſiodorus. Reliquit exemplum de nauigatione cloacarum M. Agrippa, qui cùm eas expurgaſſet, per eaſdem ſubuectus eſt in Tiberim, vt auctor eſt Dio Caſſius lib. 49. prope finem. Hæc de Vrbis cloacis, ſepulcbris ſanctorum martyrum, quorum ſæpè corpora in eas proiecta repeꝛiuntur, vt etiam factum conſtat de corpore S. Sebaſtiani clariſſimi martyris, quod (vt eius Acta teſtantur) in cloacam Maximam proiectum fuit.

[c] Secundi.] Agunt de eodem Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores. Extant eius Acta apud Mombr. tom. 2. vit. ſanct. & Petr. in catal. breuiùs lib. 7. cap. 117. Albintimelij Liguriæ prouinciæ ciuitate hic paſſus dicitur, quæ diuerſis modis dicta repeꝛitur; aliquando Vintimelium, vel Victimillium, vt à Beda & Vſuardo, Vindimillium, vt ab Antonino; ab alijs Albintimilium, itemque Intemelium, vt à Cælio apud Cicer. epiſt. fam. lib. 8. ſic & Plin. lib. 3. c. 5. qui dictum fuiſſe ait Albium Intemelium, vnde compoſitè Albintimelium, vt hîc ponitur. Eſt Liguriæ prouinciæ ciuitas, vulgò dicta, *Vintimiglia*.

[d] Alexandri.] De eodem hac die Beda; ſed mendosè legitur, Pergami, loco Bergomi. Vſuard. & Ado pluribus de eo agunt. Extant eius Acta, quæ habet Mombrit. tom. 1.

[e] Hadriani.] Græci etiam de eodem agunt hac die in Menologio, eiuſdemque paſſionis agonem deſcribunt, prout etiam hîc narratur. De genere Probi Imp. vide Nicephori Epiſcopi chron. de Epiſcopis Conſtantinopolitanis, in Domitio.

[f] Victoris.] De eius martyrio vide apud Surium tom. 7. Vaſæum in chron. Hiſpan. anno 950. & Molan. in addit. ad Vſuard. & tabul. Burgenſis eccleſiæ.

[g] Rufini Epiſcopi.] De quo tab. eccleſ. Capuanæ, in cuius Breuiario agitur etiam de eius corporis inuentione tempore Sergij Papæ.

[h] Felicis.] Cuius res geſtas legimus in manuſcr. codice ab eadem eccleſia Romam miſſo.

xxviij A Sexto Kalend. Septemb. Luna. 27

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20
t u A B C D E f F G H M N P
21 22 23 24 25 26 27 28 27 28 29 1 2 3

CAPVÆ in Campania natalis ſancti Rufi[a] Epiſcopi & martyris, qui cùm eſſet Patriciæ[b] dignitatis, à beato Apollinare ſancti Petri diſcipulo cum vniuerſa familia baptizatus eſt. Ibidem ſanctorum martyrū Rufi[c] & Carpophori, qui ſub Diocletiano & Maximiano paſſi ſunt. Tomis in Ponto ſanctorū martyrum Marcellini[d] tribuni, & vxoris eius Mānceæ, & filiorum Ioannis, Serapionis, & Petri. In Sicilia apud Leontinos ſanctæ Euthaliæ[e] virginis, quæ cùm eſſet Chriſtiana, à fratre ſuo Sermiliano gladio cæſa migrauit ad Sponſum. Eodem die paſſio ſanctæ Anthuſæ[f] iunioris, quæ ob Chriſti fidem in puteum merſa, martyrium ſumpſit. Bergomi ſancti Narni[g], qui à beato Barnaba[*] baptizatus, primus ab eo eiuſdem ciuitatis Epiſcopus eſt ordinatus. Arelate ſancti Cæſarij[h] Epiſcopi, miræ ſanctitatis & pietatis viri. Auguſtoduni ſancti Syagrij[i] Epiſcopi

& con-

&c confeſſoris. Papiæ S. Ioannis [k] Epiſcopi. Ilerdæ in Hiſpania Tarraconenſi S. Licerij [l] Epiſcopi. In Thebaide S. Pemonis [m] anachoretæ. In Piceno apud Septempedanos S. Margaritæ [n] viduæ.

## AVGVSTI 27.

RVFI Epiſcopi. [a] ]. De eodem Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri recentiores. Agitur de eo in Actis S. Apollinaris, quæ recitat Surius tomo 4. die 23. Iulij, vnde & ceteri acceperunt, vt Petrus in catal. lib. 7. cap. 119. Hieron. Rub. hiſt. Rauen. lib. 1. & alij.

[b] Patriciæ dignitatis. ] Etſi de Patricia dignitate complures viros eruditos ſcripſiſſe repererim: nullum tamen adhuc, mea quidem ſentẽtia. nactus ſum, qui rem adeò feliciter ſit proſecutus, vt nullam prorſus reliquerit ea de re dubitandi occaſionem. Dicam paucis ( quantum fert ratio instituti ) qualis olim apud Gentiles Romanos, qualiſve penes Chriſtianos fuerit Patricia dignitas. Conſtat in primis, auctore Liuio lib. 1. ab Vrbe condita, à Romulo creatos eſſe centum Senatores, eoſdemq́ue honoris cauſa Patres appellatos, omneſq; ſubinde qui ex eadem progenie exorti fuiſſent, eſſe Patricios nuncupatos; quos & dictos eſſe Ingenuos, ex Cincio docet Feſtus. Hęc de antiquis Patriciis nõ tantùm Liuius, ſed & alij, vt Dionyſius, Plutarchus, Dio, Velleius Paterc. ac ceteri priſci auctores ſcripſere. Erant hi Patricij Originarij dicti, qui à prædictis ducebant originem; iidemq́ue apud Liuium dicti reperiuntur Patricij maiorum gentium. Rurſum autem alij erant Patricij, qui dicebantur minorum gentium, iidemq́ue Allecti ſunt appellati: erant hi, qui ex plebe in Senatum, & ea Senatu tranſibant ad Patriciam dignitatem. De his Sueton. in Octauio cap. 2. Ea gens, inquit, à Tarquinio Priſco Rege inter minores gentes allecta in Senatum, mox à Seruio Tullio inter Patricias tranſducta. Hæc Suet. Idem in C. Iulio c. 41. ait: Senatum ſuppleuit, & Patricios allegit, &c. Sicq́ue eueniebat in primis, vt non omnes Patricij eſſent Senatores: nam filij Patriciorum, iidem Patricij dicti erant, tunc autem & Senatores, quando inter Patres adſcripti, iidem dicebantur Patres conſcripti. vnde & Suetonius in Octauio c. 10. Quamquam Patricius, nondum Senator, &c. Rurſus autem contingebat, vt nonnulli, licet eſſent Senatores, nondum tamen eſſent Patricij, vt vidimus ex prædicto loco Suet. in Octau. c. 2. quod & Tacitus etiã his verbis ſignificat: Iiſdem diebus in numerum Patriciorum adſciuit Cæſar vetuſtiſſimum quemque ex Senatu, aut quibus clari parentes fuerant. Hæc Tacitus. Porrò non tantùm Patricius ordo, ſed & Patricius magiſtratus in antiquorum ſcriptorum commentariis reperitur, cùm ſcilicet Patricij in Sacerdotium adſciſcerentur; ad quos potiſſimùm ſacrarum rerum cura pertinebat: horum etenim præcipua ſacerdotia & Pontificatus erant. In hanc ſententiam Cicero orat. pro domo ſua hæc ait: Itaque populus Romanus breui tempore neque Regem ſacrorum, neque Flamines, neque Salios habebit, nec ex parte dimidia reliquos ſacerdotes, neque auctores centuriatorum, neque curiatorum comitiorum: auſpicia quoque populi Romani, ſi magiſtratus Patricij creati non ſint, intereant neceſſe eſt, &c. hæc Cicero occaſione Clodij, qui è Patriciis ad plebem tranſierat. Rurſus idem ad Brutum epiſt. 5. Dum vnus (inquit) erit Patricius magiſtratus, auſpicia ad Patres redire non poſſunt. De eodem Patricio magiſtratu Liuius ſæpè, qui in oratione P. Decij aduerſus Patres, & in concione Claudij aduerſus Plebeios pluribus docet, magiſtratum Patricium auſpicia curare ſolitum. Quàm porrò ampla eſſet huius muneris poteſtas in cogendis comitiis, creandis magiſtratibus, atque ſi opus fuiſſet, dimouendis etiam Conſulibus à Conſulatu, pluribus docet Cicero de diuinat. & de legib. Ceſſante autem ſuperſtitione Gentilium, licet extinctus ſimul fuerit Patricius magiſtratus, cùm ipſorum ſacerdotia, ſimulq́ue auſpicia fuerint antiquata; remanſit tamen ipſa dignitas Patriciatus, quæ ex Patricio magiſtratu illud retinuit, vt ſicut in eo Pontificalis dignitas erat perpetua, nec niſi obitu deſineret, ita ſub Chriſtianis Imperatoribus Patriciatus dignitas perennis eſſet. Id egregiè expreſſum habes apud Caſſiod. Variar. li. 6. form. 2. qui de eadem ampliſſima dignitate clariſſimis tantùm viris conferri ſolita agit lib 8. epiſt. 9. 10. & 11. De eadem Zeno Imp. L. 3. de Conſul. Cod. lib. 12. hæc ſcribit: Nemini ad ſublimem Patriciatus honorem, qui ceteris omnibus anteponitur, aſcendere liceat; niſi priùs aut Conſulatus hono[illegible] potiatur, aut Pręfectura Pętorij Orientis, vel Illy[illegible]ici, vel Vrbis adminiſtratione, aut Magiſtri militum, aut Magiſtri officiorum, &c. Adeò itaque erat Patriciatus excellens dignitas, vt non tam ea Conſulatu, quàm Cõſulatus Patricia illuſtraretur dignitate, vt elegãter habes expreſſum à Iuſtiniano Imp. L. 1. C. de Conſ. adeò vt nec iam (vt olim) Patricij dicerentur à Patribus, qui & Senatores erant; ſed quòd Patres dicerentur Imperatoris, vt idem Iuſtin. teſtatur L. vlt. Cod. de Conſ. Horum inſignia (quantum ex nuper citatis Caſſiodori locis colligere licet) erant chlamys, cingulũ, calcei picti, & ſella ſublimis. Inſtitutam hanc dignitatem à Conſtantino Imp. conceſſumq́ue Patriciis, vt ſuper omnes etiam Pręfectos Prætorio conſiderent, auctor eſt Zoſimus lib. 2. Horum etiam auctoritate legationes mitti conſueuiſſe, auctor eſt Suidas. Hallucinantur omnino, qui eiuſmodi dignitatem ab Imperatoribus conferri conſueuiſſe primarum ſedium Epiſcopis, ex prædicta à Caſſiodoro recitata formula Patriciatus ſomniarunt. Sed de his ſatis occaſione Rufi martyris, hominis Patriciæ dignitatis.

[c] Rufi & Carponij. ] De iiſdem tab. eccleſiæ Capuanę, in cuius Breuiario Acta ipſorum leguntur, ſed aliqua leui cenſura purganda, vt quæ illic de Sibylla ſunt addita: nam quibus temporibus Sibyllæ vixerint, Varro & alij plures docent.

[d] Marcellini & ſoc. ] Agunt de iiſdem Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores, adſtipulanturq́ue vetera manuſcripta.

[e] Euthaliæ. ] De eadem hac die Græci in dicto Menologio, vbi etiam deſcribitur eius martyrium.

[f] Anthuſæ. ] Hæc iunior Anthuſa dicta eſt reſpectu ſenioris, quæ paſſa eſt in perſecutione Valeriani, de qua ſuprà xj. Kal. Septemb. Agunt de eadem hac die Græci in Menologio.

[g] Narni. ] De quo tabulæ eccleſiæ Bergomenſis, ex quibus etiam Galeſinius hac die.

[h] Cæſarij Epiſcopi. ] Agunt de eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores. Scribit de eo Gennad. de vir. illuſtr. cap 86. Licet Suffridus in annotationibus ad Gennad. fidem habens Trithemio, & ille Vincentio, exiſtimet ea quæ in Gennadio leguntur de Cęſario, ab aliquo alio eſſe addita, eò quòd Trithemius de vir. illuſtr. ord. S. Bened. & de ſcript. Eccleſ. Cæſarium claruiſſe dicat anno Domini 690. adhęrens Vincentio, quē citat; qui ait illum floruiſſe anno Domini 700. Hæc autem quàm ſint à veritate remota, perfacile erit oſtendere, cùm plures reperiantur ſcriptores, qui illius temporibus vixerint, atq; de eo ſcripſerint, multaq; inſuper extent ſacra Cōcilia, quibus ipſe pręſens ſubſcripſit. Vixit temporibus Iuſtini, & ſucceſſorum Impp. Venant. Fortunatus lib. 7. carm. ad Bodeg. ducem, & de gaudiis vitæ æternę meminit de Cæſario Epiſc. Arelatenſi, itemque de eodem lib. 5. in carmine ad Martinum ad ciues Turonicos lib. 8. de ſeipſo, & in carm. de virginitate. At verò res geſtæ eiuſdem Cæſarij, quas Cyprianus eius diſcipulus fideliſſimè ſcripſit, recitatque Surius tom. 4. eius tempora ſatis ſignificant, vixiſſe eum ſcilicet temporibus Symmachi Papæ, ad quem Romam venit. Ex his certa firmaque redduntur, quæ ſcribit Gennadius, eum ſcilicet claruiſſe temporibus Anaſtaſij Imp. cuius tempore ſedit Symmachus Papa. Reperitur idem Cæſarius interfuiſſe Concilio Arelatenſi tertio, & quarto, quod deſideratur, cuius mentio habe- in Concilio Meld. c. 73. itemque Concil. Vaſenſi, & Carpentoratenſi, in quibus omnibus primo loco, vt Metropolitanus, ſubſcriptus reperitur; ſicut & Agathenſi, quod celebratum eſt ſedis illius temporibus, nimirum ſub Conſulatu Meſſallæ, anno Domini 506. Ex his videas, quo iure Trithemius hunc ſibi vendicet inter monachos ord. ſancti Benedicti, cùm ante ipſum S. Benedictum vixerit, qui anno 529. in Caſſino monte cœpit ordinis ſui fundamenta iacere. Fuit autem Cæſarius profeſſor cœnobij inſulæ Lerini ſub Porcario abbate, vt prædicta Acta teſtantur; quod etiam profitetur ipſe homil. 20. vbi multa locutus de laudibus illius cœnobij, addit: Ego, inquit, peculiaris alumnus veſter, &c. Longè ante tempora S. Benedicti monaſticam obſeruantiam in eadem inſula viguiſſe, exploratum certumque habetur. Cùm autem idem Trithemius citet eiuſdem Cæſarij ſermonem tertium, quo ſe profitetur S. Benedicti eſſe diſcipulum, nihil huiuſmodi in ſermonibus Cæſarij recèns editis potui inuenire: quòd ſi in aliquo tamen codice id reperitur, alterius potiùs auctoris exiſtimandus eſt ſermo. Extat egregia epiſt. Ennodij Ticinenſis ad eumdem Cæſarium ſcripta de legatione qua functus eſt ad Regem Gothorum; eaque eximias Cæſarij virtutes commendat ac prædicat. Incipit: Quod ſpe conceperam, &c. Non prætermittimus hîc meminiſſe eiuſdem Cæſarij ſororis, dictæ S. Cæſariæ virginis, ac matris multarum virginum, quæ & ipſa egregia claruit ſanctitate. De eadem idem Cyprianus in dictis Actis ſancti Cæſarij: & Fortunatus etiam lib. 8. in carm. de virginitate de eadem agit his verſibus, dum recenſet eam inter illuſtres ſanctitate virgines:

*Has inter comites coniuncta Cæſaria fulget,*
*Temporibus noſtris, Arelatenſe decus.*

Et inferiùs:

*Dulce decus, vbi ſit veneranda Cæſaria præſens,*
*Præſule Cæſario non caritura tuo.*

De eadem S. Cæſaria agit Greg. Turonenſ. hiſt. Franc. lib. 9. cap. 40. & 42. Ibi de regulis eius, ſub quibus S. Radegundis Regina & aliæ monaſticam vitam exercuerunt, conſcriptis à prædicto S. Cæſario, de quo agimus. Fuit eiuſdem nominis Cæſarius monachus ſcriptor vitæ S. Engelberti, quæ extat apud Surium tomo 6. die 7. Nouembris, qui etiam illa ſcripſiſſe putatur, quæ in Speculo exemplorum diſtinct. 6. recitantur: vixitque circa annum Domini 1250.

[i] Syagrij Epiſcopi. ] De eodem Beda, Vſuard. Ado, & alij hac die. Scribit de eo Greg. Turonen. lib. 9. de geſtis Francorum cap. 23. in fine, Ado Viennenſis in chron. anno Domini 557. appellatque eum virum ſummæ ſanctitatis, eumdemque teſtatur interfuiſſe primo Concilio Matiſconenſi. Peruenit etiam ad tempora S. Gregorij Papæ, cuius ad eumdem extant plures Epiſtolæ in regiſt. lib. 5. epiſt. 57. & lib. 6. epiſt. 110. 112. 117. 118. & 119. Ipſe autem Romam venit, ſubſcripſitque priuilegio conceſſo eccleſiæ S. Medardi, Indict. vndecima, anno Domini 593. quibus etiam temporibus obiit, vt apparet ex lib. 11. epiſt. 10. eiuſdem regiſtri. De eo etiam Fortunatus in vita S. Germani Epiſcopi Pariſiorum cap. 65. illicque de eius ordinatione agitur. Fuit & alius Syagrius Nicienſis Epiſcopus, cuius natalem diem colunt Nicienſes 23. Maij.

[k] Ioannis Epiſc. ] De quo tab. eccleſ. Papienſis.

[l] Licerij Epiſcopi. ] Agitur de eo in eccleſia Ilerdenſi, ex cuius monumentis etiam mentio habetur in Flore ſanct. Hiſpan.

[m] Pœmonis. ] De eo hac item die Græci in Menologio, plura autem in Vit. Patrum.

[n] Margaritæ. ] De rebus geſtis ipſius ſunt apud nos Acta à Seuerinatibus Romam miſſa. eſt illorum exordium: Margarita Septempedæ, &c. Dormiuit in Domino anno 1395. Multis fuit illuſtrata miraculis.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | | | |

HIPPONE Regio in Africa natalis ſancti[a] Auguſtini Epiſcopi, & Eccleſiæ Doctoris eximij: qui beati Ambroſij Epiſcopi operâ ad Catholicam fidem conuerſus, & baptizatus, eam aduerſus Manichæos, alioſque hæreticos, acerrimus propugnator defendit: multiſque aliis pro Eccleſia Dei perfunctus laboribus, ad præmia migrauit in cælum: cuius reliquiæ[b] primò de ſua ciuitate propter barbaros in Sardiniam delatæ, & poſteà à Luitprando Rege Longobardorum Ticinum tranſlatæ, ibi honorificè conditæ ſunt. Romæ natalis ſancti Hermetis[c] viri illuſtris, qui (vt in Actis beati Alexandri Papæ legitur) primò carcerali cuſtodiæ mancipatus, deinde cum aliis plurimis gladio cædente martyrium compleuit ſub Aureliano Iudice. Briuate apud Aruernos paſſio ſancti Iuliani[d] martyris, qui cùm eſſet beati Ferreoli tribuni comes, & in habitu militari occultè Chriſto ſeruiret, in perſecutione Diocletiani à militibus tentus, deſecto gutture morte horribili necatus eſt. Conſtantiæ in Gallia ſancti Pelagij[e] martyris, qui ſub Numeriano Imperatore & Euilaſio Iudice martyrij coronam accepit. Salerni ſanctorum martyrum Fortunati[f], Caij, & Anthes, ſub Diocletiano Imperatore & Leontio Proconſule decollatorum. Conſtantinopoli ſancti Alexandri[g] Epiſcopi, glorioſi ſenis, cuius orationis virtute Arius diuino iudicio damnatus crepuit medius, & effuſa ſunt viſcera eius. Apud Santonas ſancti Viuiani[h] Epiſcopi. Item ſancti Moyſis[i] Æthiopis, qui ex inſigni latrone inſignis anachoreta, multos latrones conuertit, & ſecum duxit ad monaſterium.

## AVGVSTI 28.

[a] AVGVSTINI Epiſcopi.] Agunt de eodem Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores. De anno ac die eius obitus ſcribit Marcellinus in chron. deceſſiſſe Felice & Tauro Conſulibus, ſed veriùs Proſper ſub Conſulatu Theodoſij xiij. & Valentiniani iij. Res geſtas ſuas à teneris annis vſque ad ſuſceptum ſacrum baptiſma, atque receſſum ex Italia, ipſe pluribus proſecutus eſt in libris Cōfeſſ. cetera autem Poſſidius Epiſcopus Calamenſis. His etiam locupletiora collegimus ex epiſtolis, ceteriſque ipſius ſcriptis, aliiſque probatis auctoribus, & per annos ſingulos intexuimus in Annal. Eccleſiaſt. Migrauit ex hac vita, Theodoſio xiij. & Valentiniano iij. Coſſ. dum vocaretur ad Concilium œcumenicum Epheſinum Theododoſij Imp. legatione: eſt is annus à Chriſto Domino quadringenteſimus trigeſimus.

[b] Cuius reliquiæ.] Eiuſmodi tranſlatio primùm facta in Sardiniam inſulam, contigiſſe putatur, quando Traſamundus, Arianus Rex Vuandalorum, omnes Epiſcopos Africanos Catholicos relegauit in Sardiniam temporibus Symmachi Papæ, Cætheo Conſule, anno Domini 504. in quam quidem rem inſudauit induſtria S. Fulgentij Epiſcopi Ruſpenſis. Baculus inſuper, & mitra illuc allata, hactenus in Sardinia aſſeruantur. Adſtipulatur his etiam Oldradus Mediol. Epiſc. in epiſt. ad Carolum Magnū, & Franc. Fara de rebus Sardois. De tranſlatione autem Ticinum facta, cuius etiam hîc mentio habetur, agunt Beda, Ado, & alij hac die, Paul. diac. de geſt. Longob. lib. 6. cap. 14. Beda de ſex ætat. in fine. Ado Viennenſ. in chron. anno 718. Otho Friſing. eodem anno,

Sigebert. anno 721. Marian. Scot. anno 734. Sigeberto autem aſſentitur Sigon. de Reg. Italiæ. Sed de his actum eſt ſuperiùs die 28. Februarij, quando eiuſmodi tranſlationis ſolemnitas agitur. Vide quæ de ea re ſuprà notauimus ea die.

[c] Hermetis.] De quo hac die Beda, & alij; Ado autem vberiùs recitat eius Acta ex rebus geſtis S. Alexandri Papæ, quas refert Surius to. 3. Errat Ado, dum paſſum ſcribit ſub Aureliano Imp. Nam Aurelianus ille Iudex erat, & non Imperator, vt prædicta Acta ſignificāt: à tēporibus enim Alexandri Papę vſque ad Aurelianum Auguſtum pluſquam centum quinquaginta annorum intercedit ſpatium temporis. Paſſus eſt itaque Hadriano Imp. ſub Aureliano Iudice, vt eadem Acta teſtantur. Pelagius Papa Secundus illuſtrauit cœmeterium S. Hermetis. Erat celebris eius Memoria apud Antium, cuius habetur mentio in Actis S. Bonifacij Papæ tom. 1. Concil.

[d] Iuliani.] De quo item Beda, Vſuardus, Ado, atque recentiores. Hac die eius celebritatem eſſe celebrandam, habes à Greg. Turon. lib. 2. de gloria mart. cap. 29. qui ipſe integrum librum ſcripſit de eius agone atque miraculis; recenſet eum Lipom. to. 3. & Surius to. 4. Sidonius Apollin. agit de eodem epiſt. 1. libro 7. Venantius Fortun. in carmine de gaudio vitæ æternę, & ad Bodegiſ. l. 7. & alij, qui ex prædictis acceperūt.

[e] Pelagij.] Agunt de eodem hac die Beda, Vuandelbert. Petr. in catal. lib. 7. cap. 120. & alij recentiores. eſt mentio de Pelagij martyris eccleſia Conſtantinopoli ædificata, & à Copronymo deiecta, apud Zonaram tomo 3. Annal.

[f] Fortunati & ſoc.] De his tabulæ eccleſiæ Salernitani, Breuiarium, & alia eiuſdem eccleſiæ antiqua monumenta. Horum tranſlatio celebratur Idibus Maij. Ipſorum corpora aſſeruantur in eccleſia cathedrali in inferiori crypta: in ſuperiori autem ſub altari maiori poſitum eſt corpus S. Felicis preſbyteri & martyris, cuius anniuerſaria celebritas illic agitur 21. Februarij.

[g] Alexandri Epiſcopi.] De quo hac die Beda, ac ceteri Latinorum, Græci autem in Menologio tertio Kal. Septemb. S. Athanaſius de ipſo ſcripſit ad Serapionem col. 450. Gregor. Nazianz. in orat. de cathedra Conſtantinopolitana non affectata, his verbis: Egregij illius Alexandri diſcipuli eſtis, magni Trinitatis propugnatoris, qui rebus & verbis impium errorem depulit & profligauit. Neque enim memoriâ vobis excidat Apoſtolica illa oratio, quæ impietatis auctorem & antiſtitem ſuſtulit, idque in locis impuriſſima lingua dignis; nimirum vt contumelia contumeliam vlciſceretur, &c. Hæc Gregorius, tribuens huius precibus interitum Arij. De eodem item Rufin. hiſt. lib. 1. c. 12. Theodoret. lib. 1. cap. 14. & in Theophilo in Iacobo Niſibita c. 1. Socrates lib. 1. c. 25. & lib. 2. c. 3. & 4. Sozom. lib. 1. c. 17. lib. 2. c. 29. & lib. 3. c. 3. Niceph. hiſt. l. 8. c. 15. Niceph. Epiſcop. in chron. & in ea oratione quæ à Metaphraſte recitatur de Patribus Niceni Cōcilij: habetur apud Lipo. t. 6.

[h] Viuani, aliàs Bibiani.] De diuerſitate harum vocum inde inferiùs notata in S. Bibiana. Agunt de hoc ſancto Vſuardus & Ado hac die. Agit de eo Greg. Turon. de gloria confeſſ. cap. 58. De baſilica autem S. Bibiani Venantius Fortunatus carmen ſcripſit, cuius eſt exordium:

*Digna ſacerdotis Bibiani templa coruſcant;*
*Quæ, ſi iuſta petis, dat pia vota fides.*

Eiuſdem Acta extare, ſcribit Greg. Turon. vbi ſuprà. Succeſſit hic Ambroſio eius ſedis Epiſcopo, ad quem extat epiſtola ſexta Sidonij Apollin. lib. 9. ponitúrque quintus ordine Epiſcopus Santonenſis in tab. Democharis. Extat de eodem epigramma Bonad. Santon. lib. 3. monod. 21.

[i] Moyſis.] De quo etiam hac die agunt Græci in ſuo Menolog. paucíſque referunt eius Acta; vberiùs in Vit. Patrum, & Niceph. hiſt. lib. 11. cap. 36. Diuerſus hic ab illo Moyſe anachoreta, de quo Sozom. lib. 6. cap. 38.

xxvij. C Quarto Kal. Septemb. Luna. 29

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |
| t | u | A | B | C | D | E | ſ | F | G | H | M | N | P | | | |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | | | |

DEcollatio [a] ſancti Ioannis Baptiſtæ, quem Herodes circa feſtum Paſchæ decollari præcepit: quę tamen hoc die ſolemniter colitur, quando [b] eius venerandum caput ſecundò inuentum fuit: quod poſteà Romam tranſlatum, in eccleſia ſancti Silueſtri ad Campum Martium ſumma populi deuotione aſſeruatur. Romæ in monte Auentino natalis ſanctæ Sabinæ [c] martyris, quę ſub Hadriano Imperatore gladio percuſſa, martyrij palmam adepta eſt. Item Romæ ſanctæ Candidæ [d] virginis & martyris, cuius corpus Paſchalis Primus Papa in eccleſiam ſanctæ Praxedis tranſtulit. Antiochiæ in Syria natalis ſanctorum martyrum Nicææ [e] & Pauli. Conſtantinopoli ſanctorum martyrum Hypatij [f] Epiſcopi Aſiani, & An-

& Andreæ preſbyteri, qui ob cultum ſanctarum imaginum ſub Leone Iſaurico barba pice illita atque incenſa, & cute capitis extracta, iugulati ſunt. Peruſiæ ſancti Euthymij [g] Romani, qui Diocletiani perſecutionem fugiens, ibi cum vxore & Creſcentio filio quieuit in Domino. Metis ſancti Adelphi [h] Epiſcopi & confeſſoris. Lutetiæ Pariſiorum depoſitio ſancti Mederici [i] preſbyteri. In Anglia ſancti Sebbi [k] Regis. Apud Smyrnam natalis ſanctæ Baſillæ [l]: In pago Tricaſſino S. Sabinæ [m] virginis, virtutibus & miraculis glorioſæ.

## A V G V S T I 29.

a DECOLLATIO ſancti Ioannis Baptiſtæ [a].] De eadem ſolemnitate Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri Latinorum; itemque Græci, qui etiam Decollationem appellant, vt conſtat ex eorum Menologio, & ex conſtitutione Emmanuelis Imp. apud Theod. in Nomoc. Phot. tit. 7. cap. 1. Rei geſtæ hiſtoriam deſcribunt ſancti Euangeliſtæ, Matthæus c. 14 Marcus c. 6. & Lucas c. 9. externorum autem Ioſephus antiquit. lib. 18. c. 7. De Herodiade, quæ in caput eiuſdẽ præcurſoris inſultauit, ſcribit Hieron. in apolog. aduerſus Rufin. deq; ſepultura eius corporis ſeorſum à capite idem epiſt. 27. in epitaphio Paulæ. De diuina vltione in Herodiadem ſaltatricem, vide Niceph. hiſt. lib. 1. cap. 19. & 20. & Metaphraſt. in ſermone de S. Ioanne, quem recitat Sur. tom. 4. Conſtat autem cædem S. Ioannis Baptiſtæ contigiſſe imminente feſtiuitate Paſchali, vt Beda in Marc. c. 6. teſtatur, & alij. At quoniam illis temporibus (vt diximus) feſta martyrum agi vetitum erat: idcircò, ſicut natalis dies S. Iacobi Apoſtoli, ita etiam eiuſmodi celebritas in aliud tempus tranſlata eſt, & (vt idẽ Beda teſtatur) in ipſum diem quando Edeſſæ inuentum fuit venerandum caput ipſius. Ad hæc addimus, hac item die quarto Kal. Septemb. totius Orbis lætitia dedicatam eſſe baſilicam illam Alexandriæ, ſuper dirutum Serapidis templum magnificentiſſimè excitatam, Theodoſio imperante, per Theophilum Epiſcopum Alexandrinum; illucque prædicti S. Ioannis ſacras reliquias allatas fuiſſe atque recõditas. De ruina templi Serapidis ſuprà actum eſt: de erectione prædictæ baſilicæ, & illatione prædictarum reliquiarum agit Rufin. hiſt. lib. 2. cap. 27. & 28. dum ſcribit de ſepulchro eiuſdem S. Ioannis per Iulianum Apoſtatam profanato; de quo etiam Nicephorus lib. 10. cap. 13. Metaphraſtes in Artemio, Ado in chron. anno 361. Beda de ſex ætat. in Iuliano, vbi agit de eadem baſilica à S. Ioanne denominata, illic erecta. De die quarto Kal. Septembris, quo fuit conſecrata, mentio habetur in illo tractatu de reuelatione capitis, qui legitur in appendice Cypriani operum, vbi auctor illucuſque ſinceram hiſtoriæ veritatem proſequitur: de ceteris autem, quæ illic habentur, mox differemus.

b Quando eius venerandũ caput inuentum fuit.] Iam ſuperiùs ſexto Kal. Martij commemoratio agitur, quando in Palæſtina primùm inuentum eſt præcurſoris ſacrum caput apud Herodis olim regiam. Porrò non tantũ Latini, ſed & Græci etiam ſecundam eiuſdem capitis celebrãt inuentionem, ſed alia die, viij. Kal. Iunij. Quod autem ſpectat ad hanc, de qua agimus, ſecundam inuentionem; ſcimus complures auctores eam referre ad tempora Marciani Auguſti: id enim in primis reperitur apud Marcellini Comitis chronicon, Opilione & Vincomalo Coſſ. apud Metaphraſtem in vita S. Marone die 8. Nouemb. idque Beda in Marc. c. 6. & lib. de ſex ætat. Ado in chron. itẽ tractatus ille de reuelatione capitis, qui fertur incerto auctore; ac deniq; nonnulli recentiorum, qui prædictorũ fidem ſecuti ſunt, vt Vſuard. Ado, & qui poſt hos ſcripſerunt Martyrologia. Miratus ſum vehementer, manifeſtiſſimo errori tot tantoſque auctores tam facilè ſubſcripſiſſe. Conſtat etenim iam temporibus Valentis Imp. inuentum iterùm ſacrum caput, illudque eumdem Imperatorem tentaſſe Conſtantinopolim deferre: ſed minùs licuit homini Ariano ſancta tractare; quod tamẽ eius ſucceſſor pientiſſimus Theodoſius Aug. religioſiſſimè impleuit. Id etenim tum Græci, tum Latini auctores, qui longè ante tẽpora Marcellini, vel aliorum prædictorum vixerunt, teſtatum ſuis ſcriptionibus reliquerunt, vt Sozomenus hiſt. lib. 7. cap. 21. & S. Proſper in chron. Valentiniano quartùm & Neoterio Coſſ. vbi hæc habet: Theodoſius venerabile Ioannis Baptiſtæ caput ex vico Coſlai Conſtantinopolim deportans, ſeptimo ab vrbe lapide, in baſilica, quam magno ſumptu in eius honorem erexerat, recondidit. Hos ſecuti ſunt ceteri, Niceph. lib. 12. c. 49. Cedren. in compend. an. 6. Theodoſ. Imp. Latinorum poſt S. Proſperum Sigebert. in chron. an. Domini 392. & alij. Ceterùm anno 13. Theodoſij, Domini verò 391. ſub Conſulatu Tatiani & Symmachi id cõtigiſſe, probauimus in Annalibus. Quis itaque dicere poterit, factam eſſe ſecũdam capitis inuentionem Marciano imperante, cùm ipſum illud iam fuerit à Theodoſio Imp. tranſlatum atque reconditum? Nec eſt quòd quis adhuc ſpontè dicat illud iterùm deperditum, ac tempore Marciani Imp. inuentum: nulla enim ratio id vel fingere opinatíve ſinit: nam à temporibus Theodoſij vſque ad Marcianum Conſtantinopolitana ciuitas à barbaris fuit immunis. Cuius autem fidei ſit tractatus ille de reuelatione ſeu inuentione capitis S. Ioannis Baptiſtæ, declarat cenſura Gelaſij: qui ſic ea quæ ibi ſunt, reliquit lectoris arbitrio, vt quæ vera vel falſa ſint, antè examinet, quàm probet; idque meritò: nam quæ illic in exordio conſcribuntur vſque ad dedicationem templi per Theophilum factam, à prædictis auctoribus accepta, vera certaque eſſe noſcuntur; quæ autem ſubſequuntur de capitis inuentione ſub Marciano, ex præfatis hiſtoricis refelluntur. Quod item ſubditur de

Iuranno Epiſcopo Alexandrino Theophili ſucceſſore, commentum eſſe non dubites: Cyrillus enim, & non alius, ſucceſſit Theophilo; nec aliquis in ſerie Epiſcoporum Alexandrinorum eius nominis reperitur Epiſcopus. Nec etiam alicuius eſt fidei, quòd illic dicitur, tranſlatum fuiſſe prædictum ſacrum caput Alexandriam, quod conſtat à Theodoſio delatum Conſtantinopolim, & reconditum in Hebdomo. Mittimus hîc cuncta referre, quę in illa tractatione diſplicēt, vt manifeſtę veritati contraria. Si quod itaque caput S. Ioannis (vt ibi legitur) Alexandriâ tranſlatum eſt in Gallias, non quidem Baptiſtæ fuit, ſed alterius Ioannis martyris, qui olim cum Cyro illic paſſus, illuſtriſſimus habebatur, quorum Acta ex antiquis monumentis Metaphraſtes deſcripſit die 31. Ianuarij, quæ recitat Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 1. Erat ille Ioannes patriâ Edeſſenus, ſepultuſque vnà cum Cyro, cuius domus mutata eſt in eccleſiam nomine Trium puerorū erectam, vt eadem Acta teſtantur; quæ quidem cōcinnitatem quamdam cum his quæ illic ſcribuntur de tranſlatione capitis, ac Trium puerorum ſimul cum capite conditorum, habere videntur. Legi etiam ex vita Grati Epiſcopi Auguſtenſis aliam hiſtoriam à prędictis longè diuerſam de inuentione & tranſlatione capitis S. Ioan. Bapt. ſed eiuſmodi quę nullo fulciantur teſtimonio veritatis. Nos autem (liceat dicere) prædicamus quod ſcimus, ac certa traditione didicimus. Rurſus autem Romanum Martyrologium profitetur, caput S. Ioannis Baptiſtæ Romæ aſſeruari in eccleſia S. Silueſtri in Campo Martio; pars tamen illa capitis, mentum dicta, qua illud caret, Auguſtæ Prętoriæ in finibus Subalpinorum haberi perhibetur, licet aliæ ciuitates eaſdem ſacras reliquias ſibi vendicent. ſed hæc non diſputo. Memini me legiſſe in bibliotheca S. Petri in Vaticano litteras Apoſtolicas Bonifacij Octaui Rom. Pontif. quibus elargitur indulgentias inuiſentibus prædictam eccleſiam ea die qua illud ſacratiſſimum caput in alio ornatiſſimo vaſe tunc affabrè facto repoſitum eſt intra argenteum tabernaculum, quod (vt memoria recolunt ſeniores ſanctimoniales eius monaſterij) tempore Borbonicæ cladis à militibus direptum eſt; caput autem cum ſuo vaſe, in quo hodie cernitur, ſeorſum poſitum atque abſconditum à ſacris virginibus illæſum ſeruatum fuit. Ob tam inſigne monumentum eadem ipſa eccleſia ſancti Silueſtri, ad Caput dicta repetitur, vt habes apud Mart. Polon. libel. de quatuor maioribus regnis, cùm agit de palatiis Vrbis. Non omittimus dicere, non tantùm Alexandriam ſacrarum reliquiarum præcurſoris Domini olim factam eſſe participem, ſed alias etiam vrbes, Orbiſque regiones tantis pignoribus locupletatas: eadem enim Cyrum Syriæ ciuitatem ex Palæſtina eſſe delata, ſcribit Theodoretus in Theophilo cap. 21. in Gallias inſuper ad Vaſenſem ciuitatem, ac in Mauriennam vrbem eſſe perlatas ſacras Ioannis Baptiſtæ reliquias, ſcribit Gregorius Turonenſis de glor. martyrum cap. 12. & 14. Teſtatur hoc ipſum de Maurienna Sigebertus in chronic. anno Domini 613. agitque de miraculis illic editis. Nec præterimus, ſanctum Paulinum Nolanum Epiſcopum eaſdem in Nolana baſilica condidiſſe, vt ipſe ſcribit in Natal. 9. ſancti Felicis; itemque ſanctum Gaudentium Epiſcopum Brixianum in Baſilica à ſe cōdita collocaſſe, vt idem refert in ſermone habito in dedicatione baſilicæ conc. ſanct. Porrò ſacroſanctum digitum indicem, quo Chriſtum Dominum indicauit, dicens: Ecce agnus Dei, &c. Ieroſolymis delatum eſſe in inſulam Melitam à Fratribus Hoſpitalis ſancti Ioannis, illicque magna veneratione haberi, percepi. De tranſlatione manus eiuſdem Præcurſoris Domini, hiſtoriam habes apud Surium tomo 4. ex Metaphraſte deſcriptam.

[c] Sabinæ.] De eadem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores. Recitat Surius ex Adone eius Acta, & Mombrit. tomo 2. Habemus eadem ſinceriſſima, quæ ex Actis publicis ſunt accepta: eſt illorū exordium: Illuſtris femina Sabina, &c. Vetus Romæ extat Titulus S. Sabinæ in Auentino, cuius eſt mentio in concilio primo Romano ſub Symmacho, & apud Gregor. in regiſt. lib. 9. cap. 22. & lib. 11. cap. 2. quam quidem eccleſiam Eugenius Papa Secundus exornauit, auxitque, vt conſtat ex libro de Romanis Pontificibus in Eugenio. Sunt alia innumera eiuſdem vetera monumenta.

[d] Candidæ.] De eadem Vſuardus. Reperitur in marmorea tabula, quæ eſt in eccleſia ſanctæ Praxedis, inter ceteros ibi conditos martyres deſcripta S. Candida.

[e] Nicææ & Pauli.] De his etiam in prædicto manuſcrip. antiquiſſimo Martyrologio, & Molan. in addit. ad Vſuardum.

[f] Hypatij & Andreæ.] Agunt de his etiam Græci in Menologio x. Kalend. Octobr. ibique ſæuum eorum martyrium deſcribitur, cuius quidem genus cruciamenti expreſſum etiam habes in Actis S. Stephani iunioris, quæ extant in appendice operum S. Ioannis Damaſc. & apud Sur. tom. 7. die 28. Nouembris.

[g] Euthymij.] Cuius Acta leguntur in geſtis S. Creſcentij martyris: accepimus eadem ab eccleſia Peruſina.

[h] Adelphi Epiſcopi.] Ponitur hic decimus ordine in ſerie Epiſcoporum Metenſium apud Democh. de ſacrif. Miſſ. Agit de tranſlatione eiuſdem hac die Molan. in addit. ad Vſuard. Eſt ſermo S. Petri Chryſologi 126. in natali ſancti Adelphij: an autem ſit ille de quo hîc agitur, non audeo affirmare.

[i] Mederici Epiſcopi] Agens de hoc Vſuardus hac die, appellat eum Epiſcopum, cùm tamen inter Pariſienſes Epiſcopos non recenſeatur in catal. Democh. De eodem agit Vincent. lib. 37. cap. 92. Trithem. de viris illuſtr. ord. S. Benedict. lib. 3. cap. 231. appellat eum abbatem.

[k] Sebbi Regis.] De quo plura Beda de geſt. Angl. lib. 4. cap. 11. ex quo ceteri.

[l] Baſillæ.] De ea tam in veteri Romano Martyrologio, quàm etiam in manuſcriptis.

[m] Sabinæ.] Agit de eadem hac die Vſuardus, & Petrus in catal. lib. 7. cap. 134. vbi tamen multa habentur cenſurâ digna.

Tertio

30 Tertio Kalend. Septemb. Luna. D xxv. 25.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | | | |

ROMÆ via Oſtienſi paſſio beati Felicis[a] preſbyteri, ſub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus: qui poſt equulei vexationem, data ſententia, cùm duceretur ad decollandum, obuius ei fuit quidam Chriſtianus, qui dum ſe Chriſtianum eſſe ſponté profiteretur, mox cum eodem pariter decollatus eſt. Huius nomen ignorantes Chriſtiani, Adauctum eum appellauerunt, eò quòd ſancto Felici auctus ſit ad coronam. Item Romæ ſanctæ Gaudentiæ[b] virginis & martyris, cũ aliis tribus. Ibidem ſancti[c] Pammachij preſbyteri, qui fuit doctrina & ſanctitate conſpicuus. Colonię Suffetulanæ in Africa beatorum ſexaginta[d] Martyrum, qui furore Gentilium cæſi ſunt. Adrumeti item in Africa ſanctorũ Bonifacij[e] & Theclæ, qui beatorum duodecim filiorum martyrum parentes fuerunt. Theſſalonicæ S. Fantini[f] confeſſoris, qui multa à Sarracenis perpeſſus, atque è monaſterio, in quo mira abſtinentia vixerat, expulſus, cùm plurimos ad viam ſalutis perduxiſſet, demum in ſenectute bona quieuit. In territorio Meldenſi ſancti Fiacrij[g] confeſſoris. Bononiæ ſancti Bononij[h] abbatis.

## AVGVSTI 30.

[a] FELICIS & Adaucti.] De his item Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Recitat eorum Acta Mombrit. to. 1. Habemus eadẽ manuſcrip. quæ incipiunt: Cùm feruor Diocletiani perſecutionis, &c. Ex his Petrus in catal. lib. 7. cap. 138. & alij recentiores accepiſſe noſcuntur. Erat Romæ nobile cœmeterium nomine ſanctorum Felicis & Adaucti, quod reſtituit Ioannes Papa, vt apparet ex libro de Rom. Pontificibus in Ioanne.

[b] Gaudentiæ.] Agunt de eadem Beda & Vſuar. quibus adſtipulantur vetera manuſcripta.

[c] Pammachij.] Frequẽs eſt mentio de eo apud S. Hieronymum, qui ad ipſum ſcribit epiſt. 26. 50. & 52. Fuit hic gener ſanctæ Paulæ; vxorem enim duxerat Paulinam eius filiã, vt idem S. Hieronymus ſcribit epiſt. 27. in epitaphio Paulæ; licet idem S. Hieron. in dicta epiſt. 26. & in c. 1. ſuper Amos, in Iſai. c. 60. lib. 17. & in procem. libri 18. per alluſionem filium illius appellet. Hic, defuncta Paulina vxore, monachiſmum amplexus, xenodochium conſtruxit in Portu Romano, de quo idem Hier. in dict. epiſt. 26. Primus, inquit, inter monachos, primum ſequeris Patriarcham; &c. Erexit quoque Titulum, Pammachij dictum, ſanctorum Ioannis & Pauli. Obiit diem, cùm vrbs Romana obſideretur à Gothis, vt idem refert in procem. libri 1. ſuper Ezechielem: eſt is annus à Christo, ſecundũ Faſtos Onuphrij, quadringenteſimus decimus. Inter innumeras eius virtutes illa in primis enituit, qua ſolida firmitate, iunctis manibus cum S. Hieronymo, hæreticos Romam irrepentes impugnabat: meritoque de eo S. Hieronimus in procemio in Ioëlem: Omni, inquit, arte pugnandi aduerſus diabolum dimicas, &c. Eius virtutes retexit etiam Epiſtola 30. ad Oceanum in epitaph. Fabiolæ prope finem.

[d] Sexaginta Martyrum.] De his ſcribit ſanctus Auguſtinus epiſt. 267. Paſſi ſunt hi, quando ex edictis Honorij Imperatoris, quæ recenſentur in Codice Theodoſiano tit. de Paganis, iuſſum eſt omnia ſimulacra confringi, quarum quidem legum idem Auguſt. meminit de ciuit. Dei lib. 18. cap. 54. & Proſper de prædict. cap. 16. Vide de his L. Si quæ in agris ſunt templa. eod. tit. tit. de Pagan.

[e] Bonifacij & Theclæ.] Plura de iiſdem martyribus leguntur in Actis ſanct. duodecim fratrũ, quæ apud nos manuſcripta aſſeruantur.

[f] Fantini.] Agunt de eodem hac die Græci in Menologio, reſque eius præclare geſtas referunt.

g Fia-

[g] Fiacrij.] Extant eius Acta ex manuſcrip. edita apud Sur. tomo 7. Agunt de eodem Molan. in addit. ad Vſuard. & alij.

[h] Bononij abb.] De quo etiam tab. eccleſ. Bononienſis, ex cuius antiquis monumentis eius Acta accepta, relata ſunt apud Sur. to. 7. Migrauit ex hac vita anno Domini 1026. eiuſque ſanctitatem probauit Ioannes Papa Vigeſimus. ita Sigonius: verùm ſi (vt eius Acta habent) probatio facta eſt paulo poſt mortem eius, à Ioanne Decimonono id factum oportuit: nam Ioannes Vigeſimus diu pòſt Pontifex creatus eſt.

xxiiij. E **Pridie Kal. Septemb. Luna.** 31

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | | | |

TREVIRIS natalis ſancti Paulini[a] Epiſcopi, qui tempore Arianæ infeſtationis à Conſtantio Imperatore Ariano ob Catholicam fidem exilio relegatus, & extra Chriſtianum nomen vſque ad mortem, mutando exilia, fatigatus, tandem apud Phrygiam defunctus, beatæ paſſionis coronam percepit à Domino. Item ſanctorum martyrum Robuſtiani[b] & Marci. Transaquis in Marſis ad lacum Fucinum natalis ſanctorum martyrum Cæſidij[c] presbyteri, & ſociorum, qui in perſecutione Maximini martyrio coronati ſunt. Cæſareæ in Cappadocia ſanctorum Theodoti[d], Rufinæ, & Ammiæ: quorum duo primi ſancti Mamantis martyris parentes fuerunt, quem Rufina in carcere peperit, & Ammia educauit. Athenis ſancti Ariſtidis[e], fide & ſapientia clariſſimi: qui Hadriano Principi de religione Chriſtiana volumen obtulit, noſtri dogmatis continens rationem, & quòd Chriſtus Ieſus ſolus eſſet Deus, præſente ipſo Imperatore luculentiſſimè perorauit. Antiſiodori ſancti Optati[f] Epiſcopi & confeſſoris. In Anglia S. Aidani[g] Epiſcopi Lindisfarnenſis, cuius animam cùm ſanctus Cutbertus ouium paſtor in cælum ferri vidiſſet, relictis ouibus, factus eſt monachus. Apud Nuſcum ſancti Amati[h] Epiſcopi.

## A V G V S T I 31.

[a] PAVLINI Epiſcopi.] De eodem Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri omnes hac die. Hic in exilium miſſus eſt à Conciliabulo Arelatenſi anno vigeſimo Conſtantij Imp. vt ſcribit S. Hieronymus in chron. qui etiam ſubdit, eumdem anno vigeſimo-tertio eiuſdem Imp. in exilio vita functum eſſe. Agunt de eodem ſanctus Athanaſius in apologia de fuga ſua, Hilarius in libel. ad Conſtantium, Liberius Papa in epiſtola ad Lucif. Calarit. Seuerus hiſt. lib. 2. & Caſſiod. lib. 5. cap. 15. Eius venerandum corpus Treuiros relatum eſt, & in crypta vnà cum ſanctis martyribus conditum; ac demum anno à Chriſto Domino milleſimo ſeptuageſimoprimo repertum fuit, vt Sigebertus ſcribit in chron. his verbis: Treuiris in eccleſia S. Paulini, in crypta ſubterranea, inuenitur corpus eiuſdem S. Paulini, quod olim è Phrygia, vbi exulauerat, reportatum, ibi à Felice Epiſcopo catenis ferreis fuerat ſuſpenſum: & iuxta eum multa corpora ſanctorum; ad dexteram ſcilicet eius Palmatius Conſularis & Patricius Treuirorum; ad ſiniſtram Tyrſus vnus de principibus Thebææ legionis, cum multis Thebæorum in hac vrbe à Rictiouaro martyrizatis: ad caput ſeptem ſenatores Vrbis, Maxentius, Conſtantius, Creſcentius, Iuſtinus; & tres fratres, Leander, Alexander, & Soter; ad pedes Hormiſda, Papirius, Conſtans, & Iouinianus: & cùm multi alij ibi iacerent, horum tantùm nomina & tempus paſſionis auteæ litteræ in pariete ſcriptæ ſignabant, eóſque omnes ſub Rictiouaro paſſos fuiſſe docebant. Hæc ille.

[b] Robuſtiani & Marci.] De his Rom. vetus

tus Martyrolog. cui adſtipulantur antiqua manuſcripta.

[c] Cæſidij & ſoc.] De quo diximus ſuprà tertio Idus Auguſti, cùm de Rufino Epiſcopo actum eſt. Celebris eſt eius memoria Tranſaquis apud Fucinum lacum, vbi & multis quotidie miraculis illuſtratur: inde enim maternum nos genus ducentes, res teſtatas atque expertas loquimur.

[d] Theodoti & ſoc.] Agunt de iiſdem Græci, quorum Acta iuncta ſimul cum illis S. Mamantis recitat Metaphraſtes: extant apud Sur. tom. 4. die 17. Auguſti.

[e] Ariſtidis.] De quo hîc Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Scribit de Ariſtide Euſebius in chron. anno 9. Hadriani Imp. & hiſt. lib. 4. cap. 3. & 5. Hieronymus de ſcript. Eccleſ. & in epiſt. 84. ad Magnum oratorem.

[f] Optati Epiſcopi.] De eodem hac die Vſuard. Errore labitur Petrus in catalog. dum putat hunc eſſe Optatum illum Mileuitanum Epiſcopum, de quo ſuperiùs actum eſt. Ille etenim Mileui in Numidia, hic autem Antiſiodori in Galliis vixit, atque decimusquartus numeratur eius ſedis Epiſcopus, ſucceſſorque ſancti Gregorij: vixit temporibus Iuſtiniani Imp. vt ex tabulis eius eccleſiæ conſtat, quas Demochares edidit.

[g] Aidani Epiſcopi.] Huius res geſtas proſecutus eſt Beda de geſt. Angl. lib. 3. c. 3. 5. 14. vſque ad 17. vbi agitur de eius obitu. De eodem meminit in vita ſancti Cutberti cap. 4. Exceſſit ex humanis (vt idem ſcribit in Epitome) anno Domini ſexcenteſimo quinquageſimoprimo.

[h] Amati Epiſcopi.] Scripſit eius res geſtas Felix Renda, Prior monaſterij montis Virginis. Migrauit ex hac vita anno Domini 1193. Cæleſtino Tertio Romano Pontifice.

# SEPTEMBER.

1 Kalendis Septemb. Luna. F xxiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | | | |

IN prouincia Narbonenſi ſancti Ægidij [a] abbatis & confeſſoris. Beneuenti ſanctorum martyrũ duodecim [b] fratrum. In Palæſtina ſanctorum Ioſue [c] & Gedeonis [d]. Ieroſolymis beatæ Annæ propheti ſſæ, cuius ſanctitatem ſermo Euangelicus prodit. Capuæ via Aquaria ſancti Priſci [f] martyris, qui fuit vnus de antiquis Chriſti diſcipulis. Rhemis in Gallia ſancti Xyſti [g] diſcipuli beati Petri Apoſtoli, qui ab eo primus eiuſdem ciuitatis Epiſcopus cõſecratus, ſub Nerone martyrij coronam accepit. Tuderti in Vmbria ſancti Terentiani [h] Epiſcopi & martyris, qui ſub Hadriano Imperatore, Lætiani Proconſulis iuſſu, equuleo & ſcorpionibus cruciatus, demum abſciſſa lingua, capitis damnatus, martyrium compleuit. Heracleæ ſancti Ammonis [i] diaconi, & ſanctarum quadraginta Virginum, quas ille erudiuit in fide, & ſub Licinio tyrãno ad martyrij gloriam ſecum perduxit. In Hiſpania ſanctorum martyrum Vincentij [k] & Læti. Populonij in Tuſcia ſancti Reguli [l] martyris, qui ex Africa veniens, ibi ſub Totila martyrium conſummauit. Apud Senonas beati Lupi [m] Epiſcopi & confeſſoris, de quo refertur, quòd quadam die, dum præſente clero ſacris altaribus adſtaret, lapſa eſt cælitus gemma in eius calicem ſanctum. Capuæ item alterius Priſci [n] Epiſcopi, qui vnus fuit ex illis ſacerdotibus, qui in perſecutione Vuandalorum ob fidem Catholicam variè afflicti & vetuſtæ naui impoſiti, ex Africa ad Campaniæ litora peruenerunt, & Chriſtianam

diſci-

diſciplinam, in iis locis diſperſi, diuerſiſque eccleſiis præfecti, mirificè propagarunt. Fuerunt autem eius ſocij, Caſtrenſis, Tammarus, Roſius, Heraclius, Secundinus, Adiutor, Marcus, Auguſtus, Elpidius, Canion, & Vindonius. Apud Aquinum ſancti Conſtantij [o] Epiſcopi, prophetiæ dono, multiſque virtutibus clari. Apud Cenomanos ſancti Victorij [p] Epiſcopi. In territorio Conſtantienſi ad Aquas duras ſanctæ Verenæ [q] virginis.

## SEPTEMBRIS 1.

AEGIDII abb [a].] De quo etiam Bedę & Adonis Martyrologia. Ferunt ſcripſiſſe vitam eius Fulpertum Epiſcopum Carnotenſem. Habemus eius Acta manuſcripta incerto auctore. incipiunt: Sanctus Ægidius natione Græcus, &c. Agunt de eodem Vincent. lib. 25. cap. 139. Antonin. 2. par. tit. 13. cap. 6. §. 33. Petrus in catal. lib. 8. cap. 15. Trithem. de vir. illuſtr. ordin. S. Bened. lib. 2. c. 2. & lib. 3. c. 162. Claruiſſe teſtatur Sigeb. in chron. anno Domini 715. ſed errat: nam (vt ex eius vita apparet) conſtat vixiſſe temporibus Cęſarij Epiſc. Arelatenſis, qui claruit temporibus Clodouei Regis Franc. & Theodorici Regis Italiæ, vt notauimus ſuperiùs die 27. Auguſti, in Cæſario.

[b] Duodecim fratrum.] De bis agitur in ver. Rom. Martyrologio, cui adſtipulantur etiam antiqua manuſcripta. Scripſit horum Acta carmine heroico Alfanus Epiſcopus Salernitanus, quæ in ſeptimo tomo addito ad Surium deſcripta habentur. Habemus eadem ſoluta oratione charactere Longobardo ſcripta. In quibus omnibus corrigenda ſunt, quæ in eis de ſancto Cypriano martyre narrantur: longè enim ante tempora Maximiani, quibus hi paſſi dicuntur, vixit ſanctiſſimus Cyprianus: niſi fortè in iiſdem Actis in nomen Imperatoris error irrepſit, & pro Valeriano, ſit poſitus Maximianus. Fuerunt hi omnes Afri, patria Adrumetini, qui illic primùm cruciati, inde in Italiam ducti, diuerſis diebus martyrium conſummarunt.

[c] Ioſue.] De quo præter ea quæ habentur in ſacris voluminibus, agit Ioſephus antiquit. lib. 5. & ſequent. Adnumerabatur olim Ioſue inter Prophetas, ſecundùm Epiphan. in Panar. hæreſ. 66. prope finem. Vſque ad tempora S. Hieronymi (mirum dictu) extabat ſepulchrum Ioſue in monte Ephraim, quod S. Paula, circuiens loca ſacra, venerata eſt, vt idem S. Hieronymus in epitaphio Paulæ epiſt. 27. ſcribit his verbis: Sepulchra quoque in monte Ephraim Ieſu filij Naue, & Eleazari filij Aaron ſacerdotis è regione venerata eſt; quorum alter conditus eſt in Tamath ſare à Septemtrionali parte montis Gaas, alter in Gabaa filij ſui Phinees.

[d] Gedeonis.] De eodem vnà cum Ioſue hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri recentiores. Eius Acta narrantur in lib. Iudic. cap. 7. & 8. Adnumeratur inter laudatiſſimos viros à Paulo in epiſtola ad Hebræos cap. 11. De eo Ioſephus antiquit. lib. 5. cap. 9. Iſidor. de vita & morte Sanctorum.

[e] Annæ prophetiſſæ.] De qua Luc. Euang. c. 2. vbi . Ambroſius, qui & in lib. de viduis plura de eadem; & S. Hieronymus epiſt. 10. ad Furiam de viduitate ſeruanda, & alij. Agunt de eadem hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri Latinorum, Græci autem in Menologio ad 5. Kal. Septemb.

[f] Priſci.] Agunt de eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij; teſtanturque ſimul, hunc fuiſſe ex numero ſeptuagintaduorum diſcipulorum. Pluribus de eo Pet. in catal. lib. 8. c. 17.

[g] Xyſti.] Vſuardus & Ado de eodem hac die. Húc fuiſſe primum Rhemenſis ſedis Epiſcopum, tabulæ eius eccleſiæ, quas deſcripſit Democh. planè ſignificant; teſtantur id ipſum Vſuardus, & alij. Sueſſionenſis quoque eccleſiæ ponitur primus Epiſcopus Xyſtus tempore Neronis, in tab. eiuſdem eccleſiæ apud Democh.

[h] Terentiani Epiſcopi.] De quo etiam tabulæ eccleſiæ Tudertinæ, vnde eius Acta manuſcripta accepimus. In Breuiario Capuano item eiuſdem martyrium deſcribitur.

[i] Ammonis & ſoc.] De his etiam Græci hac die in Menologio, vbi eorum martyrium recenſetur. Legem Licinij Imp. cuius auctoritate hi omnes necati ſunt, recitat Euſebius in vita Conſtantini lib. 1. c. 46. Fuit eiuſdem nominis egregia ſanctitate monachus, de quo Græci agunt quarto Nonas Octobr. cuius animam in cælum deferri vidit Antonius, vt ſcribit Athan. in vita Anton. Plura de eo in Vit. Patr. c. 30. Suidas, & alij. Alius ab eo eſt diuerſus, qui fuit Origeniſta, de quo Hieronymus ad Cteſiphontem.

[k] Vincentij & Læti.] Agitur de iiſdem hac die in Breuiario Toletano.

[l] Reguli.] Extant de eius martyrio Acta manuſcripta, in quibus eum fuiſſe in Africa Epiſcopum, & in Italiam venientem, in Tuſcia ſub Totila occubuiſſe martyrio, expreſſum habetur. In iiſdem in fine hæc deſcripta habentur: Cuius digniſſimam ſanctitatem beatus Beda conſiderans, etiam memoriam facere curauit in Martyrologio ſuo, quod verſibus hexametris compoſuit, dicens:

*Septembris Regulus tenet, orditurq; Kalendas,*
*Regulus antiſtes, ſibi qui caput enſe peremptum*
*Portauit binis Chriſto ſtadiis faciente.*
*Cuius reliquias nunc vrbs Lucenſis adorat.*

Hæc ibi. Porrò Bedæ quod citatur Martyrologium metricè ſcriptum, excidiſſe videtur: nam quæ dicuntur Ephemerides Bedæ, alterius auctoris eſſe noſcuntur.

[m] Lupi Epiſc.] De quo item Beda, Vſuardus, Ado. Extant eius res geſtæ, quas recitat Sur. tomo 5. Agunt de eodem Sigeb. in chron. anno Domini 616. Vincent. lib. 23. c. 9. & 10. Petrus in catal. lib. 8. c. 20. Adnumeratur inter Epiſcopos Seno-

Google

nenſes viceſimus ordine in tabulis Democh.

[n] Priſci Epiſcopi. ] Tam de Priſco, quàm de collegis, quorum hîc nomina notantur, agitur in vita S. Caſtrenſis Epiſcopi, quam manuſcriptam accepimus, eſt eius exordium: Textus ſacræ hiſtoriæ edocet, &c. cuius ſuperiùs meminimus, cùm de ipſo egimus. Quiſquis fuerit eius auctor, conſtat quidem inſcitiâ rerum ac temporum, nonnulla veritati contraria admiſcuiſſe, vt ea quæ in eius principio leguntur de Valente & Valentiniano Auguſtis, quos dicit acerbiſſimè Dei Ecclesiam perſecutos eſſe, eorumque auctoritate hos ſanctos Epiſcopos Africâ pulſos, nauique carioſæ impoſitos, ac maris tempeſtati commiſſos. De Valente nulla eſt dubitatio, ipſum Arianorum patronum in Catholicos ſæuiſſe: verùm ille Orientale tantũ adminiſtrauit Imperium, atque Orientalium tantummodò vexauit Eccleſiam. Valentinianus autẽ germanus eius, qui eodem tempore Occidentalis Imperij regebat habenas, pius fuit & Orthodoxus, ſub cuius dirione (haud dubium) erat prouincia Africana. Quæ itaq; in perſecutione Vuandalica facta ſunt, quando etiam S. Quoduultdeus Carthaginenſis Epiſcopus, (vt ſcribit Victor lib. 1. de perſec. Vuandal.) vnà cum ſuis, pari diſcrimine nauibus fractis impoſitus, pelago creditus eſt; vel quæ id genus à ſucceſſoribus Regibus Vuandalorum ſunt perpetrata, ea ipſa inconſultè admodum auctor ille Valentiniano atque Valenti Imperatoribus adſcripſit. Iure itaque hæc in perſecutione Vuandalica facta eſſe, docet Romanum Martyrologium.

[o] Conſtantij Epiſc. ] De eo ſcribit S. Greg. lib. 2. dialog. cap. 16. vbi demonſtrat, eum vixiſſe temporibus S. Benedicti, rurſumque lib. 3. cap. 8. vita functũ refert temporibus Ioãnis Papæ. Scripſit vitam eius Petrus diaconus bibliothecarius Caſſinenſis (vt teſtatur Petrus diac. lib. de vir. illuſtr. monaſt. Caſſin. c. 45.) ſed non extat: Alter fuit Conſtantius, ſiue Conſtantinus (vtroque enim nomine appellatum lego) eiuſdem ciuitatis Epiſcopus, qui interfuit Romano Concilio ſub Hilaro Papa, & alio ſub Felice habito, Boëtio Conſule: cui ſucceſſit Aſterius, qui adfuit Symmacho Papæ aduerſus Laurentium ſchiſmaticum, vt conſtat ex Actis Conciliorum Roman. ſub Symmacho.

[p] Victorij Epiſcopi. ] Agunt de eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, atque alij recentiores. Succeſſit hic S. Liborio eiuſdem ſedis Epiſcopo, quintus ordine, ſeditque annos 24. menſes 7. dies 13. vt conſtat ex tab. eius eccleſiæ, quas deſcripſit Democh. lib. de ſacrif. Miſſæ. Agit de eo Greg. Turonenſis de glor. confeſſ. cap. 56. Claruit temporibus Theodoſij Imp. notiſſimus ſancto Martino, vt apparet ex his quæ de eo hîc Beda ſcribit in Martyrologio. Eius Acta manuſcripta Leobiis extare, tradit Molanus.

[q] Verenæ. ] De qua Beda hac die, & alij recentiores. De alia, Verona dicta, virgine ſanctimoniali, agit Molanus in Indic. Sanct. Belgij, & in addit. ad Vſuard. ad quartum Kal. Septembris.

## 2 Quarto Nonas Septemb. Luna. G xxij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | | | |

ROMÆ ſanctæ Maximæ [a] martyris, quæ vnà cum ſancto Anſano Chriſtum confeſſa, in perſecutione Diocletiani, dum fuſtibus cæditur, reddidit ſpiritum. Pamiæ in Gallia ſancti Antonini [b] martyris, cuius reliquię in eccleſia Palentina magna veneratione aſſeruantur. Item ſanctorum martyrum Diomedis [c], Iuliani, Philippi, Eutychiani, Heſychij, Leonidis, Philadelphi, Menalippi, & Pantagapæ: quorum alij igne, alij aqua, enſe alij & cruce martyrium compleuerunt. Nicomediæ ſanctorum martyrum Zenonis [d], Concordij, & Theodori filiorum eius. Eodem die paſſio ſanctorum Euodij [e], Hermogenis, & Calliſtæ germanorum. Lugduni in Gallia natalis ſancti Iuſti [f] Epiſcopi & confeſſoris, mirę ſanctitatis & prophetici ſpiritus viri. Hic Epiſcopatui cedẽs, & in eremum Ægypti vnà cum Viatore lectore ſuo ſecedens, cùm aliquot annis proximam angelis vitam egiſſet, & dignus ſuorum laborum finis adueniſſet, coronam iuſtitiæ percepturus migrauit ad Dominum pridie Idus Octobris: cuius ſanctum corpus vnà cum oſſibus

beati Viatoris eius miniſtri Lugdunũ poſteà hac ipſa die relatum fuit. Ibidem ſancti Elpidij [g] Epiſcopi & confeſſoris. In Piceno item ſancti Elpidij [h] abbatis, cuius nomine oppidum appellatum, ſacrum eius corpus ſe poſſidere congaudet. In monte Soracte ſancti Nonnoſi [i] abbatis, qui oratione ſua ingentis molis ſaxum tranſtulit, aliiſque miraculis coruſcauit.

## SEPTEMBRIS 2.

MAXIMÆ [a].] Agitur de ea etiam in vet. manuſcriptis, necnon in Actis S. Anſani martyris, & apud Petr. in catal. lib. 1. cap. 14.

[b] Antonini.] De quo item Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores. Extant eius Acta apud Mombritium tom. 1. & Petrum in catalogo lib. 8. cap. 24. Paſſus eſt autem non Apameæ in Syria, vt multi opinati ſunt; ſed Pamiæ apud Toloſam, vt conſtat ex tabulis eccleſiæ Palentinæ, in qua eius dies natalis ſolemniter agitur, vbi ſacræ corporis eius reliquiæ requieſcunt.

[c] Diomedis & ſoc.] Agunt de his prætereà Græci in Menologio, illicque eorum martyrij Acta deſcribuntur.

[d] Zenonis & ſoc.] De his tabulæ eccleſiæ Capuanæ, in cuius veteri Breuiario eorum martyrium recenſetur.

[e] Euodij & ſoc.] Græci itidem agunt de his hac die in Menologio, vbi breui compendio Acta ipſorum narrantur.

[f] Iuſti Epiſcopi.] De quo Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores. Habentur res geſtæ ipſius apud Surium tom. 5. hac die. Agit de eodem Ado Vienenſis in chronico anno Domini trecenteſimo ſeptuageſimonono. Hic ille Iuſtus, qui pro omnibus Gallicanis Epiſcopis interfuit legatus Concilio Aquileienſi, temporibus Gratiani Imperatoris: ponitur eius ſedis Epiſcopus decimustertius ordine in tabulis Epiſcoporum Lugdunenſium, quas recitat Democh. lib. de ſacrif. Miſſæ.

[g] Elpidij Epiſc.] Agunt de eodem Beda, ac ceteri qui ſuprà, Petrus etiam in catal. lib. 8. cap. 27. Numeratur eiuſdem ſedis Epiſcopus decimuſſeptimus in eiuſdem tabulis.

[h] Elpidij abb.] De quo & Petrus in catal. lib. 8. cap. 28. cumque Cappadocem genere fuiſſe ſcribat, illum eſſe putamus, de quo præclara Palladius narrat cap. 37. Eſt celebris memoria huius in Piceno: nam præcipuè colitur in oppido quod ab eius nomine S. Elpidius appellatur. Fuit præterea alius Elpidius doctrina & egregiis operibus nobilis, qui temporibus Conſtantij Aug. functus eſt legatione in Oriente aduerſus Arianos, miſſus à Iulio Rom. Pontifice, vt patet ex eiuſdem litteris, quæ extant apud Athanaſium. Scribit Sigebertus, ſacras reliquias S. Elpidij, ſocij S. Eutychij Epiſcopi, à regione Marſorum tranſlatas eſſe in Gallias anno Domini 969. Hæc ipſe in chron. eo anno.

[i] Nonnoſi abb.] Eius res geſtas S. Gregorius Papa conſcripſit lib. 1. dialog. cap. 7. Meminit eiuſdem in regiſtr. lib. 2. epiſt. 50. Ind. 11. cap. 89.

xxj. A Tertio Nonas Septemb. Luna. 3

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27
t u A B C D E f F G H M N P
28 29 30 1 2 3 4 5 5 6 7 8 9 10

ROMÆ ſanctæ Serapiæ [a] virginis, quæ ſub Hadriano Principe cùm eſſet tradita [b] duobus laſciuis iuuenibus, & minimè potuiſſet illudi, nec poſtmodum ardentibus facibus inflammari, iuſſu Berilli Iudicis fuſtibus cæſa, dehinc gladio decollata eſt. Paſſa eſt autem quarto Kalendas Auguſti, & à beata Sabina in ſuo monumento iuxta [c] aream Vindiciani ſepulta; ſed memoria ipſius martyrij hac die celebrior habetur, quando ambarum ſarcophagum ibi compoſitum & ornatum fuit, & locus orationis condignè dicatus. Corinthi natalis ſanctæ Phœbes [d], cuius meminit beatus Apoſtolus Paulus ad Romanos ſcribens. Aquileiæ ſanctarum virginum & martyrum Euphemiæ [e], Dorotheæ, Theclæ, & Eraſmæ,

quæ

quæ ſub Nerone poſt multa ſupplicia gladio cæſæ ſunt, & à ſancto Hermagora ſepultæ. Capuæ ſanctorum martyrum Ariſtæi [f] Epiſcopi, & Antonini pueri. Nicomediæ paſſio ſanctæ Baſiliſſæ [g] virginis & martyris, quæ annos nouem nata, cùm in perſecutione Diocletiani ſub Alexandro Præſide verbera, ignes, ac beſtias diuina virtute ſuperaſſet, in oratione ſpiritum Deo reddidit. Item ſanctorum martyrum Zenonis [h] & Charitonis, quorum alter in lebetem liquati plumbi coniectus eſt, alter in fornacem ignis immiſſus. Cordubæ ſancti Sandali [i] martyris. Eodem die natalis ſanctorum martyrum Aigulphi [k] abbatis Lirinenſis, & ſociorum monachorum, qui, præciſis linguis, oculiſque effoſſis, gladio obtruncati ſunt. Tulli in Gallia ſancti Manſueti [l] Epiſcopi & confeſſoris. Mediolani depoſitio ſancti Auxani [m] Epiſcopi. Eodem die ſancti Simeonis [n] Stylitæ iunioris. Romæ ordinatio [o] incomparabilis viri ſancti Gregorij Magni in Summum Pontificem; qui onus illud ſubire coactus, è ſublimiori throno clarioribus ſanctitatis radiis in Orbe refulſit.

## SEPTEMBRIS 3.

[a] SERAPIÆ. ] De eadem Beda, Vſuardus, Ado, & alij ex Actis S. Sabinæ, de quibus ſuperiùs quarto Kal. Aug. & Sur. tom. 5. hac die, extantque eadem vberiùs manuſcript. apud nos, eſtque illorum exordium: Cùm dies, &c.

[b] Iuxta aream Vindiciani. ] Aream hîc accipias locum ipſum vbi ſepeliretur defuncti Chriſtiani. Habes apud Tertullianum ad Scapulam hæc verba: Sub Hilarino Præſide, cùm de areis ſepulturarum noſtrarum acclamaſſent: Areæ non ſint, Areæ ipſorum non fuerunt: meſſes enim ſuas non egerunt. hæc ibi idcircò, quoniam dictæ ſunt etiam areæ loca illa ad trituram ſegetum compoſita. De area ſepulchrorum, quæ & nos cœmeteria dicimus, habes etiam in Actis paſſionis ſancti Cypriani in fine hæc poſita: Eius corpus propter Gentilium curioſitatem in proximo poſitum eſt cum cereis & ſcholaribus in areis Macrobij Candidi procuratoris.

[c] Tradita duobus laſciuis iuuenibus. ] Sæpiùs reperies, Chriſtianas virgines, cū necandæ eſſent, anteà in diſcrimen eſſe poſitas caſtitatis; ſed Deus, cuius nutu omnia reguntur, eas ſaluo pudore voluit immolari. Habes apud Suetonium, more antiquo Romanorum nefas fuiſſe, virgines violenta morte necare, atque idcircò antè conſtuprandas curare. hæc enim idem Suetonius in Tiberio c. 61. ait: Immaturæ puellæ, quia (more tradito) nefas eſſet virgines ſtrangulari, vitiatæ priùs à carnifice, deinde ſtrangulatæ. Hæc ille. Habes hoc ipſum ex Dione lib. 56. necnon ex Tacito lib. 5. cùm agunt de Seiani filia morti addicta. Verùm eiuſmodi ſcelus antiquatum iam fuiſſe videtur, cùm reperiantur quamplurimæ virgines Romæ paſſæ martyrium abſque aliquo pudoris illato detrimento.

[d] Phœbes. ] De qua Paul. ad Rom. c. 16. Agūt de eadē hac die Beda, Vſuardus, & alij recētiores.

[e] Euphemiæ & ſoc. ] De his vet. manuſcript. ex quibus Molanus, & Galeſinius hac die; licet in tabulis eccleſiæ Aquileienſis, quas manuſcript. accepimus, agi de his repererimus ad xiij. Kal. Octob. Plura de iiſdem leguntur in Actis S. Hermagoræ Epiſcopi, ex quibus Petrus in catal. lib. 8. cap. 29. & Hier. Rub. lib. 1. hiſt. Rauen.

[f] Ariſtæi & Antonini. ] Beda & Vſuardus, qui de his agunt hac die, horum Acta extare teſtantur, ſed excidiſſe putamus: quandoquidem nec in ſua ipſorum eccleſia reperiuntur; vbi, omiſſo Ariſtæo, tantùm de Antonino agi reperimus in eius Breuiario. hinc ducimur coniectura, ob innumeras bellorum clades, illius nobiliſſimæ eccleſię monumenta eſſe deperdita.

[g] Baſiliſſæ. ] Agunt de eadem hac die Græci in Menologio, quod citare conſueuimus, vbi & eius martyrium enarratur.

[h] Zenonis & Charitonis. ] Iidem qui ſuprà in eodem Menologio de his agunt ſeorſum, quaſi indicantes, non vnà ſimul, ſed diuerſis in locis eadem die paſſos eſſe.

[i] Sandali. ] De quo mentio habetur in Flore Sanct. Hiſp. ex monumentis eccleſię Cordubēſis.

[k] Aigulphi & ſoc. ] Horum Acta ſincerè deſcripta refert Sur. to. 5. Paſſi ſunt circa annū Domini 660. Sigeber. autem ponit in chron. an. 651.

[l] Manſueti Epiſc. ] Agit de eodem hac die Ado. Ponitur hic primus eius eccleſię Epiſcopus, ac S. Petri Apoſtoli diſcipulus.

[m] Auxani Epiſc. ] De quo tabul. eccleſ. Mediolan. ex quibus etiam Galeſinius hac die.

[n] Simeonis Iunioris. ] Græci autem in Menologio de eodem agunt, ac matre eius Martha Kal. Septemb. De duobus Simeonibus, iiſdemque Stylitis, conſule notata ſuperiùs in Simeone ſeniore, Nonis Ianuarij. Moritur hic ſub Mauritio Imp. vt auctor eſt Euagr. hiſt. lib. 6. cap. 22.

[o] Ordinatio, &c. ] De eadem S. Gregorij



Digitized by Google

ordinatione in vet. Rom. Martyrol. & aliquibus manuſcrip. agitur. In hanc diem transferebatur ètiam natalis eius, cùm Quadrageſimali tempore de Sanctis agi vetitum eſſet, vt ſcribit Radulph. de obſeru. can. cap. 16. De eadem ordinatione Gregorius Turonen. hiſt. Franc. lib. 10. cap. 1. Paul. diac. de geſt. Longob. lib. 3. cap. 11. Ioan. diac. lib. 1. c. 37. 38. 39. in vita S. Gregor. Ipſemet Gregorius frequenter cum gemitu lib. 1. & 2. regiſt. meminit de ſua ordinatione. Quod ad tempus ſpectat, contigit ordinatio S. Gregorij Indictione nona inchoante, anno quinto Mauritij Imperatoris: eſt is annus Domini quingenteſimus nonageſimus, vt ex eius regiſtro epiſtolarum apertè colligitur, & fuſiùs monſtrauimus in Annal. Eccleſiaſticis.

## xx. B Pridie Nonas Septemb. Luna. 4

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ

12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28

t u A B C D E f F G H M N P

29 30 1 2 3 4 5 6 6 7 8 9 10 11

In monte Nebo terræ Moab ſancti Moyſis[a] legiſlatoris & Prophetæ. Ancyræ in Galatia natalis ſanctorum trium puerorum Rufini[b], Siluani, & Vitalici martyrum. Cabilone in Gallia S. Marcelli[c] martyris ſub Antonino Imperatore, qui cùm à Præſide Priſco ad profanum conuiuium fuiſſet inuitatus, & huiuſmodi epulas execrans, omnes qui aderant, cur idolis deſeruirent, libera increpatione corriperet, ab eodem Præſide inaudito crudelitatis genere, cingulo tenus defoſſus eſt in terra, ſicque triduo in laudibus Dei perſeuerans, incontaminatum ſpiritum Deo reddidit. Eodem die ſanctorum martyrum Magni[d], Caſti, & Maximi. Treuiris ſancti Marcelli[e] Epiſcopi & martyris. Eodem die ſanctorum Thamelis[f], anteà idolorum ſacerdotis, & ſociorum martyrum ſub Hadriano Imperatore. Item ſanctorum martyrum Theodori[g], Oceani, Ammiani, & Iuliani, qui ſub Maximiano Imperatore diſſectis pedibus in ignem coniecti, martyrium conſummarunt. Arimini ſancti Marini[h] diaconi. Neapoli in Campania natalis ſanctæ Candidæ[i], quę ſancto Petro ad eam vrbem venienti prima occurrit, atque ab eo baptizata, poſteà ſancto fine quieuit. Ibidem ſanctæ[k] Candidæ iunioris, miraculis claræ. Viterbij ſanctæ Roſæ[l] virginis.

## SEPTEMBRIS 4.

Græci uero in libro qui ... psis inscribitur Seder ... m Rabba dicunt Mo... m obijsse die septima ... s februarij. Vide ... apud Genebrard... suæ Chronologiæ ... initio

[a] Moysis.] Agunt de eodem hac die non tantùm Latini omnes, ſed & Græci in Menologio. Frequentiſſimè de eo in diuinis Scripturis, & in Ioſepho hiſtorico; & Philone, aliiſque innumeris Hebræorum, Latinorum, ac Græcorum ſcriptoribus tam ſacris, quàm profanis; quos enumerare, ſuperuacaneum ducimus.

[b] Rufini & ſoc.] De his item Beda, Vſuardus, & alij recentiores, conſentiuntque vetera manuſcripta.

[c] Marcelli.] Beda, Vſuardus, Ado, & Petrus in catal. lib. 8. cap. 37. Eius Acta fuſiùs ſcripta extant apud Sur. tom. 5. De eadem feſtiuitate hoc item tempore ſolita olim celebrari meminit Gregor. Turonenſis de geſt. Franc. lib. 9. cap. 3. & de glor. mart. c. 53. De eius baſilica erecta à Gunthramno Rege, vide apud Gregor. Turon. de geſtis Franc. lib. 11. c. 2. in appendice.

[d] Magni & ſoc.] Vſuardus hac die de Magno & Caſto tantùm. De Maximino in antiq. Roman. Martyrol. & aliis manuſcriptis. De tranſlatione corporis S. Magni martyris, deque eius reliquiis reconditis in eccleſia ſancti Michaelis Archangeli prope Vaticanum tempore Leonis Quarti Romani Pontificis, docet vetus inſcriptio marmori inciſa, in eadem collocata.

[e] Marcelli Epiſc.] Alicubi Marcellinus, vt in tabul. Epiſc. Treuiren. quas habet Democh. de ſacrif. Miſſæ, vbi adſcribitur vigeſimus eius ſedis Epi-

Epiſcopus. Agit de eodem hac die Molan. in addit. ad Vſuardum.

[f] Thamuelis & ſoc.] Gręci item de his agunt in Menologio hac die, recitantq; ipſorum martyriū.

[g] Theodori & ſoc.] De his etiam Græci vbi ſuprà in Menologio.

[h] Marini diac.] Vet. manuſcrip. ſed alicubi Maurus pro Marino ponitur. Habes eius res geſtas apud Petrum in catal. lib. 8. c. 36.

[i] Candidæ.] Hæc ſenior, quæ vixit Nerone Imperatore, cuius Acta typis excuſa legi. Plura de eadem in vita ſancti Aſpren Epiſcopi Neapolitani nuper à Paulo Regio edita.

[k] Candidæ Iunioris.] Claruit temporibus Mauricij Auguſti, vt apparet in veteri inſcriptione in ſepulchro eius marmoreo ſcripta, in eccleſia S. Andreæ ad Nidum poſita. Eius etiam res geſtæ atque miracula iam typis excuſa habentur.

[l] Roſæ.] Accepimus eius Acta ab eccleſia Viterbienſi, cui de ea ſolemnem diem agere, decreto Romani Pontificis eſt conceſſum. Eſt eorum exordium: Inter alias, &c. Claruit temporibus Federici Imperatoris, peruenitque vſque ad tempora Alexandri Papæ Quarti.

## 5 Nonis Septemb. Luna. C xix.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ

13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29

t u A B C D E f F G H M N P

30 1 2 3 4 5 6 7 7 8 9 10 11 12

ROMÆ in ſuburbano beati Victorini [a] Epiſcopi & martyris, qui ſanctitate & miraculis clarus, ſacerdotium Amiterninæ vrbis, totius populi electione adeptus eſt: poſtmodum ſub Nerua Traiano apud Cutilias, vbi putentes & ſulphureæ emanant aquę, cum aliis Dei ſeruis relegatus, ab Aureliano Iudice iuſſus eſt ſuſpendi capite deorſum: quod cùm per triduum pro nomine Chriſti paſſus fuiſſet, glorioſè coronatus, victor migrauit ad Dominum: cuius corpus Chriſtiani rapientes, honorifica ſepultura Amiterni condiderunt. Item in Portu Romano natalis ſancti Herculani [b] martyris. Capuæ ſanctorum martyrum Quinctij [c], Arcontij, & Donati. Eodem die ſancti Romuli [d], aulæ Traiani præfecti, qui cùm ſæuitiam Imperatoris in Chriſtianos deteſtaretur, cæſus virgis, capite truncatus eſt. Melitine in Armenia paſſio ſanctorum militum Eudoxij [e], Zenonis, Macarij, & ſociorum mille centum & quatuor, qui abiicientes militiæ cingulum, in perſecutione Diocletiani pro confeſſione Chriſti necati ſunt. Conſtantinopoli ſanctorum martyrum Vrbani [f], Theodori, Menedemi, & ſociorum ſeptuagintaſeptem eccleſiaſtici ordinis, qui à Valente Imperatore pro fide Catholica in nauigio impoſiti, iuſſi ſunt in mari comburi. Conchæ in Hiſpania ſancti Iuliani [g] Epiſcopi, & confeſſoris. In pago Taruanenſi, monaſterio Sithin, ſancti Bertini [h] abbatis. Toleti ſanctæ Obduliæ [i] virginis.

## SEPTEMBRIS 5.

VICTORINI [a].] De quo hac die Vſuardus, Ado, & alij recẽtiores. Cùm 8. Iunij ſuperiùs egimus de Victorino germano ſancti Seuerini Septempedani, ſatis oſtendimus, errare eos qui duos hos Victorinos in vnum confundunt, & huic martyri illa tribuunt, quæ alterius eſſe noſcuntur; nimirum lapſum illum miſerandum, quem deſcribit hîc Ado, qui ceteris errandi tribuit occaſionem: nam & id ad Bedę Martyrologium additum reperitur; cùm in veteri manuſcripto eius Martyrologio nihil huiuſmodi legatur, ſicut nec in antiquo Romano, vel in Vſuardo. De aquis Cutiliis, vbi hic paſſus eſt, ſcribit Plin. lib. 2. cap. 95. & lib. 3. cap. 12. Huius autem Victorini martyrium deſcriptum habetur in Actis ſanctorum Nerei &

Achillei, apud Sur.tom.3.die 12. Maij, ex quibus ceteri accepere. Habetur mentio de eodem ſuprà die 15. Aprilis, vnà cum Marone & Eutychete; licet ibi nulla de Epiſcopatu mentio fiat.

[b] Herculani.] De eodem hac item die Beda, Vſuardus, Ado, adſtipulanturque vet.manuſcript. ac recentiores.

[c] Quinctij & ſoc.] Agunt de his etiam iidem qui ſuprà, Beda, ac ceteri.

[d] Romuli.] Græci de eodem item hac die in Menologio agunt, eiuſque certamen deſcribunt; copioſiùs autem Metaphraſtes ex antiquis monumentis eius Acta deſcripſit, quæ extant apud Lipom.tom. 6. & Sur. tom. 5.

[e] Eudoxij & ſoc.] Græci itidem ex Actis ſancti Romuli, quæ à Metaphraſte deſcripta nuper citauimus. Ex horum militum numero, qui Melitine in Armenia coronati ſunt, quatuor ſacra corpora delata Conſtantinopolim, reperta ſunt temporibus Iuſtiniani Imp. quorum beneficio idem Imperator letali morbo curatus eſt. Rem geſtam perpetuis dignam monumentis conſcripſit Procop.lib.1. de ædif. Iuſtiniani Imperatoris.

[f] Vrbani & ſoc.] Agunt de his etiam in Menologio Græci hac die, illuſtreque certamen eorum deſcribūt: porrò pleniùs Socrates hiſt. lib.4. cap. 13. Sozom. lib. 6. cap. 13. & 14. luculentiùs autem S. Gregorius Nazianzenus in oratione ad Epiſcopos Conſtantinopolitanæ Synodi, itemque in ea quam dixit in laudem Baſilij, necnon in illa ad Arianos, ac denique in ea quæ inſcribitur, In laudem Heronis: poſt hos autem alij recentiores, quos prætermimus.

[g] Iuliani Epiſc.] Migrauit ex hac vita 28. Ianuarij, anno Domini 1207. Claruit ſub Innocentio Papa Tertio. Decreto Iulij Tertij Rom. Pontif. tranſlata eſt eius ſolemnitas in diem quintam Septembris. Agitur de eodem in Flor. Sanct. Hiſp. 28. Ian. & in Theſauro concion.

[h] Bertini abb.] De quo etiam Vſuardus. Eius res geſtas Folcardus abbas cōſcripſit, quas Surius retulit in tomum quintum. Alia de eodem habes in vita S. Audomari Epiſcopi, necnon in Actis S. Vuinoci apud Sur. tom.6. Agit de eodem Trithem.de vir.illuſtr. ord. S. Bened.lib.3.cap.105. & Molan. in Indic. Sanct. Belg. De monaſterij S.Bertini exacta obſeruatione monaſticæ diſciplinæ ſcribit S Bernardus epiſt. 141.142.143.& 144. Migrauit ex humanis anno Domini 698.

[i] Obduliæ.] De ea in Breuiario Toletano hac die. Fuit & alia eiuſdem ferè nominis Odilia virgo de numero illarum vndecim millium virg. S.Vrſulæ ſodalium, de qua plura Molan.in Indic. Sanct. Belg. cuius celebritas agitur xv. Kal. Auguſti. Si autem vnam eamdemque Obduliam cum Odilia eſſe quis dixerit; ob aliquam factam tranſlationem reliquiarum Toletum hac die eius ſolemnitatem celebrari illic intelligat.

## xviij. D Octauo Idus Septemb. Luna. 6

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |

ZACHARIÆ [a] Prophetæ, qui de Chaldæa ſenex in patriam reuerſus, iuxta Aggęum Prophetam conditus iacet. In Helleſponto ſancti Oneſiphori [b] Apoſtolorum diſcipuli, cuius meminit S.Paulus ad Timotheum ſcribens: qui ibidē vnà cum ſancto Porphyrio iuſſu Hadriani Proconſulis acriter verberatus, & à ferocibus equis raptatus, ſpiritum Deo reddidit. Alexandrię paſſio ſanctorum martyrum Fauſti [c] presbyteri, Macarij, & ſociorum decem, qui ſub Decio Imperatore & Valerio Præſide pro Chriſti nomine abſciſſis ceruicibus martyrium compleuerunt. In Cappadocia ſanctorum martyrum Cottidi [d] diaconi, Eugenij, & ſociorum. In Africa ſanctorum Epiſcoporum Donatiani [e], Præſidij, Manſueti, Germani, & Fuſculi, qui in perſecutione Vuandalica iuſſu Hunnerici Regis Ariani pro aſſertione Catholicæ veritatis fuſtibus diriſſimè cæſi, exilio eliminati ſunt: inter quos etiam Epiſcopus nomine Lætus, ſtrenuus atque doctiſſimus vir, poſt diuturnos carceris ſqualores incēdio concrematus eſt. Veronæ ſancti Petronij [f] Epiſcopi & confeſſoris. Romæ S. Eleutherij [g] abbatis, ſerui Dei, quem ſanctus Gregorius Papa ſcribit oratione & lacrymis mortuum ſuſcitaſſe.

Zachariæ Prophetæ [a]. ] De quo hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri Latinorum, Græci autem pridie huius diei in Menologio. Præter illa, quæ de eo extant in diuinis Scripturis, agit de eodem Ioſephus antiquit. lib. 11. c. 4. Epiph. de vit. & inter. Prophet. cap. 21. Extat encomium in Prophetam Zachariam Coſmæ Veſtiarij in bibliotheca Sfortiana cod. manuſcrip. nu. 65. Inuentú eſt venerandum corpus eius ſub Theodoſio Iuniore, de cuius inuentione nos egimus in Annalibus anno eiuſdē Imperatoris octauo, qui eſt à Chriſto 415. De ea re ſcripſit Sozom. hiſt. lib. 9. cap. 16. in fin. & c. 17. Niceph. lib. 14. c. 8. Cedren. in Honor. anno. 11.

[b] Oneſiphori. ] De quo Paul. 2. ad Timoth. c. 1. & 4. Agunt de eodem hac die Beda & Ado, Græci autem tertio Kalen. Maij in Menologio, traduntque hûc creatum fuiſſe Epiſcopum Colophonis, Dorotheus autem dicit Coroniæ; iidemque de eodem vnà cum Euodio ad ſextum Idus Octobris. Habetur mentio de eodem in Actis ſanctæ Theclæ, de quibus ſuo loco plura inferiùs.

[c] Fauſti & ſoc. ] Agunt de iiſdem Græci etiam in Menologio, & nomina ſingulorum referunt: videlicet, poſt Fauſtum & Macarium recenſetur Dionyſius lector, Cyriacus acolythus, alter Fauſtus, Andronicus miles, Theotiſtus nauclerus, Andropelagia, & Thecla. Monemus Lectorem, hos Fauſtos, de quibus hîc agitur, eſſe diuerſos ab illo, qui ibidem loci, eadem vrgente perſecutione, multa paſſus eſt, vt ex Dionyſij Alexandrini litteris conſtat: nam ille, licet tunc grauia ſit perpeſſus, tamen vſque ad Diocletiani tempora peruenit, vt Euſebius hiſt. lib. 7. cap. 10. in fine teſtatur.

[d] Cottidi & ſociorum. ] De his & Beda, Vſuardus, & alij recentiores hac die agunt.

[e] Donatiani & ſoc. ] Agunt de his item Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Victor Vticenſ. lib. 2. de perſecutione Vuandalica eorum certamen deſcribit. Paſſi ſunt temporibus Zenonis Imp. ſub Hunnerico Vuandalorum Rege. Lætus de quo hîc agitur (licet Victor nihil dicat) fuit Epiſcopus Leptinenſis ciuitatis, vt ſcribit S. Iſidorus in hiſtoria Vuandalorum. Huius martyris incitatione Iuſtinianum Imp. commotum fuiſſe, vt exercitum in Africam, duce Beliſario, mitteret, idem auctor teſtatur.

[f] Petronij Epiſcopi. ] De eo tabulæ eccleſiæ Veronenſis, pluribus autem illuſtriſſ. & R. D. Auguſtinus Valerius eius eccleſiæ Epiſc. & Cardinalis in antiq. monum. Epiſcoporum Veronen. pag. 10. & 41.

[g] Eleutherij abb. ] De quo hac die Ado; apud Bedam autem mendosè additur nomen Epiſcopi. Huius res geſtas ſcribit S. Greg. lib. 3. dial. c. 33. qui quidem non tantùm ſcriptione, ſed & pictura exprimi voluit acceptum à Deo per Eleutherij preces beneficium, vt Hadrianus Papa ad Carolum Magnum Imperatorem ſcribit his verbis: Sanctus Gregorius Papa in monaſterio ſuo pulchrum fecit oratorium, & ipſum diuerſis hiſtoriis pingi fecit, atque ſactas ibidem ereait imagines. Vt cùm ipſe cum beato Eleutherio pro ægritudine ſtomachi ſui ingreſſus, in oratione pariter exauditi ſunt. Et ille vir ſanctus Eleutherius, quem dicunt & mortuum ſuſcitaſſe, ante ipſas ſacras imagines ſe proſternens, diuinam exorare clementiam cum ſancto Gregorio non dubitauit; ſed fidem ferentes perfectam, pariter exauditi ſunt, & vſque hactenus apud nos venerantur. Hæc Hadrianus.

7 ## Septimo Idus Septemb. Luna. E xvij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | | | |

Nicomediæ natalis beati Ioannis[a] martyris, qui cùm videret crudelia edicta aduerſus Chriſtianos in foro pendere, fidei ardore accenſus, iniecta manu, illa detraxit, atque diſcerpſit: cumque hoc relatum eſſet Diocletiano & Maximiano Auguſtis in eadem vrbe conſtitutis, omnia ſuppliciorum genera in eum experiri iuſſerunt: quæ vir nobiliſſimus tanta alacritate vultus ac ſpiritus pertulit, vt ne triſtis quidem pro his videri potuerit. Cæſareæ in Cappadocia ſancti Eupſychij[b] martyris, qui ſub Hadriano Imperatore accuſatus quòd Chriſtianus eſſet, in carcerem coniectus eſt: & paulò pòſt inde emiſſus, patrimonium ſtatim vēdidit, & pretium partim pauperibus, partim accuſatoribus tamquam bene-

factoribus diſtribuit: ſed iterùm comprehenſus, ſub Saptitio Iudice dilaniatus, & gladio confoſſus, martyrium conſummauit. Pompeiopoli in Cilicia ſancti Sozontis[c] martyris, qui ſub Maximiano Imperatore in ignem iniectus, reddidit ſpiritum. Aquileiæ ſancti A haſtaſij[d] martyris. In territorio Auguſtodunenſi ſanctę Reginę[e] virginis & martyris, quæ ſub Proconſule Olybrio, carceris, equulei, ac lampadarum perpeſſa ſupplicia, demum capitali ſententia damnata migrauit ad Sponſum. Trecis Nemorij[f] diaconi & ſociorum martyrum, quos Attila Rex Hunnorũ interfecit. Aurelianis in Gallia depoſitio ſancti Euortij[g] Epiſcopi, qui primò Romanę Eccleſiæ ſubdiaconus, dehinc diuino munere per columbam deſignatus eſt Pontifex præfatæ vrbis. In Galliis ſancti Auguſtalis[h] Epiſcopi & confeſſoris. Capuæ ſancti Pamphili[i] Epiſcopi. In territorio Pariſienſi ſancti Clodoaldi[k] preſbyteri & confeſſoris.

## SEPTEMBRIS 7.

IOANNIS[a].] De eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores. Eius autem fidei conſtantem confeſſionem & diros cruciatus ſcribit Euſeb.hiſt.lib.8.cap.5. & Niceph.lib.7.c.5. & licet nomen non explicent, reapſe de eo ſentire, certum eſt.

[b] Eupſychij.] De quo & Græci in Menologio hac die, ibique eius res geſtas ſumma breui deſcribunt. Porrò ne nominis & loci ſimilitudine quis decipiatur, duos Eupſychios martyres Cæſareæ Cappadociæ fuiſſe conſtat; quorum alter, de quo hîc agitur, paſſus eſt temporibus Hadriani Imp. alter autem, de quo ſuprà ad quintum Idus Aprilis, Iuliano Apoſtata imperante, martyrium conſummauit; de quo eo die plura ſuperiùs dicta à nobis ſunt.

[c] Sozontis.] Agunt de eodem hac die Græci, eiuſque Acta pluribus proſecutus eſt Metaphraſtes: extant apud Lipom. tom.6. & Sur. tom. 5. De Pompeiopoli ciuitate, de qua hîc agitur; quomodo à Pompeio reſtituta ſit poſt debellatos piratas, iiſdemque incolenda ſit tradita, ſcribit Dio hiſtoriarum libro 36.

[d] Anaſtaſij.] Fuit hic fullo, & pro fidei merito in numerum martyrum cooptatus eſt; idque ex veteribus manuſcrip. Molan. in addit. ad Vſuard. hac die.

[e] Reginæ.] De eadem hac die Beda, Vſuard. & Ado, iidemque pluribus eius res geſtas referunt, pleniùs autem Mombrit. tom.2. vit. Sanct. & Petrus in catalogo lib.8, cap.47.

[f] Nemorij & ſoc.] De eo tabulæ eccleſiæ Treceenſis, item Maurolycus, & Molanus in addit. ad Vſuardum. Fuit hic diaconus ſancti Lupi eiuſdem ciuitatis Epiſcopi.

[g] Euortij Epiſcopi.] De quo & Beda, Vſuardus, & Ado. Huius res geſtas ex antiquis codicibus edidit Sur. tomo 5. Vincent. lib.13. Petr. in catal. lib.8.c.48. Succeſſit hic S. Deſiniano, ſucceſſoremque habuit præclarum illum ſanctitate virum Anianum. Interfuit ſanctus Euortius Concilio Valentino, celebrato in Galliis, Gratiano & Equitio Coſſ. anno Domini 374.

[h] Auguſtalis Epiſc.] De eodem hîc Beda; qui licet eum ponat Arelate, tamen dum reperitur idem Epiſcopus ſubſcriptus Concilio primo Arauſicano, tempore S. Leonis Papæ, quo eidem ſedi Arelatenſi præerat S. Hilarius, qui eidem Synodo interfuit; alterius potiùs ciuitatis videtur fuiſſe Epiſcopus: nam & in tabulis Epiſcoporum Arelatenſium, quas deſcripſit Demochares, nulla habetur mentio de Auguſtali Epiſcopo.

[i] Pamphili.] De eo monumenta eius eccleſiæ, quorum Sanctorum indiculum Romam miſſum accepimus.

[k] Clodoaldi.] De quo Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores. Fuit hic filius Clodomiri Regis Francorum. Scribit de eo Gregorius Turonenſis de geſt. Francorum lib. 3. cap.6. & 18. Sigebert. in chron. anno Domini 531. Vincentius lib. 21. cap.60. Petrus in catalogo lib. 8. cap. 50. & alij iuniores.

Sexto

8 Sexto Idus Septemb. Luna. A xvj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | | | |

NATIVITAS [a] beatiſſimæ ſemper Virginis genitricis Dei Mariæ. Nicomediæ ſancti Hadriani [b] martyris, cum aliis vigintitribus, qui omnes poſt multa ſupplicia ſub Diocletiano & Maximiano Auguſtis martyrium crurifragio conſummarunt quarto Nonas Martij. Eorum reliquiæ à Chriſtianis Byzantium delatæ, reuerenti honore ſepultæ fuerunt: inde poſteà ſancti Hadriani corpus Romam hac die tranſlatum fuit, in qua ipſius feſtiuitas potiſſimùm celebratur. Alexandriæ ſanctorum martyrum Ammonis [c], Theophili, Neoterij, & aliorum vigintiduorum. Antiochiæ ſanctorum Timothei [d] & Fauſti martyrum. Gazæ in Palæſtina ſanctorum martyrum Euſebij [e], Neſtabi, & Zenonis fratrum, qui tempore Iuliani Apoſtatæ, irruente in eos turba Gentilium, diſcerpti atque necati ſunt. Ibidem ſancti Neſtoris [f] martyris, qui ſub eodem Iuliano ab iiſdem Gentilibus furentibus ſæuiſſimè cruciatus, emiſit ſpiritum, Friſingæ ſancti Corbiniani [g] primi eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, qui à Gregorio Secundo Pontifice ordinatus, & ad prædicandum Euangelium miſſus, vberes fructus in Gallia & Germania retulit, ac demum virtutibus & miraculis clarus in pace quieuit.

## SEPTEMBRIS 8.

NATIVITAS beatiſſ. [a] ] De eadem Beda, ac ceteri Latinorum; Græci etiam hac eadem die celebrant eamdem ſolemnitatem, de qua in Græco codice bibliothecæ Sfortianæ num. 65. ſermones leguntur nomine S. Ioannis Chryſoſtomi, S. Procli, S. Ioannis Damaſceni, Iacobi monachi, & Andreę Cretenſ. In Sacramentario S. Gregorij, quod antiquiſſimum extat in bibliothec. Vaticana manuſcript. habetur de eadem celebritate ſpecialis pręfatio. Eiuſdem meminit S. Ildefonſus lib. de virg. Ordo Roman. de diuin. offic. pag 24. de eadem agens, hæc habet: In natiuitate S. Mariæ leguntur homiliæ ſanctorum Patrum ad ipſam diem pertinentes, &c. ſubditque de Litaniis ea die fieri ſolitis ex inſtitutione Sergij Papæ. Meminit de eadem, cùm agitur de officio Miſſæ pag. 21. Ex quibus profectò valdè errare oſtenduntur, qui hanc ſolemnitatem ab Innocentio Quarto inſtitutam putarunt. Rurſus non rectè ſentire eos exiſtimamus, qui opinati ſunt iam ab Auguſtini ætate eamdem eſſe in Eccleſia celebratam, ea perſuaſi ratione, quòd in Eccleſiaſticis Officiis eius diei legatur ſermo S. Auguſtini de ea ſolemnitate. Quamobrem monitum volumus Lectorem, verè ſermonem illum eſſe germanum S. Auguſtini opus, nequaquam tamen in Natali Dei genitricis habitum; ſed perpaucis mutatis, eidem celebritati accommodatum, qui eſt ſermo ſecundus de Annuntiatione; vbi verba illa: Gaudeat terra noſtra tantæ Virginis illuſtrata ſolemni die: ita piè mutata leguntur in Breuiario: Gaudeat terra noſtra tantæ Virginis illuſtrata Natali. Nec verò mirum hoc cuiquam videatur, quòd ſermonem hunc S. Auguſtini ad beatiſſimam Virginem pertinentem, ſancta Eccleſia ad hanc feſtiuitatem accommodauerit: nam id ipſum in antiphonis & reſponſoriis agere conſueuiſſe, ſatis apparet, dum quæ ſunt alicui ſolemnitati peculiariter accommodata, iiſdem vtatur in aliis. Vt autem omnis prorſus anſa tollatur exiſtimandi Auguſtini tempore hoc feſtum eſſe celebratum, adducam de ea re eiuſdem Auguſtini clariſſima teſtimonia, qui ſermone 21. & 22. de ſanct. teſtatur nullius alterius ortum, quàm ſolius Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ſancti Ioannis Baptiſtæ, in Eccleſia celebrari conſueuiſſe. Quonam autem potiſſimùm tempore fuerit eiuſmodi ſolemnitas inſtituta, nuſquam expreſſum reperi, nec quid certi affirmare auſim. Quãtum autem ex hiſtoriis Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiaſticis compertum habeo; à Cōcilij Epheſini temporibus, ex quo execranda illa Neſtorij hæreſis damnata atque proſcripta eſt, qua ſanctiſſimæ Mariæ Virginis titulus ille ſupremus Dei Genitricis impiè auferebatur, animaduertimus (ſecundùm ea Prophetæ verba: In tribulatione dilataſti mihi) magis magiſque in dies toto orbe Chriſtiano beatiſſimæ Virginis cultum auctum amplificatumque fuiſſe; non tamen dicere præſumimus, eo tempore inſtitutam eſſe præſentem ſolemnitatem; cùm conſtet, Gallicanam Eccleſiam etiam temporibus Caroli Magni & Ludouici Pij eam ignoraſſe, vt apparet ex Concilio Moguntino ſub eodem Imp. celebrato, anno Domini 813. can. 36. & ex capitularibus eiuſdem Imp. & Ludouici Pij, lib. 1. cap. 164. lib. 2. cap. 35. & lib. 6. cap. 186. Satis ſit, conſtare eam eſſe antiquam, & tam Latinos, quàm Græcos eadem animi pietate, concordique ſtudio ac religione permotos, eadem die ſacratiſſimum Dei genitricis Natalitium ſolemniter celebrandum eſſe duxiſſe. Rationem autem eius ſolemnitatis agendæ S. Bernardus ſcribit ſermone 4. ſuper Salue Regina. De iuſſis quibuſdam diuinitus oſtenſis cuidam religioſo viro de hoc celebrando natali die, agit Petrus in catal. lib. 8. cap. 51. in fin. & alij. Extant inſuper tres luculentæ orationes S. Ioan. Damaſc. de Nat. Dei genitricis Mariæ; aliæ Abſalonis, Guerrici, & aliorum, quos omittimus recenſere.

[b] Hadriani.] De ipſius natali die ſuperiùs ad quartum Nonas Martij agitur, vt in Martyrologio Bedæ, & in antiquis manuſcript. aliiſque recentioribus notatum vidimus. Vetera aliquot manuſcript. hæc habent ea die, quæ & Molanus ad Vſuard. addidit: Nicomediæ S. Hadriani cum aliis vigintitribus, cuius corpus Romam tranſlatum eſt, atque ſepultum ſexto Idus Septembris, vbi & eius paſſio eſt annotata. Hæc in dictis vet. manuſcript. licet in vetuſtioribus Roman. Martyrologiis nulla prorſus mentio de Hadriano ea die habeatur; ſed hac die tantùm, quando ſimul cum tranſlatione & paſſio olim celebrabatur. Cùm autem die tranſlationis Romæ etiam dies natalis eius recoleretur, inde factum eſt, vt Nicomediæ poneretur. vnde Adoni & aliis eum ſecutis errandi manauit occaſio, vt putarent hac die tranſlationis ſanctum Hadrianum occubuiſſe martyrio: rectiùs itaque Maurol. ex prædictis manuſcriptis natalem eius paſſionis diem ad quartum Nonas Martij, tranſlationem verò Romam factam hac die ponit. His omnibus ſubſcribit etiam Galeſinius in ſuis Not. ea die Martij. Quòd verò Græci, neque hac die, neque ad quartum Nonas Martij, ſed ſeptimo Kal. Septemb. agant commemorationem S. Hadriani; exiſtimo eam eos agere diem, qua prima eſt facta tranſlatio, cùm Nicomediâ Conſtantinopolim eius corpus delatum eſt. Cetera de Hadriano vide notata ſuperiùs in natali ipſius die 4. Non. Martij.

[c] Ammonis & ſoc.] Vſuardus de iiſdem hac die. Scribit de his Dionyſius Alexand. apud Euſeb. lib. 6. cap. 34. Alius eſt item Ammon Alexand. qui vnà cum Fauſto & Didio paſſus eſt tempore Diocletiani, de quibus Euſebius lib. 8. cap. 25. & Niceph. lib. 7. cap. 16. Diuerſos hos eſſe inter ſe, tum diuerſitas temporum, tum ſociorum oſtēdit.

[d] Timothei & Fauſti.] De his item Vſuardus, & alij recentiores hac die.

[e] Euſebij & ſoc.] Horum nobile certamen ſcribit Sozomenus lib. 5. cap. 8.

[f] Neſtoris.] De quo etiam idem Sozom. vnà cū prædictis martyribus agit vbi ſuprà lib. 5. cap. 8.

[g] Corbiniani Epiſcopi.] Apud Bedam de eodem hac die. Eius res geſtas ſcriptis mandauit Aribo Epiſcopus Friſingen. quas habet Sur. to. 5. Plura de eodem Otho Friſing. libro 5. cap. 23. & 24. Claruit temporibus Gregorij Secundi Papæ circa annum Domini ſeptingenteſimum trigeſimum.

## xv. G Quinto Idus Septemb. Luna. 9

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | | | |

NICOMEDIÆ paſſio ſanctorum martyrum Dorothei[a] & Gorgonij, qui apud Diocletianum Auguſtum honores ampliſſimos conſecuti, cùm perſecutionem, quam ille Chriſtianis inferebat, deteſtarentur, præſente eo, iuſſi ſunt primò appendi, & flagris toto corpore laniari, deinde viſceribus pelle nudatis, aceto & ſale perfundi, ſicque in craticula aſſari, atque ad vltimum laqueo necari. Interiecto autem tempore, beati Gorgonij corpus Romam delatum fuit, ac via Latina poſitum, & inde ad baſilicam ſancti Petri tranſlatum. In Sabinis, trigeſimo ab Vrbe milliario, ſanctorum martyrum Hyacinthi[b], Alexandri, & Tiburtij. Sebaſtæ S. Se-

S. Seueriani [c] militis Licinij Imperatoris, qui cùm quadraginta martyres in carcere detentos frequens viſitaret, iuſſu Lyſiæ Præſidis ſaxo ad pedes ligato ſuſpenſus, ac verberibus cæſus, & flagris laniatus, in tormentis reddidit ſpiritum. Eodem die paſſio ſancti Stratonis [d], qui pro Chriſto ad duas arbores ligatus, atque diſcerptus, martyrium conſummauit. Item ſanctorum martyrum Ruffini [e] & Ruffiniani fratrum. Romæ ſancti Sergij [f] Papæ & confeſſoris. In territorio Taruanenſi ſancti Audomari [g] Epiſcopi. In Scotia ſancti Querani [h] abbatis.

## SEPTEMBRIS 9.

D OROTHEI & Gorgonij [a].] De bis Beda, Vſuard. Ado, & alij recentiures. Scribit horum res geſtas Euſebius hiſt. lib. 8. cap. 1. & 6. & Niceph. lib. 7. cap. 2. & 5. Plura de iiſdem in Actis ſanctorum Iudes & Domnæ, quæ refert Metaph. die 26. Decemb. vbi tamen Dutotheum capite amputatum, Gorgonium verò molari lapide ad collum ligato martyrium cunſummaſſe, eadem Acta teſtantur. Quòd autem ab his diuerſa hæc in Martyrulogiu ſunt poſita, quòd prædicti martyres laqueu vitam finierint, ex Euſebiu dict. lib. 8 cap. 6. & Niceph. lib. 7. cap. 5. videntur accepta. Quæ verò hîc habentur de ceteris tormentis à prædictis martyribus perlatis, eadem recenſet Beda, Vſuardus, Ado, & alij: & licet Euſebius eis Petrum cruciatum eſſe dicat; tamen cùm ex vnius, quod refert, martyriu, quæ ceteris ſodalibus contigerint, ſe nota facere velle teſtetur, inde prædicti putarunt in dictos martyres eadem eſſe illata tormenta. Ruffiuus item dum eumdem Euſebij locum iu Latinum vertit, iiſdem quibus ille, hos ſuppliciis affectos, ac demum laqueo vitam finiſſe tradit lib. 8. c. 6. Reliquias S. Gorgonij tranſlatas deinde Româ in Gallias, teſtatur Sigebert. in chron. anno Domini 764.

[b] Hyacinthi & ſoc.] Agunt & de his Beda, Vſuardus, Ado, ac reliqui.

[c] Seueriani.] Græci item de eo hac die in Menologio, ibique eius Acta expreſſa habentur, quæ vberiùs deſcripſit Metaphraſtes ex antiquis codicibus; extaut apud Lipom. to. 6. & Sur. tom. 5.

[d] Stratonis.] De eo hac die Græci in Menologio, referuntque eius martytium.

[e] Ruffini & Ruffiniani.] Græci etiam horum paſſionem deſcribunt in Menol. hac item die.

[f] Sergij Papæ.] De quo Beda, Ado, & recentiores. Hic ſubſtitutus eſt Cunoni. Eius res geſtas per annos ſingulos deſcripſimus in Annal. Eccleſiaſt.

[g] Audomari Epiſcopi.] De eo etiam Vſuardus, & alij. Recitat eius Acta Sur. to. 5. Vincent. lib. 23. c. 108. Petr. in catal. lib. 8. c. 58. Trithem. de vir. illuſtr. ord. S. Bened. lib. 3. cap. 104. & lib. 4. cap. 160. Mulan. in Indic. Sanct. Belg. Exceſſit ex humanis annu Domiui 695.

[h] Querani abb.] Agunt de eodem Vſuardus hac die, & recentiores.

10 Quarto Idus Septemb. Luna. A xiiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | | | |

T OLENTINI in Piceno depoſitio ſancti Nicolai [a] confeſſoris, ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini. In Africa natalis ſanctorum Epiſcoporum Nemeſiani [b], Felicis, Lucij, alterius item Felicis, Littei, Polyani, Victoris, Iaderis, Datiui, & aliorum: qui ſub Valeriano & Gallieno, exurgente perſecutionis rabie, ad primam confeſſionis Chriſti conſtantiam grauiter fuſtibus cæſi, deinde compedibus vincti, & ad fodienda metalla deputati, glorioſæ confeſſionis agonem conſummarunt. Chalcedone ſanctorũ martyrum Soſthenis [c] & Victoris, qui in perſecutio-

cutione Diocletiani ſub Priſco Aſię Proconſule poſt vincula & beſtias ſuperatas iuſſi ſunt incendi: at illi ſalutantes ſe inuicem in oſculo ſancto, in oratione poſiti ſpiritum emiſerunt. In Bithynia ſanctarum virginum Menodoræ[d], Metrodoræ, & Nymphodoræ ſororum, quæ ſub Maximiano Imperatore & Frontone Præſide martyrio coronatæ, peruenerunt ad gloriam. Item ſanctorum martyrum Apellij[e], Lucæ, & Clementis. Leodij in Belgia ſancti Theodardi[f] Epiſcopi & martyris, qui animam ſuam poſuit pro ouibus ſuis, & poſt mortem miraculorum gratia illuxit. Romæ beati Hilari[g] Papæ & confeſſoris. Compoſtellæ ſancti Petri Epiſcopi[h], qui multis virtutibus & miraculis claruit. In ciuitate Albigenſi ſancti Saluij[i] Epiſcopi & confeſſoris. Nouariæ ſancti Agapij[k] Epiſcopi. Conſtantinopoli ſanctæ Pulcheriæ[l] Auguſtæ virginis, religione & pietate inſignis.

## SEPTEMBRIS 10.

[a] NICOLAI de Tolentino[a].] Huius facta egregia habet Mombrit. tomo 2. & Sur. to. 5. Antonin. nonnulla par. 3. tit. 22. cap. 11. §. 17. & alij recentiores. Exceſſit ex hac vita anno Domini 1306. relatus eſt autem inter Sanctos ab Eugenio Papa Quarto, anno Pontificatus ſextodecimo, Domini autem 1446.

[b] Nemeſiani & ſoc.] Beda, Vſuardus, & Ado hac die. Scribit de his Cyprian. epiſt. 77. Quarum autem ciuitatum fuerint Epiſcopi, poteſt intelligi ex Actis Concilij Carthaginenſis ſub Cypriano. Hi etenim quamuis aliquando erroneam illam ſententiam de baptiſmate hæreticorum vnà cum ſancto Cypriano aduerſus Romanum Pont. Stephanum defendiſſent; tamen ſicut ille, ita & iſti nunquam ſe à Catholica vnitate & charitate diuiſerunt; vt de ſancto Cypriano ſanctus Auguſtinus, agens aduerſus Donatiſtas, ſæpè inculcat. Clariſſimus fuit item in Africa eiuſdem nominis Nemeſianus, qui puer adhuc martyrium ſubiit, de quo Auguſtinus ſermone de diuerſ. 39. cap. 3.

[c] Soſthenis & Victoris.] Agunt de iiſdem Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Habentur res geſtæ iunctæ Actis ſanctæ Euphemiæ Chalcedonenſis. de his etiam Petrus in catal. lib. 88. cap. 61.

[d] Menodoræ & ſoc.] De his & Græci in Menologio hac die: fuſiùs autem Metaphraſtes ipſarum res geſtas deſcripſit, quę extant apud Lipom. tom. 6. & Sur. tom. 5.

[e] Apellij & ſoc.] De his adhuc Græci in Menologio agunt hac die.

[f] Theodardi Epiſcopi.] Huius Acta teſtatur Sigebert. ſe ſcripſiſſe luculentiore ſtylo: exſtant ea apud Sur. tom. 5. Agit de eodem Trithem. de vir. illuſtr. ord. S. Benedicti lib. 3. c. 103. & lib 4. cap 154. Molanus in Indiculo Sanctorum Belgij. Paſſus eſt autem anno Domini ſexcenteſimo quinquageſimoquinto.

[g] Hilari Papæ.] De quo Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores hac die. Succeſſit hic S. Leoni Magno. Acta eius ex diuerſis antiquis codicibus conquiſita digeſſimus in Annalibus Eccleſiaſticis per annos ſingulos.

[h] Petri Epiſcopi.] Tabulæ Compoſtellanæ, ex quibus Molanus in addit. ad Vſuardum, & alij.

[i] Saluij Epiſcopi.] De eodem hac die Beda. Pluribus de eo agit Greg. Turon. hiſt. Franc. lib. 5. cap. 50. lib. 6. cap. 29. & lib. 7. c. 1. Migrauit ex hac vita an. Domini quingenteſimo octogeſimoſexto.

[k] Agapij Epiſc.] Succeſſit hic S. Gaudentio, seditque annos 20. vt docent tabulæ Epiſcoporum eccleſię Nouarienſis, quę tamen in aliquibus ſunt emendandæ.

[l] Pulcheriæ.] Eodem titulo ſanctitatis & virginitatis celebrant eam Græci hac die in Menologio. Licet enim ad optimam adminiſtrationem Imperij Marcianum virum religioſiſſimum ætate grandæuum ſibi maritum delegiſſet; tamen virginitatem, quam ab ineunte ætate ſpoponderat, illibatam ad obitum vſque conſeruauit: quod abſque vlla dubitatione, tam Græcorum, quàm Latinorum hiſtorici omnes affirmant. Scribunt de ea Sozom. lib. 9. cap. 1. Socrat. lib. 7. c. 22. Niceph. lib. 14. c. 2. & 3. Marcel. in chron. & Suidas pluribus. De eadem ſępè Acta SS. Synodi Chalcedonenſis, vbi noua Helena, munimen Orthodoxorum, & gloria eccleſiarum à cunctis Patribus eſt acclamata. Commendatur mirum in modum in epiſtolis S. Leonis Papæ, præſertim epiſt. 39. Appellata eſt in Imperialibus ſanctionibus, venerabilis Auguſta. ita L. 2. de collat. luſtrali. C. Theod. Mentio de eadem habetur in Actis ſanctæ Melaniæ iunioris. de eadem recentiores Græcorum hiſtorici Zonaras, Cedrenus, Glycas, & alij. Obiit humanum diem (vt auctor eſt Marcellinus in chron.) Opilione & Vincomalo Coſſ. eſt annus à Chriſto Domino 453. Tam ad ipſam, quàm ad ſorores Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus de recta fide commentarium ſcripſit. Idem Cyrillus in lib. ad Theodoſium Aug. eamdem Pulcheriam procurantem Imperium his verbis deſcribit: Altera autem & virginali germine ſimul vigens, & nobiliſſimi regni veſtri curam ſibi vendicat, &c. Hæc Cyrillus, qui eamdem pluribus laudat. Porrò Pulcheriæ vitam tam ex Græcis, quàm ex Latinis antiquis auctoribus ſumma induſtria collegit R. P. Thomas Bozzius noſtræ

Con-

Congregationis preſbyter, Latinis ac Græcis litteris benè excultus: quam proximè ab eo edendam, ſimulque alias nobilis ingenij aduerſus hæreticos elaboratas lucubrationes, ſperamus. Fuit & alia Pulcheria Theodoſij Maioris filia, quæ tenella adhuc ætate ex hac vita deceſſit, in cuius nobili funere S. Gregorius Nyſſenus egregiam habuit panegyrim. Rurſus etiam & alia fuit tenella puella, Pulcheria dicta, filia Theophili & Theodoræ Auguſt. de qua Cedrenus in compend. hiſt. in Theophilo, & Zonaras in 3. par. Annal. in eodem Imperatore.

11 Tertio Idus Septemb. Luna. B xiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | | | |

ROMÆ via Salaria veteri in cœmeterio Baſillæ natalis ſanctorum martyrum Proti[a] & Hyacinthi eunuchorũ beatæ Eugeniæ: qui ſub Gallieno Imperatore deprehenſi quòd eſſent Chriſtiani, ſacrificare coguntur, ſed non conſentientes, primò duriſſimè verberati ſunt, ac tandem pariter decollati. Laodiceæ in Syria paſſio ſanctorum Diodori[b], Diomedis, & Didymi. Legione in Hiſpania ſancti Vincentij[c] abbatis & martyris. In Ægypto ſancti Paphnutij[d] Epiſcopi, qui vnus fuit ex iis confeſſoribus, qui ſub Maximiano Imperatore, dextro oculo effoſſo, & ſiniſtro poplite exciſo ad metalla damnati fuerunt: deinde ſub Conſtantino Magno aduerſus Arianos pro fide Catholica ſtrenuè decertauit, & demum multis coronis auctus in pace quieuit. Lugduni depoſitio S. Patientis[e] Epiſcopi. Vercellis S. Æmiliani[f] Epiſcopi. Alexandriæ ſanctæ Theodoræ[g], quæ cùm incautè deliquiſſet, facti pœnitens, mira abſtinentia & patientia in habitu ſancto incognita perſeuerauit vſque ad mortem.

SEPTEMBRIS 11.

[a] PROTI & Hyacinthi[a].] De his item Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri omnes hac die. Extant eorum res geſtæ in Actis S. Eugeniæ, de quorum fide agemus inferiùs viij. Kal. Ianuarij. Erat Romæ illuſtris memoria horum martyrum, cuius Confeſſionem Symmachus Papa exornauit, vt conſtat ex libro de Rom. Pontificibus in Symmacho. Eorum ſacræ reliquiæ ſub Clemente VIII. Pontifice Max. ab eccleſia S. Saluatoris, prope pontem S. Mariæ trans Tiberim poſita, ad eccleſiã S. Ioannis Florentinæ nationis ſolemni pompa fuere trãſlatæ anno Domini 1592. die 21. Iunij.

[b] Diodori & ſoc.] Agunt de his etiam Græci hac die in Menologio, vbi & ipſorum martyrium paucis enarrant.

[c] Vincentij.] Paſſus hic dicitur Gothorum tempore, cùm Arianæ perfidiæ repugnaret. De eodem in Flor. ſanct. Hiſpaniæ, & in Theſauro concion. tom. 2. hac die.

[d] Paphnutij Epiſc.] Hic ille illuſtris confeſſor, qui in vltima perſecutione dextro orbatus oculo, & ſiniſtro ſucciſo poplite, adhucque ſuperſtes, conuenit vnà cum ceteris ad magnum Nicænum Concilium, & aduerſus Arianos egregiè decertauit. Fuit & miraculorum patrandorum Apoſtolica virtute præditus, vt de eo ſcribit Rufin. lib. 1. c. 4. & 17. & Socrat. lib. 1. c. 8. vbi ait, Conſtantinum Imperatorem partem illã vultus eius effoſſi oculi exoſculatum eſſe miro religionis affectu. Id ipſum Theodoret. hiſt. lib. 1. cap. 7. Sozom. lib. 1. cap. 22. Niceph. lib. 8. c. 14. & 19 & Suidas. De eodem adhuc monacho ſcribit ſanctus Athanaſius in vita S. Antonij. Longè hic alius ab illo Paphnutio Meletiano, licet & ipſe confeſſor fuerit, de quo ſcribit S. Epiphanius in Panario, hæreſi 68.

[e] Patientis Epiſc.] De eodem hac die Vſuardus, & alij. Scribit Gregor. Turon. de geſt. Franc. lib. 2. c. 24. Sidonium Apollinarem eius virtutes litteris prædicaſſe: agit enim de eo Sidonius lib. 2. epiſt. 10 ad Heſperiũ, & lib. 4. epiſt 25. ad Domnolum: extatque eiuſdem ad eumdem Patientem epiſt. 12. libri 6. quibus eius res geſtæ narrantur. Ad hunc ipſum Conſtantius inſcripſit vitam S. Germani Epiſcopi Antiſiodorenſis. Interfuit hic item conuentui Gallicanorum Epiſcoporum, in quo cognita & probata eſt fides Catholica

Fauſti Lerinenſis damnantis dogmata Pelagij: ad quos etiam Lucidus Pelagianus palinodiam recantans, in eiuſdem hæreſis damnationem ſcripſit epiſtolam. Extant hæc tomo 5. biblioth. Margar. Ponitur Patiens viceſimusquartus eius ſedis Epiſcopus in tabulis Democharis. Putat Grauius, non eſſe legitimam ſubſcriptionem illam ad epiſtolam Fauſti. ſed de Fauſto conſule dicta in Annalibus, in quibus verſipellis vulpeculæ fraus detegitur.

[f] Æmiliani Epiſc.] De eo tab. eccleſ. Vercellenſis. Huius vitam ex antiquis eius eccleſiæ monumentis ſe ſcripſiſſe teſtatur Galeſinius. Interfuit Æmilianus Vercellēſis Epiſcopus Romanis Synodis tertiæ & quartæ ſub Symmacho Papa, vt earumdem Acta teſtantur.

[g] Theodoræ.] Agunt de eadem hac die Græci in Menologio, Nicephorus etiam lib. 17. c. 5. pleniùs autem Metaphraſtes refert eius res geſtas, quas Latinè redditas habes apud Lipom. tom. 6. hac die, & Sur. tomo 5. Vixit temporibus Zenonis Imperatoris.

## xij. C Pridie Idus Septemb. Luna. 12

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 1 2 3 4 5 6
t u A B C D E f F G H M N P
7 8 9 10 11 12 13 14 14 15 16 17 18 19

ALEXANDRIÆ natalis ſanctorum martyrum Hieronidis[a], Leontij, Serapionis, Seleſij, Valeriani, & Stratonis, qui ſub Maximino Imperatore ob Chriſti nominis confeſſionem in mare ſunt demerſi. In Bithynia ſancti Autonomi[b] Epiſcopi & martyris, qui ex Italia, Diocletiani perſecutionem declinans, illuc profectus, cùm plurimos conuertiſſet ad fidem, à furentibus Gentilibus, dum ſacra myſteria perageret, ad altare mactatus, hoſtia Chriſti effectus eſt. Meri in Phrygia paſſio ſanctorum martyrum Macedonij[c], Theoduli, & Tatiani, qui ſub Iuliano Apoſtata ab Almachio Præſide poſt alia tormenta ſuper crates ferreas ignitas poſiti, exultantes martyrium compleuerunt. Iconij in Lycaonia ſancti Curonoti[d] Epiſcopi, qui ſub Perennio Præſide capite truncatus, martyrij palmam accepit. Apud Ticinum ſancti Iuuentij[e] Epiſcopi, de quo ſexto Idus Februarij. Is à beato Hermagora diſcipulo ſancti Marci Euangeliſtæ ad eam vrbem vnà cum ſancto Syro directus eſt; & ambo illic Chriſti Euangelium prædicantes, & magnis virtutibus ac miraculis coruſcantes, etiam vicinas vrbes diuinis operibus illuſtrarunt; ſicque in pontificali honore, glorioſo fine quieuerunt in pace. Lugduni depoſitio ſancti Sacerdotis[f] Epiſcopi. Veronæ ſancti Siluini[g] Epiſcopi. Anderlaci S. Guidonis[h] confeſſoris.

## SEPTEMBRIS 12.

HIERONIDIS & ſoc.[a]] De iiſdem hac die Græci agunt in Menologio, vbi eorum martyrium deſcribunt.

[b] Autonomi.] Græci itidem. Porrò eius Acta edidit Metaphraſtes, quæ habet Lipom. tom. 6. & Sur. tom. 5. hac die.

[c] Macedonij & ſoc.] Græci etiam de his agunt in Menologio, geſtaq; eorum referunt breui compendio; Suidas autem pluribus eorum nobiliſſimum certamen deſcribit in hiſt. verb. Almachius.

[d] Curonoti.] Huius Acta martyrij Græci, qui eadem die de eo agunt in Menologio explicant.

[e] Iuuentij Epiſcopi.] De Iuuentio, ſeu Euentio, ſuperiùs iterùm ſexto Id. Februarij. De Iuuentio & Syro Epiſcopis hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij agunt. In tabulis autem Eccleſiæ Ticinenſis de vtroque ſeorſum agitur, diuerſiſque diebus: nimirum de Iuuentio octauo Id. Febr. de Syro autem quinto Idus Decembr. eiuſque translationem xvj. Kalend. Iunij celebrant. Fertur Iuuētius,

de

quo agitur, diſcipulus fuiſſe S. Hermagoræ, qui paſſus eſt temporibus Neronis Imperatoris, tertiuſque numeratur eius ſedis Epiſcopus. Iuuentij & Syri res geſtas recitat Mumbrit. tom. 2. habes eaſdem apud Sur. tom. 7. hac die, & Petr. in catal. lib. 1. c. 50. & lib. 8. c. 68. De eodem S. Syro Luitbprand. Ticin. lib. 3. cap. 2. Bernard. abb. Boneual. in vita S. Bernardi lib. 1. cap. 4.

[f] Sacerdotis Epiſcopi.] De eodẽ Beda, & Ado. Claruit temporibus Childeberti Regis Francorũ, cuius anno trigeſimooctauo interfuit Aurelianẽſi quinto Concilio, vt eius Acta ſignificant. Numeratur hic Lugdunẽſis ſedis Epiſcopus trigeſimus, vel trigeſimus ſecundus, iuxta diuerſas tabulas, quas deſcripſit Democh. lib. de ſacrif. Miſſæ.

[g] Siluini Epiſcopi.] De quo tabulæ eccleſiæ Veronen. quas illuſtrauit Illuſt. ac R. D. Auguſtinus Valerius Epiſc. Veron. S. R. E. Card. libro quem ſcripſit de antiquis monum. Epiſcoporum Veronen. pag. 10. & 42.

[h] Guidonis Confeſſoris.] Huius Acta recenſet Sur. tom. 5. hac die. Agit de eodem Molan. in addit. ad Vſuardum. Migrauit ex hac vita anno Domini milleſimo centeſimo duodecimo.

13

## Idibus Septemb. Luna. D xj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | | | |

ALEXANDRIÆ natalis beati Philippi[a], patris ſanctæ Eugeniæ virginis. Hic dignitatem præfecturæ Ægypti deſerens, baptiſmi gratiam aſſecutus eſt: quem in oratione conſtitutum iuſſit Terentius Præfectus eius ſucceſſor gladio iugulari. Item ſanctorum martyrum Macrobij[b] & Iuliani, qui ſub Licinio paſſi ſunt. Eodem die ſancti Ligorij[c] martyris, qui in eremo degens, à Gentilibus ob Chriſti fidem necatus eſt. Alexandriæ ſancti Eulogij[d] Epiſcopi, doctrina & ſanctitate celebris. Andegaui in Gallia ſancti Maurilij[e] Epiſcopi, qui innumeris miraculis claruit. Apud Senonas ſancti Amati[f] Epiſcopi & confeſſoris. Ipſo die ſancti Venerij[g] confeſſoris, admirandæ ſanctitatis viri, qui in inſula Palmaria vitam eremiticam duxit. In monaſterio Romarico in Gallia ſancti Amati[h] presbyteri & abbatis, abſtinentia & miraculorum gratia illuſtris.

## SEPTEMBRIS 13.

PHILIPPI[a].] De eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores; qui omnes corrigendi ſunt, dum ex actis S. Eugeniæ dicunt illum fuiſſe Epiſcopum Alexandrinum: nam eius præfectura ſæcularis, & non ſacerdotalis fuit: Euſebius etenim eùm tam in chronico, quã in hiſtoria texit ſeriem Epiſcoporum Alexandrinorum, Nicephorus Epiſcopus, & Nicephorus Calliſt. & alij qui id ipſum præſtiterunt, nullus ipſorum inter Alexandrinos Epiſcopos adnumerat Philippum. Rurſus autem in eodem Philippo ſanctę Eugenię patre errauerunt alij, qui putarunt eumdem eſſe Philippum Imperatorem, vt Cedrenus in Maximino; quos Zonaras iure redarguit in Philippo Imp. Quòd item in prædictorum Martyrologiis legitur hic paſſus eſſe Valeriani & Gallieni temporibus, planè repugnant Actis ipſius S. Eugenię, vbi eius certamen deſcribitur. Nec quemquam moueat, ſi eius filia Eugenia paſſa dicatur temporibus prædictorum Imperatorum: nam perlongum temporis ſpatium inter vtriuſque martyriũ interceſſiſſe, eadem Acta ſignificant. Paſſus eſt autem Philippus Seuero & Antonino filio regnantibus, vt eadem Acta teſtantur; quæ tamen tam in his quæ habent de Epiſcopatu Philippi, quàm in aliquibus aliis ſuperadditis, cenſura indigent.

[b] Macrobij & Iuliani.] De iiſdem Græcorum tabulæ & Menologium hac die agunt.

[c] Ligorij.] Vet. manuſcripta de eodem hac die: Petrus in catal. lib. 8. cap. 75. agit de eius martyrio atque tranſlatione.

[d] Eulogij Epiſcopi.] De eodem Græci etiam. Scribit de eo Euagr. hiſt. lib. 5. cap. 25. De eodem agitur in Prat. ſpirit. c. 146. & 147. Nicephorus in chron. numerat eum quadrageſimumſeptimum eius ſedis Epiſcopum. Claruit temporibus Mauritij Imperatoris, & Phocæ eius ſucceſſoris. vſus eſt eo familiariſſimè S. Gregorius Papa, cuius ad ipſum quamplurimæ extant epiſtolæ, vt lib. 1.

Epiſt.23.lib.4. epiſt. 36. lib.5.60.lib.6.31. & 37. lib.7. 30.& 38.lib.8.43. & lib.11.epiſt.46.47.

[e] Maurilij Epiſcopi. ] Vſuardus, Ado, & alij recentiores de eodem hac die. Extant eius Acta, quæ Mombrit. tom.2.& Sur.tom.5. recitant;quæ à Fortunato fuiſſe conſcripta, teſtatur Trithemius. Claruit temporibus Theodoſij, & Honorij eius filij : conſecratuſque Epiſcopus à S. Martino Epiſcopo Turonenſi, ſedit annis triginta. Agunt de eodem Petrus Cluniacenſis lib. 1. epiſt. 2. Vincent. lib.17. cap. 20. Anton. par.2.tit.10. cap.13 Petrus in catal. lib.8.cap. 75. Adducit hunc in exemplum Petrus Damian. in apolog ad Gregorium Septimum Rom. Pont. de abdicatione Epiſcopatus. Fuit eiuſdem nominis alius Epiſcopus Rhotomagenſis, qui vixit circa annum Domini 1070. de quo Trithem. de viris illuſtribus ord. S. Benedicti lib.3.c.323. & lib.4. cap. 120.

[f] Amati Epiſcopi. ] Huius res geſtas ex antiquis codicibus mutuatus edidit Sur. to. 5. Agit de eodem Sigebert. in chron. anno Domini 685. & Molan.in addit.ad Vſuard. & in Indiculo Sanct. Belg. pluribus. Numeratur vigeſimusſecundus eius ſedis Epiſcopus. Exceſſit ex hac vita anno Domini 690. vt indicant tabulæ eccleſiæ Senonenſis à Demochate deſcriptæ.

[g] Venerij. ] Eius Acta in compendium redacta habet Petr. in catal. lib. 8.c.65.qui ſubdit de alio eiuſdem nominis ſanctitate claro, qui vixit temporibus Othonis Tertij Imp.ibid.cap.66. Hic de quo agimus, claruit temporibus Phocæ Imp. & Gregorij Papæ,qui monaſterium eiuſdem in Palmaria inſula ad canonicam obſeruationem reſtituendum curauit. lib. 1. epiſt. 48. Fuit eiuſdem nominis ſanctitate clarus alius adhuc Venerius, qui habitauit in montibus Tiburtinis, de quo ſcribit Petrus Damian. in vita S.Romualdi.

[h] Amati presbyt. ] De quo item Beda, Vſuard. & alij. Extant eius Acta apud Sur. tom. 5. De eodem Trithem. de vir. illuſtr. ord. S. Bened. lib. 3. cap.88.& 90. Floruit temporibus Dagoberti Regis Franc anno Domini 630. Idem Trithem. ibidem agit de alio eiuſdem nominis & monaſterij abbate & martyre lib. 3. cap.309.de quo agi putat hac die.

## x. E Decimooctauo Kal. Octob. Luna. 14

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | | | |

EXALTATIO [a] ſanctæ Crucis, quando Heraclius Imperator, Coſrhoë Rege deuicto, eam de Perſide Ieroſolymam reportauit. Romæ via Appia beati Cornelij [b] Papæ & martyris, qui in perſecutione Decij poſt exilij relegationem iuſſus eſt plumbatis cædi, & ſic cum aliis viginti & vno promiſcui ſexus decollari. Sed & Cærealis miles cum Salluſtia vxore ſua, quos idem Cornelius in fide inſtruxerat, eodem die capite plexi ſunt. In Africa paſſio ſancti Cypriani [c] Epiſcopi Carthaginienſis, ſanctitate & doctrina clariſſimi : qui ſub Valeriano & Gallieno Principibus poſt durum exilium detruncatione capitis martyrium conſummauit ſexto milliario à Carthagine iuxta mare. Paſſi ſunt etiam ibidem ſancti martyres Creſcentianus [d], Victor, Roſula, & Generalis. Romæ ſancti Creſcentij [e] pueri, filij ſancti Euthymij, qui in perſecutione Diocletiani ſub Turpilio Iudice via Salaria gladio percuſſus occubuit. Treuiris ſancti [f] Materni Epiſcopi, diſcipuli beati Petri Apoſtoli, qui Tungrenſes, Colonienſes, & Treuirenſes, alioſque finitimos populos ad Chriſti fidem perduxit. Eodem die natalis ſancti Ioannis [g] Chryſoſtomi Epiſcopi Conſtantinopolitani, qui inimicorum factione in exilium eiectus, cùm Innocentij Primi Summi Pontificis decreto inde reuocaretur, à cuſtodientibus militibus multa mala perpeſſus, ani-

animam Deo reddidit: eius tamen feſtiuitas ſexto Kalendas Februarij celebratur, qua die ſacrum ipſius corpus à Theodoſio Iuniore Conſtantinopolim fuit tranſlatum.

# SEPTEMBRIS 14.

EXALTATIO S. Crucis [a].] De ea etiam Beda, Vſuardus, Ado, & alij: pluribus autem Ordo Rom. de diuin. offic. in fin. Microlog. cap. 55. ac ceteri qui ſcribunt de diuin. offic. Agunt prętereà & Græci hac die ſolemnitatem Exaltationis S. Crucis, non tamen quando per Heraclium Imp. deuicto Coſrhoë reſtituta eſt; ſed cùm, Conſtantino imperante, gloria exaltatę Crucis, maiori fulgore in Orbe effulſit. Extat tractatus egregius Epiphanij Epiſcopi Orbi de ſigno Crucis, quod apparuit Conſtantino magno Imp. Habetur Græcè ſcriptus in codic. manuſcripto biblioth. Sfortianæ num. 91. Græci itaque longè ante Heraclij tempora hac ipſa die eiuſmodi celebritatem agebant; qua item die Exaltationis S. Crucis ſanctum Ioannem Chryſoſtomum ex hac vita migraſſe, hi tradunt, qui res geſtas ipſius ſunt proſecuti. De eadem etiam ſolemnitate hac die agi ſolita meminit Euſtachius presbyter in Eutychio apud Lipom. tom. 7. Latini etiam ante Heraclij tempora hanc diem Exaltationi S. Crucis dicatam coluiſſe videntur: nam in Sacramentario S. Gregorij de eadem, hac die agitur. Putamus itaque eamdem ſolemnitatem multo priùs celebrari ſolitam, tanta deinde parta victoria, auctam, redditamque ex eius rei memoria illuſtriorem. Quæ verò de reſtitutione S. Crucis poſt Heraclij victoriam ſcripta ſunt, contigerunt anno decimonono eius Imp. vt conſtat ex Theophane in hiſt. Miſcel. Numeratur hic annus à Chriſto Domino ſexcenteſimus vigeſimusoctauus. De eadem Aim. de geſt. Franc. lib. 4. cap. 21. Vide de eadem Exaltatione Suidam in hiſt. in Heraclio. Rei geſtæ hiſtoriam multis inuolutam ambagibus legimus manuſcriptam, quam penes nos habemus, auctore quodam Nicephoro Epiſcopo, cuius eſt initium: Tempore illo quo, &c. Quid autem in ea germanum, quidve ſpurium ſit, diximus in Annal. Eccleſ. Quod doluimus, hiſtoriam illam nonnullis auctam mendaciis in quibuſdam eccleſiis pictam vidimus. Extant de ſancta Cruce S. Ioannis Chryſoſtomi orationes duę. Sophronius item de Exaltatione S. Crucis ſcripſit ſermonem; alium eiuſdem argumenti edidit Leo Imperator; quos habet codex Græcus manuſcript. bibliothecæ Sfortianę num. 65. Itemque Ioſephus Epiſcopus Theſſalonicæ aliam de S. Cruce ſcripſit orationem: habetur & ipſa in eadem biblioth. num. 84.

[b] Cornelij Papæ.] De eodem hac die Beda, Vſuard. Ado, & alij. De cuius ſucceſſione Euſeb. in chron. & hiſt. lib. 6. cap. 32. Optat. lib. 2. Aug. epiſt. 165. Niceph. in chron. Res geſtas ipſius, & tempus quo ſedit, pleniùs ſcripſimus in Annal. Eccleſ. De Cæreali & Salluſtia, quorum hîc mentio habetur, agit hîc item Ado, aſſentiunturque vet. manuſcripta. S. Leo Papa extruxit baſilicam S. Cornelij Papæ nomine, iuxta cœmeterium Calliſti via Appia, vt conſtat ex lib. de Rom. Pontificibus in Leone Primo.

[c] Cypriani.] Beda, ac ceteri qui ſuprà, de eodem hac die. Fuit eius ſolemnitas etiam Græcis celeberrima, in qua S. Gregorius Nazianzenus præclaram habuit orationem: licet tam ipſe, quàm Metaphraſtes, ac ceteri Græcorum errore labantur, dum eumdem eſſe exiſtimant cum Cypriano mago; qui paſſus eſt cum Iuſtina virgine; nomine nimirum & martyrij titulo decepti: cùm re vera multis differentiis conſtet inter ſe eſſe diſtinctos. Huius Acta deſcripſit Pontius eius diaconus, vt teſtatur S. Hieron. de ſcript. Eccleſ. inde Paulus diac. extant prætereà eiuſdem martyrij Acta publica à Notariis excepta: quæ omnia in vnum collecta habet Pamelius, qui & de ſuo addidit eiuſdem Cypriani vitam ex ipſiuſmet ſcriptis locupletatam. Legi in antiquo Breuiatio Toletano ſacrum hymnum, quo eius martyrium egregiè deſcriptum canitur. eſt eius exordium: Orbis magiſter Taſcie, &c. Extant de eodem ſermones ſancti Auguſtini, quorum Poſſidius meminit in Indic. ſerm. 113. 114. 115. & 116. de diuerſis, adhuc alius in addit. Pariſ. 12. vbi etiam recenſentur eiuſdem martyrij Acta. Extant prætereà de eodem ſermones duo S. Maximi, alius inſuper S. Petri Chryſologi 129. In huius martyris honorem duę apud Carthaginem illuſtres baſilicę fuerunt erectæ, vt ſcribit Victor de perſecut. Vuandal. lib. 1. quarum altera vbi paſſus, altera verò vbi ſepultus, extructa fuit. Prior ad Sextum dicta; à ſexto videlicet ab vrbe Carthagine lapide: qui ipſe locus appellatus eſt Menſa Cypriani; non quòd (vt ait Auguſt. ſerm. 113. de diuerſ.) ibi ſit vmquam Cyprianus epulatus, ſed quia ibi eſt immolatus. Altera ad Decimum eſt nuncupata, quòd tot paſſuum millibus à Carthagine diſtaret eius ſepulchrum; huius meminit Procopius de bello Vuandalico, aitque hanc ſibi vendicaſſe Vuandalus Arianæ perfidiæ ſectatores, illa priori ad ſolum proſtrata. Hæc autem (ſecundùm præcedens de ea re editum propheticum oraculum) ſubactis per Iuſtinianum Imp. Vuandalis, reddita eſt Catholicis. Dicta hæc erat etiam Sepulchrum Cypriani, ad quod è tranſmarinis vſque regionibus frequens erat acceſſus Fidelium, vt apparet ex Seuero lib. 1. dialog. De eadem ſolemnitate & loco ſcribit Niceph. hiſt. libro 17. cap. 12. Non tantùm in Africa, ſed & in Italia celeberrima fuit huius diei S. Cypriani ſolemnitas, de qua extat epiſtola Athalarici Regis ad Seuerum, apud Caſſiod. Variar. lib. 8. epiſt. vlt. Appellabatur enim celebritas Cyprianæa, vt ſcribit Procop. de bello Vuandal.

[d] Creſcentianus & ſoc.] De quibus Ado, cui adſtipulantur vetera manuſcripta.

[e] Creſcentij pueri.] De cuius martyrio, aliorumque ſociorum Acta manuſcript. legi, quæ ab eccleſia Peruſina accepimus.

[f] Materni Epiſc.] De eo & Beda, aliique recentiores. Plura de eo in Actis S. Gereonis & ſoc. quæ recitat Sur. tom. 5. Octobris 10. & Molanus

in Indic. Sanctorum Belgij. Cùm autem omnes vno ore fateantur, hunc fuiſſe ſancti Petri Apoſtoli diſcipulum: profectò neceſſe eſt dicere, duos eiuſdem nominis, eiuſdem Colonienſis eccleſiæ fuiſſe Epiſcopos, ſcilicet maiorem hunc, de quo hac die agitur, Petri diſcipulum; & minorem, qui claruit temporibus Conſtantini Imperatoris, interfuitq; Concilio primo Arelatenſi, vt eius Acta ſignificant, cuius etiam meminit idem Imperator in litteris ad Melchiadem Rom. Pontificem, quas refert Euſebius lib. 10. ipſi etenim ac collegis Epiſcopis delegata eſt cauſa Cæciliani Epiſcopi Carthaginenſis; qui & Romam vocatus eſt ad Synodum in eadem cauſa habendam, vt ſcribit Optat. Mileuit. lib. 1. contra Parmen. Hinc miramur vehementer, quomodo in tabulis Epiſcoporum Colonienſium, quas deſcripſit Demochares lib. de ſacrif. Miſ. vnus tantùm adnumeretur Maternus: qui ſi (vt in illis idem ponit Demochates) præceſſit Euphratem, qui, vt Arianus, damnatus eſt in Concilio Agrippinenſi; manifeſtè conſtat, illum non vixiſſe temporibus Apoſtolorum, ſed potiùs Conſtantini Magni, vt apparet ex Actis prædictorum Conciliorum. Hunc hiſtoriæ nodum cùm aliis ſoluendum relinqueremus, nec eſſet in animo aliquid definire: Reuerendiſſimus D. Lindanus, Epiſcopus Ruremundenſis, cùm iſtæc ipſa noſtra Romæ peruideret, in eam ſe dicebat ire ſententiam, vt duo fuerint eiuſdem ciuitatis, eiuſdemque nominis, diuerſis temporibus, Materni Epiſcopi; vt in aliis ciuitatibus ſæpè vidimus accidiſſe. Cuius ſententiæ, vtpote viri eruditiſſimi, nos libentiſſimè ſubſcribimus; id præſertim prædictis rationibus non tantùm ſuadentibus, ſed cogentibus.

[g] Ioannis Chryſoſtomi.] De eodem hac die Græci in Menologio, qua ex humanis eſſe ſublatum, qui eius Acta ſcripſerunt, teſtantur, Pallad. Leo Auguſt. Metaph. Greg. Alex. Caſſiod. trip. lib. 10. cap. 18. Niceph. lib. 13. c. 17. & alij. Penes Socrat. lib. 6. c. 19. textus deprauatus reperitur, & loco xviij. Kalend. Octobr. legitur xviij. Kalend. Decembr. cuius erroris ea videtur eſſe occaſio, quòd ob ſolemnitatem S. Crucis Græci transferunt hanc celebritatem S. Ioannis Chryſoſtomi in eam diem, vel (vt alia habent Menologia) ad Idus Nouemb. vt ponitur etiam in dicto eorum Menologio. Migrauit ex hac vita, Honorio ſeptimùm, & Theodoſio ſecundùm Coſſ. vt idem Socrates & alij teſtantur. eſt hic annus (iuxta Faſtos Onuphrij) à Chriſto Domino 407. Cœpta eſt hæc eius ſolemnitas agi Conſtantinopoli tempore Theodoſij Iunioris, poſtquam opera S. Innocentij Papæ nomen eius, quod per ſchiſmaticos fuerat abraſum à diptychis, Catholica Eccleſia gaudente, eſt in priſtinum reſtitutum. Cetera de S. Ioanne Chryſoſtomo vide notata ſuperiùs in die tranſlationis eius, ſexto Kalend. Februarij: quibus addimus, extare S. Ioan. Damaſcen. encomium de eodem ſancto; inſuper & orationem de eius tranſlatione à Conſtantino filio Leonis Imp. conſcriptam. habet hæc omnia codex Græcus manuſcript. in bibliotheca Sfortiana num. 65.

## ix. F Decimoſeptimo Kal. Octob. Luna. 15

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | | | |

OCTAVA [a] Natiuitatis beatæ Mariæ Virginis. Romæ via Nomentana natalis beati Nicomedis [b] preſbyteri & martyris; qui cùm diceret compellentibus ſe ſacrificare: Ego non ſacrifico niſi Deo omnipotenti, qui regnat in cælis: plumbatis diutiſſimè cæſus, migrauit ad Dominum. In territorio Cabilonenſi ſancti Valeriani [c] martyris, quem Priſcus Præſes ſuſpenſum, & graui vngularum laceratione cruciatum, cùm in Chriſti confeſſione videret immobilem, ac læto animo in eius laudibus permanentem, gladio animaduerti præcepit. Marcianopoli in Thracia ſanctæ Melitinæ [d] martyris, quæ ſub Antonino Imperatore & Antiocho Præſide ad Gentilium fana ſemel & iterùm ducta, cùm idola ſemper corruerent, ſuſpenſa & laniata, ac demum capite plexa eſt. Hadrianopoli ſanctorum Martyrum Maximi [e], Theodori, & Aſclepiodoti, qui ſub Maximiano Imperatore coronati ſunt. Item ſancti Por-

Porphyrij[f] mimi, qui coram Iuliano Apoſtata per iocum baptiſmum ſuſcipiens, Dei virtute derepentè mutatus, Chriſtianum ſe eſſe profeſſus eſt; ac mox, iubente eo, ſecuri percuſſus, martyrio coronatur. Eodem die ſancti Nicetæ[g] Gothi, qui ab Athanarico Rege ob Catholicam fidem iuſſus eſt igne comburi. Cordubæ ſanctorum martyrum Emilæ[h] diaconi, & Ieremiæ, qui in perſecutione Arabica poſt longam carceris macerationem, ceruicibus pro Chriſto abſciſſis, martyrium compleuerunt. Tulli in Gallia ſancti Apri[i] Epiſcopi. Item ſancti Leobini[k] Epiſcopi Carnutenſis. Lugduni ſancti Albini[l] Epiſcopi. Eodem die depoſitio ſancti Aichardi[m] abbatis. In Gallia ſanctæ Eutropiæ[n] viduæ.

## SEPTEMBRIS 15.

OCTAVA Natiuitatis B. Mariæ[a].] De eadem Beda, Radulph. de obſeruat. canon. cap. 19. recenſet eam inter maiores Octauas, cuius Officium Eccleſiaſticum ab Innocentio Papa Quarto conſtitutum tradunt. Vide notata ſuperiùs in ipſa die Natiuitatis eius.

[b] Nicomedis.] De quo Beda, Vſuard. Ado, & vet. manuſcript. Huius res geſtæ deſcribuntur in Actis ſanctorum Nerei & Achillei cap. 9. & 10. apud Sur. 12. Maij, tomo 3. Erat nobilis Romæ Titulus S. Nicomedis: mentio de eo habetur in Concilio primo Romano ſub Symmacho, quod Secundum perperàm dictum reperitur. eius anniuerſaria dedicationis dies agebatur Kal. Iunij, vt apparet ex Martyrologio Bedæ, Vſuardi, & Adonis. Erat inſuper Romæ cœmeterium à ſancto Nicomede denominatum, de quo in libro de Romanis Pontificibus in Bonifacio Quinto.

[c] Valeriani.] Agunt de eodem Beda & alij. De eius martyrio atque miraculis Gregorius Turonenſis de gloria martyrum cap. 54. & Petrus in Catalogo lib. 8. cap. 48.

[d] Melitinæ.] De eadem Græcorum tabulæ, quarum aliæ hac die, aliæ verò ſequenti: in Menologio autem, quo vtimur, ponitur die ſequenti, ibique pluribus martyrium eius deſcribitur.

[e] Maximi & ſoc.] Agunt de iiſdem etiam Græci die ſequenti in Menologio.

[f] Porphyrij.] Græci itidem agunt de eodem hac die in Menologio, reſque eius geſtas paucis complexi ſunt.

[g] Nicetæ.] Huius Acta ex antiquioribus codicibus deſcripſit Metaphraſtes, quæ retulit Lipomanus in tom. 6. & Surius tom. 5. Scribit de eodem Nicephorus hiſtor. libro 11. cap. 48. & Suidas in hiſtoricis, in verbo Athanaricus.

[h] Emilæ & Ieremiæ.] De his Vſuardus ad xv. Kal. Octobr. ſed hac die paſſi ſunt, vt teſtatur S. Eulogius, qui ipſorum martyrij Acta conſcripſit in Memor. Sanct. lib. 2. cap. 12. coronatoſque refert æra octingenteſima nonageſima, anno à Chriſto Domino 852.

[i] Apri Epiſc.] De quo etiam Beda, Vſuardus, & alij. Ponitur hic ſeptimus ordine in tabulis Epiſcoporum Tullenſium, quas deſcripſit Democh. Hic ex cauſidico monachus, & ex monacho eſt factus Epiſcopus, de quo S. Paulinus Epiſcopus Nolan. epiſt. 27. 28. & 29. in quibus de ipſo fuſiùs.

[k] Leobini Epiſcopi.] Agunt de eodem hac die Beda, Vſuardus, Vuandelb. & alij. Habetur de eo mentio in Actis S. Auiti presbyteri apud Surium tomo 3. 17. Iunij. Numeratur hic decimusſextus eius ſedis Epiſcopus in tabulis Democharis.

[l] Albini, aliàs Alpini.] De quo etiam Beda hac die, & alij recentiores. Adſcribitur in tabulis Lugdunenſium Epiſcoporum decimusquartus eius ſedis Epiſcopus, ſucceſſitque ſancto Iuſto, de quo ſuperiùs actum eſt die 2. Septembris.

[m] Aicardi abb.] Scripta ſunt eius Acta à Fulperto, quæ deſcripſit Sur. tomo 5. Mentio habetur de eodem in vita S. Philiberti apud eumdem tom. 4. 20 Auguſti & Molan. in addit. ad Vſuard. Claruit circa annum Domini ſexcenteſimum octogeſimum.

[n] Eutropiæ.] Scribit de hac Sidonius Apollinaris lib. 6. epiſt. 2. ad Pragmatium. Alia hæc eſt ab ea quæ tempore cladis Hunnicæ martyrio occubuit, de qua inferiùs decimonono Kalend. Ianuarij.

## viij. G Sextodecimo Kal. Octob. Luna. 16

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | | | |

CHALCEDONE natalis ſanctæ Euphemiæ [a] virginis & martyris, quæ ſub Diocletiano Imperatore & Priſco Proconſule, tormenta, carceres, verbera, argumenta rotarum, ignes, pondera [b] lapidum, beſtias, plagas virgarum, ſerras acutas, ſartagines ignitas pro Chriſto ſuperauit; ſed rurſus in theatrum [c] ad beſtias ducta, cùm oraſſet ad Dominum vt iam ſpiritum ſuum ſuſciperet, vna ex iis morſum ſancto corpori infigente, ceteris pedes eius lambentibus, immaculatum ſpiritum Deo reddidit. Romæ ſanctorum martyrum Luciæ [d] nobilis matronæ, & Geminiani, quos Diocletianus Imperator pœnis grauiſſimis afflictos, diuque tortos, tandem poſt laudabilem martyrij victoriam gladio animaduerti præcepit. Item Romæ via Flaminia ſanctorum martyrũ Abundij [e] preſbyteri, & Abundantij diaconi, quos Diocletianus Imperator vnà cum Marciano viro illuſtri, & Ioanne eius filio, quem illi à mortuis ſuſcitauerant, decimo ab Vrbe lapide gladio feriri iuſſit. Heracleæ in Thracia ſanctæ Sebaſtianæ [f] martyris, quę à beato Paulo Apoſtolo ad Chriſti fidem perducta, ſub Domitiano Imperatore & Sergio Præſide variis modis tentata, gladio tandem cæſa eſt. Cordubæ ſanctorum martyrum Rogelli [g] & Seruidei, qui manibus pedibuſque abſciſſis, ad vltimum decollati ſunt. In Scotia ſancti Niniani [h] Epiſcopi & confeſſoris. In Anglia ſanctæ Edithæ [i] virginis, Edgari Anglorum Regis filiæ, quæ in monaſterio à teneris annis Deo dicata, ſæculum hoc ignorauit potiùs, quàm reliquit.

## SEPTEMBRIS 16.

EVPHEMIÆ [a].] De eadem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij Latinorum, Græci autem in Menologio quinto Idus Iulij; ſic & in conſtitutione Emmanuelis Imperat. apud Theodor. in Nomoc. Phot. tit. 7. cap. 1. licet olim tempore Concilij Chalcedonenſis ageretur in Oriente natalis dies eius ad octauum Kal. Nouemb. vt apparet ex eodem Concil. Act. 6. Eius Acta ex priſcis monumentis edidit Metaphraſtes, quæ extant apud Lipom. tomo 6. & Surium tomo 5. Deſiderantur autem in eis ea quæ ex nobili pictura expreſſa, deſcriptaque à S. Aſterio Epiſc. Amaſeno recitantur in 2. Concilio Nicęno Act. 4. & 6. Habemus alia eius Acta manuſcripta. Eſt illorum exordium: Diocletiano Imp. &c. Eadem Mombrit. recitat to. 1. In Breuiar. Tolet. eſt vetus ſacer hymnus, quo eiuſdẽ Acta canuntur. incipit:

*En feſtum produt virginis inclyta, &c.*

De ſacratiſſimis eius reliquiis, ex quibus purus ſanguis emanabat, ſcribit Euagr. lib. 2. cap. 3. & Niceph. lib. 15. cap. 3. & 5. & lib. 18. c. 31. Inuiſit eas S. Melania iunior, cùm pergeret Conſtantinopolim, vt conſtat ex Actis ipſius. Sanctus Paulinus Nolanus Epiſcopus acceptas eiuſdem martyris ſacras reliquias condidit vnà cum aliis in Nolana baſilica, vt ipſe ſcribit natali 9. S. Felicis his verſibus:

*Et qua Chalcidicis Euphemia martyr in oris*
*Signat virgineo ſacratum ſanguine litus.*

Quid autem in eadem veneranda pignora præſumpſerit impius hagiomachus Conſtantinus Copronymus, qui eadem perdenda curauit, & quomodo fuerint inuenta, atque tranſlata, ſcribit Theo-

Thophan. ex quo hiſt. Miſcella, Zonaras, & Cedtenus. Habuit de eorum inuentione præclaram orationem Conſtantinus Epiſcopus, qua execrandum facinus ſacrilegi Imperatoris deſcribitur. extat apud Metaphraſt. 11. Iulij, & apud Sur. tomo 4. ea die Chalcedone in eius baſilica celebrata eſt SS. Synodus œcumenica Chalcedonenſis. Fuit etiam Romæ celebris eiuſdem inclytæ martyris cultus, cuius baſilicam poſitam via Appia dicauit Donus Papa: aliam rurſus eccleſiam eiuſdem Euphemiæ apud Tibur poſitam dedicauit Gelaſius Papa, vt apparet in lib. de Romanis Pontificibus, qui creditur eſſe Anaſtaſij. Romæ item ad radices Eſquilini collis hactenus perſeuerat eiuſdem eccleſia: niſi magis placet dicere, plures fuiſſe Euphemias.

[b] Pondera lapidum.] Frequens eſt reperiri in Actis ſanctorum martyrum, eoſdem inter alia cruciamenta ponderibus aggrauatos. Qualia autem fuerint iſtæc lapidea pondera, Romæ in baſilicis Apoſtolorum, aliiſque in eccleſiis poſita inuiſuntur: nimirum ingentis ponderis lapides rotundi, vel oblongi, ferreum annulum ſaxo impactum habentes, quo immittatur funiculus ad ligandum, ac ſuſpendendum ad pedes vel manus in ſublime. Miratus ſum cuiuſdam ſententiam, qui putaret globos illos lapideos non ad inferenda cruciamenta, ſed ad penſanda onera fuiſſe compoſitos: neſciens, quòd quæ erant huiuſmodi, habebant inſcriptam notam numeri, vt tradunt Iſid. lib. 16. Origin. & Alciar. de pond. cap. 1. & alij. Eiuſmodi globus lapideus à Ioſepho libro de Machab. ad Polyb. Orbiculare appellatum videtur, de quo his verbis: Inhumana crudelitate aliquid maius excogitat: Orbiculate afferri in medium iubet: hinc cùm pedes vnà cum manibus deorſum colligati fuiſſent, ſanctum quoque, chorda orbiculari ventrem circumcingente, in altum vſque contrahit. nec mora, ſeparatur à ſede ſua dorſi iunctura, crura cum brachiis extrahuntur, eiiciuntur humeri, ſicque ſingulis neruis diſtrictis ſoluitur martyr inuictus. Hæc Ioſephus, ex verſione Eraſmiana. Diuerſa ab his erant illa pondera, quæ lege xij. Tab. exhibebantur debitoribus: erant enim compedes, de quibus Gellius lib. 20. cap. 1. in fin. vbi hæc inter alia: Vincîto autem neruo, aut compedibus quindecim pondo, non minore; aut ſi volet, maiore vincîto, &c. Vetuit Conſtantinus Imp. admoueri pondera debitoribus L. 3. de exact. C. Theod. Meminit & Caſſiod. Var. lib. 11. cap. 40. de his ponderibus reos aggrauantibus.

[c] Rurſus in theatrum.] Frequentiſſimè eſt inuenire in Actis ſanctorum martyrum, eoſdem in theatro, ſpectante populo, eſſe cruciatos. Inter alias editiones ad ſpectantium voluptatem comparatas, exhiberi conſueuerunt exquiſitæ miſerorum damnatorum carnificinę, quas illi (nō dicam homines adeò ab humanitate remotos, ſed feras beſtias) auidè ſpectare conſueuerunt. Et vt omittam quæ in eo genere Suet. & alij teſtata reliquerunt, locum vnum Philonis in lib. in Flaccum hîc recitare contentus ero. ſic enim ait: Antè flagellabantur in medio theatro, igne ferroque torquebantur, ſpectaculis diſtributis in hunc modum. Manè vſque ad horam tertiam quartámve Iudæi flagellabantur, rotis alligabantur, damnabantur, per mediam orcheſtram ducebantur ad ſupplicium: deinde poſt tam præclara exempla edita inducebantur ſaltatores, immò tibicines, aliaque ludicra ſcenicorum certaminum, &c. Hæc Philo, qui de hiſce ſpectaculis tunc Alexandrię à Flacco Præfecto exhibitis, pluribus agit. Eſt & epigramma Martialis lib. 1. de pœna Laureoli, quo monſtrat Domitianum in theatro tragicos caſus acerbos in miſerorum corpora repręſentaſſe. Sed hæc quidem omnia contra antiqua iura Romanorum, quibus vetita erant damnatorum cruciamenta in theatris, cùm ludi agerentur, exhiberi. Quanta autem totius Vrbis clade eiuſmodi facinus ſemel præſumptum fuerit, ac vix tandem expiatum, conſule quæ ſcribit Liuius lib. 2. decad. 1. cùm agit de ſeruo ſub furca in medio circi cæſo.

[d] Luciæ & Geminiani.] De his item Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri Latinorum, Græci autem in Menologio die ſequenti. Recitat horum Acta Mombrit. tom. 2. Habemus ea in vet. cod. manuſcript. quorum eſt exordium: Conſulibus Diocletiano octies & Maximiano ſepties, &c. Habent tamen aliqua quæ corrigantur. Confundunt aliqui hanc Luciam cum illa Syracuſana; ſicque & eccleſia ab Honorio Papa erecta in Eſquilino, dicta, Diaconia S. Luciæ ad ſeptem ſolia, apud baſilicam ſancti Silueſtri poſita, illi tribuitur. Eſt prætereà iuxta Tiberim ad Quatuor portas vetus memoria eorumdem martyrum, vbi & eorum ſacra corpora condita eſſe dicuntur; licet Lucenſes eadem ad ſe tranſlata teſtentur: ſed accidiſſe putandum, ſicut frequenter in ceteris, vt pars ipſorum, & non integra fuerint tranſlata corpora.

[e] Abundij & Abundantij.] Legimus eorum martyrij Acta in vet. manuſcript. à ciuitate Caſtellana acceptis. incipiunt: Temporibus Diocletiani, &c. eadem verò ex tribus aliis antiquis exemplaribus recognita, emendata, auctaque nobili hiſtoria eorumdem ſacrorū corporum tranſlationis tertiò factę, notationibuſque illuſtrata, modò edidit Romæ Collegium Patrum Societatis Ieſu, in quorum baſilicam Farneſianam religioſiſſima & magnificentiſſima pompa ex Diaconia ſanctorum Coſmæ & Damiani tranſlata ſunt xvij. Kal. Octob. anno Domini 1583. Pontificatus Gregorij Papæ XIII. anno duodecimo. Quod autem ſpectat ad ſanctos martyres Marcianum & Ioannem, de quibus hîc mentio habetur; horum veneranda corpora aſſeruantur & religioſè coluntur in ciuitate Caſtellana apud Veientes, ibique condita ſunt in cathedrali eccleſia ſub primario altari, prout ex veteribus eiuſdem eccleſiæ monumentis didicimus.

[f] Sebaſtianæ.] De eadem hac die Græci agunt in Menologio, recoluntque eius Acta, prout hîc etiam enarrantur.

[g] Rogelli & Seruidei.] Agit de his S. Eulogius in memor. ſanct. martyrum lib. 2. c. 13. paſſoſque tradit hac die, æra octingenteſima nonageſima: eſt annus Domini octingenteſimus quinquageſimus ſecundus.

[h] Niniani Epiſc.] Scribit de eodē Beda de geſt. Angl. lib. 3. cap. 4. & Molan. in addit. ad Vſuard.

[i] Edithæ.] Huius res geſtas, & poſt obitū edita miracula deſcripſit ex vet. monumentis Sur. to. 5. & Radulph. in Polychron. lib. 6. cap. 7. Claruit circa annū Domini nongenteſimū octogeſimum.

Quinto-

vij. A Quintodecimo Kal. Octob. Luna. 17

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | | | |

ROMÆ via Tiburtina natalis ſancti Iuſtini[a] preſbyteri & martyris, qui in perſecutione Valeriani & Gallieni confeſſionis gloria fuit inſignis. Hic beati Xyſti Pontificis, Laurentij, Hippolyti, aliorumque plurimorum ſanctorum corpora ſepeliuit, ac demum ſub Claudio martyrium conſummauit. Item Romæ ſanctorum martyrum Narciſci[b] & Creſcentionis. In Phrygia ſanctæ Ariadnæ[c] martyris ſub Hadriano Imperatore. In Britannia ſanctorum martyrum Socratis[d] & Stephani. Nouioduni ſanctorum martyrum Valeriani[e], Macrini, & Gordiani. Auguſtoduni ſancti Flocelli[f] pueri, qui ſub Antonino Imperatore & Valeriano Præſide multa paſſus, demum à feris diſcerptus, martyrij coronam adeptus eſt. Apud Leodium beati Lamberti[g] Epiſcopi Traiectenſis, qui cùm regiam domum zelo religionis increpaſſet, à nocentibus innocẽs occiſus, aulam regni cæleſtis perpetuò victurus intrauit. Eodem die ſanctæ Agathocliæ[h] ancillæ cuiuſdam mulieris infidelis, quæ longo tempore verberibus, aliiſque ærumnis ab ea vexata, vt Chriſtum negaret, oblata demum Iudici, & ſæuiùs laniata, cùm in confeſſione fidei perſiſteret, exciſa lingua, in ignem proiecta eſt. Cordubæ ſanctæ Columbæ[i] virginis & martyris. Mediolani depoſitio ſancti Satyri[k] confeſſoris, cuius inſignia merita ſanctus Ambroſius eius frater commemorat. Romæ ſanctæ[l] Theodoræ matronæ, quæ in perſecutione Diocletiani ſanctis martyribus ſedulò miniſtrabat. Commemoratio Impreſſionis[m] ſacrorum ſtigmatum, quibus S. Franciſcus ordinis Minorum inſtitutor, in ſuis manibus, pedibus, & latere, mira Dei gratia, in monte Aluerniæ in Etruria impreſſus eſt. Apud Bingiam in diœceſi Maguntinenſi ſanctæ Hildegardis[n] virginis.

## SEPTEMBRIS 17.

IVSTINI[a].] De eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri recentiores. Intextæ ſunt eius res geſtæ in Actis S. Laurentij martyris; ſeorſum autem poſitas, & vberiùs conſcriptas habemus in noſtra bibliotheca, vbi legitur, illum non tantùm Valeriani & Gallieni temporibus fuiſſe gloria confeſſionis illuſtrem, ſed etiam ſuperuixiſſe ad tempora Claudij Imp. tuncque martyrio coronatum fuiſſe: ſanè quidem Vuandelbert. & antiquiora monumenta eumdem appellant martyrem.

[b] N... iſſi & Creſcentionis.] De his item Beda, & alij qui ſuprà ex actis S. Laurentij. Erat nomine Creſcentionis dictum nobile cœmeterium Romæ via Salaria, non longè à cœmeterio Priſcillæ, vt indicant tabulæ Vaticanæ, in quibus cœmeteriorum nomina perlegimus.

[c] Ariadnæ.] De eadem Græci quoque in Menologio hac die.

[d] Socratis & Stephani.] Agunt de iiſdem hac die Beda, Vſuard. Ado, & alij; quibus etiam adſtipulantur vet. manuſcripta.

[e] Valeriani & ſoc.] De his etiam ſingulis Beda, Vſuard. Ado, ac ceteri recentiores.

[f] Flo-

Digitized by Google

[f] Flocelli.] Recitat eius Acta Mombrit. to.1. & Petrus in catal. lib.8. cap.92.

[g] Lamberti Epiſc.] De eodem hac die Bedæ Martyrologium, ac ceterorum. Eius Acta à pluribus auctoribus ſcripta repetiuntur; ac primùm omnium à Godeſcalco eccleſiæ Leodienſis diac. inde à Stephano Epiſcopo Leodienſi, de quo Sigeb. de vir. illuſtr. cap. 136. & in chron. anno 903. tertio loco ab ipſo Sigeberto Gemblacenſi, vt ipſe profitetur de viris illuſtr. c. 172. poſt eum à Nicolao canonico ſancti Lamberti; quintò denique à Rainerio monacho. Porrò Stephani tantùm & Nicolai ſcriptiones reperiri, teſtatur Molanus; qui de Lamberto agit in annot. ad Vſuardum, & in Indic. Sanctorum Belg. Eius autem vitam, quam recitat Sur. tom 5. Stephani Epiſcopi Leodienſis eſſe apparet. Habetur mentio de eodem in vita ſancti Suithberti apud Sur. tom. 2. prima Martij. Agit de eodem Sigebert. in chron. anno Domini 698. Trithem. de vir. illuſt. ord. S. Bened. lib. 3. cap. 111. & lib. 4 cap. 62.

[h] Agathocliæ.] De eadẽ hac die Græci in Menologio, vbi eius nobile certamen deſcribitur.

[i] Columbæ.] Scripſit eius martyrium S. Eulogius in Memor. ſanct. lib. 3. c. 10. paſſamque tradit hac die, æra octingenteſima nonageſimaprima; annus eſt Domini octingenteſimus quinquageſimustertius. Cùm autem celebres illi S. Eulogij commentarij aliquamdiu delituiſſent, & variis cladibus Hiſpania eſſet agitata; euenit vt hæc eadem Columba celebraretur pridie Idus Ianuarij, qua itẽ die agitur de Columba Senonenſi: deperditis etenim eius eccleſię tabulis, qua potiſſimùm die de hac ageretur, remanſit obſcurum. Hæc Ambroſ. Moral. in ſcholiis ad Eulogium.

[k] Satyri.] De eodem tab. eccleſiæ Mediolanenſis. In eius funere S. Ambroſius luculentam orationem habuit. agit præterea de eodem Mombrit. tom. 2. vit. ſanctorum.

[l] Theodoræ.] Agitur de eadem etiam in Actis ſanctorum Abundij & Abundantij, de quibus ſuprà.

[m] Commemoratio impreſſ.] De pręclariſſimo hoc & ſingulari Dei munere in S. Franciſcum, luculenter ſatis ac piè ſcripſit S. Bonauentura in vita ipſius: nam in cap. 13. totam facti ſeriem, tantæque rei teſtes grauiſſimos diffusè proſequitur; vnde Lector omnia, quæ tum ad deuotionem, tum ad admirationem facere videntur, abundè petere poterit: vt valeat cum Dauide iure ac meritò exclamare: Mirabilis Deus in ſanctis ſuis. Extant de tam immenſo miraculo Apoſtolicæ litteræ Summorum Pontificum, nimirum Gregorij Noni ad vniuerſos Chriſti fideles per Teutoniam conſtitutos, datæ Viterbij 11. Kal. April. ſui Pontificatus anno vndecimo, Aliæ itidem ad Epiſcopum Olomucenſem anno decimo ſcriptæ extant in eius Regiſtris in biblioth. Vatic. Extant adhuc aliæ Apoſtolicæ litteræ eodem argumento ſcriptę ab Alexandro Quarto. Porrò rem adeò admirabilem, ac tantopere teſtatam, Benedictus Papa XI. anniuerſaria ſolemnitatę, Duplici officio Eccleſiaſtico voluit celebrari: quam neſcio quomodo lapſam, in Martyrologio Romano hac die recenſeri, hocque loco poni, Sanctiſſimus D. N. Sixtus Papa Quintus, tanti Patris alumnus, mandauit. Recitantur de eadem re diplomata in ampliſſimo chronico Franciſcanorum, auctore Marco Vlixiponenſi Minorita, in prima parte lib. 2. c. 55. 56. 57. 58. & 59. Hæc cùm ad eius rei notationem ſatis eſſe videantur: prætermittimus coaceruare innumera aliorum auctorum teſtimonia, vt Antonini, Vincentij, & aliorum recentiorum. De mandato Sanctiſſimi Domini noſtri Sixti Papæ, cuius ſuprà meminimus, extat apud nos eiuſdem ſacrum chirographum, quo non tantùm quo loco huius diei, ſed quibus etiam verbis poneretur, eſt expreſſum.

[n] Hildegardis.] Huius vitam conſcriptam à Theodorico habet Sur. tom. 5. Ab aliis etiam ſcriptis mandatam teſtatur Trithem. de viris illuſtr. ord. S. Bened. lib. 2. cap. 119. & lib. 3. cap. 334. De eadem Molan. in addit. ad Vſuard. Claruit circa annum Domini 1160.

## 18 Quartodecimo Kal. Octob. Luna. B vj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |

NATALIS ſancti Methodij[a], Olympi Lyciæ & poſteà Tyri Epiſcopi, ſermonis nitore ac doctrina clariſſimi: qui ad extremum nouiſſimæ perſecutionis (vt ſcribit ſanctus Hieronymus) in Chalcide Græciæ martyrio coronatus eſt. In territorio Viennenſi ſancti Ferreoli[b] martyris, qui cùm eſſet tribuniciæ poteſtatis, iuſſu Criſpini impiiſſimi Præſidis tentus, & primò crudeliſſimè verberatus, deinde graui catenarum pondere onuſtus in teterrimum carcerem truſus eſt; vnde ſolutis Dei nutu vinculis, & ia-

& ianuis carceris patefactis, exiens, ab inſequentibus iterùm captus, martyrij palmam capitis obtruncatione percepit. Item ſanctarum martyrum Sophiæ [c] & Irenes. Mediolani ſancti Euſtorgij [d] primi Epiſcopi, teſtimonio beati Ambroſij celebris. Gortynæ in Creta S. Eumeni [e] Epiſcopi & confeſſoris.

## SEPTEMBRIS 18.

METHODII [a].] De eodem hac die Beda, Vſuardus, & Ado: qui omnes teſtantur martyrio coronatum eſſe temporibus Diocletiani Imp. eam ſecuti ſententiam, qua ſcribit S. Hieron. de Script. Eccleſ. eum paſſum eſſe ad extremum (vt ait) nouiſſimæ perſecutionis: licet, inquit, alij dixerint martyrio occubuiſſe ſub Decio & Valeriano. quam opinionem ſecutus eſt & Suidas in Methodio. Sed prior ſententia verior eſſe videtur: nam ſcriptis nobiliſſimis editis, Porphyrij veſaniam redarguit, qui à fide apoſtata, in Chriſti religionē tres virulentos ediderat cōmentarios: conſtat enim Porphyrium ſcripſiſſe temporibus Diocletiani Imp. cùm Dei eccleſiæ deſtruerentur, & immanis in Chriſtianos ſæuiret perſecutio, vt conſtat ex Lactantio lib. 5. c. 2. qui licet eum non nominet, tamen ſuis coloribus pingens, ipſum optimè repræſentat. De eodem Methodio S. Epiph. hæreſi 64. vbi eum & Eubulium dictum eſſe tradit.

[b] Ferreoli.] De quo Beda, Vſuardus, & Ado pluribus agunt. Eius res geſtas ex antiquis monumentis edidit Sur. tom. 5. De eodem ſic Venant. Fortun. lib. 7. carm. ad Bod. ducem, & de gaud. vitæ æter.

*Ferreolum pariter pulchra Vienna gerit.*

Et lib. 3. de reliquiis ſanctorum in fine:

*Altera Ferreoli pars eſt, qui vulnere ferri*
*Munere martyrij gemma ſuperba nitet.*

De eius tranſlatione extat epiſtola Sidonij Apollinaris ad S. Mamertum eiuſdem ciuitatis Epiſcopum, lib. 7. epiſt. 1. De alia rurſus facta tranſlatione per Vuilicardum Epiſcopum, ſcribit Ado Viennen. in chron. anno Domini 719. De S. Ferreoli corpore apud Viennam poſito agit Gregor. Turon. lib. de mirac. S. Iuliani cap. 2. de eius item reliquiis Aim. lib. 2. de geſt. Franc. cap. 20.

[c] Sophiæ & Irenes.] De quibus Græci etiam agunt hac die in Menologio. Iuſtinianus Imp. præclaram baſilicam erexit Conſtantinopoli in honorem S. Irenes, vt ſcribit Procop. lib. 1. de ædif. Iuſtin. Imp. ſed huiúſne, an alterius de qua ſuprà 5. Aprilis, incertum eſt.

[d] Euſtorgij Epiſc.] Agunt de eodē hac die Beda, atque recentiores, ipſæque tabulæ Mediolanenſis eccleſiæ. Huius meminit S. Ambroſius in Auxentium de traditione baſilicæ, his verbis: Abſit vt tradam hereditatem patrum; hoc eſt, hereditatem Dionyſij, qui in exilio cauſa fidei defunctus eſt; hereditatem Euſtorgij confeſſoris, &c. Huius res geſtas ex priſcis monumentis edidit Mombrit. to. 1. vit. ſanct. Hic dictus eſt primus reſpectu iunioris Euſtorgij, qui claruit temporibus Theodorici Regis Italiæ, de quo ſuperiùs actū eſt 6. Iunij.

[e] Eumeni Epiſcopi.] Hunc Græci ob ſpectatiſſimas eius virtutes, & egregiam miraculorum operationem, Thaumaturgum appellant in Menologio, vbi de ipſo agunt hac die.

## v. C Tertiodecimo Kal. Octob. Luna. 19

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | | | |

PVTEOLIS in Campania ſanctorum martyrum Ianuarij Beneuentanæ ciuitatis Epiſcopi, Feſti eius diaconi, & Deſiderij lectoris, Soſij diaconi eccleſiæ Miſenatis, Proculi diaconi Puteolani, Eutychis, & Acutij: qui poſt vincula & carceres capite cæſi ſunt ſub Diocletiano Principe. Corpus ſancti Ianuarij Neapolim fuit delatum, atque honorificè in Eccleſia tumulatum: vbi etiam beatiſſimi martyris ſanguis in ampulla vitrea adhuc ſeruatur, qui in conſpectu capitis illius poſitus, velut recens liqueſcere & ebullire conſpicitur. Nuceriæ natalis ſanctorum martyrum Felicis [b] & Conſtantiæ, qui paſſi ſunt ſub Nerone. In Palæſtina ſan-

Google

ſanctorum martyrum Pelei [c], Nili, & Eliæ Epiſcoporum Ægypti, qui tempore perſecutionis Diocletiani cum plurimis clericis pro Chriſto igne conſumpti ſunt. Eodem die ſanctorum martyrum Trophimi [d], Sabbatij, & Dorymedontis, ſub Probo Imperatore: quorum Sabbatius Antiochiæ iuſſu Attici Præſidis tamdiu flagris cæſus eſt, donec emitteret ſpiritum: Trophimus verò Synnadam ad Perennium Præſidem miſſus, poſt multos cruciatus cum Dorymedonte ſenatore capitis decollatione martyrium conſummauit. Cordubæ in perſecutione Arabica S. Pompoſæ [e] virginis & martyris. Cantuariæ ſancti Theodori [f] Epiſcopi, qui à Vitaliano Papa in Angliam miſſus, doctrina & ſanctitate refulſit. Turonis ſancti Euſtochij [g] Epiſcopi, magnarum virtutum viri. In territorio Lingonienſi ſancti Sequani [h] presbyteri & confeſſoris.

## SEPTEMBRIS 19.

[a] IANVARII & ſoc.] Non tantùm Beda, Vſuard. Ado, ac ceteri Latinorum de Ianuario ac ſocijs agunt hac die, ſed & Græci in ſuo Menologio; nec ſolùm hac die, ſed & xj Kalend. Maij. Horum Acta à Ioanne diacono deſcripta recitat Surius tom. 5. & Mombrit. tom. 1. Habemus alia in noſtra bibliotheca in vet. cod. manuſcrip. vbi etiam notantur Conſules, quibus iidem martyres ſunt paſſi, nimirum Conſtantio quintùm & Maximiano Coſſ. Eſt hic annus à Chriſto Domino, ſecundùm Faſtos Onuphrij, 305. Eſt enim dictorum Actorum huiuſmodi exordiū: Temporibus Diocletiani Imp. Conſulatu Conſtantij quinquies & Maximiani, &c. Deſcripſit nuper res geſtas ſancti Ianuarij & ſoc. Paul. Reg. Habemus in noſtra bibliotheca homiliam peruetuſtā in eiuſdem ſancti Ianuarij ſolēnitate ad populum habitam. incipit: Operante diuina miſericordia, rediit communibus votis optata ſolemnitas & dies, &c. Recenſetur ibi immenſa illa flammarum eruptio è Veſuuio monte, ex qua quidem non tantùm proximè adiacentis ciuitatis, ac circumcircà poſitarum regionum, ſed totius ferè Europæ conflagratio imminere videbatur, quæ tamen S. Ianuarij eſt virtute compreſſa. Ne verò quis hanc putet eſſe inanem hyperbolem, legat in primis quæ de alia ignium eruptione facta ſub Tito Imp. traduntur, quam deſcripſit Dio, & alij eiuſdem temporis ſcriptores. His adde quę ſcribit Marcellinus Comes, antiquus chronographus, in chron. ſub Coſſ. Leone Auguſtô quartùm, & Probiano, Indict. nona, his verbis: Veſuuius mons Campaniæ torridus, inteſtinis ignibus æſtuans, exuſta euomit viſcera, nocturniſque in die tenebris omnem Europæ faciem minuto contexit puluere. Huius meſuendi memoriā cineris Byzantij annuè celebrant octauo Idus Nouembr. Hæc Marcellinus. Eſt hic annus Domini 471. De eadem ſolemnitate eam ob cauſam Cònſtantinopoli annis ſingulis agi ſolita ſcribit Procopius de bello Goth. lib. 2. pagina 301. vbi narrat Veſuuij flammarum eruptiones, aitq́ poſt multa: Ferunt namque, cùm Byzantium ſemel cinis hìc recidiſſet, ſic loci eius homines terruiſſe, vt ex eo tempore ad noſtram ętatem annuis Deū ſupplicationibus placent, &c. Ex tam egregio & toto Orbe vulgato miraculo, S. Ianuarij virtute edito, factum putamus, vt Gręci ſolemni cultu iterato eumdē martyrem celebrent, vt diximus ex eorum Menolog. Conſtat enim ex ſuperiùs citata homilia, ea de cauſa ex remotis vndique vrbibus frequenti cœtu populos ad venerandum ſepulchrum martyris aduentaſſe Neapolim, & in honorem S. Ianuarij paſſim erectas eſſe eccleſias. Erat etiam Romę in ſuburbijs via Tiburtina templum ſancti Ianuarij, cuius meminit ſanctus Gregor. lib. 4. dialog. cap. 26. & 54. Mentio habetur de eodem ſancto Ianuario in tranſitu ſancti Paulini, quem deſcripſit Vranius, circa finem. Porrò inſigne ac perenne miraculum ſanguinis eiuſdem ſancti Ianuarij, qui cùm ampulla vitrea concretus contineatur, liqueſcere tamen, & fluere, perinde ac ſi recens eſſet effuſus, ſæpè conſpicitur, non eiuſmodi eſt, vt vnius, vel alterius hominis teſtimonio comprobetur; ſed ita manifeſtum, vt ipſe martyris ſanguis aſſidua miraculorum operatione, vocibus quibuſdam, velut Abel ſanguis clamans, per vniuerſum Orbem Chriſtianum intonet.

[b] Felicis & Conſtantiæ.] De his etiam Beda, Vſuardus, Ado, Petrus in catal. lib. 8. cap. 96. ac ceteri recentiores.

[c] Pelei & ſoc.] Agunt de his Beda, & alij qui ſuprà. Eorum autem certamina ſcribit Euſeb. lib. 8. cap. 22 & 25. ex quo Nicephorus lib. 7. cap. 16. & alij recentiores.

[d] Trophimi & ſociorum.] Græci etiam de his agunt in Menologio hac die. Geſta autem ipſorum ex antiquioribus monumentis edidit Metaphraſtes quę refert Lipom. tom. 6. & Sur. tomo 5.

[e] Pompoſæ.] Huius paſſionis Acta ſcripſit S. Eulogius in Memorial. ſanct. lib. 3. cap. 11. eamq́ue coronatam martyrio ſcribit hac ipſa die, æra octingenteſima nonageſimaprima, anno à Chriſto Domino 853.



Digitized by Google

[f] Theodori Epiſcopi. ] De eodem plura Beda de geſt. Angl. lib. 3. c. 29. & 30. lib. 4. c. 1. & ſeq. lib. 5. c. 8. & in epitome. Ex eodem auctore accepere ceteri omnes qui proſecuti ſunt res Anglorum, ac nouiſſimè Trithem. de vir. illuſt. ord. S. Bened. lib. 2. c. 18, lib. 3. c. 114. & lib. 4. cap. 60. Honorificentiſſima mentio de eodem habetur in litteris Agathonis Papę, quę inſertę ſunt in Act. 4. Sextæ Synodi. Migrauit ex hac vita anno Domini 690. cùm ſediſſet annis xxij.

[g] Euſtochij Epiſc. ] De quo hac die Beda, & alij recentiores; ſæpè de eodem Greg. Turon. de geſt. Franc. lib. 2. c. 1. in fin. & lib. 10. cap. 31. recenſetque Euſtochium quintum ordine Epiſcopum Turonenſem S. Britij ſucceſſorem. Sedit temporibus Valentiniani Tertij Imperatoris.

[h] Sequani. ] Agit de eodem hac die Beda; licet mendosè, Segoni, pro Sequano legatur: rectiùs apud Vſuardum, & alios recentiores. Scribit de eo Gregorius Turonenſis de glor. confeſſ. cap. 88. & Trithemius de viris illuſtribus ordinis ſancti Benedicti lib. 3. cap. 302.

## iiij. D Duodecimo Kal. Octob. Luna. 20

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | | | |

VIGILIA ſancti Matthæi [a] Apoſtoli & Euangeliſtæ. Romæ paſſio ſanctorum martyrum Euſtachij [b], & Theopiſtis vxoris eius, cum duobus filijs Agapio & Theopiſto: qui ſub Hadriano Imperatore damnati ad beſtias, ſed Dei ope ab ijs nil læſi, in bouem æneum candentem incluſi, martyrium conſummarunt. Cyzici [c] in Propontide natalis ſanctorum martyrum [d] Fauſtæ virginis, & Euilaſij, ſub Maximiano Imperatore: quorum Fauſta ab eodem Euilaſio idolorum ſacerdote decaluata, & ad turpitudinem raſa [e], ſuſpenſa & torta eſt: deinde cùm vellet eam mediam ſecare, & carnifices lædere non valerent, ſtupens Euilaſius, in Chriſtum credidit: & dum ipſe etiam Imperatoris iuſſu fortiter torqueretur, Fauſta capite terebrata, clauis toto corpore confixa, & ſartagini ignitæ impoſita, cum eodem, voce de cælo vocata, tranſiuit ad Dominum. In Phrygia ſanctorum martyrum Dionyſij [f] & Priuati. Item ſancti Priſci [g] martyris, qui punctim pugionibus tranſuerberatus, capite plexus eſt. Perge in Pamphilia ſanctorum Theodori [h], & Philippæ eius matris, ac ſociorum martyrum ſub Antonino Imperatore. Carthagine ſanctæ Candidæ [i] virginis & martyris, quæ ſub Maximiano Imperatore plagis toto corpore dilacerata, martyrio coronatur. Item ſanctarum martyrum Suſannæ [k] filiæ Arthemij idolorum ſacerdotis, & Marthæ. Eodem die ſancti Agapiti [l] Papæ, cuius ſanctitatem beatus Gregorius Magnus commemorat. Mediolani ſancti Clicerij [m] Epiſcopi & confeſſoris.

SE-

VIGILIA S. Matthæi [a].] De eadem Beda, Innocen. III. de obſer. ieiun. Concil. Oxonienſ. cap. 1. & Radulph. de obſeruat. can. cap. 19.

[b] Euſtachij & ſociorum.] De his Vſuardus, Ado, ac ceteri Latinorum, necnon & Græci in Menolog. Metaph. ex veter. monumentis deſcripſit ipſorum res geſtas; refert eaſdem Lipom. tomo 6. & Sur. tomo 5. Habemus & ipſas in veter. codic. manuſcript. Agit de iiſdem Niceph. hiſtor. libro 3. cap. 19. & Ioan. Damaſcen. orat. 3. de imag. Fuit olim Romæ, & hactenus perſeuerat eiuſdem martyris illuſtris eccleſia, vbi in memoriam ipſius, qui cuncta ſua pauperibus elargitus eſt, ſolemnes agapes frequentari conſueuerunt, vt reperi in antiquo manuſcripto Rituali, vbi & hæc oratio ſcripta legitur: Da, Domine, famulo tuo N. ſperata ſuffragia obtinere, vt qui pauperes tuos in tua ſancta Eccleſia recreauit, ſanctorum ſimul omnium & beati martyris Euſtachij & ſociorum eius mereatur conſortia, cuius none exempla ſecutus. Per Chriſtum, &c. Quod pertinet ad hiſtoriæ veritatem, cui tam Latini quàm Græci adſtipulati ſunt viſi; cùm Euſtachius ante Chriſti fidem ſuſceptam Placidus, aliàs Placidas, diceretur, hic ille ipſe videtur, qui in bello Iudaico ſub Veſpaſiano & Tito nobili militiæ titulo meruit, Præfectuſque equitum egregiam nauauit operam, vt eſt auctor Ioſephus de bello Iudaic. lib. 3. c. 4. & c. 3. lib. 4. c. 2. & lib. 5. cap. 3. cuius ſpectatiſſima virtus optimè nota erat Traiano, qui in eodem bello Decimę legioni pręfectus Dux erat, vt idem teſtatur auctor lib. 3. cap. 11. & 16. vt non mireris, ſi Traianus factus poſteà Imperator, quem præficeret exercitui aduerſus barbaros profecturo, tam ſolicitè Placidum perquirendum curarit.

[c] Cyzici in Propontide.] Notiſſima eſt ciuitas. Beda ex Theodoro Græco auctore lib. quæſtion. quæſt. 3. tit. 8. col. 291. hæc ait de carcere Cyziceno: Quoſdam audiui aſtruentes, quòd beatæ memoriæ Theodorus doctiſſimus vir, & Archiepiſcopus quondam gentis Anglorum, ita expoſuit illud Pauli ad Corinthios: Nocte & die in profundo maris fui. Quia fuerat in Cyzico quędam fouea nimis alta, ad tormenta noxiorum parata; quæ ob altitudinem immenſam, Profundum maris ſolet appellari, cuius cœnum & obſcuritatem Paulus inter alia innumerabilia ſuſtinuit pro Chriſto. Hæc Beda ex Theodoro.

[d] Fauſtæ & Euilaſij.] De iiſdem pluribus Beda, Vſuardus, Ado, & alij Latinorum, Græci autem in Menologio pridie Nonas Ianuarij. Deſcripſit eorum Acta Metaphraſtes, quæ extant apud Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 1. Mombrit. eadem recitat tom. 1. paucis autem Petrus in catal. lib. 8. c. 97. & alij.

[e] Ad turpitudinem raſa.] Eiuſmodi ludibrijs affici à perſecutoribus conſueuiſſe Chriſtianas feminas, demonſtrant Acta S. Charitinis, quæ deſcripſit Metaphraſtes: habes ea apud Sur. to. 5. Sanè quidem turpe eſſe mulieri tonderi, aut decaluari, ſignificat Paulus Apoſt. 1. ad Corinth. c. 11. Penes Gentiles etiam id fuiſſe ignominioſiſſimum, ſatis docet ſententia Apuleij de aſin. aur. lib. 2. cuius hæc ſunt verba: At verò (quod neſas eſt dicere, ne quod ſit vllum huius rei tam dirum exemplum) ſi cuiuſlibet eximięque pulcherrimæque feminæ caput càpillo ſpoliaueris, & faciem natiua ſpecie nudaueris, licet de cælo eiecta, mari edita, fluctibus educata; licet, inquam, Venus ipſa fuerit, licet omni gratiarum choro ſtipata, & toto Cupidinum populo comitata, & balteo ſuo cincta, cinnama fragrans, & balſama rorans, ſi calua proceſſerit, placere non poterit ne Vulcano quidem ſuo. Et inferiùs: Tanta denique eſt capillamenti dignitas, vt quamuis auro, veſte, gemmis omnique cetero mundo exornata mulier incedat: tamen niſi capillum diſtinxerit, ornata non poſſit videri. Hæc ille. Et in eamdem ſententiam Cyprianus libro de idol. vanit. his verbis: Eſt & Venus calua multo hîc turpior, quàm apud Homerum vulnerata, &c. Hæc probè intelligens prudentiſſima Chriſtiana virgo, cùm ſciret adoleſcentem quemdam ſuam deperire formam; vt illum ea cupidine liberaret, adhibita nouacula, cute tenus ſuos omnes amputauit capillos; ſicque abraſam penitus ſe illi inſpiciendam cùm exhibuiſſet, omnem mox in illo concupiſcentiæ flammam extinxit. Recitat hæc Iſidorus Peluſiota lib. 2. epiſt. 53. Quod ad pœnam decaluationis pertinet, perſeuerauit id genus ſupplicij etiam apud Chriſtianos alicubi. Penes Francos enim mulieres, quæ in fornicationis crimen lapſę eſſent, decaluabantur. habes de his c. 2. lib. 6. in Capitularibus Regum Francorum pagina 217. Sed[illegible] apud Gentiles, quàm etiam Chriſtianos, probauit vſus, vt quę opinione hominum viderentur contemptibilia ac ludicra, ſi religionis cauſa fierent, non tantùm honeſta ac digna, verùm etiam ſacroſancta haberentur, vt S. Ambroſius pluribus diſputat in epiſt. 30. ad Sabinum lib. 6. edit. Rom. vnde & Gentiles etiam ſuas Veſtales virgines tondere conſueuerunt, vt ſcribit Plinius lib. 16. c. 44. Id ipſum etiam in Eccleſia hactenus fieri moris eſſe, omnes norunt. At quoniam in hæc ſemel incidimus; contrarius his ſe offert canon 17. Conc. Gangrenſis, cuius hæc ſunt verba: Quæcumque mulier, religioni iudicans conuenire, comam ſibi amputauerit, quam Deus ad velamen eius ad memoriam ſubiectionis illi dedit; tamquam reſoluens ius ſubiectionis, anathema ſit. Hæc canon: quæ quidem tamquam validum quoddam telum hoſtes Catholicæ Eccleſiæ aduerſus nos cùm intorquent; conſilij inopes nonnulli ad illud vnum confugiunt remedium, vt dicant, canonem illum prouincialis eſſe Concilij, nec extra illius prouincię limites vim ſibi aliquam vendicare. Sed hęc bella quędam tergiuerſatio potiùs videtur, quàm nodi ſolutio: cùm conſtet, tam illum canonem, quàm complures alios eiuſdem Concilij, in Decretorum libro, quo Eccleſia vtitur, eſſe contextos. Sed licet non omnia ibi poſita iuris vniuerſalis ſibi vendicent auctoritatem; tamen longè ante Gratiani collectionis tempora, Symmachi Papæ auctoritate, ſcimus canones eius Concilij comprobatos, cùm idem Pontifex in ſexta Synodo Romana tunc celebrata teſtetur, canones Concilij Gangrenſis conditos eſſe Apoſtolica auctoritate. Hæc

 idcircò

idcircò Symmachus, quoniam illi Synodo interfuit Oſius Epiſcopus Cordubenſis, qui (vt in Annalibus demonſtrauimus) miſſus erat legatus à Romano Pontifice in Orientem. At licet hæc præter inſtitutum; tamen ex quo aduerſariorum obiectionem poſuimus, ſoluendæ quæſtionis neceſſitatem quamdam nobis ipſis impoſuiſſe videmur. Aliunde igitur germanus ſenſus illius canonis eſt eruendus; ex Sozomeno, inquam, qui vbi agit de Euſtachio Sebaſteno Epiſcopo hæreſiarcha, aduerſus cuius deliria dicta Synodus tela intorſit, hæc inter alia haber lib. 3. cap. 13. Mulieres (inquit) non pancæ adductæ in fraudem, primùm viros deſeruerunt: nonnullæ pietatis ſimulatione caput totondere, & contrà quàm ſexum muliebrem deceret, virilem habitum induêre: bis de cauſis Epiſcopi, &c. Ex his quidem manifeſtum fit, ſanctam Synodum non in ſacratas Deo dicatas virgines, ſed in hæreticas mulieres viros relinquentes anathematis ſententiam tuliſſe: ſicq. alia eiuſdem Concilij paradoxa ad hiſtoriæ veritatem ſunt referenda, vt eorumdem canonum ſenſus legitimus habeatur. Non imus inficias de tondendis virginibus, ac viduis Deo dicandis diuerſas fuiſſe diuerſarum eccleſiarum laudabiles conſuetudines: legibus etenim Imp. Valentiniani in Occidentali Eccleſia id vetitum accepimus. eſt L. 27. de Epiſc. & cleric. Cod. Theod. Quinetiam S. Ambroſius nonniſi lapſam virginem crinem deponere perſuadet in ſignum pœnitentiæ. id ipſe in commentario ad virgin. lapſam. In Ægypto autem & Syria id vſu fuiſſe receptũ, S. Hieronymus in epiſt. 48. ad Sabinianũ teſtatur his verbis: Moris eſt in Ægypti & Syriæ monaſterijs, vt tam virgo, quàm vidua, quæ ſe Deo vouerint, & ſeculum conculcarint, crinem monaſteriorum matribus offerant deſecandum, non intecto poſteà contra Apoſtoli voluntatem inceſſuræ capite, ſed ligato pariter & velato, nec hoc quſpiam præter tondentes nouit & tonſas: niſi quod quia ab omnibus fit, pænè ſcitur ab omnibus. Hoc autem duplicem ob cauſam ex conſuetudine verſum eſt in naturam; vel quia lauacrũ non adeunt, vel quia oleum nec capite nec ore norunt, ne à paruulis animalibus, quæ inter cutem & crinem gigni ſolent, & conſuetis ſordibus opprimantur. Hæc Hieronymus. Crinem amputare ſolitas eſſe Tabennenſiotas ſanctiſſimas virgines, quas ſanctus Pachomius ab Angelo monitus inſtituit, auctor eſt Palladius in Lauſiacis.

[f] Dionyſij & Priuati.] Vſuardus de ijſdem hac die, ac recentiores, quibus conſentiunt vetera manuſcripta.

[g] Priſci.] De eo Græcorum Menologium pluribus: eius enim ad Chriſtum conuerſionem, confeſſionem, & martyrium egregiè conſummatum deſcribunt. De eo item Galeſin. in ſuo Martyrologio ex ijſdem Græcorum fontibus. Quòd hic punctim tranſuerberatus dicitur; conſule quæ de huiuſmodi ſupplicij genere diximus ſuprà die 3. Maij. c. & die 13. Aug. c.

[h] Theodori & ſoc.] Agunt de his etiam Græci in Menologio hac die.

[i] Candidæ.] De qua etiam in tabulis eccleſiæ Cordubenſis, ex quibus etiam Galeſ. hac die. Fuit altera Candida virgo, quæ claruit Carthagine temporibus Theodoſij Imp. de qua Paulinus in vita S. Ambroſij.

[k] Suſannæ & Marthæ.] De his etiam Græci hac die in Menologio agunt.

[l] Agapiti, aliter, Agapeti Papæ.] De eodem Beda x. Kalend. Maij, quo die obijt: ſed hæc eſt ſolemnitas tranſlationis eius: Græci autem de eodem agunt xv. Kalend. Maij, vt apparet ex eorum Menologio, vbi de eo his verbis: Sancti Patris noſtri Agapiti Rom. Pontif. Iuſtiniani temporibus Cõſtantinopolim profecti, viri pietate & miraculis celeberrimi. Hæc ibi. De eius miraculis agit S. Greg. Papa lib. 3. dialog. cap. 3. Huius hæc illa ſunt præconia de conſecrat. diſt. 1. Agapetus vas Catholicum, Euangelij tuba, præco iuſtitiæ, &c. Scripſimus res geſtas ipſius in Annal. Eccleſ. per annos ſingulos.

[m] Chcerij Epiſcopi.] De eodem tabulæ eccleſiæ Mediolanenſis. Scripſit de eodem elegans epigramma Ennodius Ticinenſis: incipit: Suffuſus nimio, &c. Succeſſit S. Materniano, ſeditque temporibus Bonifacij Papæ.

## iij. E Vndecimo Kal. Octob. Luna. 21

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | | | |

NATALIS ſancti Matthæi [a] Apoſtoli & Euangeliſtæ, qui in Æthiopia prędicans, martyrium paſſus eſt. Huius Euangelium [b] Hebræo ſermone conſcriptum, ipſo reuelante, inuentum eſt vnà cum corpore beati Barnabæ Apoſtoli, tempore Zenonis Imperatoris. In terra Saar ſancti Ionæ [c] Prophetæ, qui ſepultus eſt in Geth. Romæ ſancti Pamphili [d] martyris. Item via Claudia, vigeſimo ab Vrbe milliario, paſſio ſancti Alexandri [e] Epiſcopi, qui ſub Antonino Imperatore, pro fide Chriſti, vincula, fuſtes, equuleum,

leum, lampades ardentes, vngularum laniationem, beſtias,ac fornacis flammas ſuperans, tandem gladio cæſus, vitam adeptus eſt glorioſam. Eius corpus poſteà beatus Damaſus Papa in Vrbem tranſtulit ſexto Kalendas Decembris,quo die feſtiuitatem illius celebrandam inſtituit. In Phœnicia ſancti Euſebij [f] martyris, qui vltrò Præfectum adiens, & ſe Chriſtianum eſſe denuntians, ab eo multis tormentis afflictus, capite cæſus eſt. In Cypro ſancti Iſacij [g] Epiſcopi & martyris. Ibidem ſancti Meletij [h] Epiſcopi & confeſſoris. In Æthiopia ſanctæ Iphigeniæ [i] virginis, quæ à beato Matthæo Apoſtolo baptizata, & Deo dicata, ſancto fine quieuit.

## SEPTEMBRIS 21.

MATTHÆI Apoſtoli [a]. ] De quo Beda, ac ceteri Latinorum, Græci autem xvj. Kal. Decemb. De Apoſtolatu eius ad Æthiopas, de quo hic mentio habetur, ſcribunt Origen. in Geneſim, Euſeb. hiſt. lib. 3. c. 1. Socrat. lib. 1. c. 15. Dorotheus in Synopſi, & alij. Auctor ille, qui fertur nomine Iſidori, lib. de vita & obitu ſanct. cap. 78. Macedoniam & Iudæam illi tribuit, Metaphraſtes verò Syriam ſuperiorem iuxta Euphratem. Plura de eodem apud Conſtitut. Apoſtol. quæ feruntur Clementis nomine. Acta eius, præter ea quæ in Paſſionibus Apoſt. incerto auctore feruntur, deſcripſit etiam Metaphraſtes, quæ recitat Lipom. tom. 5. Incipiunt: Iam quidem, &c. Alia diuerſa habet Sur. tom. 5. hac die. Perionius alia nuper conſcripſit: nouiſſimè verò ex antiquis monumentis & ſanctorum Patrum ſcriptis collegit R. D. Marc. Antonius Columna Archiepiſcopus Salernitanus, & ſanè quidem eruditè. In Breuiario Toletano ſacri hymni habentur, quibus etiam eius Acta narrantur. Tres inſuper hymnos de eodem Apoſtolo ab Alfano Epiſcopo Salernitano eſſe elaboratos, tradit Petrus diac. Caſſin. de vir. illuſt. monaſt. S. Bened. c. 19. Nonnulla de Matthæo ſcribit Niceph. hiſt. lib. 2. cap. 41. ſed quæ nullius prorſus ſint teſtimonio comprobata. Apud Hippolytum libello de duodec. Apoſt. legi Matthęum factum victimam virginitatis: alludente nimirum auctore ad hiſtoriam de S. Iphigenia virgine, quæ legitur in Actis eius ab eo Deo dicata. De loco vbi paſſus eſt, vel vbi ſepultus, potiùs aſſentior Venantio Fortunato, qui ante annos mille vixit: is etenim dum agit de Apoſtolis ſingulis, ipſiſque locis vbi paſſi & conditi ſunt, hæc de Bartholomæo atque Matthæo canit:

*Inde triumphantem fert India Bartholomæum,*
*Matthæum eximium Naddauer alta virum.*

Hæc in carm. de gaud. vit. æter. & lib. 7. ad Bodog. Ducem. De victu ipſius Clemens Alexan. in Pædag. lib. 2. cap. 1. hæc ait: Matthæus Apoſtolus ſeminibus, baccis, atque oleribus, abſque carnibus veſcebatur.

[b] Huius Euangelium. ] De eius Euangelio agit ſanctus Hieronymus de ſcript. Eccleſ. & in Matthęum cap. 2 vbi meminit de Nazaręis, qui ſe authenticum Matthæi Euangelium habere profitebantur, & Epiph. in Panar. hæreſ. 29. De eius inuentione vnà cum corpore ſancti Barnabæ ſcribit Theod. lector lib. 2. collect. Niceph. lib. 16. cap. 37. Alexander monach. in vita ſancti Barnabæ, & alij recentiores.

[c] Ionæ Prophetæ. ] Agunt de eodem hac die Græci in Menolog. Pręter illa quæ de ipſo leguntur in diuinis Scripturis, & apud earum interpretes, ſcribit Ioſephus antiquit. lib. 9. c. 11. Epiph. de vit. & interit Prophet. c. 16. Iſid. cap. 45. & Doroth. c. 6. De ſepulchro Ionæ apud Dioſpolim, vel Diocęſaream Palæſtinæ, agit S. Hieronymus ad Chromat. in proœm. ſuper Ionam.

[d] Pamphili. ] De quo hac die Vſuardus, adſtipulanturque vet. manuſcripta. Diuerſus eſt hic ab illo Pamphilo Cæſarienſi, de quo Kalend. Iunij actum eſt.

[e] Alexandri. ] Agunt de eodem hac die Vſuardus, Ado, & alij recentiores. Conſtat hunc omnino eſſe diuerſum ab Alexandro Papa: cuius autem fuerit ciuitatis Epiſcopus, nondum inuenimus. Huius martyrium refert Petrus in catal. lib. 8. cap. 102. vbi etiam meminit tranſlationis per Damaſum factæ.

[f] Euſebij. ] De quo & Græci in Menologio hac die, ibique eius Acta deſcribunt.

[g] Iſacij Epiſc. ] Gręci itidem de eodem agunt in Menolog. referuntq́ eius certamen.

[h] Meletij Epiſc. ] Agunt de eodem ijdem in Menologio. Diuerſus hic à Meletio Antiocheno, de quo ſuprà.

[i] Iphigeniæ. ] De qua Petrus in catalog. lib. 8. cap. 101. & alij recentiores. Eius res geſtæ deſcribuntur in Actis ſancti Matthæi, quorum nuper meminimus.



Digitized by Google

viij. G **Sextodecimo Kal. Octob. Luna.** 16

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | | | |

CHALCEDONE natalis ſanctæ Euphemiæ [a] virginis & martyris, quæ ſub Diocletiano Imperatore & Priſco Proconſule, tormenta, carceres, verbera, argumenta rotarum, ignes, pondera [b] lapidum, beſtias, plagas virgarum, ſerras acutas, ſartagines ignitas pro Chriſto ſuperauit; ſed rurſus in theatrum [c] ad beſtias ducta, cùm oraſſet ad Dominum vt iam ſpiritum ſuum ſuſciperet, vna ex iis morſum ſancto corpori infigente, ceteris pedes eius lambentibus, immaculatum ſpiritum Deo reddidit. Romæ ſanctorum martyrum Luciæ [d] nobilis matronæ, & Geminiani, quos Diocletianus Imperator pœnis grauiſſimis afflictos, diuque tortos, tandem poſt laudabilem martyrij victoriam gladio animaduerti præcepit. Item Romæ via Flaminia ſanctorum martyrũ Abundij [e] preſbyteri, & Abundantij diaconi, quos Diocletianus Imperator vnà cum Marciano viro illuſtri, & Ioanne eius filio, quem illi à mortuis ſuſcitauerant, decimo ab Vrbe lapide gladio feriri iuſſit. Heracleæ in Thracia ſanctæ Sebaſtianæ [f] martyris, quę à beato Paulo Apoſtolo ad Chriſti fidem perducta, ſub Domitiano Imperatore & Sergio Præſide variis modis tentata, gladio tandem cæſa eſt. Cordubæ ſanctorum martyrum Rogelli [g] & Seruidei, qui manibus pedibuſque abſciſſis, ad vltimum decollati ſunt. In Scotia ſancti Niniani [h] Epiſcopi & confeſſoris. In Anglia ſanctæ Edithæ [i] virginis, Edgari Anglorum Regis filiæ, quæ in monaſterio à teneris annis Deo dicata, ſæculum hoc ignorauit potiùs, quàm reliquit.

## SEPTEMBRIS 16.

EVPHEMIÆ [a].] De eadem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij Latinorum, Græci autem in Menologio quinto Idus Iulij; ſic & in conſtitutione Emmanuelis Imperat. apud Theodor. in Nomoc. Phot. tit. 7. cap. 1. licet olim tempore Concilij Chalcedonenſis ageretur in Oriente natalis dies eius ad octauum Kal. Nouemb. vt apparet ex eodem Concil. Act. 6. Eius Acta ex priſcis monumentis edidit Metaphraſtes, quæ extant apud Lipom. tomo 6. & Surium tomo 5. Deſiderantur autem in eis ea quæ ex nobili pictura expreſſa, deſcriptaque à S. Aſterio Epiſc. Amaſeno recitantur in 2. Concilio Nicęno Act. 4. & 6. Habemus alia eius Acta manuſcripta. Eſt illorum exordium: Diocletiano Imp. &c. Eadem Mombrit. recitat to. 1. In Breuiar. Tolet. eſt vetus ſacer hymnus, quo eiuſdẽ Acta canuntur. incipit:

*En feſtum prodit virginis inclyta*, &c.

De ſacratiſſimis eius reliquiis, ex quibus purus ſanguis emanabat, ſcribit Euagr. lib. 2. cap. 3. & Niceph. lib. 15. cap. 3. & 5. & lib. 18. c. 31. Inuiſit eas S. Melania iunior, cùm pergeret Conſtantinopolim, vt conſtat ex Actis ipſius. Sanctus Paulinus Nolanus Epiſcopus acceptas eiuſdem martyris ſacras reliquias condidit vnà cum aliis in Nolana baſilica, vt ipſe ſcribit natali 9. S. Felicis his verſibus:

*Et qua Chalcidicis Euphemia martyr in oris*
*Signat virgineo ſacratum ſanguine litus.*

Quid autem in eadem veneranda pignora præſumpſerit impius hagiomachus Conſtantinus Copronymus, qui eadem perdenda curauit, & quomodo fuerint inuenta, atque tranſlata, ſcribit Theo-

Theophan. ex quo hiſt. Miſcella, Zonaras, & Cedrenus. Habuit de eorum inuentione præclaram orationem Conſtantinus Epiſcopus, qua execrandum facinus ſacrilegi Imperatoris deſcribitur. extat apud Metaphraſt. 11. Iulij, & apud Sur. tomo 4. ea die Chalcedone in eius baſilica celebrata eſt SS. Synodus œcumenica Chalcedonenſis. Fuit etiam Romæ celebris eiuſdem inclytæ martyris cultus, cuius baſilicam poſitam via Appia dicauit Donus Papa: aliam rurſus eccleſiam eiuſdem Euphemiæ apud Tibur poſitam dedicauit Gelaſius Papa, vt apparet in lib. de Romanis Pontificibus, qui creditur eſſe Anaſtaſij. Romæ item ad radices Eſquilini collis hactenus perſeuerat eiuſdem eccleſia: niſi magis placet dicere, plures fuiſſe Euphemias.

[b] Pondera lapidum.] Frequens eſt reperiri in Actis ſanctorum martyrum, eoſdem inter alia cruciamenta ponderibus aggrauatos. Qualia autem fuerint iſtæc lapidea pondera, Romæ in baſilicis Apoſtolorum, aliiſque in eccleſiis poſita inuiſuntur: nimirum ingentis ponderis lapides rotundi, vel oblongi, ferreum annulum ſaxo impactum habentes, quo immittatur funiculus ad ligandum, ac ſuſpendendum ad pedes vel manus in ſublime. Miratus ſum cuiuſdam ſententiam, qui putaret globos illos lapideos non ad inferenda cruciamenta, ſed ad penſanda onera fuiſſe compoſitos: neſciens, quòd quæ erant huiuſmodi, habebant inſcriptam notam numeri, vt tradunt Iſid. lib. 16. Origin. & Alciat. de pond. cap. 1. & alij. Eiuſmodi globus lapideus à Ioſepho libro de Machab. ad Polyb. Orbiculare appellatum videtur, de quo his verbis: Inhumana crudelitate aliquid maius excogitat: Orbiculare afferri in medium iubet: hinc cùm pedes vnà cum manibus deorſum colligati fuiſſent, ſanctum quoque, chorda orbiculari ventrem circumcingente, in altum vſque contrahit. nec mora, ſeparatur à ſede ſua dorſi iunctura, crura cum brachiis extrahuntur, eiiciuntur humeri, ſicque ſingulis neruis diſtrictus ſoluitur martyr inuictus. Hæc Ioſephus, ex verſione Eraſmiana. Diuerſa ab his erant illa pondera, quæ lege xij. Tab. exhibebantur debitoribus: erant enim compedes, de quibus Gellius lib. 20. cap. 1. in fin. vbi hæc inter alia: Vincito autem neruo, aut compedibus quindecim pondo, non minore; aut ſi volet, maiore vincito, &c. Vetuit Conſtantinus Imp. admoueri pondera debitoribus L. 3. de exact. C. Theod. Meminit & Caſſiod. Var. lib. 11. cap. 40. de his ponderibus reos aggrauantibus.

[c] Rurſus in theatrum.] Frequentiſſimè eſt inuenire in Actis ſanctorum martyrum, eoſdem in theatro, ſpectante populo, eſſe cruciatos. Inter alias editiones ad ſpectantium voluptatem comparatas, exhiberi conſueuerunt exquiſitæ miſerorum damnatorum carnificinę, quas illi (nō dicam homines adeò ab humanitate remotos, ſed feras beſtias) auidè ſpectare conſueuerunt. Et vt omittam quæ in eo genere Suet. & alij reſtata reliquerunt, locum vnum Philonis in lib. in Flaccum hîc recitare contentus ero. ſic enim ait: Antè flagellabantur in medio theatro, igne ferroque torquebantur, ſpectaculis diſtributis in hunc modum. Manè vſque ad horam tertiam quartámve Iudæi flagellabantur, rotis alligabantur, damnabantur, per mediam orcheſtram ducebantur ad ſupplicium: deinde poſt tam præclara exempla edita inducebantur ſaltatores, immò tibicines, aliaque ludicra ſcenicorum certaminum, &c. Hæc Philo, qui de hiſce ſpectaculis tunc Alexandrię à Flacco Præfecto exhibitis, pluribus agit. Eſt & epigramma Martialis lib. 1. de pœna Laureoli, quo monſtrat Domitianum in theatro tragicos caſus acerbos in miſerorum corpora repræſentaſſe. Sed hæc quidem omnia contra antiqua iura Romanorum, quibus vetita erant damnatorum cruciamenta in theatris, cùm ludi agerentur, exhiberi. Quanta autem totius Vrbis clade eiuſmodi facinus ſemel præſumptum fuerit, ac vix tandem expiatum, conſule quæ ſcribit Liuius lib. 2. decad. 1. cùm agit de ſeruo ſub furca in medio circi cæſo.

[d] Luciæ & Geminiani.] De his item Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri Latinorum, Græci autem in Menologio die ſequenti. Recitat horum Acta Mombrit. tom. 2. Habemus ea in vet. cod. manuſcript. quorum eſt exordium: Conſulibus Diocletiano octies & Maximiano ſepties, &c. Habent tamen aliqua quæ corrigantur. Confundunt aliqui hanc Luciam cum illa Syracuſana; ſicque & eccleſia ab Honorio Papa erecta in Eſquilino, dicta, Diaconia S. Luciæ ad ſeptem ſolia, apud baſilicam ſancti Silueſtri poſita, illi tribuitur. Eſt præterea iuxta Tiberim ad Quatuor portas vetus memoria eorumdem martyrum, vbi & eorum ſacra corpora condita eſſe dicuntur; licet Lucenſes eadem ad ſe tranſlata teſtentur: ſed accidiſſe putandum, ſicut frequenter in ceteris, vt pars ipſorum, & non integra fuerint tranſlata corpora.

[e] Abundij & Abundantij.] Legimus eorum martyrij Acta in vet. manuſcript. à ciuitate Caſtellana acceptis. incipiunt: Temporibus Diocletiani, &c. eadem verò ex tribus aliis antiquis exemplaribus recognita, emendata, auctaque nobili hiſtoria eorumdem ſacrorū corporum tranſlationis tertiò factę, notationibuſque illuſtrata, modò edidit Romæ Collegium Patrum Societatis Ieſu, in quorum baſilicam Farneſianam religioſiſſima & magnificentiſſima pompa ex Diaconia ſanctorum Coſmæ & Damiani tranſlata ſunt xvij. Kal. Octob. anno Domini 1583. Pontificatus Gregorij Papæ XIII. anno duodecimo. Quod autem ſpectat ad ſanctos martyres Marcianum & Ioannem, de quibus hîc mentio habetur; horum veneranda corpora aſſeruantur & religioſè coluntur in ciuitate Caſtellana apud Veientes, ibique condita ſunt in cathedrali eccleſia ſub primario altari, prout ex veteribus eiuſdem eccleſiæ monumentis didicimus.

[f] Sebaſtianæ.] De eadem hac die Græci agunt in Menologio, recoluntque eius Acta, prout hîc etiam enarrantur.

[g] Rogelli & Seruidei.] Agit de his S. Eulogius in memor. ſanct. martyrum lib. 2. c. 13. paſſoſque tradit hac die, æra octingenteſima nonageſima: eſt annus Domini octingenteſimus quinquageſimus ſecundus.

[h] Niniani Epiſc.] Scribit de codē Beda de geſt. Angl. lib. 3. cap. 4. & Molan. in addit. ad Vſuard.

[i] Edithæ.] Huius res geſtas, & poſt obitū edita miracula deſcripſit ex vet. monumentis Sur. to. 5. & Radulph. in Polychron. lib. 6. cap. 7. Claruit circa annū Domini nongenteſimū octogeſimum.

Quinto-

vij. A Quintodecimo Kal. Octob. Luna. 17

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | | | |

ROMÆ via Tiburtina natalis ſancti Iuſtini[a] preſbyteri & martyris, qui in perſecutione Valeriani & Gallieni confeſſionis gloria fuit inſignis. Hic beati Xyſti Pontificis, Laurentij, Hippolyti, aliorumque plurimorum ſanctorum corpora ſepeliuit, ac demum ſub Claudio martyrium conſummauit. Item Romæ ſanctorum martyrum Narciſci[b] & Creſcentionis. In Phrygia ſanctæ Ariadnæ[c] martyris ſub Hadriano Imperatore. In Britannia ſanctorum martyrum Socratis[d] & Stephani. Nouioduni ſanctorum martyrum Valeriani[e], Macrini, & Gordiani. Auguſtoduni ſancti Flocelli[f] pueri, qui ſub Antonino Imperatore & Valeriano Præſide multa paſſus, demum à feris diſcerptus, martyrij coronam adeptus eſt. Apud Leodium beati Lamberti[g] Epiſcopi Traiectenſis, qui cùm regiam domum zelo religionis increpaſſet, à nocentibus innocẽs occiſus, aulam regni cæleſtis perpetuò victurus intrauit. Eodem die ſanctæ Agathocliæ[h] ancillæ cuiuſdam mulieris infidelis, quæ longo tempore verberibus, aliiſque ærumnis ab ea vexata, vt Chriſtum negaret, oblata demum Iudici, & ſæuiùs laniata, cùm in confeſſione fidei perſiſteret, exciſa lingua, in ignem proiecta eſt. Cordubæ ſanctæ Columbæ[i] virginis & martyris. Mediolani depoſitio ſancti Satyri[k] confeſſoris, cuius inſignia merita ſanctus Ambroſius eius frater commemorat. Romæ ſanctæ[l] Theodoræ matronæ, quæ in perſecutione Diocletiani ſanctis martyribus ſedulò miniſtrabat. Commemoratio Impreſſionis[m] ſacrorum ſtigmatum, quibus S. Franciſcus ordinis Minorum inſtitutor, in ſuis manibus, pedibus, & latere, mira Dei gratia, in monte Aluerniæ in Etruria impreſſus eſt. Apud Bingiam in diœceſi Maguntinenſi ſanctæ Hildegardis[n] virginis.

## SEPTEMBRIS 17.

IVSTINI[a].] De eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri recentiores. Intextæ ſunt eius res geſtæ in Actis S. Laurentij martyris; ſeorſum autem poſitas, & vberiùs conſcriptas habemus in noſtra bibliotheca, vbi legitur, illum non tantùm Valeriani & Gallieni temporibus fuiſſe gloria confeſſionis illuſtrem, ſed etiam ſuperuixiſſe ad tempora Claudij Imp. runcque martyrio coronatum fuiſſe: ſanè quidem Vuandelbert. & antiquiora monumenta eumdem appellant martyrem.

[b] Narciſſi & Creſcentionis.] De his item Beda, & alij qui ſuprà ex actis S. Laurentij. Erat nomine Creſcentionis dictum nobile cœmeterium Romæ via Salaria, non longè à cœmeterio Priſcillæ, vt indicant tabulæ Vaticanæ, in quibus cœmeteriorum nomina perlegimus.

[c] Ariadnæ.] De eadem Græci quoque in Menologio hac die.

[d] Socratis & Stephani.] Agunt de iiſdem hac die Beda, Vſuard. Ado, & alij; quibus etiam adſtipulantur vet. manuſcripta.

[e] Valeriani & ſoc.] De his etiam ſingulis Beda, Vſuard. Ado, ac ceteri recentiores.

[f] Flo-

[f] Flocelli. ] Recitat eius Acta Mombrit. to.1. & Petrus in catal. lib.8. cap.92.

[g] Lamberti Epiſc. ] De eodem hac die Bedæ Martyrologium, ac ceterorum. Eius Acta à pluribus auctoribus ſcripta reperiuntur; ac primùm omnium à Godeſcalco eccleſiæ Leodienſis diac. inde à Stephano Epiſcopo Leodienſi, de quo Sigeb. de vir. illuſtr. cap. 136. & in chron. anno 903. tertio loco ab ipſo Sigeberto Gemblacenſi, vt ipſe profitetur de viris illuſtr. c. 172. poſt eum à Nicolao canonico ſancti Lamberti; quintò denique à Rainerio monacho. Porrò Stephani tantùm & Nicolai ſcriptiones reperiri, teſtatur Molanus; qui de Lamberto agit in annot. ad Vſuardum, & in Indic. Sanctorum Belg. Eius autem vitam, quam recitat Sur. tom 5. Stephani Epiſcopi Leodienſis eſſe apparet. Habetur mentio de eodem in vita ſancti Suithberti apud Sur. tom. 2. prima Martij. Agit de eodem Sigebert. in chron. anno Domini 698. Trithem. de vir. illuſt. ord. S. Bened. lib. 3. cap. 111. & lib. 4 cap. 62.

[h] Agathocliæ. ] De eadē hac die Græci in Menologio, vbi eius nobile certamen deſcribitur.

[i] Columbæ. ] Scripſit eius martyrium S. Eulogius in Memor. ſanct. lib. 3. c. 10. paſſamque tradit hac die, æra octingenteſima nonageſimaprima; annus eſt Domini octingenteſimus quinquageſimustertius. Cùm autem celebres illi S. Eulogij commentarij aliquamdiu delituiſſent, & variis cladibus Hiſpania eſſet agitata; euenit vt hæc eadem Columba celebraretur pridie Idus Ianuarij, qua itē die agitur de Columba Senonenſi: deperditis etenim eius eccleſię tabulis, qua potiſſimùm die de hac ageretur, remanſit obſcurum. Hæc Ambroſ. Moral. in ſcholiis ad Eulogium.

[k] Satyri. ] De eodem tab. eccleſiæ Mediolanenſis. In eius funere S. Ambroſius luculentam orationem habuit. agit prætereà de eodem Mombrit. tom. 2. vit. ſanctorum.

[l] Theodoræ. ] Agitur de eadem etiam in Actis ſanctorum Abundij & Abundantij, de quibus ſuprà.

[m] Commemoratio impreſſ. ] De pręclariſſimo hoc & ſingulari Dei munere in S. Franciſcum, luculenter ſatis ac piè ſcripſit S. Bonauentura in vita ipſius: nam in cap. 13. totam facti ſeriem, tantæque rei teſtes grauiſſimos diffuſè proſequitur; vnde Lector omnia, quæ tum ad deuotionem, tum ad admirationem facere videntur, abundè petere poterit: vt valeat cum Dauide iure ac meritò exclamare: Mirabilis Deus in ſanctis ſuis. Extant de tam immenſo miraculo Apoſtolicæ litteræ Summorum Pontificum, nimirum Gregorij Noni ad vniuerſos Chriſti fideles per Teutoniam conſtitutos, datæ Viterbij 11. Kal. April. ſui Pontificatus anno vndecimo, Aliæ itidem ad Epiſcopum Olomucenſem anno decimo ſcriptæ extant in eius Regiſtris in biblioth. Vatic. Extant adhuc aliæ Apoſtolicæ litteræ eodem argumento ſcriptę ab Alexandro Quarto. Porrò rem adeò admirabilem, ac tantopere teſtatam, Benedictus Papa XI. anniuerſaria ſolemnitatę, Duplici officio Eccleſiaſtico voluit celebrari: quam neſcio quomodo lapſam, in Martyrologio Romano hac die recenſeri, hocque loco poni, Sanctiſſimus D. N. Sixtus Papa Quintus, tanti Patris alumnus, mandauit. Recitantur de eadem re diplomata in ampliſſimo chronico Franciſcanorum, auctore Marco Vlixiponenſi Minorita, in prima parte lib. 2. c. 55. 56. 57. 58. & 59. Hæc cùm ad eius rei notationem ſatis eſſe videantur: prætermittimus coaceruare innumera aliorum auctorum teſtimonia, vt Antonini, Vincentij, & aliorum recentiorum. De mandato Sanctiſſimi Domini noſtri Sixti Papæ, cuius ſuprà meminimus, extat apud nos eiuſdem ſacrum chirographum, quo non tantùm quo loco huius diei, ſed quibus etiam verbis poneretur, eſt expreſſum.

[n] Hildegardis. ] Huius vitam conſcriptam à Theodorico habet Sur. tom. 5. Ab aliis etiam ſcriptis mandatam teſtatur Trithem. de viris illuſtr. ord. S. Bened. lib. 2. cap. 119. & lib. 3. cap. 334. De eadem Molan. in addit. ad Vſuard. Claruit circa annum Domini 1160.

## 18 Quartodecimo Kal. Octob. Luna. B vj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | | | |

NATALIS ſancti Methodij[a], Olympi Lyciæ & poſteà Tyri Epiſcopi, ſermonis nitore ac doctrina clariſſimi: qui ad extremum nouiſſimæ perſecutionis ( vt ſcribit ſanctus Hieronymus ) in Chalcide Græciæ martyrio coronatus eſt. In territorio Viennenſi ſancti Ferreoli[b] martyris, qui cùm eſſet tribuniciæ poteſtatis, iuſſu Criſpini impiiſſimi Præſidis tentus, & primò crudeliſſimè verberatus, deinde graui catenarum pondere onuſtus in teterrimum carcerem truſus eſt; vnde ſolutis Dei nutu vinculis,

& ia-

& ianuis carceris patefactis, exiens, ab inſequentibus iterùm captus, martyrij palmam capitis obtruncatione percepit. Item ſanctarum martyrum Sophiæ[c] & Irenes. Mediolani ſancti Euſtorgij[d] primi Epiſcopi, teſtimonio beati Ambroſij celebris. Gortynæ in Creta S. Eumeni[e] Epiſcopi & confeſſoris.

## SEPTEMBRIS 18.

METHODII[a].] De eodem hac die Beda, Vſuardus, & Ado: qui omnes teſtantur martyrio coronatum eſſe temporibus Diocletiani Imp. eam ſecuti ſentẽtiam, qua ſcribit S. Hieron. de Scripr. Eccleſ. eum paſſum eſſe ad extremum (vt ait) nouiſſimæ perſecutionis: licet, inquit, alij dixerint martyrio occubuiſſe ſub Decio & Valeriano. quam opinionem ſecutus eſt & Suidas in Methodio. Sed prior ſententia verior eſſe videtur: nam ſcriptis nobiliſſimis editis, Porphyrij veſaniam redarguit, qui à fide apoſtata, in Chriſti religionẽ tres virulentos ediderat cõmentarios: conſtat enim Porphyrium ſcripſiſſe temporibus Diocletiani Imp. cùm Dei eccleſiæ deſtruerentur, & immanis in Chriſtianos ſæuiret perſecutio, vt conſtat ex Lactantio lib. 5. c. 2. qui licet eum non nominet, tamen ſuis coloribus pingens, ipſum optimè repræſentat. De eodem Methodio S. Epiph. hæreſi 64. vbi eum & Eubulium dictum eſſe tradit.

[b] Ferreoli.] De quo Beda, Vſuardus, & Ado pluribus agunt. Eius res geſtas ex antiquis monumentis edidit Sur. tom. 5. De eodem ſic Venant. Fortun. lib. 7. carm. ad Bod. ducem, & de gaud. vitæ æter.

*Ferreolum pariter pulchra Vienna gerit.*

Et lib. 3. de reliquiis ſanctorum in fine:

*Altera Ferreoli pars eſt, qui vulnere ferri*
*Munere martyrij gemma ſuperba nitet.*

De eius tranſlatione extat epiſtola Sidonij Apollinaris ad S. Mamertum eiuſdem eiuitans Epiſcopum, lib. 7. epiſt. 1. De alia rurſus facta tranſlatione per Vuilicardum Epiſcopum, ſcribit Ado Viennen. in chron. anno Domini 719. De S. Ferreoli corpore apud Viennam poſito agit Gregor. Turon. lib. de mirac. S. Iuliani cap. 2. de eius item reliquiis Aim. lib. 2. de geſt. Franc. cap. 20.

[c] Sophiæ & Irenes.] De quibus Græci etiam agunt hac die in Menologio. Iuſtinianus Imp. præclaram baſilicam erexit Conſtantinopoli in honorem S. Irenes, vt ſcribit Procop. lib. 1. de ædif. Iuſtin. Imp. ſed huiúſne, an alterius de qua ſuprà 5. Aprilis, incertum eſt.

[d] Euſtorgij Epiſc.] Agunt de eodẽ hac die Beda, atque recentiores, ipſæque tabulæ Mediolanenſis eccleſiæ. Huius meminit S. Ambroſius in Auxentium de traditione baſilicæ, his verbis: Abſit vt tradam hereditatem patrum; hoc eſt, hereditatem Dionyſij, qui in exilio cauſa fidei defunctus eſt; hereditatem Euſtorgij confeſſoris, &c. Huius res geſtas ex priſcis monumentis edidit Mombrit. to. 1. vit. ſanct. Hic dictus eſt primus reſpectu iunioris Euſtorgij, qui claruit temporibus Theodorici Regis Italiæ, de quo ſuperiùs actũ eſt 6. Iunij.

[e] Eumeni Epiſcopi.] Hunc Græci ob ſpectatiſſimas eius virtutes, & egregiam miraculorum operationem, Thaumaturgum appellant in Menologio, vbi de ipſo agunt hac die.

## v. C Tertiodecimo Kal. Octob. Luna. 19

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | | | |

PVTEOLIS in Campania ſanctorum martyrum Ianuarij Beneuentanæ ciuitatis Epiſcopi, Feſti eius diaconi, & Deſiderij lectoris, Soſij diaconi eccleſiæ Miſenatis, Proculi diaconi Puteolani, Eutychis, & Acutij: qui poſt vincula & carceres capite cæſi ſunt ſub Diocletiano Principe. Corpus ſancti Ianuarij Neapolim fuit delatum, atque honorificè in Eccleſia tumulatum: vbi etiam beatiſſimi martyris ſanguis in ampulla vitrea adhuc ſeruatur, qui in conſpectu capitis illius poſitus, velut recens liqueſcere & ebullire conſpicitur. Nuceriæ natalis ſanctorum martyrum Felicis[b] & Conſtantiæ, qui paſſi ſunt ſub Nerone. In Palæſtina ſan-

ſanctorum martyrum Pelei [c], Nili, & Eliæ Epiſcoporum Ægypti, qui tempore perſecutionis Diocletiani cum plurimis clericis pro Chriſto igne conſumpti ſunt. Eodem die ſanctorum martyrum Trophimi [d], Sabbatij, & Dorymedontis, ſub Probo Imperatore: quorum Sabbatius Antiochiæ iuſſu Attici Præſidis tamdiu flagris cæſus eſt, donec emitteret ſpiritum: Trophimus verò Synnadam ad Perennium Præſidem miſſus, poſt multos cruciatus cum Dorymedonte ſenatore capitis decollatione martyrium conſummauit. Cordubæ in perſecutione Arabica S. Pompoſæ [e] virginis & martyris. Cantuariæ ſancti Theodori [f] Epiſcopi, qui à Vitaliano Papa in Angliam miſſus, doctrina & ſanctitate refulſit. Turonis ſancti Euſtochij [g] Epiſcopi, magnarum virtutum viri. In territorio Lingonienſi ſancti Sequani [h] presbyteri & confeſſoris.

## SEPTEMBRIS 19.

[a] IANVARII & ſoc.] Non tantùm Beda, Vſuard. Ado, ac ceteri Latinorum de Ianuario ac ſocijs agunt hac die, ſed & Græci in ſuo Menologio; nec ſolùm hac die, ſed & xj. Kalend. Maij. Horum Acta à Ioanne diacono deſcripta recitat Surius tom. 5. & Mombrit. tom. 2. Habemus alia in noſtra bibliotheca in vet. cod. manuſcrip. vbi etiam notantur Conſules, quibus iidem martyres ſunt paſſi, nimirum Conſtantio quintùm & Maximiano Coſſ. Eſt hic annus à Chriſto Domino, ſecundùm Faſtos Onuphrij, 305. Eſt enim dictorum Actorum huiuſmodi exordiũ: Temporibus Diocletiani Imp. Conſulatu Conſtantij quinquies & Maximiani, &c. Deſcripſit nuper res geſtas ſancti Ianuarij & ſoc. Paul. Reg. Habemus in noſtra bibliotheca homiliam peruetuſtã in einſdem ſancti Ianuarij ſolẽnitate ad populum habitam. incipit: Operante diuina miſericordia, rediit communibus votis optata ſolemnitas & dies, &c. Recenſetur ibi immenſa illa flammarum eruptio è Veſuuio monte, ex qua quidem non tantùm proximè adiacentis ciuitatis, ac circumcircà poſitarum regionum, ſed totius ferè Europæ conflagratio imminere videbatur, quæ tamen S. Ianuarij eſt virtute compreſſa. Ne verò quis hanc putet eſſe inanem hyperbolem, legat in primis quæ de alia ignium eruptione facta ſub Tito Imp. traduntur, quam deſcripſit Dio, & alij eiuſdem temporis ſcriptores. His adde quę ſcribit Marcellinus Comes, antiquus chronographus, in chron. ſub Coſſ. Leone Auguſto quartùm, & Probiano, Indict. nona, his verbis: Veſuuius mons Campaniæ torridus, inteſtinis ignibus æſtuans, exuſta euomit viſcera, nocturniſque in die tenebris omnem Europæ faciem minuto contexit puluere. Huius metuendi memoriã cineris Byzantij annuè celebrant octauo Idus Nouembr. Hæc Marcellinus. Eſt hic annus Domini 471. De eadem ſolemnitate eam ob cauſam Cõnſtantinopoli annis ſingulis agi ſolita ſcribit Procopius de bello Goth. lib. 2. pagina 301. vbi narrat Veſuuij flammarum eruptiones, ait, q; poſt multa: Ferunt namque, cùm Byzantium ſemel cinis hîc recidiſſet, ſic loci eius homines terruiſſe, vt ex eo tempore ad noſtram ętatem annuis Deũ ſupplicationibus placent, &c. Ex tam egregio & toto Orbe vulgato miraculo, S. Ianuarij virtute edito, factum putamus, vt Gręci ſolemni cultu iterato eumdẽ martyrem celebrent, vt diximus ex eorum Menolog. Conſtat enim ex ſuperiùs citata homilia, ea de cauſa ex remotis vndique vrbibus frequenti cœtu populos ad venerandum ſepulchrum martyris aduentaſſe Neapolim, & in honorem S. Ianuarij paſſim erectas eſſe eccleſias. Erat etiam Romę in ſuburbijs via Tiburtina templum ſancti Ianuarij, cuius meminit ſanctus Gregor. lib. 4. dialog. cap. 26. & 54. Mentio habetur de eodem ſancto Ianuario in tranſitu ſancti Paulini, quem deſcripſit Vranius, circa finem. Porrò inſigne ac perenne miraculum ſanguinis eiuſdem ſancti Ianuarij, qui cùm ampulla vitrea concretus contineatur, liqueſcere tamen, & fluere, perinde ac ſi recens eſſet effuſus, ſæpè conſpicitur, non eiuſmodi eſt, vt vnius, vel alterius hominis teſtimonio comprobetur; ſed ita manifeſtum, vt ipſe martyris ſanguis aſſidua miraculorum operatione, vocibus quibuſdam, velut Abel ſanguis clamans, per vniuerſum Orbem Chriſtianum intonet.

[b] Felicis & Conſtantiæ.] De his etiam Beda, Vſuardus, Ado, Petrus in catal. lib. 8. cap. 96. ac ceteri recentiores.

[c] Pelei & ſoc.] Agunt de his Beda, & alij qui ſuprà. Eorum autem certamina ſcribit Euſeb. lib. 8. cap. 22 & 25. ex quo Nicephorus lib. 7. cap. 16. & alij recentiores.

[d] Trophimi & ſociorum.] Græci etiam de his agunt in Menologio hac die. Geſta autem ipſorum ex antiquioribus monumentis edidit Metaphraſtes quę refert Lipom. tom. 6. & Sur. tomo 5.

[e] Pompoſæ.] Huius paſſionis Acta ſcripſit S. Eulogius in Memorial. ſanct. lib. 3. cap. 11. eamq́ue coronatam martyrio ſcribit hac ipſa die, æra octingenteſima nonageſimaptima, anno à Chriſto Domino 853.



Google

[f] Theodori Epiſcopi. ] De eodem plura Beda de geſt. Angl. lib. 3. c.29. & 30. lib.4. c.1. & ſeq. lib.5. c.8.& in epitome. Ex eodem auctore accepere ceteri omnes qui proſecuti ſunt res Anglorum, ac nouiſſimè Trithem. de vir. illuſt. ord. S.Bened. lib.2. c.18, lib. 3.c.114 & lib.4.cap.60. Honorificentiſſima mentio de eodem habetur in litteris Agathonis Papę, quę inſertę ſunt in Act 4. Sextæ Synodi. Migrauit ex hac vita anno Domini 690. cùm ſediſſet annis xxij.

[g] Euſtochij Epiſc. ] De quo hac die Beda, & alij recentiores; ſæpè de eodem Greg. Turon. de geſt. Franc. lib.2. c.1. in fin.& lib.10. cap.31. recenſetque Euſtochium quintum ordine Epiſcopum Turonenſem S. Britij ſucceſſorem. Sedit temporibus Valentiniani Tertij Imperatoris.

[h] Sequani. ] Agit de eodem hac die Beda; licet mendosè, Segoni, pro Sequano legatur: rectiùs apud Vſuardum, & alios recentiores. Scribit de eo Gregorius Turonenſis de glor. confeſſ. cap. 88. & Trithemius de viris illuſtribus ordinis ſancti Benedicti lib.3. cap.302.

## iij. D Duodecimo Kal. Octob. Luna. 20

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | | | |

VIGILIA ſancti Matthæi [a] Apoſtoli & Euangeliſtæ. Romæ paſſio ſanctorum martyrum Euſtachij [b], & Theopiſtis vxoris eius, cum duobus filijs Agapio & Theopiſto: qui ſub Hadriano Imperatore damnati ad beſtias, ſed Dei ope ab ijs nil læſi, in bouem æneum candentem incluſi, martyrium conſummarunt. Cyzici [c] in Propontide natalis ſanctorum martyrum [d] Fauſtæ virginis, & Euilaſij, ſub Maximiano Imperatore: quorum Fauſta ab eodem Euilaſio idolorum ſacerdote decaluata, & ad turpitudinem raſa [e], ſuſpenſa & torta eſt: deinde cùm vellet eam mediam ſecare, & carnifices lædere non valerent, ſtupens Euilaſius, in Chriſtum credidit: & dum ipſe etiam Imperatoris iuſſu fortiter torqueretur, Fauſta capite terebrata, clauis toto corpore confixa, & ſartagini ignitæ impoſita, cum eodem, voce de cælo vocata, tranſiuit ad Dominum. In Phrygia ſanctorum martyrum Dionyſij [f] & Priuati. Item ſancti Priſci [g] martyris, qui punctim pugionibus tranſuerberatus, capite plexus eſt. Perge in Pamphilia ſanctorum Theodori [h], & Philippæ eius matris, ac ſociorum martyrum ſub Antonino Imperatore. Carthagine ſanctæ Candidæ [i] virginis & martyris, quæ ſub Maximiano Imperatore plagis toto corpore dilacerata, martyrio coronatur. Item ſanctarum martyrum Suſannæ [k] filiæ Arthemij idolorum ſacerdotis, & Marthæ. Eodem die ſancti Agapiti [l] Papæ, cuius ſanctitatem beatus Gregorius Magnus commemorat. Mediolani ſancti Clicerij [m] Epiſcopi & confeſſoris.

VIGILIA S. Matthæi [a].] De eadem Beda, Innocen. III. de obſer. ieiun. Concil. Oxonienſ. cap. 1. & Radulph. de obſeruat. can. cap. 19.

[b] Euſtachij & ſociorum.] De his Vſuardus, Ado, ac ceteri Latinorum, necnon & Græci in Menolog. Metaph. ex veter. monumentis deſcripſit ipſorum res geſtas; refert eaſdem Lipom. tomo 6. & Sur. tomo 5. Habemus & ipſas in veter. codic. manuſcript. Agit de iiſdem Niceph. hiſtor. libro 3. cap. 19. & Ioan. Damaſcen. orat. 3. de imag. Fuit olim Romæ, & hactenus perſeuerat eiuſdem martyris illuſtris eccleſia, vbi in memoriam ipſius, qui cuncta ſua pauperibus elargitus eſt, ſolemnes agapes frequentari conſueuerunt, vt reperi in antiquo manuſcripto Rituali, vbi & hæc oratio ſcripta legitur: Da, Domine, famulo tuo N. ſperata ſuffragia obtinere, vt qui pauperes tuos in tua ſancta Eccleſia recreauit, ſanctorum ſimul omnium & beati martyris Euſtachij & ſociorum eius mereatur conſortia, cuius nunc eſt exempla ſecutus. Per Chriſtum, &c. Quod pertinet ad hiſtoriæ veritatem, cui tam Latini quàm Græci adſtipulati ſunt viſi; cùm Euſtachius ante Chriſti fidem ſuſceptam Placidus, aliàs Placidas, diceretur, hic ille ipſe videtur, qui in bello Iudaico ſub Veſpaſiano & Tito nobili militiæ titulo meruit, Præfectuſque equitum egregiam nauauit operam, vt eſt auctor Ioſephus de bello Iudaic. lib. 3. c. 4. & 13. lib. 4. c. 2. & lib. 5. cap. 3. cuius ſpectatiſſima virtus optimè nota erat Traiano, qui in eodem bello Decimę legioni pręfectus Dux erat, vt idem teſtatur auctor lib. 3. cap. 11. & 16. vt non mireris, ſi Traianus factus poſteà Imperator, quem præficeret exercitui aduerſus barbaros profecturo, tam ſolicitè Placidum perquirendum curarit.

[c] Cyzici in Propontide.] Notiſſima eſt ciuitas. Beda ex Theodoro Græco auctore lib. quæſtion. quæſt. 3. tit. 8. col. 291. hæc ait de carcere Cyziceno: Quoſdam audiui aſtruentes, quòd beatæ memoriæ Theodorus doctiſſimus vir, & Archiepiſcopus quondam gentis Anglorum, ita expoſuit illud Pauli ad Corinthios: Nocte & die in profundo maris fui. Quia fuerat in Cyzico quędam fouea nimis alta, ad tormenta noxiorum parata; quæ ob altitudinem immenſam, Profundum maris ſolet appellari, cuius cœnum & obſcuritatem Paulus inter alia innumerabilia ſuſtinuit pro Chriſto. Hæc Beda ex Theodoro.

[d] Fauſtæ & Euilaſij.] De iiſdem pluribus Beda, Vſuardus, Ado, & alij Latinorum, Græci autem in Menologio pridie Nonas Ianuarij. Deſcripſit eorum Acta Metaphraſtes, quæ extant apud Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 1. Mombrit. eadem recitat tom. 1. paucis autem Petrus in catal. lib. 8. c. 97. & alij.

[e] Ad turpitudinem raſa.] Eiuſmodi ludibrijs affici à perſecutoribus conſueuiſſe Chriſtianas feminas, demonſtrant Acta S. Charitinis, quæ deſcripſit Metaphraſtes: habes ea apud Sur. to. 5. Sanè quidem turpe eſſe mulieri tonderi, aut decaluari, ſignificat Paulus Apoſt. 1. ad Corinth. c. 11. Penes Gentiles etiam id fuiſſe ignominioſiſſimum, ſatis docet ſententia Apuleij de aſin. aur. lib. 2. cuius hæc ſunt verba: At verò (quod nefas eſt dicere, ne quod ſit vllum huius rei tam dirum exemplum) ſi cuiuſlibet eximięque pulcherrimæque feminæ caput capillo ſpoliaueris, & faciem natiua ſpecie nudaueris, licet de cælo deiecta, mari edita, fluctibus educata; licet, inquam, Venus ipſa fuerit, licet omni gratiarum choro ſtipata, & toto Cupidinum populo comitata, & baltheo ſuo cincta, cinnama fragrans, & balſama rorans, ſi calua proceſſerit, placere non poterit ne Vulcano quidem ſuo. Et inferiùs: Tanta denique eſt capillamenti dignitas, vt quamuis auro, veſte, gemmis omnique cetero mundo exornata mulier incedat: tamen niſi capillum diſtinxerit, ornata non poſſit videri. Hæc ille. Et in eamdem ſententiam Cyprianus libro de idol. vanit. his verbis: Eſt & Venus calua multo hîc turpior, quàm apud Homerum vulnerata, &c. Hæc probè intelligens prudentiſſima Chriſtiana virgo, cùm ſciret adoleſcentem quemdam ſuam deperire formam; vt illum ea cupidine liberaret, adhibita nouacula, cute tenus ſuos omnes amputauit capillos; ſicque abraſam penitus ſe illi inſpiciendam cùm exhibuiſſet, omnem mox in illo concupiſcentiæ flammam extinxit. Recitat hæc Iſidorus Peluſiota lib. 2. epiſt. 53. Quod ad pœnam decaluationis pertinet, perſeuerauit id genus ſupplicij etiam apud Chriſtianos alicubi. Penes Francos enim mulieres, quæ in fornicationis crimine lapſę eſſent, decaluabantur. habes de his c. 2. lib. 6. in Capitularibus Regum Francorum pagina 217. Sed [illegible] apud Gentiles, quàm etiam Chriſtianos, probauit vſus, vt quę opinione hominum viderentur contemptibilia ac ludicra, ſi religionis cauſa fierent, non tantùm honeſta ac digna, verùm etiam ſacroſancta haberentur, vt S. Ambroſius pluribus diſputat in epiſt. 30. ad Sabinum lib. 6. edit. Rom. vnde & Gentiles etiam ſuas Veſtales virgines tondere conſueuerunt, vt ſcribit Plinius lib. 16. c. 44. Id ipſum etiam in Eccleſia hactenus fieri moris eſſe, omnes norunt. At quoniam in hæc ſemel incidimus; contrarius his ſe offert canon 17. Conc. Gangrenſis, cuius hæc ſunt verba: Quæcumque mulier, religioni iudicans conuenire, comam ſibi amputauerit, quam Deus ad velamen eius ad memoriam ſubiectionis illi dedit; tamquam reſoluens ius ſubiectionis, anathema ſit. Hæc canon: quæ quidem tamquam validum quoddam telum hoſtes Catholicæ Eccleſiæ aduerſus nos cùm intorquent; conſilij inopes nonnulli ad illud vnum confugiunt remedium, vt dicant, canonem illum prouincialis eſſe Concilij, nec extra illius prouincię limites vim ſibi aliquam vendicare. Sed hęc bella quędam tergiuerſatio potiùs videtur, quàm nodi ſolutio: cùm conſtet, tam illum canonem, quàm complures alios eiuſdem Concilij, in Decretorum libro, quo Eccleſia vtitur, eſſe contextos. Sed licet non omnia ibi poſita iuris vniuerſalis ſibi vendicent auctoritatem; tamen longè ante Gratiani collectionis tempora, Symmachi Papæ auctoritate, ſcimus canones eius Concilij comprobatos, cùm idem Pontifex in ſexta Synodo Romana tunc celebrata teſtetur, canones Concilij Gangrenſis conditos eſſe Apoſtolica auctoritate. Hæc



Digitized by Google

idcircò Symmachus, quoniam illi Synodo interfuit Oſius Epiſcopus Cordubenſis, qui (vt in Annalibus demonſtrauimus) miſſus erat legatus à Romano Pontifice in Orientem. At licet hæc præter inſtitutum; tamen ex quo aduerſariorum obiectionem poſuimus, ſoluendæ quæſtionis neceſſitatem quamdam nobis ipſis impoſuiſſe videmur. Aliunde igitur germanus ſenſus illius canonis eſt eruendus; ex Sozomeno, inquam, qui vbi agit de Euſtachio Sebaſteno Epiſcopo hæreſiarcha, aduerſus cuius deliria dicta Synodus tela intorſit, hæc inter alia habet lib. 3. cap. 13. Mulieres (inquit) non paucæ adductæ in fraudem, primùm viros deſeruerunt: nonnullæ pietatis ſimulatione caput tondere, & contrà quàm ſexum muliebrem deceret, virilem habitum induêre: his de cauſis Epiſcopi, &c. Ex his quidem manifeſtum fit, ſanctam Synodum non in ſacratas Deo dicatas virgines, ſed in hæreticas mulieres viros relinquentes anathematis ſententiam tuliſſe: ſicq. alia eiuſdem Concilij paradoxa ad hiſtoriæ veritatem ſunt referenda, vt eorumdem canonum ſenſus legitimus habeatur. Non imus inficias de tondendis virginibus, ac viduis Deo dicandis diuerſas fuiſſe diuerſarum eccleſiarum laudabiles conſuetudines: legibus etenim Imp. Valentiniani in Occidentali Eccleſia id vetitum accepimus. eſt L. 27. de Epiſc. & cleric. Cod. Theod. Quinetiam S. Ambroſius nonniſi lapſam virginem crinem deponere perſuadet in ſignum pœnitentiæ. id ipſe in commentario ad virgin. lapſam. In Ægypto autem & Syria id vſu fuiſſe receptũ, S. Hieronymus in epiſt. 48. ad Sabinianũ teſtatur his verbis: Moris eſt in Ægypti & Syriæ monaſterijs, vt tam virgo, quàm vidua, quæ ſe Deo vouerint, & ſæculum conculcarint, crinem monaſteriorum matribus offerant deſecandum, non intecto poſteà contra Apoſtoli voluntatem inceſſuræ capite, ſed ligato pariter & velato, nec hoc quiſpiam præter tondentes nouit & tonſas: niſi quod quia ab omnibus fit, penè ſcitur ab omnibus. Hoc autem duplicem ob cauſam ex conſuetudine verſum eſt in naturam; vel quia lauacrũ non adeunt, vel quia oleum nec capite nec ore norunt, ne à paruulis animalibus, quæ inter cutem & crinem gigni ſolent, & conſuetis ſordibus opprimantur. Hæc Hieronymus. Crinem amputare ſolitas eſſe Tabennenſiotas ſanctiſſimas virgines, quas ſanctus Pachomius ab Angelo monitus inſtituit, auctor eſt Palladius in Lauſiacis.

[f] Dionyſij & Priuati.] Vſuardus de iiſdem hac die, ac recentiores, quibus conſentiunt vetera manuſcripta.

[g] Prisci.] De eo Græcorum Menologium pluribus: eius enim ad Chriſtum conuerſionem, confeſſionem, & martyrium egregiè conſummatum deſcribunt. De eo item Galeſin. in ſuo Martyrologio ex iiſdem Græcorum fontibus. Quòd hic punctim tranſuerberatus dicitur; conſule quæ de huiuſmodi ſupplicij genere diximus ſuprà die 3. Maij. c. & die 13. Aug. c.

[h] Theodori & ſoc.] Agunt de his etiam Græci in Menologio hac die.

[i] Candidæ.] De qua etiam in tabulis eccleſiæ Cordubenſis, ex quibus etiam Galeſ. hac die. Fuit altera Candida virgo, quæ claruit Carthagine temporibus Theodoſij Imp. de qua Paulinus in vita S. Ambroſij.

[k] Suſannæ & Marthæ.] De his etiam Græci hac die in Menologio agunt.

[l] Agapiti, aliter, Agapeti Papæ.] De eodem Beda x. Kalend. Maij, quo die obijt: ſed hæc eſt ſolemnitas tranſlationis eius: Græci autem de eodem agunt xv. Kalend. Maij, vt apparet ex eorum Menologio, vbi de eo his verbis: Sancti Patris noſtri Agapiti Rom. Pontif. Iuſtiniani temporibus Cõſtantinopolim profecti, viri pietate & miraculis celeberrimi. Hæc ibi. De eius miraculis agit S. Greg. Papa lib. 3. dialog. cap. 3. Huius hæc illa ſunt præconia de conſecrat. diſt. 1. Agapetus vas Catholicum, Euangelij tuba, præco iuſtitiæ, &c. Scripſimus res geſtas ipſius in Annal. Eccleſ. per annos ſingulos.

[m] Glicerij Epiſcopi.] De eodem tabulæ eccleſiæ Mediolanenſis. Scripſit de eodem elegans epigramma Ennodius Ticinenſis: incipit: Suffuſus nimio, &c. Succeſſit S. Materniano, ſeditque temporibus Bonifacij Papæ.

## iij. E Vndecimo Kal. Octob. Luna. 21

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | | | |

NATALIS ſancti Matthæi [a] Apoſtoli & Euangeliſtæ, qui in Æthiopia prædicans, martyrium paſſus eſt. Huius Euangelium [b] Hebræo ſermone conſcriptum, ipſo reuelante, inuentum eſt vnà cum corpore beati Barnabæ Apoſtoli, tempore Zenonis Imperatoris. In terra Saar ſancti Ionæ [c] Prophetæ, qui ſepultus eſt in Geth. Romæ ſancti Pamphili [d] martyris. Item via Claudia, vigeſimo ab Vrbe milliario, paſſio ſancti Alexandri [e] Epiſcopi, qui ſub Antonino Imperatore, pro fide Chriſti, vincula, fuſtes, equu-

leum,

leum, lampades ardentes, vngularum laniationem, beſtias,ac fornacis flammas ſuperans, tandem gladio cæſus, vitam adeptus eſt glorioſam. Eius corpus poſteà beatus Damaſus Papa in Vrbem tranſtulit ſexto Kalendas Decembris,quo die feſtiuitatem illius celebrandam inſtituit. In Phœnicia ſancti Euſebij [f] martyris, qui vltrò Præfectum adiens, & ſe Chriſtianum eſſe denuntians, ab eo multis tormentis afflictus, capite cæſus eſt. In Cypro ſancti Iſacij [g] Epiſcopi & martyris. Ibidem ſancti Meletij [h] Epiſcopi & confeſſoris. In Æthiopia ſanctæ Iphigeniæ [i] virginis, quæ à beato Matthæo Apoſtolo baptizata, & Deo dicata, ſancto fine quieuit.

## SEPTEMBRIS 21.

MATTHÆI Apoſtoli [a]. ] De quo Beda, ac cæteri Latinorum, Græci autem xvj. Kal. Decemb. De Apoſtolatu eius ad Æthiopas, de quo hic mentio habetur, ſcribunt Origen. in Geneſim, Euſeb. hiſt. lib. 3. c. 1. Socrat. lib. 1. c. 15. Dorotheus in Synopſi, & alij. Auctor ille, qui fertur nomine Iſidori, lib. de vita & obitu ſanct. cap. 78. Macedoniam & Iudæam illi tribuit, Metaphraſtes verò Syriam ſuperiorem iuxta Euphratem. Plura de eodem apud Conſtitut. Apoſtol. quæ feruntur Clementis nomine. Acta eius, præter ea quæ in Paſſionibus Apoſt. incerto auctore feruntur, deſcripſit etiam Metaphraſtes, quæ recitat Lipom. tom. 5. Incipiunt: Iam quidem, &c. Alia diuerſa habet Sur. tom. 5. hac die. Petronius alia nuper conſcripſit: nouiſſimè verò ex antiquis monumentis & ſanctorum Patrum ſcriptis collegit R. D. Marc. Antonius Columna Archiepiſcopus Salernitanus, & ſanè quidem eruditè. In Breuiario Toletano ſacri hymni habentur, quibus etiam eius Acta narrantur. Tres inſuper hymnos de eodem Apoſtolo ab Alfano Epiſcopo Salernitano eſſe elaboratos, tradit Petrus diac. Caſſin. de vir. illuſt. monaſt. S. Bened. c. 19. Nonnulla de Matthæo ſcribit Niceph. hiſt. lib. 2. cap. 41. ſed quæ nullius prorſus ſint teſtimonio comprobata. Apud Hippolytum libello de duodec. Apoſt. legi Matthęum factum victimam virginitatis: alludente nimirum auctore ad hiſtoriam de S. Iphigenia virgine, quæ legitur in Actis eius ab eo Deo dicata. De loco vbi paſſus eſt, vel vbi ſepultus, potiùs aſſentior Venantio Fortunato, qui ante annos mille vixit: is etenim dum agit de Apoſtolis ſingulis, ipſiſque locis vbi paſſi & conditi ſunt, hæc de Bartholomæo atque Matthæo canit:

*Inde triumphantem fert India Bartholomæum,*
*Matthæum eximium Naddauer alta virum.*

Hæc in carm. de gaud. vit. æter. & lib. 7. ad Bodog. Ducem. De victu ipſius Clemens Alexan. in Pædag. lib. 2. cap. 1. hæc ait: Matthæus Apoſtolus ſeminibus, baccis, atque oleribus, abſque carnibus veſcebatur.

[b] Huius Euangelium. ] De eius Euangelio agit ſanctus Hieronymus de ſcript. Eccleſ. & in Matthęum cap. 2 vbi meminit de Nazaręis, qui ſe authenticum Matthæi Euangelium habere profitebantur, & Epiph. in Panat. hæreſ. 29. De eius inuentione vnà cum corpore ſancti Barnabæ ſcribit Theod. lector lib. 1. collect. Niceph. lib. 16. cap. 37. Alexander monach. in vita ſancti Barnabæ, & alij recentiores.

[c] Ionæ Prophetæ. ] Agunt de eodem hac die Græci in Menolog. Pręter illa quæ de ipſo leguntur in diuinis Scripturis, & apud earum interpretes, ſcribit Ioſephus antiquit. lib. 9. c. 11. Epiph. de vit. & interit. Prophet. c. 16. Iſid. cap. 45. & Doroth. c. 6. De ſepulchro Ionæ apud Dioſpolim, vel Diocęſaream Palæſtinæ, agit S. Hieronymus ad Chromat. in proœm. ſuper Ionam.

[d] Pamphili. ] De quo hac die Vſuardus, adſtipulanturque vet. manuſcripta. Diuerſus eſt hic ab illo Pamphilo Cæſarienſi, de quo Kalend. Iunij actum eſt.

[e] Alexandri. ] Agunt de eodem hac die Vſuardus, Ado, & alij recentiores. Conſtat hunc omnino eſſe diuerſum ab Alexandro Papa: cuius autem fuerit ciuitatis Epiſcopus, nondum inuenimus. Huius martyrium refert Petrus in catal. lib. 8. cap. 102. vbi etiam meminit tranſlationis per Damaſum factæ.

[f] Euſebij. ] De quo & Græci in Menologio hac die, ibique eius Acta deſcribunt.

[g] Iſacij Epiſc. ] Gręci iidem de eodem agunt in Menolog. referuntq́ eius certamen.

[h] Meletij Epiſc. ] Agunt de eodem iidem in Menologio. Diuerſus hic à Meletio Antiocheno, de quo ſuprà.

[i] Iphigeniæ. ] De qua Petrus in catalog. lib. 8. cap. 101. & alij recentiores. Eius res geſtæ deſcribuntur in Actis ſancti Matthæi, quorum nuper meminimus.



Digitized by Google

ij. F **Decimo Kal. Octob. Luna.** 22

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |

SEDVNI in Gallia, in loco Agauno, natalis ſanctorum martyrum Thebæorum, Mauritij [a], Exuperij, Candidi, Victoris, Innocentij, & Vitalis, cum ſocijs eiuſdem legionis, qui ſub Maximiano pro Chriſto necati [b], glorioſa paſſione mundum illuſtrarunt. Romæ paſſio ſanctarum virginum & martyrum Dignæ [c] & Emeritæ, ſub Valeriano & Gallieno: quarum reliquiæ in eccleſia ſancti Marcelli aſſeruantur. Apud pagum Caſtrenſium ſancti Ionæ [d] preſbyteri & martyris, qui cum ſancto Dionyſio profectus in Galliam, iuſſu Iuliani Præfecti verberibus cęſus, gladio martyrium conſummauit. Ratiſponæ in Bauaria ſancti Emmerami [e] Epiſcopi & martyris, qui vt alios liberaret, mortem ſæuiſſimam Chriſti cauſa patienter ſubijt. Antinoopoli in Ægypto ſanctæ Iraidis [f] virginis Alexandrinæ, & ſociorum martyrum: quæ ad hauriendam è proximo fonte aquam egreſſa, cùm vidiſſet nauim confeſſoribus Chriſti onuſtam, relicta hydria, protinus ſe illis adiunxit, ac ſimul cum ijs in vrbem ducta, prima omnium, poſt multa ſupplicia, capite cæſa eſt; deinde preſbyteri, diaconi, & virgines, alijq́ue omnes eodem mortis genere conſumpti ſunt. Apud ciuitatem Meldenſem beati Sanctini [g] Epiſcopi, diſcipuli ſancti Dionyſij Areopagitæ, qui eiuſdem ciuitatis Epiſcopus ab eo conſecratus, primus illic Euangelium prædicauit. In territorio Conſtantienſi, ſancti Lautonis [h] Epiſcopi. In pago Pictauienſi, ſancti Florentij [i] preſbyteri. In territorio Bituricenſi, ſancti Siluani [k] confeſſoris. Lauduni, ſanctæ Salabergæ [l] abbatiſſæ.

## SEPTEMBRIS 22.

MAVRITII & ſoc. [a]] De his Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri omnes. Horum Acta ſcripta feruntur à S. Eucherio Epiſcopo Lugdunenſi; extant apud Sur. tom. 5. hac die, & Mombrit. tom. 2. Scripſit de ijſdem carmen Venant. Fortun. lib. 2. Marbodum Epiſcopum Redonenſem eorumdem certamen ſcriptis conſignaſſe, auctor eſt Sigebert. de vir. illuſtr. cap. 159. Meminit & de his Ado Viennen. in chron. anno Domini 283. & 719. De miraculis ad eorum ſepulchrum fieri ſolitis agit Greg. Turon. lib. de glor. mart. cap. 76. Alia refert Sur. tom. 5. ex epiſt. decani & cleri Caſtrinoui in Gall. De horum reliquijs Turonis repertis ſcribit idem Gregor. Turon. hiſt. Franc. lib. 10. cap. 31. in fin. Rurſús etiam de reliquijs Vitalis & Innocentij, quorum hîc habetur mentio, vide in rebus geſtis S. Annonis Epiſcopi Colon. lib. 1. c. 33. apud Sur. tom. 6. Eiuſdem Mauritij lanceam aſſeruari in eccleſia Cracouienſi, auctor eſt Chromerus de reb. Polon. lib. 3. Frequentem fuiſſe Fidelium Occidentalium peregrinationem ad Agaunenſes, quamplurima antiquitatis monumenta produnt. Hîc notandum eſt, quòd Græci etiam habent ſuum Mauritium, & commilitones martyres, qui eadem vrgente perſecutione Diocletiani & Maximiani Impp. paſſi ſunt Apameæ in Syria: quorum res præclarè geſtas deſcripſit Metaphraſtes, quas & recitat Sur. tom. 4. menſe Iulio. Hinc factum eſt, vt plerique vnum eumdemq́ue eſſe putent

putent illum cum hoc de quo agitur;cui ſententiæ & ego aliquando non inuitus adhęſi,culpans Metaphraſten, quaſi minùs aſſecutus eſſet res Occidentalium martyrum: ſed vbi legi Theodoretum Cyri in Syria Epiſcopú de Euangel.veritate lib.8. in fine, illuſtriores nobilioreſq. ſibi notos recenſentem martyres, Mauritio adnumerato inter illos in hæc verba: Petro, Paulo, Thomæ, Sergio, Marcello, Leontio, Antonino, Mauritio, alijſque ſanctis martyribus ſolemnitates populari epulo peraguntur, &c. à priori ſententia recedere coactus ſum: his enim ſedulò expenſis quæ ſcribit Theodoretus, quis ſibi perſuadeat, ipſum de alio Mauritio intellexiſſe, quàm de illo in eadem regione paſſo Apameæ in Syria, cuius Acta deſcripta recitat Metaphraſtes? Certè mihi non fit veriſimile, illum in tam paruo martyrum numero prætermiſiſſe innumeros ferè perilluſtres martyres in Syria paſſos, & externos tam longè poſitos in exemplum adducere voluiſſe.

[b] Pro Chriſto necati. ] Primò hi more maiorum decimati iterùm ſunt, ac demum omnes ſæuiſſimè trucidati. Polybius dum lib.6.agit de Romani Imperij politia, numerans militariú ſuppliciorú genera, ponit inter alia illud quod *δεκατίαν*, id eſt, decimationem appellat. Habes apud Iulium Capitolinum decimare, vigeſimare, & centeſimare; ait enim: Cùm ſeditiones militares pateretur, multos ſæpiùs decimauit, aliquando etiam centeſimauit, cùm digni eſſent decimatione, vel vigeſimatione. ſortiebantur enim qui cædendi eſſent. ſic Liuius lib 2. ab Vrb. cond. Reperitur primus omnium fuiſſe Cambyſes, qui exercitum non ad ſupplicium, ſed ad cibum, ne ceteri perirent, ſorte decimauit, vt ſcribit Seneca lib. 3. de ira c.20. Primus auctor huius ſupplicij inferendi apud Romanos fuit Appius Claudius, de quo Liuius lib. 2. dec. 1. De decimatione militari ſæpiùs meminit Sueton. in Octauio cap. 14. in Caio c. 48. in Galba cap. 12. Qui autem ex decimatione ſupererant milites, ob ignominiam ordeo paſcebantur, quòd eſſet cibus gladiatorum. ita factum reperies à M. Antonio apud Frontinum, ab Octauio apud Sueton. c.25. & apud Dionem lib. 48. & 49. Meminit de decimatione etiam Tacitus lib 3. his verbis: Decimum quemque ignominioſæ cohortis ſorte ductos fuſte necat. Et lib. 14. Ex fuſo exercitu, cùm decimus quiſque fuſte feritur, etiam ſtrenui ſortiuntur. Hęc ille. Quod & factum eſſe aduerſus hos Chriſtianos milites, Maximiani ſententia in illos prolata ſignificat, cuius ſunt hæc verba: Decimum quemque morti funeſta ſors præbeat, &c.

[c] Dignæ & Emeritæ. ] De his etiam pleraque vet. manuſcripta. Paſſæ ſunt in perſecutione Valeriani Imp. ſub Gaio Iudice, ſepultæq. ſunt in cœmeterio Commodillę via Oſtienſi, ad ſanctos Felicem & Adauctum, vt earum Acta teſtantur, quorum alia manuſcript. incipiunt: Gaius Iudex iuſſit teneri, &c. aliorum autem prolixiorum eſt exordium: Temporibus Valeriani, &c. Extant vtraque in noſtra bibliotheca, quæ & facilè reperiri credimus in alijs antiquis codic. eccleſiarum vſui accommodatis.

[d] Ionæ. ] De eodem Petr. in catalog. lib. 8. cap. 106. conſentiuntque vetera manuſcripta.

[e] Emmerami. ] Agunt de eo hac die Beda, Vſuardus, & alij. Scripſit vitam ipſius Cyrinus Epiſcopus Ratiſponenſis, quam refert Sur. tom. 5. Claruit anno Domini ſeptingenteſimo quinquageſimo.

[f] Iraidis. ] Agunt de eadem hac die Gręci in Menolog. Antinoopolis in Ægypto ciuitas, cuius hîc mentio habetur, famoſiſſima eſt ex Antinoi nomine, quem Hadrianus habuit in delicijs, cui & ex humanis ſublato ſacra decreuit, inter deos retulit, eiuſque nomine dicatam ciuitatem appellari voluit. Allāta eſt ex his factis opportuna occaſio ſanctis Patribus, qui ſcripſerunt contra Gentilium errores, & ipſorum deorum falſitatem; vt illorum originem & impuritatem non tam ex illorum ſcriptis, quàm recentiori exemplo ob oculos poſito apertiùs demonſtrarent, illoſque conuincerent; vt Hegeſippus fecit, quem citat S. Hieronymus de Script. Eccleſ. in Hegeſip. & in Iſaiam, Iuſtinus philoſoph. & martyr in apolog. Theophilus Antiochenus, Athenagoras, Origenes contra Celſum, Epiphanius in epit. fid. Cath. Chryſoſt. homil. 27. in 2. ad Corinth. & alij. Rem geſtam ſcribunt ex Gentilibus Dio, & Spartianus in Hadriano. In antiquis nummis eamdem Antinoi apotheoſim expreſſam vidimus.

[g] Sanctini Epiſcopi. ] De eo vet. manuſcrip. Petrus in catal. lib. 8. c. 108. Deſcribit eius Acta Antonin. par. 1. tit. 6. c. 28. §. 1. & alij. Ante hos omnes Hincmarus, cùm agit de ſancto Dionyſio Areopagita apud Sur. tom. 5. poſt Areopagitica Hilduini.

[h] Lautonis Epiſcopi. ] Non tantùm in veteri Rom. Martyrologio, ſed & in pleriſque manuſcript. de eodem agitur hac die. Claruit circa annum Domini 550. interfuitque ſecundo, tertio, & quarto Concilijs Aurelianenſibus, in quibus ſubſcriptus reperitur. mentio habetur de eodem in rebus geſtis ſancti Paterni Epiſcopi Abricenſis.

[i] Florentij. ] De quo hac die Vſuardus: pluribus de eo Petrus in catal lib. 8. c. 107. Peruenit vſque ad tempora Theodoſij ſenioris.

[k] Siluani. ] Agit de eodem Vſuardus hac die, alijque recentiores.

[l] Salabergæ. ] De eadem Petr. in catalogo libro 8. cap. 114. Trithem. de vir. illuſtr. ord. ſancti Benedicti lib. 3. cap. 82. & Molan. in addit. ad Vſuard.

j. G **Nono Kalend. Octob. Luna.** 23

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | | | |

ROMÆ ſancti Lini [a] Papæ & martyris, qui primus poſt beatum Petrum Apoſtolum Romanam Eccleſiam gubernauit; & martyrio coronatus, ſepultus eſt in Vaticano prope eumdem Apoſtolum. Iconij in Lycaonia ſanctæ Theclæ [b] virginis & martyris, quæ à ſancto Paulo Apoſtolo ad fidem perducta, ſub Nerone Imperatore in confeſſione Chriſti ignes ac beſtias deuicit, & poſt plurima ad doctrinam multorum ſuperata certamina, Seleuciam veniens, ibi requieuit in pace: quam ſancti Patres ſummis laudibus celebrarunt. In Campania commemoratio beati Soſij [c] diaconi Miſenatis, quem ſanctus Epiſcopus Ianuarius, cùm de illius capite, Euangelium in eccleſia legentis, flammam videret exurgere, martyrem futurum pronuntiauit: & non poſt multos dies, cùm ipſe eſſet annorum triginta, martyrium cum eodem Epiſcopo capitis detruncatione ſuſcepit. In Africa ſanctorum martyrum Andreæ [d], Ioannis, Petri, & Antonij. In territorio Conſtantienſi ſancti Paterni [e] Epiſcopi & martyris. Anconæ ſancti Conſtantij [f] eccleſiæ manſionarij, miraculorum gratia conſpicui. In Hiſpania ſanctarum mulierum Xantippæ [g] & Polyxenæ, quæ fuerunt Apoſtolorum diſcipulæ.

## SEPTEMBRIS 23.

LINI Papæ [a].] Vſuardus item de eo agit, & alij recentiores; conſentiuntque vet. manuſcript. De eodem Paulus in 2. ad Timoth. cap. 4. Succeſſit S. Petro, vt ſcribit Iren. lib. 3. c. 3. Euſeb. in chron. & hiſt. lib. 3. c. 12. Optat. lib. 2. contra Parmen. Epiphan. hęreſ. 27. & hęreſi 41. dum in ſucceſſione Rom. Pontif. Hyginum ordine nonum ponit. Hieron de Script. Eccleſ. in Clemente, Auguſtinus epiſt. 165. ad Generoſum, Niceph. Epiſc. Conſtantinop. in chron. Niceph. Calliſt. hiſt. li. 3. c. 2. Gregor. Turon. hiſt. lib. 1. cap. 27. & alij recentiores. In Annalibus Eccleſiaſticis pluribus diſſeruimus aduerſus eos qui ſcripſerũt Linum & Cletum viuente Petro tantùm adminiſtraſſe Romanam Eccleſiam; & eo defuncto, ſuffectum fuiſſe Clementem; conatique ſumus diligenter oſtendere, eam opinionem parum eſſe probabilem, & non ſolùm à ſuprascriptis auctoribus, ſed ab hiſtoriæ veritate prorſus diſſentire.

[b] Theclæ.] De eadem Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores hac die, Gręci autem in Menologio die ſequenti. Scimus Acta quædam, Pauli & Theclæ dicta, quorum meminit Tertullianus in libro de baptiſmo, & ſanctus Hieronym. de Script. Eccleſ. in Luca, eſſe improbata, & auctoritate Gelaſij Papæ reiecta inter apocrypha: vnde factum eſt, vt nonnulli incautè nimis omnia quæ de Thecla ſcripta repetiuntur, tamquam minùs probata, putent adnumeranda eſſe inter apocrypha, reijciendaque, nullum ponentes diſcrimen, nec delectum habentes inter ea quæ de Thecla vera certaque ſcribuntur, & ea quæ ambigua, vel falſa omnino feruntur. In his laborandum nobis erit, vt pretioſum à vili, & ſancta à profanis diſtinguentes, quæ improbata atque reiecta, quæve ſincera atque recepta de tanta martyre dicta reperiantur, adducamus in medium. Speramus autem benignum Lectorem veniam daturum, ſi cùm de clariſſimæ martyris hiſtoriæ veritate retinenda agamus, præter inſtitutum noſtrum in ea aliquanto ampliùs immoremur. Noſſe primùm oportet, quę ſint Acta Pauli & Theclę, quæ Tertullianus, Hieronymus, ac denique Gelaſius damnant. Illa quidem erant eiuſmodi, vt inde hæretici ſumerent exemplum, & deducerent argumentum (vt ibi ſcribit Tertullianus) licere mulieribus publicè in eccleſia docere, ac baptizare,

zare, quòd Thecla Paulum ſecuta, palàm docuiſſet, ac baptizaſſet. Addit ſanctus Hieronymus, in ijſdem Actibus, qui Periodus ſiue Circuitus Pauli & Theclę dicebantur, narrari de baptizato Leone ſabulam quamdam. Hæc quidem de illis Actis apud veteres legimus. At verò ſi quis ea inueſtiget, quæ tam apud Græcos, quàm apud Latinos de S. Theclę martyriu ſcripta reperiuntur (habentur ea prę manibus) nibil in eis prorſus vel de docendi munere, aut de baptizandi miniſterio à S. Thecla indebitè vſurpato, & iniuſtè vendicato, vel etiam de baptizati Leonis ſabula vſquam inueniet. Quòd ſi quis ea ſaltem ratione duxerit improbanda quæ de ea ſcripta habentur, quòd ibidem hæc S. Hieron. dicat: Quale enim eſt, vt indiuiduus comes Pauli, Lucas ſcilicet, inter ceteras eius res boc ſolum ignorauerit? Ad hæc dicimus, non omnia Pauli Acta S. Lucam eſſe proſecutum. quod ne quis miretur, Paulum ipſum teſtem adducam; qui in primis in 2. ad Timoth. cap. 3 multa ſe Iconij, vbi degebat Thecla, paſſum eſſe teſtatur. inſuper & ipſe Lucas, cùm fateatur multo tempore Paulum eſſe commoratum Iconij, tamen res illic geſtas tribus ferè verbis potiùs delibat, quàm tractat. Si rurſum conſideres ærumnas, afflictiones, & cruciatus, quos ſe paſſum eſſe idem Paulus profitetur, ſcribens ad Corinthios epiſt. 2. cap. 11. & percurras omnes Actus ipſos, quos S. Lucas conſcripſit; planè inuenies maiore ex parte illos ab eodem prætermiſſos. Expende rurſum prædictam S. Hieronymi rationem, quàm egregiè ab ipſomet Hieronymo confutetur, (à nullo æquiùs ac veriùs, quàm à ſe ipſo Hieronymus corrigi poteſt) qui in commentarijs in epiſtolam ad Galatas cap. 2. dum agit de contentione inter Petrum & Paulum exorta Antiochię, à Luca tamen prætermiſſa, hęc in hanc ſententiam: Nec, inquit, mirum eſſe, ſi Lucas hanc rem tacuerit, cùm & alia multa, quæ Paulus ſuſtinuiſſe ſe replicat, hiſtoriographi licentia prætermiſerit: & non eſſe contrarium, ſi quod alius dignum putauit relatu, alius inter cetera dereliquit. denique primum Epiſcopum Antiochenæ eccleſiæ Petrum fuiſſe accepimus, & Romam exinde tranſlatum; quod Lucas penitus omiſit. Hæc ſanctus Hieronymus, quibus ab eodem obiecta de ſilentio Lucæ omnino euacuantur.

His prælibatis, iam reliquum eſt, vt quibus teſtimonijs Theclæ paſſionis hiſtoria ſulciatur, in medium adducamus: quæ cuncta ſuo ordine digeremus. Habetur in primis in illis mentio de Oneſiphoro Pauli boſpite. hic ille putatur, cuius idem ſanctus Paulus tanta cum laude meminit in 2. epiſt. ad Timoth. cap. 1. Agitur & de Tryphæna in illis Actis. Eadem creditur illa, quam idem ad Romanos ſcribens cap. 16. ſalutari mandat; quòd tunc Romæ degeret, ſicut & plerique alij diſcipulorum Pauli, qui ex Oriente migrarant Romam, vt inter alios Oneſiphorus, Priſca, & Aquila. Habent eadem Acta, Theclam Pauli Apoſtoli prædicatione ad Chriſtum eſſe conuerſam. Id quidem Gregorius Nyſſenus hom. 4. in Cant. cantic. confirmat bis verbis, de Thecla ſermonem habens: Talem myrrham olim Paulus infundebat ex ore ſuo miſtam cum puro pudicitiæ lilio in ſanctæ virginis antes: ea verò erat Thecla, quæ præclarè animo ſuo deſluentibus de lilio guttis, hominem externum morte opprimit, omni cogitatione cupiditateque extincta. Hæc ille. Continent eadem Acta, Theclam iam deſponſatam, viro nuntium remiſiſſe, vt Chriſtum ſponſum mereretur habere. Ecce quàm bellè huic veritati S. Ephiphanius adſtipulatur in Panar. bęreſi 78. cùm ait: Thecla incidit in Paulum ſanctum, & à nuptijs exſoluitur, cùm curatorem, ſiue ſponſum haberet formoſiſſimum, primarium vrbis, valdè diuitem, generoſiſſimum ac illuſtriſſimum in vita: contemnit terrena ſancta illa, vt cęleſtium potens fiat. Hęc Epiphanius. His conſentientia loquitur Fauſtus apud Auguſtinum lib. 30. contra Fauſtum cap. 4. Iam, inquit, timeo Apoſtolo, ne dæmoniorum doctrinam intuliſſe tunc Iconium videatur, cùm Theclam oppigneratam iam thalamo, in amorem ſermone ſuo perpetuæ virginitatis incendit. Hæc ibi Fauſtus: quibus planè S. Auguſtinus aſſentiri videtur, cùm non excipiat de apocrypha hiſtoria; quod aliàs, aduerſus eoſdem Manichæos agens, facere conſueuit, vt de Actis Thomæ, Andreæ, & aliorum. Quòd inſuper in prædictis Theclæ paſſionis Actis reperitur, ipſam gemmas & muliebrem mundum diſtraxiſſe, pecuniaque ſibi conciliaſſe cuſtodes carceris, vt Paulum poſſet inuiſere: id ipſum profitetur S. Ioannes Chryſoſtomus in Act. Apoſt. homil. 25. cùm ait: Audi de beata Thecla: illa vt Paulum videret, aurum ſuum dedit; tu autem vt Chriſtum videas, nec obolum das. Hęc ibi. Et ad populum Antioch. hom. 22. Quęre, inquit, Paulum tamquam Thecla, vt audias quæ per ipſum tibi dicuntur. Hæc de his Chryſoſt. Rurſum autem quę illic leguntur de ira ſponſi in eam concitata, cùm eius accuſatione damnata eſt ad beſtias, quæ manſuetæ diuinitus redditæ, illi blandiebantur; hæc ipſa S. Ambroſius lib. 2. de virginib. explicat his verbis: Thecla doceat immolari, quæ copulam fugiens nuptiarum, & ſponſi furore damnata, naturam etiam beſtiarum virginitatis veneratione mutauit: namque parata ad feras, cùm aſpectus quoque declinaret virorum, ac vitalia ipſa ſæuo offerret leoni; fecit, vt qui impudicos detulerant oculos, pudicos referrent. Cernere erat lingentem pedes beſtiam, cubitare humi, muto teſtificante ſono, quòd ſacrum virginis corpus violare non poſſet: ergo adorabat prædam ſuam beſtia, & propriæ oblita naturæ, naturam induerat, quam homines amiſerant. Hæc ille; qui & ad Simplicianum ſcribens, hæc ait: Inter leones virgo exultauit, & prodeuntes beſtias expectauit intrepida. Hæc ibi; eademque de leonibus in epiſtola 25. lib. 3. edit. Rom. ad Vercellenſem eccleſiam: Quo, inquit, munere venerabilis Thecla etiam leonibus fuit, vt ad pedes prædæ ſuæ ſtratæ, impaſtæ beſtiæ ſacrum deferrent ieiunium, nec procaci oculo virginem, nec vngue violarent aſpero? Quod præterea ad ignes, quos ſubijt, ſpectat, à quibus illa remanſit illæſa, hæc S. Cyprianus in oratione pro martyribus: Aſſiſte nobis, ſicut Paulo in vinculis, & Theclæ in ignibus, &c. Et in orat. in die paſſionis: Libera me de medio huius ſæculi, ſicut liberaſti Theclam de medio amphitheatro. Item & S. Zeno Epiſcopus Veronenſis in ſermone de timore Dei hæc de Thecla: Aduerſus Theclam accuſator acerrimus linguæ erexit gladium: cùm ſuis ſibi miniſtris publicæ leges inſeruiunt, ſtimulis acuitur feritas in ferocitatem, & tamen mitior

hominibus

hominibus inuenitur: ne quid ſcenæ tam diræ humanitatis deeſſe videatur, immittuntur etiam marina monſtra: lacinijs omnibus expoliatur puella, veſtitur incendio. Inter tot inſtrumenta mortis, ſpectatore metuente, ſecura calcat genera vniuerſa terrorum. Incolumis quaſi Orbe ſubacto, de illo feralis caueæ iam non miſerabilis ſed mirabilis funereo habitu excedit, victi ſæculi triumphum reportans, quam tot ſupplicijs omnes crediderant perituram. Hucuſque Zeno. Rurſum verò de ignibus & beſtijs hęc Gregorius Nazianz. ad virgin. exhort. Non te fugit, inquit, Theclam ignium & beſtiarum impetum euitaſſe. Idem in carmine de præcept. ad virgines hæc ait his verſibus:

*Quis Theclam necis eripuit flammaq́; periclo?*
*Quis validos vngues vinxit, rabiemq́; ferarum?*
*Virginitas. O res omni mirabilis æuo!*
*Virginitas fuluos potuit ſopire leones:*
*Dente nec impuro generoſos virginis artus*
*Auſi ſunt premere, & rigido diſcerpere morſu.*

Id ipſum Maximus Taurinenſis ſermone de ſancta Agnete, cùm ait: Theclam flammarum globos euaſiſſe cognoſcis. De his alijſque ſupplicijs ſanctæ virgini irrogatis, ex Actis ſanctorum martyrum Terentij & ſociorum, quæ refert Metaphraſtes die 10. Aprilis, hęc illa ipſorum obteſtatio ad Deum facta: Qui Danielem de ore leonum eripuiſti, & de manu Pharaonis Moyſen ſeruaſti, & ſanctam Theclam ab igne, & theatro, & feris, & beſtijs taurinis defendiſti, &c. In Actis S. Iulianæ, quæ idem recitat 21. Decembr. his ſimilia leguntur. item & in Prat. ſpirit. cap. 10. de milite Deum obſecrante per ea quæ S. Thecla paſſa eſt tormenta. Adde his ſimilia, quę & S. Dei Eccleſia inſeruit in illis precibus, quas adhiberi voluit in cõmendatione animæ, quibus dicitur: Sicut beatiſſimam Theclam de tribus tormentis atrociſſimis liberaſti, ſic, &c. Quod prætereà in ijſdem Actis habetur, pugnanti Theclæ aſtitiſſe Dominum Ieſum Chriſtum pręſeferentē vultum Apoſtoli Pauli: id ipſum quàm eleganter dicatur à S. Brienna in Actis S. Febroniæ ſinceriſſimè ſcriptis, accipe: Brienna tendens in cælum manus, & vocem magnam edens, ſic precata eſt: Domine Ieſu Chriſte, qui ſeruæ tuæ beatæ illi Theclæ certanti ſub Apoſtoli Pauli habitu apparuiſti, quæſo, &c. Hæc apud Metaph. ex Thomaide 15. Iunij. Præter hæc omnia demum ſcias S. Hieronymum eadem Theclæ Acta nouiſſe & comprobaſſe; quod ex eo exploratum habetur: cùm enim in ijſdem Actis illud etiam enarretur, ſanctam Theclam à tormentis liberam, verbi cupidam, magiſtri auidam, Antiochiam Piſidiæ, quo S. Paulum profectum audierat, aduentaſſe, ſed à ſancto Paulo (ne quod offendiculum, vt ait, daret Euangelio) dimiſſam eſſe; hæc ipſa, inquam, S. Hieronymus in epiſt. ad Oceanum ſcribit his verbis: Thecla poſt tentationem paſſionis Antiochię à Paulo prohibetur pariter pergere. Nemo cum vxore pergit ad bellum, &c. Miramur quidem eam epiſtolam non recenſitam inter ceteras à Mariano Victorio, ſed in nonum tomum reiectam, ſuſpicante fortaſſe illam non eſſe Hieronymi, eò quòd ex vita S. Martini auctor mutuetur exemplum. Sed quid mirum, cùm annis duodeuiginti poſt illius obitum vixerit ſanctus Hieronymus? ita planè, dum S. Martinus defunctus dicitur Arcadio & Honorio quintùm Coſſ. (vt probauimus in Annal.) qui eſt annus à Chriſto 402. Hieronymus autem (vt teſtatur Proſper in chron.) diem obijt Theodoſio Aug. nonùm & Conſtantio tertiùm Coſſ. anno Domini 420. Conſtat inſuper ex Seuero, ipſum eius vitam adhuc ſuperſtitis conſcripſiſſe, eamq́ue (vt in dialogo cum Gallo profitetur) mox non in Italiam modò, ſed in Africam & Ægyptum allatam fuiſſe. Quî verò credibile fieri poteſt, eadem Martini Acta vnum latuiſſe Hieronymum? Ex conuenientia prætereà eius epiſtolæ cum ea quam ſcripſit ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis 22. cùm agit de agapetis virginibus, illam eiuſdem eſſe auctoris, vnuſquiſque facilè intelliget. vtinam ſic integra reperiretur, ſicut Hieronymi eamdem eſſe conſtat. Quòd ſi contendas non tantùm eſſe Hieronymi, ſed & Sophronij & Euſebij, vt præſefert epiſtolæ titulus: non laboro, dum & Hieronymi eſſe non inficieris. Sed iam, vt ad ea vnde diuertimus, redeamus, ſciendum nec ea quidem, quæ de Falconilla in eadem Acta aliunde fortaſſe irrepſerunt, auctoritate carere ſanctiſſimi atque doctiſſimi viri ſancti Ioannis Damaſceni in ea oratione, cuius eſt titulus, De his qui in fide ex hac vita exceſſerunt. Extat & ipſa vita S. Theclæ auctore Baſilio Epiſcopo Seleucię, quæ Græcè ſcripta aſſeruatur in bibliotheca Sfortiana codic. manuſcript. num. 45. & 81. qua prędicta de eadem feliciùs explicantur: quam ipſam in Latinum à ſe redditam proximè editurus eſt D. Rolandus Vinchelius Belga, alumnus R. D. Lindani Epiſcopi Ruræmundenſis, nunc autem Illuſtr. ac Reuerendiſſ. Auguſtini Valerij Epiſcopi Veronenſis S. R. E. Cardinalis pietate ac doctrina præſtantiſſimi eruditus Græcorum interpres. Ne quid verò intactum relinquamus; delituiſſe aliquando ſanctam Theclam intra petram ſibi cedentem, produnt Acta ſanctę Barbarę, quæ deſcripſit Metaph. 4. Decemb. Putatur hic ille locus, quem prope Tripolim Palęſtinę peregrinantes Ieroſolymam inuiſunt, referuntque ſpecum illam aſſiduis miraculis illuſtrari; eaque non tantùm fidelibus, ſed munificentia martyris, etiam infidelibus, penes quos ille locus religioſiſſimus habetur, impartiri. Mittimus recentiorum auctoritates, quibus ijdem his de Thecla dictis adſtipulantur; vt Aldelmus in libris quos tam ſoluta oratione quàm carmine ſcripſit de virginitate, vbi breui compendio martyriũ eius deſcripſit. Winduchindum, aliter Witichindum Saxonem monachum Corbeienſem ſcripſiſſe metricè paſſionem S. Theclę, auctor eſt Sigebert. de viris illuſtr. cap. 130. Thecla inſuper, ſicut Primogenita Pauli, ita & Apoſtolica, ac etiam Protomartyr inter feminas meruit appellari; quòd prima in certaminis arenam deſcendit, & de impietate proſtrata triumphum reportauit; quam etiam tam Gręci, quàm Latini Patres ſummo ſemper in honore habitam laudibus vbique in cęlum ferre, primo loco ponere, primamq. inter feminas in exemplum adducere conſueuerunt. Hinc Gregor. Nazianz. in inuectiua illa in Iulianum Apoſtatam: Non victimas, inquit, pro Chriſto cæſas veritus es? nec magnos pugiles extimuiſti, Ioannem illum, Petrum, Paulum, Iacobum, Stephanum, Lucam, Andream, Theclam? &c. Sic S. Epiph. in Panar. hæreſi 79. Ambroſ. idē in citatis locis, & Hieron. ad Euſtoch. epiſt. 22. in fine, apud eumdem (cu-

tuiuis

ſuſuis ſit auctoris ) tomo nono in obiurgatione Suſannæ, Chryſoſt. in orat. in ſanctos duodecim Apoſtolos, Sulpit. Seuer. in vita ſancti Martini lib. 2. cap. 16. & alij. Hinc etiam vſu euenit, vt cùm quid excellens de femina aliqua dicere vellent, eamdem Theclæ nomine exornarent. Sic S. Hieronymus Melaniam ſeniorem, adhuc ſibi conſtantem, Theclam in chronico appellauit; ſic etiam egregiam illam Macrinam germanam ſancti Baſilij ob inſignes animæ eius virtutes Theclam eſſe dicendam, diuinus nuntius præſignauit, vt ſcribit frater eius Greg. Nyſſenus in epiſtola ad Olympium monachum. Erat frequens acceſſus fidelium Seleuciam Iſauriæ ad ſanctæ Theclæ ſepulchrum, quò aliquando profectus eſt ſanctus Gregorius Nazianzenus, vbi & diutiùs manſit. De eadem in eum locum peregrinatione mentio habetur in Concilio Niceno ſecundo Act. 5. Theodoret. in hiſt. relig. ſanct. Patrum cap. 29. in Marana & Cyra, & Prat. ſpirit. c. 180. Illic Zeno Auguſtus ampliſſimam erexit baſilicam, quòd eius auxilio reſtitutus eſſet in Imperium, vt ſcribit Euagr. hiſt. lib. 3. c. 8. & Niceph. lib. 16. c. 8. Iuſtinianus Imp. aliam non imparem in eius honorem excitauit eccleſiam, vt auctor eſt Procop. lib. 1. de ædific. Iuſtiniani Imp. Porrò non in Oriente tantùm, ſed & in Occidente longè lateque celeberrimus vbique fuit eiuſdem martyris cultus. Hęc iam ſatis: quę aliquibus fortaſſe prolixiora, ſed Theclam impenſiùs amanti pauca videri poſſunt.

Hæc noſtra cùm recognoſceret hîc Romæ Reuerendiſſimus Pater dominus Lindanus Epiſcopus Ruremundenſis, vir non tantùm omnis generis litterarum eruditione clariſſimus, verùm etiam egregij confeſſoris fidei nobilitatus inſignibus; quippe qui exilia, proſcriptiones, ærumnas incredibiles, ac mortes pænè frequentes, inconcuſſo robore, fidei cauſa ſuſtinuit; quem tot victorijs auctum, ac maiora conantem, hiſce diebus Romæ videre meruimus: hic, inquam, hæc nobis de Thecla coràm, ac primùm de libris Euſebij in hunc modum: Ex libris (aiebat ille) Martyrum, quos Euſebius Cæſarienſis ſe ſcripſiſſe teſtatur, tres nondum de Græco verſos in biblioth. Philippi Hiſpaniarum Regis piiſſimi apud ſanctum Laurentium in Eſcuriaco extare nobis loquitur index eiuſdem, quem Catholica Maieſtas nobis ad vnam aut alteram noctem deuorandum ſingulari beneuolentia permiſit anno 1579. cùm euſque exilij, quod ciuile bellum ab hęreticis excitatum tertiò inflixerat, ſolandi cauſa ex Belgio per Italiam & Galliam perueniſſemus. In eodem indice ſanctus Athanaſius de vita ſanctæ Theclæ nobis lectus eſt, de quo, vt & de illis Euſebij de SS. Martyribus Latinè conuertendis, egi prolixè cum doctiſſimo viro D. Coſma Fontæo Regio Græcorum interprete, vt abſoluta Photij bibliotheca tunc ad amuſſim ferè expreſſa, nobis illas ſanctorum martyrum & in primis ſanctæ Theclæ coronas in lucem refunderet: de quo & nunc ſtatui ad ipſum Regem ante diſceſſum ſcribere, vt habeas vnde aureas illas ſanctæ Theclæ atque illorum ſanctorum martyrum hiſtorias exornatiores & copioſiores reddere queas. Hæc ad me tunc ipſe, cùm de rebus varijs Eccleſiaſticis ſubinde perfrueremur colloquijs.

[c] Soſij. ] De eodem Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Eius Acta iuncta ſimul habentur cum rebus geſtis S. Ianuarij, de quo ſuperiùs xiij. Kal. Octob. Meminit de Soſio S. Proſper de prædict. dimid. tempor. cap. 6. in fine. In eius honorem S. Symmachus Papa erexit oratorium, & Confeſſionem exornauit argento, vt conſtat ex libro de Rom. Pontific. in Symmacho.

[d] Andreæ & ſoc. ] De his item eadem vet. manuſcripta, quorum ſuprà meminimus.

[e] Paterni Epiſcopi. ] De quo etiam Vſuardus. Ponitur hic primus eius ſedis Epiſcopus in tabulis eccleſiæ Conſtantien. quas deſcripſit Democh. libro de ſacrif. Miſſæ. Alius eſt Paternus ſanctitate æquè illuſtris Epiſcopus Abricenſis, cuius Acta deſcripſit Sur. tom. 2. Aprilis 16. ad quem adhuc abbatem ſcripſit Venantius Fortunatus carmen de emendatione Codicis. Vixit temporibus Childeberti Regis Franc. circa annum Domini 560. de quo etiam Democh. in tab. Epiſc. eccleſiæ Abricenſis.

[f] Conſtantij. ] De eodem S. Gregorius lib. 1. dialog. cap. 5. pluribus agit.

[g] Xantippæ & Polyxenæ. ] Agunt de his etiam Græci hac die in Menologio, vbi earum Acta deſcribuntur. Meminit Xantippæ Metaphraſtes in ſermone de Petro & Paulo Apoſtolis, die 29. Iunij, apud Surium tom. 3.

## 24 Octauo Kal. Octob. Luna. A*

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | | | |

AVGVSTODVNI natalis ſanctorum martyrum Andochij [a] preſbyteri, Thyrſi diaconi, & Felicis, qui à beato Polycarpo Smyrnenſi Epiſcopo ab Oriente directi ad docendã Galliam, ibidẽ flagellis duriſſimè cæſi, ac tota die inuerſis manibus ſuſpenſi, & in ignem miſſi, ſed non combuſti, tandẽ vectibus

corum

eorum colla feriuntur, & ita glorioſiſſimè coronantur. In Ægypto paſſio ſanctorum Paphnutij [b] & ſociorum martyrum. Is vitam in ſolitudine agens, cùm audiret multos Chriſtianos in vinculis retineri, diuino ſpiritu concitus, ſponte Præfecto ſe offert, & Chriſtianam religionem liberè profitetur: à quo primùm catenis ferreis conſtringitur, & in equuleo diutiſſimè torquetur: deinde cum alijs plurimis ad Diocletianum mittitur, cuius iuſſu ipſe palmę affigitur, cęteri autem ferro necantur. Chalcedone ſanctorum quadragintanouem [c] Martyrum, qui poſt martyrium ſanctæ Euphemiæ ſub Diocletiano Imperatore damnati ad beſtias, & ab ijs diuinitus liberati, demum gladio percuſſi migrauerunt in cælum. In Pannonia ſancti Gerardi [d] Epiſcopi & martyris Hungarorum Apoſtoli nuncupati, patricij Veneti, familiæ Sagredorum, qui primus patriam nobili martyrio illuſtrauit. Aruernis depoſitio ſancti Ruſtici [e] Epiſcopi & confeſſoris. In territorio Beluacenſi ſancti Geremari [f] abbatis. *Conceptio Ioannis Baptistæ. [illegible] pag. 17.*

## SEPTEMBRIS 24.

ANDOCHII & ſoc. [a]] De his pluribus hîc Beda, Vſuardus, Ado, Petrus in catal. lib. 8. cap. 116. Feruntur horum Acta eſſe conſcripta à Fauſto & Symproniano.

[b] Paphnutij Epiſcopi & ſociorum.] Agunt de his hac item die Græci in Menologio, ſequenti autem die ijdem de Paphnutio confeſſore patre S. Euphroſynæ virginis.

[c] Quadragintanouem Martyrum.] Horum martyrium deſcribitur in Actis ſanctæ Euphemię virginis & martyris Chalcedonenſis, de qua ſuprà xvj. Kalend. Octobris.

[d] Gerardi Epiſcopi.] Eius vitam deſcripſit ex veteribus monumentis Sur. tom. 5. Plura de eodem in Actis S. Stephani Regis, quę idem habet tom. 4. Bonfin. de rebus Hungar dec. 2. lib. 1. & 2. Trithem. de vir. illuſtr. ord. S. Bened. lib. 3. c. 239. atque alij, quos refert R. P. Arnoldus Wion Belga, monachus Benedictinus, in eius vita, quam nuper edidit, & annotationibus illoſtrauit. Martyrio coronatur anno Domini 1047.

[e] Ruſtici Epiſc.] De eius electiooe ſcribit Gregor. Turooen. de geſt. Franc. hiſt. lib. 2. c. 23. Succeſſit S. Veoerando, numeraturq́. ſeptimus ordine Epiſc. Aruernenſis. Vixit temporibus Honorij Imp. & eius ſucceſſoris Valentiniani. Claruerunt ijſdem temporibus duo alij ſanctiſſimi Epiſcopi eiuſdem nominis, Ruſticus Lugdunenſis, & Ruſticus Narbonenſis, de quibus aliàs pluribus.

[f] Geremari abbatis.] De quo etiam agit Trithem. de vit. illuſtr. ord S. Bened. lib 3. c. 93. & Molanus in addit. ad Vſuard. hac die. Vixit circa annom Domini 670.

xxix. B Septimo Kal. Octobris. Luna. 25

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
t u A B C D E f F G H M N P
20 21 22 23 24 25 26 27 27 28 29 30 1 2

IN caſtello Emmaus natalis beati Cleophæ [a] Chriſti diſcipuli, quem tradunt in eadem domo, in qua menſam Domino parauerat, pro confeſſione illius à Iudęis occiſum, & glorioſa memoria ſepultum. Romæ S. Herculani [b] militis & martyris, qui miraculis in paſſione beati Alexandri Epiſcopi ad Chriſtum conuerſus, ſub Antonino Imperatore poſt multa tormenta gladio cæſus eſt. Ambiani in Gallia beati Firmini [c] Epiſcopi, qui in perſe-

perſecutione Diocletiani ſub Riſtiouaro Prçſide, poſt varia tormenta, capitis decollatione martyrium ſumpſit. Damaſci ſanctorũ martyrum Pauli[d], & Tattæ eius coniugis, ac Sabiniani, Maximi, Rufi, & Eugenij filiorum: qui Chriſtianç religionis accuſati, verberibus, alijſq. ſupplicijs torti, animas Deo reddiderunt. In Aſia paſſio ſanctorum Bardomiani[e], Eucarpi, & aliorum vigintiſex martyrũ. Eodem die S. Anathalonis[f] Epiſcopi, qui beati Barnabç Apoſtoli diſcipulus, in eius locum eccleſiæ Mediolanenſis Epiſcopus ſucceſſit. Lugduni depoſitio S. Lupi[g] Epiſcopi ex anachoreta. Antiſiodori S. Anacharij[h] Epiſcopi & confeſſoris. Bleſis S. Solemnij[i] Epiſcopi Carnutenſis, miraculis clari. Eodem die S. Principij[k] Sueſſionenſis Epiſcopi, fratris beati Remigij Epiſcopi. Anagniæ ſanctarum virginum[l] Aureliæ & Neomiſiæ.

## SEPTEMBRIS 25.

CLEOPHÆ[a].] De quo Lucas Euangeliſta cap. 24. De eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac cereri Latinorum, Græci autem in Menologio ad iij. Idus Octobris.

[b] Herculani.] Vſuardus de eodem hac die. mentio habetur de eo in Actis S. Alexandri Epiſcopi, de quo ſuprà xj. Kalend. Octobris, & apud Petrum in catalog. lib. 8. c. 102. & 120.

[c] Firmini Epiſc.] De eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, alijque recentiores. Fuit hic primus eius ſedis Epiſcopus. Errat Petrus, qui appellat eum presbyterum lib. 8. c. 119. Reperitur alius eiuſdem nominis, eiuſdemq. eccleſiç Epiſcopus, de quo & ipſe lib. 7. c. 137. ſuitq. tertius ordine, & confeſſor tantùm: qui & ſucceſſit S. Eulogio, vt indicant tabulç Epiſcoporum eius eccleſiæ, quas deſcripſit Democh. libro de ſacrif. Miſſæ. De eodem in Theſaur. concion. tom. 2.

[d] Pauli & ſoc.] Agunt de his item Græci hac die in Menologio, Actaq. eorum breui compendio referunt.

[e] Bardomiani & ſoc.] De his Beda hac die, conſentiuntq. vetera manuſcripta.

[f] Anathalonis Epiſc.] De quo & tabulæ eccleſiæ Mediolanenſis. Libuit hîc deſcribere peruetuſtam inſcriptionem S. Miroclis eiuſdem ciuitatis Epiſcopi de S. Anathalone in lapide inciſam iuxta eius imaginem, his verſibus, quos præſens inſcriptio prçcedit: D. ANATHALONI ATTICO SECVNDO EPISCOPO.

*Petri hoſpes, ſancteq́ Anathalon, Domne probate,*
*Atque idem ſocius Barnabæ Apoſtolici:*
*Qui Mediolani verbi myſteria tradens,*
*Te iubet agnatos viſere Cenomanos.*
*Dum tua membra metu rigidis ſubducta tyrannis*
*Brixia vicino detinet in loculo:*
*Hîc titulum, & picto venerandos pariete vultus*
*Mirocles reddit, præſtitit alma fides.*

MIROCLES EPISCOPVS.

Accepimus ex manuſcripto commentario Andreæ Alciati, quem ſcripſit de rebus patrijs, nondum edito. erat apud Illuſtriſſ. ac R. D. Franciſcum Alciat. S. R. E. Cardinalem.

[g] Lupi Epiſcopi.] De eodem Beda, Vſuardus, Ado, ceterique recentiores. Cùm autem hic dicatur ex anachoreta factus Epiſcopus Lugdunenſis; illum putamus, qui in inſula Lerini poſt Lupum Trecenſem exercuit vitam monaſticam. Meminit Trecenſis Lupi Sidonius Apollinaris in epiſtolis, & in carmine euchariſtico ad Fauſtum Lerinenſem, cùm ait:

——— *quæ ſancta Caprasij*
*Vita ſenis, iuuenisq́ Lupi, &c.*

Longè poſt horum tempora claruit Lupus Epiſcopus Senonenſis, quem ex hac vita migraſſe anno Domini 631. tradunt tabulæ Epiſcoporum eius eccleſiæ, quas recitat Demochares: prædicti autem vixerunt temporibus Valentiniani Tertij, & ſucceſſorum Impp.

[h] Anacharij Epiſc.] Diuerſis modis ſcriptus reperitur, vt Aunarius, Aunacharius, & Anguatius. Interfuit hic Concil. Matiſcon. primo, & ſecundo, quod celebratum eſt anno 24. Regis Gunthramni, vt eius Acta ſignificant: numeratur hic annus à Chriſto Domino quingenteſimus octogeſimuſoctauus, vt colligitur ex Gregorio Turon. Fuit is decimuſnonus eius ſedis Epiſcopus.

[i] Solemnij Epiſc.] Cuius miracula teſtata reliquit Gregorius Turonenſis libro de glor. confeſſ. cap. 21. & Sigebert. in chron. anno Domini 490. Sedit decimuſquartus ordine eius ſedis Epiſcopus, vt apparet ex tab. Democharis.

[k] Principij Epiſc.] Ad hunc extat ſcripta epiſtola Sidonij Apollinaris lib. 8. epiſt. 14. vbi egregias eius laudes prædicat, item alia lib. 9. epiſt. 8. Habetur mentio de eodem in vita ſancti Remigij apud Sur. tom. 5. Interfuit ſacris Concilijs, Carpentoractenſi, Arauſicanis primo & ſecundo, vt eorum Acta ſignificant. Claruit circa annum Domini 460. adſcribiturq. in tabulis Epiſcoporum Sueſſionenſium duodecimus ordine. Agit de eodem Molanus hac die in addit. ad Vſuard.

[l] Aureliæ & Neomiſiæ.] Harum res geſtas, ſed nonnihil deprauatas, accepimus ab eccleſia Auagnina.

xxviij. B Sexto Kal. Octob. Luna. 26

| | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | | | |

NICOMEDIÆ natalis ſanctorum martyrum Cypriani [a], & Iuſtinæ virginis, quæ ſub Diocletiano Imperatore, & Eutholmio Præſide multa pro Chriſto perpeſſa, ipſum quoque Cyprianum, cùm eſſet magus, & ſuis magicis artibus eam dementare conaretur, conuertit ad Chriſtum: cum quo poſteà martyrium ſumpſit. Horum corpora feris obiecta, noctu quidam nautæ Chriſtiani rapuerunt, & Romam detulerunt: quæ poſtmodum in baſilicam Conſtantinianam tranſlata, prope Baptiſterium condita ſunt. Romæ ſancti Calliſtrati [b] martyris, & aliorum quadragintanouem militum, qui in perſecutione Diocletiani, cùm Calliſtratus inſutus culeo, & in mare demerſus, Dei ope euaſiſſet incolumis, conuerſi ad Chriſtum, cum eo pariter martyrium ſubierunt. Item Romæ ſancti Euſebij [c] Papæ. Bononiæ item ſancti Euſebij [d] Epiſcopi & confeſſoris. Brixiæ ſancti Vigilij [e] Epiſcopi. Albani ſancti Senatoris [f]. In agro Tuſculano beati Nili [g] abbatis, fundatoris monaſterij Cryptæ ferratæ, magnæ ſanctitatis viri. Tiferni ſancti Amantij [h] preſbyteri, gratia miraculorum illuſtris.

## SEPTEMBRIS 26.

[a] CYPRIANI & Iuſtinæ [a].] De his hac die Beda, ac ceteri Larinorum, Greci autem in Menologio ſexto Nonas Octobris. Horum Acta Græcis edidit Metaphraſtes, quæ Latinè reddita retulit Lipom. tom. 6. & Sur. tom. 5. Communiter penes Græcos irrepſit error, dum hunc Cyprianum cum illo Epiſcopo Carthaginienſi confuodunt: qui tamen quampluribus differentijs diſtinguuntur abinuicem, nimirum patria, gradu, genere, tempore, actis, & loco martyrij. Fuit etenim hic, de qoo agitur, patriâ Aoriochenus, ex mago Chriſtianus, inde diaconus; & vnà cum Ioſtina ſub Eutholmio Præſide temporibus Diocletiani in ſartagine poſitus, Nicomediæ martyrium conſummauir: adeò vt ex his pateat, nonniſi nomen, & martytij titulum hunc habere communem cum Cyptiano Epiſcopo Carthaginienſi. Rurſus etiam errant, qui hunc paſſum ſcribunt temporibus Claudij Imperatoris: nam in eius Actis teſtatum habetur, ipſum initiatum ſacro baptiſmate atque ordine diaconatus ab Anthimo Epiſcopo Nicomediæ, quem conſtat temporibus Diocletiani Imperatoris illi eccleſiæ præfuiſſe, vt teſtatur io primis Euſebios hiſt. lib. 8. c. 6. & Acta ſanctorum Indes & Domnæ. Extant horum res geſtę Latinè conſcriptę, fideliores q. mea quidem ſententia, quàm Acta illa quæ edidit Metaphraſtes. Agit de his Aldelmus tam carmine, quàm etiam ſoluta oratione libro de virgioit.

[b] Calliſtrati & ſoc. ] De his etiam Græci in Menologio, ſed die ſequenti. Habentur horum Acta à Metaphraſte edita, quæ recenſuit Lipom. tom. 6. & Sur. tom. 5. inſunt illis tamen nonnulla, quæ corrigantur.

[c] Euſebij Papæ. ] De eodem hac die Ado, conſentiuntque vet. manuſcripta. De eius ſucceſſione Euſeb. chronic. Optat. libro 2. contra Parmen. Auguſtin. epiſtol. 165. Niceph. Epiſc. in chron. & alij recentiores. Cetera de ipſo diximus in Aonal. Eccleſ.

[d] Euſebij Epiſc.] De quo etiam tabulę eccleſię Bonon. Vixit temporibus Gratiani & Theodoſij Auguſtorum; interfuitq. vnà cum S. Ambroſio ac ceteris ſanctis Epiſcopis Concilio Aquileienſi, habito Syagrio & Eucherio Coſſ. anno à Chriſto (ſecundùm Faſtos Onuphrij) 381. Quantum antem Bononienſis eccleſia tanto antiſtite floruerit, ac præcipuè ſacrarum virginum ſobole fecunda fuerit, ſatis apparet ex his quæ ſcribit ſanctus Ambroſius lib. 1. & 3. de virginibus.

[e] Vigilij Epiſc.] Tabulę etiam Brixienſis eccleſię de eo hac die. Meminit eiuſdem Ramper. eiuſdem eccleſiæ Epiſcopus in ſerm. de tranſlatione

ſancti

ſancti Philaſtrij. Vide ſuperiùs notata in Vigilio Tridentino Epiſcopo.

[f] Senatoris. ] De quo Vſuardus, Ado, atque recentiores; quibus verò temporibus vixerit, nullus prodit. Fuit autem Senator, ita dictus intimus homo ſancti Germani Epiſcopi Antiſiodorenſis, de quo Conſtantius in vita illius lib. 2. cap. 6. Fuit & alius eiuſdem nominis Romanus preſbyter, qui functus eſt legatione cum ſancto Abundio ac ſocijs Conſtantinopolim miſſis à ſancto Leone Papa, vt apparet ex ipſius epiſtola 33. itemque Caſſiodorus dictus eſt cognomento Senator.

[g] Nili abbatis. ] Huius res geſtas in eodem monaſterio, cuius hîc habetur mentio, aſſeruari accepimus, quas nondum legimus.

[h] Amantij. ] De quo ſcribit ſanctus Gregorius lib. 3. dialog. cap. 35. Quo loco emendatum eſt quod legebatur Tuderti, loco Tiferni: nam Floridus, cuius ibi S. Gregorius meminit, Tifernas Epiſcopus fuit, ſanctitate celebris, quem patronum Tifernates honorificentiſſimè colunt. Id quidem eius eccleſiæ monumenta vetera certa fide teſtantur.

## 27 Quinto Kal. Octob. Luna. D xxvij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | | | |

AEGÆÆ natalis ſanctorum martyrum Coſmæ [a] & Damiani fratrum, qui in perſecutione Diocletiani poſt multa tormenta, vincula, & carceres, poſt mare, & ignes, cruces, lapidationem, & ſagittas diuinitus ſuperatas, capite plectuntur: cum quibus etiam referuntur paſſi tres eorum fratres germani, Anthimus, Leontius, & Euprepius. Romæ ſanctæ Epicharidis [b] mulieris ſenatoriæ, quæ in eadem perſecutione plumbatis cæſa, gladio percuſſa eſt. Tuderti ſanctorum martyrum Fidentij [c] & Terentij, ſub eodem Diocletiano. Cordubæ ſanctorum martyrum Adulphi [d] & Ioannis fratrum, qui in perſecutione Arabica pro Chriſto coronati ſunt. Seduni in Gallia ſancti [e] Florentini martyris, qui vnà cum beato Hilario poſt abſciſſionem linguæ iuſſus eſt gladio feriri. Bibli in Phœnicia ſancti Marci [f] Epiſcopi, qui & Ioannes à beato Luca nominatur. Mediolani ſancti [g] Caij Epiſcopi, diſcipuli beati Barnabæ Apoſtoli, qui ſanctos Geruaſium & Protaſium baptizauit, & multa in perſecutione Neronis paſſus, in pace quieuit. Rauennæ ſancti Aderiti [h] Epiſcopi & confeſſoris. Pariſijs ſancti Eleazari [i] Comitis. In Hannonia ſanctæ Hiltrudis [k] virginis.

## SEPTEMBRIS 27.

COSMÆ & Damiani [a].] De ijſdem Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri Latinorum, Græci autem in Menologio ad Kalendas Iulias, ac iterùm ad xvj. Kalend. Nouembr. Feruntur Acta ipſorum, Niceta quodam auctore conſcripta: extant apud Metaphraſt. Kalend. Nouemb. ſed erroribus ſcatent, longéque diuerſa à germanis ſinceriſq. rebus geſtis ipſorum martyrum, ſicut & ea quæ inſcribuntur nomine Metaphraſtis, quæ cuncta recitat Lipom. & Sur. tom. 5. quæ quidem ſi quis tueri velit, neceſſe eſt affirmet illos diuerſos eſſe ab his, de quibus hîc agitur: cùm ex illis conſtet, eoſdem abſque martyrio in pace quieuiſſe. Rurſus autem alia habentur horum Acta, ac trium fratrum ipſorum, Anthimi, Leontij, & Euprepij: quę ex vet. manuſcript. edita extant tom. 7. apud Sur. quæ parùm differunt ab ijs quę Mombritius edidit tom. 1. quę etiam in antiquis codicibus habemus manuſcripta, mea quidem ſententia, ceteris fideliora. in his enim nihil habetur de ridicula illa & obſtinata contentione inter eos trium ouorum causâ oborta, ſicuti nec de camelo voce humana loquente. Eadem Acta ſummatim collecta narrat Ado in ſuo Martyrologio, & Aldelmus lib. de laud. virginit. De horum miraculis

agitur in Conc. 2. Nicæno Act. 4. Greg. Turonen. de glor. martyr. c. 98. & de geſt. Franc. hiſt. lib. 10. c. vlt. de ipſorum reliquijs in cellula S. Martini à ſe poſitis agit. Horum beneficio Iuſtinianus Imperator ab ægritudine grauiſſima liberatus, percelebrem in honorem eorumdem martyrum erexit baſilicam, vt ſcribit Procop. lib. 1. de ædif. Iuſtiniani Imp. Addidit & aliud in Pamphilia ijſdem martyribus templum, vt idem teſtatur libro 5. Diuinus ille Sabas paternam domum mutauit in eccleſiam eorumdem nomine Deo dicandam, vt conſtat ex Actis ipſius, quæ ſcriptis mandauit Cyrillus monachus. Horum nomine S. Felix Papa S Gregorij atauus (vt ſcribit Ioannes diac. in vit. S. Greg. lib. 1. c. 1.) baſilicam erexit Romæ iuxta templum Romuli; eadem in lib. de Rom. Pontific. in Felice Quarto: licet alij putent illic olim fuiſſe templum Caſtoris & Pollucis, quod in Foro Romano, vt ſcribit Liu. lib. 2. dec. 1. & Cicer. lib. 3. de nat. deorum, dicatum erat ab Aulo Poſthumio. ſed prior ſententia verior probatur; nam alibi ſitum eſſe Romanum Forum, ſuprà monſtrauimus, cùm egimus de carcere Mamertino. Ob celebrem cultum ijſdem ſanctis martyribus Romæ exhiberi ſolitum, euenisse putamus, vt nonnulli eos Romæ paſſos eſſe crediderint. Sanè quidem in Græcorum Menologio, quo vtimur, illos Romæ martyrio coronatos eſſe, habetur Kal. Iulij. De peregrinatione ad ipſorum eccleſiam poſitam in Palæſtina, mentio habetur in Prat. ſpirit. cap. 127. De his omnibus martyribus extat epigramma Bonadij Santon. lib. 2. monod. 48.

[b] Epicharidis. ] De eadem hac die Græci in Menologio, paſſámque tradunt in perſecutione Diocletiani Imperatoris.

[c] Fidentij & Terentij. ] Legimus horum Acta accepta ab eccleſia Tudertina. incipiunt: In diebus Diocletiani & Maximiani Imperatorum, &c.

[d] Adulphi & Ioannis. ] De his item Vſuardus hac die: pluribus ſanctus Eulogius in Memoriali ſanctorum lib. 2. cap. 8. Fuerunt patriâ Hiſpalenſes, paſſíque ſunt anno Domini octingenteſimo quinquageſimoprimo. Conſule ibidem ſcholia Moralis.

[e] Florentini & Hilarij. ] Agunt de his Vſuardus, Ado, Petrus in catal. lib. 8. c. 124. & alij recentiores. paſſi ſunt eo tempore, quo Wandali in Gallias irruperunt, anno Domini quadringenteſimo ſeptimo.

[f] Marci. ] De quo Act. Apoſt. cap. 12. & 15. Paulus ad Coloſſ. c. 4. & 2. ad Tim. c. 1. & ad Philem. Agunt de eodem hac die Græci in Menolog. Alexan. mon. in encomio Barnabæ apud Metaphraſt. 11. Maij, Doroth. in Synop. & alij. Hunc autem omnino diuerſum eſſe à Marco Euangeliſta, pluribus in Annal. Eccleſ. oſtendimus.

[g] Caij Epiſc. ] De eodem tabulę eccleſię Mediolan. Tertius hic ponitur eius ſedis Epiſcopus, qui patriâ Romanus, vnà cum ſancto Anathalone Græco adhæſit Barnabæ Apoſtolo. Vidi de his hiſtoriam rerum patriæ nobiliſſimi ſcriptoris Andreæ Alciati nondum editam. De eodem agitur in Actis ſanctorum martyrum Geruaſij & Protaſij, quorum ſuprà meminimus.

[h] Aderiti Epiſcopi. ] Tabulę eccleſię Rauen. de eodem hac die: plura de eodem Rub. lib. 1. hiſtor. Rauen.

[i] Eleazari. ] Huius res geſtas ex authenticis manuſcript. edidit Sur. tom 5. Hic exceſſit ex humanis anno Domini 1325.

[k] Hiltrudis. ] Claruit temporibus Pipini Regis Francorum: pluribus de eadem Molan. in Indic. Sanct. Belg. & in addit. ad Vſuardum.

25. xxvj. E

## Quarto Kalend. Octob. Luna. 28

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | | | |

ROMÆ ſancti Priuati [a] martyris, qui vlceribus plenus à beato Calliſto Papa ſanatus, inde ſub Alexandro Imperatore ob Chriſti fidem plumbatis cæſus eſt vſque ad mortem. Ibidem ſancti [b] Stactei martyris. In Africa ſanctorum martyrum Martialis [c], Laurentij, & aliorum viginti. Antiochiæ Piſidiæ ſanctorum martyrum Marci [d] paſtoris ouium, Alphij, Alexandri, & Zoſimi eius fratrum, Niconis, Neonis, Heliodori, & triginta militum, qui ad miracula beati Marci credentes in Chriſtum, diuerſis in locis, varijſque modis martyrio coronati ſunt. Eodem die paſſio ſancti Maximi [e] ſub Decio Imperatore. In Boëmia ſancti VVenceſlai [f] Ducis Boëmorum & martyris, ſanctitate & miraculis glorioſi, qui in domo fratris ſui necatus, victor peruenit ad palmam.

Digitized by Google

palmam. Toloſæ ſancti Exuperij [g] Epiſcopi & confeſſoris, qui beatus vir quantum ſibi extiterit parcus, quantúmque alijs largus, ſanctus Hieronymus relatu proſecutus eſt memorabili. Genuę ſancti Salomonis [h] Epiſcopi & confeſſoris. Brixiæ ſancti Siluini [i] Epiſcopi. Eodem die ſanctę Euſtochij [k] virginis, filię beatę Paulę, quę ad Præſepe Domini cum alijs virginibus enutrita, præclaris meritis fulgens migrauit ad Dominum. In Germania ſanctæ Liobę [l] virginis, miraculis claræ.

## SEPTEMBRIS 28.

PRIVATI [a]. ] De eius martyrio agitur in Actis ſancti Calliſti Papæ, quæ deſcripta habentur apud Sur. tom. 7. Octob. 14.

[b] Stactei. ] De eodem Beda, Vſuardus, & alij recentiores, conſentiuntque vetera manuſcripta.

[c] Martialis & ſociorum. ] De his item Beda hac die, & alij. Meminit Martialis & ſociorum Lucianus in epiſtol. quæ extat apud Cypr. 22. edit. Pamel. De Laurentio, ſeu Laurentino ipſe Cyprianus epiſt. 34. An ijdem ſint, haud compertum habeo; cùm præſertim de Laurentino agatur iterùm.

[d] Marci & ſoc. ] De his etiam Græci in Menologio, paſſóſque tradunt in perſecutione Diocletiani Imperatoris.

[e] Maximi. ] De quo etiam vetera manuſcripta.

[f] VVenceſlai. ] Apud Adonem de eodem agitur hac die. Eius vitam ſcriptam eſſe à Laurentio monacho Caſſinenſi, auctor eſt Petrus diac. in lib. de vir. illuſtr. monaſt. Caſſin. cap. 6. Plura de eo legimus in Breuiario Polonorum, in Witichindo Saxon. libro 2. Ænea Siluio hiſtor. Boëm. cap. 14. 15. Ioan. Dubrau. hiſtor. Boëm. lib. 4. & 5. quam exſcriptam habes apud Sur. tom. 7. hac die.

[g] Exuperij Epiſcopi. ] De eodem Vſuardus, atque recentiores. Ad hunc Exuperium, antequam eſſet Epiſcopus, inter claros oratores profitentem extat Auſonij Galli epigramma in commemorat. profeſ. 18. quem poſt præfecturam Hiſpaniarum ad tranquillioris vitę portum ſeceſſiſſe teſtatur. Nec placet quòd Ioſ. Scalig. ait, Exuperium rhetorem diuerſum eſſe ab Exuperio Epiſcopo, ob diuerſas vtrinſque facultates: quaſi qui fuit Epiſcopus, non potuerit fuiſſe rhetor; & qui aliquando rhetor, non potuerit idem creari Epiſcopus: locus, tempus, & vitæ ſtudia, vnum eumdemque fuiſſe, facilè perſuadent. Sed & illud vehementiùs: nam cùm Auſonius in eodem epigrammate in fine teſtetur Exuperium rhetorem patriâ fuiſſe Burdegalenſem: cumque conſtet ex epiſtola ſancti Paulini 20. ad Amantium Epiſcopum Burdegalenſem, Exuperium tunc fuiſſe presbyterum Burdegalenſem; vnum eumdemque exiſtimandum eſſe, non immeritò opinamur, quem tamen bis Auſonij temporibus nondum inter clericos meruiſſe putamus. De eius ſanctitate, ac præſertim in pauperes largitate, ſcribit S. Hieronymus ad Ruſtic. epiſt. 4. & ad Ageruchiam de eodem epiſt. 11. atq. eius meritis Toloſam illæſam à barbaris permanſiſſe. De præclaris eius virtutibus & vitæ meritis idem in procem. lib. 1. & lib. 2. ſuper Zachariam, & lib. 3. in Amos procem. ad Pammach. & ad Furiam epiſt. 10. Extat ad hunc ipſum epiſtola decretalis Innoc. Papæ; agitque de eo Gregorius Turonen. hiſt. Franc. lib. 2. cap. 13. ex Paulino.

[h] Salomonis Epiſc. ] Salonium hunc vocat Vſuardus. agit de eodem Petrus in catalog. lib. 11. c. 265. Quod autem ad Salonium ſpectat, longè diuerſus fuit à Salomone, de quo hîc agitur: nam Salonius in Gallijs Epiſcopus fuit, ad quem ſanctus Eucherius Epiſcopus Lugdunēſis, ſuas lucubrationes inſcripſit, de quo agit Gennad. de vir. illuſt. c. 63. Extat eius epiſtola & collegarum Epiſcoporum ad S. Leonem poſt 51. Eidem Salonio inſcripſit ſuos libros Saluianus Maſſil. de recto iud. & prouid. Dei, vt etiam teſtatur Gennad. cap. 67. quem illum puto Salonium Epiſcopum Lugdunen. viceſimumprimum ordine ſucceſſorem ſancti Eucherij, de quo tabulæ Epiſcoporum Lugdunen. quas deſcripſit Demochares.

[i] Siluini Epiſcopi. ] De eodem tab. eccleſiæ Brixien. Numeratur quartus poſt S. Philaſtrium Epiſcopus Brixian. à Ramperto in ſerm. de tranſlat. S. Philaſtrij. De eodem Helias Capreolus in Annal. Brixiæ.

[k] Euſtochij. ] Hæc & Iulia dicta eſt, quòd ex Iulo & gente Iulia originem duceret, vt auctor eſt ſanctus Hieronymus in epitaphio Paulæ epiſt. 27. qui multa de eodem epiſt. 22. de euſtodia virginit. & ſępè aliàs; ad quam etiam commentarios nonnullos inſcripſit. Ad Pammachium idem ſcribens, eiuſmodi eam laudat elogio: Quid Euſtochio fortius? quæ nobilitatis portas, & arrogantiam generis Conſulatis, virginali propoſito fregerit, & in prima Vrbe primum genus ſubiugauerit pudicitiæ? Hæc Hieron. qui de eius obitu meminit ſcribens ad Alipium & Auguſtinū epiſt. 79. Legimus & exſcripſimus manuſcriptam epiſtolam Innocentij Papę ad Hieronymum & Euſtochium de preſſuris quibus affligebantur operâ Ioannis Epiſcopi Ieroſolymitani, eiuſdem Hieronymi hoſtis infenſiſſimi. Migrauit feliciter ex hac vita (vt collegimus, ſcripſimuſque in Annal. Eccleſ.) anno à Chriſto Domino quadringenteſimo decimonono.

[l] Liobæ. ] De eadem Beda, Ado, & alij recentiores. Eius Acta iuſſu Rabani conſcripta, edidit

ediditSurius tom. 5. Agit de ea Trirhem. de vir. illuſtr. ord. S. Benedicti lib. 3. c. 173. Vixit temporibus Pipini Regis Francorum, & Caroli Magni Imperatoris, vt eius Acta ſignificant.

xxiiij. 25. F **Tertio Kalend. Octob. Luna.** 29

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | | | |

IN monte Gargano venerabilis memoria beati Michaëlis Archangeli [a], quando ipſius nomine ibi conſecrata fuit eccleſia, vili quidem facta ſchemate, ſed cęleſti prędita virtute. In Thracia natalis ſanctorum martyrum Eutychij [b], Plauti, & Heracleæ. In Perſide ſanctæ Gudeliæ [c] martyris, quæ cùm plurimos conuertiſſet ad Chriſtum, ac Solem & ignem adorare noluiſſet, ſub Sapore Rege poſt multa tormenta, cute capitis detracta, ligno affixa meruit obtinere triumphũ. Ibidem ſanctorum martyrum Dadę [d], Saporis Regis conſanguinei, Caſdoę vxoris, & Gabdelæ filij, qui honoribus ſpoliati, ac varijs tormentis dilaniati, poſt longos carceres gladio ſunt animaduerſi. In Armenia ſanctarum virginum Ripſimis [e] & ſociarum martyrum ſub Tiridate Rege. Antiſiodori S. Fraterni [f] Epiſcopi & martyris. In Pontecuruo apud Aquinum ſancti [g] Grimoaldi presbyteri & confeſſoris. In Palæſtina ſancti Quiriaci [h] anachoretæ.

## SEPTEMBRIS 29.

MICHAELIS Archang. [a]] De ea dedicatione Beda, Vſuard. Ado, & alij recentiores. Superiùs octauo Idus Maij de apparitione agitur, hic autem de dedicatione eccleſiæ; quæ facta videtur hac die, qua omnium Angelorum ſolemnis memoria conſueuit antiqnitus in Eccleſia celebrari. De eadem ſolemnitate dedicationis agitur in Capitularibus Regum Franc. lib. 2. cap. 35. & in Concilio Mogunt. cap. 36 De cultu Angeli Michaëlis, conſule quæ ſuperiùs ea die ſunt adnotata, cùm de apparitione egimus. Hic interim agamus de his quæ Ado hac die in fine ſcribit his verbis: Sed non multò pòſt (à memoria ſcilicet Sipontina) Romæ venerabilis etiam Bonifacius Pontifex eccleſiam ſancti Michaëlis nomine conſtructam dedicauit in ſummitate Circi, cryptatim miro opere altiſſimè porrectam: vnde & idem locus in ſummitate ſua continens eccleſiam, Inter nubes ſitus vocatur. hæc Ado. De quanam baſilica Ado intelligat, facilè quis poterit aſſequi, ſi cuncta ab eo deſcripta conſideret. Certè hæc baſilicæ ſancti Michaëlis in Ianiculo prope Vaticanum poſitæ aptari minùs poſſe videntur; quandoquidem illa non à Bonifacio Papa, ſed à Leone Quarto (vt dictum eſt ex veteri inſcriptione ſuperiùs octauo Idus Maij) erecta fuit: nec (vt habet Ado) proximis temporibus, Gelaſij Papæ videlicet (ſi credimus Sigeberto, qui manifeſtationem in Gargano contigiſſe ſub Gelaſio Papa teſtatur) ſed poſt multa ſæcula; nec in eam eſt altitudinem porrecta, vt Inter nubes locus ſit dictus, quandoquidem vnius ſcalæ, vel breuis cliui ſpatij aſcenſum habeat: nec etiam eſt (vt ait) cryptatim porrecta. At cùm nec alius ſit locus Romæ Michaëlis Archangeli memoria celebris, cui prædicta conueniant; in eam adducor non inuitus ſententiam, vt opiner dictam memoriam Michaëlis, cuius Ado meminit, fuiſſe olim ſitam in ſummitate molis Hadriani, ſuper ingens ſaxum velut eminentem ſcopulum poſitam, ac re vera (vt ait) cryptatim miro opere altiſſimè porrectam: vt meritò locus ille dictus fuerit, Inter nubes: qui quidem & alio nomine à maioribus appellatus inuenitur, nimirum Mons ſancti Angeli: ita etenim vocatum habes apud Petrum Damian. in rebus geſtis ſancti Romualdi: eo autem nomine ab eccleſia in eius ſummitate erecta eſſe dictum, eſt euidens coniectura. Quæ etiam redduntur clariora ex his quæ ſcribit Rodulphus Glaber, quem citat Papir. Maſſonius in vita Gregorij Quinti; agens enim de Othone Tertio, hæc de eo ait: Quod cùm cognouiſſet Creſcentius, illum ſcilicet Vrbi propinquare, conſcendens cum ſuis turrim, quæ ſita eſt extra ciuitatem trans Tiberim (ob altitudinem ſui, Inter cælos vocant) vallauit eam defenſurus pro vita, &c. Cùm autem conſtet Creſcentij turrim non aliam fuiſſe, quàm

quàm Hadriani molem, turri redditam ſublimiorem, eumdemque locum dictum eſſe munitionem ſancti Michaëlis Archangeli; iam ſatis perſpicuum redditur, eumdem locum dictum eſſe Inter nubes ab Adone, qui à Rodulpho dicitur Inter cęlos. Quòd autem dicat Ado, in ſummitate Circi illam eccleſiã eſſe poſitam; puto pro, Circi, Circuli, eſſe legendum: moles enim illa in orbem ducta, Circuli figuram habuit, vt antiqua numiſmata, quę eam habent deſcriptam, declarant. Vel ſi de Circo mauis intelligere; erat illi loco proximus Circus Dometiæ. Sed à quonam Boniſacio Papa fuerit illic eccleſia erecta, inueſtigemus. Prętermimus quidem Boniſacium, qui longè ante Gelaſium ſedit: Bonifacius Secundus fuit, qui poſt Gelaſium, Anaſtaſium, Symmachum, Hormiſdam, Ioannem, atque Felicem ſedit; ſed neque hunc fuiſſe auctorem conſtruendæ baſilicæ exiſtimamus: nam & ſequentibus annis, cùm temporibus Siluerij Papæ à Vitige Rege Gothorum Vrbs eſſet obſeſſa, nulla adhuc in ea mole Hadriani erat memoria Michaëlis Archangeli; nam cùm adhuc locus ille Hadriani monumentis conſtaret, neceſſitate cogente, munitio eſſe cœpit: quam validè oppugnantibus Gothis, qui propugnabant Romani milites, confractis marmoreis ſimulacris, ingenti vi ſaxorum hoſtes propulſarunt. ſcribit hæc Procopius, qui tunc Romæ aderat, lib. I. de bello Gothorum. Ex his itaque Boniſacio Papæ Tertio, vel, qui ei proximè ſucceſſit, Boniſacio Quarto, eius eccleſiæ excitatio potiùs tribuenda eſſe videtur: hi autem cùm poſt Sabinianum ſucceſſerint Gregorio Papæ, recenti miracolo de Angelo, qui (vt habet antiqua traditio) ſupra prædictam molem viſus eſt, in ſignum luis ceſſantis, gladium exertum in vaginam recondere; in tantæ rei geſtæ memoriam, alterum illorum illic erexiſſe prędictam eccleſiam, par eſt credere: ſed cùm ad eumdem locum, aucta munitione, non pateret omnibus aditus; alia rurſum eccleſia prope dictam munitionem in honorem ſancti Michaëlis Archangeli ædificata eſt; quam vetuſtate collabentem, noſtris diebus inſtauratam vidimus. Hæc ſatis de his quæ ſpectant ad eccleſiam ſancti Michaëlis ſuper molem Hadriani poſitam. Licet ſciamus eccleſiam ſancti Michaëlis in capite Circi, confuſis nominibus, dici ſolitam, quæ ad radices Ianiculi poſita, proximior eſt baſilicæ Vaticanæ. ſed quæ ab Adone ſunt poſita, illi minùs aptari poſſe videntur. Ne quid prætermittamus de gloria S. Michaëlis Archang. ex miraculis ab eo editis; extat Græcè ſcripta narratio Pantaleonis diaconi de miraculis ſancti Michaëlis Archangeli in bibliotheca Sfortiana cod. manuſcript. num. 81. & in cod. 65. qui inſcribitur Metaphraſtes menſis Octobr. atque Nouemb. complures ſunt ſcriptæ Græcorum Patrum homiliæ, & inter alias recenſetur S. Ioannis Chryſoſt. prima in S. Michaëlem Archang. ſecunda & tertia de Angelis, ac quarta in Seraphim.

[b] Eutychij & ſoc. ] De his item hac die Beda, Vſuardus, & alij, conſentiuntque manuſcripta.

[c] Gudelię. ] Agunt de eadem Græci hac die in Menolog. eiuſq. martyrij Acta paucis deſcribũt.

[d] Dadæ & ſoc. ] Græci itidem de his in Menologio hac die; vbi eadem quæ hîc narrantur, notata habentur.

[e] Ripſimis & ſoc. ] Græci autem de his agunt hac die, vel ſequenti. Verũ conſtat ex Actis S. Gregorij Armeni Epiſcopi, vbi & harum res geſtę exactè deſcribuntur à Metaphraſte, quæ & Lipom. refert tom. 6. & Sur. tom. 5. has paſſas eſſe ſexto Kalend. Octob. Hac fortaſſe die tranſlatio celebratur: quinto autem Kalend. Octobr. Gaiana cum ſocijs martyrium conſummauit.

[f] Fraterni Epiſc. ] De quo Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Adſcribitur nonus hic ordine in tabulis Epiſcop. Antiſiodorenſium; quem & martyrio coronatum tradunt. Extant apud Democh. de ſacrificio Miſſæ.

[g] Grimoaldi. ] De qoo vet. monumenta eccleſiæ Aquinatis, quæ inde accepimus.

[h] Quiriaci. ] De eodem Gręcorum tabulę, ac Menologium; vbi habetur, hunc vixiſſe temporibus Theod. Minoris. Extant eius Acta, quæ & Metaph. deſcripſit, & Sur. tom. 5. Mentio de eodem habetur in vita S. Eothymij abbatis, cuius fuit diſcipulus, quam ſcripſit Cyrillus monachus, qui & de Euthymio multa didicit à Quiriaco. Quod autẽ ſpectat ad rectam rationem temporũ; conſtat ex eiuſdem Actis, eum anno nono Leonis Imp. ingreſſum eſſe monaſterium, annos natum decem & octo, vixiſſeq́ue ætatem annorum centum & ſeptem, ſicq́ue perueniſſe vſque ad Iuſtiniani Imp. tempora. Hic cùm eſſet diaconus in Laura ſancti Sabæ, venit cum alijs ad Concil. Conſtantinopolitanum celebratum poſt Conſulatum Beliſarij, anno Domini 536. ſubſcriptuſque reperitur libello quem Synodo obtulerunt Archimandritæ, vt eius Synodi Acta ſignificant.

## 30 Pridie Kalend. Octobr. Luna. G xxiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | | | |

IN Bethlehem Iudæ depoſitio S. Hieronymi [a] presbyteri, & Eccleſiæ Doctoris, qui omniũ ſtudia litterarum adeptus, ac probatorum monachorum imitator factus, multa hæreſum monſtra gladio ſuæ doctrinæ confodit: demum cùm ad decrepitam vſque vixiſſet ætatem, in pace quieuit, ſepultuſque eſt

ad Præſepe Domini: cuius corpus poſteà Romam delatum, in baſilica ſanctæ Mariæ Maioris digno honore ſeruatur. Eodem die ſancti Leopardi [b] martyris, ex domeſticis Iuliani Apoſtatę, cui caput Romę amputatum fuit, & corpus eius Aquiſgranum poſteà tranſlatum. Solodori in Gallia paſſio ſanctorum martyrum Victoris [c] & Vrſi ex glorioſa legione Thebæorum, qui primò ſub Maximiano Imperatore diris ſupplicijs excruciati, ſed cæleſti ſuper eos lumine coruſcante, ruentibus in terram miniſtris, erepti; deinde in ignem miſſi, ſed in nullo penitus lęſi, nouiſſimè gladio conſummati ſunt. Placentiæ S. Antonini [d] martyris, ex eadem legione. Eodem die ſancti Gregorij [e] Epiſcopi Magnę Armenię, qui ſub Diocletiano multa paſſus, tandem in pace quieuit. Cantuarię in Anglia ſancti Honorij [f] Epiſcopi & confeſſoris. Romę ſanctę Sophię [g] viduæ, matris ſanctarum virginum Fidei, Spei, & Charitatis.

## SEPTEMBRIS 30.

HIERONYMI [a].] De eodem hac die Beda, Vſuard. Ado, & ceteri Latinorũ. Hactenus in vulgus ſparſæ dimanarunt res geſtæ S. Hieronymi, incerto auctore conſcriptę, ſimulq. epiſtolę quędam S. Auguſtini & S. Cyrilli nomine inſignitæ, quæ vnius eiuſdemq. auctoris eſſe putantur, cuius & liber ille qui Euſebij Cremonenſis nomine conſcriptus habetur de obitu S. Hieronymi; quę quidẽ plena erroribus, & conferta mendacijs, in angulum reiecta, leguntur tomo nono operum eius. Quiſnam verò auctor ille fuerit, qui hæc de Hieronymo cõmentatus eſt, quid dicam, non habeo, niſi quòd Petrus diacon. Caſſin. lib. de vir. illuſt. eius monaſterij, cap. 4. hæc ait: Sebaſtianus beati Benedicti monachus, Hieronymi doctoris egregij vitam deſcribens, legendam eccleſijs tradidit: in qua, quæ ei à puero inſtitutio, quale in iuuentute ſtudium, quæ in ſenectute ei ſcientia fuerit, luculentiſſimè demonſtrat. Hæc Petrus diac. Porrò cuiuſuis ſint auctoris ea quæ diximus, in illis Cyrilli nomine vulgatis litteris ſe Monothelitam hæreticum præſefert auctor, cogitque eidem hæreſi Hieronymum adſtipulari, quæ poſt annos trecentos eſt exorta. Pręterea tum in his, tum in prædictis alijs multa feruntur, quibus idem S. Hieronymus ſuis ipſius ſcriptis contradicit; aliaque coagmentantur, quæ aliorum ſanctorum potiùs, vt Geraſimi abbatis, eſſe noſcuntur: quæ ſingula refellimus in Annal. Eccleſ. Tu interim de rebus geſtis S. Hieronymi his fruere, quæ ex ſcriptis ipſius vera certaq. collecta in vnum ſummo labore & induſtria edidit Marianus Victorius Epiſcopus Reatinus; quibus nonnulla, quæ deſiderari videbantur, adiecimus, ac per annos ſingulos digeſſimus in Annalibus Eccleſiaſticis. Migrauit ex hac vita ſanctus Hieronymus (vt ſcribit S. Proſper in chronico) Theodoſio nonùm, & Conſtantio tertiùm Coſſ. eſt is annus à Chriſto Domino (ſecundùm veriores chronographos) quadringenteſimus viceſimus. De annis quibus vixit, non parua dubitatio eſt, de qua alibi fusè: non eſt enim eiuſmodi, quæ hîc poſſit paucis abſolui. Doctoris Eccleſiæ cognomentum ob inſignem & omnibus ſæculis admirandam eruditionẽ non nuper, ſed viuens adhuc, merito iureq. conſecutus eſt. vnde Caſſianus li. 7. de incarnat. Verbi, contra Neſtorium, eum citans, hæc ait: Hieronymus Catholicorum magiſter, cuius ſcripta per vniuerſum mundum, quaſi diuinæ lampades rutilant, &c. Et Ennodius Ticinenſis epiſt. ad Fauſtum: Hieronymus noſter, inquit, niſi præceptorem ſuum Gregorium diceret, illo melior cenſeretur; ſed illi applicanda ſunt bona nominatim, à quo ſumpſiſſe videntur originem. Hæc ille. Omittimus alia innumera de ſanctiſſimo ac doctiſſimo viro præconia.

[b] Leopardi.] De eodem Molanus pluribus in Indiculo Sanctorum Belg. & in addit. ad Vſuard.

[c] Victoris & Vrſi.] Agunt de ijſdem Vſuardus, & Ado: pleniùs S. Eucherius in Actis ſanctorum Mauritij & ſoc. cap. 13. Ado Viennen. in chron. anno 288. In appendice ad Gregor. Turonen. hiſt. Franc. lib. 11. cap. 22. agitur de inuentione prædictorum martyrum corporum, facta anno ſeptimo Theodorici Regis Francorum, de qua Sigebert. in chron. anno 608.

[d] Antonini.] De eodem ijdem qui ſuprà, Vſuardus, & Ado: qui licet eumdem appellent confeſſorem, conſtat tamen ex eius Actis occubuiſſe martyrio: recitat ea Petrus in catal. lib. 8. cap. 133. vbi etiam agit de inuentione corporis eius, temporibus ſancti Sabini eiuſdem ciuitatis Epiſcopi facta, quæ hac die anniuerſaria commemoratione recolitur.

[e] Gregorij Armeni Epiſc.] De quo etiam hac die Græci in Menolog. vbi eius Acta breui compendio deſcribuntur, quę Metaphraſt. longè vberiùs eſt proſecutus: deſcripſit ea Lipom. tom. 6. & Sur. tom. 5. hac die. Nicephorus de eo agens li. 8. c. 14. & cap. 35. quòd ait eum interfuiſſe Nicæno Concilio, falſum omnino eſt: non enim ipſe, ſed filius eius Aroſtanes eidem ſacro conuentui præſtò fuit, vt eadem Acta ſignificant. Habetur

de

de eodem Gregorio mentio in epiſtola ſancti Niconis aduerſus Armenorum errores. Huius venerandum caput, vnà cum catenis quibus vinctus, & virgarum fragminibus quibus cæſus eſt, Neapolim ex Oriente tranſlatum, in nobili eccleſia in eius honorem erecta apud ſanctimoniales ord. S. Benedicti, olim autem S. Baſilij, religioſiſſimè aſſeruatur.

[f] Honorij Epiſcopi.] Scribit eius res geſtas Beda in Angl. hiſt. lib. 2. cap. 18. & 19. ex quo auctore ceteri omnes deſcripſere, vt nouiſſimè Trithem. de vir. illuſtr. ord. ſancti Benedicti lib. 3. cap. 62. & lib. 4. cap. 54. Migrauit ex hac vita anno Domini 654.

[g] Sophiæ.] De ea in Actis filiarum eius pluribus agitur, quarum natalis dies eſt Kalend. Auguſti: recitant ea Metaphraſtes, Mombritius, & alij, ex quibus etiam teſtatum habetur, Sophiam, de qua agimus, hac die in Domino quieuiſſe. Produnt id ipſum alia Acta ipſarum, quæ in antiquis codicibus manuſcripta habemus. eſt illorum exordium: Sedenti in ſenatu, &c. Erat nobilis memoria via Aurelia eiuſdem ſanctæ Sophiæ, quæ hactenus perſeuerat.

# OCTOBER.

1 Kalendis Octob. Luna. A xxij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | | | |

RHEMIS in Gallia S. Remigij [a] Epiſcopi & confeſſoris, qui gentem Francorum conuertit ad Chriſtum, Clodoueo ipſorum Rege ſacro fonte baptiſmatis, & fidei ſacramentis initiato: & cùm annos ſeptuaginta in Epiſcopatu expleſſet, ſanctitate & miraculorũ virtute conſpicuus deceſſit è vita Idibus Ianuarij: eius tamen feſtiuitas hac die recolitur, qua ſacrum ipſius corpus poſteà fuit tranſlatum. Romę beati Aretæ [b] martyris, & aliorum quingentorum quatuor. Tomis in Ponto ſanctorum martyrũ Priſci [c], Creſcentis, & Euagrij. Vlyſipone in Luſitania ſanctorum martyrum Veriſſimi [d], Maximæ & Iuliç ſororum eius, qui in perſecutione Diocletiani paſſi ſunt. Tornaci ſancti Piatonis [e] presbyteri & martyris, qui cum beato Quinctino, eiuſq. ſocijs ab vrbe Roma in Galliam pręedicationis cauſa perrexit, ac poſteà in perſecutione Maximiani conſummato martyrio migrauit ad Dominũ. Theſſalonicæ S. [f] Domnini martyris, ſub eodem Maximiano. In Portu Ganda S. [g] Bauonis confeſſoris. Vrbe Veteri S. Seueri [h] presbyteri & confeſſoris.

## OCTOBRIS 1.

REMIGII Epiſc. [a]] De eodem Beda, Vſuard. Ado, & alij recẽtiores. De eadem ſolemnitate item agitur in Capitul. Regum Franc. lib. 2. c. 35. & Concil. Moguntin. c. 36. itemq. in Concil. Piſtenſ. c. 3. vbi hęc verba: Communi placito conſtituimus, vt vſq. ad Miſſam S. Remigij, id eſt, Kal. Octob. &c. Miſſa ibi pro ipſa ſolẽnitate accipitur, more Francorum; ſic & in Capitularibus Reg. Franc. lib. 2. c. 18. legitur: Vt abſq. vlla excuſatione citò poſſit emendari, ſpatium vſque ad Miſſam S. Martini deare decreuimus. Hęc ibi. De eadem feſtiuitate hac die celebrari ſolita agit Gregor. Turon. hiſt. Franc. lib. 8. c. 21. Porrò hęc eſt dies tranſlationis, natalis autẽ Idibus Ianuarij. Eius Acta ſcripta eſſe ab Hincmaro Rhemẽſi, auctor eſt Sigeb. in chron. anno 854. & de vir. illuſt. cap. 100. Extant eadem apud Sur. tom. 1. Eiuſdem Hincmari encomium de S. Remigio habetur tom. 7. hac die. Vitam inſuper à Fortunato conſcriptam, breuitate contractam, idem deſcripſit tom. 5. Plura de eodem Gregor. Turon. de geſt. Franc. lib. 2. cap. 31. vbi agit de baptiſmo Clodouei Regis. Extat Sidonij Apollinaris ad S. Remigium epiſt. 7. lib. 9. qua ſancti viri mirum in modum eloquentiam celebrat,

cùm

cùm ait: Non extat ad præſens viui hominis oratio, quam peritia tua non ſine labore tranſgredi queat, & ſuperuadere, &c. Petrus diac. Caſſin. de vit. illuſtr. monaſt. Caſſin. cap. 1. teſtatur S. Benedictum duas ſcripſiſſe epiſtolas, earumque primam dediſſe ad Remigium Epiſcopum Rhemenſem De eius ętate Sigeb. in chron. ſcribit natum anno Domini 449. creatum Epiſcopum 471. obijſſe diem 545. Septuaginta & ampliùs annos in Epiſcopatu exegiſſe ſcribit etiam Greg. Turon. de glor. confeſſ. c. 69. Fortunatus etiam ac ceteri teſtantur, ob ſingularem & incredibilem animi eius virtutem & expectationem, annum agentem viceſimumſecundum, idque more Apoſtolico, pręcędentibus prophetijs, eſſe creatum Epiſcopum. De eodem alij plures auctores, qui res Francorum ſunt proſecuti, quorum innumera eſt multitudo. Verùm de tempore eius ſedis, & obitus, vide quæ diximus in Annalibus anno Domini 541. vbi ex Synodalibus Actis Aruernenſis Concilij prędicti auctores erroris arguuntur. Fuit eiuſdem nominis clarus inter ſcriptores Eccleſiaſticos Remigius Antiſiodorenſis monachus ord. ſancti Benedicti, non tamen Epiſcopus, vt multi putant: non enim recenſetur in tabulis Epiſcoporum Antiſiodorenſium. vixit temporibus Caroli Calui. De eo Sigebert. de vit. illuſtr. cap. 123. Trithem. de Script. Eccleſ. & de vit. illuſtr. ord. S. Bened. lib 2. cap. 52. & lib. 4. cap. 198. & Sixt. Senen. in biblioth.

[b] Aretæ.] De quo Vſuardus, Ado, & alij recentiores.

[c] Priſci & ſoc.] Agunt de his Beda, Vſuard. Ado, & alij, adſtipulanturque vet. manuſcrip.

[d] Veriſſimi & ſoc.] De his Vſuardus, & alij, Vaſæus in chron. & Flos ſanct. Hiſpan. & Theſaur. concion. tom. 2. hac die.

[e] Piatonis.] De quo Vſuard. & Petrus in catal. lib. 9. c. 11. qui eum non cum Quinctino, ſed cum Dionyſio in Gallias profectũ dicit; ſed de Quinctino teſtantur tabulæ eccleſiæ Tornacenſis, vt declarat Molan. in Indiculo Sanctorum Belgij, vbi etiam agit de tranſlatione ipſius.

[f] Domnini.] Agunt de eodem Græci hac die in Menologio, eiuſque paſſionis Acta referunt, adduntque alium Domninum, qui in Perſide martyrium conſummauit.

[g] Bauonis.] Bauo cognomento dicitur, proprio autem nomine dictus eſt Alloynus, vt teſtatur Molanus in Indic. Sanct. Belg. Agunt de eodem hac die Beda, Vſuard. Ado, & alij. Scripſit eius Acta Theodoricus abbas ſancti Trudonis, vt auctor eſt Sigebert. de vir. illuſtr. cap. 171. extant apud Sur. tom. 5. Migrauit ex hac vita anno Domini 630. vt ſcribit idem Sigebertus in chron. vel triceſimoptimo, vt docet Molanus, qui pluribus de eodem agit in Indiculo, Petrus in catal. lib. 9. cap. 10. & alij.

[h] Seueri.] De quo antiqua monumenta eius eccleſiæ.

## xxj. B Sexto Nonas Octob. Luna. 2

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |

NICOMEDIÆ ſancti Eleutherij [a] militis & martyris, cum alijs innumeris: qui, cùm Diocletiani regia incendio conflagraſſet, falsò huius criminis accuſati, iubente eodem ſæuiſſimo Imperatore, aceruatim necati ſunt: quorum alij gladijs obtruncabantur, & alij ignibus cremabantur, alij in mare præcipitabantur: ſed horum primus Eleutherius, cùm diu cruciatus, per ſingula tormenta validior redderetur, martyrium victoriæ ſuæ, ignibus velut aurum examinatus, compleuit. In territorio Atrebatenſi paſſio beati Leodegarij [b] Auguſtodunenſis Epiſcopi, quem varijs iniurijs & diuerſis ſupplicijs pro veritate afflictum, Ebroinus Maior domus regiæ Theodorici interfecit. Item ſancti Gerini [c] martyris, fratris eiuſdem beati Leodegarij, qui ibidem lapidibus obrutus eſt. Antiochię ſanctorum martyrum Primi [d], Cyrilli, & Secundarij. Conſtantinopoli S. Theophili [e] monachi, qui pro defenſione ſanctarum imaginum à Leone Iſaurico ſæuiſſimè cæſus, & in exilium pulſus, migrauit ad Dominum. Herfordiæ in Anglia S. Thomæ [f] Epiſcopi & confeſſoris.

OCTO-

## OCTOBRIS 2.

Eleutherii & ſoc. [a] ] De quibus Beda, Vſuar. & Ado. De his qui qua de cauſa ſubiere martyriū, ſcribit Euſeb. hiſt. l. 8. c. 6. ex quo ceteri deſcripſerūt. Quomodo autem à Chriſtianis militibus exordiū ſūpſerit Diocletiani perſecutio, idē ſcribit l. 8. c. 4.

[b] Leodegarij Epiſc.] De eodem Beda, Vſuard. Ado, & alij. Eius Acta ab Vrſino conſcripta retulit Surius tom. 5. Mentio habetur de eodem in vita S. Hermelandi apud Sur. tom. 2. Martij 25. in Actis S. Aicardi tom. 5. die 15. Septembris; Ado Viennen. in chron. Vincent. lib. 23. c. 124. & 125. Trithem. de vir. illuſtr. ord. ſancti Bened. lib. 3. c. 135. & lib. 4. c. 173. & Molan. pluribus in Indic. SS. Belgij. Martyrio coronatus eſt anno Domini 685. vt ſcribit Sigeber. in chron.

[c] Gerini. ] De eodem Ado Vien. in chron. ſub Theodorico Rege, & Molan. in addit. ad Vſuard. & in Indic. Sanct. Belgij.

[d] Primi & ſociorum. ] De his agitur in vet. manuſcriptis, ex quibus etiam Molanus hac die.

[e] Theophili. ] Agunt de eodem Græci in Menologio his verbis: Natalis ſancti Patris noſtri Theophili, qui fuit monachus religioſus, & timens Deum ſub Leone Iſaurico, cuius impietatem, & execrabile odium in venerabiles ſanctorum imagines euertendas, eius hæreſim in faciem exprobrans, redarguit; impium, nefarium, Antichriſti præcurſorem, & deſertorem Chriſti appellans, aliaque ſimilia obijciens; quibus ad iram incitatus, primùm verberari cum iuſſit, & in carcerem conijci; inde poſtmodum eductus, ſanctas imagines abnegare cogitur: quod omnino renuens, dira paſſus, in exilium eijcitur, vbi in pace quieuit. Hæc ibi.

[f] Thomę Epiſc.] Huius res geſtas fideliſſimè ſcriptas recitat Sur. to. 5. Migrauit ex hac vita an. Domini 1287. quem Ioannes Papa XXII. retulit in ſanctorū numerum; de qua re extare dicuntur eiuſdē litterę Apoſtolicę in Vaticana bibliotheca.

3 Quinto Nonas Octob. Luna. C xx.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | | | |

ROMÆ ad Vrſum pileatū S. Candidi [a] martyris. Eodem die ſanctorū martyrum Dionyſij [b], Fauſti, Caij, Petri, Pauli, & aliorum quatuor, qui primò ſub Decio multa paſſi, demum ſub Valeriano ab Æmiliano Præſide diu tormentis vexati, martyrij palmam meruerunt. Apud antiquos Saxones ſanctorū martyrum duorum Euualdorum [c], qui cùm eſſent preſbyteri, & Chriſtum ibi prędicare cœpiſſent, comprehenſi ſunt à Paganis, & occiſi: ad quorum corpora noctu multa lux diu apparēs, & vbi eſſent, & cuius eſſent meriti, declarauit. In Africa S. Maximiani [d] Epiſcopi Bagaienſis, qui à Donatiſtis iterùm atque iterùm ſęuiſſima paſſus, ex alta denique turri præcipitatus, & pro mortuo derelictus, gloria confeſſionis illuſtris poſtmodum quieuit in Domino. In Palæſtina ſancti Heſychij [e] confeſſoris, diſcipuli ſancti Hilarionis, & in peregrinatione ſocij. Apud Belgas in diœceſi Namurcenſi ſancti Gerardi [f] abbatis.

## OCTOBRIS 3.

Candidi [a]. ] De eodem Vſuardus, & alij recentiores. Ponitur hic paſſus Romæ ad Vrſum pileatum. Erat hic vicus in Eſquilijs, regione quinta, vt conſtat ex Sex. Rufo. Legitur hactenus reſtituta vetus memoria inciſa lapidi in eadem regione, qua deſcribitur ingens martyrum multitudo poſita ad Vrſum pileatum. Eum locum fuiſſe ferunt, vbi nunc extat eccleſia ſanctę Bibianę. Cùm autem ponatur cœmeterium Priſcillæ ad Vrſum pileatum, cuius mentio habetur in lib. de Rom. Pontif. in Innocentio; cumque cœmeterium Priſcillæ extra Vrbem via Salaria fuiſſe conſtet; puto hoc alterum ab illo eſſe.

[b] Dionyſij & ſoc.] Horum loco Beda, Vſuardus & Ado ponunt Dionyſium Areopagitam cum ſocijs, ſicut & Græci in Menologio de eodem agunt hac die: at nos agimus de illis inferiùs ſeptimo Idus Octobris. Hi autē, de quibus hîc agitur, diuerſi ſunt omnino ab illis. Agunt & de his hac item die Gręci in Menolog. his verbis: Natalis ſancti martyris Dionyſij, & ſociorum octo. hic

ſub

ſub Valeriano & Gallieno Impp. adductus ad Pręſidem Æmilianũ, perſeuerans in Chriſti confeſſione, exilio primò damnatur, atque proſcribitur, ac lapidatur; plura tormenta, quàm olim in Libya ſub Decio paſſus. Concluſus igitur in loco ſquallido cum Fauſto, Gaio, Petro, & Paulo, qui cum illo annos duodecim eaſdem pęnas tolerauerant, conſummatus eſt in confeſſione Chriſti. Hæc ibi.

[c] Duorum Euualdorũ.] De his item hac die Beda, Vſuard. Ado, & alij. Scribit de horum martyrio Beda de geſtis Angl. lib. 5. c. 11. Sigebert. in chron. paſſos eos affirmat anno Domini 693. De his Trithem. de vir. illuſt. ord. S. Benedicti lib. 3. cap. 139. & 140. Petr. in catal. lib. 9. cap. 15. De horum altero mentio habetur in Actis S. Annonis Epiſc. Colon. lib. 3. cap. 6.

[d] Maximiani Epiſc.] Diuerſa lectio reperitur, dum in alijs codicibus legitur Epiſcopus Sagienſis, in alijs Vagaienſis, vel Bagaienſis; quæ lectio magis conſentit his quæ de eodem S. Auguſtinus ſcribit, dum de ipſo agit epiſt. 50. ad Bonifacium, & lib. 3. cap. 43. contra Creſcon. Laudat eumdem idem S. Auguſtinus epiſt. 238. ad Caſtorium, quòd diſpendio proprię ſedis, quam ſanguine defendiſſet, ſponte cedens, conſuluiſſet paci Eccleſiæ. Erat Epiſcopus Bagaienſis nobiliſſimæ ſedis in Numidia, quã licet ſibi Donatiſtæ vendicaſſent, ex parte tamen Catholicorum Maximianus illi præfuit, vbi crudeliſſima paſſus, fuga lapſus, preces obtulit Honorio Imperatori, qui in Donatiſtas ſeuera dedit reſcripta: extant L. 4. & 5. ne ſanct. baptiſ. Cod. Theod. & L. 43. & 44. de hæreſ. eod. Cod. Theod. De eodem, cùm ſedi ceſſiſſet, agitur in Concil. Africano can. 55. quibus iungas eam quam ſuprà citauimus epiſtolam S. Auguſtini ad Caſtorium 238.

[e] Heſychij.] Plura de eodem S. Hieron. in vita S. Hilarionis. Ganzenſes Ethnici, oblato libello Iuliano Apoſtatæ, quæſierunt hunc atque Hilarionem ad necem, vt idem auctor teſtatur.

[f] Gerardi abb.] Extant eius Acta conſcripta ad Guntherum abbatem, quæ recitat Sur. tom. 5. Teſtatur Trithem. libro de ſcrip. Eccleſ. ſanctum Odonem abbatem Cluniacenſem ſcripſiſſe vitam ſancti Gerardi. Petrus diac. Caſſin. libro de vir. illuſtr. monaſt. Caſſin. cap. 32. narrat vitam ſancti Gerardi confeſſoris ſcriptam fuiſſe à Gregorio Epiſcopo Tarracinenſi. Ea itaque quam Surius recitat, potiùs tribuenda videtur pręfato Gregorio, quàm alteri: nam quòd tum ſoluta oratione, tum etiam carminibus intexta habeatur, eius videtur potiùs eſſe ſcriptio; cùm multa ab eodem carmine fuiſſe conſcripta, idem auctor teſtetur. Agit de eodem Trithem. de vir. illuſtr. ord. ſancti Bened. lib. 3. cap. 270. & Molan. in addit. ad Vſuardum, & in Indiculo ſanctorum Belgij. Obijt anno Domini 938.

## xix. D Quarto Nonas Octobris. Luna. 4

| | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | | | |

ASSISII in Vmbria natalis ſancti Franciſci [a] confeſſoris, fundatoris ordinis Minorum, cuius vitam ſanctitate ac miraculis plenam ſanctus Bonauentura conſcripſit. Corinthi natalis ſanctorum Criſpi [b] & Caij, quorum meminit ſanctus Paulus Apoſtolus ad Corinthios ſcribens. In Ægypto ſanctorum martyrum Marci [c] & Marciani fratrum, & aliorum pęnè innumerabilium vtriuſque ſexus, atque omnis ætatis: quorum alij poſt verbera, alij poſt diuerſi generis horribiles cruciatus flammis traditi, alij in mare præcipitati, nonnulli capite cæſi, plurimi inedia conſumpti, alij patibulis affixi, quidam etiam capite deorſum verſo, & pedibus in ſublime ſublatis, beatiſſimam martyrij coronam meruerunt. Damaſci S. Petri [d] Epiſcopi & martyris, qui accuſatus apud Agarenorum Principem, quòd fidem Chriſti doceret, lingua, manibus, pedibuſq. amputatis, cruci affixus, martyrium conſummauit. Alexandriæ ſanctorum presbyterorum & diaconorum Caij [e], Fauſti, Euſebij, Chęremonis, Lucij, & ſociorum: ex quibus alij in perſecutione Valeriani martyres facti, alij martyribus ſeruientes, mercedem martyrum receperunt. Athenis ſancti Hierothei [f] diſcipuli beati Pauli Apoſtoli,

ſtoli. Bononiæ ſancti Petronij [g] Epiſcopi & confeſſoris, qui doctrina, miraculis, & ſanctitate claruit. Lutetiæ Pariſiorum ſanctæ Aureæ [h] virginis.

## OCTOBRIS 4.

FRANCISCI [a].] Pręclariſſimas eius res geſtas in primis S. Bonauentura conſcripſit: multa pręterea eius peregrinationis ſocij ſcriptorum monumentis conſignauere, vt Leo, Rufinus, & Angelus. Plura de eodem S. Antoninus in tertia par. tit. 22. c.10. Vincent. in ſpec. hiſt. & alij quamplurimi. Nouiſſimè verò editum eſt chronicon Franciſcanorum, quo omnia comprehenſa habentur. Migrauit ex hac vita anno Domini 1226. Relatus eſt inter ſanctos à Greg. Papa Nono, anno 1228. Extant de ea re eiuſdem Gregorij Papæ litteræ Apoſtolicæ, quarum alteræ datæ ſunt Peruſij ſeptimo Idus Iulij, anno ſecundo ſui Pontificatus ad vniuerſos Eccleſię Pręſules; quarum eſt exordium: Sicut phialam auream, &c. alteræ verò ad vniuerſos Chriſti fideles datę xiiij. Kalend. Aug. quæ ſic incipiunt: Mira circa nos, &c. Tranſlatum eſt corpus eius anno 1230. viij. Kal. Iulij.

[b] Criſpi & Caij.] De quibus Paulus ad Corinth. 1. cap. 1. & ad Roman. cap. 15. Act. Apoſt. cap. 18. Agunt de his hac die Beda, Ado, & alij. Hunc eumdem Caium eſſe Beda exiſtimat, ad quem Ioannes canonicam Epiſtolam ſcripſit. Errat de Caio Dorotheus in Synopſi, dum ait, eum poſt ſanctum Timotheum ſubrogatum eſſe Epiſcopum Epheſi: nam ſancto Timotheo ſucceſſit Oneſimus, vt patet ex Ignatij epiſtola ad Epheſios. Hic ille videtur Caius Corinthius, qui ſanctum Paulum excepit hoſpitio, à quo baptizatus eſt vnà cum Criſpo. Fuit & alius Caius Derbeus, & ipſe diſcipulus Pauli, de quo in Actis cap. 19. & 20. mentio habetur.

[c] Marci & Marciani.] Mendoſè alicubi Marcellianus pro Marciano legitur. Diuerſi ſunt Marcellianus & Marcus ab his de quibus hac die agitur. De his etiam Beda, Vſuard. Ado, & alij. Horum martyrium ſcribit Euſeb. hiſt. lib. 8. cap. 8. quamquam eorum nomina ſilentio prætererit.

[d] Petri Epiſc.] De eodem hac die Gręci in Menologio, eiuſq. certamen deſcribunt; pleniùs tamen in hiſt. Miſcel. lib. 21. anno 5. Conſtantini Porphyrogeniti. Paſſus eſt anno (vt ibi numeratur) à Chriſto Domino 735. ſecundùm autem Faſtos Onuphrij anno 742. Meminit eiuſdem Cedren. in compend. anno 2. Copronymi.

[e] Caij, Fauſti, & ſociorum.] De his item Gręci in Menologio, traduntque hos eſſe diſcipulos S. Dionyſij Epiſcopi Alexandrini: ex quibus apparet, hos illos eſſe, quorum idem S. Dionyſius meminit in epiſt. ad Germanum, apud Euſebium lib. 7. cap. 10.

[f] Hierothei.] Agunt de eodem hac die Græci in Menologio, hiſque verbis: Natalis ſancti Patris noſtri Hierothei, qui fuit vnus è numero Areopagitarum, qui ab Apoſtolo Paulo eſt inſtructus vnà cum magno illo Dionyſio: cumque religioſè vixiſſet, migrauit ad Dominum. Hæc ibi. De eodem Hierotheo ſæpè Dionyſius de Eccleſiaſtica hierarchia, & de Diuinis nominibus.

[g] Petronij Epiſcopi.] De quo etiam tabulæ eccleſię Bononienſis, in quibus ſcribitur ſucceſſiſſe S. Felici, qui in eadem ſede in locum S. Euſebij ſubrogatus eſt. Ex his autem colligi poteſt, quibus temporibus S. Petronius eam rexerit eccleſiam. Gennadius de eo agens lib. de vit. illuſt. cap. 41. ſcribit obijſſe diem Theodoſio Iuniore & Valentiniano Auguſtis regnantibus: in eadem ſententia eſt Ado Viennen. in chron. anno 425. Ex his profectò tamquam erronea reſelluntur ea quę non dicam à Proſpero, ſed potiùs apud Proſperum errore ſcripta reperiuntur in chronico de obitu ſancti Petronij, Conſulibus Merobaude & Saturnino, anno à Chriſto Domino, vt illic numeratur, 306. vel rectiùs ſecundùm Faſtos Onuphrij 383. anno quinto Theodoſij Imp. nam eius anno tertio Syagrio & Euchario Coſſ. S. Euſebius Epiſcopus Bononienſis vnà cum S. Ambroſio interſuit Concilio Aquileienſi aduerſus Arianos, poſt quem conſtat ſubrogatum Felicem, cui demum (vt diximus) eſt ſubſtitutus Petronius. Ex his etiam quę ſcribit S. Eucherius ad Valerianum, tempora eiuſdem S. Petronij explorata habentur; dum ait, ſuis temporibus claruiſſe in Italia S. Petronium: ipſa autem Eucherij tempora docent Acta Synodi Arauſicanæ, cui interfuit; quæ habita eſt ſub Cyri Conſulatu: eſt enim is annus Domini 441. Petronij genus indicat Gennadius, dum ait, eius parentem, Petronium quoque dictum, Prætorij præfecturā adminiſtraſſe; quem illum eſſe opinor, qui Sextus Petronius Probus dictus, geſſit Conſulatum cum Arcadio; nam & præfecturæ munere functum eſſe, data ad eum Imperatoris reſcripta teſtantur. Eo etiam magiſtratu exornatum fuiſſe S. Petronium de quo agimus, affirmare videtur S. Eucherius, dum ait, ex pleniſſima mundanæ poteſtatis ſede ad Epiſcopatum euectum eſſe. Præfecturam Prætorij fuiſſe ampliſſimam dignitatem, pluribus docet Caſſiod. in prooemio Variarum. Porrò ſi genus antiquum familiæ Petroniæ repetas, eam humili loco natam ad equeſtrem ordinem perueniſſe, ſcribit Valer. Max. lib. 4 c. 7. S. Petronij res geſtę extant apud Sur. tom. 5. conſcriptæ à Galeſinio, vt ipſe teſtatur, licet Sigonij nomine inſcribantur; quem quidem de eccleſia Bononienſi egregium volumen ſcripſiſſe ſcimus. Multa à Vincentio, Antonino, & Petro in catalogo de S. Petronio ſcripta ſunt, quæ cenſura & expurgatione non leui indigent. Vixit iiſdem ferè temporibus in Gallijs eiuſdem nominis Epiſcopus, vt apparet ex Synodica Gallorum Epiſcoporum ad S. Leonem Romanum Pontificem, & ex eius epiſtola 52. ad eos reſcripta, Conſulibus Herculano & Aſporatio, anno Domini 452. Fortaſſe ille, ad quem extant duæ Sidonij Apollinaris epiſtolæ.

[h] Aureæ.] De eadem Vſuardus. Meminit eiuſdem ſanctus Audoënus in vita ſancti Eligij

libro 1. cap. 17. & libro 2. cap. 53. Sigebert. in chronic. anoo Domini 637. Petros in catalog. libro 9. cap. 23. Trithem. de viris illuſtr. ord. ſancti Bened. libro 3. cap. 85. Claruit in Gallijs temporibus Dagoberti Regis Franc. circa anoum Domini 630.

xviij. E **Tertio Nonas Octob. Luna.** 5

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |

NATALIS beati Thraſeæ[a] Epiſcopi Eumeniæ, apud Smyrnam martyrio conſummati. Treuiris ſanctorum martyrum Palmatij[b] & ſociorum, qui in perſecutione Diocletiani ſub Rictiouaro Præſide martyrium ſubierunt. Eodem die paſſio ſanctæ Charitinæ[c] virginis, quæ ſub Diocletiano Imperatore, & Domitio Conſulari, ignibus cruciata, & in mare proiecta, cùm inde incolumis euaſiſſet, manibus & pedibus abſciſſis, dentibuſque conuulſis, in oratione poſita ſpiritum emiſit. Meſſanæ in Sicilia natalis ſanctorum martyrum Placidi[d] monachi, diſcipuli beati Benedicti abbatis, & fratrum eius Eutychij & Victorini, ac Flauiæ virginis eorum ſororis; item Donati, Firmati diaconi, Fauſti, aliorumque triginta monachorum, qui à Manucha pirata pro Chriſti fide necati ſunt. Antiſiodori depoſitio ſanctorum germanorum Firmati[e] diaconi, & Flauianæ virginis. Rauennæ ſancti Marcellini[f] Epiſcopi & confeſſoris. Valentiæ in Gallia ſancti Apollinaris[g] Epiſcopi, cuius & vita virtutibus fuit illuſtris, & mors ſignis ac prodigijs decorata. Eodem die ſancti Attilani[h] Epiſcopi Zamorenſis, quem Vrbanus Secundus in Sanctorum numerum retulit. Romæ ſanctæ Gallæ[i] viduæ, filiæ Symmachi Conſulis, quæ viro ſuo defuncto, apud eccleſiam beati Petri multis annis orationi, eleemoſynis, ieiunijs, alijſque ſanctis operibus intenta permanſit: cuius feliciſſimum tranſitum ſanctus Gregorius Papa deſcripſit.

## OCTOBRIS 5.

THRASEÆ Epiſcopi[a].] De eodem Beda, Vſuard. Ado, ac ceteri recentiores. Scribunt de eo Euſeb. hiſtor. lib. 5. cap. 23. Niceph. lib. 4. cap. 25. & 37. alijque ex Polycrate. Claruit temporibus Marci Aurelij & Lucij Veri Imperatorum; idemque ob egregia certamina contra Cataphrygas ſuſcepta mirificè nobilitatus eſt.

[b] Palmatij & ſociorum.] Tabolæ etiam eccleſiæ Treuerenſ. ex quibus item Molanus hac die. De horum ſepultura, & inuentione, vide quę Sigebert. ſcribit in chronic. aooo Dom. 1071. Alius hic Palmatius ab illo qui tempore Alexandri Imperatoris paſſus eſt.

[c] Charitinæ.] Agunt de eadem hac die Gręci in Menologio, eiuſque ſęuum martyrium referunt; pleniùs autem Metaphraſtes, quod retulit Lipom. in tom. 6. Surius tom. 5. Alia eſt Charitina, quæ Romæ cum Iuſtino, Charitone, & ſocijs paſſa eſt; quorum Acta extant apud Sur. tom. 3. 12. Iunij.

[d] Placidi & ſoc.] De his Beda, Vſuard. Ado, & alij. Extant eorum Acta à Gordiano conſcripta, vt ferunt, iuſſu Imp. Iuſtioiani, quæ habes apud Lipom. tom. 4. & Sur. to. 5. Sunt in ea nonnulla caſtiganda. Paſſi ibi ponuntur anoo decimotertio eiuſdem Imp. à Chriſto autem an. 541. ſed in oomeri notam error irrepſit: annus enim Iuſtiniani decimustertius, idem eſt Domini 539. Plerique alij de ijſdem ſcripſere multa, vt

Leo

Leo Oſtienſis in chronic. Caſſin. libro 1. Trithem. de vir. illuſtr. ord. ſancti Benedicti lib. 3. cap. 5. & alij.

[e] Firmati, Fauſti.] De his etiam Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores hac die.

[f] Marcellini Epiſcopi.] De eodem tab. eccleſ. Rauen. Hieron. Rub. hiſt. Raueo. lib. 1. anno 230. & alij, qoi ante eum res Rauennates ſunt proſecuti.

[g] Apollinaris Epiſc.] Beda, Vſuardus, & alij recentiores de eodem hac die. Interfuit Concilio Epaunenſi in Gallijs celebrato temporibus Gelaſij Papæ, vt eius Acta ſignificant.

[h] Attilani Epiſc.] De eodem in Flore ſanct. & apud Sur. tom. 7. ex Matin. Siculo, & in Theſau. concion. Claruit circa annum Domini 820.

[i] Gallæ.] Scribit eius vitam & obitum ſanctus Gregor. libro 4. dialog. cap. 13. ex quo ceteri, vt Petrus in catalog. lib. 9. cap. 25. Trithem. de vir. illuſt. ord. S. Bened. lib. 3. cap. 13. Fuit & alia Galla ſeoior, quam S. Auguſtious laudat epiſtola 103. Legitur & eiuſdem nominis neptis Symmachi ſenioris, de qua hæc ipſe lib. 6. epiſt. 33. Non mediocriter nepoticulæ meæ Gallæ iofirmitas contrahit otij noſtri ſecuritatem. Illam autem, ad quam Fulgeotius ſcripſit epiſtolam parænericam de ſtatu viduarum, eamdem eſſe putamus cum filia Symmachi, de qua hic agitur. Floruit in Gallijs alia item Galla, quæ fuit vxor S. Eucherij, de qua Ado Treuer. 16. Nouemb. cuius ſepulchri meminit Gregor. Turon. de glor. confeſſ. cap. 36.

## 6 Pridie Nonas Octobris. Luna. F xvij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | | | |

LAODICEÆ beati Sagaris[a] Epiſcopi & martyris, qui fuit vnus de antiquis Pauli Apoſtoli diſcipulis. Capuæ natalis ſanctorum martyrum Marcelli[b], Caſti, Æmilij, & Saturnini. Agenni in Gallia natalis ſanctæ Fidei[c] virginis & martyris, cuius exemplo beatus Capraſius ad martyrium animatus, agonem ſuum feliciter conſummauit. Item ſanctæ Erotidis[d] martyris, quæ Chriſti amore ſuccenſa, ignis ſuperauit incendium. Treuiris commemoratio innumerabilium[e] penè Martyrum, qui in perſecutione Diocletiani ſub Rictiouaro Præſide ob Chriſti fidem vario mortis genere necati ſunt. Antiſiodori ſancti Romani[f] Epiſcopi & martyris. Opitergij ſancti Magni[g] Epiſcopi, cuius corpus Venetijs requieſcit. In Calabria ſancti Brunonis[h] confeſſoris, ordinis Carthuſianorum inſtitutoris.

## OCTOBRIS 6.

SAGARIS Epiſcopi.[a]] De quo Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Paſſus eſt tempore Marci Aurelij & Lucij Veri fratrum Impp. ſub Seruilio Aſiæ Proconſule, vt ex Melitone ſcribit Euſeb. hiſt. lib. 4. cap. 25. & ex Polycrate lib. 3. cap. 23. Niceph. hiſt. lib. 4. c. 10. & 37.

[b] Marcelli & ſoc.] Agunt de his etiam Beda, ac ceteri qoi ſuprà auctores, Petrus item in catal. lib. 11. Quod antem ad Caſtum & Æmilium ſpectat; cùm hæc nomioa noſcantur eſſe Africanorum martyrum, quorum natalis dies agitur 22. Maij; in eam facilè ioducimur opinionem, vt exiſtimemus hos eſſe eoſdem cum illis; ſed Capuæ etiam celebrari eorum celebritatem, quòd Africani Epiſcopi tempore perſecutionis Wandalicæ ex Africa pulſi, ad Campana littora appelleotes, quas ſecum tuliſſent reliqnias ſanctorum martyrum, ibidem collocaſſeot. Quod item ad Marcellum martyrem ſpectat, eiuſdem nominis fuit martyr in Africa, de quo agitur 19. Februar. Ceterùm eiuſdem oominis Saturnini multi in eadem prouincia paſſi reperiuntur, vt ex Martyrologij indice facile eſt colligere. Porrò hęc oobis tantùm coniectura ſuppeditat ex his quæ ſcribit Victor lib. 1. de perſecut. Wandal.

[c] Fidei.] De eadem Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Paſſa eſt in perſecutione Diocletiani ſub Præſide Daciano. Habet huius Acta Mombrit. tom. 1. Petrus in catalog. lib. 9. cap. 26. Antonin. in prima par. tit. 8. c. 1. §. 24. eadem apud Sur. tom. 7. De ipſa etiam in Flor. ſanct. Hiſpan. & Vaſæus in chron. Hiſpaniæ.

[d] Erotidis.] De qua item hac die Græci agunt

in Menologio, referuntque eius martyrium.

[e] Innumerabil. pæne martyrum.] De his vetera manuſcripta. De horum cœmeterio, vbi ſepulti erant, meminit Sigebert. in chron. anno 1071. quos paſſos refert in perſecutione Diocletiani Imp. ſub Rictiouaro Præſide. Agit de iiſdem Molan. in addit. ad Vſuard.

[f] Romani Epiſc.] Agunt de eodem hac die Beda, Ado, & alij. Adſcribitur decimusſeptimus eius ſedis Epiſcopus, vixitque temporibus Ioannis Papæ Tertij vſque ad Benedictum, vt docent tabulæ Epiſcoporum Autiſiodorenſium, quas deſcripſit Demochares.

[g] Magni Epiſc.] De eodem Petrus in catal. in appendice cap. 17. refertq. eius Acta, & tranſlationem hac die factam Venetias anno Domini 1206. in eccleſiam S. Ieremiæ.

[h] Brunonis.] Eius res geſtæ à pluribus auctoribus reperiuntur ſcriptæ, vt à Franciſco de Puteo Lugdunen. Petro Blom. Petro Sutore de vit. Carthuſ. lib. 2. c. 7. Ranulph. lib. 7. c. 4. vitæ S. Hugonis Epiſcopi Gratianopol. Extant apud Sur. relatæ in tomo 5. Vita functus eſt anno Domini 1101. relatuſque eſt inter Sanctos à Leone Decimo Rom. Pont. Habes apud Sur. tom. 5. eius vitam conſcriptam à dicto Petro Blomeueone Priore Carthuſiæ Colon. vbi & deſcripta habentur præclara de ſancto Brunone elogia.

xvj. G **Nonis Octob. Luna.** 7

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |

ROMÆ via Ardeatina depoſitio ſancti Marci [a] Papæ & confeſſoris. In prouincia, quæ nuncupatur Auguſta Euphrateſia, ſanctorum martyrum Sergij [b] & Bacchi nobilium Romanorum, ſub Maximiano Imperatore: quorum Bacchus tamdiu neruis crudis cæſus eſt, quoaduſque toto corpore diſciſſus in confeſſione Chriſti emitteret ſpiritum: Sergius verò clauatis cothurnis pedes indutus, cùm in fide fixus maneret, data ſententia, iuſſus eſt decollari: cuius nomine locus vbi quieſcit, Sergiopolis appellatus, ob præclara miracula frequenti Chriſtianorum concurſu honoratur. Romæ ſanctorum martyrum Marcelli [c] & Apuleij, qui primò quidem Simoni mago adhæſerunt; ſed videntes mirabilia quæ per Apoſtolum Petrum Dominus operabatur, relicto Simone, Apoſtolicæ doctrinæ ſe tradiderunt, ac poſt paſſionem Apoſtolorum ſub Aureliano Conſulari coronam martyrij reportarunt, ſepulti non longè ab Vrbe. Item apud Auguſtam Euphrateſiam ſanctæ Iuliæ [d] virginis, quæ ſub Marciano Præſide martyrium conſummauit. Patauij ſanctæ Iuſtinæ [e] virginis & martyris, quæ à beato Proſdocimo S. Petri diſcipulo baptizata, cùm in fide Chriſti conſtanter perſiſteret, Maximi Præſidis iuſſu gladio tranſuerberata migrauit ad Dominum. Apud Bituricas S. Auguſti [f] preſbyteri & confeſſoris. In pago Rhemenſi S. Helani [g] preſbyteri. Eodem die commemoratio ſanctæ Mariæ [h] de Victoria, quam Pius V. Pontifex Maximus, ob inſignem victoriam à Chriſtianis bello nauali eiuſdem Dei genitricis auxilio hac ipſa die de Turcis reportatam, quotannis fieri inſtituit; & Gregorius XIII. prima huius menſis Dominica die annuam ſolemnitatem Roſarij [i] eiuſdem beatiſſimæ Virginis celebrandam decreuit.

OCTO-

MARCI Papæ [a]. ] De quo Beda, Vſuardus, Ado, & alij. De eius ſucceſſione agunt Optat. Mileuit. lib. 2. contra Parmen. Auguſtin. epiſt. 165. ad Generoſ. Ruffin. lib. 1. cap. 22. Sozom. lib. 2. cap. 19. & Niceph. in chronic. Acta eius in Annal. Eccleſ. per annos ſingulos diſpoſuimus. Vetus eſt Romæ Titulus ſancti Marci, cuius eſt mentio in Concil. primo Rom. ſub Symmacho. De alia rurſum eiuſdem nomine eccleſia extra Vrbem poſita, quam Gregor. Papa Tertius reſtituit, mentio habetur in libro de Romanis Pontificibus, in Nicolao Papa, vbi & de cœmeterio ſancti Marci ſcribitur. Hadrianus Pontifex in epiſtola ad Carolum Magnum de imaginib. hæc ait: A tunc vſque hactenus, ſanctorum Pontificum, videlicet Silueſtri, Marci, & Iulij, miræ magnitudinis ſanctæ eorum eccleſiæ apud nos ſunt depictæ tam in muſiuo, quàm in ceteris hiſtorijs, cum ſactis imaginibus ornatis. hæc ibi. Habemus eius vitam per lectiones diſtinctam, quæ in aliquibus eccleſijs legi conſueuit.

[b] Sergij & Bacchi. ] Beda de his hac die, ac ceteri tam Latinorum, quàm Græcorum. Extant eorum Acta à Metaphraſte deſcripta apud Lipom. tom. 6. & Sur. tom. 5. Mombrit. tom. 2. & alia manuſcript. De ijſdem Niceph. libro 7. cap. 14. in fine: ibi de eorum martyrio; de miraculis autem ſancti Sergij libro 15. cap. 23. ex Euagr. lib. 4. cap. 27. & lib. 6. cap. 20. De Sergiopoli ciuitate à ſancto Sergio martyre ſic dicta, & reliquijs eiuſdem martyris idem Niceph. libro 15. cap. 26. & 27. De Coſrhoë Rege Perſarum, qui eidem obtulit dona, idem Niceph. libro 18. c. 21. De peregrinatione ad ſanctum Sergium in Araphas, habetur mentio in ſecunda Synodo Nicęna Act. 5. & in Prato ſpirit. cap. 180. Agit de eodem Theodoret. de Euangelica verit. lib. 8. in fine. Erexit eidem Sergio Iuſtinianus Imp. egregiam baſilicam Conſtantinopoli, aliam rurſus Ptolemaide, vt ſcribit Procop. libro 1. & lib. 5. ædific. Iuſtiniani Imp. Romæ etiam celebris fuit horum martyrum memoria, illicque erat Diaconia horum nomine, quam Gregorius Tertius Papa reſtituit, auxitque, vt conſtat ex libro de Rom. Pontificibus. Notiſſimus etiam in Gallijs ſanctus Sergius fuit, de cuius pollice, alijſque eius ſacris reliquijs agit Gregorius Turonenſ. hiſtor. lib. 7. cap. 31.

[c] Marcelli & Apuleij. ] Agunt de ijſdem Beda, Vſuardus, Ado, & alij ex Actis ſanctorum Nerei & Achillei.

[d] Iuliæ. ] De qua Vſuardus, & Petrus in catal. lib. 9. cap. 31. hac die agunt.

[e] Iuſtinæ. ] De eadem tabulæ eccleſ. Patauinæ. Eius martyrij Acta habet Mombrit. tom. 2. Plura in vita ſancti Proſdocimi, apud eumdem tom. 2. Petrus in catalog. lib. 9. cap. 32. Sunt in his aliqua corrigenda, vt quæ habentur de Vitaliano & Maximiano Regibus. Fuerunt hi Præſides ſub Romano Imperio conſtituti: nec enim illis temporibus aliquis erat in Italia Regulus. De Iuſtina Venantius Fortun. de gaud. vitę æternæ hoc verſu:

*Et Iuſtina ſimul, conſociante Thecla.*

Et libro 7. ad Bod. Ducem ſic:

*Iuſtinam Pataui, Euphemiam hinc Chalcedon offert.*

[f] Auguſti presbyteri. ] Scribit de eo Gregor. Turon. de glor. confeſſ. cap. 80. ex quo & Molan. & Galeſin. hac die.

[g] Helani. ] Tabulæ Rhemenſes, ex quibus ijdem qui ſuprà Molanus & Galeſin. hac die.

[h] Commemoratio ſanctæ Mariæ de Victoria. ] Eo nomine Neapoli nuper erecta eſt eccleſia, egregium planè diuinæ benignitatis monumentum, cùm noſtra memoria, anno ſalutis 1571. Fidelium claſſis ſanctiſſ. D. N. Pij Papæ V. ac Catholici Hiſpaniarum Regis Philippi, necnon inclytę Venetorum Reip. fœdere coacta, glorioſam ac cunctis ſæculi memorabilem de Turcis, Chriſtiani nominis infenſiſſimis hoſtibus, ad Echinadas inſulas, captis hoſtium triremibus centum & octoginta, ceteris diſſipatis, victoriam reportauit, fractoſque noſtrorum animos in eam ſpem erexit, poſſe inimicos noſtros (modò in vnum Chriſtianorum animi vireſque conueniant) nullo negotio profligari atque deleri; præſertim ſi (vt tum in his actum eſt) præcipuam in Domino, & non in armis ſpem ponamus, peccatorumque ſordibus expiatis, puræ ad Deum preces offerantur, ac Dei genitricis Mariæ auxilium pijs votis ſedulò imploretur.

[i] Roſarij. ] Extant litteræ Gregorij Papę XIII. datę ſub annulo Piſcatoris, anno Dom. 1573. Kal. Aprilis, quarum initium eſt: Monet Apoſtolus. vbi ſingulis annis prima Dominica Octobris, ad memoriam dictæ victoriæ diuinitus obtentæ perpetuò conſeruandam, & ad gratias Deo ac Deiparæ Virgini agendas, huiuſmodi ſolemnitatem Roſarij perpetuò celebrandam decernit, atque in ea officium duplex Beatiſſ. Virginis recitari, in ijs videlicet eccleſijs, vbi eiuſdem Roſarij altare aliquod fuerit: cuius quidem Sodalitatis pias preces, ac proceſſiones vbique terrarum ea ipſa die qua victoria parta eſt (quę tunc fuit prima Dominica Octob.) de more factas, plurimùm profuiſſe ad opem Dei genitricis pro Chriſtianorum claſſe obtinendam, piè credendum eſſe profitetur.

Rurſus etiam eadem Acta carmine ſcripta ab eodem Hilduino, aſſeruari in monaſterio Gemblacenſi, teſtatur Molanus. Noſtra ætate Matthæus Galenus ſcripſit Areopagitica, quibus eiuſdem Dionyſij ſcripta vindicauit à calumnijs hæreticorum: addidimus nonnulla in Annalibus Eccleſiaſticis, quibus non leues eorumdẽ obiectiones ſoluimus. Extat Venantij Fortunati carmen de baſilica S. Dionyſij, ac eius martyrio lib. 1. meminitq. eiuſdem lib. 7. ad Bodeg. & in vita ſancti Martini lib. 4. Quòd autem ſanctum caput ſuum portauit manibus; id quidem Hilduinus ex Liſbio, atque etiam Metaphraſtes in ipſo Dionyſio, & Nicephorus hiſt. lib. 2. c. 20. profitentur.

[b] In Gallias.] Sat ſcio, eam quæſtionem de Dionyſio Pariſiorum Epiſcopo, ſit ne cenſendus ille idem qui ex Areopago ad Chriſti fidem, ac inde ad Athenienſis eccleſiæ regimen aſſumptus fuit, iam ante annos ſeptingentos agitatam, ac definitam, à nonnullis iterùm deduci in controuerſiam; quibuſcum in Annal. Eccleſ. prolixior eſt mihi diſputatio. Hîc autem (vt inſtituti patitur ratio) pauca dumtaxat, quæ piæ menti ſatis eſſe poſſint, attingam; reddamque in primis verba Hincmari Rhemenſis Epiſcopi, auctoris illorum temporum non ignobilis, quibus, ſcribens ad Carolum Caluum Imp. rem ipſam his verbis teſtatam reliquit, cùm ait: Patrem veſtrum Dionyſium eſſe Areopagitam, à beato Paulo Apoſtolo baptizatum, & Athenienſem ordinatum Epiſcopum, & in Gallias à beato Clemente directum, ex his quæ Græca teſtificatio, & S. Romanæ ſedis atteſtatio, & Gallicana intimat conteſtatio, ratum in hac cauſa (quod longè ante nos dictum eſt) recognoſcunt. Hæc ille: quæ ne perfunctoriè dicta videantur, ſingillatim expendere, operæpretium fuerit. Quod igitur ad Græcam, quam dicit, atteſtationem pertinet; quid aliud profeſſus eſt Michael Imp. publica legatione, qua ad Ludouicum Pium miſit commentarios omnes Dionyſij Areopagitæ nuper repertos? qui perlati Pariſios ipſis vigilijs ſancti Dionyſij celebritatis, cuiuſnam illi fuerint, miraculis tunc diuina virtute editis, certa fide probati ſunt. Narratur rei geſtæ hiſtoria in ea epiſtola, quam ad eumdem Ludouicum Imp. Hilduinus conſcripſit. Conſtat inſuper, auctore Anaſtaſio S.R.E. Bibliothecario, S. Methodium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, olim cùm eſſet presbyter, & legatione Apoſtolica fungeretur, vitam S. Dionyſij Areopagitæ, qua illum in Gallias profectum, Pariſiorum eccleſiã curaſſe confirmat, Romanę Eccleſię tradidiſſe. hęc etenim idem Anaſtaſius, qui eam in Latinum à ſe tranſlatã miſit ad Carolum Caluum Imp. teſtatur epiſtola ad eum tunc data. Metaphraſtes inſuper Dionyſij Acta, hęc ipſa teſtantia, ex antiquioribus monumentis deſcripſit: quæ veneratione eſſe digna, Synodus Florentina, ea citando, monſtrauit. Quod item ad Græcos pertinet, Michael Syngellus presbyter Ieroſolymitanus in encomio, quod de eodem Dionyſio habuit, eadem plus ſatis teſtata reliquit: quæ & complures alij Gręcorum recentiorum profeſſi ſunt, quos enumerare longum eſſet. Hęc de his quę ſpectant ad Græcorum atteſtationem. Quod autem pertinet ad teſtimonium S. R. E. quo idem Hincmarus eamdem rem comprobatam affirmat; ad id referendum arbitror, quòd Hilduinus, cùm ad eam rem probandam citat antiqua Miſſalia Gallicana, ea probata dicit auctoritate Romanorum Pontificum Innocentij, Gelaſij, atque Gregorij, quorum ea de re epiſtolas apud eamdem Pariſienſem eccleſiam extare teſtatur. in ſacris enim Miſſæ præfationibus, moris erat, vitam illius ſancti, cuius ſolemnitas ageretur, ſummatim collectam publicè recitari, vt etiam in Sacramentario S. Gregorij, & in Miſſali Ambroſiano hactenus cernitur. His accedit Stephani Papæ factis potiùs quàm verbis teſtata ſententia: nam eo tempore quo ipſe Pipinum Regem coronauit in Gallia; cùm ægrotans, S. Dionyſij adminiculo è morbo conualuiſſet, ſacris eiuſdem reliquijs Romam tranſlatis, in ipſius honorem monaſterium erigendum curauit, quod Græcis monachis tradidit, atque indito nomine, Græcorum Scholam nuncupauit: quod obitu eius imperfectum relictum, ab eius ſucceſſore Paulo Papa eſt penitus abſolutum. Hæc ipſa Ludouicus Imp. ab Hilduino perpetuis monumentis voluit commendari, prout eiuſdem Imp. ad eum litteræ ſcriptæ declarant. Et quid, quæſo, cauſæ fuiſſe exiſtimamus, quòd S. Dionyſij monaſterium & Græcis attributum, & Gręcorum Schola dici voluit, niſi vt in ędibus Græci hominis, Græci gentiles eius, veluti iure hoſpitij, conſiderent? Sancta inſuper Romana Eccleſia huic veritati ea quoque ratione adſtipulata videtur, quòd à ſancto Methodio allata Romam Dionyſij Acta receperit, ac fideliter cuſtodierit; cùm præſertim eiuſdem ſanctæ ſedis Bibliothecarius Anaſtaſius, ſummæ illorum temporum doctrinæ & auctoritatis vir, eadem Latinitate donata ad Carolum Caluum Imp. vnà cum litteris, quæ adhuc extant, in Gallias miſerit. Hæc ſatis de his quæ ad ſedis Apoſtolicæ teſtimonium ſpectant. Ad illud etiam quòd idem Hincmarus ait: Et Gallicana intimat conteſtatio. prædicta ſufficere poſſunt, nimirum antiquorum Miſſalium fides, & Acta ipſa, quæ ex antiquis monumentis, & à Liſbio Hilduinus collegit; quibus etſi aliquis error inhæſit, vt de Dionyſij martyrio perperàm recenſito ſub Domitiano Imp. vel quid aliud eiuſmodi; non tamem idcircò cetera, quæ in eis narrantur, ſunt reijcienda; cùm præſertim tot tantoſque habeat adſtipulatores. Quòd ſi ob vnum errorẽ, vel alterum in vitis ſanctorum inuentum, cetera quæ remanent, fide carere dixerimus: profectò omnes ferè ſanctorum vitas in maximum diſcrimen inducimus; cùm pęnè in omnibus aliquid notari poſſit, quod corrigendum videatur; ſitq. canonicarũ tantummodò ſcripturarum ſingularis prærogatiua, vt in eis cuncta vera, inconcuſſa, certaque narrentur. Quod autem prædictis omnibus de Dionyſio ex Gregorio Turonenſi opponitur, quòd dicat in hiſt. de geſt. Franc. lib. 1. cap. 30. S. Dionyſium miſſum eſſe Pariſios temporibus Decij: id quidem tam verum eſt, quàm quod ibidem aſſerit, Trophimum Arelatem, Paulum Narbonam, & Martialem ijſdem Decij temporibus miſſos in Gallias; quos omnes liquidò conſtat ab Apoſtolis illuc eſſe directos, prout Acta & antiqua Martyrologia atteſtantur. Pace Gregorij dixerim; ipſum non tantùm in tam remotis, ſed in his etiam quæ ſuorum ſunt temporum, aliquando eſſe hallucinatum, ſæpè ſuperiùs oſtenſum eſt. Corrigendus eſt item error ille Hilduini dicentis, Dio-

nyſium

nyſium annos natum circiter nonaginta, martyrio coronatum anno decimoſexto Domitiani Imp. quod falſum eſſe, ex eiuſdem Dionyſij ſcriptis conuincitur, quibus citat ſanctum Ignatium in epiſt. ad Romanos: quam eodem anno, quo martyrium ſubijt, eſſe ſcriptam, ſatis apparet. Porrò Ignatium Traiani tempore martyrio vita functum, omnes teſtantur. Dionyſij porrò ætatem ex eo facilè inuenies, dum ipſe ſcribens ad Apollophanem, admirandam illam Solis eclipſim tempore paſſionis Chriſti, contigiſſe ait, cùm ipſe ageret annum ſuæ ætatis vigeſimumquintum. ex hac quidem eius annorum ratione, vt Dionyſius Ignatio ſuperuixerit, vtique centeſimum ætatis annum exceſſiſſe cum oportuit. Nec mirum videri debet, tam longam Dionyſio contigiſſe ætatem: cùm diuina quadam diſpenſatione factum ſit, vt complures ex his qui Apoſtolorum temporibus vixerint, ad longiſſimam ætatem peruenirent; nempe vt ea quæ oculis aſpexiſſent, certa ſcientia teſtarentur; vt inter alios Simeon Epiſcopus Ieroſolymitanus, qui centeſimum vigeſimum attigit annum: ſanctus Ignatius, qui ſe Dominum in carne vidiſſe teſtatur, ſcribens ad Polycarpum (citat eam epiſtolam S. Hieronymus de ſcript. Eccleſ. in Ignatio) ad annum vndecimum Traiani, vt idem auctor affirmat, peruenit. Certè Quadratus, qui ſedit poſt Publium, qui Dionyſio ſucceſſit in eccleſia Athenienſi, rexitq. illam temporibus Hadriani, complures ſe vidiſſe tradit, qui Chriſti temporibus ſanati eſſent, & à mortuis ſurrexiſſent, vt de ipſo recitat S. Hieronymus libro de ſcrip. Eccleſ. Quid memorem Hermam Pauli diſcipulum, cuius ipſe meminit, ſcribens ad Romanos, cuius & eſſe dicitur liber Paſtoris? eum conſtat ad vltima vſque Antonini Pij tempora fuiſſe ſuperſtitem. Dicerem de Polycarpo & alijs, niſi me aliò vocaret oratio. Quòd autem Beda & Ado de Dionyſio Areopagita agunt tertia die Octob. die verò nona de Dionyſio Pariſiorum, quaſi hic ſit diuerſus ab illo: dicimus à Græcis mutuatos exemplum; ea enim die Græci de Areopagita agunt; Romę autem hac die ex antiquis eccleſiarum monumentis agi ſolitum, certum eſt, alia fortaſſe de cauſa. ſępè enim accidiſſe vidimus, vt alia ratione Græci, alia verò Latini eiuſdem ſancti agant celebritatem; immò inter ipſos Latinos eamdem inuenies diuerſitatem, quòd nimirum alij celebrent diem natalem, inuentionis, ſeu tranſlationis alij, vel fortè dedicationis eccleſiæ; qua etiam ratione de vno eodemque ſancto iterùm agi ſolemnitatem, facilè inuenies. Ad hæc, ſi attentiùs conſiderentur quæ Beda & Ado ea die tertia Octob. dicant de Dionyſio Areopagita; ijdem noſtræ potiùs fauere videntur cauſæ, quàm contradicere; cùm teſtentur, S. Dionyſium ſub Hadriano Imp. martyrium conſummaſſe: quo quidem tempore Athenienſi eccleſiæ præfuiſſe Quadratum Epiſcopum, & huius præceſſorem Publium, Dionyſij ſucceſſorem, certum eſt: id etenim Euſeb. hiſt. lib 4. c. 22 id etiam S. Hieron. de ſcript. Eccleſ. in Quadrato, id denique ceteri hiſtorici ea tempora proſecuti teſtantur. Quin, ſi fidem pręſtamus Hippolyti libello de 72. diſcipulis, Narciſſum diſcipulum Domini ante prędictos poſt Dionyſium Athenis ſediſſe, dicere opus eſt. Quænam ergo cauſa eſſe potuit, vt Dionyſio adhuc ſuperſtite, vſque ad tempora Hadriani tres Epiſcopi, vel ſaltem duo in eius locum fuerint ſubrogati? haud equidem credendum eſt, talem tantumq. virum, Eccleſię columnam, in maximis illis Eccleſię anguſtijs ſedi nuntium remiſiſſe, vitamq. otioſam tranſegiſſe. Sicque nihil eſt quod conuenientius dici poſſe videatur, quàm (quod eius Acta ſignificant) eum ad maiorẽ prouinciam ſubeundã a S. Clemente Papa in Gallias amandatum: quo exemplo factũ apparet, vt & S. Polycarpus ſuorum diſcipulorum pleroſq. eòdem ex Aſia miſerit, cùm tam ingens oſtium ad Euangelium propagandum patere videret, & in multa meſſe operarios eſſe perpaucos. His iam de Dionyſio expeditis, ac pluribus certè quàm putaram; ſtudioſi lectoris venia, liceat hîc pauliſper adhuc immorari, ac de eiuſdem auctoris ſcriptorum firmitate paucula in medium afferre. Rogatus aliquando cauſam à diſertiſſimo atque ampliſſimo viro, cur nec S. Hieronymus, nec Euſebius, quorum præcipuum fuit ſtudium, rerum Eccleſiaſticarum ſcriptores colligere, Dionyſij Areopagitæ meminerint? Reſpondi: Quod ad S. Hieronymum ſpectat, non eſt quòd quis miretur, cùm ille eos ſolùm cognoſcatur collegiſſe antiquos ſcriptores, quos ab Euſebio inueniſſet recenſitos; illoſq. tantùm addidiſſe, qui poſt Euſebij tempora claruere: profitetur enim hoc idem ipſe in commentarij prętatione ad Dextrum. Si enim hunc vel alios ab eo prętermiſſos nouiſſet, haud dubium, de ijſdem agere haud deſiuiſſet. Itaque tota iam quęſtio cùm de Euſebio eſſe videatur; res non eſt propterea in eo periculo conſtituta, vt cauſa cadere ſit neceſſe, vnius tantùm non dicam teſtantis, ſed ſilentis hominis teſtimonio. S. Maximus monachus aduerſus Monothelitas egregius Eccleſiæ propugnator, de his agens, clamoſum Euſebij ſilentium affectatum nimis, ac dolo malo ſimulatum demonſtrat; dum affirmat Dionyſij Areopagitæ cõmentarios iam olim notos fuiſſe Dionyſio Epiſcopo Alexandrino, eoſdemq. ab eo fuiſſe ſcholijs illuſtratos; adducitq. in eius rei teſtimonium Anaſtaſium Epiſcopum Antiochenũ in libro cuius eſt titulus, ἐν τῷ ὁδηγῷ. Numerat idem S. Maximus alios antiquos Theologos, quorum ſcriptorum nulla ab Euſebio facta eſt mentio; vt librorum Narciſſi, Hymenæi, & aliorum, quos tamen putandum eſt illum non prætermiſſe, cùm locupletiſſimæ bibliothecæ Pamphili martyris factus ſit heres; ſed Arianum hominem hæretica fraude illos occultaſſe: nam Arianorũ vexillarius (ſic enim eum appellat S. Hieronymus) auctores illos prodere timuit, quibus Ariana hæreſis ſterneretur. Quænam ab Arianorum inſidijs ſalua eſſe potuerunt, ſi eorũ perfidia etiam Nicęni canones naufragium paſſi ſunt? Sed vt modò de ſcriptoribus Eccleſiaſticis agimus; vnum tantùm de ea re adducam exemplum. Quęnam, quęſo, fuit cauſa, vt Theologorum antiquorum celeberrimum Theognoſtum Euſebius ſilentio præterierit, niſi quòd ſciebat eum Arij dogmatibus aduerſari? Porrò probè nouit Theognoſti benè exculti ingenij lucubrationes ſanctus Athanaſius, qui eum citat in libro de Synod. Nicænæ decret. contra hæreſ. Arian. his verbis: Diſcite (inquit) nunc Chriſto rebelles Ariani, Theognoſtum virum diſertum non abhorruiſſe à vocabulo Subſtantię: ſcribens de Filio Dei in 2. Hypotypoſeon, ita locutus eſt, &c. Recitat ibi grauiſſimam eruditi viri ſenten-

Digitized by Google

ſententiam de vna eademq. Filij Dei cum Patre ſubſtantia. Idemque Athan. libro de peccato in Spir.ſanct.ad Serapionem,eumdem citans auctorem,ſimul & Origenem,hęc ait: Priſci igitur homines, inter quos & Origenes, vir multarum diſciplinarum & multùm induſtrius, & Theognoſtus ille admirandus, & perquam ſtudioſus (horum enim opera legebam, cùm tuam epiſtolam acciperem) tradunt nobis,&c. Quiſnam putet nobiliſſimum Theologorum Euſebio fuiſſe incognitum, quem præſertim Athanaſius ad aſtruendam Filij Dei diuinitatē, quam ille adeò impugnabat, tam ipſi, quàm ceteris Arianis ob oculos ponit? Videant ergo, quàm firmo nitantur argumento, qui affectatum Euſebij ſilentium contra Dionyſij commentarios in teſtimonium adducunt. Quod demum ſpectat ad ceteras obiectiones, quas de Clemente Alexandrino, Timotheo, vel alijs aduerſus eiuſdem ſcripta aduerſarij obijciunt: præter illa quæ in eo genere à Matthæo Galeno laudabiliter ſcripta ſunt, alia complura, ac (ni fallor) certa atque probata, in Annalibus Eccleſiaſticis, proximè, Deo auſpice, in lucem prodituris, ſedulò explicabuntur.

[c] Abrahæ Patriarchæ.] Agunt de eodem hac die tum Latini, tum Græci, qui addunt & Loth. De Abraham, qui meritò dictus eſt Pater credentium, præter ea quæ locupletiſſimè de eo ſcribuntur in diuinis Scripturis, agunt Ioſephus de antiq. Philo Iudæus, & alij Hebræorum, Latinorum, & Græcorum, quos omnes ſingillatim recenſere, & longum & moleſtum eſſet. De locis Abrahæ memorijs nobilibus ædificiorum illuſtratis, vt de quercu Mambre, cellula Saræ, incunabulis Iſaac, & loco ſacrificij, vbi eumdem Iſaac filium voluit immolare, agunt Sozom. hiſt. lib 2. cap. 3. Hieron. in epitaphio Paulæ epiſt. 27. & Beda de locis ſanctis.

[d] Domnini.] De quo Beda, Vſuardus, & alij. Huius res geſtæ editæ habentur apud Mombrit. tom. 1. Sur. tom. 7. & Petr. in catalog. lib. 9. cap. 42.

[e] Deuſdedit.] Adnumeratur hic inter Caſſinates abbates decimuſquintus ordine: ſucceſſit Apollinari, ſeditq. annos ſex, vt accepimus ex tab. manuſcript. abbatum Caſſin. De eodem Leo Oſtien. in chron. Caſſin. lib. 1. cap. 22. Trithem. de vir. illuſtr. ord. ſancti Benedicti lib. 5. c. 247. additq. de miraculis ad eius ſepulchrum fieri ſolitis. Huic autem ſucceſſit Hildericus.

[f] Giſleni Epiſc.] Huius res geſtas edidit Sur. tom. 5. Plura de ipſo Molanus in Indic. Sanct. Belg. Vixit temporibus Dagoberti Regis, circa annum Domini 640.

[g] Andronici & Athanaſiæ.] De his item Græci hac die in Menologio agunt.

[h] Publię.] Gręci itidem de eadem in Menolog. hac die, qui ibidem profitentur hanc ipſam matrem eſſe S. Ioannis Chryſoſtomi: at verò qui res eiuſdem Chryſoſtomi ſunt proſecuti, Anthuſam eam dictam eſſe teſtantur. fortaſſe ita nomine & cognomine Publia Anthuſa dicta eſt. Idem ſanctus Ioannes Chryſoſt. in libro quem ſcripſit ad viduam iuniorem, ſpectatiſſimę virtutis exemplar matrem ſuam fuiſſe teſtatur. De egregia Publiæ confeſſione agit Theodoretus hiſt. lib. 3. cap. 17. Amita autem S. Ioannis Chryſoſtomi dicta eſt Sabiniana, de qua Pallad. in Lauſiacis cap. 29.

xiij. C Sexto Idus Octob. Luna. 10

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | | | |

IN Creta inſula beati Pinyti [a] inter Epiſcopos nobiliſſimi. Hic Cnoſiæ vrbis Epiſcopus ſub M. Antonino Vero & L. Aurelio Cōmodo floruit; & in ſcriptis ſuis, velut in quodam ſpeculo, viuentem ſui reliquit imaginem. Coloniæ Agrippinæ S. Gereonis [b] martyris cum alijs trecentis decem & octo, qui in perſecutione Maximiani pro vera pietate gladijs patienter colla ſubdiderunt. In territorio eiuſdem vrbis ſanctorum Victoris [c] & ſociorum martyrum. Bonnæ in Germania ſanctorum martyrum [d] Caſſij & Florentij cum alijs plurimis. Nicomedię ſanctorum martyrum Eulampij [e], & Eulampiæ virginis eius ſororis, quæ cùm audiſſet fratrem pro Chriſto torqueri, exiliens in mediam turbam, eumq. amplexata, ſociam ſe illi adiunxit: atque ambo in ollam feruentis olei coniecti, ſed nulla ex parte læſi, vnà cum alijs ducentis, qui eo miraculo permoti crediderant in Chriſtum, obtruncatione capitis martyrium compleuerunt.

Digitized by Google

uerunt. Eboraci in Anglia S. Paulini [f] Epiſcopi, diſcipuli beati Gregorij Papæ, qui cum alijs ad prædicandum Euangelium illuc ab eo miſſus, Eduuinum Regem, eiuſque populum ad fidem Chriſti conuertit. Populonij in Tuſcia S. Cerbonij [g] Epiſcopi & confeſſoris, qui (vt ſanctus Gregorius refert) in vita & morte miraculis claruit. Veronæ item ſancti Cerbonij [h] Epiſcopi. Capuæ ſancti Paulini [i] Epiſcopi.

## OCTOBRIS 10.

PINYTI [a].] De ipſo etiam Beda, Vſuard. Ado, & alij. Agunt de eodem Euſeb. in ehron. anno vndecimo Marei Aurel. Antonini, & hiſt. lib. 4. cap. 20. & 22. Hieronymus de ſcript. Eeeleſ. Niceph. li. 4. cap. 8. & alij recentiores.

[b] Gereonis & ſoc.] Beda, Vſuardus, Ado, & alij de eodem hac die, quorum Acta ex antiquis tabulis excepta ab Elinando habet Sur. tomo 5. Agit de his Ado Vien. in chron. anno 18. Dioclet. Imp. De horum inuentione mentio habetur in vita S. Annonis Epiſcopi Colon. lib. 2. eap. 17. apud Surium tom. 6.

[c] Victoris & ſociorum.] De his item Vſuardus. Recenſentur horum res geſtæ prædictis Actis ſancti Gereonis; numeranturque hi, qui cum Victore ſunt paſſi, martyres trecenti & triginta.

[d] Caſſij & Florentij.] Agunt de his etiam Vſuardus & Ado. Recenſentur ijdem in ipſis Actis S. Gereonis, & apud Petr. in catal. lib. 9. cap. 46. Sed Veronæ, perperàm legebatur, loco Bonnæ. Eſt Bonna ciuitas in Germania iuxta Coloniam Agrippinam, vbi horum ſanctorum martyrum eorpora requieſcere accepimus.

[e] Eulampij & Eulampiæ.] Græci etiam de his agunt in Menologio. Horum Acta Metaphraſtes prolixiùs eſt proſecutus, quæ habet Lipom. tom. 9. & Sur. tom. 5. paſſique referuntur in perſecutione Diocletiani.

[f] Paulini Epiſcopi.] De eodem plura Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores hac die. Geſta eius exactè deſcripta ſunt à Beda de geſt. Anglor. lib. 2. cap. 9. & 10. vſque ad 20. & in epitome. Migrauit ex hac vita anno Domini 644. eùm ſediſſet annis 22. Alij recentiores de eodem ſcribunt, inter quos Trithemius, ſed omnes ex Beda mutuati ſunt.

[g] Cerbonij Epiſcopi.] Scripſit eius res geſtas ſanctus Gregor. Papa lib. 3. dialog. cap. 11. qui & de eius eeeleſia Longobardorum clade proſtrata agit in regiſt. lib. 1. epiſt. 17. De eodem Sigebert. in chron. anno 536. Habemus in noſtra bibliotheca eiuſdem vitam manuſcriptam, quæ incipit: Vir venerabilis, &c.

[h] Cerbonij, aliàs, Cerboni Epiſc. Veron.] De quo & tab. eecleſ. Veron. quas eius eccleſiæ Auguſtinus Valerius Epiſc. Cardinalis illuſtrauit egregio eommentariolo; ibi pag. 6. & 38.

[i] Paulini Epiſcopi.] Tabulæ Capuanæ eccleſiæ de eodem hac die, euius res geſtæ deſcribuntur in ipſius Breuiario.

## 11 Quinto Idus Octob. Luna. D xij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | | | |

TARSI in Cilicia natalis ſanctorum martyrum Tharaci [a], Probi, & Andronici, qui in perſecutione Diocletiani longo tempore carceris ſqualore afflicti, & tertiò diuerſis tormentis & ſupplicijs examinati, in confeſſione Chriſti triumphum gloriæ abſciſſis ceruicibus ſunt adepti. In pago Vilcaſſino paſſio ſanctorum martyrum Nicaſij [b] Epiſcopi Rhotomagenſis, Quirini preſbyteri, Scubiculi diaconi, & Pientię virginis, ſub Prçſide Feſcennino. Item paſſio ſanctorum Anaſtaſij [c] preſbyteri, Placidi, Geneſij, & ſociorum. In Thebaide ſancti Sarmatæ [d] diſcipuli beati Antonij abbatis, qui à Sarracenis pro Chriſto necatus eſt. Veſon-

Veſontione in Gallijs ſancti Germani [e] Epiſcopi & martyris. Vzeciæ * in Africa S. Firmini [f] Epiſcopi & confeſſoris. In Scotia ſancti Canici [g] abbatis. Lyræ in Belgia depoſitio ſancti Gummari [h] confeſſoris. Apud Rhedones ſancti Æmiliani [i] confeſſoris. Tarſi in Cilicia ſanctarum mulierum Zenaidis [k] & Philonillæ ſororum, quæ beati Pauli Apoſtoli conſanguineæ, & in fide fuerunt diſcipulæ. Veronæ ſanctæ Placidiæ [l] virginis.

* Venciæ in Gallia Narbonēſi

## OCTOBRIS II.

THARACI & ſoc. [a] ] De his Beda, Vſuardus, & alij Latinorum; Græci autem in Menologio poſtridie agunt. Horum Acta à Metaphraſte deſcripta refert Lipom. tom. 6. & Sur. tom. 5. Nos autem habemus eorumdem Acta pura ac ſincera, vt excepta ſunt à Notarijs actuarijs. eſt illorum exordium: Cognoſcente Maximo Præſide in Tarſo Ciliciȩ, Coſſ. Diocletiano quartùm & Maximiano tertiùm, octauo Kalend. Aprilis, &c. fuſiora ſunt & vberiora, quàm illa quæ edita habentur à Metaphraſte. De horum reliquijs & dedicatione eccleſiæ hæc ſcribit Cyrillus in Euthymio: Archiepiſcopus Martyrius egit ſynaxim & vigilias: cùm multis lampadibus & ſuffitibus ſplendidam & magnificam egit dedicationem, deponens ſub ara quaſdam partes reliquiarum Tharaci, Probi, & Andronici, ſeptima menſis Maij. Hæc ibi.

[b] Nicaſij Epiſcopi & ſoc. ] Agunt de his Vſuardus, Ado, & alij recentiores. Fuit hic primus Rhotomagenſis ſedis Epiſcopus, illuc miſſus à Clemente Rom. Pontif. vt declarant tabulȩ eius eccleſiæ.

[c] Anaſtaſij & ſoc. ] De his item vet. manuſcript. quorum meminimus.

[d] Sarmatȩ. ] De eius occubitu S. Hieron. in chron. an. 22. Conſtantini Imp. his verbis: Saraceni in monaſterium beati Antonij irruentes, Sarmatam interficiunt. Hæc Hieronymus, qui ſuprà anno 21. ait: Sarmata, Amatus, & Macarius diſcipuli Antonij inſignes habentur.

[e] Germani Epiſc. ] Fuit hic ſeptimus eius ſedis Epiſcopus, occiſus ab Arianis anno Domini trecenteſimo ſeptuageſimoſecundo, vt docent tabulæ Epiſcoporum eius eccleſiæ, quas deſcripſit Demochares libro de ſacrificio Miſſæ. Agit de eodem Molanus in additionibus ad Vſuardum.

[f] Firmini Epiſc. ] De eodem Vſuard. hac die, & alij recentiores. Vzecia, cuius hic erat Epiſcopus, dicta eſt etiam Vzita, cuius meminit Ptolemæus, & Strabo. Verùm ſi legas, Venciæ in Gallia, ſcias hunc Firminum interfuiſſe quinto Concilio Aurelianenſi, & poſteriori Pariſienſi.

[g] Canici abbatis. ] Vſuardus, Petrus in catal. lib. 11. ac recentiores de eodem hac die.

[h] Gummari. ] Scripſit Acta eius Theobaldus, quæ habes apud Sur. tomo 5. idemque eadem heroico carmine cecinit, vt teſtatur Molan. in annot. ad Vſuard. qui de eodem pluribus agit in Indiculo Sanct. Belg. Claruit circa annum Domini 770.

[i] Æmiliani. ] De eo vet. manuſcript. Maurolyc. & Molan. in addit. ad Vſuardum.

[k] Zenaidis & Philonillæ. ] Agunt & de his Græci hac die in Menologio, deſcribuntque paucis Acta ipſarum.

[l] Placidiæ. ] Tabulæ eccleſiæ Veronenſis, Petrus in catalog. lib. 9. cap. 70. & nuper Illuſt. & R. D. Auguſt. Valerius Epiſcopus Veronen. Card. libro antiq. monum. Epiſcop. Veronen. pag. 29. & 57. Eiuſdem ferè nominis & Imperatorio genere propagata claruit in Gallijs Placidina olim vxor S. Leontij Epiſcopi Burdegalenſis, eiuſq. genus & virtutes Venant. Fortunatus egregiè cecinit lib. 1. carm.

xj. E **Quarto Idus Octob. Luna.** 12

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | | | |

ROMÆ ſanctorum martyrum Euagrij [a], Priſciani, & ſociorum. Rauennæ via Lauretina natalis S. Ediſtij [b] martyris. In Lycia ſanctæ [c] Domninæ martyris, ſub Diocletiano Imperatore. In Africa ſanctorum [d] Confeſſorum & Martyrum quatuor millium nongentorum ſexagintaſex, in perſe-

cutione

cutione VVandalica ſub Hunnerico Rege Ariano: qui cùm eſſent partim eccleſiarum Dei Epiſcopi, partim preſbyteri & diaconi, aſſociatis ſibi turbis fidelium populorum, pro defenſione Catholicæ veritatis in horribilis eremi exilium truſi ſunt: ex quibus plurimi, dum crudeliter à Mauris ducerentur, haſtilium cuſpidibus ad currendum impulſi, & lapidibus tunſi, alij ligatis pedibus velut cadauera per dura & aſpera loca tracti, & ſingulis membris diſcerpti, ad extremum variè excruciati, martyrium celebrarunt. Erant inter eos præcipui Domini ſacerdotes Felix & Cyprianus Epiſcopi. Celenæ in Pannonia ſancti Maximiliani [e] Epiſcopi Laureacenſis. Eboraci in Anglia S. VValfridi [f] Epiſcopi & confeſſoris. Mediolani ſancti Monæ [g] Epiſcopi, qui, cùm de Epiſcopo eligendo ageretur, cæleſti lumine circumfuſus, eo ſigno mirabiliter in Epiſcopum eſt aſſumptus. Veronæ S. Saluini [h] Epiſcopi. In Syria S. Euſtachij [i] preſbyteri & confeſſoris.

## OCTOBRIS 12.

EVAGRII & ſoc. [a] ] Vet. manuſcr. ex quibus Galeſin. qui addit Ediſtium, ſed hic idem cum illo qui Rauennæ paſſus eſt, vt inferiùs dicemus. In aliquibus codicibus in Syria hi paſſi leguntur.

[b] Ediſtij. ] De eo Beda, Vſuard. & alij recentiores. Hieron. Rub. hiſt. Rauen. lib. 2. paſſum hunc ſcribit in perſecutione Diocletiani Imp.

[c] Domninæ. ] Agunt de eadem hac die Græci in Menologio, vbi & eius paſſio deſcribitur.

[d] Sanctorum Confeſ & Martt. ] De ijſdem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores, Græci autem in Menolog. ſeptimo Idus Decembris, vbi & eorum cruciatus deſcribunt, quos pleniùs proſecutus eſt Victor lib. 2. de perſecutione Wandal. ſummatim autem conſtitutio Iuſtiniani Imp. Cod. de Præfect. Præt. Africæ.

[e] Maximiliani Epiſcopi. ] Huius res præclariſſimè geſtas haberi in bibliotheca Tornacenſi, teſtatur Molanus. Plura de eodem Cuſpinianus in Auſtria.

[f] VValfridi Epiſcopi. ] Beda de geſt. Angl. lib. 3. cap. 28. lib. 4. cap. 12. lib. 5. cap. 20. & in epitome de eodem agit, atque obijſſe diem anno Domini 732 Integra autem eius Acta ſcripta ſunt ab Heddio, Odone Fridegono, ac nouiſſimè à Petro Bleſ. vt conſtat ex catalog. ſcript. Britan. & ex Molano in annot. ad Vſuardum.

[g] Monæ Epiſc. ] De quo etiam tabulæ eccleſiæ Mediolanen. ex quibus Galeſinius hac die.

[h] Siluini Epiſcopi. ] De eodem tab. eccleſ. Veron. Illuſt. & R. D. Aug. Valer. Epiſc. Veronenſ. Card. libro de antiquis monumen. Epiſcop. Veronen. pag. 10. & 41.

[i] Euſtachij. ] Beda, Vſuardus, Petrus in catal. lib. 11. num. 283. & alij recentiores.

## 13 Tertio Idus Octob. Luna. F 2.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | | | |

APVD Troadem Aſiæ Minoris vrbem natalis ſancti Carpi [a] diſcipuli beati Pauli Apoſtoli. Cordubæ in Hiſpania natalis ſanctorum martyrum Fauſti [b], Ianuarij, & Martialis, qui primò equulei pœna cruciati, deinde ſupercilijs raſis, dentibus euulſis, auribus quoque & naribus præciſis, ignis paſſione martyrium conſummarunt. Theſſalonicæ ſancti Florentij [c] martyris, qui poſt varia tormenta igne combuſtus eſt. In Auſtria ſancti Colmanni [d] martyris. Apud Septam in Mauritania Tingitana paſſio ſan-

ctorum ſeptem martyrum ordinis Fratrum Minorum, Danielis [e], Samuelis, Angeli, Domni, Leonis, Nicolai, & Hugolini: qui ob Euangelij prædicationem, & Mahumeticæ ſectæ confutationem, à Sarracenis contumelias, vincula, & flagella perpeſſi, demum capitibus abſciſſis, martyrij palmam adepti ſunt. Antiochiæ ſancti Theophili [f] Epiſcopi, qui ſextus poſt beatum Petrum Apoſtolum eiuſdem eccleſiæ Pontificatum tenuit. Turonis ſancti Venantij [g] abbatis & confeſſoris. Apud Sublacum in Latio ſanctæ Chelidoniæ [h] virginis.

## OCTOBRIS 13.

[a] CARPI.] De quo Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri Latinorum: Græci autem in Menologio ad viij. Kalend. Iunij agunt, traduntque vnum fuiſſe ex numero ſeptuagintaduorum diſcipulorum. De eo Paul. 2. ad Timoth. cap. 4. & Dionyſ. Areop. epiſt. 8. ad Demophil. ſi tamen vnum eumdemq. eſſe dixerimus. Hunc, de quo agimus, factum eſſe Epiſcopum Berœenſem, auctor eſt Dorotheus in Synopſi. Græci agunt hac die in Menologio de alio Carpo, qui paſſus eſt cum Papila, Agathonice, & alijs, de quibus ſcribit Euſeb. hiſt. lib. 4. c. 14. ſed de his ſuprà 13. Aprilis.

[b] Fauſti & ſociorum.] De his Vſuardus & Ado; Beda autem de Fauſtino, Marco, & Adria; Petrus in catalog. de Fauſto & ſoc. libro 9. cap. 6. Ambroſ. Moral. in appendice ad Eulogi de ſanctis Cordubenſ. Vaſæus in chron. & Flos Sanct. Hiſpan. Habentur apud Sur. tom. 7. horum martyrum Acta ſatis fidelia ex Lucio Marin. de reb. Hiſpan. lib. 5 qui ea deſcripſit ex antiquis monumentis. Eſt de his vetus ſacer hymnus in Breuiario Toletano, quo ipſorum Acta egregiè canuntur. Plura de iiſdem in Theſauro concion. tom. 2. die 28 Septembris.

[c] Florentij.] Agunt de eodem hac die Græci in Menologio, eiuſq. certamen deſcribunt.

[d] Colmanni.] Habet eius Acta ſapphico carmine ſcripta à Ioanne Stabio Sur. tom. 5. De eo & Cuſpin. in Auſtria. Patronus etenim Auſtriæ habitus eſt, paſſuſque dicitur anno Domini milleſimo duodecimo.

[e] Danielis & ſoc.] Horum res geſtas refert Antonin. in 3. par. tit. 24. cap. 7. §. 1. Sur. tom. 5. hac die, & nouiſſimè chron. Franciſcan. cumulatè ſatis. Paſſi ſunt anno Domini 1221. agiturque natalis dies eorum, auctoritate Leonis Decimi Romani Pontificis.

[f] Theophili Epiſcopi.] De eodem Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Agunt de ipſo Euſebius in chron. & hiſt. lib. 4. cap. 19. Hieron. de ſcript. Eccleſ. epiſt. 151. ad Algaſiam quæſt. 6. & in procem. ſuper Matth. Niceph. hiſt. lib. 3. c. 25. & lib. 4. cap. 9. & Niceph. Epiſc. in chron. Extant huius diuinæ illæ lucubrationes ad Autolicum aduerſus Gentiles conſcriptæ.

[g] Venantij abbatis.] Vſuardus de eodem, & alij recentiores. Geſta eius deſcribit Gregor. Turon. in vit. ſanct. Patr. cap. 16. de glor. confeſſ. cap. 15. & hiſt. de geſt. Franc. lib. 10. cap. 31. in Licinio Epiſcopo Turon.

[h] Chelidoniæ.] Huius venerabile corpus ex vetuſta eccleſia in montibus Simbruinis poſita tranſlatum eſt in baſilicam ſanctæ Scholaſticæ apud Sublacum operâ Illuſtriſſ. ac Reuerendiſſ. Marci Antonij Card. Columnæ, viri religioſiſſimi. Eius vitæ Acta in eiuſdem ſanctæ Scholaſticę monaſterio aſſeruari accepimus.

ix. G Pridie Idus Octob. Luna. 14

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | | | |

ROMÆ via Aurelia natalis beati Calliſti [a] Papæ & martyris, qui Alexandri Imperatoris iuſſu diutiùs fame in carcere cruciatus, & quotidie fuſtibus cæſus, tandem è feneſtra domus, in qua cuſtodiebatur, præcipitatus, atque in puteum [b] demerſus, victoriæ triumphum promeruit. Cæſareæ in Palæſtina ſanctę Fortunatæ [c] virginis & martyris, quæ in perſecutione Diocletiani

cletiani poſt equuleum, ignes, beſtias, & alia tormenta ſuperata, ſpiritum Deo reddidit: cuius corpus poſteà Neapolim in Campania delatum fuit. Item ſanctorum Carponij [d], Euariſti, & Priſciani, fratrum eiuſdem beatæ Fortunatæ; qui poſt eam gladio iugulati, pariter martyrij coronam perceperunt. Item ſanctorum Saturnini [e] & Lupi. Arimini ſancti Gaudentij [f] Epiſcopi & martyris. Tuderti ſancti Fortunati [g] Epiſcopi, qui (vt beatus Gregorius refert) in effugandis ſpiritibus immundis immenſæ virtutis gratia emicuit. Herbipoli ſancti Burchardi [h] primi illius ciuitatis Epiſcopi. Brugis Flandrorum ſancti Donatiani [i] Rhemenſis Epiſcopi. Treuiris ſancti Ruſtici [k] Epiſcopi. Eodem die depoſitio beati Dominici [l] Loricati. In Latio ſancti Bernardi [m] confeſſoris.

# OCTOBRIS 14.

CALLISTI Papæ [a].] De eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri Latinorum. De eius ſucceſſione Euſeb. in chron. & hiſt. lib. 6. cap. 15. Optat. contra Parmen. lib. 2. Auguſt. epiſt. 165. Niceph. Epiſc. in chronic. & Niceph. Calliſt. lib. 4. cap. 19. Extant eius Acta apud Sur. ex manuſcript. edita tom. 7. hac die. Eadem Mombrit. tom. 2. inſunt tamen aliqua, quę corrigantur. Cetera de ipſo diximus in Annal. Eccleſ. Vetus extat Romę memoria S. Calliſti Papę, quā inſtauratam à Gregorio Papa III. habes ex Anaſtaſ. Biblioth.

[b] In puteum demerſus.] In puteum demergi conſueuiſſe, qui ſæuiſſimè punirentur, ex Plautino penu. notat Cæl. Rhodig. lect. antiq. lib. 10. cap. 5. Extat adhuc ipſe puteus, in quem S. Calliſtus eſt demerſus.

[c] Fortunatæ.] De qua tab. eccleſiæ Neap. Eius Acta ab eadem eccleſia accepimus; quibus tum ipſius, tum fratrum eius Carponij, Priſciani, & Euariſti res geſtæ narrantur. Agitur ibi etiam de tranſlatione eius Puteolos primùm, inde Neapolim facta temporibus Conſtantini & Irenes Auguſtorum, cùm Romanæ Eccleſiæ præeſſet Hadrianus. Porrò eædem venerandæ reliquiæ nuper anno Domini 1561. tertio Nonas Martij repertæ ſunt Neapoli in eccleſia S. Gaudioſi Epiſcopi, vbi hactenus aſſeruantur.

[d] Carponij & ſociorum.] De his item agitur in iiſdem Actis ſanctæ Fortunatæ, quorum modò meminimus.

[e] Saturnini & Lupi.] Beda tantùm de Lupo, ſed in vet. manuſcript. de vtroque agitur; ſic & recentiores etiam.

[f] Gaudentij Epiſcopi.] Eius Acta ex priſcis monumentis accepta refert Petrus in catal. lib. 9. cap. 63. Vixit temporibus Conſtantij Imperatoris Ariani, cuius iuſſu in damnationem vocis Conſubſtantialis coactum eſt conciliabulum Ariminenſe; cùm eidem ciuitati idem Gaudentius tunc præeſſet Epiſcopus; qui pro viribus reſtitit, eorumque Acta, ſoluta iam Synodo reſcidit, quam obcauſam à Proconſulis militibus trucidatus eſt.

[g] Fortunati Epiſcopi.] De eodem hac die Vſuardus. De eo S. Greg lib. 1. dialog. cap. 10. Claruit temporibus Iuſtiniani Imp. cùm Totila Rex Gothorum Italiam vaſtaret. Agitur Tuderti de Fortunato pridie Kalend. Iulij, quo die ciuitatem Fortunati meritis à Gothis liberatam tradunt. De eius reliquiis tranſlatis in Gallias tempore Othonis Imp. ſcribit Sigebert. in chronic. anno Domini 969.

[h] Burchardi.] Eius res geſtas ab Egiluuardo conſcriptas retulit Sur. in tom. 5. Plura de eodem in vita S. Bonifacij Epiſcopi Moguntini, Trithem. de vir. illuſtr. ord. S. Bened. lib. 3. c. 186. & lib. 4. cap. 184. Demochar. in tab. Epiſcoporum Herbipolen. Conſecratus Epiſcopus à ſancto Zacharia Papa, ſedit annis XL. Obiit anno Domini ſeptingenteſimo nonageſimoprimo.

[i] Donatiani Epiſc.] Fuit hic ſecundus Rhemenſis Epiſcopus, de quo plures tractatus habentur in eccleſia Brugenſi, vt teſtatur Molanus, qui eoſdem recenſet in addit. ad Vſuardum, & in Indic. Sanct. Belgij. De eius tranſlatione ad Brugas habet Surius tom. 5. hac die. Alius ab eo eſt ille Donatianus Epiſcopus Cabilonenſis, qui interfuit Concilio Agrippinenſi, habito poſt Conſolatum Amantij & Albini, anno Domini 346. licet aliquis hos ſimul confundat.

[k] Ruſtici Epiſcopi.] In tabulis Rhemenſibus, quas deſcripſit Democh. numeratur hic xiij. eius ſedis Epiſcopus, agit de eodem Molanus.

[l] Dominici.] Scripta ſunt eius Acta à Petro Damiani: recenſet eadem Lipom. tom. 8. & Sur. tom. 5. Floruit circa annum Domini milleſimum quinquageſimum.

[m] Bernardi.] Legimus eius res geſtas manuſcriptas, Arpino Romam miſſas.

viij. **A** Idibus Octob. Luna. 15

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |

ROMÆ via Aurelia ſancti Fortunati [a] martyris. Apud Coloniam Agrippinam natalis ſanctorum [b] trecentorum Martyrum, qui in perſecutione Maximiani curſum ſui agonis compleuerunt. Carthagine ſancti Agilei [c] martyris, in cuius die natali ſanctus Auguſtinus de eo ad populum tractatum habuit. In Pruſſia ſancti Brunonis [d] Epiſcopi Ruthenorum & martyris, qui Euangelium in ea regione prædicans, ab impijs tentus, manibus pedibuſque præciſis, capite truncatus eſt. Lugduni ſancti Antiochi [e] Epiſcopi, qui ſtrenuè adminiſtrato pontificij culmine, ad quod aſſumptus fuerat, regnum cæleſte adeptus eſt. Treuiris ſancti Seueri [f] Epiſcopi & confeſſoris. Argentorati ſanctæ Aureliæ [g] virginis. Cracouiæ ſanctæ Heduuigis Duciſſæ Poloniæ, quæ pauperum obſequio dedita, etiam miraculis claruit: quam & Clemens Papa Quartus numero Sanctorum adſcripſit. In Germania S. Theclæ [i] abbatiſſæ.

## OCTOBRIS 15.

[a] FORTVNATI. ] De eodem Vſuard. Ado, conſentiuntque vet. manuſcript. atque recentiores.

[b] Trecentorum Martyrum. ] De his item Beda, Vſuardus, Ado, & alij; licet in eorum numero abinuicem diſcrepent. Agit de ijſdem martyribus Gregorius Turon. de glor. martyrum cap. 62.

[c] Agilei. ] Poſſidius in Indic. cap. 9. meminit de tractatu S. Auguſtini habito in natali die ſancti Agilei. De baſilica ſub nomine S. Agilei eſt clara memoria in vita S. Fulgentij Epiſcopi Ruſp. apud Sur. tom. 1. ſanctus Gregorius Papa dono accepit huius martyris ſacras reliquias à Dominico Epiſcopo Carthaginenſi. Extat de his epiſtola eiuſdem S. Gregorij in regiſt. lib. 10. epiſt. 1.

[d] Brunonis Epiſc. ] De quo Marian. Scot. in chron. anno Domini 1008. Sigebert. autem 1009. Vrſperg. 1008. Albert. Crantz. in Metrop. Sax. lib. 4. c. 3. & hiſt. Sax. lib. 4 c. 28. Trithem. de viris illuſtribus ord. S. Benedicti lib. 4. c. 116. & alij.

[e] Antiochi Epiſc. ] Vſuard. Ado, & alij hac die: ponitur decimusſextus, vel decimusſeptimus eccleſiæ Lugdunenſis Epiſcopus, ſecundùm diuerſas tabulas, quas deſcripſit Demochar. lib. de ſacrif. Miſſę. Plura de eodem leguntur in Actis S. Iuſti Epiſc. Lugdunenſis, apud Surium tom. 5. & Petrum. in catalogo lib. 9. cap. 68.

[f] Seueri Epiſc. ] Adnumeratur in tab. Epiſc. Treuir. xxix. eius ſedis Epiſcopus. Plura de eo Conſtantius in vita S. Germani Epiſcopi Antiſ. lib. 2. c. 2. Beda de geſt. Anglor. c. 1. & Acta ſancti Lupi Trecenſis Epiſcopi in fine. Claruit temp. Honorij & Valentiniani Impp.

[g] Aureliæ. ] Tabulæ eccleſiæ Argentinen. ex quibus hac die Molanus & Galeſinius.

[h] Heduuigis. ] Huius res præclarè geſtæ extant deſcriptæ apud Surium tomo 5. Chromer. libro 7. & alios. Migrauit ex hac vita anno à Chriſto Domino 1243. & relata eſt inter Sanctos anno 1267. tranſlatum eſt autem corpus eius anno ſequenti.

[i] Theclæ. ] Habetur mentio de eadem in Actis ſancti Bonifacij Epiſcopi Moguntini apud Sur. tom. 3. die 5. Iunij, & Trithem. de viris illuſtr. ord. ſancti Benedicti lib. 3. cap. 172.

Deci-

16 Decimoſeptimo Kal. Nouemb. Luna. B vij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | | | |

IN Africa ſanctorum Martyrum [a] ducentorum ſeptuaginta pariter coronatorum. Ibidem ſanctorum Martiniani & Saturiani, cum duobus eorum fratribus: qui tempore VVandalicæ perſecutionis ſub Geiſerico Rege Ariano, cùm eſſent ſerui cuiuſdam VVandali, à ſancta Maxima virgine, eorum conſerua, ad Chriſti fidem conuerſi, pro conſtantia fidei Catholicæ primùm nodoſis fuſtibus cæſi ſunt, & vſque ad oſſa laniati: ſed cùm multo tempore talia paterentur, & ſequenti die nihilominùs ſemper incolumes redderentur, exilio tandem relegantur: vbi cùm multos barbarorum ad fidem Chriſti conuertiſſent, & à Romano [b] Pontifice preſbyterum, alioſque miniſtros, qui eos baptizarent, obtinuiſſent, nouiſſimè vinctis pedibus poſt terga currentium quadrigarum, inter ſpinoſa loca ſiluarum iuſſi ſunt pariter interire: Maxima verò poſt multos ſuperatos agones diuinitus liberata, in monaſterio multarum virginum mater ſancto fine quieuit. Item ſanctorum Saturnini [c], Nerei, & aliorum trecentorum ſexagintaquinque martyrum. Coloniæ ſancti Eliphij [d] martyris ſub Iuliano Apoſtata. Item ſancti Bercharij [e] abbatis & martyris. In territorio Bituricenſi ſancti Ambroſij [f] Epiſcopi Caturcenſis. Moguntiæ ſancti Lulli [g] Epiſcopi & confeſſoris. Treuiris ſancti Florentini [h] Epiſcopi. Apud Arbonam in Germania ſancti Galli [i] abbatis, diſcipuli beati Columbani.

## OCTOBRIS 16.

DVCENTORVM ſeptuaginta [a]. ] De his hac die Vſuardus, Ado, & alij, Beda autem die ſequenti. Agit de his Victor lib. 1. de perſec. Wandalica, ex quo ceteri accepiſſe noſcuntur.

[b] A Romano Pontifice. ] Rem geſtam exactè pluribuſque deſcribit Victor lib. 1. de perſec. Wandal. Ex his alijſque certiſſimis teſtimonijs tum eiuſdem Victoris, tum aliorum, certa exploratáque redditur vera ſinceráque Africanæ eccleſiæ cum Romana communicatio: vt ſcias falſam eſſe & adulterinam epiſtolam illam, quæ fertur nomine Bonifacij Secundi Romani Pontific. ad Eulalium Epiſcopum Alexandrinum, quæ edita habetur tomo 2. Concil. recentioris edit. qua dicitur, à temporibus Bonifacij & Cæleſtini Rom. Pontific. Africanam eccleſiam operâ Aurelij Epiſcopi Carthaginenſis ſchiſmate diuiſam eſſe ab Eccleſia Romana, nec vlteriùs illi communicaſſe vſque ad tempora Bonifacij Papæ Secundi, quando Eulalius Epiſcopus Carthaginenſis pro ineunda cõcordia & recuperanda Romanæ Eccleſiæ communione libellum ſupplicem prædicto Bonifacio obtulerit, ac ſic ad communionem redierit. Intercurrunt à Bonifacij Primi temporibus, quando conflatum dicitur ſchiſma, vſque ad Bonifacium Secundum, centum anni atque ampliùs, quo temporis ſpatio ex prædictarum literarũ ſententia Africana eccleſia in ſchiſmate fuiſſe dicitur. Si hæc vera ſunt, certè quidem expungendi eſſent ex albo Sanctorum, quotquot martyres & confeſſores illo ipſo tempore in Africana eccleſia ſunt coronati martyrio, vel egregiæ ſanctitatis meritis claruere: quos ipſos S. R. Eccleſia in ſuo Martyrologio vel inter martyres numerauit, vel inter confeſſores adſcripſit;



Google

cùm exploratiſſimum ſit mille ſententijs Cypriani, Auguſtini, & aliorum omnium ſanctorum Patrum, extra Eccleſiæ vnitatem nec poſſe eſſe martyrium, nec aliquam ſanctitatem. Quin ampliùs ex collegis Aurelij, qui ea epiſtola in crimen vocantur, inter alios fuiſſe conſtat ipſum Patrem ſanctiſſimum Auguſtinũ, Catholicę Eccleſię iubar fulgentiſſimum; qui vt eadem caligine ſchiſmatis obſcuratus, è claſſe S.E. Doctorum, è numero ſanctorum, necdum ex Martyrologio, ſed & è ſacro Romanæ Eccleſiæ Kalendario (ſi illæ veræ ſunt litteræ) delendus eſſet: nam poſt prędictum Aurelium, intra præfatum temporis ſpatium ipſum deceſſiſſe, certiſſimum eſt. Quid numerem Fulgentios, Eugenios, & alios ferè innumeros clariſſimos ſanctitate & doctrina viros, eadem cum prædictis ſorte cenſendos? Ecce in quod diſcrimẽ vnus Iſidorus Mercator, illarum epiſtolarum collector, res noſtras adduxit: vt ea ex parte periclitari videatur Eccleſia, ſi quæ ipſe collegit, vel potiùs effinxit, firma certaque eſſe dixerimus. Teſtimonium illi perhibeo (vtar verbis Apoſtoli) quod zelum habuit, ſed non ſecundũ ſcientiam; vt quia ſibi viſa eſt paulò ardẽtior altercatio Aurelij Epiſcopi Carthaginenſis, Auguſtini, & aliorum Africanorum Epiſcoporum cum Bonifacio & Cæleſtino Romanis Pontificibus in cauſa Apiarij presbyteri; ea epiſtola nomine Bonifacij conficta, ſarciendum, quod ſciſſum putabat, exiſtimarit. Faceſſant hęc: non innititur, vel ſulcitur paleis Dei Eccleſia, quę eſt columna & firmamentum veritatis. Sed detegamus technam, & aperiamus impoſturam, vt omni ex parte ſit Catholicæ veritati conſultum. Primùm itaque omnium noſſe debemus, quòd etſi inter Epiſcopos Africanos & prædictos Romanos Pontifices Bonifacium & Cæleſtinum ea eſt exorta cõtentio: non tamen eò progreſſa eſt, vt rupta Catholica vnitate, factum ſit ſchiſma: nam vltimæ litterę Africanorum Epiſcoporum in ea cauſa ad Cæleſtinum conſcriptæ, quæ recitantur in Concilio Africano cap. 105. hæc mutuæ communionis verba habent in fine poſita: Dominus noſter ſanctitatẽ veſtram æuo longiore orantem pro nobis cuſtodiat, domine frater. Hæc ibi. Erant hæc in ſcribendo mutuæ pacis atque concordiæ ſymbola, quæ ponebantur in Formatis atque communicatorijs litteris: quæ nequaquam dari conſueuerant ad ſchiſmaticos, ſed tantùm ad Catholicos, vt ſcribit Auguſt. ad Gloriũ epiſt. 162. & ad Eleuſium epiſt. 163. Rurſus etiam quod ſpectat ad ipſum Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum, qui, vt auctor ſchiſmatis, ea damnatur epiſtola; ſatis ſit in teſtimonium veritatis adducere ſanctum Proſperum Aquitanum, virum illorum temporũ eruditum & ſanctum, qui in lib. de promiſ. & prędic. c. 38. occaſione quadam prędictum Aurelium nominans, eiuſmodi ornat elogio: Pater, & dignæ memoriæ nominandus Antiſtes Aurelius, cęleſtis iam patriæ ciuis, &c. Hęc ille: digna quidem, quæ non ſchiſmatico, ſed homini qui in pace & cõmunione Catholica & magna opinione ſanctitatis diem clauſerit, tribuantur. De Auguſt. collega Aurelij audiamus eiuſdem Cęleſtini Papę teſtimoniũ, qui ſcribens ad Epiſcopos Gallię, hęc de ipſo c. 2. Auguſtinum, ſanctę recordationis virum, pro vita ſua atque meritis in noſtra communione ſemper habuimus, nec vmquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit, &c. Rurſus etiam Capreolum Epiſc. Carthaginenſem ſucceſſorem Aurelij per litteras atque legatos communicaſſe certũ eſt SS. œcumenico Epheſino Concil. cuius legatio honorificentiſſimè eſt ſuſcepta, & Cyrilli Epiſcopi Alexandrini Apoſtolicæ ſedis legati pręconijs commendata, vt ex Actis eiuſdem Synodi recitat Vincent. Lerinen. aduerſ. hæreſ. cap. 42. & 43. De ceteris ſucceſſoribus Africanis Epiſcopis, eorumque vſu, conſuetudine, & communicatione cũ Romanis Pontificib. qui poſteà ſucceſſerunt, certa indubitataque ſunt teſtimonia. Ad ipſos enim de nonnullis rebus dubijs conſulentes S. Leo Papa ſcripſit egregiam epiſtolam decretalem 85. Tempore item Hilari Papæ, ſucceſſoris Leonis, reperiuntur Epiſcopi Africani interfuiſſe Romano Concilio. Quid etiam memorem de communione Symmachi Papæ cum Africanis Epiſcopis, cùm omnes in Sardiniam inſulam à Traſamundo Ariano Rege relegatos idem Pontifex pauerit, atque veſtierit? Et (vt multa prętéream) illis ipſis temporibus, quibus eamdem Africanam eccleſiam dira Arianorum Wandalorum perſecutio perurgebat, inde ea miſſa eſt legatio ad Rom. Pontificem, de qua hîc mentio habetur in Martyrologio. Acturis inſuper in publico conuentu Africanis Epiſcopis Orthodoxis cum Arianis, vide quale teſtimoniũ coram ipſis S. Eugenius Carthaginenſis Epiſcopus de Eccleſia Romana protulerit: Scribam, inquit, & ego fratribus meis, vt veniãt Epiſcopi mei, qui vobis nobiſcum communem fidem noſtram valeant demonſtrare, & præcipuè Eccleſia Romana, quæ eſt caput omnium eccleſiarum. Hæc S. Eugenius apud eumdem Vict. lib. 2. de perſec. Wand. Nec prætermittam, apud eumdem auctorem lib. 1. legi, quòd ipſi Ariani Africanos Catholicos appellabant Romanos, non alia de cauſa, quàm ex communione cum Romana Eccleſia. vnde vnus ex illis, Iocundus nomine, hæc ad Theodoricum Regis filium: Poteris, inquit, eum diuerſis afflictionibus interficere: nam ſi gladio peremeris, incipient Romani martyrem prędicare. Hæc ille. Porrò non tantùm Ariani, qui erant in Africa, ipſos Orthodoxos, ne Catholicos dicerent, Romanos appellabant, ſed & vbique gentium: vnde Gregor. Turon. de glor. mart. c. 25. cùm agit de Ariano principe: Cogitauit, inquit, intra ſe, dicens: Quia ingenium eſt Romanorum (Romanos enim vocitant homines noſtræ religionis) vt ita accidat, & non ſit virtus Dei, &c. Idem c. 79. de Arianis qui erant in Gallijs: Quid putatis (dicebat vnus ex illis) quod nunc iſti Romani dicant? &c. Et c. 30. Si, inquit, conſenſeris dictis meis, exercemus hodie cachinnum de hoc Romanorum presbytero, &c. hoc eſt, Catholico ſacerdote. Sunt de his & alia teſtimonia: vt non mireris, ſi recentiores hęretici Catholicos homines Papiſtas dicant, cùm Ariani eadem ratione Romanos conſueuerint Catholicos appellare: ſed certè nullo ſublimiori glorię titulo exornare, nec certiùs eos eſſe Catholicos demonſtrare potuiſſent, quàm eos nuncupare Romanos, atque Papiſtas; nam (vt conſtat ex Optato aduerſus Parmenianum, ex Cypriano de vnit. Eccleſię, & alijs tam Latinis, quàm Græcis ſanctis Patribus) nullo certiori ſigno, quàm ex communione cum Romano Pontifice, quis ſit Catholicus verus, poſſit agnoſci. Sint igitur nobis viuentibus hæc ſemper præconia laudum, & poſt mortem

tituli

tituli ſepulchrales, vt Romani ſic ſemper dicamur, atque Papiſtæ. Sanè quidem & ipſi Imperatores in ſuis litteris, honoris cauſa, Catholicam fidem religionem Romanā appellant. vnde Theodoſius Imp. in epiſt. ad Acacium Epiſcopum Berœenſem hæc ait: Voſque probatos Romanæ religionis ſacerdotes eſſe, manifeſto argumento declarate. Extat ea epiſtola in Actis Concil. Epheſ. edit. Pelt. tom. 5. c. 10. Sed vt eò, vnde digreſſa eſt, oratio reuertatur: ipſas iam confictas nomine Bonifacij Papę litteras attendamus. Inſcriptę in primis habentur ad Eulalium Epiſcopum Alexandrinum. ſanè quidem non tantùm prædicti Bonifacij Papæ temporibus nullus eius nominis in Alexandrina eccleſia ſediſſe repentur (ſedit namq. eo tēpore Timotheus, eius nominis tertius, idemque hęreticus) ſed nec prioribus vel poſterioribus temporibus aliquis eius ſedis Epiſcopus nominatus reperitur Eulalius ab his qui ſcripſerunt catalogum Epiſcoporum Alexandrinorum. Quòd inſuper in eadem epiſtola mentio habetur de altero Eulalio tunc Epiſcopo Carthaginenſi, qui libellum pro communione adipiſcenda Bonifacio dicitur obtuliſſe: ignorauit, qui illa finxit, res illorum temporum geſtas in Africa: quando regnante Gilimere Rege Ariano, nullus erat relictus in Africa Orthodoxus Antiſtes; qui anteà fuerant exturbati, nec eò ſunt ampliùs reuerſi, donec, capto Gilimere, Iuſtinianus Imp. debellata Africa, pulſis Arianis, omnes eccleſias reſtituit Orthodoxis. Ecce ex prędictis omnibus litterarum illarum impoſturam, & merces Mercatoris agnoſcis, & quauis luce clariorem teſtatam habes communionem Africanæ eccleſiæ cum Romana numquam interruptam, vel interciſam, ſed ſemper integram perſeuerantem. Conati hæc pluribus ſumus, quàm inſtituti ratio poſtulare videretur, ſed neceſſariò tamen, vt integritati Romani Martyrologij aduerſus quaſcumque calumnias obtrectantium hæreticorum poſſit eſſe conſultum.

[c] Saturnini & ſociorum] De his vet. manuſcripta, in quorum aliquibus Saturnino additur nomen preſbyteri. Quando paſſi ſint, non inuenimus: dicere necatos eſſe in perſecutione Wandalica, diuinare eſt, cùm nullius auctoritate probetur.

[d] Eliphij.] Beda, Ado, & alij hac die. Deſcripſit eius Acta ex priſcis monumentis Rupertus abbas Tuitienſis, quæ retulit Sur. in tom. 5. De Iuliano, dum eſſet in Gallijs cum exercitu, duo ſunt tempora conſideranda: prius, cùm ſe non tantùm Chriſtianum eſſe (vt ſcribit Ammianus Marcellinus) ſacros Chriſtianorum conuentus adiens, profitebatur, ſed (vt ſcribit S. Hilarius contra Conſtantium) Catholicis aduerſus Arianos fauebat: poſterius autem tempus, quando ab exercitu acclamatus Imperator, exuens hypocriſim, palàm deos Gentilium coluit, vt ipſe teſtatur in epiſt. 39. ad Maximum philoſophū, quam tunc ſcripſit, cùm adhuc eſſet in Gallijs, quę inter alia hęc habet in fine: Deos publicè & palàm colimus, & totus meus exercitus pietatem amat. nos apertè boues immolamus, dijs gratias agimus multis hecatombis: me iubent dij piè ac caſtè, quoad potero, viuere: ego verò ſtudeo eis placere, & quidem libenti animo: magnos fructus laborum pollicentur, niſi ſegniter agamus. Hæc impius Apoſtata. Inde autem recedens, Galliarum nobiliſſimam præfecturam legauit Salluſtio, vt idem Ammianus teſtatur, qui quidem de Chriſtianis ſæuiſſimas habuit quæſtiones. De eodem Eliphio mētio habetur in vita S. Annonis Epiſcopi Colonienſ. lib. 2. c. 18. apud Sur. tom. 6. die 4. Decembris.

[e] Bercharij abbatis] De cuius natali die & martyrio accepto ſcribit Trithem. de vir. illuſtr. ord. S. Benedicti lib. 3. c. 109. Vincent. lib. 24. c. 114. & 115. ex quo Sur. tom. 5. quem claruiſſe tradunt anno Domini 660. De eodem Sigebert. in chronic. ſcribit hæc verba anno 661. Bercharius quoque martyr, qui fuit abbas primus Altiuilarenſis, &c. Ne quis autem ſimilitudine nominis, ordinis, tituli, & miniſterij decipiatur; ſcire debet, fuiſſe & Bertharium abbatem Caſſinenſem æquè martyrem, necatum, à Sarracenis ante altare S. Martini in cœnobio Caſſinenſi, anno Domini 884. vt ſcribit Leo Oſtien. in chron. Caſſin. lib. 1. c. 35. 46. & 47. Petrus diac. lib. de vir. illuſtr. mon. Caſſin. cap. 12. & Trithem. de vir. illuſtr. ord. S. Benedicti lib. 3. c. 321.

[f] Ambroſij Epiſc. Caturc.] De eodem hac die Vſuardus, conſentiuntque manuſcripta.

[g] Lulli Epiſcopi.] Huius Acta ex Breuiario Moguntino deſcripſit Sur. tom. 5. Plura etiam habentur in vita S. Bonifacij Epiſc. Mogunt. in Actis S. Burchardi, in epiſtola Zachariæ Papæ ad Boniſac. De eodem meminerunt Carolus Magnus Imp. in diplomate priuilegij eccleſiæ Bremenſis apud Crantz. in Saxon. lib. 2. cap. 15. Vincentius lib. 23. c. 137. nouiſſimè Trithem. de vir. illuſtr. ord. S. Benedicti lib. 3. c. 193 & lib. 4. c. 78. Migrauit ex hac vita anno Domini 787. cùm sediſſet annos 32. creatus eſt enim Epiſcopus (vt ſcribit Marian. Scot.) anno Domini 755.

[h] Florentini Epiſcopi] Fuit hic viceſimuſtertius eius ſedis Epiſcopus, ſucceſſitque S. Seuerino, vt docent tabulæ eius eccleſiæ, quas deſcripſit Demochares.

[i] Galli abbatis.] De eodem hac die Vſuardus, Ado, & alij recentiores. Scripſit huius res geſtas (vt auctor eſt Sigebert. de vir. illuſtr. cap. 71.) Walfridus Strabo: extant apud Surium tom. 5. Migrauit ex hac vita anno Domini 640. De eodem Trithem. de vir. illuſtr. ord. S. Benedicti lib. 3. c. 76. & alij plures.

vj. C Sextodecimo Kal. Nouemb. Luna. 17

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | | | |

ANTIOCHIÆ natalis ſancti Heronis [a] diſcipuli beati Ignatij, qui poſt eum factus Epiſcopus, viam magiſtri pius imitator ſecutus, pro commendato ſibi grege amator Chriſti occubuit. Eodem die paſſio ſanctorum Victoris [b], Alexandri, & Mariani. In Perſide ſanctæ Mameltæ [c] martyris, quæ à cultu idolorum ad fidem angelico monitu conuerſa, à Gentilibus lapidata eſt, & in profundum lacum demerſa. Conſtantinopoli ſancti Andreæ [d] Cretenſis monachi, qui ob cultum ſacrarum imaginum ſub Conſtantino Copronymo ſæpiùs verberatus, tandem amputato altero pede, reddidit ſpiritum. Arauſicæ in Gallia ſancti Florentini [e] Epiſcopi, qui multis clarus virtutibus quieuit in pace. Capuæ ſancti Victoris [f] Epiſcopi, eruditione & ſanctitate conſpicui.

## OCTOBRIS 17.

[a] HERONIS. ] Agunt de eodem Vſuardus, Ado, & alij recentiores. Ad hunc extat ſancti Ignatij epiſt. 13. Meminit eiuſdem Euſebius in chron. & hiſtor. libro 3. cap. 30. Nicephorus Epiſc. in chronic. Nicephor. Calliſt. hiſtor. libro 3. c. 15. Legi eiuſdem Heronis ad ſanctum Ignatium iam martyrio coronatum piam valdè interpellationem, quam ex Vaticana bibliotheca fideliter exſcriptam retulimus in Annal. Eccleſ. Tom. 2. 46.

[b] Victoris & ſociorum. ] Petrus in catalog. libro 11. vet. manuſcript. & alij recentiores de iiſdem hac die.

[c] Mameltæ. ] Græci autem de Mamelta agunt in dicto Menologio ad tertium Nonas Octobris, vbi & eius res geſtas paucis deſcribunt, prout hic etiam enarrantur.

[d] Andreæ Cretenſis. ] De eodem hac die Græci agunt in Menologio. Eius facta egregia edidit Metaphraſtes, ex quo Lipom. tomo 6. & Surius tom. 5. De eo prætereà Zonaras tom. 3. Annal. hiſtor. Miſcel. ex Theophane, & Cedren. in comp. anno vigeſimoprimo Conſtantini Copronymi. Hic Andreas licet Cretenſis dictus ſit, longè tamen diuerſus ab illo eſt, qui celebris eſt inter Græcos ſcriptores Eccleſiaſticos, cuius celebritas agitur in Menologio quarto Nonas Iulij.

[e] Florentini Epiſc. ] De eo etiam Vſuard. Ado, & alij recentiores; conſentiuntq. manuſcr. Numeratur vigeſimustertius eius ciuitatis Epiſcopus in tab. Demochar. prędeceſſor S. Agritij, qui interfuit Concilio Arelatenſi ſecundo. Porrò hac item die in ciuitate Caſtellana apud Veientes agitur ſolemnitas ſancti Florentij martyris, vbi etiam eius ſacræ reliquiæ aſſeruantur.

[f] Victoris Epiſcopi. ] Beda de ratione temp. cap. 49. appellat hunc ſanctiſſimum & doctiſſimum virum; eiuſdem meminit Ado in chronic. anno 527. & Marian. Scot. anno 560. Vixit temporibus Iuſtiniani Imp. confutauitque Paſchalem cyclum Victorij, ſeu Victorini Aquitani, vt idem Beda teſtatur: ex quibus omnibus errare conuincitur Trithem. qui eum vixiſſe ſcribit anno 480. ſub Zenone Imperatore. Errat & Sigebert. qui de vir. illuſtr. cap. 20. ipſum Victorinum Aquitanum, iubente Honorio Papa, ſcripſiſſe teſtatur: nam iubente Hilaro Papa, ſcripſit, vt tradit Gennadius de viris illuſtr. cap. 88. Victoris Capuani Cyclus receptus ac comprobatus fuit in quarta Synodo Aurelianenſi canon. primo & ſecundo. Extat eiuſdem Victoris pręfatio in Conſonantiam Euangel. Tatiani Alexandrini.

Quin-

18 Quintodecimo Kal. Nouemb. Luna. D v.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | | | |

NATALIS beati Lucę[a] Euangeliſtę, qui multa paſſus pro Chriſti nomine, Spiritu ſancto plenus obijt in Bithynia: cuius oſſa Conſtantinopolim tranſlata ſunt, & inde Patauiũ delata. Antiochiæ S. Aſclepiadis[b] Epiſcopi, qui vnus fuit ex præclaro martyrum numero, qui ſub Macrino glorioſè paſſi ſunt. In territorio Beluacenſi ſancti Iuſti[c] martyris, qui adhuc puer in perſecutione Diocletiani ſub Rictiouaro Præſide cæſus eſt. Neocæſareæ in Ponto ſancti Athenodori[d] Epiſcopi, fratris ſancti Gregorij Thaumaturgi; qui doctrina clarus, in perſecutione Aureliani martyrium conſummauit. In Meſopotamia ad ripam Euphratis ſancti Iuliani[e] eremitæ. Romæ ſanctæ Tryphoniæ[f], vxoris quondam Decij Cæſaris, quæ in crypta iuxta ſanctum Hippolytum ſepulta eſt.

## OCTOBRIS 18.

LVCÆ[a].] De eodem Beda, ac ceteri Latinorum, necnon & Grçci hac die. Meminit Lucæ Paulus ad Coloſ. cap. 4. ad Tim. 2. c. 4. & ad Philem. Licet autem aliqui dixerint hunc eumdem eſſe cum Lucio, de quo Paul. ad Rom. c. 16. tamen Origenes, quem ſecuti ſunt plurimi, diuerſum eſſe putat, idq. Grçci in Menolog. x. Kal. Maij expreſsè profitentur. De Luca Euangeliſta Euſeb hiſt. lib. 3. c. 4. & 18. Hieron. de ſcript. Eccleſ. Auctor, qui dicitur Iſidorus, de vit. & obit. ſanct. c. 84. & alij omnes, qui in eius Euangelium ſcripſere commentarios. Auctor eſt S. Epiphan. hçreſ. 51. fuiſſe Lucam vnum ex ſeptuagintaduobus diſcipulis, prçdicaſſeq. Euangelium in Gallijs, Italia, Dalmatia, ac Macedonia. An autem martyrio fuerit coronatus, dubium relictum videtur, eò quòd ſanctus Hieronymus ſcribens eum vixiſſe annos octogintaquatuor, de martyrio nihil dicat; quod idem qui ſuprà apud Iſidorum, & Grçci in Menologio, ea ętate obdormiſſe in Domino profitentur; id ipſum etiam Metaphraſtes in ſermone de S. Luca. At Gregorius Nazianzenus, in oratione prima in Iulianum, inter martyres eum recenſuiſſe videtur, cùm in Iulianum his verbis inuehitur: Non victimas pro Chriſto cæſas veritus es, non magnos pugiles extimuiſti? Ioannem illum, Petrum, Paulum, Iacobum, Stephanum, Lucam, Andream, Theclam, &c. Ex Græcorum hiſtoricis Nicephorus id expreſsè profitetur, qui & genus martyrij deſcribit libro 2. cap. 43. & Glycas libro 3. Annal. Latinorum autem Patrum S. Paulinus Nolanus ad Seuerum epiſt. 12. his verſibus:

*Hic pater Andreas, & magno nomine Lucas*
*Martyr, & illuſtris ſanguine Nazarius.*

Itemq. ſanctus Gaudentius Epiſcopus Brixianus in ſerm. habito in dedic. eccleſ. hæc ait: Horum quatuor habemus in præſenti reliquias; qui regnum Dei & iuſtitiam prædicantes, ab incredulis & iniquis occiſi, Deo ſemper viuere operationum ſuarum virtutibus demonſtrantur: Ioannes in Sebaſte prouinciæ Palæſtinæ, Thomas apud Indos, Andreas & Lucas apud Patras Achaiæ ciuitatem conſummati referuntur. Hæc Gaudentius. De eius reliquiarum tranſlatione ſuperiùs actum eſt. Extant de eo varij ſermones Metaphraſtis, & Petri Damiani apud Sur. tom. 5. Alium habemus manuſcript. S. Bertharij abbatis: incipit: Cùm in diuinis, &c.

[b] Aſclepiadis.] De quo Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Euſebius in chronic. cùm ipſum refert ſub Antonino Caracalla, eiuſque ſucceſſorem Philetum ſub Macrino Imp. ad ea vſque tempora perueniſſe demonſtrat; idem & in hiſt. Eccleſ. libro 6. cap. 10. & 15. De eodem agit Hieronym. de ſcript. Eccleſ. cap. 38. in Clemente Alexandrino, vbi meminit de epiſtola ſancti Alexandri Epiſcopi Ieroſolymorum de ordinatione Aſclepiadis confeſſoris, cùm eam ſedem accepiſſet. Nicephorus item lib. 4. cap. 19. & lib. 5. cap. 10. & 26. Ex quibus omnibus manifeſti erroris arguuntur Vſuardus, Ado, & alij eos ſecuti, qui eum in perſecutione Decij paſſum dicunt.

[c] Iuſti.] De eodem agunt hac die Vſuardus, & alij recentiores. Alij hunc Iuſtinum appellant, cuius Acta rhythmo conſcripta extant apud Bedam tom. 3. Petrus in catalog. libro 9 cap. 80. eadem deſcripſit, & Mombrit. tom. 2. & Surius tom. 5. hac die.

[d] Athe-

[d] Athenodori Epiſc.] Duo penes Græcos eiuſdem nominis reperiuntur martyres, quorum alterum vij. Idus Nouembris, alterum verò ad ſeptimum Idus Decembris celebrant. Hic autem, de quo agimus, non ſub Decio, vel Valeriano (vt in quibuſdam codicibus mendosè legitur) ſed ſub Aureliano paſſus eſt: ad ea enim vſque tempora eum perueniſſe conſtat; nam reperitur interfuiſſe Concilio Antiocheno aduerſus Paulum Samoſatenſem temporibus eiuſdem Aureliani Imp. habito, vt conſtat ex Euſeb. hiſt. lib. 7. c. 22. qui & de eodem ſuprà lib. 6. c. 17. Hieron. de ſcrip. Eccleſ. in Theodoro, qui & Greg. Thaumaturgus dictus eſt, Niceph. lib. 5. c. 20. Suida in Origene, & alijs. Ille alter Athenodorus fuit ex Meſopotamia Syriæ, paſſuſque eſt temporibus Diocletiani ſub Eleuſio Præſide, vt conſtat ex eorum Menologio.

[e] Iuliani.] Agunt de eodem hac die Græci in Menologio.

[i] Tryphoniæ.] De eadem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores, ijdemque ex Actis ſancti Laurentij. Cùm autem hæc dicatur vxor Decij; potiùs filij, qui cum patre imperauit, quàm maioris Decij coniugem puto: nam Decij patris vxor Herennia Salluſtia dicta eſt; niſi dixerimus, plures illum habuiſſe vxores.

## iiij. E Quartodecimo Kal. Nouemb. Luna. 19

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | | | |

ROMÆ natalis ſanctorum martyrum Ptolemæi [a] & Lucij, ſub M. Antonino: quorum prior (vt ſcribit Iuſtinus martyr) cùm impudicam mulierem ad fidem Chriſti conuertiſſet, & caſtitatem colere docuiſſet, ab impuro viro apud Præfectum Vrbicium accuſatus, multo tēpore ſqualore carceris maceratus eſt, & ad vltimū cùm de Chriſti magiſterio publica confeſſione teſtaretur, iuſſus eſt duci ad mortem. Lucius quoque cùm Vrbicij ſententiam improbaret, & ſe Chriſtianum liberè fateretur, ſimilem ſententiam excepit: quibus & alius tertius adiunctus eſt, qui etiam eodem ſupplicio damnatus fuit. Antiochiæ ſanctorum martyrum Beronici [b], Pelagiæ virginis, & aliorum quadragintanouem. In Ægypto S. Vari [c] militis, qui ſub Maximino Imperatore dum ſanctos ſeptem [d] monachos in carcere detentos viſitaret, atque reficeret, vno ex ipſis defuncto, in eius locum ſubrogari voluit, & cum illis ſæuiſſima paſſus, martyrij palmam adeptus eſt. Ebroicis ſancti Aquilini [e] Epiſcopi & confeſſoris. In territorio Aurelianenſi depoſitio ſancti Verani [f] Epiſcopi. Apud Salernum ſancti Euſterij [g] Epiſcopi. In Hibernia ſancti Ethbini [h] abbatis. Oxonij in Anglia ſanctæ Fredeſwindæ [i] virginis.

## OCTOBRIS 19.

PTOLEMÆI & Lucij [a].] De his hac die Beda, Vſuard. Ado, & alij recentiores; qui dum habent eos paſſos eſſe Alexandriæ, errare noſcuntur: nam S. Iuſtinus martyr, qui in oratione ad Senatū Romanum eorum martyrium narrat, eoſdem Romæ martyrio coronatos eſſe demonſtrat: De his item Euſebius lib. 4. cap. 16. Niceph. lib. 3. cap. 33. ac ceteri omnes ex eiuſdem Iuſtini auctoritate. Fuit & alius Ptolemæus diſcipulus ſancti Petri, idemque martyr: qui ordinatus Epiſcopus ab eodem Petro, in Tuſciam miſſus eſt prædicare Euangelium; qui & martyrio coronatus eſt ix. Kal. Septembris, vt eius Acta declarant, quæ accepimus ab eccleſia Nepeſina, quibus etiam complures adſtipulantur auctores.

[b] Beronici & ſoc.] De his itē Beda, Vſuar. Ado, & alij. Licet Beda hic agens de Pelagia, confundat cum illa pœnitente, de qua ſuprà die 8. huius.

[c] Vari.] Agunt de eodem etiam Græci hac die in Menologio. Eius tamen martyrij Acta deſcripta à Metaphraſte retulit Lipom. in tomo 6. & Sur. tom. 5.

[d] Septem monachos.] Complures monachos ſub Maximino martyrio coronatos eſſe, non tantùm ex Martyrologijs & Menolog. expreſſum habes,

habes, ſed apud Euſebium hiſt. lib. 8. Porrò ipſum monachorum inſtitutum non recens, ſed ab initio naſcentis Eccleſiæ viguiſſe, ex his quæ ſcribit Philo de Eſſæis, & quæ habet Dionyſ. Areop. & alij, facilè colliges. licet nomen ipſum non adeò vetus fuerit; vnde Auguſtinus in Ioan. tract. 97. ſic ait: Monaſteria & xenodochia poſteà ſunt appellata nouis nominibus; res autem ipſæ ante ſua nomina erant.

[e] Aquilini Epiſc. ] De quo Beda & alij eum ſecuti. Res ab eo geſtas conſcriptas ad ſanctum Audoënum Epiſcopum recitat Surius tom. 5. Sedit annis 24. Claruit temporibus Clodouei Regis Francorum, ac filiorum eius.

[f] Verani Epiſc. ] Licet hic ponatur in territorio Aurelianenſi; tamen cùm in tabulis Epiſcoporum Aurelianenſium nullus eius nominis reperiatur ſcriptus Epiſcopus, ſuſpicor interim, hunc illum eſſe Veranum famâ celebrem Epiſcopum Cabilonenſem, cuius meminit Gregorius Turon. hiſt. Franc. lib. 5. cap. 31. & lib. 9. cap. 4. vbi hęc de ipſo: Erat enim eo tempore ipſe Pontifex magnis virtutibus prędıtus; ita vt plerumque infirmis ſignum Crucis imponens, ſtatim ſanitatem, tribuente Domino, reſtitueret. Hæc Greg. Claruit temporibus Childeberti Regis Franc. circa annum Domini 580. Fuit eiuſdem nominis Epiſcopus Lugdunenſis, de quo inferiùs ad tertium Idus Nouembris. Fuit prætereà alius S. Veranus Epiſcopus Vencienſis ex monacho Lerinenſi, diſcipulus S. Hilarij Arelatenſis Epiſcopi: quieuiſſe ponitur in Domino quarto Idus Septembris. Fuit inſuper alius S. Veranus Epiſcopus Cauillicenſis, qui vt patronus eiuſdem eccleſiæ religiosè colitur. ſubſcriptus reperitur Veranus Cauillicenſis ſecundo Concilio Matiſconenſi, quod celebratum eſt anno Domini 588.

[g] Euſterij Epiſc. ] Tab. eccleſię Salernitanę, ac vet. monumenta eiuſdem Romam allata vidimus, necnon eiuſdem eccleſiæ Breuiariū. Reconditum eſt eius corpus in eccleſia cathedrali in crypta inferiori, ſub altaris Confeſſione, vbi & poſita ſunt aliorum ſanctorum Epiſcoporum eiuſdem ciuitatis veneranda corpora, vt Bonoſij Epiſcopi, cuius dies natalis illic agitur 13. Maij, Gramatij Epiſcopi, de quo 11. Octobris, Valentiniani Epiſcopi, quem celebrant 3. Nouembris, itemque Veri & Euſtertij Epiſcoporum, de quibus inferiùs agitur. Aſſeruantur ibidem aliorum ſanctorum confeſſorum corpora, vt Elpidij, Cionij, & Elpigij, quorum celebritas agitur 24. Maij; itemque Cyrini & Quingeſij, quorum agitur dies anniuerſaria 5. Decemb. Hęc ex antiquis eius eccleſiæ monumentis exſcripſimus.

[h] Ethbini abb. ] Eius vita extat apud Sur. tom. 5. hac die, Petr. in catal. lib. 9. c. 84. Trithem. de vir. illuſtr. ord. S. Bened. lib. 3. c. 54. eumque vixiſſe ait anno Domini ſexcenteſimo decimo.

[i] Fredeſuuindę. ] De ea tabulę eccl. Oxonienſis, vnde & Molan. hac die in addit. ad Vſuard.

## 20 Tertiodecimo Kal. Nouemb. Luna. F iij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | .23 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |

IN Auienſi ciuitate in Veſtinis apud Aquilam natalis beati Maximi [a] leuitæ & martyris, qui patiendi deſiderio inquirentibus ſe perſecutoribus palàm oſtendit, & poſt reſponſionis conſtantiam equuleo ſuſpenſus ac tortus, deinde fuſtibus cæſus, ad vltimum è ſublimi loco præcipitatus occubuit. Agenni in Gallia ſancti Capraſij [b] martyris, qui cùm rabiem perſecutionis declinans lateret in ſpelunca, tandem audiens qualiter beata Fides virgo pro Chriſto agonizaret, animatus ad tolerantiam paſſionum orauit ad Dominum, vt, ſi eum gloria martyrij dignum iudicaret, ex lapide ſpeluncæ limpidiſſima aqua manaret: quod cùm Dominus præſtitiſſet, ſecurus ad aream certaminis properauit, & palmam martyrij ſub Maximiano fortiter dimicando promeruit. Antiochiæ ſancti Artemij [c] Ducis [d] Auguſtalis, qui ſub Conſtantino Magno præclaris militiæ honoribus functus, à Iuliano Apoſtata, quem ſæuitiæ in Chriſtianos arguerat, fuſtibus cædi, aliiſque tormentis affligi, ac demum capite truncari iubetur. Coloniæ paſſio ſanctarum virginum Marthæ [e] & Saulæ, cum aliis pluribus. Apud Mindam

natalis

natalis S. Feliciani [f] Epiſcopi & martyris. In Luſitania ſanctæ [g] Irenes virginis & martyris. Pariſijs ſanctorum Georgij [h] diaconi, & Aurelij. In pago Rhemenſi ſancti Sindulphi [i] confeſſoris.

## OCTOBRIS 20.

MAXIMI Leuitæ [a].] De eodem Vſuardus hac die, & alij recentiores: Petrus io catal. libro 9. cap. 85. paſſum refert temporibus Decij Imp. Eius martyrij Acta, atque tranſlationis hiſtoriam manuſcriptam accepimus ab eccleſia Aquilana: ibi etiam plura de acceſſu Othoois Magni Imp. ad ſepulchrum ſancti Maximi, deque reliquijs inde acceptis, & in Germaniam tranſlatis. Tunc accidit quod ſcribit Sigebert. in chron. anno 969. Theodoricum Epiſcopum Metenſem conſanguineum prædicti Imp. accepiſſe Amiterni reliquias ſanctorum martyrum Eutychetis, Maronis, & Victorioi ſociorum.

[b] Capraſij.] Beda, Vſuardus, Ado, & alij de eodem hac die. Capraſij & Fidei Acta martyrij habes apud Sur. tomo 7. Petr. in catalog. lib. 9. cap. 86. & Mombrit. tomo 1. De baſilica ſancti Capraſij illic poſita meminit Gregor. Turon. hiſt. lib. 6. cap. 12.

[c] Artemij.] Agunt de eodem hac die Græci in Menologio. Eius autem Acta deſcripta à Metaphraſte recitat Lipom. tom. 6. & Sur. tom. 5. De eius occubitu temporibus Iuliani meminit etiam Ammianus Marcellinus lib. 22. licet homo Gentilis, Chriſtianis infenſus, alias eius cædis cauſas enarret. De eo item Theodoret. hiſt. lib. 3. cap. 17. & Niceph. lib. 10. cap. 35. & alij recentiores.

[d] Ducis Auguſtalis, aliàs Præfecti Auguſtalis.] Fuit præfectura hæc ampliſſimæ dignitatis magiſtratus, vt qui ſex prouincijs Ægypti ius diceret. eſt titulus in ff. de offic. Præfecti Auguſtalis. Cur autem Ægypti præfectura, Auguſtalis eſt dicta, ex Dione petas originem, qui lib. 51. de his agens, ait Octauianum Auguſtum, cùm ceteras prouincias Romanis ſenatoribus adminiſtrandas conceſſerit, Ægyptum tamen ijs tantùm qui eſſent equeſtris ordinis, vnde & ipſe ducebat originem, tribuiſſe; idque eo conſilio, vt (quod idem teſtatur auctor) cùm nouarum rerum ſtudioſiſſimi eſſent Ægyptij, ne ab aliquo ſenatorum ad res nouas moliendas inſtigarentur, omnem aditum in Ægyptum proficiicendi ſenatoribus intercluderet; vt qui ægro animo ferreot Romanæ Reipublicæ amplitudinem ad vnius hominis Imperium deuolutam. Hæc ex Dione. Tacitus lib. 2. Annal. aliam etiam affert cauſam; ne qui præeſſet Ægypto, cùm vellet, fame vrgeret Italiam, leuique præſidio aduerſus ingentes copias inſideret; additque noo tantùm ſenatoribus, ſed & illuſtribus Romanis equitibus io Ægyptom profectionem inhibitam ab eodem fuiſſe. Idemque lib. 12. hæc ait: De Auguſtalium Præſidum auctoritate D. Auguſtus apud equeſtres, qui Ægypto præſiderent, lege agi, decretaque eorum perinde haberi iuſſerat, ac ſi magiſtratus Romaoi cooſtituiſſent. Idem & lib. 17. hæc verba: Ægyptum iam inde à diuo Auguſto equites Romani obtinent loco Regum. Ita viſum expedire, prouinciam aditu difficilem, annona fecundam, ſuperſtitiooe ac laſciuia diſcordem & mobilem, ioſciam legum, ignaram magiſtratuum, domi retinere. Hęc ille. Id eſt enim quod Strabo lib. 17. ait, eiuſmodi Præfectos Auguſtales Regis ordinem gerere. Videbatur ea prouincia eſſe quodammodò peculiare regnum Romani Imperatoris. Vnde deſertus à ſuis Nero cogitauit inter alia, ſibi à Senatu Ægypti præfecturam coocedi. Hæc ſcribit Sueton. in Nerone cap. 47. Vt autem equeſtris ordinis homines tantùm eam prouinciam adminiſtrarent, vſque ad Seueri Imperatoris tempora perdurauit: ſub Seuero enim (vt auctor eſt Dio lib. 51.) Ægyptij ab Imperatore ſenatores habere meruerunt Præſides, & à filio eius Antonino ijdem Ægyptij io Senatum Romanum adſcripti fuerunt. Perſeueraoit autem idem titulus, vt qui præeſſet prouinciæ, diceretur Præfectus Auguſtalis.

[e] Marthæ & ſoc.] De his Vſuardus hac die, adſtipulanturq́. vetera manuſcripta.

[f] Feliciani Epiſc.] Agit de eodem Molanus hac die io addit. ad Vſuard. Cùm nullus Mindenſis eius nominis reperiatur Epiſcopus, fortaſſe hic ille Felicianus Fulginatis eccleſiæ Epiſcopus & martyr, cuius venerandas reliquias Otho Magnus Imp. in eam regionem tranſtulit, vt ſcribit Sigebert. in chron. anno Domini 969.

[g] Irenes.] Paſſa eſt ob tuendam pudicitiam. Agit de ea Vaſæus in chroo. Hiſpan. & Flos ſanct. Hiſpan. Paſſa eſt anno Dom. 653. Eius martyrium latiùs explicauit Andreas Reſendius in Breuiario Eborenſi. De eadem in Theſauro concion. tom. 2. hac die.

[h] Georgij & Aurelij.] Tranſlatio potiùs, quàm dies natalis horum ſanctorum hîc agitur, cùm eorum reliquiæ in Gallias delatæ, Pariſijs cooditæ ſuot. Exceptionem vocant prædictorum ſanctorum veteres tabulæ, ex quibus etiam Molan. hac die. Natalis autem dies Georgij & Aurelij martyrum agitur vj. Kal. Aug. de quibus S. Eulogius in Memor. ſanct. lib. 2. cap. 10.

[i] Sindulphi.] Vixit ſanctitate clarus circa annum Domini 600. vt ſcribit Trithem. de vir. illuſt. ord. S. Bened. lib. 3. c. 46. Agit de eodem Molan. in addit. ad Vſuard. hac die.

Duo-

## 21 Duodecimo Kal. Nouemb. Luna.



| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | | | |

IN Cypro natalis ſancti Hilarionis [a] abbatis, cuius vitam virtutibus atque miraculis plenam ſanctus Hieronymus ſcripſit. Apud Coloniam Agrippinam natalis ſanctarum Vrſulæ [b] & ſociarum eius, quæ pro Chriſtiana religione & virginitatis conſtantia ab Hunnis interfectæ, martyrio vitam conſummarunt, & plurima earum corpora Coloniæ condita fuerunt. Apud Oſtia Tiberina ſancti Aſterij [c] presbyteri & martyris, qui (vt in paſſione beati Calliſti Papæ legitur) ſub Alexandro Imperatore paſſus eſt. Nicomediæ natalis ſanctorum Daſij [d], Zotici, Caij, & aliorum duodecim militum, qui poſt diuerſa tormenta in mare demerſi ſunt. Maroniæ [e] in Syria prope Antiochiam ſancti Malchi [f] monachi. Lugduni ſancti Viatoris [g] miniſtri beati Iuſti Lugdunenſis Epiſcopi. In caſtro Laudunenſi ſanctę Ciliniæ [h] matris beati Remigij Epiſcopi Rhemenſis.

## OCTOBRIS 21.

HILARIONIS [a]. ] De eodem tam Gręci, quã Latini agunt hac die. Huius vitam ſcripſit S. Hieronymus, quam Sophronius in Græcum tranſtulit, vt teſtatur ipſe Hieron. de ſcript. Eccleſ. in Sophronio; ante Hieronymum S. Epiphan. proſecutus eſt eius laudes, vt idem S. Hieronym. teſtatur. Agit de ipſo etiam Sozom. lib. 3. cap. 13. & lib. 5. c. 9. & 14. Niceph. lib. 9. c. 15. lib. 10. c. 8. & lib. 11. c. 29. & alij. Migrauit feliciter ex hac vita an. Domini 372. idq́uè ex eodem S. Hieron. hac ratione colligitur, dum in vita S. Hilarionis ipſum tempore obitus S. Antonij fuiſſe ętatis annorum ſexagintaquinque demonſtrat: migrauit autem ex hac vita Antonius (vt idem auctor ſcribit in chron.) anno vigeſimoprimo Conſtantij Imperatoris, nempe anno Domini 358. inchoato. Cumq́ue idem teſtetur, Hilarionem vixiſſe annos octoginta, ſicque poſt obitum Antonij annis quindecim ſuperſtitem fuiſſe; perſpicuum eſt, perueniſſe ad dictum annum Domini trecenteſimum ſeptuageſimumſecundum iam ferè abſolutum.

[b] Vrſulæ & ſoc. ] De ijſdem Beda, Wandelbertus, & alij recentiores hac die. Harum ſanctarum virginum hiſtoriam diuerſimodè à diuerſis auctoribus ſcriptam reperimus, ſiue à Rogerio Ciſterienſi, ſiue à Richardo Præmonſtratenſi, aut ab incertis auctoribus, vt quæ deſcripſit Mombritius tom. 2. Petrus in catalog. lib 9. c. 87. Claudius Rota c. 154. Bonfinius de rebus Hungar. decad. 1. lib. 5. aut quæ vberiùs recitat Sur. tom. 5. Hi quidem omnes in eamdem conueniunt ſententiam, Vrſulam vnà cum ſocijs Romam peregrinationem ſuſcepiſſe, ac in itinere incidiſſe in Hunnos, ab ijſdemque ſæuiſſimè trucidatas; idq́ue accidiſſe anno Domini quadringenteſimo quinquageſimotertio, teſtatur Sigebertus in chron. Addunt & de quodam Romano Pontifice Cyriaco nomine, qui eaſdem fuerit comitatus. Accidit in his quidem, vt deperdita vera germanaq́ue earum virginum hiſtoria, quiſquis (vt libuit) ſiue quæ ſuo ingenio commentatus fuerit, ſiue quę ab alijs leui quodam vulgi rumore accepit, ſcripturę monumentis commendarit, non ſine magno veritatis detrimento, cùm grauiſſimam hiſtoriam commentitiam pænè reddiderint. Ego quidem cùm in huius rei veritate inueſtiganda plurimum laboris inſumpſiſſem; ex optato euenit, vt inuenerim tandem codicem Vaticanum peruetuſtum, in quo tractatus erat inſcriptus de rebus Britannicis, auctore Gaufrido Epiſcopo Aſaphenſi, ſub nota numeri 944. in quo agens auctor de rebus Maximi tyranni, qui temporibus Gratiani Imperatoris inuaſit Imperium, de Vrſula quoque perbreuem contexit hiſtoriam, in hanc ſententiam: Cùm Maximus proximas Gallias inuaſiſſet, ac vicinos Armoricos ſedibus expuliſſet, vacuam prouinciam, vberes glebas Britannicis militibus, nouæ coloniæ tribuit, ac diuiſit; vnde & eidem prouinciæ comparatum eſt nomen, vt Minor Britannia diceretur. Quo verò eorum etiam poſteritati conſuleret, ex Magnæ

Britannię inſula ſingulis vxores quęri iuſſit: ſingulis militibus ſingulæ virgines ex gentilibus ſuis ſunt in matrimonium poſtulatæ. Erat autem prędictorum militum præcipuus poſt Maximum Dux Connanus, vnus ex Britanniæ Regulis, cui paris nobilitatis coniunx deſignata eſt filia Dionoci Regis Cornubiæ, nomine Vrſula. Londini itaque cunctis coactis, inuitæ licet, patrium ſolum, caroſq. ſuos relinquentes, imponuntur nauigijs: dumque regionem Armoricorum cogitant nautę, mox ſęua procella naues impulit in Germanicum litus; vbi dum eſſent, Melga Pictorum, & Gaunus Hunnorum piratæ, qui comparata claſſe, icto fœdere cum Gratiano Imp. aduerſus Maximum, vt vel hac arte eum à cœptis deturbarent, cùm ad infeſtandam Britanniam tenderēt, in has ad litus iactatas virginum naues incidentes, ſic in Britānas virgines, vt in hoſtes graſſati ſunt, vt vim inferendi illarum pudicitiæ, conſilium caperent. Quæ omnes hortatu Vrſulæ, mortem diriſſimam potiùs oppetere, ac gladijs obtruncari, Chriſtiana conſtantia decreuerunt, quā ignominioſum quid pati. Cumque ea perſiſterent animi firmitate: mox illorum libidine in barbaricum furorem mutata; cum aliò properarēt, ne longiori mora diſtinerentur, ſingulas crudeliſſimè trucidarunt, indeque in Britanniam nauigarunt, nactamq. eam militibus vacuam aggreſſi; ſed confeſtim, miſſis illuc à Maximo duabus militum legionibus, inde pulſi, ſoluerunt in Hiberniam. Quæ verò poſt hæc ſecuta ſunt, idem auctor proſequitur, quæ nos referre omittimus: ſatis nobis viſum hæc referre, quæ ſpectant ad hiſtoriam Vrſulæ. Sparſa in finitimis regionibus fama de glorioſa virginum nece, quòd vitæ potiùs quàm pudicitiæ diſpendium pati ſuſtinuiſſent, à vicinorum locorum accolis ſacra cadauera cum honore ſunt ſublata, atque Coloniam Agrippinam delata, debito ſanctis martyribus cultu celebrata ſunt.

Hæc quidem, quæ ex prædicto auctore deſcripſimus, nobis longè magis probantur, quàm alia prædictorum figmenta ab omni etiam veriſimili ratione remota. Licet autem non omnia quæ ab eo ſcripta ſunt auctore, nobis probentur: quæ tamē in tanta caligine rerum ex multis veritati conſentientia eſſe noſcuntur, cur reſpuenda nobis erunt? Nam hęc ex his etiam firmiora redduntur, quæ ſcribit S. Ambroſius in relatione ad Valentinianum de ſua legatione ad Maximum, vbi agit de Hunnorum copijs à Gratiano concitatis. & acceſſitis contra Maximū; quas Valentinianus poſt Gratiani obitum, pacis cupidus, intra terminos conſiſtere mandauit: vbi oſtendit Gratianū Imp. pro virili conatum eſſe exterorum auxilio Maximi vires infringere. Rurſus autem de eadem incurſione Gauni Hunnorum, & Melgæ Pictorum Ducum ſcribit etiam Sigebert. in chron. an. Domini 389. Nec omittimus dicere ex ſententia Saluiani Maſſilienſis lib. 4. & 7. de recto iudicio & prouid. Dei, Hunnorū gentem fuiſſe præ ceteris in venerem ſolutiſſimam. Hæc de his iam ſatis. Si quis hæc in fonte ex prædicto auctore videre cupierit, ſignauimus codicis numerum, quo faciliùs inueniri poſſit. Hæc noſtra cùm recognoſceret Reuerendiſſimus Lindanus Epiſc. Ruremundenſis, ſimulq. probaret, de loco martyrij tantùm excepit; qui tamen, vt eam ſolueret difficultatem, hæc quæ ſequuntur, ſuis verbis appoſuit:

Superioribus tantùm obſtare videtur locus, qui agonis S. Vrſulæ palæſtra conſtanter ab vniuerſis in hunc vſq. diem eſt habitus. Is tunc temporis longiuſculè à Colonia Vbiorum (quæ caput erat prouinciolę, cui hodie nomē eſt, plurimas inter magni atque non obſcuri oppidi ruinas ſuperſtites, Vpen & Vben, quod Latini emollierunt, dicentes Vbios pro Vpios) erat diſſitus: nunc autem ex Francorum & Iudęorum plurimorū (quod illorum loquitur antiquiſſimū cœmeterium permultis Hebraicis epitaphijs exornatum) incolatu ad flexum Rheni forma hemicycli extenſum longiſſimè. Si quis enim oppoſito ex litore Coloniam intueatur, veriſſimè dixerit, Coloniēſes in ſigmate conuiuari. Hunc autem locum, vbi nunc viſitur ſanctæ Vrſulæ collegium virginum nobilium (licet vna vix, aut altera ſuperſit ſanctimonialis, Lutheraniſmo eas ad thalamos maleblandos à ſuauiſſimo Chriſti Domini iugo abiiciente) fuiſſe certaminis arenam, inde pij non imperitè videntur aſtruere, quòd templi area nullum ſuſcipit ſepeliendum, immò pueros recens baptizatos de nocte quaſi euomens in ſuperficiem reijcit viſendos; cuius rei miracula narrant incolæ non rara, quæ non alibi temerè inueniantur. Quod ne cuipiam videatur paradoxum, obiter viam indicabimus, quam vetus Rheni fluxus peritis rerum Belgicarum obſeruatoribus præmonſtrabit. Nam quod noſtras ait Gaufridus Aſaphenſis in Anglia (quam S. Bonifacius in epiſtolis Saxoniam appellat tranſmarinam) Epiſcopus, appellans Germanicum litus, vbi illa ſit cum ſuis paſſa: tu voces cum veteribus Æſtuaria Germanica, ſiue, vt Tacitus, inſulas Saxonum: quæ ſuo nomine (quod nullus veteris regionis Rhenanæ peritus ierit inficiando) complectantur, quidquid hodie habet Oceanum verſus non ſolùm Zelandia, Hollandia, Phriſia, olim Freſia ad Fleuum (qui Rheni fuit brachium Het Vlye ex Wahale in Iſelam à Druſo deriuatum, vnde & hodie Foſſa Druſiana vocatur) ſita: ſed & longiùs nunc ab Oceano in mediterranea diſſita Tranſyſelana, vbi Drentij, nunc Drentenlandt, & Tubantij, nunc Twententlandt apud Groeningam habitabant inſulares; & Cliuia Coloniam vſque pertingens, varijs olim Rheni brachijs, ſeu anfractibus intercluſa. Vnde & olim Cæſaris Wardæa, quam inſulam dicimus, nomen habet, haud longè à Colonia, vbi S. Switbertus colitur Kal. Martijs, quòd Rheni circuitu olim ambiebatur, iam mediterranea. Nunc igitur ſuperiùs enarrata prædicti Gaufridi hiſtoria noſtratibus optimè fuerit teſtimonijs conſentanea, quę habent, iſtam SS. virginum claſſem vi procellarum ex Oceano Thielam appuliſſe, quæ hodie portus eſt Geldriæ ad Wahalim; inde Coloniam perrexiſſe: quod tum fuit facillimum, cùm Rhenus fluuiorū rex adeò abundabat aquis, vt foſſas plurimas ad Hollandiam & Geldriam exſiccandam iuſſerint pij Auguſti exemplo Druſi Rom. effodiendas: vt & noſtrates poſteri in vſum oppidi & agri Traiectenſis Leccam à ſtillando dictam, quod hieme Rhenus illac ſeſe in Moſam altero ſuo cornu effunderet copioſiùs. Vnde fortè à Latinis fuit dictus Bicornis ab oſtijs nobilioribus: quorum alterum Glareano, alijſque ferè omnibus etiam nunc fuit ignotum, quod ad arcem Britannicam à Romanis contra Britonum incurſiones in litore extructā euoluebatur; ſed du-

tis vi

nis vi tempeſtatum per motis obſtructum. Si ergo claſſis illa S. Vrſulæ fuit vi tempeſtatis ad Wahalim depulſa, nullo negotio naucleris licuit ad rectum Rheni curſum ex internatantibus paſſim inſulis naues dirigere, aut potiùs ventis dare: qui eos in manus Hunnorum (quod & Colonienſis habet hiſtoria) inuexerunt hi enim apud Coloniam, vbi Romanum ſemper fuit contra Saxones feroſque Germanos vltra Rhenum agentes præſidium, agebant, Gratiano Auguſt. contra Maximum tyrannum militaturi. ſed ex ſententia Gaufridi à prædictis piratis tam immane ſcelus dicitur perpetratum. Hactenus eruditus Lindanus.

[c] Aſterij.] De quo Beda & Ado ex Actis ſancti Calliſti Papę, quę extant apud Surium tom. 7. die 14. Octobris, vnde & ceteri acceperunt. Corpus Aſterij à Sergio Iuniori Rom. Pont. translatum eſt in Titulum Equitij, vt vetus inſcriptio in marmore ſculpta, quæ in eadem eccleſia aſſeruatur, fidem facit.

[d] Daſij & ſoc.] De his item Beda, Vſuardus, Ado, & ceteri recentiores. Reſtituitur ex antiquis manuſcript. Germana lectio eſt, duodecim militum, loco duodecim millium.

[e] Maronię in Syria.] Erat in Syria olim vicus, Maronia dictus, vbi Malchus vixit; qui poſteà creuit in ciuitatem. Fuit eiuſdem loci Epiſcopus inſignis Timotheus nomine, qui multa grauiaq. paſſus eſt ob communicationem cum S. Ioanne Chryſoſt. tempore Arcadij Imp. vt ſcribit Pallad. in dialog. Eſt mentio de alio Maronię Epiſc. Dimaſio nomine, qui interfuit Concilio Epheſino, vt conſtat ex Actis ipſius. An autem à prædicta Maronia hi qui hodie dicuntur Maronitæ, ſint appellati, an verò à S. Marone abbate, non audemus certi quid definire. Compertum etenim habemus, Maronem abbatem in Syria claruiſſe ſanctitate; fuiſſeque monaſterium dictum S. Maronis in Syria, cuius abbatis, nomine Alexandri, extant litteræ ad Hormiſdam Papam, & libellus oblatus Synodo, quæ recitantur in actione prima Quintæ Synodi. Eius itaque monachi appellati ſunt Maronitæ, ſicut à Studio Studitæ, à Saba Sabaitæ, à Dio Dijtæ, & ab Abrahamio Abrahamitæ dicti reperiuntur. Inde fortaſſe nomen Maronitarum prouenit, illorum (inquam) Chriſtianorum, qui proprios habentes Epiſcopos, degentes in monte Libano, magna fidei ſinceritate & animi ardore communicant Romanæ Eccleſiæ, quorum eſt Romæ nobile collegium à Sanctiſſimo D. N. Gregor. Papa XIII. laudabiliter inſtitutum: quod ſumma induſtria, conſilio, & ope curat Illuſtriſſ. ac Reuerendiſſ. Antonius Carafa, S.R.E. Card. Bibliothecarius, cuius immenſos labores, ſtudia, & animi affectum in reſtituenda ac propaganda fide Catholica collapſa in Orientali Eccleſia, nouit ille meliùs, qui ſolus laborem & dolorem conſiderat.

[f] Malchi.] Eius vitam S. Hieronymus egregiè conſcripſit. Ab hoc diuerſus eſt (etſi in multis conueniat) monachus ille, quem Sozomenus Malachionem vocat, qui ijſdem temporibus vixit, de quo lib. 6. cap. 32.

[g] Viatoris.] De quo Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores. Scribit de eo Petrus in catal. lib. 9. cap. 90. Claruit temporibus Theodoſij ſenioris, vt Ado Vien. teſtatur in chronico.

[h] Ciliniæ.] Plura de ea in vita ſancti Remigij; eius tamen vitam ſeorſum ſcriptam eſſe ab Hucbaldo, tradit Molan. Sigebert. de ea in chronic. anno Domini 449. Alia eiuſdem nominis Cilinia Meldenſis virgo fuit, de qua agitur in vita ſancti Genouefæ virg. & apud Molanum hac die.

## 22 Vndecimo Kal. Nouemb. Luna. A

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |

| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |

IEROSOLYMIS beati Marci [a] Epiſcopi, clariſſimi & doctiſſimi viri, qui primus ex Gentibus Ieroſolymorum eccleſiam ſuſcepit regendam, ac non multò pòſt ſub Antonino Imperatore martyrij meruit palmam. Hadrianopoli in Thracia natalis ſanctorum martyrum Philippi [b] Epiſcopi, Seueri preſbyteri, Euſebij, & Hermetis, qui ſub Iuliano Apoſtata poſt carceres & flagella incendio cremati ſunt. Item ſanctorum martyrum Alexandri [c] Epiſcopi, Heraclij militis, & ſociorum. Firmi in Piceno ſancti Philippi [d] Epiſcopi & martyris. Oſcæ in Hiſpania ſanctarum virginum Nunilonis [e] & Alodiæ ſororum, quæ à Sarracenis ob fidei confeſſionem capitali ſententia punitæ, martyrium conſummarunt. Apud Coloniam ſanctæ Cordulæ [f], quæ vna

ex ſodalibus ſanctæ Vrſulæ, cùm aliarum ſupplicijs & cæde perterrita ſe occultaſſet, eius rei pœnitens, poſtridie ſe vltrò patefecit, & nouiſſima omnium martyrij coronam accepit. Hierapoli in Phrygia ſancti Abercij [g] Epiſcopi, qui ſub Marco Antonino Imperatore claruit. Rhotomagi ſancti Melanij [h] Epiſcopi, qui à ſancto Stephano Papa ordinatus, illuc ad prædicandum Euangelium miſſus eſt. In Tuſcia ſancti Donati [i] Scoti Epiſcopi Feſulani. Veronæ ſancti Verecundi [k] Epiſcopi & confeſſoris. Ieroſolymis ſanctæ Mariæ [l] Salomæ, quæ in Euangelio legitur circa Domini ſepulturam ſolicita.

# OCTOBRIS 22.

[a] MARCI Epiſcopi [a]. ] Agunt de eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri. Scribit de eo Euſeb. in chronico anno 19. Hadriani Imp. & hiſt. lib. 4. cap. 6. in fine, Epipban. hæreſi 66. cùm agit de ſucceſſione Epiſcoporum Ieroſolymitanorum, Niceph. Epiſc. in chronic. & Niceph. Calliſt. hiſt. lib. 4. c. 25.

[b] Philippi & ſociorum. ] Beda, Ado, & alij. Hunc præceſſit Liuius, qui ſucceſſit Eutropio; amboque Conſtantij temporibus ob defenſioné Catholicæ fidei martyrio coronati ſunt, prout teſtatur ſanctus Athanaſius in apolog. de fuga ſua ad Conſtantium, col. 334.

[c] Alexandri & ſoc. ] Græci etiam de his agunt hac die in Menologio.

[d] Philippi Epiſc. ] De quo etiam tabulę Firmanæ eccleſiæ, quas Romam delatas accepimus.

[e] Nunilonis & Alodiæ. ] Agit de ijſdem Vſuard. Ipſarum martyrium ſcripſit S. Eulogius in Memoriali Sanct. lib. 2. cap. 7. paſſaſque dicit Æra 889. anno Domini 851. Plura de his conſcripta baberi in manuſcript. cod. teſtatur Ambroſ. Moral. ibi in ſchol. De his etiam in Flore Sanct. & in Theſaur. concion. tom. 2. agitur.

Quod autem tam hîc, quàm in alijs locis ſemper, cùm Æræ numerum ad Chriſti Domini noſtri annorum rationem deducimus, ab Æræ nota annos trigintaocto ſubtrahere conſueuimus: rem haud ab inſtituto alienam facturi videmur, ſi de Æra paulò diffuſiùs diſſeramus: ea etenim numeri nota tum Acta martyrum, ac ſacra Concilia, tum etiam res profanas in Hiſpanijs conſignari conſueuiſſe, exploratiſſimum eſt; rarumq. ſit inueniri id ab alijs vſurpatum. Hic quidem vſus ab ipſo Auguſti tempore poſt mille trecentos & ampliùs annos in aliquibus Hiſpaniæ regionibus, quin etiam in Luſitania vltra milleſimum & quadringenteſimum perſeueraſſe certiſſimum eſt, vt habes notatum pluribus à Vaſæo in chron. Hiſpan. c. 22. Quod in primis ad ipſum Æræ nomen ſpectat; numeri notam eſſe dictam Æram, affirmat Nonius; in quam ſententiam Lucillius lib. 29. his verbis: Hæc eſt ratio peruerſa, Æra numeri ſubducta improbè. Fauſtus Regienſis lib. 1. de Spiritu ſancto Æram ſupputationem appellat: quam & ab ære ſic dictam putant, quòd in ære eſſet numeri nota deſcripta. Reijcitur à Vaſęo in chron. & à Didaco Couar. lib. 1. var. reſolut. cap. 12. commentum de Æra, quo dictum eſt, Æram cum aſpiratione ſcribendam Heram, dictamque ab hero, hoc eſt, domino. Refellit Reſendius Geneſij Sepuluedæ inuentum de Æræ nomine, quòd ſcilicet à notarijs alijſq. ſcriptoribus ſic fuerit abbreuiatum; vt quod ſcribendum eſſet, Annus erat Auguſti Cæſ. illi breuitatis cauſa ſic exararent, A.ER.A.Cæſ. paulatimq. demptis punctis etiam, ſcriptum ÆRA. Cæſ. Ferè eiuſdem rei commentor fuit Couarr. vbi ſuprà; cùm diceret, primum elementum, A, à ceteris litteris interpunctione eſſe ſeparandum, ac ſic ſcribendum A. Era. vt diceret, Annus erat. prætulit tamen Couar. ſuæ ſententiæ Sepuluedæ fictionem. Sed quis non videat, cùm cuiuſque actionis in præſens factæ tempus in ſcriptura apponitur, non dici, Annus erat, ſed Annus eſt, &c. Cur non ſic potiùs (ſi licet in re ſeria ludere) ſingula per ſe elementa ponimus A.E.R.A. vt ſingulas ſignificent dictiones, ac velint dicere, Annus eſt Regni Auguſti? Sed miſſa iſtæc commenta. nam Auguſti nomẽ, quod per vltimum illud A. exprimunt, longè poſt exordium Æræ à Senatu excogitatum, & tributum eſt Octauiano, anno nimirum decimoquinto à Triumuiratu, & vndecimo poſt Æram cœptam, cùm ſcilicet idem Octauianus ſextum ageret Conſulatum cum collega Agrippa iterùm Conſule, vt auctor eſt Dio hiſt. Rom. lib. 53. Quęnam ratio patitur, vt in Æra poſitum ſit nomen Auguſti, quod necdum à Senatu fuerat adinuentum? Eſt & Iſidori lib. 5. Orig. ea ſententia, vt ab ære dando, hoc eſt, tributo pendendo, Æra ſit dicta: quæ an ſit vera, dicam inferiùs. Rurſus de Æra illud apud omnes eruditos eſt in confeſſo, Æram cœptam eſſe numerari anno trigeſimooctauo ante Chriſti Domini noſtri natalem diem. Ad hæc probanda non eſt quòd multis immorer; ſatis erit ad eam rem demõſtrandam S. Iuliani Toletani Epiſcopi parens aſſertio, qui lib. 3. contra Iudæos ad Eruigium Regem habet hęc verba in fine: Æra enim inuẽta eſt ante triginta & octo annos, quàm Chriſtus naſceretur. Nunc autẽ acclamatur Æram eſſe ſeptingenteſimam vigeſimamquartam: detractis igitur triginta & octo annis, ex quo Æra inuenta eſt, vſque ad Chriſti natiuitatẽ, reſidui ſunt ſexcenti octogintaſex anni. hactenus Iulianus; qui dum ait: Nunc autem acclamatur Æram eſſe, &c. ad illud videtur alludere, quod in Hiſpaniarum eccleſijs (vt habet can. 9. ſecundæ Synodi Bracatenſis) die natali Domini poſt Euangelicam lectionem

publicè in eccleſia per diaconnm futuri eius anni Paſchatis dies annunriabatur, ſimulque Æra currens promulgabatur, ſicque ea ratione Æra dici videtur acclamata. Sed miſſis his, iam omnes conſentiunt, ante annos triginta & octo diei natalis Domini, Ætam cœptam eſſe numerari; eaque ratione, iureque ijdem omnes referunt ad annum quartum à Triumuiratu. Quod autem diſertiſſimorum virorum non mediocriter torſit ingenia, illud potiſſimùm eſt, quidnam fuit in cauſa, vt eo anno Æræ numerus ſit inuentus? Vaſæus in his peruestigandis plurimum laboris inſumpſit, & quo rem ſibi minùs aſſequi viſus eſt, claros eruditione viros, qui in ea facultate in Hiſpania florebant, conſuluit: fuerunt hi Gencſius Sepulueda, & L. Andr. Reſendius; eorumque de ea re ſententias recitat. hi omnes aliorum commenta refellentes, in eam pedibus ſententiam abijſſe videntur, vt Æræ numeri eo anno fuerit auſpicandi ratio, quòd à Triumuiris facta eo ipſo anno Romani Imperij diuiſione, Hiſpania Auguſto ceſſerit. Eamdem affert cauſam & Didac. Couarr. lib. 1. var. reſol. c. 12. Miratus ſum (fateor) nobiliſſima ingenia poſt multas de ea re lucubrationes errore temporis lapſa, vt putarint partitionem Imperij inter Triumuiros anno quarto Trinmuiratus eſſe factam. Dio Caſſius, hiſtoricorum clariſſimus, qui floruit Romæ temporibus Seueri ac ſucceſſorum Impp. quique anno octauo Alexandri creatus eſt Conſul ordinarius, reſq; Romani Imperij ex antiquis Annalibus peruestigans, cuncta ordine temporum per Conſules in annos ſingulos digeſſit; hic, inquam, Dio duplicem Imperij Romani partitionem à Trinmuiris factam recenſet: priorẽ videlicet ipſo primo anno Triumuiratus ſub Conſulatu Lepidi & Planci, ab Vrbe cond. anno ſeptingenteſimo duodecimo, qui & annus primus Imperij Octauiani numerari conſueuit: poſteriorem autem Imperij Romani inter eoſdem Triumuiros partitionem factam ait ſub Conſulatu Caluini & Pollionis, à Triumuiratu anno tertio, ab Vrbe cond. ſeptingenteſimo quartodecimo, poſt bellum Peruſinum confectum, pace inita inter Octauianum & Antonium; qua quidem facta diuiſione, eidem Octauiano non tantùm Hiſpanię, ſed Gallię, Sardinia, & Dalmatia obtigerunt. Hæc Dio hiſt. Roman. lib 48. Ex quibus quidem manifeſtè apparet, neutram Imperij diuiſionem, primæ Æræ, quam cœptam eſſe anno quarto à Triumuiratu & ipſi affirmant, aptari poſſe. à priore enim partitione vſque ad Chriſti Redemptoris annum, quadraginta & vnus intercurrunt anni; à ſecunda autem vſque ad prædictum tempus, anni numerantur trigintanouem, vel quadraginta, ſi numeres primum Chriſti annum anno quadrageſimo ſecundo Auguſti, vt plerique faciunt: cùm alioquin trigintaocto tantùm numerari neceſſe ſit, ex maiorum omnium aſſertione, à prima Æra vſque ad Chriſti Domini noſtri natalem diem. Nec inſuper aliqua poteſt ratione ſubſiſtere, quod in ea re adhuc ſibi ambigua addidit Vaſæus, Æram fortaſſe numerari cœptam à domitis Cantabris & Aſturibus, cùm Octauianus vniuerſa Hiſpania tranquilla atque pacata potitus eſt: nam eodem Dione auctore, certum exploratumque habetur, bellum Cantabricum cœptum eſſe ſub Conſulatu nono Octauiani, ab Vrbe condita anno 729. ab ipſo initio Æræ anno quartodecimo; idemq. perſeueraſſe, ijſdem ſępiùs rebellantibus, vſque ad Conſulatum Sentij Saturnini, anno ab Vrbe cond. 735. Æra vigeſimaprima. Hæc Dio hiſt. Rom. lib. 53. & 54. quibus ea quæ de cauſa auſpicandę Æræ à prædictis ſunt poſita, confutari videntur.

Alia igitur à pręedicta eſt perquirenda cauſa, cur anno quarto à Triumuiratu, qui eſt trigeſimuſoctauus ante Chriſti diem natalem, ab Hiſpanis anni ſinguli ab Æra cœperint numerari. Mea quidem ſententia, nulla ex parte veriorem cauſam ac certiorem quàm ex Dione de ea re venari poſſumus: qui dum ſub vnoquoque Conſulatu res geſtas recenſet, ſub Conſulatu Marcij Cenſorini & Caluiſij Sabini (eſt hic ille ipſe annus quartus à Triumuiratu, quo ſumitur initium Æræ) de Cerretanis in Hiſpania rebellantibus texit hiſtoriam, eoſque eo anno perdomitos ab Auguſto per Domitium Caluinum enarrat; eumdemque adeò ingentem vim pecuniæ ex Hiſpanis collegiſſe, vt quod ab alijs Orbis ciuitatibus ad triumphi impẽſas exigi conſueuiſſet, ex ſolis Hiſpaniarum ciuitatibus collegerit; eamdemque pecuniam adeò affatim ſuppeditatam, non tantùm ad triumphi impenſas ſatis fuiſſe, ſed ex ea maiorem partem ad Vrbis Palatium, ipſa antiquæ Vrbis cunabula, vbi Romulus prima iecerat Vrbis fundamenta, incendio abſumptum, ex integro reſtituendum, eſſe expenſam: ſcribit enim hęc Dio hiſt. Rom. lib. 18. ponamq. eius verba, quò hæc certiora ac fideliora habeantur, vt à fonte hæc potiùs requiras, quàm ex epitome Xiphilini, qui non ſine veritatis diſpendio Dionem in compendium contraxit. ſunt hæc, inquam, verba Dionis: Triumpho ſibi cõceſſo; quod in triumphum conferri ab vrbibus ſolet, à ſolis Hiſpaniæ ciuitatibus accepit; atque eius aliquam partem ad triumphi apparatum inſumpſit, maiorem verò in Palatium reficiendum: id enim incendio combuſtum inſtaurauit ac dedicauit, cùm alijs rebus ſplendidè ornatũ, tum imaginibus, &c. Hęc Dio: licet quod ad Palatij reſtitutionem ſpectat, Suet. in Aug. cap. 57. non ab Hiſpanis tantùm, ſed à ceteris collatam dicat eſſe pecuniam. Porrò cùm Hiſpanorum collatio munificentiſſima prædicetur, eaque ipſo anno facta noſcatur, quo Æra incipit numerari: mihi facilè perſuadeo, ob tam egregiam nauatam operam, vt à re admodum memorabili, ab Hiſpanis cœpta eſſe futura tempora numerari. Vnde non diſplicet, quòd Iſidorus lib. 5. orig. Æram ab ære collato, hoc eſt, tributo penſo, putat eſſe dictam, licet ab eo omnino diſſentiam, dum ait, tunc ab Auguſto fuiſſe vniuerſum Orbem deſcriptum: nam eo tempore nominatæ ſuperiùs prouinciæ tantùm ſub Octauiani ditione poſitæ erant; & Orbis deſcriptio poſt annos trigintaocto, eo anno quo Dominus naſcitur, facta reperitur. Sic itaque Æram nuncupatam ab ære collato exiſtimo, atque à dicta collatione æris, Æram, ipſam notam numeri in Hiſpania eſſe acceptam. Hæc ſunt quæ de Æra inuenta habui dicere. Si quis his certiora habet quæ dicat, in medium proferat, & agam gratias.

[f] Cordulæ.] Conſule quæ dicta ſunt pridie huius diei in Vrſula. De huius tranſlatione agitur in vita Alberti Magni par. 2. cap. 9.

[g] Abercij Epiſc.] De eodem Græci etiam agunt hac die in Menologio. Eius res præclarè

geſtas ex antiquis monumentis deſcripſit Metaphraſtes, quas Lipom. habet tom. 6. & Sur. tom. 5. Claruit temporibus Marci Aurelij Antonini, & Lucij Veri fratrum Imperatorum. Extat eiuſdem ſanctiſſimi viri epiſtola ad dictum M. Aurelium Antoninum Imp. quæ Apoſtolicum redolet ſpiritum: exhibemus eam integram in Annalibus Eccleſiaſticis, acceptam ab Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſ. D. Gulielmo Sirleto Cardinale ampliſſimo, qui eam Græcè ſcriptam in antiquo manuſcripto codice, vt ingentis pretij margaritam, cuſtodit.

[h] Melanij Epiſc.] Fuit hic ſecundus eius ſedis Epiſcopus, ſubrogatus S. Nicaſio, vt habent tabulæ Epiſcoporum eius eccleſiæ, quas deſcripſit Demochares. Aliqui hunc Melonem, corrupto vocabulo, appellant. De eo Vincent. lib. 11. c. 74. Petrus in catal. lib. 9. c. 93. & alij.

[i] Donati.] Eius Acta nuper conſcripſit Franciſcus Cattanius Diacetius Epiſc. Feſulanus.

[k] Verecundi Epiſc.] Tabulæ eccleſiæ Veronenſ. pluribus autem Illuſtriſſ. ac Reuerendiſſ. D. Auguſtinus Valerius Epiſcopus Veronen. & S. R. E. Card. in commentario de antiquis monumentis Epiſcoporum Veronen. pag. 12. & 43.

[l] Mariæ Salomæ.] De ipſa Matth. Euangel. cap. 15. & 16. Agunt de eadem hac die Beda, Vſuardus, & alij recentiores.

## * B Decimo Kal. Nouemb. Luna. 23

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | | | |

IN Hiſpania prope Gades ad fundum Vrſonianum ſanctorum martyrum Seruandi [a] & Germani, qui in perſecutione Diocletiani ſub Viatore Vicario poſt verbera, ſqualorem carceris, famis ac ſitis iniuriam, & longiſſimi itineris laborem, quem ferro onuſti pertulerunt, nouiſſimè martyrij ſui curſum cæſis ceruicibus impleuerunt: ex quibus Germanus Emeritæ, Seruandus verò Hiſpali conditus eſt. Antiochiæ in Syria natalis ſancti Theodori [b] presbyteri, qui in perſecutione impij Iuliani comprehenſus, poſt equulei pœnam, & multos ac duriſſimos cruciatus, lampadibus etiam circa latera appoſitis inflammatus, cùm in confeſſione Chriſti perſiſteret, occiſione gladij martyrium conſummauit. Conſtantinopoli ſancti Ignatij [c] Epiſcopi, qui cùm Bardam Cæſarem ob repudiatam vxorem arguiſſet, ab eo multis iniurijs affectus, in exilium pulſus eſt: ſed à Nicolao Romano Pontifice reſtitutus, tandem in pace quieuit. Burdigalæ S. Seuerini [d] Colonienſis Epiſcopi & confeſſoris. Rhotomagi ſancti Romani [e] Epiſcopi. Apud Salernum ſancti Veri [f] Epiſcopi. In territorio Ambianenſi S. Domitij [g] presbyteri. In pago Pictauienſi ſancti Benedicti [h] confeſſoris.

## OCTOBRIS 23.

SERVANDI & Germani [a].] De ijſdem hac die Beda, Vſuard. Ado, & alij. Horum Acta narrantur egregiè hymno ſacro in Breuiario Toletano: ex vetuſtis monumentis eadem alij ſoluta oratione deſcripſerunt, vt Vaſæus in chron. Hiſp. Marin. Sicul. de reb. Hiſpan. lib. 5. Eadem in Theſaur. concion. tom. 2. & in Flore ſanct. Hiſpan.

[b] Theodori.] A nonnullis Theodoretus hic dictus reperitur. Agunt de eodem hac die Beda, Vſuard. Ado, & alij recentiores. Eius nobile certamẽ ſcribit Sozom. hiſt. li. 5. c. 7. qui Theodoretum appellat ad differentiam alterius Theodori, qui eodem tempore ibidem eadem ex cauſa diriſſima paſſus eſt, de quo Ruffin. hiſt. lib. 1. c. 36. Socrat lib. 3. c. 16. Sozom. lib. 5 c. 19. Theodoret. li. 3. c. 10. ante hos omnes S. Greg. Nazianz. orat. 2. in Iulianum, & S. Auguſt. de ciuit. Dei lib. 18. c. 52. Teſtatur Molan. ſe vidiſſe huius martyris Acta ab aulicis Iuliani tunc ſcripta, eaq. hactenus Carthuſiæ aſſeruari: ſed miramur ea præterijſſe Surium, & eius in vitis Sanctorum colligendis ſucceſſorem Moſandrum, ambos Carthuſianos.

[c] Ignatij Epiſc.] Agunt de eo etiam Græci hac

die

die in Meoologio. De eo eſt frequēs mentio io regiſtro Ioannis Octaui Papę, Nicolai Primi, ac pręſettim in eius epiſtola ad Michaëlem Imp. & alijs pleriſque, vt in epiſtola ad Epiſcopos Aſiæ & Libyæ, itemque ad clerum Conſtantinop. ac deniq. ad vniuerſos Chriſti fideles conſcripta 18. Martij Indict. 13. itemq. in Romana Synodo ab eodem Pontifice celebrata. His addimus Grę̨corū hiſtoricos Zonar. lib. 3. Annal. Cedren. in comp. hiſt. in Michaële, Glyc. in 4. par. Annal. Ex quibus omnibus vita ipſius optimè concinnari poſſet: ſi pręſertim adderetur ea, quā Anaſtaſius Bibliothecarius ſcripſit ad Hadrianum Secundum Rom. Pont. in pręfat. de octaua Synodo, quam hiſtoricè ſcriptam legimus in codice manuſcripto Illuſtr. ac Reuerendiſſ. D. Antonij Carafæ Card. Bibliothecarij.

[d] Seuerini Epiſc.] Beda, Vſuard. Ado, & alij de eodē hac die. Scripſit eius Acta Fortunatus, vt teſtatur Greg. Turon. de glor. confeſſ. c. 45. Alia inſuper incerto auctore ex vet. manuſcr. edidit Sur. tom. 5. De eius electione agitur in āppēdice Concilij Agrippinenſis habiti poſt Conſulatū Amantij & Albini, an. Domini 346: ſecundùm veriorē ſupputationē. Diu multumq. ſedit: nam tempore obitus S. Martini adhuc ſuperſtes erat, vt ſcribit Greg. Turon. lib. 1. mirac. S. Martini c. 4. Obijſſe autem S. Martinum Arcadio & Honorio Augg. quintùm Coſſ. anno Dom. 402. in Annal. noſtris oſtendimus. Mentio de eodem Seuerino habetur in Actis S. Euergiſli eius diaconi, & inde Epiſc. ſucceſſoris, apud Sur. tom. 5. die 24. Octob. in vita S. Annonis Epiſc. Colon. lib. 2. c. 27. & Sigeb. in chron. anno 399. De tranſlatione eiuſdem Sur. tom. 5. hac die hiſtoriā recitat. Hic monemus Lectorē, ſcripſiſſe Petrum Damiani ad Deſiderium abbatem commentariolum de quibuſdam miraculis, quem deſcripſit Lipom. tom. 8. vbi de Seuerino Epiſcopo Colonienſi adhuc in pœnis purgatorijs exiſtente narrat hiſtoriam. Id quidē nolim quis putet intelligi de S. Seuerino, de quo hîc agimus, qui iam ante annos ſexcentos ex hac vita migrarat, ſed de aliquo alio, quem auctor dicit nuper illi præfuiſſe eccleſiæ: licet in editis tabulis Epiſcoporum Colonienſium nullus alius eiuſdem nominis Epiſcopus reperiatur. quare ſuſpicor in prædictam ſcriptionem errorem irrepſiſſe nominis ciuitatis, vel Epiſcopi. Niſi dicere velimus, illa verba: Nuper Epiſcopus: non ex dictis ab Adraldo, qui citatur, eſſe relata, ſed potiùs ex ſcripto eſſe recitata, nimirum ex exemplari ab eodem miſſo ad Petrum, qui hæc ſcribit: nam rem geſtam fuiſſe ſcriptis conſignatam teſtatur.

[e] Romani Epiſc.] De quo hęc in dictis manuſcriptis: S. Romani Epiſcopi & confeſſoris, cuius vita meritis claruit, & mors pretioſa in domo Domini quotidie demonſtratur. De eo etiam Molan. hac die. Fuit autem eius ſedis Epiſcopus viceſimus ordine, ſeditque anno Domini 622. vt tabulæ eius eccleſiæ apud Democharem indicant.

[f] Veri Epiſc.] De eodem veteres tabulæ, Breuiarium, & alia antiqua monumenta eccleſiæ Saletoitanæ. Aſſeruatur eius corpus in eccleſia cathedrali, in crypta inferiori, vnà cum alijs ſanctis, quorum ſuperiùs meminimus 19. huius.

[g] Domitij.] Vet. manuſcript. ac etiam Molan. de eodem agit hac die.

[h] Benedicti.] De eodem Vſuard. hac die, & alij recentiores.

## 24 Nono Kalend. Nouemb. Luna. C xxix.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | | | |

VENVSIÆ in Apulia natalis ſanctorum martyrum Felicis [a] Epiſcopi Africani, Audacti & Ianuarij preſbyterorum, Fortunati & Septimi lectorum: qui tempore Diocletiani à Magdelliano Procuratore multis diu vinculis & carceribus in Africa & Sicilia macerati, cùm Felix nullatenus ſacros libros iuxta Imperatoris edictum tradere voluiſſet, tandem occiſione gladij conſummati ſunt. Apud Homeritas in ciuitate Nagran paſſio ſanctorum Aretæ [b] & ſociorum trecentorum & quadraginta, tempore Iuſtini Imperatoris, ſub Dunaan Iudæo tyranno: poſt quos Chriſtiana mulier incendio tradita eſt; cuius filius annorum quinque, cùm balbutiendo Chriſtum confiteretur, nec blanditijs nec minis retineri poſſet, in ignem vbi mater ardebat, ſe præcipitem dedit. Coloniæ ſancti Euergiſli [c] Epiſcopi & martyris. Conſtantinopoli ſancti Procli [d] Epiſcopi. In Britannia Minori tranſitus

ſancti Maglorij [e] Epiſcopi, cuius corpus Lutetiæ Pariſiorum requieſcit. In Vertano monaſterio ſancti Martini [f] abbatis. In Campania ſancti Marci [g] ſolitarij, cuius præclara opera ſanctus Gregorius ſcripſit.

## OCTOBRIS 24.

FELICIS & ſoc. [a] ] Agunt de iiſdem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Cuius autem ciuitatis in Africa hic Epiſcopus fuerit, varia lectio eſt. Beda legit, Tubrocenſis eccleſiæ; Ado, Tibiutenſis, prout etiam in prędictorum martyrum Actis, quæ extãt apud Sur. tom. 5. legitur. Ex antiquis autem manuſcr. verior lectio ea mihi probatur, quæ habet, Tibirenſis. De Tibirẽſi, vel Tibiritana ciuitate mentio habetur in Concil. Carthaginenſi tẽporibus Cypriani, vbi ſubſcriptus legitur Vincentius Tibiritanę eccleſię Epiſcopus, & ipſe Cyprianus ſcribit ad Tibiritanos epiſt. 56. In priorem editionem Rom. Martyrologij neſcio quomodo irrepſit error, vt hic Felix Aptungitanus dictus reperiatur, de quo Optatus Mileuitanus meminit lib. 1. contra Parmen. aitque eum manum impoſuiſſe Cęciliano creato Epiſcopo Carthaginenſi. ſed ille reperitur ſuperuixiſſe etiam temporibus Conſtantini, vt apparet ex Auguſtino de act. cum Donatiſt. poſt collat. cap. 33. & epiſt. 162. Nec verò eſt hic ille Felix Epiſcopus Abdiritanus, qui vixiſſe reperitur in Africa temporibus Zenonis Imp. vt conſtat ex Victore libro 2. de perſec. Wandal. Agit de his martyribus Petrus in catal. lib. 9. c. 101. & Mombrit. tom. 1. ſed multa ſunt in eis quæ corrigantur. Græci de iiſdem martyribus agunt xvj. Kal. Maij in Menologio, vbi eorum paſſionis Acta breui ſumma deſcribuntur.

[b] Aretæ & ſociorum. ] De his item hac die Græci in Menologio; quorum Acta Metaphraſtes exactè deſcribit: extant apud Lipom. tomo 6. & Sur. tom. 5. De iiſdem Niceph. hiſt. lib. 17. cap. 16. Zonar. in Iuſtino Imp. & Cedren. anno 5. eiuſdem. De Homeritis & eorum Regibus Chriſtianis, quibuſcum Iuſtinianus aduerſus Perſas fœdus inire ſtuduit, pluribus agit Procop. lib. 1 de bello Perſico.

[c] Euergiſli Epiſc. ] Agunt de eodem Ado, & alij recentiores. Eius Acta ex veteribus codicibus edidit Sur. tom. 5. Succeſſit hic S. Seuerino, vt conſtat ex tab. eius eccleſiæ, & ex vita ipſius.

[d] Procli Epiſc. ] De eodẽ Gręci etiam hac die in Menolog. Fuit hic primùm anagnoſtes S. Ioannis Chryſoſtomi, ac demum eius ſedis Epiſcopus, de quo Socrat. li. 7. c. 39. 40. 41. 44. Theodoretus hiſt. li. 5. c. 36. Niceph. hiſt. li. 14. c. 38. 39 43. 46. & 47. Mentio de eodẽ habetur in vit. S. Ioannis Chryſoſt. Inter plurimas eiuſdẽ viri egregias lucubrationes, celeberrima eſt epiſtola ad Armenos de fide Catholica, cuius meminit Liberatus diac. in Breuiar. quæ & citata reperitur in SS. Concilio œcumenico Epheſino: habetur eadẽ typis excuſa. De eius rebus geſtis pluribus egimus in Annal. Eccl. ibi & de alijs eiuſdẽ Sancti lucubrationibus.

[e] Maglorij Epiſc. ] Eius Acta extant apud Sur. tom. 5. Petrus in catal. lib. 9. cap. 103. de eodem nonnulla habet, itemque Trithem. de vir. illuſtr. ord. S. Benedicti lib. 3. cap. 50. & lib. 4. cap. 47. Guibertus Gemblac. de virtut. S. Martini cap. 14. & Molanus in addit. ad Vſuard. hac die. Claruit anno Domini ſexcenteſimo vigeſimo.

[f] Martini abbatis. ] De eo item Vſuardus hac die & alij, Ado autem ad quintum Idus Decembris.. Agit de eodem Gregorius Turonenſis de glor. confeſſ. cap. 57.

[g] Marcij. ] De quo ſcribit ſanctus Gregor. Papa lib. 3. dialog. cap. 16. Alius iiſdem ferè temporibus claruit in Gallijs in Aruernenſi agro Marcius, cuius res geſtas ſcribit Greg. Turon. in vit. ſanct. Patr. c. 14. ex quo Trithem. de viris illuſtr. ord. S. Benedicti lib. 3. c. 27.

xxviij D **Octauo Kal. Nouemb. Luna.** 25

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | | | |

ROMÆ ſanctorum martyrum Chryſanthi, & Dariæ vxoris eius, qui poſt multas quas ſub Celerino Præfecto pro Chriſto ſuſtinuerunt paſſiones, iuſſi ſunt à Numeriano * Imperatore via Salaria in Arenario deponi, atque illic viuentes terra & lapidibus obrui. Item Romæ natalis ſanctorum quadragintaſex [b] Militum, qui ſimul baptizati à Dionyſio Papa,

*Valeriano

mox

mox iubente Claudio Imperatore decollati ſunt, ac via Salaria ſepulti: vbi & alij Martyres centum viginti & vnus poſiti ſunt; inter quos fuerunt quatuor milites Chriſti, Theodoſius, Lucius, Marcus, & Petrus. Sueſſione in Gallia ſanctorum martyrum Criſpini [c] & Criſpiniani, nobilium Romanorum, qui in perſecutione Diocletiani ſub Rictiouaro Præſide poſt immania tormenta gladio trucidati, coronam martyrij conſecuti ſunt: quorum corpora poſteà Romam delata fuerunt, atque in eccleſia ſancti Laurentij in pane & perna honorificè tumulata. Florentiæ paſſio beati Miniatis [d] militis, qui ſub Decio Principe pro fide Chriſti egregiè certans, nobili martyrio coronatur. Turribus in Sardinia ſanctorum martyrum Proti [e] presbyteri, & Ianuarij diaconi, qui à ſancto Caio Papa ad eam inſulam miſſi, tempore Diocletiani ſub Barbaro Præſide conſummati ſunt. Conſtantinopoli paſſio ſanctorum Martyrij [f] ſubdiaconi, & Marciani cantoris, qui ab hæreticis ſub Conſtantio Imperatore necati ſunt. Romæ ſancti Bonifacij [g] Papæ & confeſſoris. Petragoricis in Gallia ſancti Frontonis [h], qui à beato Petro Apoſtolo Epiſcopus ordinatus, cum Georgio presbytero magnam illius gentis multitudinem ad Chriſtum conuertit, & miraculis clarus in pace quieuit. Brixiæ natalis S. Gaudentij [i] Epiſcopi, eruditione & ſanctitate conſpicui. Gaualis ſancti Hilarij [k] Epiſcopi.

## OCTOBRIS 25.

CHRYSANTHI & Dariæ [a].] De his Vſuardus, & alij recentiores; Græci in Menologio ad xiiij. Kalend. Aprilis. Tradunt eorum Acta eſſe conſcripta à Verino & Armenio, S. Stephani Papæ presbyteris: deſcripta eadem à Metaphraſte recitat Lipom. tom. 7. & Surius tom. 5. Habemus ipſa manuſcripta in antiq. codicibus. Plura de iiſdem Gregor. Turon. de glor. martyr. c. 38. ibi & de eorum corporum inuentione, & de epitaphio ſancti Damaſi Papæ ad ſepulchrum ipſorum conſcripto, & inferiùs cap. 83. agit de ipſorum reliquijs. Aldel. lib. de laud. virg. de iiſdē pluribus. Quòd autem Daria ex virgine Veſtali ob Chriſtianam religionem ſuſceptam viua vnà cum Chryſantho iuſſa eſt, ſententiâ Iudicis, terra obrui; ſymbolum quoddam habere videtur cum illo ſupplicio, quod apud Ethnicos Romanos iure Pontificio virginibus Veſtalibus irrogari conſueuit. Habes de his poſt multa aliorum teſtimonia elegans exemplum, quod Plinius Iunior egregiè deſcribit lib. 4. epiſt. 11. ad Minutianum: quamquam ſtupratoris ſuplicium diuerſum à prædicto fuiſſe, auctor eſt Feſtus in verb. Probrum virginis. Cùm inſuper hi dicantur paſſi via Salaria; erat extra portam Salariam, quæ & Collina dicta reperitur, locus ille infamis, dictus Campus Sceleratus, quòd illic (vt ſcribit Liuius lib. 8. decad. 1.) Veſtales delinquentes viuæ defoderentur. Quòd autem in aliquibus prædictorum Actis Daria Mineruæ virgo dicatur, non eſt nouum: nam cùm Veſtales penes ſe Palladium haberent, eædem & Palladis virgines dictæ reperiuntur. Palladis ſacerdotes eas appellat Ambroſius lib. 1. de virgin. vbi de his agens, eaſdem poſt emerita caſtitatis ſtipendia nubere conſueuiſſe teſtatur. Id & omnes Ethnici ſcriptores profitentur; vt non miteris, ſi Dariam, tempore nubendi impleto, traditam audias in vxorem Chryſantho, vt eius Acta ſignificant.

[b] Quadragintaſex militum.] De his Beda, Vſuardus, Ado &, alij recentiores ex Actis ſancti Laurentij, vbi eorum martyrij res geſtæ deſcriptæ habentur.

[c] Criſpini & Criſpiniani.] Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri. Extant horum geſta ex antiquis monumentis deſcripta à Mombritio tom. 1. Petr. in catalog. lib. 9 cap. 106. & Sur. tom. 5. De horum martyrum eccleſia Sueſſione poſita agit Gregor. Turon. hiſt. lib. 5. c. 34. in fine.

[d] Miniatis.] De quo Vſuardus, & alij recentiores. Eius Acta ex antiquis tab. deſcripſit Sur. tom. 5. Antonin. in 1. par. tit. 7. c. 8. Petrus in catalog. lib 9. c. 108. De tranſlatione reliquiarum ipſius in Gallias tempore Othonis Imp. meminit Sigebert. in chron. anno Domini 969.

[e] Proti & Ianuarij.] Horum Acta manuſcripta ex Sardinia miſſa accepimus. Agit de iiſdem Franc. Fara lib. 1. de reb. Sardois.

[f] Martyrij & Marciani.] Agunt de his Græci hac die in Menologio his verbis: Natalis ſanctorum martyrum Marciani & Martyrij. cùm

Paulus

Paulus Epiſcopus Conſtantinopolitanus à Conſtantio Imp. Ariano in Armeniam miſſus exul, ab Arianis ſuffocatus, beatum finem aſſecutus eſt, Marcianus & Martyrius propter Orthodoxæ fidei obſeruantiam gladio cæſi ſunt, & ſepulti in porta Melandeſia Canſtantinopolitanæ vrbis; quibus S. Ioannes Chryſoſtomus templum à fundamentis erexit. Hæc ibi.

[g] Bonifacij Papæ.] Hic ſucceſſit Zoſimo. Eius Acta, ac dirum ſchiſma ab Eulalio concitatum, ex manuſcriptis epiſtolis tunc vltrò citroque miſſis deſcripſimus in Annalib. Eccleſiaſticis.

[h] Frontonis Epiſcopi.] Beda, Vſuardus, & alij. Meminit eiuſdem Petrus Cluniac. lib. 1. epiſt. 2. & Petrus in catalog. libro 9. cap. 109. Extat de eodem epigramma Bonad. Santon. lib. 3. monod. 26.

[i] Gaudentij Epiſc.] Hic, defuncto S. Philaſtrio, in eius locum inuitus renitenſque ſubrogatus eſt opera S. Ambroſij Epiſcopi Mediolanenſis, vt ipſemet Gaudentius teſtatur in ſermone habito in ordinatione ſua. De ſuſcepta à ſe in Orientem peregrinatione idem in ſermone de dedicat. eccleſ. Concil. ſanct. pertractat.

[k] Hilarij Epiſc.] De eodem Vſuard. hac die, & alij recentiores.

xxvij. E **Septimo Kalend. Nouemb. Luna.** 26

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21
t u A B C D E f F G H M N P
22 23 24 25 26 27 28 29 28 29 1 2 3 4

ROMÆ ſancti Euariſti [a] Papæ & martyris, qui Dei Eccleſiam ſub Hadriano Imperatore ſuo ſanguine purpurauit. In Africa ſanctorum martyrum Rogatiani [b] presbyteri, & Feliciſſimi, qui in perſecutione Valeriani & Gallieni illuſtri martyrio coronati ſunt: de quibus etiam ſcribit ſanctus Cyprianus in epiſtola ad Confeſſores. Nicomediæ ſanctorum martyrum Luciani [c], Florij, & ſociorum. Eodem die ſancti Quoduultdei [d] Epiſcopi Carthaginenſis, qui vnà cum clero à Genſerico Rege Ariano in nauibus fractis abſque remigijs & velis impoſitis, præter ſpem Neapolim appulit, ibique in exilio poſitus, confeſſor occubuit. Narbone ſancti Ruſtici [e] Epiſcopi & confeſſoris, qui claruit temporibus Valentiniani & Leonis Imperatorum. Apud Salernum ſancti Gaudioſi [f] Epiſcopi. Papiæ S. Fulci [g] Epiſcopi. Item ſancti Quadrageſimi [h] ſubdiaconi, qui & mortuum reſuſcitauit.

## OCTOBRIS 26.

EVARISTI Papæ [a].] Beda, Vſuardus, & Ado de eodem die ſequenti. De eius ſucceſſione Irenæus lib. 3. cap. 3. Epiphan. hæreſ. 27. Euſeb. in chron. & hiſtor. libro 3. cap. 28. Optat. lib. 2. Auguſt. epiſt. 165. Niceph. in chron. & alij. Cetera in Annal. Eccleſiaſt. diximus.

[b] Rogatiani, & Feliciſſimi.] De his item Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Frequenter de his Cyprianus, vt epiſt. 7. 39. 40. & 81. Senior Rogatianus hic dictus eſt reſpectu iunioris. Vixit iiſdem temporibus alius eiuſdem nominis Feliciſſimus, ſed meritis infeliciſſimus; qui ſignifer ſchiſmaticæ factionis, cum ſuis ſocijs à S. Cypriano abſtentus eſt, vt teſtatur epiſt. 39. & 40. Fuit inſuper alius Rogatianus, qui cum Donato paſſus eſt in Gallijs; de quo Gregor. Turonen. de glor. martyr. cap. 60.

[c] Luciani & ſoc.] Beda de his agit, qui etiam addit Heraclium & Marcianum. Luciani autem & Marciani Acta extant apud Mombrit. tom. 2. vir. ſanctor. paſſiq. feruntur temporibus Decij Imperatoris ſub Sabino Proconſule.

[d] Quoduultdei Epiſcopi.] Res geſtas ipſius ſcribit Victor de perſecutione Wandal. libro 1. Succeſſio Epiſcoporum Carthaginen. eius ſæculi ſic ſe habuit: Temporibus Honorij Imperatoris ſedit Aurelius, cuius eſt frequens mentio apud Auguſtinum: poſt quem ſucceſſit Capreolus, de quo Vincent. Lerinen. lib. aduerſus hæreſes in fine; interfuit hic enim per legatos Concilio œcumenico Epheſino. in eius locum ſubrogatus eſt Quoduultdeus, de quo agimus, qui ſedit temporibus Valentiniani, & ſucceſſorum. demum Zenone imperante, creatus eſt ſanctus Eugenius, de quo Victor lib. 2.

[e] Ruſtici

[e] Ruſtici Epiſcopi. ] De eodem Vſuardus. Ad hunc tunc monachum adhuc ætate iuuenem ſcripſit ſanctus Hieronymus egregiam epiſtolam de viuendi forma; eſt quarta ordine. factus autem Epiſcopus peruenit vſque ad tempora ſancti Leonis Papæ, qui ad eum dedit epiſtolam decretalem 92. itemque ad ipſum, alioſque Galliarum Epiſcopos epiſtol. 52.

[f] Gaudioſi Epiſc. ] Alios hic ab illo eiuſdem nominis ſancto Epiſcopo, qui ex otis Africanis tempore Wandalicæ perſecutionis Neapolim appulit, de quo ſuo loco inferiùs. Conſtat quidem de his duobus Gaudioſis Acta eſſe confuſa, dum quod eſt alterius, tribuitur alteri; & aliquando ex duobus efficitur vnus, vt in Actis alterius, quæ extant Neapoli, legimus. Huius corpus reconditum eſt Salerni in cathedrali eccleſia, in crypta inferiori.

[g] Fulci Epiſc. ] De eodem tab. eccleſiæ Papienſis, & Iacobus Val. de Epiſc. Papien.

[h] Quadrageſimi. ] De eius ſanctitate & miraculis ſcribit S. Gregor. Papa dialog. lib. 3. c. 17.

## 27 Sexto Kalend. Nouemb. Luna. F xxvj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | | | |

Vigilia [a] ſanctorum Apoſtolorum Simonis & Iudæ. Abulæ in Hiſpania paſſio ſanctorum Vincentij [b], Sabinæ, & Chriſtetæ, qui primùm in equuleo adeò ſunt extenti, vt omnes membrorum compages laxarentur; deinde capita eorum lapidibus ſuperpoſita, vſque ad excuſſionem cerebri validis vectibus ſunt contuſa, atque ita martyrium compleuerunt, agente Præſide Daciano. Apud caſtrum Tyle ſancti Florentij [c] martyris. In Cappadocia ſanctarum martyrum Capitolinę [d], & Erotheidis eius ancillæ, quæ ſub Diocletiano ſunt paſſæ. In Æthiopia ſancti Elesbaan [e] Regis, qui Chriſti hoſtibus expugnatis, miſſo regio diademate Ieroſolymam tempore Iuſtini Imperatoris, monaſticam vitam, vt vouerat, agens, migrauit ad Dominum. Apud Indos ſancti Frumentij [f] Epiſcopi, qui ibi primùm captiuus, deinde Epiſcopus à ſancto Athanaſio ordinatus, Euangelium in ea prouincia propagauit.

## OCTOBRIS 27.

Vigilia [a]. ] De eadem Beda, Ado, Concilium Oxonienſe, & alij.

[b] Vincentij & ſociorum. ] Beda, Vſuardus, Ado, cæterique recentiores de ijſdem agunt hac die. Errore labuntur, qui putant hunc illum eſſe Vincentium Cæſar auguſtanum diaconum. Extat de horum paſſione ſacer hymnus in Breuiario Toletano. Plura etiam Vaſæus in chron. Flos ſanctorum Hiſpaniæ, & Theſaurus concion. tom. 2. Paſſi ſunt in perſecutione Diocletiani ſub Daciano Præſide.

[c] Florentij. ] De eodem ijdem qui ſuprà, Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores.

[d] Capitolinæ, & Erotheidis. ] Agunt de his item Græci hac die in Menologio, paſſaſque tradunt in perſecutione Diocletiani Imperatoris, & Zelecinthio Præſide Cappadociæ.

[e] Elesbaan. ] Habentur eius res geſtæ deſcriptæ in Actis ſancti Aretæ martyris apud Metaphraſten 24. huius. De eodem & Nicephorus hiſt. lib. 17. cap. 6. in fine, & Cedrenus anno quinto Iuſtini Imperatoris.

[f] Frumentij Epiſc. ] De eodem Græci in Menolog. pridie Kal. Decemb. Eius Acta conſcripſit Ruffinus hiſt. lib. 1. c. 19. Theodoretus lib. 1. c. 23. Socrates libro 1. cap. 15. Sozomenus libro 1. cap. 23. & ex ijſdem Caſſiodorus, & alij recentiores, vt Petrus in catalogo lib. 9. cap. 113. Vixit ijſdem temporibus alius Frumentius Epiſcopus Auxumeos in Ægypto, ordinatus à ſancto Athanaſio, confeſſione clarus: multa enim paſſus eſt ab Arianis ob tuendam Catholicam fidem: in quem data epiſtola Tyranni extat apud Athanaſium in apologia ad Conſtant. col. 330.

Quinto



Digitized by Google

25. xxv. G Quinto Kalend. Nouemb. Luna. 28

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |
| t | u | A | B | | C | | D | E | f | F | G | H | M | | N | P |
| 24 | 25 | 26 | 27 | | 28 | | 29 | 30 | 1 | 1 | 2 | 3 | 4 | | 5 | 6 |

NATALIS beatorum Apoſtolorum Simonis [a] Chananæi, & Thaddæi [b], qui & Iudas dicitur: quorum Simon in Ægypto, Thaddæus in Meſopotamia Euangelium prędicauit: deinde in Perſidem ſimul ingreſſi, cùm innumeram gentis illius multitudinem Chriſto ſubdidiſſent, martyrium conſummarunt. Romæ ſanctæ Cyrillæ [c] virginis, filiæ ſanctæ Tryphoniæ, quæ ſub Claudio Principe pro Chriſto iugulata eſt. Ibidem ſanctæ Anaſtaſiæ [d] ſenioris virginis & Cyrilli martyrum: illa in perſecutione Valeriani ſub Probo Præfecto vinculis conſtricta, colaphis cæſa, igne & verberibus cruciata, cùm in confeſſione Chriſti immobilis permaneret, abſciſſis mamillis, euulſis vnguibus, dentibus comminutis, manibus pedibuſq. pręciſis, truncata capite, tot paſſionum monilibus ornata migrauit ad Sponſum: Cyrillus autem ei petenti aquam propinans, martyrium pro mercede accepit. Apud Comum S. Fidelis [e] martyris ſub Maximiano Imperatore. Maguntiæ S. Ferrutij [f] martyris. Meldis ſancti Faronis [g] Epiſcopi & confeſſoris. Neapoli ſancti Gaudioſi [h] Epiſcopi Africani, qui ob perſecutionem VVandalorum in Campaniam veniens, in monaſterio apud eam vrbem ſancto fine quieuit. Vercellis ſancti Honorati [i] Epiſcopi.

## OCTOBRIS 28.

SIMONIS Chananæi [a].] De quo Beda, ac ceteri Latinorú hac die; Gręci autem in Menologio ſeorſum à Iuda, ſexto Idus Maij. Errore factum opinatus eſt quidam, hîc de vtroque Apoſtolo Simone & Iuda agi; quaſi mendoſus ſit codex, ac dicere velit: Simonis, qui & Iudas: nam hunc etiam appellatum eſſe Iudam, ſcribit S. Hieronymus in epiſtola ad Galat. c. 4. & contra Heluidiú, iunctis his quę ab eodem in Matthęum ſcribuntur c. 10. Sed & Sophronius apud Hieron. de Script. Eccleſ. in Simone, & Dorotheus in Synop. itidem aiunt Simonem cognomento dictum eſſe Iudam, eumq. fratrem fuiſſe Iacobi, eidemq. ſucceſſiſſe in ſede Epiſcopali, atque ſub Traiano martyrium conſummaſſe. Sed ad arguendos eiuſmodi errores plura à nobis dicta ſunt in tom. 1. Eccleſiaſticorum Annalium, anno Domini 68. Quod autem pertinet ad præſentem diem, agi hîc re vera de duobus Apoſtolis, non tantùm innumera vetuſta exemplaria fidem faciunt, ſed & ratio perſuadet: nam etſi alter ipſorum in Ægyptum, alter verò in Meſopotamiam profectus, Euangelium prædicauit; ſimul tandem conuenientes, in Perſide martyrio coronati ſunt; vt hîc etiam Beda, Vſuardus, Ado, & alij profitentur ex Actis ipſorum, quę incerto auctore in Paſſionibus Apoſtolorum conſcripta habentur, quorum Beda meminit in retract. in Act. Apoſtol. cap. 1. De vtroque agi eodem die, indicat etiam vetus eccleſiaſticum Officium eo die recitari conſuetum, ac præcipuè antiquus hymnus de iiſdem, qui ponitur in Breuiario Toletano. In qua autem prouincia Simon Apoſtolus Euangelium prædicauerit, antiquioribus ſubobſcurum fuiſſe videtur: nam Origenes, Gregorius Nazianzenus, Euſebius, Chryſoſtomus, Theodoretus, & Socrates, cùm de ceteris agunt Apoſtolis, locaq. referunt peregrinationis & Apoſtolatus eorum, de Simone dicere omittunt. Aliorum verò, qui poſt prædictos ſcripſerunt, diuerſæ reperiuntur ſententiæ. Auctor qui nomine Iſidori fertur, de vit. & obit. ſanct. c. 82. & 83. dicit Simonem prædicaſſe Euangelium in Ægypto: Nicephor. lib. 2. cap. 40. addit Africam, eumque tandem ad Britannos perueniſſe teſtatur: id ipſum etiam Dorotheus in Synopſi: quorum ſententiam Græci ſecuti videntur in Menologio, vbi etiam (quod non probatur) dicitur Simon

Item

item Nathanael appellatus. Rurſus autem in eodem Apoſtolo erraſſe reperiuntur nonnulli, putantes hunc eumdem eſſe cum illo Simone, qui paſſus reperitur in perſecutione Traiani, de quo Euſeb. in chronic. & hiſtor. lib. 3. cap. 26. Fuerunt eius ſententiæ idem qui ſuprà auctor de vit. & obit. ſanct. cap. 82. Sophron. apud Hieron & Beda, qui tamen in retract. in Act. Apoſt. recantat palinodiam. Diuerſos planè eſſe, varia ipſorum martyrij Acta teſtantur, & alia complura, quæ breuitatis cauſa prętерimus.

[b] Thaddæi, qui & Iudas dicitur. ] De eo etiam hac die Latini omnes, Gręci autem xiij. Kal. Iulij. Sicut de duobus Simonibus, ita & de duobus Thaddæis exorta eſt ambiguitas: ſiquidem alter ex his Apoſtolus, hic de quo agimus; alter autem fertur ex numero ſeptuagintaduorum diſcipulorum; qui ad Abagarum miſſus, in Syria prædicauit Euangelium, vt auctor eſt Euſebius hiſt. lib. 1. cap. 13. in fine. Duos item & inter ſe diuerſos fuiſſe Thaddæos, teſtatur Beda in retract. in Act. Apoſt. cap. 1. id ipſum ſcribit Niceph. hiſt. lib. 2. cap. 40. ac ceteri Græcorum, qui eiuſdem ſententiæ eſſe videntur, dum diuerſis diebus de Iuda agunt, ac de Thaddæo; de illo nimirum ad xiij. Kal. Iulij, de alio autem ad xij. Kal. Septembris. Verùm S. Hieron. in Matthęum cap. 10. contrarium ſenſiſſe videtur, vnum eumdemq. fuiſſe Thaddæum Apoſtolum cum illo qui Edeſſam ad Abagarum profectus eſt, quem Luc. Act. cap. 1. Iudam Iacobi, & Matth. Euang. c. 10. Lebbęum appellat. in quam quidem ſententiam ceteri Latinorum abijſſe videntur, cùm Occidentalis Eccleſia nonniſi de vno Thaddæo agat commemorationem. Loca autem vbi prædicauit Euangelium, hæc adnumerantur à Nicephoro libro 2. cap. 40. Iudæa ſcilicet, Galilæa, Samaria, Idumæa, Arabia, Syria, & Meſopotamia, de qua etiam Iſidorus & alij teſtantur. Extant vtriuſq. Apoſtoli Acta, quæ & per lectiones diſtincta in aliquibus antiquis manuſcriptis cod. inuenimus, vt in aliquibus eccleſijs legi conſueuerunt; quæ non ſatis tuta viſa ſunt Radulpho Tungrenſi de obſeru. can. cap 11. Apud Hippolytum in libello de duodecim Apoſtolis legi, Thaddæum Berythi conſummaſſe agonem. Reliquias S. Thaddæi Ieroſolymis ad ſe miſſas S. Bernardus accepit, vt in eius vita legitur prope finem.

[c] Cyrillæ. ] De eadem Beda, Vſuardus, Ado, & alij ex Actis S. Laurentij. Vidi quę ſuperiùs notata ſunt in Tryphonia xv. Kal. Nouembris. Cyrillæ, Memmiæ, Iulianæ, Neopiſtis, ac Sophiæ virginum ac martyrum corpora tranſtulit Sergius Iunior in Titulum Equitij, vt vetus inſcriptio marmori inciſa illic poſita teſtatur.

[d] Anaſtaſiæ ſenioris, & Cyrilli. ] Agunt de his Græci in Menolog. die ſequenti. Acta Anaſtaſię à Metaphraſte deſcripta recitat Lipom. tom. 6. & Sur. tom. 5. Hæc ſenior dicta reſpectu alterius Anaſtaſiæ, quæ paſſa eſt in perſecutione Diocletiani, de qua inferiùs viij. Kal. Ianuar.

[e] Fidelis. ] Beda de eodem hac die. Acta Fidelis & ſociorum recitat Mombrit. tom. 1. Sermonem & hymnum de eodem ſcripſit Petrus Dam. Extant apud Sur. tom. 5.

[f] Ferrutij. ] Ado hac die. Scripſit de Actis eius atque tránſlatione corporis ſermonem Meginradus, quem Surius habet tom. 5. hac die.

[g] Faronis Epiſc. ] De quo Vſuardus, & alij recentiores. Eius vitam ex antiquis codicibus edidit Sur. tom. 5. Meminit eiuſdem Sigebert. in chron. an. 620. Vincent. in Spec. lib. 24. c. 17. 18. 19. Petrus in catal. lib. 9. c. 117. Trithem. de vir. illuſtr. ord. S. Bened. lib. 3. cap. 74. & lib. 4. c. 139. Ponitur viceſimus ordine Meldenſis ſedis Epiſcopus, qui ordinatus eſt anno Domini ſexcenteſimo viceſimo, ſeditque an. 66. vt eius vitæ Acta & tabulæ Meldenſium Epiſcoporum teſtantur.

[h] Gaudioſi Epiſc. ] De eo tab. Neap. eccleſiæ: habentur ibidem eius Acta. Vidi eiuſdem cœmeterium ſubterraneum in ſuburbijs Neapolis, vbi hactenus inter alia nobilia antiquitatis monumēta ipſius tumuli ſeruatur inſcriptio muſiuo opere exarata, licet ob vetuſtatem iam pęnè diminuta, his verbis: HIC REQVIESCIT IN PACE S. GAVDIOSVS, QVI VIXIT AN..... DIE KAL. NOVEMB..... INDICT. VI. Hęc ibi. Hic ex Africa profugus, vrgente dira perſecutione excitata à Genſerico Wandalorum Rege Ariano, Neapolim appulit, eiuſq. ſanctitas miraculis illuſtrata, non tantùm Campanis, ſed exteris quoque innotuit. In Actis ſancti Agnelli hęc de ſancto Gaudioſo leguntur: Agnellus abbas electus in monaſterio quod beatus Gaudioſus cognomento Septimus Cælius, S. Bitinenſis eccleſię Pontifex in Africa, condere ſtuduit in hac Parthenopea ciuitate, eo tempore quo ex Africæ partibus aduenit cum ſancto Quoduultdeo & ceteris Præſulibus fugiens perſecutiones Wandalorum, &c. Perſeuerat ſolemnis cultus Neapoli, vbi in eius eccleſia, decenti bonore, ſacra ipſius pignora aſſeruantur. Claruit circa annum Domini quadringenteſimum quadrageſimum: ea etenim perſecutio in Africa conflata eſt Theodoſio decimumſeptimùm & Feſto Coſſ. anno Domini 439. Eiuſdem nominis Epiſcopis Capuanus interfuit Concilio Rom. ſub Martino Papa & martyre, vt eius Concilij Acta produnt.

[i] Honorati Epiſcopi. ] De eodem tabulæ eccleſiæ Vercellenſis. Meminit ipſius Paulinus in vita ſancti Ambroſij. Epitaphium ad eius ſepulchrum in marmore inciſum, typis excuſum habetur ante vitam S. Euſebij eiuſdem eccleſiæ Epiſcopi: incipit: Pontificis ſancti, &c. Tertius ibi ponitur eius ſedis Epiſcopus, cuius vitam ex antiquis monumentis eius eccleſiæ ſe ſcripſiſſe teſtatur Galeſinius. Succeſſit hic Limenio, ſeditque temporibus Anaſtaſij & Innocentij Romanorum Pontificum. Claruit eiuſdem nominis Honoratus Epiſcopus Nouarienſis temporibus Symmachi Papæ. Extat ad ipſum ſcripta egregia epiſtola Ennodij Ticinenſis.



Digitized by Google

xxiiij. A Quarto Kalend. Nouemb. Luna. 29

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | | | |

HN Lucania ſanctorum martyrum Hyacinthi [a], Quincti, Feliciani, & Lucij. Sidone in Phœnicia S. Zenobij [b] preſbyteri, qui ſub nouiſſimæ perſecutionis acerbitate alios ad martyrium exhortans, martyrio & ipſe dignatus eſt. Eodem die ſanctorum Epiſcoporum Maximiliani [c] martyris, & Valentini confeſſoris. Bergomi ſanctæ Euſebiæ [d] virginis & martyris. Ieroſolymis natalis beati Narciſſi [e] Epiſcopi, ſanctitate, patientia, ac fide laudabilis, qui centum & ſexdecim annorum migrauit ad Dominum. Auguſtoduni S. Ioannis [f] Epiſcopi & confeſſoris. Caſſiope in inſula Corcyræ S. Donati [g], de quo ſcribit B. Gregorius Papa. Viennæ depoſitio beati Theodori [h] abbatis.

## OCTOBRIS 29.

HYACINTHI, & ſoc. [a] ] De his Beda, Vſuardus, & alij recentiores. De reliquijs ſancti Hyacinthi meminit S. Gregorius in regiſtro libro 7. Indict. 2. epiſt. 12.

[b] Zenobij. ] De eodem Beda, Vſuard. Ado, ac ceteri. Scribit de eo Euſeb. hiſt. lib. 8. c. 25. Niceph. lib. 7. c. 16. Longè alius hic ab eo de quo Græci agunt die ſequenti in Menologio.

[c] Maximiliani & Valentini. ] Vetera manuſcripta, ex quibus Molanus in additionibus ad Vſuardum hac die.

[d] Euſebiæ. ] Tabulæ eccleſiæ Bergomenſis, ex quibus Galeſinius hac die.

[e] Narciſſi Epiſc. ] De eodem Beda, Vſuard. Ado, & alij: pluribus Euſebius in chron. & hiſt. libro 4. cap. 19. lib. 5. cap. 12. & lib. 6. cap. 8. & 9. Niceph. lib. 5. cap. 9. & 10. Meminit eiuſdem S. Epiphanius in Panar. hęreſ. 66. & Niceph. Epiſc. in chronic. Confundunt nonnulli hunc cum Narciſſo Gerundenſi, de quo ſuprà. Fuit hic trigeſimus eius ſedis Epiſcopus: claruit ſub Seuero, & ſucceſſoribus Imperatoribus.

[f] Ioannis Epiſc. ] De eodem tab. eccleſiæ Auguſtodunen. Eius vita ſcripta fertur à Walfrido eius ſucceſſore.

[g] Donati. ] Gregor. Papa in regiſtro lib. 2. epiſt. 2. meminit de corpore eiuſdem S. Donati, pluribus autem inferiùs epiſtola octaua; ibi & de Caſſiope caſtro meminit.

[h] Theodori abb. ] aliàs Theodarij, ſic & Molanus, qui de eodem agit hac die.

xxiij. B Tertio Kalend. Nouemb. Luna. 30

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | | | |

IN Africa natalis ſanctorum Martyrum [a] ducentorum viginti. Tingi in Mauritania paſſio ſancti Marcelli [b] Centurionis, qui capitis abſciſſione martyriũ compleuit ſub Agricolao agente vices Pręfecti Prętorio. Alexandrię ſanctorum martyrum Chronionis [c], Iuliani, Macarij, & aliorum tredecim ſub

Decio

Decio Imperatore. Ibidem ſanctæ Eutropiæ [d] martyris, quæ martyres viſitans, cum illis ſæuiſſimè cruciata, reddidit ſpiritum. Caralis in Sardinia ſancti Saturnini [e] martyris, qui in perſecutione Diocletiani ſub Barbaro Præſide capite truncatus eſt. Apameæ S. Maximi [f] martyris ſub eodem Diocletiano. Legione in Hiſpania ſanctorum martyrum Claudij [g], Luperci, & Victorij, filiorum S. Marcelli Centurionis; qui in perſecutione Diocletiani & Maximiani ſub Digniano Præſide iuſſi ſunt decollari. Ægeæ in Cilicia paſſio ſanctorum Zenobij [h] Epiſcopi, & Zenobiæ ſororis eius, ſub Diocletiano Imperatore & Lyſia Præſide. Altini S. Theoneſti [i] Epiſcopi & martyris, qui ab Arianis occiſus eſt. Pariſijs S. Lucani [k] martyris. Antiochiæ ſancti Serapionis [l] Epiſcopi, eruditione clariſſimi. Capuæ ſancti Germani [m] Epiſcopi & confeſſoris, magnæ ſanctitatis viri: cuius animam in hora obitus eius ab angelis in cælum ferri ſanctus Benedictus aſpexit. Potentiæ in Lucania ſancti Gerardi [n] Epiſcopi.

## OCTOBRIS 30.

Martyrum ducentorum viginti. [a] ] De his item Beda, Vſuardus, Ado, conſentiuntque vet. manuſcripta.

[b] Marcelli. ] Beda ac ceteri omnes de eodem hac die. Extant eius martyrij Acta publica à Notariis excepta: deſcripſit eadem Sur. tom. 5. inſuper eius certamen & corona præclarè canuntur hymno ſacro in Breuiario Toletano. Fuit hic pater duodecim filiorum, qui omnes pari triumpho digni, parem patri aſſecuti ſunt coronam martyrij. De his omnibus in Breuiario Eborenſi, & in chron. Hiſpan. Vaſęi, qui de Marcello agens, paſſum dicit Fauſto iterùm & Gallo Coſſ. eſt is annus à Chriſto ducenteſimus nonageſimusoctauus. De eodem in Flor. ſanct. Hiſpan. vbi & de martyrijs duodecim filiorum pleniùs agitur; licet aliqui alij loco illorum ibi ponantur. Quinam fuerint huius filij, habes ex Breuiario Eborenſi apud eumdem Vaſæum in chron. Hiſpan.

[c] Chronionis & ſoc. ] Agunt de his Græci etiam in Menologio hac die, & Euſebius ex epiſtola Dionyſij lib. 6. cap. 34. Verùm de Iuliano, & Euno, qui idem eſt cum Chronione, ſiue Coronione, agitur etiam ſuperiùs 27. Febr. de Macario autem infrà 8. Decembris.

[d] Eutropiæ. ] Græci itidem hac die in Menologio pluribus de eadem agunt.

[e] Saturnini. ] Accepimus eius Acta manuſcr. paſſuſq. habetur an. viceſimo Imp. Diocletiani, eius Conſulatu octauo, tertio Kal. Nouemb. Alia Acta habet Mombrit. tom. 2. vit. Sanct. Meminit eiuſdem Fara de reb. Sard. De baſilica S. Saturnini in Sardinia mentio habetur in vita ſancti Fulgentij Epiſcopi Ruſpenſis apud Sur. tom. 1.

[f] Maximi. ] Græci agunt de eodem xvij. Kal. Octob. in Menologio.

[g] Claudij & ſoc. ] Fuit Claudius vnus ex filijs S. Marcelli Centurionis, de quo hac die agitur, Lupercus item & Victorius eodem patre geniti. Plura de his in Flore ſanct. Hiſpan. vbi de omnibus eiuſdem S. Marcelli filijs agitur; ſed quod ad nomina ſingulorum ſpectat, conſule (vt diximus) Vaſæum in chron. anno 306. & Theſaur. concion. tom. 2.

[h] Zenobij & Zenobiæ. ] Agunt de his Græci etiam hac die in Menologio, eorumque martyrium deſcribunt; ſed pleniùs Metaphraſtes eorum Acta refert: extant apud Lipom. tom. 6. & Sur. tom. 5. hac die.

[i] Theoneſti Epiſcopi. ] Tabulæ eius eccleſiæ, itemque Sigebert. in chron. anno 425. & Petrus in catalog. lib. 10. cap. 9.

[k] Lucani. ] De eodem vet. manuſcripta, ex quibus Molan. hac die in addit. ad Vſuard.

[l] Serapionis Epiſc. ] Beda, Vſuardus, & alij recentiores de eodē hac die. Scribit de ipſo Euſeb. in chron. an. 10. Commodi Imper. & hiſt. lib. 6. c. 10. Hieron. de ſcript. Eccleſ. Niceph. Calliſt. lib. 4. c. 20. & 27. Niceph. Epiſc. Conſt. in chron. In Concil. Alexandrino temp. Athanaſij commendatur eius Catholica fides ſcriptis olim teſtata, vt de eo item Niceph. lib. 10. cap. 14.

[m] Germani Epiſc. ] Ado, & alij recentiores: pluribus S. Gregorius lib. 2. dialog. c. 35. & lib. 4. cap. 40. hiſt. Miſcel. lib. 15. in Iuſtino Imp. lib. de Rom. Pontif. in Hormiſda, Ioan. Epiſcopus Conſtantinop. in libello fidei Catholicæ ad Hormiſdam. De eius legatione Conſtantinopolim, de mandatis acceptis ab Hormiſda, de litteris ad eum ſcriptis, de relatione Germani, rebuſq. tunc ab eo geſtis Conſtantinopoli, & cùm reuerteretur Romam, plures extant epiſtolæ, quas ex codice Vaticano deſcripſimus, intexuimuſque Annal. Eccleſiaſt. Succeſſio Epiſcoporum Capuanæ eccleſiæ illorū temporum ſic ſe habuit: Sub Pontificatu Hilari Papæ ſedit Tiburtius, qui interfuit Romano Concilio ſub eodem Pontifice celebrato; poſt quem ſedit Conſtantinus, qui item interfuit Synodo Romę habitę ſub Felice Pontifice, vixitq. etiam tēpore Papę Symmachi, ſeditq. cum alijs in Concilijs Romanis aduerſus Laurentium pro Symmacho, vt prædictarum Syno-

dorum Acta declarant. Poſt Conſtantinum denique ſedit ſanctus Germanus, de quo hac die celebritas agitur. De eodem habetur mentio in Actis S. Placidi à Gordiano conſcriptis.

ᵉ Gerardi Epiſcopi. ] Tabulæ & vetera manuſcripta eius eccleſiæ.

xxij. C Pridie Kalend. Nouemb. Luna. 31

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |

VIGILIA[a] omnium Sanctorum. Romæ natalis beati Nemeſij[b] diaconi, & Lucillæ virginis filiæ: qui cùm à fide Chriſti flecti nequaquam poſſent, iubente Valeriano Imperatore, decollati ſunt octauo Kalendas Septembris: quorum corpora à beato Stephano Papa ſepulta, deinde à beato Sixto via Appia hac die honeſtiùs tumulata, Gregorius Quintus in Diaconiam ſanctæ Mariæ Nouæ tranſtulit, vnà cum ſanctis Symphronio, Olympio Tribuno, Exuperia eius vxore, & Theodulo filio, qui omnes Symphronij opera conuerſi, & ab eodem S. Stephano baptizati, martyrio coronati fuerant. Quæ Sanctorũ corpora Gregorio XIII. ſummo Pontifice ibidem inuenta, ſub altari eiuſdem eccleſiæ honorificentiùs collocata ſunt ſexto Idus Decembris. Eodem die ſanctorum Ampliati[c], Vrbani, & Narciſſi, quorum meminit ſanctus Paulus ad Romanos ſcribens: qui ob Euangelium Chriſti à Iudæis & Gentilibus cæſi ſunt. In Gallia apud Auguſtam Veromanduorum S. Quinctini[d] ciuis Romani, ordinis ſenatorij, qui ſub Maximiano Imperatore martyrium paſſus eſt: cuius corpus poſt annos quinquagintaquinque, reuelante angelo, inuentum eſt incorruptum. Conſtantinopoli ſancti Stachis[e] Epiſcopi, qui à beato Andrea Apoſtolo primus eiuſdem ciuitatis Epiſcopus ordinatus eſt. Mediolani S. Antonini[f] Epiſcopi & confeſſoris. Ratiſponæ ſancti VVolfgangi[g] Epiſcopi.

## OCTOBRIS 31.

VIGILIA[a].] De eadem Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Concil. Oxonien. & qui agunt de diuinis officijs.

ᵇ Nemeſij & Lucillę.] Beda de iiſdem, ac recentiores. Agitur de his martyribus in Actis S. Stephani Papæ & martyris apud Surium tom. 4. die 2. Auguſti. Adhuc perſeuerat locus Lucillæ virginis in cœmeterio Calliſti, vbi in lapide ſepulchri inſcriptio vetus poſita legitur. Vltima tranſlatio, cuius hic habetur mentio, facta eſt ſolemniter operâ Illuſtriſſimi & Reuerendiſſ. Antonij Carafæ tunc diaconi, nunc presbyteri Cardinalis Bibliothecarij, Protectoris monachorũ ordinis S. Benedicti congregationis Montis Oliueti, qui prędictam curant eccleſiam; cuius egregiâ operâ, apud complures illorum priſtina illa monaſtica exactiſſima diſciplina eſt reſtituta, quam ſperamus in ceteros propagandam.

ᶜ Ampliati & ſociorum. ] De his Paulus ad Rom. cap. 16. Græci etiam horum omnium diem natalem celebrant hac die in Menologio. Hippolytus mart. in libello de 72. diſcipulis ait Ampliatum Odyſſæ, Vrbanum in Macedonia, & Narciſſum Athenarum creatos eſſe Epiſcopos: de Ampliato & Vrbano idem profitetur Dorotheus in Synopſi; Narciſſum autem Patrarum dicit fuiſſe Epiſcopum.

ᵈ Quinctini. ] Agunt de Quinctino Beda, Vſuardus, Ado, ceterique recentiores, cuius martyrij Acta ex antiquis codicibus edidit Sur. tom. 5. agitque de eius ſacri corporis tranſlatione. Mentio de eodem habetur in Actis ſanctorum Criſpini & Criſpiniani, de quibus agitur ſuprà x. Kalendas Nouembris. De miraculis ad ſepul-

ſepulchrum eius ſcribit Gregorius Turonenſis de gloria martyrum cap. 72. & 73.

[e] Stachis Epiſc. ] De eodem hac die Græci in Menologio. Hic ille Stachis, cuius Paulus meminit ad Roman. cap. 16. de quo & Niceph. Epiſc. Conſtantinop. in chron. & Niceph. Calliſt. hiſt. lib. 8. c. 7. Hippolytus in libello de ſeptuag. duob. diſcip. ex quo eadem Doroth. in Synopſi.

[f] Antonini. ] De quo tab. eccleſiæ Mediolanenſis, ex quibus & Galeſinius hac die.

[g] VVolfgangi Epiſc. ] Eius res geſtas ex vet. manuſcript. edidit Sur. tom. 5. Legi prætereà libellum ipſius vitam continentem, eamque ſacris imaginibus referentem; ſuntque inibi deſcripta miracula poſt obitum facta. De eodem Lambert. in chron. & Trithem. de vir. illuſtr. ord. S. Benedicti lib. 3. c. 229. & lib. 4. c. 226. Sedit (vt prædicta Acta indicant) annis vigintiduobus, migrauitque ex hac vita anno Domini 999. licet Lambertus referat eius obitum anno 994.

# NOVEMBER.

1 Kalendis Nouemb. Luna. D xxj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | | | |

FESTIVITAS [a] omnium Sanctorum, quam in honorem beatæ Dei genitricis virginis Mariæ & ſanctorum Martyrum Bonifacius Papa Quartus, dedicato templo Pantheon, celebrem & generalem inſtituit agi quotannis in vrbe Roma. Sed & Gregorius item Quartus poſtmodum decreuit, eamdem feſtiuitatem, quæ varijs modis iam in diuerſis eccleſijs celebrabatur, in honore omnium Sanctorum ſolemniter hac die ab vniuerſa Eccleſia perpetuò obſeruari. Tarracinæ in Campania natalis ſancti Cæſarij [b] diaconi, qui diebus multis in cuſtodia maceratus, poſteà cum ſancto Iuliano presbytero in ſaccum miſſus, in mare præcipitatus eſt. In caſtro Diuione ſancti Benigni [c] presbyteri, qui à beato Polycarpo miſſus in Galliam ad prædicandum Euangelium, poſtquam ſub Marco Aurelio Imperatore à Terentio Iudice grauiſſimis tormentis multipliciter eſt afflictus, tandem collum eius vecte ferreo tundi, & corpus lancea perforari iubetur. Eodem die S. Mariæ [d] ancillæ, quæ Chriſtianæ religionis nomine accuſata, ſub Hadriano Imperatore diris verberibus afflicta, equulei extenſione, & vngularum laceratione vexata, martyrium compleuit. Damaſci paſſio ſanctorum Cæſarij [e], Dacij, & aliorum quinque. In Perſia ſanctorum martyrum Ioannis [f] Epiſcopi, & Iacobi presbyteri, ſub Sapore Rege. Tarſi ſanctarum Cyreniæ [g] & Iulianæ, ſub Maximiano Imperatore. Aruernis ſancti Auſtremonij [h] primi eiuſdem ciuitatis Epiſcopi. Pariſijs depoſitio ſancti Marcelli [i] Epiſcopi. Baiocis ſancti Vigoris [k] Epiſcopi, tempore Childeberti Francorum Regis. Tibure ſancti Seuerini [l] monachi. In pago VVaſtinenſi ſancti Maturini [m] confeſſoris.

FESTIVITAS omnium Sanctorum [a].] Agunt de eadem cetera Martyrolog. atque in Ordine Romano hęc ſcripta habentur: In ipſis Kalend. Nouemb. Romæ, & per totũ Orbem plebs vniuerſa, ſicut in die Natalis Domini, ad eccleſiam in honorem omnium Sanctorum, ad Miſſarum ſolemnia conuenire ſtudeat: illud attendentes, vt quidquid humana fragilitas per ignorantiam aut negligentiam in ſolemnitatibus ac vigilijs Sanctorum minùs plenè peregerit, in hac obſeruatione ſancta ſoluatur. Hęc ibi; eademq́. Albinus Flac. de diuin. offic. Annua die natalitia ſanctorum martyrũ in eccleſia peragi, ex priſtina maiorũ traditione, ab ipſo initio naſcentis Eccleſiæ, religionis vſus obtinuit: idq́. intelligit Tertullianus de coron. milit. cùm ait: Pro natalitijs annua die facimus. Ea de cauſa S. Cyprianus ſumma adhibita diligentia diem notari mandat, quo quis martyrium conſummaſſet, epiſt. 36. quo autem ritu huiuſmodi natalitia agi cõſueuiſſent, idem docet epiſt. 34. cùm ait: Sacrificia pro eis (vt meminiſtis) ſemper offerimus, quoties martyrum paſſiones & dies anniuerſaria commemoratione celebramus. Minimus hic de his innumera aliorum ſanctorũ Patrum teſtimonia recenſere, egimus de his pleniùs in Annalib. Eccleſiaſt. Vt autem omnium ſimul martyrũ vna eademq́. die celebritas ageretur, ex Bonifacij Papæ IV. inſtitutione Romæ eſt ſumptum exordiũ, cùm antea ea die Kalend. Nouembrium eſſet vniuerſale ieiunium, de quo Iſidorus agit de Eccleſ. offic. lib. 1. c. 39. Poſtmodum verò, quod Romæ tantùm peculiariter agebatur, Greg. Papa Quartus ceteris Occidentalis orbis eccleſijs faciendum pręcepit. De Tranſalpinis Sigebert. in chron. anno Domini 835. docet his verbis: Tunc, monente Gregorio Papa, & omnibus Epiſcopis aſſentientibus, Lodouicus Imp ſtatuit, vt in Gallia & Germania feſtiuitas omnium Sanctorum in Kalend. Nouemb. celebraretur, quam Romani ex inſtituto Bonifacij Papæ celebrant. Hæc Sigebertus. Quòd autẽ ante Ludouicum Pium Imp. in Gallijs eiuſmodi ſolemnitas nullatenus peragi conſueuerit, ſatis exploratum habetur ex eo, quòd in Concil. Moguntino habito tempore Caroli Magni Imp. cùm in canone tricesimoſexto feſti dies in illis eccleſijs agi conſueti recenſeantur, nulla prorſus mentio fit de eiuſmodi celebritate, ſicut nec etiam in Capitular. Regum lib. 1. c. 164. lib. 2. c. 36. & lib. 6. c. 186. Quòd verò ferantur ſermones aliqui S. Auguſtini nomine in eadem ſolemnitate habiti: ſcire debemus in primis, illum ipſum primum ordine eo titulo pręnotatum, ſecundùm exactam cenſuram ſcholæ Louanienſis, non Auguſtino, ſed Alcuino eſſe tribuendum; fuitq́. fortaſſe librariorũ mendum, vt pro Alcuino ſcriberent Auguſtinum. At verò in antiquo codice manuſcript. eccleſiæ S. Mariæ ad Martyres Romæ, vbi ea celebritas primùm agi cœpta eſt, inuenimus eundem ſermonem ſub titulo Odonis abbatis Cluniacenſis. Rurſus autem ſermo ille 14. in additione Pariſienſi, qui eodem titulo conſignatur, Auguſtini cùm germanus ſit, habitus ab eo noſcitur in die natali alicuius virginis & martyris, vt patet ex eius exordio. Reperimus in eodem codice alios ſermones S. Auguſt. de martyribus, ad eam tamen ſolemnitatem accommodatos, vt quem habuit de Maſſa candida, nondum, quod ſciam, typis excuſum, cuius exordium eſt: Dilectiſſimi fratres, &c. Alius eſt, qui incipit: Delectat videre campos ſegetum, &c. Tertius ita: Sancta feſtiuitas, &c. Quartus verò ſic: Pſalmus qui cantatur, &c. Eſt hic primus ordine de pluribus martyribus, ceteri autem nondum editi ſunt. hi quidem per octauas eius ſolemnitatis legi conſueuerunt vnà cum tractatu in Apocalypſim titulo Pauli Oroſij, & ſermo de omnibus Sanctis, incipiens à Dei genitrice Maria: qui in aliquibus codicibus adſcribitur Maximo Taurinenſi, ſed in dicto codice ponitur titulo Maximi Tarentini; ſicque exorditur: Legimus in eccleſiaſticis hiſtorijs, &c. Extant de eadem ſolemnitate inter alios duo ſermones Innocentij Papæ. De dedicatione autem Pantheon in honorem Dei genitricis & omnium Sanctorum dictum ſatis eſt ſuprà tertio Idus Maias. Hic verò non prætereundum putamus, quòd legitur in Martyrologio Bedæ hac die, Pantheon fuiſſe erectum à Domitiano Imp. Putaſſem mendum vitio librariorum in codicem irrepſiſſe, niſi conſtaret eumdem auctorem idem ſcripſiſſe lib. de ſex ætat. in Traiano. Id quidem à veritate alienum eſt; cùm conſtet Auguſti tempore à Marco Agrippa tertiùm Conſule excitatum, anno ab Vrbe condita ſeptingenteſimo viceſimoſeptimo, ante Chriſti aduentum anno 25. cuius quidem rei etſi nullius antiquorum ſuppeteret teſtimonium, ipſa in frontiſpicio poſita vetus inſcriptio ſatis indicat, quæ habetur adhuc temporibus noſtris: M. AGRIPPA L. F. CONS. TERTIVM. FECIT. De eodem Dio libro 53. hiſtor. Rom. hæc ait: Pantheum, quod perfecit Agrippa, id ſic dicitur fortaſſis, quòd in ſimulacris Martis & Veneris multas deorum imagines acciperet: vt verò mihi videtur, quòd forma conuexa faſtigiatam cæli ſimilitudinem oſtenderet. Voluit Agrippa in eo Auguſti quoque ſtatuam collocare, nomenq́. operis ei adſcribere: neutrum autem eo accipiente, in Pantheo ipſo Cæſaris ſuperioris ſtatuam, & ſuam & Auguſti in veſtibulo poſuit, &c. Hęc Dio. Quòd autem Cybeli deorum matri tradunt fuiſſe dicatum, aliud teſtari Plinius videtur, qui hæc propiùs ſpectauit, atque lib. 36. nat. hiſt. c. 15. Ioui Vltori fuiſſe dicatum affirmat. Compreſſo nimirum bello ciuili, Mar. Antonio & Cleopatra ad Actiacum ſuperatis; M. Agrippa iam ſecundùm, indeque & tertiùm conſul id muneris obtulit Ioui Vindici, cui ob hoſtes deuictos, aras erigi ac templa, ſacrificiaque offerri, fuiſſe vſitatum, Romanarum rerum antiqui ſcriptores, inter quos Tacitus lib. 3. & 15. teſtatum reliquerunt.

[b] Cæſarij.] De eodem Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores. Huius Acta ex vet. manuſcrip. cod. Surius edidit. tom. 6. Plura leguntur de eodem in Actis ſanctorum Nerei & Achillei apud Sur. tom. 3. die 12. Maij. Quod autem in ijſdem Actis, necnon in aliquibus Martyrologijs paſſus legitur ſub Claudio Imp. corrigendum videtur: nam ſi Traiani temporibus pro Chriſtiana fide certauit, & corpora ſanctarum Flauiæ Domitillæ

&

& ſociarum ſepulturæ mandauit (vt eadem Acta teſtantur) qua ratione poſt annos centú & ſeptuaginta ſub Claudio potuit coronari? Si verò de Claudio Nerone (vt videntur ſignificare) intelligantur, rurſus etiam patens error deprehenditur, cùm longè ante Traianum Imperatorem Nero ſit mortuus. Acta eiuſdem martyris ſcripſiſſe reperitur Albericus diaconus Caſſin. cœnobij, vt auctor eſt Petrus diac. bibliothec. Caſſin. lib. de vir. illuſtr. eius monaſterij, c. 21. Eademq. (vt idem teſtatur c. 46.) Gelaſins, qui ex monacho Caſſinenſi factus eſt Papa, verſibus exornauit. Erat vetus memoria S. Cæſarij martyris Romæ in Palatio dicta, cuius meminit S. Greg. Papa in regiſt. lib. 11. c. 1. eratq. ibi abbatia, vna ex vigintiduabus quas notatas vidimus in antiquo Rituali, quod habetur in bibliotheca Vatic. in cod. manuſcrip. cuius eſt titulus, Liber cenſuum. Quę quidem eccleſia poſteà conuerſa eſt in Titulum. Ea diruta, corpus martyris tranſlatum eſt in baſilicam Helenianam, dictam alio nomine ſanctæ Crucis ad Ieruſalem in Atrio Seſſoriano, vbi hactenus religioſiſſimè aſſeruatur. S. Bernardus Romam veniens, multis ad martyré precibus fuſis, dentem ex eius capite tandem accipere meruit, vt in eius vita lib. 4. c. 1. legitur. Brachium eiuſdem à S. Annone Colonięſi Epiſcopo delatú eſſe Coloniam, in Actis eiuſdem Annonis lib. 1. c. 34. habetur expreſſum, ibiq. c. 35. de miraculis ſcitu dignis ab eodem mart. Romæ editis pręclarè agitur, apud Sur. tom. 6. die 4. Decembr. Ceterùm eamdem antiquiſſimam huius ſancti eccleſiā iam vetuſtate collapſam, & inter vineta vepribus ſituq. obductam iacentem, ſanctiſſimus Pontifex Clemens Octauus hoc ipſo anno, quo hęc denuò cudimus, reſtituere, ornareq. feliciter eſt aggreſſus. Agimus de ea octauo Eccleſ. Annalium tomo in Sergio Primo Rom. Pontif.

[c] Benigni.] De eodem hac die Beda, Vſuardus, & Ado pluribus. Eius Acta ex antiquis monumentis edidit Sur. tom. 6. Mombrit. tom. 1. Petrus in catal. lib. 10. cap. 3. Plura etiam Sur. in Actis SS. Tergeminorum tom. 1. Porrò non ab Aureliano Imp. (vt aliqui putant) ſed ſub Marco Aurel. paſſus habetur. Quî enim fieri poteſt, vt diſcipulus Polycarpi peruenerit vſque ad tempora Aureliani? De eius reliquijs Greg. Turon. hiſt. Franc. lib. 10. c. 31. in fine, qui & agit de eiuſdem miraculis lib. de glor. mart. c. 51. De eius venerandi corporis tranſlatione agitur in vita S. Annonis Epiſcopi Colonienſis lib. 1. c. 38.

[d] Mariæ ancillæ.] Beda, Vſuardus, Ado, & alij hac die. Pluribus de ea Vincent. lib. 11. c. 86. & 87. Petrus in catal. lib. 10. c. 4. & alij.

[e] Cæſarij, Dacij, & ſoc.] Agunt de his etiam Græci hac die in Menologio.

[f] Ioannis & Iacobi.] Græci de ijſdem in Menologio hac die.

[g] Cyreniæ & Iulianæ.] De his itidem Græci agunt in dicto ſæpiùs Menologio.

[h] Auſtremonij Epiſc.] Huius Acta metro ſcripſit S. Proiectus, vt auctor, qui eius vitam ſcripſit, teſtatur, quam habes apud Sur. tom. 7. hac die. Meminit eiuſdem Gregor. Turon. hiſt. Franc. lib. 1. c. 30. pluribus de glor. confeſſ. c. 30. Petrus Clun. lib. 1. epiſt. 2. & alij.

[i] Marcellini Epiſcopi.] De eodem Vſuardus hac die. Scripſit eius vitam Fortunatus ad ſanctum Germanum Epiſcopum Pariſien. Extat apud Surium tomo 6. Gregor. Turon. de eodem libro de glor. confeſſ. cap. 89. & Petrus in catal. lib. 10. c. 7. Ponitur nonus eius ſedis Epiſcopus in tab. Democharis.

[k] Vigoris Epiſc.] Agunt de eo Vſuardus, Ado, & alij. Eius Acta recitat Sur. tom. 6. Petrus in catalog. lib. 10. cap. 5. Trithem. de vir. illuſtr. ord. S. Benedicti lib. 3. c. 272. & lib. 4. c. 131. Claruit temporibus Childeberti Regis Francorum, fuitq. decimus eius ſedis Epiſcopus.

[l] Seuerini.] Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Conditum habetur eius venerabile corpus Tiburæ ad S. Laurentij, vt eius eccleſiæ vetera monumenta ſignificant, quæ manuſcripta accepimus.

[m] Maturini.] Vſuardus de eodem hac die. Eius vitæ Acta habet Mombrit. tom. 2. & Petrus in catal. lib. 10. cap. 6. Vixiſſe fertur temporibus Maximiani Imperatoris.

## 2 Quarto Nonas Nouemb. Luna. Exx.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | | | |

COMMEMORATIO [a] omnium fidelium defunctorum. Eodem die natalis ſancti Victorini [b] Pictauienſis Epiſcopi, qui poſt multa edita ſcripta (vt S. Hieronymus teſtatur) in perſecutione Diocletiani martyrio coronatus eſt. Tergeſte paſſio beati Iuſti [c], qui in eadem perſecutione ſub Manatio Præſide martyrium conſummauit. Sebaſtæ ſanctorum Carterij [d], Styriaci, Tobiæ, Eudoxij, Agapij, & ſociorum martyrum ſub Licinio Imperatore. In Perſide ſanctorum martyrum Acindini [e], Pegaſij, Aphthonij,

 Elpide-

Elpidephori, & Anempodiſti, cum plurimis ſocijs. In Africa natalis ſanctorum martyrum Publij [f], Victoris, Hermetis, & Papiæ. Tarſi in Cilicia ſanctæ [g] Euſtochij virginis & martyris, quæ ſub Iuliano Apoſtata, poſt dira tormenta, in oratione reddidit ſpiritum. Laodiceæ in Syria ſancti Theodoti [h] Epiſcopi, qui non ſolùm verbis, ſed rebus & virtutibus fuit ornatus. Viennæ ſancti Georgij [i] Epiſcopi. In monaſterio Agaunenſi ſancti Ambroſij [k] abbatis. Cyri in Syria ſancti Marciani [l] confeſſoris.

# NOVEMBRIS 2.

COMMEMORATIO omnium fidelium defunctorum [a].] Non recenter ſtatutum fuit in Eccleſia, vt pro defunctis commemorationes anniuerſariæ agerentur. Ex maiorũ traditione (inquit Tertullianus de coron. milit.) pro defunctis annua die facimus. De iiſdem Anniuerſarijs repeti conſuetis S. Gregorius Nazianzenus in oratione in funere Cæſarij fratris hæc ait: Alia perſoluimus, alia daturi ſumus, anniuerſarios enim honores & commemorationes offerentes, & ij quidem certè qui ſuperſtites relinquentur. hæc Gregor. Satiſq. ſit modò tum ex Latino, tum ex Græco auctore hæc monſtraſſe; vt tam in Occidentali, quàm Orientali Eccleſia iſtæc piè religioſeque ſeruari conſueuiſſe intelligantur. alibi enim de his cumulatè egimus. Vt autem vna eademque die vniuerſalis ageretur memoria omnium fidelium defunctorum, omnes id in primis acceptum ferunt S. Odiloni abbati Cluniacenſi. Teſtatur id Petrus Damian. in vita ipſius, & Sigebert. in chron. an. Domini 998. Quod etenim ille in ſuis monaſterijs faciendum curauit, id poſtmodum Romani Pontificis auctoritate vbique locorum ſeruandum ſacris legibus ſancitum videtur. vt verò hac ipſa die poſt ſolemnitatem omnium Sanctorum; ex ordine officij Eccleſiaſtici ratio ſumpta videtur. Nam ante Odilonem ducentis ferè annis vixit Amalarius Fortunatus Epiſc. Treuerenſis, temporibus Ludouici Pij Imp. ad quem etiam ſcripſit libros de offic. Eccleſiaſt. hic (inquam) in libro de ord. antiphonar. cap. 65. hæc ait: Poſt officium ſanctorum inſerui officium pro mortuis. multi enim tranſierunt de præſenti ſæculo, qui non illicò ſanctis coniunguntur; pro quibus ſolito more officium agitur. hæc ibi.

[b] Victorini.] De quo Beda, Vſuardus, Ado, & Petrus in catal. lib 10. c. 12. Scribit de eodẽ S. Hier. de ſcript. Eccleſ. & in epiſt. 13. ad Paulinum, vbi eum appellat inclytum Victorinum martyrio coronatum. idem in epiſt. 84. ad Magnum, in præfat. in Euangel. Matthæi ad Euſeb. & in proœm. in Iſaiam. Ne mireris, Lector, ſi huius Victorini opuſcula Gelaſius Papa in cap. Sancta Roman. diſtinct. 15. recenſuit inter apocrypha: nam (vt ſcribit S. Hieron. de ſcript. Eccleſiaſt. in Papia) ſectatus eſt Victorinus vnà cum alijs nonnullis viris ſanctis & eruditis ſententiam de Millenario, quæ quidem (vt ſuperiùs diximus) vſque ad tempora Damaſi Papæ, abſq. iactura fidei, vel communionis diuiſione liberè ferebatur, nec crimini data eſt Papiæ, Iuſtino martyri, vel alijs, quominùs inter ſanctos & Eccleſiaſticos viros adſcriberentur. At verò, ea damnata ſententia, etiam illi fauentes ſcriptiones iure proſcriptæ videntur. Rurſus autem de Victorino monemus Lectorem, incerto quodam modo irrepſiſſe in Synodum Romanam ſecundam ſub Silueſtro Papa habitam cap. 2. damnationem Victorini Epiſcopi Pictauienſis, cyclos Paſchales perperã ſupputantis: nam nihil prorſus illi commune cum Paſchali calculo, vel cum Silueſtro Papa, cùm iam temporibus Diocletiani fuerit martyrio coronatus. Error ſupradictus videtur proueniſſe ex alio Victorino Aquitano, Eccleſiaſtici calculi ſupputatore, cuius cyclos erroris coarguerunt Victor Capuanus, Beda, & alij; qui & vixit tempore Hilari Papæ, vt ſcribit Gennadius de vir. illuſtr. cap. 88. Vnde apparet canonem illum non eſſe illius Romani Concilij habiti ſub Silueſtro, ſed alterius, in illud tamen illapſum. Vel dicendum, de alio quopiam ignoto homine illic agi, & non de Victorino Epiſcopo Pictauienſi: nam in tabulis Epiſcoporum eius eccleſiæ vnus tantùm eius nominis, idemque martyr, ac primus eius ſedis Epiſcopus ponitur, de quo hîc agitur.

[c] Iuſti.] Eius Acta breui compendio recitat Petrus in catal. lib. 10. cap. 9. De eodem vet. manuſcripta, atque recentiores.

[d] Carterij & ſociorum.] Græci etiam de his agunt hac die in Menologio, vbi & eorum certamen deſcribitur.

[e] Acindini & ſoc.] De his item hac die Græci in Menologio. Metaphraſtes autem ex antiquis monumentis eorum Acta deſcripſit; quæ habet Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 6.

[f] Publij & ſoc.] Beda, & alij recentiores de his agunt hac die.

[g] Euſtochij.] De eadem Petrus in catal. lib. 10. c. 1 n. vbi eius Acta paucis complexa refert.

[h] Theodoti Epiſc.] Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Scribit de eodem Euſeb. hiſtor. libro 7. cap. vlt. & Nicephorus lib 6. cap. 36.

[i] Georgij Epiſc.] De ipſo Beda, & recentiores. Ado Vien. in chron. ponit anno Domini ſexcenteſimo nonageſimonono; numeraturque decimuſquintus eius ſedis Epiſcopus.

[k] Ambroſij abbatis.] Agunt de eo Beda, Vſuardus, Ado, Petrus in catalog. lib. 10. cap. 15. & Trithem. de vir. illuſtr. ordinis ſancti Benedicti lib. 3. cap. 273.

[l] Marciani.] De eodem hac item die Græci in Menologio: ſcripſitque eius res geſtas Theodoretus in Theophilo cap. 3.

3 Tertio Nonas Nouemb. Luna. F xix.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | | | |

NATALIS ſancti Quarti [a] Apoſtolorum diſcipuli. Cæſareæ in Cappadocia ſanctorum martyrũ Germani [b], Theophili, Cæſarij, & Vitalis, qui in perſecutione Deciana optimè duxerunt martyrium. Cæſarauguſtæ ſanctorum innumerabilium Martyrum [c], qui ſub Daciano Hiſpaniarum Præſide mirabiliter occubuerunt pro Chriſto. Viterbij ſanctorum martyrum Valentini [d] presbyteri, & Hilarij diaconi, qui in perſecutione Maximiani ob Chriſti fidem cum ſaxi pondere in Tiberim præcipitati, & inde ab Angelo diuinitus erepti, demum abſciſſis ceruicibus coronam martyrij perceperunt. In Anglia ſanctæ VVenefridæ [e] virginis & martyris. In monaſterio Claræuallenſi depoſitio ſancti Malachiæ [f] Epiſcopi Connerthenſis in Hibernia, qui multis virtutibus ſuo tempore claruit: cuius vitam ſanctus Bernardus abbas conſcripſit. Eodem die ſancti Huberti [g] Tungrenſis Epiſcopi. Viennæ ſancti Domni [h] Epiſcopi & confeſſoris. Item depoſitio ſancti Pirmini [i] Meldenſis Epiſcopi. Vrgellæ in Hiſpania ſancti Hermengaudij [k] Epiſcopi.

## NOVEMBRIS 3.

QVARTI [a].] De quo Paulus ad Roman. cap. 16. Agunt de eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Hunc Berythi eccleſiæ Epiſcopum datum eſſe, tradit Doroth. in Synopſi, idque ex Hippolyti libello de 72. diſcipulis.

[b] Germani & ſociorum.] Beda, Vſuardus, Ado, & Petrus in catalogo libro 10. cap. 18. vbi ex priſcis tabulis eorum Acta paucis deſcribit.

[c] Innumerabilium Martyrum.] Eadem hyperbole vtitur Vſuardus, dum de his agit hac die. Hi etenim ſunt, quos Prudentius Periſtephan. hymn. 4. cecinit his ſapphicis, dum de Cæſarauguſtana ciuitate agit:

*Sola in occurſum numeroſiores*
*Martyrum turbas Domino paraſti:*
*Sola praedives pietate multa*
*Luce frueris.*
*Vix parens orbis populoſa Pœni,*
*Ipſa vix Roma in ſolio locata,*
*Te decus noſtrum ſuperare in iſto*
*Munere digna eſt.*
*Omnibus portis ſacer immolatus*
*Sanguis excluſit genus inuidorum*
*Dæmonum, & nigras pepulit tenebras,*
*Vrbe piata.*

Et paulò pòſt de iiſdem:

*Nec furor quiſquam ſine laude noſtrûm*
*Ceſſit, aut clari vacuus cruoris:*
*Martyrum ſemper numerus ſub omni*
*Grandine creuit.*

Agens de ciuitate Cęſarauguſtana Iſidorus li. 15. Origin. dum eam dicit eſſe pręſtantiorem cunctis Hiſpaniæ ciuitatibus, Illuſtrior eſt, inquit, florens ſanctorum martyrum ſepulturis. De his item Petrus in catalog. lib. 10. cap. 17. Vaſæus in chron. Hiſpan. pluribus auctor in Flore Sanct. Hiſpan. Qui omnes tradunt, horum omnium martyrum multitudinẽ appellatam eſſe Maſſam candidam, eò quòd corporum eorum combuſtorum cineres remanſerint niue candidiores; quo ſigno ab alijs tetris cineribus diſcreti, collecti ſunt. De his item agitur in Theſauro concion. tom. 2. hac die.

[d] Valentini & Hilarij.] Horum martyrum Acta manuſcripta accepimus ab eccleſia Viterbienſi, vbi eorum capita cathedralis eccleſia magna veneratione conſeruat.

[e] VVenefridæ.] Huius Acta Rupertus abbas Salopienſis conſcripſit, quæ recitat Sur. in tom. 6. In catalog. ſcript. Britan. traduntur eadem ab Elerio Cambrio ſcriptis mandata. Agit de eadem Molanus in addit. ad Vſuardum hac die. Quę autem in iiſdem Actis de perenni fonte & miraculis illic

illic fieri ſolitis deſcribuntur, maiora his accepi à fideliſſimo teſte oculato Reuerendiſſ. D. Thoma Epiſcopo Aſaphenſi, Romani Pontificis in obeundis Epiſcopalibus functionibus Suffraganeo, vitæ ſanctitate, fidei confeſſione, atque doctrina conſpicuo, nuper Romæ dolore omnium optimorum ex humanis ſublato.

[f] Malachiæ Epiſc.] Scripſit eius vitæ Acta S. Bernardus, qui eumdem viuentẽ, ac poſteà defunctum mirificè coluit. Extant eiuſdem ad eumdem epiſt. 315. 316. & 317. & ſermo in eiuſdem feſtiuitate. Exceſſit è vita (vt idem teſtatur) anno Domini millesimo centeſimo quadrageſimooctauo, quarto Nonas Nouemb. ob commemorationem autem defunctorum tranſlata eſt eius celebritas in hanc diem, quo ſolemniùs agi poſſet.

[g] Huberti Epiſcopi.] Eius res geſtas ab ipſius diſcipulo fideliſſimè ſcriptas habet Sur. tom. 6. ibique de eius tranſlatione agitur, & de religioſo cultu eiuſdẽ memorię à Regibus impertiri ſolito. Ordinatus à Sergio Papa anno Domini ſexcẽteſimo nonageſimooctauo, diem obijt anno 730. Numeratur eiuſdẽ ſedis Epiſcopus triceſimus ordine. Plura de eodẽ Molan. in Indic. SS. Belg. aitq. eumdem dediſſe Leodio ſigillum publicũ ſancti martyris Lamberti imagine inſignitum, & huiuſmodi inſcriptione notatum: Sancta Legia Romanæ Eccleſiæ Filia. Re vera quidem, quod ad fidem Catholicam pertinet, caſta & pudica, quæ ſemper ſanctæ matris ſectata veſtigia, nullo vmquam hęreſeon eſt fœdata contagio: immò hiſce ærumnoſis temporibus noſtri ſæculi, cùm hęreſum alluuiones Gallias inundarunt, non ſolùm nullis valuit obrui fluctibus, ſed ſtans conſtantiſſimè ex aduerſo, oppoſuit ſe pro muro domui Iſrael, facta forma (vt de Theſſalonicenſi eccleſia ſcribit Apoſtolus) omnibus credentibus; cunctiſq. circumpoſitis regionibus illuſtre edidit ſeruandæ atque tuendæ religionis exemplum. Sic, faxit Deus, maneat ſemper: & quod fide prædicat, operibus impleat.

[h] Domini Epiſcopi.] Dominum hunc appellat Ado Viennen. qui in chronico an. Domini 527. hæc de ipſo ſcribit: Viennenſis Epiſcopus Dominus floruit; hic tam in diuinis, quàm in ſæcularibus actibus claruit, amator pauperum, redemptor captiuorum, vitaque probatiſſimus. Hæc Ado. Agit de eodem hac die Molanus in addit. ad Vſuardum. Ponitur decimuſnonus eius ſedis Epiſcopus.

[i] Pirmini Epiſcopi.] De eodem Beda hac die. Huius vitam conſcripſit Warmannus Comes, Epiſcopus Conſtantienſis, itemque Henricus Augienſis abbas, vt notat Molan. hac die. De eodem Trithem. de vir. illuſt. ord. S. Bened. lib. 3. cap. 265. & lib. 4. cap. 191. Numeratur viceſimus eius ſedis Epiſcopus.

[k] Hermengaudij Epiſcopi.] Tabulæ eius eccleſiæ, & Flos ſanct. Hiſpan. de eodem hac die.

## xviij. G Pridie Nonas Nouemb. Luna. 4

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30
t u A B C D E f F G H M N P
1 2 3 4 5 6 7 8 8 9 10 11 12 13

BONONIÆ ſanctorum martyrum Vitalis [a] & Agricolæ, quorum prior poſterioris ſeruus anteà fuit, poſteà conſors & collega martyrij: in quem perſecutores omnia tormentorum genera exercuerunt, ita vt non eſſet in corpore eius ſine vulnere locus; quæ conſtanter perferens, in oratione ſpiritum Deo reddidit: Agricolam verò plurimis clauis cruci affigentes interemerunt. Eorum tranſlationi ſanctus Ambroſius cùm intereſſet, martyris clauos, ſanguinem triumphalem, & crucis lignum ſe collegiſſe refert, ac ſub ſacris altaribus condidiſſe. Eodem die natalis ſanctorum Philologi [b] & Patrobæ, ſancti Pauli Apoſtoli diſcipulorum. Auguſtoduni ſancti Proculi [c] martyris. In Pago Vilcaſſino ſancti Clari [d] preſbyteri & martyris. Epheſi ſancti Porphyrij [e] martyris ſub Aureliano Imperatore. Myrę in Lycia ſanctorum martyrum Nicandri [f] Epiſcopi, & Hermæ preſbyteri, ſub Libanio Præſide. Eodem die natalis ſancti [g] Pierij preſbyteri Alexandrini, qui in diuinis ſcripturis nobiliter eruditus, vita puriſſimus, & ad Chriſtianam philoſophiam nudus penitus

penitus & expeditus, ſub Caro & Diocletiano Principibus, regente Alexandrinam eccleſiam Theona, florentiſſimè docuit populos, & diuerſos tractatus edidit: poſt perſecutionem verò omne vitę ſuæ tempus Romæ verſatus, in pace quieuit. Apud Ruthenos in Gallia beati Amantij [h] Epiſcopi, cuius vita & ſanctitate & miraculis extitit glorioſa. In Bithynia ſancti Ioannicij [i] abbatis. In Pannonia apud Albam Regalem depoſitio beati Emerici [k] confeſſoris, filij ſancti Stephani Hungarorum Regis. Treuiris ſanctæ Modeſtæ [l] virginis.

## NOVEMBRIS 4.

Vitalis & Agricolæ [a].] De his etiam Vſuardus, & alij recentiores. Eorum martyriū deſcribit S. Ambroſius lib. de exhortat. ad virgin. vbi & de eorum inuentione atque tranſlatione, de qua & Paulinus in vita S. Ambroſij. De horum reliquijs meminit Paulinus Nolanus Epiſcopus in Natali nono ſancti Felicis, Gregorius Turonen. hiſt Francorum lib. 2. c. 16. & de glor. mart. c. 43. Petrus in catal. lib. 10. c. 21. & alij.

[b] Philologi & Patrobæ.] Quorum meminit Paulus ad Romanos cap. 16. Agunt de his item Græci in Menologio die ſequenti. Philologum Synope, Patrobam Neapoli præfectum eſſe Epiſcopum, tradit Dorotheus in Synopſi: licet Hippol. martyr libro de 72. diſcip. teſtetur Patrobam fuiſſe creatum Epiſcopum Puteolanum.

[c] Proculi.] De eodem Vſuardus, Ado, Petrus in catal. lib. 11. num. 309. & alij recentiores.

[d] Clari.] Vſuardus de eodem & alij, adſtipulanturque vetera manuſcripta.

[e] Porphyrij.] Agunt de eodem hac item die Gręci in Menolog. eiuſq. martyrium deſcribunt.

[f] Nicandri & Hermæ.] Græci itidem hac die in Menologio de ijſdem agunt.

[g] Pierij.] De eo Beda, Vſuardus, Ado, & alij; licet deprauatè in aliquibus codicibus pro Pierio, Hierius, vel Irenæus legatur. Scribit de Pierio Euſeb. hiſt. lib. 7. cap. vlt. Hieron. de ſcript. Eccleſiaſt. & epiſt. 84. ad Magnum. Erat Alexandriæ eccleſia, Pierij dicta, cuius meminit Epiphan. hæreſi 69.

[h] Amantij Epiſc.] Beda, Vſuardus, Ado, & alij de eodem. Huius vitam ex antiquis codicibus edidit Sur. tom. 6. conſcriptamq. putat à Fortunato. De eodem mentio habetur in Actis ſancti Quinctiani eiuſdem ſedis Epiſcopi, de quo infrà Idibus Nouembris: tranſtulit enim ipſe eiuſdem Amantij corpus, vt teſtatur Gregorius Turonen. in vita ſanctorum Patrum cap. 4.

[i] Ioannicij.] Agunt de eodem Græci hac die in Menologio, ac pluribus res ab eo geſtas referunt, quas pleniùs proſecutus eſt Metaphraſtes. extant apud Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 6.

[k] Emerici.] Eius vitam deſcripſit Sur. tom. 6. ex antiquis manuſcript. Mart. Polonus recenſet obitum anno Domini 1032. Chromer. anno 1036. Agit de eodem Bonfin. de reb. Hungaric. dec. 2. lib. 2. Relatus eſt inter ſanctos vnà cum ſancto Stephano Rege ipſius patre à Benedicto Papa Octauo, qui dictus eſt Nonus.

[l] Modeſtæ.] Plura ſcripta habentur de ea in vita ſanctæ Gertrudis apud Surium 17. Martij, tom. 2. Trithem. de vir. illuſtr ord. ſancti Benedicti lib. 3. c. 183. eamq. claruiſſe ait circa annum Domini ſexcenteſimum octogeſimum. Agit de eadem Molanus in addit. ad Vſuardum.

## 5 Nonis Nouemb. Luna. A xviij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | | | |

Sancti Zachariæ [a] ſacerdotis & Prophetæ, patris beati Ioannis Baptiſtæ. Item ſanctæ [b] Eliſabeth eiuſdem ſanctiſſimi præcurſoris matris. Tarracinæ in Campania natalis ſanctorum martyrum Felicis [c] presbyteri, & Euſebij monachi, qui cùm ſepeliſſet ſanctos martyres Iulianum & Cæſarium, & multos conuerteret ad fidem Chriſti, quos ſanctus Felix presbyter baptizabat, vnà cum eo tentus eſt, & ambo ad forum Iudicis ducti,

ducti, nec ſuperati, inde in carcerem incluſi, nocte eadem, cùm ſacrificare noluiſſent, decollati ſunt. Emeſæ in Phœnicia ſanctorum martyrum Galationis [d], & Epiſtemis coniugis; qui in perſecutione Decij flagris cæſi, manibus pedibuſque & lingua inſuper mutilati, denique truncato capite martyrium conſummarunt. Item ſanctorum martyrum Domnini [e], Theotimi, Philothei, Siluani, & ſociorum ſub Maximino Imperatore. Mediolani ſancti Magni [f] Epiſcopi & confeſſoris. Brixiæ ſancti [g] Dominatoris Epiſcopi. Treuiris ſancti Fibitij [h] ex abbate Epiſcopi Treuirenſis. Aurelianis in Gallia ſancti Læti [i] presbyteri & confeſſoris.

## NOVEMBRIS 5.

ZACHARIÆ [a]. ] de eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri Latinorū, Græci autem in Menologio ad Nonas Septembris. Præter illa quæ de ipſo ſcribuntur à S. Luca Euangel. cap. 1. Epiphanius etiam agit pluribus lib. de vit. & interit. Prophet. c. 23. traditq. occiſum eſſe ab Herode inter veſtibulum & altare: eiuſdem ſententię fuit Origenes in Matth. cap. 25. Petrus Alexandrinus Epiſcopus & martyr in can. 13. Gregorius Nyſſenus in orat. de Chriſti natiuitate, Baſil. homil. de humana Chriſti generatione, Cyrillus Epiſc. Alexandrinus libro aduerſus Anthropomorphitas; id ipſum in Sacra Valentinianus Imp. ad Epiſcopos Aſiæ, quam recitat Theodoretus hiſt. lib. 4. cap. 7. qui omnes de hoc Dominum Ieſum locutum putant apud Matth. c. 23. cùm de Zacharia occiſo ab illis inter templum & altare loquitur. quæ licet minùs probari Hieronymo videātur, dum explicat illum locum Matthęi c. 23. tamen apud me quidem tot tantorumq. veterum Theologorum plurimū valet aſſertio. Diuerſa prorſus ab his erat commentitia hiſtor. ab hæreticis excogitata de Zachariæ nece, & viſione aſini, quam refert & reprobat Epiphanius hæreſ. 26. qui (vt diximus) prioris ſententiæ eſt grauiſſimus aſſertor. Tertullianus in Scorpiaco, cùm agit de Zacharia qui necatus eſt inter templum & altare, teſtatur perennes eius cruoris maculas ſilicibus impreſſas in tēplo indelebiles eſſe relictas. Incidi in manuſcript. codicem bibliothecę Vaticanę de peregrinatione ad terram ſanctam; legiq. inter aliqua quę hactenus relicta ſunt templi Ieroſolymitani vetera monumenta, illic ineſſe lapidem, in quo recens cruor aſperſus indelebili nota aſpiceretur; quem dicerent eſſe ſanguinem Zachariæ, qui inter templum & altare occiſus eſt: licet & Hieronymus vbi ſuprà hæc ipſa vulgi potiùs opinione iactata, quàm certa veritate conſtātia putet. De illa quęſtione, an idē fuerit ſummus Sacerdos, ſatis plenè egimus in Annalibus Eccleſiaſticis. Caput autem eius aſſeruatur Romæ in Laterano, ex quo per dies aliquot olim ſanguinem emanaſſe tradunt. Nec id prętermittimus, quod Ioſephus ſcribit, reperiri adhuc alium Zachariam filium Baruch nobiliſſimum ac ditiſſimum Hebræorum, moribuſque laudatiſſimum, occiſum in medio templi à Zelotarum factione temporibus Veſpaſiani tunc ducis exercitus in Iudæa. hæc de ipſo Ioſephus de bello Iud. lib. 5. cap. 1.

[b] Eliſabeth. ] Iungitur Zachariæ marito ſuo Eliſabeth, non ea ratione quòd vnā eademque die (quod ſciatur) vterque migrarit è corpore: ſed cùm eius natalis certæ diei ignorantia aliquando fuerit eius memoria prætermiſſa; conſultius viſum eſt, in commemoratione ſanctorum eam coniungere viro ſuo: nefarium enim eſt exiſtimatum, ſanctiſſimam feminam, præconio Euangelij celebratam, illiberaliter nimis eſſe ſilentio prætermiſſam; quam ſancti Patres præclariſſimis laudibus ſunt proſecuti, tum qui Lucæ caput primum ſunt interpretati, tum etiam qui de Ioannis Baptiſtæ eius filij natali, vel Dei genitricis viſitatione pro concione dixere. Quæ verò ad hiſtoriam de ipſa pertinent, collegimus in Annalium tomo primo.

[c] Felicis & Euſebij. ] De iiſdem Beda, Vſuardus, & Petrus in catal. lib. 10. cap. 28. Agitur de his pluribus in Actis S. Cæſarij apud Sur. tom. 6. die prima Nouembris.

[d] Galationis & Epiſtemis. ] Agunt & de his Gręci in Menolog. Eorum autem Acta à Metaphraſte fuſiùs deſcripta recitat Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 6.

[e] Domnini & ſoc. ] De his item Græci agunt in Menologio hac die.

[f] Magni Epiſc. ] De quo & tabulæ eccleſiæ Mediol. ex quibus & Galeſinius hac die.

[g] Dominatoris Epiſcopi. ] De eodem tabulæ eccleſiæ Brixian. meminitque eiuſdem Rampertus eiuſdem eccleſiæ Epiſcopus in ſermone de tranſlatione ſancti Philaſtrij. Numeratur hic decimuſquartus poſt S. Philaſtrium Epiſcopus eccleſiæ Brixianæ.

[h] Fibitij abb. ] Hic licet alicubi Epiſc. dictus reperiatur; tamen in tabulis Epiſcoporum Treuirenſium, quas deſcripſit Demochares, nullus eius nominis legitur Epiſcopus. Porrò chronic. monaſt. German. abbatem eum appellat.

[i] Læti. ] De quo etiam Vſuardus hac die, & alij recentiores.

Octauo

6 Octauo Idus Nouemb. Luna. B xvj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | | | |

THINISSÆ in Africa natalis ſancti Felicis[a] martyris, qui confeſſus, & ad tormenta dilatus, alio die (vt refert ſanctus Auguſtinus, Pſalmum in eius feſtiuitate ad populum exponens) inuentus eſt in carcere exanimis. Theopoli ſanctorum decem[b] Martyrum, qui à Sarracenis paſſi leguntur. Barcinone ſancti Seueri[c] Epiſcopi & martyris, qui ob fidem Catholicam clauo capite confoſſo, martyrij coronam accepit. In Phrygia ſancti Attici[d]. Apud Bergas depoſitio ſancti Vuinoci[e] abbatis, qui virtutibus & miraculis clarus, fratribus etiam ſibi ſubditis multo tempore miniſtrauit. Fundis in Latio ſancti Felicis[f] monachi. Lemouicis in Aquitania ſancti Leonardi[g] confeſſoris, diſcipuli beati Remigij Epiſcopi: qui nobili genere ortus, ſolitariam vitam deligens, ſanctitate & miraculis claruit, ac præcipuè in liberandis captiuis eius virtus enituit.

## NOVEMBRIS 6.

[a] FELICIS[a].] Huius meminit ſanctus Auguſtinus tract. in Pſalm. 127. De loco vbi paſſus eſt, varia lectio reperitur: legit Beda, Tumiſſa; Vſuardus & Ado, Toniza, alicubi Thiniſſa: quæ & verior probatur: eſt enim Thiniſſa prope Hipponem in prouincia Numidiæ, de qua Ptolemæus in 2. tab. Africæ. In Itiner. Antonini Toniza dicitur. eius loci Epiſcopus ſubſcriptus reperitur Concilio Carthagin. ſub Cypriano, apud Auguſtin. lib. 3. de baptiſ. contra Donatiſt. c. 13. Alia eſt rurſus Tyniſſa, ſeu Tuniſſa, quæ Tunetum dicitur, vicina Vticæ, hodie Tuneſi vulgò dicta; à Polybio autem, qui eam exactè deſcribit, Tunes appellata reperitur, quam diſtare à Carthagine dicit ſtadiis centum viginti. Hæc lib. 14. hiſt. in fine. Plura de eadem lib. 1.

[b] Decem martyrum.] De his Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores. Theopolis, vbi hi celebrantur, Antiochia eſt in Syria. Cur autem, quandóve eo nomine cœpta ſit nũcupari, conſule Niceph. hiſt. lib. 17. c. 3. & hiſt. Miſcel. li. 16. Cedren. an. 2. Iuſtinian. Imp. ex quo tẽpore reperies eumdem Imp. Iuſtinianum eamdem ciuitatem in ſuis ſanctionibus Theopolim appellaſſe. Quòd autem hi paſſi dicuntur à Sarracenis; eo tempore id accidiſſe putamus, cùm ſub Coſthoe Rege Perſarum ea ciuitas à Sarracenis direpta eſt.

[c] Seueri Epiſcopi.] Hunc ferunt paſſum in perſecutione Diocletiani ſub Daciano Prǽſide, & cum eo quatuor ſacerdotes, vt ſcribunt Laurentius de Padilia, & Vaſæus in chron. an. 306. idque pluribus Flos ſanct. Hiſpan. & Theſaur. concion. to. 2. hac die. Molanus autem in addit. ad Vſuard. hæc habet: Fuit hic vnus ſeptuaginta Epiſcoporum, qui leges Gothicas in Hiſpania condiderũt: hic à barbaris Gothicis, qui Cathaloniam incolebant, clauo capite confoſſo, martyrio coronatur anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimooctauo. Hæc Molan. Vnde autem acceperit, nondum inuenimus: nec alicubi eius nominis Epiſcopum Barcinonenſem legimus in Conciliis quæ frequenter illis temporibus coacta ſunt in Hiſpania, nec etiam apud S. Ildefonſum, qui virorum illuſtrium eorum temporum ſeriem texuit. Fuit & alius Seuerus Epiſcopus Malacitanus, qui ſcripſit aduerſus Vincentium Cæſarauguſtanum Epiſcopum in Arianam hæreſim lapſum circa annum Domini quingenteſimum octogeſimum, vt habet Honorius Auguſtodunenſ. de viris illuſtrib. cap. 30. de eodem Vincentio Cæſarauguſtano lapſo in hæreſim Arianam tempore Leuuigildi Regis Gothorum, meminit S. Iſidorus in chron. Goth.

[d] Attici.] De quo Vſuardus hac die, & recentiores. De alio Attico & ſociis Græci agunt vij. Kalend. Septembris.

[e] Vuinoci abb.] De eodem Ado, & alij. Eius Acta fideliſſimè ſcripta, ſimulque tranſlationem & miracula habet Sur tom. 6. hac die. Molanus etiam de eo in Indic. Sanct. Belg. Diuerſus hic ab illo de quo Gregorius Turonenſis de geſt. Franc. ſcribit lib. 5. cap. 21. & lib. 8. cap. 24. Nam hic, de quo agimus, longè poſt Gregorij tempora claruit, obiitque anno Domini 716.

[f] Felicis.] De quo S. Greg. lib. 1. dial. c. 3. ex quo ceteri acceperunt, qui de ipſo agunt.

[g] Leonardi.] Beda, Ado, & alij recentiores. Habet eius res geſtas Sutius tomo 6. Legimus alias in manuſcrip. cod. eccleſiæ S. Mariæ ad Martyres Romæ, vbi plura de eius pietate in liberandis captiuis. Agit de eodem Trithem. de viris illuſtr. ord. S. Bened. lib. 3. cap. 29. obiiſſeque tradit anno Domini quingenteſimo quinquageſimonono.

## xv. C Septimo Idus Nouemb. Luna. 7

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | | | |

PATAVII depoſitio ſancti Proſdocimi[a] primi eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, qui à beato Petro Apoſtolo Epiſcopus ordinatus, ad prædicandum Dei verbum ad prædictam ciuitatem miſſus eſt: vbi multis virtutibus & prodigiis coruſcans, beato fine quieuit. Peruſiæ ſancti Herculani[b] Epiſcopi & martyris, qui iuſſu Totilæ Gothorum Regis decollatus eſt: cuius corpus ita capite vnitum atque ſanum quadrageſimo poſt abſciſſionem die (vt ſcribit S. Gregorius Papa) repertum eſt, ac ſi nulla ferri inciſio illud tetigiſſet. Eodem die ſancti Amaranthi[c] martyris, qui apud Albigenſem vrbem exacto agonis fidelis curſu ſepultus, viuit in gloria. Melitine in Armenia paſſio ſanctorum Hieronis[d], Nicandri, Heſychij, & aliorum triginta, qui in perſecutione Diocletiani ſub Lyſia Præſide coronati ſunt. Amphipoli in Macedonia ſanctorum martyrum Aucti[e], Taurionis, & Theſſalonicæ. Ancyræ paſſio ſanctorum Melaſippi[f], Antonij, & Carinæ ſub Iuliano Apoſtata. Coloniæ S. Engelberti[g] Epiſcopi, qui pro defenſione Eccleſiaſticæ libertatis & Romanæ Eccleſiæ obedientia martyrium ſubire non dubitauit. Alexandriæ beati Achillæ[h] Epiſcopi, qui eruditione, fide, conuerſatione, ac moribus fuit inſignis. In Friſia depoſitio ſancti Vuillibrordi[i] Epiſcopi Traiectenſis, qui à beato Sergio Papa ordinatus Epiſcopus, in Friſia & Dania Euangelium prædicauit. Metis ſancti Ruffi[k] Epiſcopi & confeſſoris. Argentorati ſancti Florentij[l] Epiſcopi.



PROSDOCIMI[a].] De eodem tabulæ eccleſiæ Patauinæ. Eius res geſtas ex antiquis monumentis habet Mombrit. tomo 2. vit. ſanct. Petrus in catal. lib. 10. c. 33. & Scard. lib. antiq. vrb. Patau. lib. 2. claſ. 6.

[b] Herculani Epiſc.] De eodem Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores hac die. Eius martyriũ deſcribit S. Greg. Papa dialog. lib. 3. c. 13. Mombrit. tom. 2. vit. ſanct. eius Acta edidit, paſſumq; refert anno decimoſeptimo Iuſtiniani Imperatoris: eſt is annus Domini (ſecũdùm Faſtos Onuphrij) quingenteſimus quadrageſimuſquartus. Sigebert. in chron. de ipſo, eodem anno; licet Marian. Scot. paſſũm referat anno 561. nos verò in Annal. ponimus eius martyrium anno Domini 546. Legi & libellum manuſcrip. miraculorũ eius, & quidem ſinceriſſimum, niſi quòd in eius exordio ea ſunt emendanda, quæ de Iuliani Apoſtatę temporibus ab aliquo alio præmiſſa videntur: longè enim diſcrepant inter ſe tempora Iuliani, & Iuſtiniani. Trithem. de vir. illuſtr. ord. S. Benedicti lib. 3. cap. 14. adnumerat eumdem S. Herculanum inter monachos ordinis S. Benedicti. Ex monaſtica quidem vita ad Epiſcopatum veniſſe, ſcribit Gregorius: conſtat tamẽ iiſdem temporibus vtrumq; vixiſſe, & paulò ante Herculani obitum migraſſe ex hac vita S. Benedictũ, qui (vt Leo Epiſcopus Oſtienſis ſcribit in chron. Caſſinen.) exceſſit ex humanis anno Domini 543. vel ſecundùm alios 542. quem tamen vſque ad annum ſaltem 544. perueniſſe, ex ipſius rebus geſtis cũ Totila Rege colligi

poſſe

poſſe nobis videtur. Qui præeſt hodie eidem Peruſinę eccleſię eiuſdem cognominis Reuerendiſſ. D. Vincentius Herculanus, ordinis Prædicatorũ, omni virtutum & litterarum genere ornatiſſimus, & tanti prædeceſſoris dignus in Epiſcopatu ſucceſſor, in eam ſententiam videtur eſſe procliuior, vt eiuſdem nominis duo fuerint eiuſdem ciuitatis Epiſcopi; eò quòd (vt ait) in Actis ſanctorum Carpophori & Abundantij martyrum, qui paſſi ſunt temporibus Gentilium Impp. habeatur mentio de S. Herculano Epiſcopo Peruſino. Hæc mihi coràm, cùm nuper Romæ eſſet. Hoc ipſum profitetur R. P. Ioannes Baptiſta Bracheſcus Florentinus, ordinis Prædicatorum, in rebus geſtis dictorum ſanctorum martyrum, quas vnà cum Actis aliorum ſanctorum eiuſdem regionis conſcripſit. Poſt S. Herculanum iuniorem (ſic enim hunc, de quo agimus, appellare libet) Ioannes eam rexit eccleſiam, cuius mentio habetur in lib. de Roman. Pont. in Vigilio Papa. Fuit alumnus eiuſdem S. Herculani S. Floridus Epiſcopus Tifernas, cuius meminit S. Gregor. dialog. lib. 3. c. 13. & 35. licet mendoſus codex habeat, loco Tifernatis, Tu dertinæ eccleſiæ fuiſſe Epiſcopum.

[c] Amaranthi.] Agunt de eodem Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Pluribus Gregor. Turon. de glor. mart. c. 57. Petrus in catal. lib. 10. c. 35. Paſſus fertur temporibus Decij Imp.

[d] Hieronis & ſoc.] De his item hac die Græci in Menologio. Metaphraſtes edidit eorum Acta, quæ deſcribit Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 6.

[e] Aucti & ſoc.] Gręci de iiſdem hac die in Menologio, ibique eorum Acta paucis comprehenſa narrantur.

[f] Melaſippi & ſoc.] Iidem qui ſuprà in Menologio hac die, iiſdemque verbis.

[g] Engelberti.] Huius egregia certamina Cæſarius monachus ſcriptis mandauit: extãt apud Sur. to. 6. idemq; auctor addidit librum miraculorum, quæ ab eodem poſt eius obitum ſunt edita. Paſſus eſt anno à Chriſto 1225. cùm ſediſſet annos ſex.

[h] Achillæ Epiſc.] Beda, Vſuardus, Ado, & alij hac die. De eodem adhuc preſbytero magna cum laude ſcribit Euſeb hiſt. lib. 7. cap. vlt. Socrat. li. 1. cap. 13. Caſſiod. trip. lib. 1. cap. 12. Niceph. lib 6. cap. 34. pluraque in Actis S. Petri martyris Epiſcopi Alexandrini, de quo inferiùs ſexto Kal. Decembr. Hunc magnũ Achillam appellat S. Athan. orat. 2. contra Arian. Succeſſit hic eidem S. Petro, vt conſtat ex eodem Athanaſio; Achillæ autem Alexãder, cui Athanaſius ſubrogatur Aliũ Achillam ponit Epiphan. in Panar. hæreſ. 69. ſediſſe immediatè ante Athanaſium: ſed ab aliis non adnumeratur inter Epiſcopos Alexandrinos: nam defuncto Alexandro, abſente Athanaſio, ille tamquam ſequeſter potiùs, quàm vt Epiſcopus, eidem præfuit ſedi menſibus tribus, quouſque Athanaſius è Comitatu, quò fuerat miſſus, rediret.

[i] Vuillibrordi Epiſcopi.] Barbarum ac pronuntiatu aſperum nomẽ Sergius Papa, cùm illum Romæ in eccleſia ſanctæ Cæciliæ ordinaret Epiſcopum, mutauit in Clementem: tamen priori nomine potiùs appellatus reperitur. Eſt ordinatus anno Domini 696. vt teſtatur Marcellus in vita S. Suiberti cap. 10. qui etiam ibi cap. 6. profitetur ſe ſcripſiſſe eius vitam, quam manuſcriptam haberi Molanus refert. Albinus Flaccus eiuſdem Acta ſcriptis mandauit: extant apud Sur. tom. 6. Agunt de eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij: itemque Beda hiſt. Anglor. lib. 5. cap. 12. in fin & de ſex ætat. in Iuſtiniano Secundo. Plura de ipſo etiam in vita S. Bonifacij Epiſcopi Moguntini; ac denique Trithem. de vir. illuſtr. ord. ſancti Benedicti lib. 3. cap. 137.

[k] Ruffi Epiſcopi.] De eodem Beda, Ado, & alij recentiores. Agit hic Beda de eius tranſlatione facta temporibus Clotarij.

[l] Florentij Epiſc.] Eius vitam ex manuſcript. edidit Surius tomo 6. Ponitur hic quartus eius ſedis Epiſcopus. Sedere cœpit anno Domini 663. præfuitque annis duodecim, vt conſtat ex tabulis eius eccleſiæ, quas deſcripſit Demochares. Agit de eodem Molanus hac die in addit. ad Vſuardum.

## 8 Sexto Idus Nouemb. Luna. D xiiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | | | |

OCTAVA[a] omnium Sanctorum. Romæ via Lauicana, tertio ab Vrbe milliario, paſſio ſanctorum martyrum Claudij[b], Nicoſtrati, Symphoriani, Caſtorij, & Simplicij: qui primò in carcerem miſſi, deinde ſcorpionibus grauiſſimè cæſi, cùm à fide Chriſti mutari non poſſent, iuſſi ſunt à Diocletiano in fluuium præcipites dari. Item via Lauicana natalis ſanctorum quatuor Coronatorum[c] fratrum, Seueri, Seueriani, Carpophori, & Victorini, qui ſub eodem Imperatore ictibus plumbatarum vſque ad mortem cæſi ſunt. Horum autem nomina, quæ poſteà interiectis annis Domino reuelante oſtenſa ſunt, cùm minimè reperiri tunc potuiſſent,

ſtatutum fuit vt anniuerſaria dies ipſorum vnà cum illis quinque ſub nomine ſanctorum quatuor Coronatorum recoleretur; qui mos etiam poſtquam reuelata ſunt, in Eccleſia perſeuerauit. Romæ ſancti Deuſdedit [d] Papæ, qui tanti meriti fuit, vt leproſum oſculo à lepra ſanauerit. Bremæ ſancti Vuillehadi [e] primi eius ciuitatis Epiſcopi, qui vnà cum S. Bonifacio, cuius diſcipulus fuit, in Friſia & Saxonia Euangelium propagauit. Sueſſione in Gallia ſancti Godefridi [f] Epiſcopi Ambianenſis, magnæ ſanctitatis viri. Apud Virodunum ſancti Mauri [g] Epiſcopi & confeſſoris. Turonis S. Clari [h] preſbyteri, cuius ſanctus Paulinus epitaphium ſcripſit.

## NOVEMBRIS 8.

OCTAVA omnium Sanct. [a] ] Inter maiores Octauas ponitur; de eaque ſolemniter agi ſolitum, indicat prædictus manuſcript. codex eccleſiæ ſanctæ Mariæ ad Martyres.

[b] Claudij & ſoc. ] De iiſdem Beda pluribus, Vſuardus, & Ado. Horum Acta edita habentur à Mombrit. tom. 1. ſed in nonnullis corrigenda: alia Surius breuiora tom. 6. ſed prolixiora nos manuſcripta habemus in noſtra bibliotheca.

[c] Quatuor Coronat. ] Beda & alij omnes de iiſdem hac die. Honorius Papa eiſdem martyribus eccleſiam erexit, vt conſtat ex libro de Roman. Pontificibus. Vetus fuit Romæ & adhuc eſt Titulus nomine ſanctorum quatuor Coronatorum, cuius mentio babetur apud S. Gregorium in regiſt. lib. 4. Indict. 13. c. 44. in fine. Horum martyrum corpora à Leone Quarto Rom. Pont. fuiſſe inuenta, eiuſdem Acta, quæ ab Anaſtaſio Bibliothecario putantur conſcripta, teſtantur; vbi de eorum eccleſia ab eodem reſtituta, multorumque ſanctorum (quas recenſet) reliquiis locupletata, exacta mentio babetur.

[d] Deuſdedit Papæ. ] Succeſſit hic Bonifacio Quarto. Egimus pluribus de eodem in Annalib. Eccleſiaſticis.

[e] Vuillehadi Epiſc. ] Eius res geſtas fideliter ſcriptas habet Sur. to. 6. Plura de eodem Crantz. in Saxon. lib. 2. cap. 14. & 15. & in hiſt. Eccleſiaſt. Saxon. lib. 1. cap. 7. & 8. Ordinatus fuit eius ſedis Epiſcopus anno Domini 788. De eodem alij plures, ac nouiſſimè Trithem. de viris illuſtrib. ord. S. Benedicti lib. 3. cap. 195.

[f] Godefridi Epiſcopi. ] Huius vitam ſcriptam à Nicolao monacho recitat Sur. tom. 6. Migrauit ex hac vita anno Domini 1013. tranſlatio autem facta eſt anno 1138. vt eius Acta teſtantur. Adnumeratur inter Epiſcopos Ambianenſes triceſimusquartus ordine.

[g] Mauri Epiſcopi. ] De quo tabulæ eius eccleſiæ: ponitur ſecundus eius ſedis Epiſcopus, obiitque diem anno Domini 150. vt apud Democharem legitur.

[h] Clari. ] Seuerus de ipſo ſcribit epiſtola 2. ad Aurelianum diaconum de obitu S. Martini, & in vita S. Martini cap. 25. ſepultuſq; eſt in eccleſia quam idem Seuerus erexit, de qua S. Paulinus Nolanus Epiſcopus in Epiſt. 12. ad Seuerum, vbi etiam habentur tria epitaphia in ſepulchro illius ad perpetuam memoriam deſcribenda, quorum tantùm exordia hîc referimus, eſtque primi eiuſmodi initium:

*Nominu vt titulo, ſic mentis lumine Clarus*
*Presbyter hoc tegitur, ſed mēbra caduca ſepulchro*, &c.

Secundi autem eſt exordium:

*Presbyter hic ſitus eſt meritis & nomine Clarus,*
*Martino ſtudiis comes, & meritis modo conſors*, &c.

Tertium autem ita incipit:

*Clare fide, præclare actu, clariſſime fructu,*
*Qui meritis titulum nominis æquiparas*, &c.

xiij. E Quinto Idus Nouemb. Luna, 9

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | | | |

ROMÆ dedicatio [a] Baſilicæ [b] Saluatoris. Amaſeæ in Ponto natalis ſancti Theodori [c] militis, qui tempore Maximiani Imperatoris pro Chriſtianæ fidei confeſſione fortiter cæſus, & in carcerem miſſus, deinde Domino ſibi apparente, ac monente vt conſtanter & viriliter ageret, releuatus eſt: nouiſſimè poſt-

poſtquam equuleo ſuſpenſus, & vngulis corraſus eſt, ita vt eius interiora nuda apparerent, ardentibus ignibus comburendus traditur: cuius laudes ſanctus Gregorius Nyſſenus præclaro encomio celebrauit. Tyanæ in Cappadocia paſſio ſancti Oreſtis [d], ſub Diocletiano Imperatore. Theſſalonicæ ſancti [e] Alexandri martyris, ſub Maximiano Principe. Apud Bituricas ſancti Vrſini [f] confeſſoris, qui Romæ ordinatus à ſucceſſoribus Apoſtolorum, primus eidem vrbi deſtinatur Epiſcopus. Neapoli in Campania ſancti Agrippini [g] Epiſcopi, miraculis clari. Conſtantinopoli ſanctarum virginum Euſtoliæ [h] Romanæ, & Sopatræ filiæ Mauritij Imperatoris. Beryti in Syria commemoratio imaginis [i] Saluatoris, quæ à Iudæis crucifixa, tam copioſum emiſit ſanguinem, vt Orientales & Occidentales eccleſię ex eo vbertim acceperint.

## NOVEMBRIS 9.

DEDICATIO Baſilicæ Saluatoris [a].] Variis nominibus eadem Baſilica dicta reperitur: ſiquidem in regiſtro S. Gregorij lib. 11. cap. 1. appellatur Baſilica Iulij. hæc etenim ibi ſcripta leguntur: Acclamatum eſt in Lateranis in Baſilica Iulij ab omni clero, &c. Non tamen exiſtimo à Iulio Papa ita dictam: nam duas illum erexiſſe Baſilicas, alteram iuxta Forum, via Flaminia alteram, tradit liber de Rom. Pontific. Vetus enim Vrbis monumentum erat Baſilica Iulij, cuius meminit Plin. libro 5. epiſt. 21. Dicta eſt etiam Baſilica Lateranenſis, ſeu Laterani; ita enim appellant eam S. Hieron. epiſt. 30. in epitaphio Fabiolæ, & Prudentius contra Symmachum. ſic dicta ab ædibus Laterani, quæ (vt Publius Vict. ſcribit) erant in regione ſecunda, Cœlimontana nuncupata. Fuiſſe eas magnificentiſſimas, teſtatur Iulius Capitolinus in Marco Aurel. Imp. & Victor in Seuero: quæ poſteà temporibus Conſtantini ceſſerunt Fauſtæ Auguſtæ, ibique ſub Melchiade habita eſt Synodus in cauſa Cæciliani, vt ſcribit Optat. Mileuit. lib. 1. contra Parmen. Dicta etiã inuenitur Baſilica Conſtantiniana, quòd dictas ædificiorum moles in eccleſiam mutarit, auxerit, ornaritque. Appellata eſt etiam Baſilica Saluatoris, eò quòd ipſi Saluatori omnium Ieſu Chriſto Deo vero dicata potiſſimùm eſſet; cùm alioqui omnes etiam ſanctorum eccleſias Deo optimo maximo dicari conſueuiſſe ſcribat S. Auguſtinus de ciuit. Dei lib. 22. c. 10. Rurſus autem adiacentia oratoria S. Ioannis Baptiſtæ, & S. Ioannis Euangeliſtæ ab Hilaro Papa conſtructa in Baptiſterio Conſtantini, effecerunt vt eadem Baſilica dicatur etiam nomine S. Ioannis. Non abs re facere videmur, ſi hìc ponamus de eadem Baſilica præclarum elogium Petri Damiani S. Rom. Eccleſiæ Card. Epiſc. Portuenſis, quem ob ſingularem vitæ ſanctitatem, egregiam eruditionem, ac zelum Eccleſiaſticæ diſciplinæ Hieronymum iuniorem inuenimus appellatum. Is, inquam, in epiſtola ad Cardinales S. Romanæ Eccleſiæ hæc inter alia ſcribit: Lateranenſis eccleſia, ſicut Saluatoris eſt inſignita vocabulo, qui nimirum eſt caput omnium electorum, ita mater, & quidam apex & vertex omnium per Orbem eccleſiarum. hæc ſeptem Cardinales habet Epiſcopos, quibus ſolis poſt Apoſtolicum, ſacroſanctum illud altare licet accedere, ac diuina myſteria celebrare. &c. De eadem rurſus ad Cadaloum ſchiſmaticũ his verbis: Hæc igitur ad honorem condita Saluatoris, culmen & ſummitas totius Chriſtianæ religionis effecta (vt ita dixerim) Eccleſia eſt eccleſiarum, & Sancta ſanctorum. Habet enim intrinſecus beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli diuerſis quidem locis conſtitutas eccleſias, ſed ſui compage ſacramenti (quia videlicet in quodam meditullio poſita, quaſi caput membris ſupereminet) indifferenter vnitas. His itaque tamquam expanſis diuinæ miſericordiæ brachiis, ſumma illa & venerabilis Eccleſia omnem ambitũ totius Orbis amplectitur; omnes qui ſaluari appetunt, in materno pietatis gremio confouet, & tuetur. Hac Ieſus, ſummus videlicet Pontifex, arce ſubnixus, totam in orbe terrarum Eccleſiam ſuam ſacramenti vnitate confœderat; vt vnus Paſtor meritò, & vna dicatur Eccleſia, &c. Hęc idcircò hìc deſcripſiſſe volumus, vt oſtendatur optimo quidem iure eius Baſilicæ dedicationem in vniuerſa Eccleſia celebrari: vtpote quæ ſit parens ac caput omnium eccleſiarum. Quod pertinet ad dedicationem eccleſiarum, adbuc addimus, non ſolùm olim agi ſolitam anniuerſariam ſolemnitatem, more maiorum, dedicationis eccleſiæ, ſed etiam conſecrationis altaris: idque exploratum habetur ex ſerm. S. Auguſtini 252. de tempore, itemque ex alio eiuſdem 255. de tempore. Porrò vnicuique altari conſecrato aſſiſtere Angelum Dei, extat egregium exemplum in Prat. ſpirit. Sophron. cap. 4. At verò non vnum tantùm altare in eccleſia conſtrui & conſecrari olim moris fuiſſe (vt garriunt hæretici) ſed plura, habes teſtimonium S. Gregorij Papæ in regiſtro lib. 5. epiſt. 50. ad Palladiũ Epiſc. Sanctonen. vbi agit de eccleſia in honorem Apoſtolorum, aliorumque ſanctorum conſtructa, deque tredecim ibi altaribus erectis ac dedicandis.

[b] Saluatoris.] De hoc nomine S. Auguſtinus de Trinitate lib. 3. c. 10. hæc ait: Qui eſt Hebraicè

Ieſus, Græcè σωτὴρ, noſtra autem locutione Saluator. Quod verbum Latina lingua anteà non habebat, ſed habere poterat, ſicut potuit quando voluit. Hæc Auguſtinus. Quo magis mirandum eſt, non ſolùm hæreticos, qui deditâ operâ ab Eccleſiæ Catholicæ conſuetudioe diſſentiunt, ſed ex noſtris etiam nonnullos Latinę eloquētiæ ſtudioſos, à Saluatoris voce tantopere abhorrere: cuius loco Seruatorem dicūt; tamquam hoc ſit Ciceronianum verbum, alterum non ſit. Atque par eſſet in negotio fidei, dictionum noſtratum proprietate, Auguſtino magis, ac ceteris Patribus doctiſſimis ac ſanctiſſimis, quàm Ciceroni auſcultare. Quamquam nūc quidem Tullio ſaltem ipſi Latinitatis magiſtro cedeodum eſſet, qui diſertis verbis negat Græcam vocem σωτὴρ, vno Latino verbo exprimi poſſe. Ipſum audiamus, cuius hæc ſunt verba in C. Verrem lib. 2. Itaque eum non ſolùm patronum iſtius inſulę, ſed etiam ſotera, inſcriptum vidi Syracuſis. Hoc quantum eſt? ita magnum, vt Latino vno verbo exprimi non poſſit. Is eſt nimirum ſoter, qui ſalutem dedit. Hæc ille. Ecce (vt vides) vox vna illa, Seruator, non eſt viſa ſatis efficax, quæ Græcam vocem Latinè æquè redderet; vnde noua potiùs foit excogitanda: quod non tantùm in his quæ religionis ſunt, ſed & in his quæ ſpectant ad ſcientias arteſque, optimo iure fieri poſſe ac debere, idem Cicero docet lib. 3. de Finibus, cuius & in eodem libro eſt illa grauis & tanto Oratore digna ſententia, qua ait: Huioſmodi res (ad philoſophiam ſpectantes videlicet) dicere ornatè velle, puerile eſt: planè autem & perſpicuè expedire poſſe, docti & intelligentis eſt viri. Hæc ipſe. Ego quidem eloquentiæ & Latinè loquendi ſtudium non reprehendo; ita tamen, vt religioni ſeruiat, non imperet: in qua ſententia excellenti doctrina & iudicio viros, fidei noſtræ columnas, eſſe nouimus Auguſtinum, Hieronymum, Ambroſium, & alios complures, quos recitare perfacilè poſſem; ſed nolo, ne longiùs ab inſtituti noſtri ratione diſcedam: citabo tamen breuiter aliquot loca. id etenim Auguſtin. de doctrin. Chriſtian. lib. 2. c. 13. & contra Creſcon. lib. 1. c. 1. Ambroſ. commen. in Luc. c. 2. Hieron. in commen. in Ezechiel. cap. 40. Arnob. lib. 1. aduerſus Gentes, Niceph. hiſt. lib. 8. c. 41. & alij profitentur; nouiſſimè verò & Molanus vir quidem eruditus de eadem voce agens reprehendit eos qui Seruatorem pro Saluatore ineptè dicere conſueuerunt, in annot. ad Vſuard. ad quintum Kalend. Martij in prima edit.

[c] Theodori.] De eodem Beda, Vſuardus, Ado, & alij Latinorum, Græci autem xiij. Kal. Martij in Menologio, & in conſtit. Emmanuelis Imp. Hic ab eis dictus eſt Theodorus tyro, ad differentiam Theodori ducis: appellatus eſt & Amaſenus ob locum vbi paſſus eſt; dictus & Enchaita, à ciuitate in quam eius corpus tranſlatum eſt, quæ ab eodem poſteà nominata eſt Theodoropolis à Ioanne Zemiſce Imperatore, qui ob ingentem victoriam eius precibus habitam, eidem ampliſſimam erexit baſilicam, annuamque celebritatem auxit, vt ſcribit Zonaras in 3. part. Annal. in Ioan. Imp. & Cedren. in compend. in eodem. De celebratione eius diei feſti habetur in Actis S. Alipij Cionitæ cap. 7. ex Metaphraſte die 26. Nouembris apud Sur. to. 6. Huius res geſtas, ac pręclarum martyrium deſcripſit Metaphraſtes die 17. Februarij. ibidem etiam recitantur duę orationes in eius laudem, quarum altera dicta eſt à Greg. Nyſſeno, altera verò à Nectario Epiſcopo Conſtantinopolitano: Conſtantinopoli etenim percelebris fuit eiuſdem martyris cultus, vbi baſilicam vetuſtate pænè collapſam Iuſtinianus Imperator reſtituendam curauit, vt ſcribit Procop. lib. 1. de ædif. Iuſtin. Imp. De eadem in auth. vt determ. ſit num. cleric. collat. 1. tit. 3. Romæ etiam adhuc ſupereſt eiuſdem martyris eccleſia ad Palatini radices, quam inter diaconias numeratam reperi. Habemus eiuſdem martyris Acta manuſcripta in noſtra bibliotheca. De nobili memoria Theodori martyris apud Damaſcum poſita meminit Ioannes Damaſcen. de imag. orat. 3. vbi & de miraculo ex imagine eiuſdem martyris agitur. Erat celebris peregrinatio in Oriente Enchaitam ad ſanctum Theodorum, de qua Pratum Spirituale cap. 180.

[d] Oreſtis, aliter Areſtis.] De eodem Græci etiam hac die in Menologio. Acta autem eius à Metaphraſte edita habet Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 6. De eccleſię huius S. Oreſtis martyris reditibus orta eſt contentio inter Anthimum Epiſcopum Tyanæ in Cappadocia, & ſanctum Baſilium: cuius meminit ſanctus Gregorius Nazianz. in oratione dicta in laudem Baſilij.

[e] Alexandri.] Agunt de eo item Græci in Menologio, vbi eius nobile certamen deſcribitur.

[f] Vrſini.] De eodem Beda, Vſuardus, & Ado; pluribus autem Gregor. Turon. de glor. confeſſ. cap. 80. Petrus Cluniacenſ. lib. 1. epiſt. 2. & Petrus Æquilin. in catalog. lib. 10. cap. 41.

[g] Agrippini Epiſcopi.] Extant eius acta ex antiquis monumentis Neapolitanæ eccleſiæ, edita à Dauide Romæo, & à Paulo Regio. Legi & libellum miraculorum eius ſeorſum poſitum.

[h] Euſtoliæ & Sopatræ.] De his etiam Græci in Menologio, earumque Acta referunt.

[i] Commemoratio imaginis Saluatoris.] Vetus conſuetudo tam in Orientali quàm in Occidentali Eccleſia fuit, & hactenus perſeuerat, vt hac die miraculū ex eadem imagine olim editum annua celebritate recoleretur. In Cōcilio Nicæno ſecundo, Actione quarta, vbi rei geſtæ hiſtoria recenſetur, hæc ex ea leguntur: Hæc inſuper ab eis efflagitamus, vt per annos ſingulos, menſe Nouēbri, qui apud Hebræos eſt nonus, apud nos verò vndecimus, nona die ipſius, id eſt, quinto Idus Nouembris, non minori reuerentia quàm Natalis Domini, aut Paſchalis ipſa dies, præcipua obſeruatione colatur. Hæc ibi. Contigit eiuſmodi inſigne miraculum temporibus Conſtantini Iunioris & Irenes AA. vt in hiſtoria manuſcript. quæ in aliquibus eccleſiis legi conſueuit, quam & in antiquo codice apud nos habemus, apparet; quod & teſtatur Sigebert. in chron. anno Domini 765. Hæc cùm ita ſe habeant, planè conſtat auctorem illius hiſtoriæ non eſſe Athanaſium Alexandrinum Epiſcopum, vt habet recens inſcriptio, nec à S. Synodo tamquam Athanaſij illius cognitam, cùm etenim alicuius magni Theologi illic de ſacris imaginibus citatur ſententia, eumdem perhonorificè ac præclaris elogiis nominare conſueuerunt. Sanè quidem Ioannes Damaſcenus, qui tres ſelectiſſimas de ſacris imaginibus ſcripſit orationes, in quibus cum à S. Athanaſij, tum à cete-

ceterorum ſcriptis teſtimonia mutuatur, nihil prorſus habet de eiuſmodi hiſtoria imaginis crucifixæ. Vnde ſatis eſſe argumento videtur, poſt illas Ioannis Damaſceni ſcriptiones id contigiſſe prædictorum Auguſtorum temporibus, quorum anno octauo prædicta Synodus celebrata eſt. Nomen itaque Athanaſij Alexandrini aliunde irrepſiſſe videtur: nam in dicto codice peruetuſto hæc charactere Longobardo ſcripta leguntur: Sermo ſanctæ memoriæ Patris noſtri Athanaſij de imagine Ieſu Chriſti veri Dei æterni, quod factum eſt miraculum magnum in ciuitate Beryto, tempore Conſtantini Iunioris, & Irenes vxoris eius. Suſtollite oculos, &c. Sequuntur cetera quæ ibidem leguntur. Vnde alicuius alterius potiùs Athanaſij in Syria Epiſcopi, quàm Alexandrini, tractatus ille eſſe conſpicitur; dignus tamen, cui fides integra adhibeatur ab omnibus.

At verò non tantùm de imagine crucifixa, ſed & de alia ad Abagarum miſſa Græci annuam celebritatem agere conſueuerunt xvij. Kal. Septembris, vt conſtat ex eorum Menologio; eamdemq; hiſtoriam in aliquibus eccleſiis legi mos fuit, vt inſpici poteſt in cod. manuſcrip. eccleſiæ S. Mariæ ad Martyres. Scimus Gelaſium Papam inter apocryphas recepiſſe epiſtolas illas Ieſu nomine & Abagari. Sed quid mirum? ſi probaſſet vt Chriſti verba, inter ſcripturas canonicas fuiſſent profectò adnumerandæ. At quod ad imaginis hiſtoriam pertinet, nihil omnino Gelaſius: quam quidem agnitam nouimus à Patribus prædictæ Synodi Nicænæ Act. quinta. Agnouit ac recepit eam Stephanus Papa in Conc. Romano, vt auctor eſt Hadrianus Papa, qui eam tuetur hiſtoriam in epiſtola quam ſcripſit ad Carolum Magnum Imperatorem. Ioannes Damaſcenus eamdem recipit lib. 4. de fide Orthodoxa cap. 17. Scribit de eadem imagine atque miraculis inde editis Euagr. Schol. hiſt. lib. 4. cap. 26. Niceph. lib. 2. cap. 7. De eadem eſt luculenta oratio Conſtantini Porphyrogeniti Imp. apud Metaphraſtem 16. Auguſti. In nonnullis ſanctorum Actis de eadem celebris mentio habetur, vt in vita ſanctorum Samonæ & Guriæ apud Metaphraſt. 15. Nouembris, in paſſione S. Stephani Iunioris, necnon in vita S. Alexij. Et ne quid prætereamus, agunt Græci etiam commemorationem anniuerſariam quinto Idus Auguſti alterius miraculi ex ſacra imagine Saluatoris, quæ Conſtantinopoli à Iudæo ferro percuſſa, ſanguinem fundens, in puteum deiecta eſt, cuius rei geſtæ hiſtoriam in eodem vetuſto codice apud nos manuſcriptam habemus.

10

## Quarto Idus Nouemb. Luna. F xij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | | | |

NATALIS ſanctorum martyrum Tryphonis[a], & Reſpicij, & Nymphæ virginis. In territorio Agathenſi ſanctorum martyrum Tiberij[b], Modeſti, & Florentiæ, qui tempore Diocletiani variis tormentis cruciati, martyrium compleuerunt. Antiochiæ ſanctorum Demetrij[c] Epiſcopi, Aniani diaconi, Euſtoſij, & aliorum viginti martyrum. Rauennæ ſancti[d] Probi Epiſcopi, miraculis clari. Aurelianis ſancti Monitoris[e] Epiſcopi & confeſſoris. In Anglia ſancti Iuſti[f] Epiſcopi, qui vnà cum Auguſtino, Mellito, & aliis à beato Gregorio Papa in eam inſulam miſſus ad prædicandum Euangelium, ibidem ſanctitate celebris obdormiuit in Domino. In oppido Milleduno ſancti[g] Leonis confeſſoris. Iconij in Lycaonia ſanctarum mulierum Tryphennæ[h] & Tryphoſæ, quæ beati Pauli prædicatione, & exemplo Theclæ, in Chriſtiana diſciplina plurimum profecerunt. In Paro inſula ſanctæ Theoctiſtes[i] virginis.

## NOVEMBRIS 10.

TRYPHONIS & ſoc.[a]] Latini de his hac die, Græci autem in Menologio de Tryphone tantùm ad Kalendas Februarij. Celebris erat cultus Tryphonis martyris Conſtantinopoli; in cuius honorem Iuſtinianus Imp. erexit eccleſiã, de qua Procop. li. 1. de ædif. Iuſtiniani Imp. Horum martyrum diuerſa Acta ferũtur: quorum alia habent, paſſos eſſe in Saxonia, alia Apameæ in Syria, alia Nicææ in Bithynia. De Saxonia ſcribit Petrus in catal. lib. 10. cap. 42. de Apamea Acta ipſorum; de Nicæa Antoninus in prima par. tit. 7. cap. 7. §. 7. Habemus in noſtra bibliotheca Tryphonis & Reſpicij Acta manuſcript. quorum eſt exordium:

Mortuo Gordiano, & ſucceſſore eius Philippo,&c. vbi hos genere Phrygas tentos eſſe apud Apameam, ac Nicæam perductos, ibidem conſummaſſe martyrium ſub Decio Imp. Aquilino Præfecto, & Pompeiano Primiſcrinio traditur. Nymphæ verò ſeorſum poſita habentur Acta, quæ incipiunt: In Sicilia inſula, ciuitate Panormo,&c. Fertur in eis, eamdẽ poſt multa certamina Romam veniſſe, ibique in pace quieuiſſe; quæ tamen diuerſa videntur ab iis quæ de eadem in aliis Actis leguntur: alia enim Acta habent, diem obiiſſe in crypta iuxta Suanam, vbi ſunt reliquiæ ſancti Mamiliani Epiſcopi Panormitani, quem eodem loco defunctum atque ſepultum, eius Acta teſtantur. Sed & quod habetur in aliis Martyrologiis, In Saxonia: quænam fuerit ſententia Reuerendiſſimi D. Lindani Epiſcopi Ruremundenſis, cùm de his coràm ageremus, paucis perſtringam. Dum enim (vt ſuperiùs diximus) occupationes Eccleſiaſticæ Romæ eum detinerent, inſpiceretque in eccleſia S. Spiritus in Saxia maiori ſub altari ſummo cum honore prædictorum trium martyrum veneranda corpora aſſeruari: mox in eam perductus eſt ſententiam, vt locus ſepulturæ martyrum pro loco paſſionis in prædictis Actis ſit poſitus. Cùm enim nullus antiquorum vel recentiorum auctorum, qui res Saxonum ſunt proſecuti, de prædictis martyribus vel leuiter ſaltem meminiſſe reperiatur; adduci minimè potuit, vt iidem in Saxonia paſſi fuerint; ſed ex loco eorum ſepulturæ errandi acceptam eſſe occaſionem: exiſtimans locum illum inter Tiberim & baſilicam S. Petri poſitum, qui nunc Saxia nuncupatur, olim Saxoniam, à Saxonibus illic degentibus, eſſe dictum. Certè Anaſtaſius Bibliothecarius, vel quiuis alius ſit auctor, qui res Leonis Quarti Rom. Pont. eſt proſecutus, locum illum, Vicum Saxonum appellat, meminitque ſcholæ Saxonum illic poſitæ. Expugnati etenim Saxones à Carolo Magno Imp. cùm iidem ſæpiùs rebellaſſent, tandem ſolum vertere coacti ſunt; compluresq; illorum Chriſtiana fide atque Eccleſiaſtica diſciplina imbuendi, Romam ſunt miſſi; qui humaniſſimè in Vrbe accepti cùm eſſent, locum illum apud baſilicam S. Petri ad habitãdum acceperunt, qui & à nouis accolis nomen accepit, vt Vicus Saxonum, & Schola Saxonum, cuius eſt etiam mentio in Leone Tertio, diceretur. Hæc eſt accuratiſſimi ac diſertiſſimi R. D. Lindani ſententia: cui & ego perlibenter adſtipulor; ea enim multæ ſoluuntur ambages.

[b] Tiberij & ſoc.] De his etiam Beda, Vſuardus, Ado, & Petrus in catal lib. 10. cap. 46.

[c] Demetrij & ſoc.] Beda, Vſuardus, & alij recentiores de iiſdem agunt hac die.

[d] Probi Epiſcopi.] Tabulæ eccleſiæ Rauen. Petrus in catalog. lib. 10. c 45 Hier. Rub. in hiſt. Rauen. lib. 1. vbi & de eius translatione agitur: & Molan. in addit. ad Vſuardum.

[e] Monitoris Epiſcopi.] De eodem hac die Beda, Ado, & alij. Numeratur vndecimus eius ciuitatis Epiſcopus in tab. Democh.

[f] Iuſti Epiſc.] Scribit de eo pluribus Beda de geſt. Anglor. lib. 1. c. 29. lib. 2. c. 3. 5. 6. 7. 8. & 18. & in epitome, & alij plures auctores, qui proſecuti ſunt res Anglorum, eadem quę Beda referentes. Vita functus eſt anno Domini 632.

[g] Leonis confeſſ.] De eo vetera manuſcripta, ſicut & in vet. Martyrol. Rom.

[h] Tryphennæ, & Tryphoſæ.] Meminit harum Paul. ad Roman. cap. 16. agiturque de his in Actis ſanctæ Theclæ, de quorum certa fide ſuperiùs egimus die 23. Septembris.

[i] Theoctiſtes.] De eadem hac die Græci in Menologio: eius vitam à Metaphraſte editam refert Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 6.

## xj. G Tertio Idus Nouemb. Luna. 11

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | | | |

TVRONIS in Gallia natalis beati Martini [a] Epiſcopi & confeſſoris, cuius vita tantis extitit miraculis glorioſa, vt trium mortuorum meruerit eſſe ſuſcitator. Cotyæi in Phrygia inſignis paſſio ſancti Mennæ [b] Ægyptij militis; qui in perſecutione Diocletiani, poſtquam abiecto militiæ cingulo meruit cæleſti Regi ſecreta conuerſatione in eremo militare, procedens in publicum, & ſe Chriſtianum libera voce declarans, primò diris cruciatibus examinatur; nouiſſimè fixis in oratione genibus, Domino Ieſu Chriſto gratias agens, gladio cæſus eſt, ac multis poſt mortem miraculis claruit. Rauennę ſanctorum martyrum Valentini [c], Feliciani, & Victorini, qui in perſecutione Diocletiani coronati ſunt. In Meſopotamia S. Athenodori [d] martyris, qui ſub eodem Diocletiano, & Eleuſio

Præſide.

Præſide, ignibus cruciatus, & aliis ſuppliciis tortus, demum capitis damnatus, cùm carnifex corruiſſet, nec vllus alius gladio illum ferire auſus eſſet, orans obdormiuit in Domino. Lugduni ſancti Verani [e] Epiſcopi, cuius vita fide & virtutum meritis fuit illuſtris. In monaſterio Cryptæ ferratæ in agro Tuſculano ſancti Bartholomæi [f] abbatis, ſocij beati Nili, cuius vitam ipſe conſcripſit. In prouincia Samnij ſancti Mennæ [g] ſolitarij, cuius virtutes & miracula ſanctus Gregorius Papa commemorat.

## NOVEMBRIS 11.

MARTINI Epiſc. [a] ] De eodem Beda, & alij omnes hac die: itemque in Capitularibus Regum Franc. li. 6. c. 186. vbi de feriis agitur, his verbis: In tranſitu S. Martini tertio Idus Nouembr. diem vnum. Scripſit eius res geſtas in primis Sulpitius Seuerus commenratio de vita ipſius, tribus libris dialogorum, & epiſtolis tribus. Paulinos Nolanus Epiſcopus carmine eius Acta cecinit, vt teſtatur Fortunatus his verſibus:

*Stemmate, corde, fide, pollens Paulinus, & arte,*
*Verſibus explicuit Martini dogma magiſtri.*

Citat Gregor. Turon. ſextum librum carminum S. Paulini de vita ſancti Martini, lib. 1. miraculorum eiuſdem Sancti. Venãtius Fortunatus & ipſe quatuor libris carminum, qui extant, complexus eſt eiuſdem vitę Acta, prout idem Gregor. Turon. teſtatur. Einſdem Sancti miracola quatuor libris proſecums eſt ipſe Gregor. Turonenſ. egitque de eius tranſlatione. Item S. Odo abbas Cluniacenſis ſcripſit hiſtoriam de eiuſdem tranſlatione facta in Burgundiam tempore incurſionis Danorum, deque eius reſtitutione; addito de laudibus einſdem tractatu. Porrò tanti viri res geſtæ omni monimentorum genere conſecratæ ſunt à pleriſque Latinorum & Græcorum: nam Zozom. de ipſo ſcribit lib. 3. cap. 13. Niceph. lib. 9. cap. 16. & alij. Fuit dies ordinationis eius, qui & tranſlationis, quarto Nonas Iulij, vt idem Gregor. Turon. ſcribit lib. 1. miracul. c. 6. & de geſt. Franc. hiſt. lib. 2. cap. 14. hac autem die è vita migrauit (vt ait) Cæſario & Attico Coſſ. anno Domini (ſecundùm Faſtos Onuphrij) 397. ætatis verò ſuæ (vt idem auctor ſcribit) anno octogeſimoprimo. At verò perperàm eo anno ſub dictis Conſulibus S. Martini obitus ponitur. In noſtris enim Annal. Eccl. ex teſtificatione Seueri, aliiſque firmis rationibus perſpicuè demonſtrauimus, migraſſe ex hac vita S. Martinum anno Domini 402. Arcadio & Honorio Augg. quintùm Conſulibus. Qui enim ex Seueri ſententia cap. 3. Vit. ipſius, ſub Conſulato Euodij ſeptuagenarius erat, anno nimirum Domini trecenteſimo octogeſimoſexto, cùm damnatæ communionis Epiſcoporum conuenticulo, vt Maximo ſatisfaceret, inuitus licet interfuit; idemque eiuſdem aſſertione ſuperuixiſſe ponitur annos ſexdecim; neceſſe eſt affirmare dicto anno quadringẽteſimoſecundo vita perfunctum, agentem ætatis annos octogintaſex. Ceterùm quę hic anteà in prioribus editionibus, decepti Seueri auctoritate, de minori numero annorum S. Martini dixeramus, ex iis quæ in iiſdem Annalibus poſteà diſſeruimus ſunt modò à nobis emendata: ibi enim tum aliis in locis ſæpè, tum præcipuè anno Domini 351. occaſione baptiſmi S. Martini de his egimus, perſpicuiſque rationibus atque ipſiuſmet Seueri auctoritate oſtendimus, librariorum vitio textum Seueri in ipſo exordio Vitæ ſancti Martini inſigniter deprauatum eſſe, dum ibi dicitur, annos quindecim natum Martinum militare cœpiſſe, ac ferè triennium ante baptiſmum in armis fuiſſe, ac proinde anno decimooctauo ſuæ ætatis baptizatum eſſe, & biennio tantùm poſt baptiſmum militem perſeueraſſe. hæc enim ex iis quæ alibi ipſe Seuerus de eodem ſcribit, firmiſque rationibus falſa eſſe demonſtrauimus; oſtendentes, Martinum ipſo exordio anni ætatis ſuæ decimiſeptimi militiæ nomen dediſſe; baptizatum verò annos natum trigintaquinque; & quatuor poſt baptiſmum annis in militia iam expletis, miſſionem legitimam à Iuliano poſtulaſſe anno Domini 356. cùm ageret annum ætatis quadrageſimum; vitamque propagaſſe vſque ad annum Domini 402. Quibus omnibus redarguuntur ea etiam quæ idem Gregorius ſcribit de Ambroſio; quòd per viſum interfuit funeri ſancti Martini: nam ex prædictis conſtat ante ſanctum Martinum obiiſſe S. Ambroſium, qui Cæſario & Attico Coſſ. anno Domini 397. eſt defunctus. In his enim plus eſſe deferendum Sulpitio Seuero eius diſcipulo, quàm ceteris, omnis ratio perſuadet. Ceterùm de his pluribus in Annalibus actum eſt. Non omittẽdum, quòd hoc ipſo menſe, decimaquarta die, de eodem ſancto agebatur alia ſolemnitas, Receptio ſancti Martini dicta, vt conſtat ex primo Concilio Turonenſi, in cuius exordio hæc leguntur: Seuero V.C. Conſule, ſub die 18. Kal. Decembr. cùm ad ſacratiſſimam feſtiuitatem, qua domini Martini Receptio celebratur, &c. Exiſtimamus autem hanc illam eſſe diem, qua poſt altercationes Pictauienſium conantium ſibi vendicare corpus eiuſdem ſancti, à Turonenſibus ipſum clàm ablatum, atque nauigio impoſitum, magna omnium alacritate in Turonenſem ciuitatem receptum eſt, vt ſcribit Greg. Turon. hiſt. Franc. lib. 1. cap. vltimo.

[b] Mennæ.] De quo etiam Beda, ac ceteri Latinorum; Græci etiam in Menologio hac die de eodem agunt. Eius Acta à Metaphraſte deſcripta habet Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 6. ibique extat præclarum de eo encomium conſcriptum à Timotheo Alexandrino, vbi plura de eius miraculis. De peregrinatione ad ſepulchrum Mennę mentio habetur in vita ſanctæ Apollinaris virginis,

Digitized by Google

ginis, apud Metaphraſten quinta die Ianuarij.

[c] Valentini & ſoc.] De iiſdem tab. eccleſiæ Rauen. Ado, & alij pluribus, Hieronym. Rub. hiſt. Rauen. lib. 2.

[d] Athenodori.] Agunt Græci de eodem in Menologio ad ſeptimũ Idus Decembris, ibique eius martyrium paucis comprehenſum deſcribitur.

[e] Verani Epiſcopi.] De eo Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Petrus autem in catal lib. 10. cap. 50. hac die ponit Verum Epiſcopum Gabalitanum. Numeratur hic, de quo agimus, viceſimoſtertius ſedis Lugdunenſis Epiſcopus, quartus ab Eucherio. Hunc illum putamus Veranum cuius meminit Gennadius de vir. illuſtr. cap. 63. & 67. & ad quem Hilarus Papa epiſtolam ſcripſit.

[f] Bartholomæi abb.] Huius vitæ vetera monumenta in eodem monaſterio aſſeruari dicuntur: nondum vidimus.

[g] Mennæ.] Scribit de eo S. Gregor. Papa lib. 3. dialog. c. 26. ex quo Sigebertus in chron. an. 579.

## A Pridie Idus Nouemb. Luna. 12

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | | | |

NATALIS ſancti Martini [a] Papæ & martyris, qui Romæ coacta Synodo, cùm Sergium, Paulum, & Pyrrhum hæreticos damnaſſet, iuſſu Conſtantis Imperatoris hæretici per fraudem captus, & Conſtantinopolim perductus, in Cherſoneſum relegatus eſt; vbi ob Catholicam fidem ærumnis confectus vitam finiuit, multiſque miraculis claruit: cuius corpus poſteà Romam tranſlatum, in eccleſia ſanctorum Silueſtri & Martini conditum fuit. In Aſia paſſio ſanctorum Aurelij [b] & Publij Epiſcoporum. In territorio Senonenſi S. Paterni [c] martyris. In portu Gandenſi S. Liuini [d] Epiſcopi & martyris. In Polonia ſanctorum martyrum Benedicti [e], Ioannis, Matthæi, Iſaac, & Chriſtini eremitarum. Auenione ſancti Rufi [f] primi eiuſdem vrbis Epiſcopi. Coloniæ depoſitio ſancti Cuniberti [g] Epiſcopi. Turiaſone in Hiſpania Tarraconenſi beati Æmiliani [h] preſbyteri, qui innumeris miraculis claruit: cuius admirabilem vitam S. Braulio Cęſarauguſtanus Epiſcopus deſcripſit. Conſtantinopoli ſancti Nili [i] abbatis, qui ex Præfecto Vrbis factus monachus, ſub Theodoſio Iuniori doctrina & ſanctitate claruit. Compluti in Hiſpania ſancti Didaci [k] confeſſoris, ordinis Minorum, quem Sixtus Quintus Sanctorum catalogo adſcripſit.

## NOVEMBRIS 12.

MARTINI Papæ [a].] Beda autem, Vſuardus, & Ado de eo agunt quarto Idus Nouembr. licet apud Vſuardum ſecunda editione Molan. ponatur hac die, ſicut & in vetuſtiſſimo manuſcript. monaſt. S. Cyriaci: Græci autem omnes quos martyrium conſummauit, de eodem agunt in Menologio Idibus Aprilis, atque iterùm xvj. Kalend. Octobr. eumque præclariſſimis laudibus celebrant. Sanè quidẽ de die natali eius diuerſæ ſententiæ, variçq; lectiones & incertæ reperiuntur: nam in libro de Roman. Pontificibus depoſitionis dies ponitur xv. Kal. Octob. In Actis eius à Surio editis habetur migraſſe ex hac vita xvj. Kal. Decembr. In aliis eius Actis manuſcript. legimus xv. vel xvj. Kalend. Octobris, confuſi videntur dies obitus, & tranſlationis. Porrò hac ipſa die celebritatem eius Romę celebrari cõſueuiſſe, docet antiquum quod diximus Martyrologium, & Kalendarium Romanum. Eius Acta, præter illa quæ in libro de Roman. Pontificibus leguntur, & ea quæ ex antiq. manuſcript. edidit Sur. tom. 6. alia rurſus quę ſunt ſcripta paraphraſticè, exſcripſimus ex codice bibliothecæ S. Petri in Vaticano, quorum eſt exordium: Gloria & magnificentia ſoli Deo, &c. Sed his omnibus præferimus quæ Anaſtaſius

Biblio-

Bibliothecarius ſcripſit ad Martinum Epiſcopum Narnienſem, tempore Martini Papæ Secundi, aliàs Marini, Indict. 15. qui idem auctor Latinitate donauit nonnulla, quæ ex Græcorum monumentis de eodem accepit. Deſcriptæ illic habentur plures epiſtolæ eiuſdem Martini Pontificis: quarum prima, de his quæ Romæ pateretur à Theodoro Calliopa, ſcripta eſt ad Theodotum: alia ad Eliterum, vel Eliſæum, de his quæ paſſus eſt in itinere, dum captiuus duceretur Conſtantinopolim, ſcripta in Naxo inſula: eſt tertia, cuius excidit nomen auctoris, ſed tamen alicuius eſſe conſtat, qui eius peregrinationis comes erat, vbi agitur de his quæ acciderunt cùm relegaretur in Cherſoneſum. Duæ inſuper epiſtolæ eiuſdem S. Martini in Cherſoneſo poſiti, deplorantis ærumnas ſuas, ac fidei proditionẽ, ſunt eiuſmodi, quæ ſiccis oculis legi non poſſint. Habemus eas omnes in vetuſtiſſimo codice noſtræ bibliothecę, edituri cum Annalibus Ecclesiaſticis, in quibus ſingulas deſcribimus: quæ ſunt nobis quouis theſauro cariores. vnde benè precamur dignæ memoriæ Achillis Statij, qui legata nobis ſua bibliotheca, tam inſignia reliquit vetuſtatis monumenta. Eſt Romę celebris eiuſdem Sancti memoria, quæ Equitij titulus dicitur, vbi reconditum eſt venerandum corpus eius, poſitum ſub maiore altari vnà cum corpore S. Silueſtri Papæ à Sergio Iuniori Rom. Pont. vt docet vetus inſcriptio in marmore ſculpta, quæ in eadem habetur eccleſia. quæ cùm S. Silueſtri, necnon S. Martini nomine dicta inueniatur; nonnulli errore lapſi ſunt, vt putarent huius de quo hac die agitur, Martini Papæ & martyris nomine eſſe nuncupatam; cùm potiùs conſtet, S. Martini Epiſcopi Turonenſis nomine olim dicatam fuiſſe: error enim manifeſtè arguitur: nam longè ante huius Martini Papæ tempora in Concilio primo Romano ſub Symmacho Papa habito, quod falsò Secundum dictũ reperitur, habetur tertiò mẽtio de eccleſia S. Martini tituli Equitij. Poſtquam verò huius ſanctiſſimi Papæ & martyris corpus in eamdem eccleſiam illatum eſt, eadem ceſſit eiuſdem martyris honori atque memoriæ: licet, more maiorum, Romanus populus eamdem in die natali S. Martini Turonenſis Epiſcopi frequentare ardentiori ſtudio perſeueret.

[b] Aurelij & Publij.] Agit de his Beda: licet malè in Africa, pro Aſia, ponantur; nam hi fuerunt Aſiani Epiſcopi, qui ſcripſerunt contra hæreſim Cataphrygarum, vt patet ex epiſtola Serapionis, quam refert Euſebius hiſt. lib. 5. cap. 18.

[c] Paterni.] De quo etiam Vſuardus hac die, & alij recentiores.

[d] Liuini Epiſcopi.] Tabulæ eccleſiæ Gandenſis, ex cuius Breuiario eius Acta deſcripſit Sur. tom. 6. De eodem Molan. in addit. ad Vſuard. & in Indic. Sanct. Belg. Claruit circa annum Domini 633. quo ipſo anno ad infideles munus prædicationis accepit.

[e] Benedicti & ſoc.] De his pluribus in Breuiario Polon. & chron. ipſorum lib. 2. cap. 9. Sur. tom. 6. ex hiſt. Bohem. Ioan. Dubrau. lib. 6. & nouiſſimè Trithem. de vir. illuſtr. ord. S. Bened. lib. 3. cap. 311. Paſſi dicuntur anno Domini 1005.

[f] Rufi Epiſc.] De eodem vetera manuſcripta hac die, ex quibus etiam recentiores.

[g] Cuniberti Epiſc.] Eius Acta & miraculorum libellus extant apud Sur. tomo 6. Succeſſit hic S. Remedio anno Domini 653. vt habent tabulæ Epiſcoporum eius eccleſiæ à Demochate editæ.

[h] Æmiliani.] De eodem Vſuardus hac die. Eius vitam eſſe conſcriptam à S. Braulione, teſtatur S. Ildefonſus lib. de viris illuſtrib. in Braulione, vbi hæc ait: Vitam Æmiliani cuiuſdam monachi, & memoriam eius, & virtutem illius viri ſuo tenore commendat pariter & illuſtrat, &c. Extat de eodem in Breuiario Toletano ſacer hymnus, quo eius res geſtę canuntur. Agitur de eodem in Flore ſanct. Hiſpan. de eo & Vaſæus in chron. Hiſpan. anno 554. Claruit Athanagildo Gothorum Rege. Plura de eodem in Theſaur. conc. tom. 2.

[i] Nili abbatis.] Agunt de eodem hac die Græci in Menologio. Scribit de eo Niceph. lib. 14. c. 30. 53. & 54. vbi de eius lucubrationibus agit. Inter alia nobiliſſimi ingenij monumenta extat hiſtoria ab eo conſcripta de incurſione Saracenorum; quæ reperitur apud Lipom. tom. 5. Citantur eius ſcripta in Concilio Nicæno 2. Act. 4.

[k] Didaci.] Eius vitam in primis ſcripſit Marcus Vlyſippon. in chron. ord. S. Franciſci par. 3. lib. 5. cap. 1. & ſeqq. itemque Petrus Galeſinius Protonotarius Apoſtolicus, & Franciſcus Peña Rotæ Auditor, qui eiuſdem Sancti res geſtas & Acta canonizationis tribus libris complexi ſunt. Migrauit ex hac vita pridie Idus Nouembr. anno Dom. 1463. Relatus eſt ſolemni ritu in Sanctorum numerum à Sixto V. Romæ in baſilica Vaticana, ſexto Nonas Iulij, anno Domini 1588.

13 Idibus Nouembris. Luna. B ix.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | | | |

RAVENNÆ natalis ſanctorum martyrum Valentini [a], Solutoris, & Victoris, qui ſub Diocletiano Imperatore paſſi ſunt. Aquis in prouincia Narbonenſi beati Mitrij [b] clariſſimi martyris. Cęſareæ in Palæſtina paſſio ſanctorum Antonini [c], Zebinæ, Germani, & Ennatæ virginis, quæ ſub Maximino

mino verberibus cæſa,igne cremata eſt : illi verò,cùm libera voce Firmilianum Præſidem diis immolantem impietatis arguerent, capite cæſi ſunt. In Africa ſanctorum martyrum Arcadij [d],Paſchaſij,Probi, & Eutychiani Hiſpanorum, qui cùm in perſecutione Vuandalica in Arianam perfidiam nullatenus declinare paterētur,à Geiſerico *Rege Ariano primùm proſcripti, deinde in exilium acti, atque atrociſſimis ſuppliciis cruciati, poſtremò diuerſo mortis genere interempti ſunt. Tunc & Paulilli pueruli germani ſanctorum Paſchaſij & Eutychiani conſtantia enituit: qui cùm à fide Catholica diuelli non poſſet, fuſtibus diu cæſus,& ad infimam ſeruitutem damnatus eſt. Turonis ſancti Britij [e] Epiſcopi, diſcipuli beati Martini Epiſcopi. Toleti ſancti Eugenij [f] Epiſcopi & confeſſoris. Aruernis ſancti Quinctiani [g] Epiſcopi. Cremonæ ſancti Homoboni [h] confeſſoris, quem miraculis clarum Innocentius Tertius in Sanctorum numerum retulit.

* Gen ſerico

# NOVEMBRIS 13.

[a] VALENTINI & ſoc.] De his Beda, Vſuardus, Ado,& alij, tabulæque eccleſię Rauen. ac Rub. hiſt. Rauen. li. 2

[b] Mitrij, aliàs, Metræ.] Agunt de eodem Beda, Vſuardus, & Ado, pluribus autem Greg. Turonenſ. de glor. confeſſ. cap. 71.

[c] Antonini & ſoc.] Græci etiam de his hac die in Menologio, & Euſeb hiſt. Eccleſiaſt. li 8. c. 19.

[d] Arcadij & ſoc.] De his item Vſuardus,& alij recentiores, Proſper in chron. Æ tio & Sigeſuulto Coſſ. anno Domini ( ſecundùm ſupputationem veriorem ) quadringenteſimo trigeſimoſeptimo. Extat ad hũc Arcadium egregia epiſtola Antonini Epiſcopi Conſtantinæ in Africa, qua pluribus eum cohortatus eſt ad martyrium ſubeundum: eſt eius exordium: Perge fidelis anima. Alius hic ab eo Arcadio, de quo eſt ſermo S. Zenonis Epiſcopi Veronenſis 49. lib. 3.

[e] Britij Epiſcopi.] Agunt de eodē Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Geſta eius antequam eſſet Epiſcopus, à Seuero & Fortunato ſcribuntur in vita S. Martini: cetera autem quę geſſit in Epiſcopatu, Gregor. Turon. hiſt. Franc. lib. 2. cap. 21. & lib. 10. cap. 31. ſcriptis mandauit.

[f] Eugenij Epiſc.] Fuit hic tertius eius ſedis Epiſcopus, præceſſitque ſanctum Ildefonſum, qui de ipſo agit in libello quem ſcripſit de vir. illuſt. c. 14. commendans mirum in modum eius ſanctitatem & eruditionem; ſeditleque ait annis ferè duodecim temporibus Chindaſunthi & Receſuinthi Regum; relatumque inter ſanctos eſſe ſcribit Vaſæus in chron. Hiſpan. anno Domini 651.

[g] Quinctiani Epiſc.] Scribit eius res geſtas Greg. Turonen. in vit. ſanct. Patr. cap. 4. & hiſt. Franc. lib. 2. cap. 36. Sigebert in chron. anno 506. Fuit hic primò Ruthenorum Epiſcopus, interfuitque Conc. primo Aurelianenſi; inde tranſlatus in ſedem Aruernenſem, ſucceſſit Apollinari, vt idem teſtatur Gregorius, ex quo corrigendæ ſunt tabulæ Democharis, in quibus ponitur Quinctianus poſt Aptunculum.

[h] Homoboni.] Eius vitæ Acta edita à Collegio eccleſiæ Cremonenſis leguntur, ſimulque & litteræ Apoſtolicæ Innocentij Papę Tertij de eiuſdem canonizatione. habet eadem Sur. tom. 6. agit & de his Petrus in catalog. lib. 10. cap. 56. Extant eiuſdem Innocentij litteræ in regiſtro ipſius. Laudauit eumdem ſanctiſſimum virum ſacro hymno Hieron. Vida Albæ Epiſcopus, cuius exordium eſt: Beate pauperum pater, &c.

viij. C Decimooctauo Kal. Decemb. Luna. 14

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | | | |

HERACLEÆ in Thracia natalis ſanctorum martyrum Clementini [a], Theodoti,& Philomeni. Alexandriæ ſancti Serapionis [b] martyris, quem perſecutores ſub Decio Principe crudeliſſimis affecerunt ſuppliciis, ita vt omnes ei iuncturas membrorum priùs ſoluentes, de ſuperioribus domus ſuæ

cum

cum præcipitarent, & ſic Chriſti martyr efficeretur. Trecis in Gallia ſancti Venerandi[c] martyris ſub Aureliano Imperatore. Item in Gallia ſanctæ Venerandæ[d] virginis, quæ ſub Antonino Imperatore, & Aſclepiade Præſide, martyrij coronam accepit. Gangræ in Paphlagonia ſancti Hypatij[e] Epiſcopi, qui à magna Nicæna Synodo rediens, à Nouatianis hæreticis in via lapidibus impetitus martyr occubuit. Emeſæ paſſio plurimarum[f] ſanctarum mulierum, quæ ſub ſæuiſſimo Arabum duce Mady ob Chriſti fidem crudeliſſimè tortæ atque necatæ ſunt. Bononiæ ſancti Iucundi[g] Epiſcopi & confeſſoris. In Hibernia ſancti[h] Laurentij Epiſcopi Dublinenſis.

## NOVEMBRIS 14.

CLEMENTIANI & ſociorum[a].] Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores de iiſdem hac die agunt.

[b] Serapionis.] Beda & alij qui ſuprà de eodem. S. Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus in epiſt. ad Fabium Antiochenum eius certamen deſcribit. extat apud Euſeb. hiſtor. lib. 6. cap. 34. Erat Alexandriæ eccleſia S. Serapionis, cuius meminit S. Epiphan. in Panar. hæreſi 69.

[c] Venerandi.] Eius martyrij Acta ſummatim complexa recitat Petrus in catal. lib. 10. cap. 60. Fuit eiuſdem nominis Venerandus Epiſcopus Aruernenſis, de quo Greg. Turonen. hiſtor. lib. 2. cap. 13. & de glor. confeſſ. cap. 35. 36. & 37. poniturque octauus eius ſedis Epiſcopus in tabulis Democharis.

[d] Venerandæ.] Recenſet eius res geſtas idem Petrus in catal. lib. 10. cap. 61.

[e] Hypatij Epiſcopi.] Agunt de eodem hac die Græci in Menologio, narrantque eius martyrium. Nicæno Magno Concilio eumdem præſentem fuiſſe, Græci teſtantur, cùm de ipſo agunt iterùm pridie Kalend. Aprilis in dicto Menologio.

[f] Plurimarum ſanctarum.] De iiſdem hiſtor. Miſcella ex Theophane. Porrò contigiſſe earum martyrium narratur anno quinto Leonis Quarti Imperatoris, & (vt ſupputat auctor) ab incarnatione Domini ſeptingenteſimo ſeptuageſimotertio: ibique pluribus de barbarorum ſæuitia in Chriſtianos. Agit de iiſdem Gregorius Cedren. in compend. eod. Imperatore & anno.

[g] Iucundi Epiſc.] De eo tabulæ eccl. Bonon. quas Sigonius conſcripto commentario illuſtrauit. Adnumeratur hic decimus eius ſedis Epiſcopus. Claruit circa annum Domini quadringenteſimum octogeſimumquintum.

[h] Laurentij Epiſcopi.] Eius Acta purè ſincereque ſcripta habet Sur. tom. 6. Relatus eſt in ſanctorum numerum ab Honorio Tertio Rom. Pont. anno decimo ſui Pontificatus. Extant de his litteræ Apoſtol. in Vaticana biblioth. in regiſt. eiuſdem ann. 10. num 123.

15 Decimoſeptimo Kalend. Decemb. Luna. D vij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |

| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G• | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |

NATALIS ſancti Eugenij[a] Epiſcopi Toletani & martyris, beati Dionyſij Areopagitæ diſcipuli, qui in territorio Pariſienſi conſummato martyrij curſu, beatæ paſſionis coronam percepit à Domino: cuius corpus Toletum poſteà fuit tranſlatum. Nolæ in Campania beati Felicis[b] Epiſcopi & martyris, qui à quintodecimo ætatis ſuę anno miraculorum gloria claruit, & ſub Marciano Præſide cum aliis triginta agonem martyrij compleuit. Edeſſæ in Syria ſanctorum martyrum Guriæ & Samonæ, ſub Diocletiano Imperatore, & Antonino Præſide. Ibidem paſſio ſancti Abibi[d] diaconi, qui ſub Licinio Imperatore & Lyſania Præſide vnguibus laceratus, in ignem coniectus eſt. In Africa ſanctorum martyrum

Secundi[c], Fidentiani, & Varici. In Britannia natalis ſancti[f] Machuti Epiſcopi, qui à primæuo ætatis ſuæ tyrocinio miraculis emicuit. Veronæ ſancti Luperij[g] Epiſcopi & confeſſoris. In Auſtria ſancti Leopoldi[h] eiuſdem prouinciæ Marchionis, quem Innocentius Octauus Sanctorum numero adſcripſit.

## NOVEMBRIS 15.

[a] EVGENII Epiſc. & mart.] De eodem hac die in Breuiario Toletano, Vſuardo, & Adone. Eius præclara geſta recognita olim in Concilio Leodienſi in eccleſia iuſſa ſunt legi, vt conſtat ex Actis S. Gerardi abbatis Bronienſis cap. 14. apud Sur. tom. 5. die 3. Octob. Agitur ibidem de miraculis ex eius reliquiis editis, cùm in eum locum ſunt tranſlatæ. Secunda autem, celebriorque translatio facta eſt corporis eiuſdem ſanctiſſimi martyris ex Galliis in Hiſpaniam, cùm noſtra ætate, anno Domini M. D. LXV. ampliſſimo apparatu, ac religioſiſſimo cultu, non rheda aliqua triumphali, ſed (quod omnem excedit pompæ amplitudinem) regiis humeris in ſuam antiquam nobiliſſimam Toletanam ſedem ſacer Antiſtes & martyr illuſtris delatus eſt. Siquidem Rex Catholicus, Chriſtianæ fidei robur & ornamentum, Philippus Secundus ſe ſacræ ſubdidit ſarcinæ; ouanſque & exultans, humili obſequio auguſtior redditus, in prædictum locum euexit. De eodem in Flore Sanct. Hiſpan. & apud Molan. in Indic. Sanct. Belg. & in addit. ad Vſuard. Petrus in catal. lib. 10. c. 62. Vaſæus in chron. Hiſpan. & Marin. Sicul. lib. 6. hiſt. Hiſpan. & Theſaur. concion. tom. 2. pluribus. Fuerunt eiuſdem Eccleſiæ Toletanæ duo alij eiuſdem nominis & pietatis heredes Epiſcopi, quorum alter S. Iuſto ſucceſſit, alter verò poſt ipſum eſt ſubrogatus. Agit de ambobus S. Ildefonſus libro de viris illuſtr. c. 12. & 14.

[b] Felicis Epiſc.] De eodem Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores. Longè hic alius ab illo quem ſanctus Paulinus tot Natalibus celebrauit.

[c] Guriæ & Samonæ.] Agunt de his etiam Græci hac die in Menologio. Eorum Acta Metaphraſtes ex antiquis monumentis deſcripſit, necnon & Aretas Cæſarienſis: extant apud Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 6.

[d] Abibi diac.] Græci de eodem in Menologio hac die. Eius Acta iuncta ſimul cum rebus geſtis prædictorum martyrum Guriæ & Samonæ Metaphraſtes & Aretas Cæſarienſis deſcribunt.

[e] Secundini & ſoc.] Beda de iiſdem hac die, conſentiuntque vetera manuſcripta.

[f] Machuti Epiſcopi.] Idem & Maclouius dictus reperitur. Eius vitam ſcripſit Sigebert. quam recitat Sur. to. 6. de quo idem Sigebert. in chron. anno Domini 561. teſtaturque claruiſſe temporibus Iuſtiniani Imperatoris. De eo & Petrus in catal. lib. 10. c. 64. Trithem. de vit. illuſtr. ord. S. Benedicti lib. 3. c. 35. Habemus in noſtra bibliotheca eiuſdem Acta manuſcripta, quorum exordium eſt: Glorioſus Chriſti confeſſor, &c.

[g] Luperij Epiſcopi.] Tabulæ eccleſiæ Veron. pluribus autem R. D. Auguſt. Valerius Epiſcopus Veronen. Cardinalis in lib. antiquorum monumen. eccleſ. Veron. pag. 9. & 39. eumque Luperium, & non Liberium, vt alij, appellat.

[h] Leopoldi.] Huius nobiliſſima geſta recitata ſunt in publico Conſiſtorio coram Innocentio VIII. Rom. Pont. atque probata. habet eadem Sur. to. 6. hac die. Ibidem mentio habetur de alio libro quo agitur de innumeris miraculis ab eo editis, atque de canonizatione ipſius, auctore Ioanne Franc. de Pauinis: plura de eodem & hi qui res Auſtriacas ſunt proſecuti.

## vj. E Sextodecimo Kal. Decemb. Luna. 16

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | | | |

IN Africa ſanctorum martyrum Ruffini[a], Marci, Valerij, & ſociorum. Eodem die ſanctorum martyrum Elpidij[b], Marcelli, Euſtochij, & ſociorum: ex quibus Elpidius cùm eſſet ordinis ſenatorij, & coram Iuliano Apoſtata Chriſtianam fidem conſtantiſſimè profiteretur, primùm equis indomitis vnà cum ſociis alligatus, atque pertractus, deinde in ignem coniectus, glorioſum martyrium conſummauit. Lugduni natalis ſancti Eucherij[c] Epiſcopi & confeſſoris, viri admirandæ fidei & doctrinæ, qui ex nobi-

nobiliſſimo Senatorum ordine ad religioſam vitam habitumque conuerſus, diu intra ſepta ſpeluncæ ſponte concluſus, in orationibus & ieiuniis Chriſto ſeruiuit; deinde apud præfatam vrbem in pontificali cathedra, reuelante angelo, ſolemniter collocatus eſt. Patauij ſancti Fidentij [d] Epiſcopi. Cantuariæ in Anglia ſancti Edmundi [e] Epiſcopi, cuius ſanctitatem Deus miraculorum magnitudine declarauit. Eodem die depoſitio ſancti Othmari [f] abbatis.

## NOVEMBRIS 16.

RVFFINI & ſoc. [a]] Vet. manuſcrip. & Petr. in catal. lib. 11. num. 322. & alij recentiores.

[b] Elpidij & ſoc.] De his etiam Græci hac die in Menologio, vbi eorumdem Acta breui compendio deſcribunt.

[c] Eucherij Epiſc.] Beda, Vſuardus, Ado, & alij de eodem. Ado eius res geſtas paucis complexus eſt, Gennad. de vir. illuſt. cap. 63. S. Iſid. c. 15. & Honor. Auguſtodun. licet tam ipſe quàm Gennadius eumdem appellent presbyterum, & Honorius duos conſtituat Eucherios; presbyterum ſcilicet, cuius ſint commentarij illi ad Salonium ac Veranium ſcripti; & Epiſcopum, cuius ſit de laude eremi opuſculum ad Hilarium Epiſcopum Arelaten. cuius meminit Iſidorus. Ego quidem vnum eumdemque exiſtimo, ipſumq; Epiſcopum Lugdunenſem, qué ſanctus Mamertus Epiſcopus Viennenſis ei æqualis lib. 2. de ſtatu animæ eiuſmodi exornat elogio: Haudquaquam, inquit, Eucherium prætererim, mihimet viuentem doctrina & præſentaneis cotá diſputationibus cognitum, non porrò nuntiis, aut lectione compertum, qui ſcilicet viridis æui, maturus animi, terrę diſpuens, cæli appetens, humilis ſpiritu, arduus merito, ac perinde ingenij ſubtiliſſimus, ſcientia plenus, eloquij profluus, magnorum ſæculi ſui Pontificum longè maximus, editis in rem fidei multijugis variorum operũ voluminibus, ad populum quoque bis ſuper ſtatu animę concionatus eſt, &c. Hæc S. Mamertus de S. Eucherio, quem homiliarum illarum quę Euſebij Emiſſeni nomine falsè inſcribuntur, eſſe germanum auctorem, in Annalibus Eccleſiaſt. diximus. Ipſe quidem ex monacho Epiſcopus factus, nec monachorum curam, nec inſtituta deſeruit; quod ex eiuſdem ſcriptis facilè quiſque intelliget. Meminit eiuſdem Eucherij Sidonius ad Claudianum lib 4. epiſt. 3. & lib. 7. epiſt. 10. eiuſque dicendi genus oſtendit. De eodem Ado in chron. anno Domini 452. itemque Marcellinus in chron. ſub Conſulatu Ioannis & Varari, anno 456. Agitur de ipſo & in vita ſancti Cæſarij Epiſcopi Arelatenſis. extat apud Sur. tom. 4. die 27. Aug Ponitur viceſimus eius ſedis Epiſcopus, reperiturque interfuiſſe tertio Concilio Arelatenſi habito Opilione & Vincomalo Coſſ. anno Domini 453. itemque Arauſicano & Carpentoractenſi. Vixit alius eiuſdem nominis temporibus Caroli Martelli Eucherius Epiſcopus Aurelianenſis, de quo in addit. ad Grat. 16. q. 1. cap. Quia iuxta. not 2. Sed actum eſt de eo ſuprà 20. Febr.

[d] Fidentij Epiſc.] In tabulis Patauinis confeſſor tantùm, & non martyr ponitur; Petrus autem in catal. lib. 10. c. 66. martyrio coronatum refert.

[e] Edmundi Epiſcopi.] Eius res geſtas conſcripſit Robertus Richius, necnon Robertus Bauonus eius diſcipulus, quem citat Vinc. lib. 31. c. 67. & catal. ſcript. Britan. Habet eiuſdem Acta Sur. ex diuerſis collecta to. 6. Petrus in catal lib. 10. c. 68. Exceſſit ex hac vita anno Domini 1246. eumque Innocentius Quartus inter Sanctos recenſuit.

[f] Othmari abb.] Beda de eodem. Scriptæ ſunt eius res geſtæ à Vualfrido Strabone, quas deſcripſit Sur. tom. 6. Agit de eodem Trithem de vir. illuſt. ord. S. Benedicti lib. 3. cap. 233. Obiit anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimooctauo, ſeptimo verò Pipini Regis Francorum.

v. F Quintodecimo Kal. Decemb. Luna. 17

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | | | |

NEOCÆSAREÆ in Ponto natalis S. Gregorij [a] Epiſcopi, qui doctrina & ſanctitate illuſtris, propter ſigna atque miracula, quę cum multa eccleſiarum gloria perpetrauit, Thaumaturgus eſt appellatus. In Palæſtina ſanctorum martyrum Alphæi [b] & Zacchæi, qui primo anno perſecutionis Diocletiani poſt multa tormenta capitalem ſententiam ſubiere. Cordubæ ſancto-

rum martyrum Aciſcli[c] & Victoriæ germanorum, qui in eadem perſecutione iuſſu Dionis Præſidis ſæuiſſimè cruciati, coronas à Domino illuſtri paſſione meruerunt. Alexandriæ ſancti Dionyſij[d] Epiſcopi, ſummæ eruditionis viri, qui multis confeſſionibus clarus, & pro paſſionum tormentorumque diuerſitate magnificus, plenus dierum confeſſor quieuit, Valeriani & Gallieni Imperatorum temporibus. Aurelianis ſancti Aniani[e] Epiſcopi, cuius mortem in conſpectu Domini pretioſam miracula crebra teſtãtur. In Britannia ſancti Hugonis[f] Epiſcopi, qui ex monacho Carthuſiano ad eccleſiam Lincolnienſem regendam vocatus, multis claruit miraculis, & ſancto fine quieuit. Turonis ſancti Gregorij[g] Epiſcopi. Florentiæ ſancti Eugenij[h] confeſſoris, diaconi beati Zenobij eiuſdem ciuitatis Epiſcopi.

# NOVEMBRIS 17.

[a] GREGORII.] De eodem Beda, ac ceteri Latinorum, necnon & Græci in Menologio hac die. Eius res geſtas conſcripſit Gregor. Nyſſenus, cuius auia S. Macrina ſenior fuit eius diſcipula, vt auctor eſt S. Baſilius epiſt. 75. qui & ipſe eumdem virum celebertimum mirificè laudat, eiuſq; Acta paucis complectitur lib. de Spiritu ſancto cap. 29. & Magnum appellare conſueuit, vt in epiſt. ad Neocæſarienſes 62. 63. & 64. De eodem Euſeb. hiſt. lib. 6. c. 23. Socrat. lib. 4. cap. 22. S. Hieron. de Script. Eccleſ. in Theodoro, & epiſt. 84. ad Magnum: meminit eiuſdem & S. Gregor. Papa lib. 1. dialog. c. 7. De præclaro miraculo ad eius ſepulchrum agit Theodor. lector lib. 2. collectan. & Cedren. in anno 12. Anaſtaſij Imp. Extat inter alia eruditiſſimi atque ſanctiſſimi viri monuméta epiſtola, canonica à Grçcis nuncupata, quam ſexta Synodus recepit. Superuixiſſe certum eſt ſaltem vſq; ad annum duodecimum Gallieni Imperatoris, quando interfuit Antiocheno priori Concilio contra Paulum Samoſatenſem hæreſiarcham, vt refert Euſebius hiſtor. lib. 7. cap. 22. Non tamen placet quod Suidas ſcribit, perueniſſe vſque ad tempora Iuliani Apoſtatæ. Quî enim fieri poteſt, vt qui Alexandro Imperatore clarere cœpit in ſchola Origenis anno à Chriſto 233. idem vſque ad Iuliani tempora ſuperſtes fuerit, cuius Imperium ſumpſit exordium anno Domini trecenteſimo ſexageſimoprimo? Errat & in eo Niceph. dum confundit eumdem cum Gregorio Armeno, de quo ſuó loco ſuperiùs dictum eſt. De ſcriptis ipſius pluribus egimus in Annal. Eccleſ.

[b] Alphæi & Zacchæi.] Agunt de his etiam Græci hac die in Menologio, adduntque his item Michæam æquè martyrem.

[c] Aciſcli & Victoriæ.] De his Beda, Vſuardus, & Ado hac die: Meminit Aciſcli Prudent. hym. 4. de Martyribus Cæſarauguſtan. in Periſteph. De iiſdem in Breuiario Toletano eſt ſacer hymnus, necnon capitula. Antiquum eſt nomen capitulorum in Eccleſiaſticis officiis, alterius ſignificationis ab ea qua nunc accipi ſolent. qualia autem ea fuerint, declarat epiſtola Vigilij Papæ ad Eucherium his verbis cap. 7. Quoties verò Paſchalis, aut Aſcenſionis Domini, vel Pentecoſtes, vel Epiphaniæ, Sanctorumque Dei fuerit agenda feſtiuitas ſingularis, capitula diebus apta ſubiungimus, quibus commemorationem ſanctę ſolemnitatis, aut eorum facimus, quorum natalia celebramus: cetera verò ordine conſueto proſequimur. Hucuſque Vigilius. Se habebant eiuſmodi capitula tamquam preces quędam prolixiores, quibus ſanctarum ſolemnitatum præconia, & martyrum triumphi recoli conſueuerant, vt apparet ex eodem peruetuſto Breuiario Toletano. Eorumdem martyrum Acta conſcripta habentur in Flore Sanct. Hiſpan. licet perperàm recenſeantur inter filios S. Marcelli centurionis: quorum nomina recenſet ex Breuiario Eborenſi Vaſæus in chron. Hiſpan. anno Domini 306. Meminit horum Ambroſ. Moral. in appendice ad Eulog. cùm agit de ſanct. Cordubenſis eccleſiæ; necnon alij qui res Hiſpaniarum ſunt proſecuti. In Theſaur. concion. tom. 2. plura de iiſdem.

[d] Dionyſij Epiſcopi.] De quo Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri Latinorum, Gręci autem in Menologio quinto Nonas Octobris. Pluribus de eo Euſeb. hiſt. lib. 6. cap. 33. & ſeq. & lib. 7. per totum, Hieron. de ſcript. Eccleſ. & alij recentiores, qui ab Euſebio acceperunt. Erat eius nomine Alexandriæ erecta eccleſia, cuius meminit S. Epiphan. in Panar. hæreſ. 69. De eodem Dionyſio dubitatio alicui poſſet oriri, dum S. Auguſtinus libro de Catholico dogmate cap. 3. eum appellat fontem Arianorum, & S. Baſilius ad Maximum philoſophum epiſt. 41. in eamdem ſententiam hæc de eo: Eſt autem hæc noſtra de illo ſententia: Non omnia viri huius laudamus: ſunt quæ prorſus etiam damnamus. Ipſe propemodum (quantum nobis liquet) primis hominibus impietatis iſtius Ariomaniæ, quæ iam paſſim obſtrepit, ſeminaria prębuit. Hęc Baſilius: qui tandem eumdem excuſans, hæc ſubdit: Cauſam verò huius non puto animi malitiam eſſe, ſed quòd vehementer cupit obluctari Sabellio. Soleo itaque illum ſimilem æſtimare plantatori cuipiam, qui recentis plantæ correcturus auerſionem, ita immoderatè illam retorquet, vt à medio aberret, & in contrarium latus ramum abducat. Hæc ille. In eamdem ſententiam S. Athanaſius aduerſus Arianos agens, pro Dionyſio ſcripſit epiſtolam apologeticam:

idem-

Digitized by Google

idemq́ue in epiſtola de Synodo Nicæna contra decreta Arianorum etiam addit, eumdem Dionyſium ea de re iudicio poſtulatum apud Dionyſium tunc Romanum Pontificem, ſcripſiſſe ad eumdem egregiam apologiam, quo ſe immunem liberumq́ue à quauis hæreſi demonſtraret. id & Baſil. ad Amphiloch. de Spiritu ſancto cap. 29. Hieron. etiã de ſcript. Eccleſ. in Dionyſio teſtatur, ipſum ad prædictum Romanum Pont. ſcripſiſſe epiſtolam vnam, & libros quatuor. Niſi vererer ſcholij menſuram excedere, plurimorũ nobilium veterumq; Theologorum einſdem generis exempla ſubnecterem, qui dum aliquam hæreſim refellere conati ſunt, in contrariam partem nimis validè rationes inflectentes, à rectitudine ſinceræ fidei declinare viſi ſunt, licet iidem Catholicæ fidei fuerint ſemper propugnatores acerrimi. Vnum tantùm non longè petitum, ſimileq́ue huic, de magno illo Gregorio Thaumaturgo, de quo hac item agitur die, adducam exemplum. Sicut enim Dionyſius laborans contra Sabellium viſus eſt Arianis arma ſubminiſtraſſe; ita & ipſe agens contra Gentiles, conatus illis demonſtrare non eſſe plures Deos, & Chriſtianos omnes nequaquam tres Deos colere, ſed vnum tantùm; viſus eſt aliquibus vnam tantùm conſtituiſſe in Diuinitate perſonam, ſicq́ue Sabellio paraſſe venenum: quod S. Baſilius accuratè notat & excuſat ſcribens ad Neocęſarienſes epiſt. 64. Sed nunc de his ſatis. Moritur S. Dionyſius Alexandr. anno duodecimo Gallieni Imp. vt teſtatur Hieron. vbi ſuprà.

[e] Aniani Epiſc.] De quo Beda, Vſuardus, Ado, & recentiores. Eius res geſtas ſcribit Gregorius Turon. hiſt. Franc. lib. 2. cap. 7. alia item Sur. ex vet. manuſcrip. tom. 6. & in Actis Euortij, cui ſucceſſit, apud eumdem tom. 5. die 7. Septemb. Ado Vien. in chron. anno 410. Petrus in catal. lib. 10. cap. 71. Qualis autem quantúſve fuerit, accipe ex Sidonio Apollinari lib. 8. epiſt. 15. ad Proſperum eius ſucceſſorem, vbi eũ præ vitæ meritis appellat maximũ conſummatiſſimumq; Pontificem, Lupo parem, & Germano non imparem. Fuit hic ſeptimus eius ſedis Epiſcopus, claruit temporibus Valentiniani Tertij Romani Imperatoris, & Leonis Romani Pontif. Agitur alicubi de eodem xviij. Kal. Iulij, qua die eius meritis liberata eſt Aurelianenſis ciuitas ab Hunnorum imminenti clade. Molanus ea die in addit. ad Vſuardum.

[f] Hugonis Epiſc.] Eius Acta ſcripſere Siluester Gyraldus, & Adamus Carthuſianus, vt ex catal. ſcript. Brit. refert Molanus, qui ait reperiri etiam eius vitam quinque libris digeſtam. Aliam recitat Sur. tomo 6. incerto auctore. De eodem Petrus Sutor de vit. Carthuſ. lib. 2. cap. 5. & alij recentiores.

[g] Gregorij Epiſcopi.] De eodem hac die Beda. Eius vitam à clericis Turonẽſibus ſcriptam habet Sur. tom. 6. Ipſe Gregorius de ſe ipſo, cùm agit de Epiſcopis Turonenſibus lib. 10. cap. 31. Venant. Fortun. ei æqualis ſcripſit ad illum nonnulla epigrammata. De eius ſcriptis quale ſit iudiciũ Hilduini, cõſule ipſum in epiſt. ad Ludouicum Imp. quæ extat in præambulis vitæ S. Dionyſij Areopagitæ. De eo Petrus in catal. lib. 10. cap. 72. & Trithem. de ſcript. Eccleſ. & de vir. illuſtr. ord. ſancti Benedicti lib. 3. cap. 10. & 51. lib. 4. cap. 45.

[h] Eugenij.] De ipſo tabulæ eccleſiæ Florentinæ. Plura in vita S. Zenobij eiuſdẽ ciuitatis Epiſcopi.

## 18 Quartodecimo Kalend. Decemb. Luna. G iiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | | | |

ROMÆ dedicatio [a] Baſilicarum ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli. Antiochiæ natalis ſancti Romani [b] martyris, qui tempore Galerij Imperatoris, cùm Aſclepiades Pręfectus in eccleſiam irrumperet, eamq́ue funditus conaretur euertere, ceteros Chriſtianos hortatus vt ei contradicerent, poſt dira tormenta, & linguæ abſciſſionem (ſine qua tamen Dei præconia loquebatur) in carcere laqueo ſtrangulatus, celebri martyrio coronatur. Paſſus eſt etiam ante ipſum puerulus nomine Barula, qui ab eo interrogatus vtrùm melius eſſet vnum Deum colere, an plures deos, cùm in vnum Deum, quem Chriſtiani colunt, credendum eſſe reſpondiſſet, verberibus cæſus iuſſus eſt decollari. Item Antiochiæ ſancti Heſychij [c] martyris, qui cùm eſſet miles, & præceptum audiſſet, vt quiſquis non ſacrificaret idolis, cingulum militiæ deponeret, repentè cingulum ſoluit: ob quam cauſam ligato in dextera eius ingenti

ſaxo, in fluuium pręcipitati iuſſus eſt. Eodem die ſanctorum Oticuli[d], & ſociorum, qui in perſecutione Vuandalica pro fide Catholica paſſi ſunt. Maguntiæ ſancti Maximi[e] Epiſcopi, qui tempore Conſtantij multa paſſus ab Arianis, confeſſor occubuit. Turonis tranſitus beati Odonis[f] abbatis Cluniacenſis. Antiochiæ ſancti Thomæ[g] monachi, quem Antiocheni, ob peſtem eius precibus ſedatam, ſolemnitate annua coluerunt. Luc æ in Tuſcia tranſlatio ſancti Frigdiani[h] Epiſcopi & confeſſoris.

## NOVEMBRIS 18.

DEDICATIO Baſil. [a]] Longè antequam Apoſtolorum Baſilicæ erigerentur, eo ipſo tempore quo beatiſſimi Apoſtoli Petrus & Paulus glorioſo martyrio coronati ſunt, loca ſepulchrorum ipſorum magna veneratione ſunt habita. De his Caius antiquus Theologus, qui temporibus Zephyrini Rom. Pōt. vixit, hæc ait: Ego Apoſtolorum trophæa perſpicuè poſſum oſtendere: nam ſi lubet in Vaticanum proficiſci, aut in viam quæ Oſtienſis dicitur, te cooferre; trophæa eorum, qui iſtam eccleſiam ſuo ſermone & virtute ſtabilierunt, inuenies. Hæc Caius apud Euſeb. hiſt. lib. 2. cap. 24. Eadem loca frequenti Chriſtianorum concurſu celebrari ſolita, docent Acta martyrum, quorum meminimus: quæ poſtmodum à Conſtantino Imperatore ampliſſimis ſunt illuſtrata baſilicis, eædemque ornamentis auctæ, atque ditatæ reditibus, vt docet libellus Damaſi de munificentia Conſtantini conſcriptus. Quod autem ſpectat ad Vaticanam Baſilicam, in maiori eius arcu hi verſus muſiuo opere exarati legebantur:

*Quòd duce te mundus ſurrexit in aſtra triumphans,*
*Hanc Conſtantinus victor tibi condidit aulam.*

Ex antiquis Actis Silueſtri Papæ illud compertum habetur: Conſtantinum Imp. in erectione Baſilicæ S. Petri primum omnium ligone, ad fundamenta iacienda, terram fodiſſe, erutamque cophinis aſportaſſe. Quid ni hęc pręſtiterit Chriſtianiſſimus Imp. cùm & Veſpaſianū Aug. in reſtitutione combuſti Capitolij hæc ipſa egiſſe auctor ſit Suetonius, cuius in vita ipſius, cap. 8. hæc ſunt verba: Ipſe reſtitutionem Capitolij aggreſſus, ruderibus purgandis manus primus admouit, ac ſuo collo quædam extulit, &c. Hæc Suet. Qualis autem quantáve fuerit ea Baſilica, ſanctus Paulinus Nolanus epiſt. 31. ſcribens ad Aletium, lineamentis quibuſdam ſubobſcurè deſcribit. Erexit idem Imperator Baſilicam S. Pauli via Oſtienſi: quæ cùm ob loci anguſtiam inter Tiberim amnem & ipſam viam poſiti, non io eam amplitudinem, vt par erat, excitata videretur; Valentinianus Iunior Imp. de alia ibidem cum viæ Oſtienſis detrimento amplioribus ſpatiis excitaoda Baſilica ſcripſit ad Salluſtium Vrbis Præfectum. geſſit is pręfecturam Vrbanam Honorio & Euodio Coſſ. vt conſtat ex L. 18. de piſtoribus, Cod. Theodoſ. Eſt is annus à Chriſto 386. Eam tunc cœptam poſteà Honorius Imp. abſoluit. Extant de his litteræ Valentiniani Imp. in bibliotheca Vatic. decerptæ ab iis, qui egerunt de ſeptem Vrbis eccleſ. Poſteà autem Leo magnus Pontifex eamdem Baſilicam maiori arcu ingentibus columnis ſubnixo ſuffulſit, exornauitque ſacris picturis opere muſiuo compactis, quæ hactenus perſeuerant. De his etenim Hadrianus Papa in epiſt. ad Carolùm Magnum Imp. de imaginibus ſic ſcribit: in Baſilica beati Pauli Apoſtoli arcum ibidem maiorem faciens, & in muſiuo depingens, Saluatorem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & ſecum vigintiquatuor ſeniores, nomine ſuo verſibus decorauit: & à tunc vſque hactenus fideliter à nobis venerantur. Hæc Hadrianus Papa. Eiuſdem Leonis Pontificis eſſe videtur conteſtatio illa dexteræ columnæ maioris arcus inciſa, & non Leonis III. vt alij exiſtimarunt, ad quos confutandos hæc pluribus ſcribimus: nam Leonis Primi, qui vixit temporibus quartæ Synodi œcumenicæ, illud opus eſſe, idem Hadrianus apertè teſtatur. Hactenus inſigne monumentum tanti Pontificis integrum perſeuerat, muſiuum autem opus nonnihil ſenſit detrimenti in aliquibus imaginibus vigintiquatuor ſeniorum.

Quanta autem earomdem Baſilicarum extiterit ſanctitas atque religio, (audacter dicam cum Moyſe) & inimici noſtri ſunt iudices: nam licet extra murorum ambitum ſitæ eſſent, eas tamen, vt cæleſte quoddam aſylum diuinitus præſcriptum, hoſtes fidei, ac Romani Imperij perduelles, Gothi inquam, cùm in Vrbem graſſarentur, ſunt reueriti, nullum illis vel earum miniſtris negotium facientes; immò & ad illas confugientibus parcere, inuiolabile fuit, vt ſcribit Oroſ. hiſt. lib. 7. cap. 39. S Auguſt. de ciuit. Dei lib. 1. cap. 1. & Procopius de bello Gothico tempore Iuſtiniani lib. 2. Accipe quid furens hæretica Theodora Auguſta dederit in mandatis Anthemio Scriboni, cùm de capiendo Vigilio Papa ad ipſum ſcribens, hæc ait: Exceptis omnibus, in Baſilica ſancti Petri parce. nam ſi in Lateranis, aut in Palatio, aut in qualibet eccleſia inueneris Vigilium, mox impoſitum naui perduc eum vſque ad nos, &c. Quod autem ſpectat ad limina Apoſtolorum, obtinuit antiquus vſus, vt præ reuerentia, ac religioſa quadam obſeruantia, ipſæ Baſilicæ, Limina Apoſtolorum vocarentur; vnde Claudianus ad Iacobum magiſtrum equitum hoc verſu;

*Per cineres Pauli, per cani limina Petri.*

Nec tantùm poſtquam Baſilicæ Apoſtolorum erectæ ſunt, ſed longè antè obtinuit eiuſmodi loquendi vſus. Vnde in Actis S. Alexandri Papæ hæc leguntur: Tu ſi ad limina S. Petri duxiſſes eum, &c. De eiuſmodi nomenclatura exempla

plura

Digitized by Google

plura habes ex Fortunato, vt in carm. de partu Virginis his verſibus:

*Quos recipit ſacra porta Petri, quos ianua Pauli,*
*Poſſis ad Andreæ limen Achaia patet.*
*Matthæi Aethiopes, Epheſinos valua Ioannis:*
*Et quem quiſquis amat, hunc ſua porta rogat.*

Moris enim erat adeuntibus Baſilicam, ante eius ingreſſum, ad limina procumbere, poſtes deoſculari, ac preces fundere. Vnde idem Fortunatus hæc de Baſilica Rauennate:

*Rurſus Apollinaris pretioſi limina lambe*
*Fuſus humi ſupplex, &c.*

Et Euodius Vzalenſis de mirac. S. Stephani lib. 2. cap. 2. hæc habet: Ante limina glorioſi martyris proſtrata, effuſos ſui cordis dolores expreſſit. Et poſt multa: Deinde ante ſacra eius limina proſtratæ noctu diuque flentes, &c. Chryſoſt. homil. 30. in epiſt. 2. Pauli ad Corinth. Templi veſtibula & aditum oſculamur, cùm alij alios oſculamur. At non cernis, quotnam homines etiam hiſce templi veſtibulis oſculum figunt, partim inclinato capite, partim manu tenentes, atque ori manum admouentes? Hęc Chryſoſt. Habes inſuper apud Fortunatum de ſancta Radegunde Regina, quòd adiens Baſilicam ſancti Martini, per ſingula ſe proſtrabat limina. At de ipſa Vaticana Baſilica Sidonius Apollinaris libro 1. epiſt. 5. ad Heronium hæc ait: vbi priuſquam vel pomœria contingerem, triumphalibus Apoſtolorum liminibus affuſus, omnem protinus ſenſi membris malè fortibus exploſum eſſe languorem. Romam venientibus primùm omnium limina Petri Apoſtoli adire vſu receptum erat, vt colligitur ex Ennodio in defenſione Symmachi Papæ. Ingredi ipſa limina Apoſtolorum, ibique ſacra facere, idem erat quod communicare Catholicæ Eccleſiæ, vt pulchrè expreſſum habes ab Optato Mileuitano lib. 2. contra Parmen. cùm ait: Ad Petri Memoriam non accedit, quaſi ſchiſmaticus, contra Apoſtolum faciens, qui ait: Memoriis Sanctorum communicantes. Ecce præſentes ſunt ibi duorum Memoriæ Apoſtolorum. Dicite, ſi has ingredi potuit, ita vt obtulerit illic, vbi Sanctorum Memorias eſſe conſtat. Hæc Optatus. Addimus quod Prudent. Periſteph. hymn. 2. de S. Laurentio his verſibus docet, Chriſtianos ſacra Apoſtolorū ac martyrū limina exoſculari ſolitos:

*Ipſa & Senatus lumina,*
*Quondam Luperci, & Flamines,*
*Apoſtolorum ac martyrum*
*Exoſculantur limina.*

Recolimus de his etiam nobile illud antiquitatis monumentum: conſueuiſſe maiores, ipſas eccleſias vel atrij portas aliquando ſacris reliquiis conſecrare. Meminit eius ritus Ludouicus Pius Imp. in ſua conſtitutione, quam Salicis legibus addi voluit, his verbis in fine: Si in atrio eccleſiæ, cuius porta reliquiis Sanctorum conſecrata eſt, eiuſmodi homicidium perpetratum fuerit, &c. in Capitul. Franc. lib. 4. cap. 13. Hinc etiam factum videtur, vt miro cultu ipſa ſacta eccleſiæ limina ornarentur. Vnde S. Paulinus in Natali 3. ſancti Felicis hæc ait:

*Aurea nunc niueis ornantur limina velis.*

Et paulò pòſt:

*Limina ceratis adolentur odora papyris.*

Et in Natali 6.

——— *Pulchra tegendis*
*Vela ferant foribus, ſeu puro ſplendida lino,*
*Siue coloratis textum fucata figuris:*
*Hi leues titulos lento poliant argento,*
*Sanctaq; præfixis obducant limina lamnis.*

Atque hæc ſatis. Numerat Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parmen. fuiſſe Romæ temporibus Conſtantini baſilicas quadraginta & ampliùs: alludens, ni fallor, ad ipſos Romanæ vrbis Titulos, quibus presbyteri Cardinales prępoſiti erant, quorum numerus temporibus Cornelij Papę erat quadragintaſex, vt conſtat ex epiſtola eius ad Fabium Antiochenum Epiſcopum, apud Euſebium hiſt. lib. 6. cap. 35. vbi de Romanæ Eccleſiæ illius temporis ſtatu hæc deſcripta habentur: Nonatum omnino præteriit, ſcilicet vnum ſolum Epiſcopum oportere eſſe in hac eccleſia Catholica: in qua tamen non ignorabat (quomodo enim poterat?) presbyteros eſſe quadragintaſex, diaconos ſeptem, ſubdiaconos ſeptem, acolythos quadragintaduos, exorciſtas & lectores vnà cum oſtiariis quinquagintaduos, viduas & alios morbo & egeſtate afflictatos mille & quingentos, quos omnes Dei gratia & benignitas abũdè ſuſtentat. Hæc ibi. Ex prędicto itaq; presbyterorum numero Optatũ numeraſſe quadragiota & ampliùs baſilicas puto.

[b] Romani.] De quo Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri Latinorũ; Gręci etiam in Menologio iiſdem ferè verbis: qui quidẽ hac ipſa die de alio Romano rurſus agunt, ipſoq; diacono eccleſię Cæſarienſis, de quo Euſeb. hiſt. lib. 8. cap. 12. Huius autem res geſtas, de quo agimus, cecinit Prudẽtius hymno. Eſt de eodem homilia Eucherij, inſcripta tamen nomine Euſebij Emiſſeni. Alia Acta eiuſdem ex vet. manuſcript. edidit Mombrit. tom. 2. in quibus omnibus de Barula puero martyre mentio habetur. S. Ioannes Chryſoſtomus de S. Romano præclaram habuit orationem, quam deſcripſit Metaphraſtes, & recitat Sur. to. 5. ſed planè de eo quem deſcribit Euſebius: nam nulla illic fit mentio de pueri martyrio. In antiquo Toletano Breuiario eſt ſacer hymnus, necnon capitula, & orationes de Romano martyre; ibique puerulus ille non Barula, ſed Theodulus appellatur. Arbitrati ſunt nonnulli vnum eumdemque eſſe Romanum, & non duos; cùm præſertim nomen, locus paſſionis, tempus denique, ac genus martyrij in vtriſq; conueniant. Ego verò opinor id ipſum factum à Prudentio de Romano, quod de Hippolytis feciſſe compertum eſt; plures ſcilicet in vnum aceruando, atque confundendo: adſtipulorque libentiùs Græcorum Menologiis, qui duos diuerſoſque Romanos martyres celebrant: quod & ratio perſuadet, dum diuerſa martyrij vtriuſque cauſa conſpicitur. Nam ille Romanus Euſebij idcircò martyrium ſubiiſſe ſcribitur, quòd ad idolorum delubra properantes libera voce redarguit; hic autem, eò quòd Pręfectum in Chriſtianorum eccleſiam irrumpentem auertere conatus eſt: ille inſuper ſolus, hic autem vnà cum puero paſſus eſt: cuius admirãdam confeſſionem nequaquam veriſimile eſt ab Euſebio fuiſſe prætermiſſam, cùm tam egregio exemplo magis magiſque ſuam nobilitaſſet hiſtoriam. Sunt & alia, quæ alterum ab altero ſatis diſtinguere videntur. Reſtituit eccleſiam ſancti Romani martyris Baſilius Imp. vt ſcribit Cedren. in comp.

[c] Heſychij.] De eodem Beda, Vſuardus, Ado, & Petrus in catal. lib. 10. cap. 76.

De liminis religione apud veteres q. vide Ludouicum de la cerda in 2 Aeneidos p. 223 et in 3 Aeneid. p. 3[illegible] plura de liminibus. Idem [illegible] in 2 Aen. p. 183 et 249. [illegible] in v. Aen. p. 595 et in vj p[illegible] et pag 604.

 [d] Ori-

[d] Oriculi & ſoc.] De eo vet. manuſcrip. ex quibus Molanus apud Vſuardum.

[d] Maximi Epiſc.] Eius Acta à Trithemio deſcripta habet Sur. tom. 5. ſed dum confundit cum Martino einſdem ciuitatis Epiſcopo, manifeſtè errare conſpicitur: nam eſſe diuerſos, non tantùm ex nomine, ſed & tempore quo ſederunt, tabulæ eius eccleſiæ, quas emendatiores Demochares recitat, ſatis declarant. cõſtat etenim ex Actis Concilij Agrippinenſis, Martinnm, & non Maximum illi Synodo interfuiſſe; Martinumque in Galliis Epiſcopum recenſet Athanaſ. in apolog. 2. cùm agit de Concilio Sardicenſi. Præceſſit Maximus, ſubrogatur Sidonius, indeq; Martinus ſedit tempore Agrippinenſis Concilij, quod celebratum reperitur anno Domini 346. & non 375. vt idem Trithem. ponit: nam poſt Conſulatũ Amantij & Albini habitũ eſſe, ex Actis eiuſdẽ Synodi conſtat.

[f] Odonis abb.] Huius res geſtæ conſcriptæ à Ioanne monacho eius diſcipulo extant apud Sur. to. 6. Meminit eiuſdem S. Bernardus in apologia ad Gulielmum abbatem. De eius miraculis agit Petrus Cluniac. lib. 6. epiſt. 17. De eodem Petrus in catal. lib. 10. cap. 83. & Trithem. de vir. illuſtr. ord. S. Bened. lib. 3. cap. 215. & Sigebert. in chron. anno Domini 938. de tempore quo claruit, meminit.

[g] Thomæ monachi.] De eodem Niceph. hiſt. lib. 17. cap. 24. vbi poſt multa hæc addit; Huius Thomæ anniuerſarium diem magnificentiſſimè agentes Antiocheni celebrant. Plura de eodem in Prato ſpirit. cap. 88.

[h] Tranſlatio S. Frigdiani.] De quo ſatis dictum in die natalis ipſius.

## iij. A Tertiodecimo Kalend. Decemb. Luna. 19

| | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | | | |

NATALIS beati Pontiani [a] Papæ & martyris, qui ab Alexandro Imperatore cũ Philippo preſbytero in Sardiniam deportatus, ibique fuſtibus mactatus, martyrium conſummauit: corpus verò eius à beato Fabiano Papa Romam relatum, atque in cœmeterio Calliſti ſepultum eſt. Samariæ ſancti Abdię [b] prophetę. Romæ via Appia natalis ſancti Maximi [c] preſbyteri & martyris, qui in perſecutione Valeriani paſſus, poſitus eſt ad ſanctum Sixtum. Cæſareæ in Cappadocia ſancti Barlaam [d] martyris, qui agreſtis licet & rudis, Chriſti ſapientia munitus, tyrannum vicit, & ignem ipſum fidei conſtantia ſuperauit: in cuius die natali ſanctus Baſilius Magnus celebrem habuit orationem. In ciuitate Aſtiagenſi beati Criſpini [e] Epiſcopi, qui capite amputato, martyrij gloriam adeptus eſt. Viennæ ſanctorũ martyrum Seuerini [f], Exuperij, & Feliciani: quorum corpora poſt multa annorum curricula, ipſis reuelantibus, inuenta, & à Pontifice, clero, & populo illius vrbis honorificè ſublata, condigno honore condita ſunt. Eodem die ſancti Fauſti [g] diaconi Alexandrini, qui primùm in perſecutione Valeriani cum S. Dionyſio in exilium miſſus, deinde in perſecutione Diocletiani ætate longæuus, gladio animaduerſus, martyrium conſummauit. In Iſauria paſſio ſanctorum Azæ [h], & ſociorum centum quinquaginta militum ſub Diocletiano Imperatore, & Aquilino Tribuno. In oppido Marpurg in Germania depoſitio S. Elizabeth [i] viduæ, Andreæ Regis Hungarorum filiæ, quæ pietatis operibus aſſiduè intenta, miraculis clara migrauit ad Dominum.

PONTIANI Papæ [a].] Agit de eodem hac die Vſuard. Beda autem & Ado die ſequenti. De eius ſucceſſione Euſeb. in chron. & hiſt. lib. 6. cap. 22. Optat. Mileuit. l. 2. cõtra Parmen. Aug. epiſt. 165. Niceph. Epiſc. Conſtantinop. in chron. Nicephorus Calliſt. hiſt. lib. 5. cap. 26. & alij. Cetera de ipſo diximus in Annalibus Eccleſiaſticis.

[b] Abdiæ Prophetæ.] De eodẽ Grȩci agunt hac die in Menologio. Præter ea quæ de ipſo leguntur in diuinis Scripturis, ſcribit Epiphan. libro de vit. & obit. prophet. cap. 15. Iſidor. cap. 43. & Doroth. eadem in Synop. De ſepulchro Abdiæ in Samaria, deque mirandis prodigiis ſcribit S. Hieron. in epiſt. 27. ad Euſtochium, in epitaphio Paulæ, & in comment. in Abdiam cap. 1.

[c] Maximi.] Agunt de eodẽ Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Hunc illum putat Maximũ Pamelius, qui aliquando confeſſor, deinde adhæſit Nouatiano, ac poſteà rediit ad Eccleſiam; ad quem, ſicut ad ceteros confeſſores, ſcribit Cyprianus epiſt. 16. 44. 46. 50. & 51. ſed illum non conſtat martyrio conſummatum. Quiſnam hic fuerit, me latet: compertum illud tantùm habeo ex manuſcript. cod. S. Mariæ ad Martyres, Romæ hac die paſſum eſſe Maximum commentarienſem, qui baptizatus à S. Stephano Papa & martyre, in perſecutione Deciję ponte præcipitatus in Tiberim xiij. Kal. Decemb. martyrium conſummauit. Geſta paſſionis eius habentur intexta ſimul cum Actis SS Euſebij. Marcelli, & ſoc. quæ in dicto codice ſcripta habentur pag. 94. ſepultuſque hic habetur ad S. Sixtum in cœmeterio Calliſti, vt eadem Acta ſignificant, Sixtus Secundus illic tumulatus habetur, iuxta quem Maximus conditus eſt.

[d] Barlaam.] Agunt de eodem martyre Græci in Menolog. ad xvj. Kal. Decembr. eiuſque martyrij hiſtoriam paucis deſcribunt. Ferunt eumdem à S. Ioanne Chryſoſtomo orationibus encomiaſticis exornatum, quæ tamen excidiſſe videntur: tantùm extat eius laudatio à S. Baſilio egregiè conſcripta.

[e] Criſpini Epiſc.] De eodem Vſuardus, & alij recentiores. Geſta eius hymno ſacro in Breuiar. Toletano deſcribuntur. Agit de eodem Petrus in catal. lib. 10. cap. 84.

[f] Seuerini & ſoc.] Beda, Vſuard. Ado de eodem hac die. Paſſi ſunt Marco Aurelio Ant. & Lucio Vero Impp. vt auctor eſt Ado Vien. in chron. De his item Petr. in catal. lib. 10. c. 82.

[g] Fauſti.] De eodem Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores. De eius certamine & corona Euſeb. hiſt. lib. 7. cap. 10. in fine.

[h] Azæ & ſoc.] Agunt de his etiam Græci in Menologio, pluribuſque eorum martyrij Acta referunt.

[i] Elizabeth.] Eius vitam à Iacobo Montano conſcriptam recitat Sur. to. 6. De eadem Antonin. in 3. par. tit. 19. c. 11. Petr. in catal. lib. 10. cap. 79. Crantz hiſt. Saxon. lib. 7. cap 48. nouiſſimè Marcus Vlyſſipon. Minorita in chron. ord. Min. lib 9. c. 10. vſque ad 19. par. 1. Extant duplices litteræ Apoſtolicæ Gregorij Papæ Noni, priores de inquiſitione miraculorum eius ad Epiſcopum Hildeſemenſem & Abbates Moguntinæ diœceſis ſcriptæ anno octauo ſuæ ſedis, poſteriores verò de eiuſdem canonizatione: extant in eius regiſtro, illæ ſub anno 8. num 24. iſtæ verò ſub anno nono, num 91. quarum eſt exordium: Glorioſus in maieſtate ſua.

## 20 Duodecimo Kal. Decemb. Luna. B ij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | | | |

MESSANÆ in Sicilia ſanctorum martyrum Ampeli [a] & Caij. Taurini ſanctorum martyrum Octauij [b], Solutoris, & Aduentoris, Thebanæ legionis militum, qui ſub Maximiano Imperatore egregiè decertantes, martyrio coronati ſunt. Cæſareæ in Palæſtina ſancti Agapij [c] martyris, qui ſub Maximino Imperatore damnatus ad beſtias, & ab iis nil læſus, lapidibus ad pedes appenſis in mare demergitur. In Perſide paſſio ſanctorũ Nerſę [d] Epiſcopi, & ſociorum. Doroſtori in Myſia ſancti Daſij [e] Epiſcopi, qui cùm nollet in feſto Saturni impudicitiis eius conſentire, ſub Baſſo Præſide cęſus eſt. Nicęę in Bithynia ſanctorum martyrum Euſtachij [f], Theſpeſij, & Anatolij, in perſecutione Maximini. Heraclęę in Thracia ſanctorum martyrum Baſſi [g], Dionyſij, Agapiti, & aliorum quadraginta.

In Anglia ſancti Eadmundi [h] Regis & martyris. Conſtãtinopoli ſancti Gregorij [i] Decapolitæ, qui ob cultum ſanctarũ imaginum multa paſſus eſt. Mediolani ſancti [k] Benigni Epiſcopi, qui in magna barbarorum perturbatione eccleſiam ſibi commiſſam ſumma cõſtantia & religione adminiſtrauit. Cabilone ſancti Silueſtri [l] Epiſcopi, qui quadrageſimoſecundo ſui ſacerdotij anno plenus dierum atq; virtutum migrauit ad Dominum. Veronæ ſancti Simplicij [m] Epiſcopi & confeſſoris.

## NOVEMBRIS 20.

AMPELI & Caij [a].] De his item Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores, conſentiuntque vetera manuſcripta.

[b] Octauij & ſoc.] Vſuardus & Ado de his agunt hac die. Extat de his ſermo ſancti Maximi Epiſcopi Taurinenſis, qui & tribuitur S. Ambroſio. Legimus horum Acta manuſcripta accepta ab eccleſia Taurinenſi.

[c] Agapij.] Is eſt de quo ſcribit Euſeb. hiſt. Eccleſ. lib. 8. cap. 16. traditq; martyrium ſubiiſſe hac die, anno quarto perſecutionis Diocletiani Imp.

[d] Narſæ & ſoc.] Agunt de his etiam Græci hac die in Menologio, vbi eorum martyrium paucis deſcribunt.

[e] Daſij Epiſc.] De quo item Græci in Menologio, referuntq; eius certamen pro fide ſuſceptum.

[f] Euſtachij & ſoc.] Horum Acta iidem qui ſuprà in Menologio hac die enarrant.

[g] Baſſi & ſoc.] Agit de his hac die Beda, adſtipulanturque vetera manuſcripta.

[h] Eadmundi.] Scripſit eius res geſtas Abbo Floriacenſis abbas. extant apud Sur. to. 6. De eodem in vita S. Dunſtani apud eumdem tomo 3. die 19. Maij. Duos eiuſdem nominis Anglorum Reges impiè cæſos refert Petrus in catal. lib. 10. cap. 89. & 90. Agit de eodem Molan. in addit. ad Vſuardum hac die.

[i] Gregorij.] Græci de eodem hac die in Menologio, eiuſque Acta breui compendio referunt.

[k] Benigni Epiſcopi.] De eodem tab. eccleſ. Mediolan. Miratus ſum vehemẽter Panuinij aliorumq; apprimè eruditorum incuriam, exiſtimantium huncipſum Benignum à Græcis appellatum eſſe Bencium, eò quòd apud Theodorum Balſam. in Synodo Carthaginenſi can. 61. ſcriptus inueniatur Bencius ſacerdos eccleſiæ Mediolanenſis. Nam in Græcis canonibus Βενεσίῳ, & non Βεντίῳ legitur. Sed nec animaduerterunt canonem illum eſſe concilij Carthaginenſis habiti, (vt ex eodem textu apparet) poſt Conſulatum Flauij Stiliconis, quo tempore eccleſię Mediolanẽſi non Benignus, ſed Venerius præerat Epiſcopus; illicque agi non de Benigno, ſed de Venerio. Quòd ſi conſulas Latina exemplaria eiuſdem Concilij Carthaginenſis, tam manuſcripta, quàm edita tomo primo Conciliorum, inuenies non Bencium, ſed Venerium dici, deprauatumq; eſſe Theodori codicem, cùm pro Venerio ſcribit Bencium. Quod ipſum planius reddit temporum ratio: nam annus ille poſt Conſulatum Stiliconis, numeratur Chriſti quadringenteſimusprimus, quo quidem tempore eidem Mediolanenſi eccleſiæ præfuiſſe Venerius reperitur; Benignus autem, de quo agimus, poſt annos ſexaginta eccleſiam illam gubernauit, circa annum Domini 460. De quo extat epigramma Ennodij Ticinenſis.

[l] Silueſtri Epiſcopi.] De eodem Beda, Vſuardus, & alij: pluribus Gregor. Turon. de glor. confeſſ. cap. 85. Reperitur interfuiſſe Concilio Epaunenſi. Mentio habetur de eodem in vita S Cęſarij Epiſcopi Arelatenſis, qui ab eo in clericum attonſus fuit. extat apud Sur. tom. 5. die 20. Nouemb. Sedit hic annis quadragintaduobus, vt idem Gregor. teſtatur. Alius ab hoc Silueſter Epiſcopus Lingonienſis, de quo Gregor. Turon. hiſt. Franc. lib. 5. cap. 5. & de glor. confeſſ. cap. 85.

[m] Simplicij Epiſc.] Tabulæ eccleſiæ Veron. pluribus autem R. D. Auguſtinus Valerius Epiſcopus Veron. Cardinalis lib. antiq. monum. Epiſc. Veron. pag. 11. & 42.

j. C Vndecimo Kalend. Decemb. Luna. 21

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17
t u A B C D E f F G H M N P
18 19 20 21 22 23 24 25 25 26 27 28 29 30

IEROSOLYMIS Præſentatio [a] beatæ Dei Genitricis virginis Mariæ in templo. Eodem die natalis beati Rufi [b], de quo ſanctus Paulus Apoſtolus ad Romanos ſcribit. Romæ paſſio ſanctorum Celſi [c] & Clementis. Apud Oſtia Tiberina ſanctorum martyrum Demetrij [d] & Honorij. Rhemis

ſan-

ſancti Alberti[e] Epiſcopi Leodienſis & martyris, qui pro tuenda Eccleſiaſtica libertate necatus eſt. In Hiſpania ſanctorum martyrum Honorij[f], Eutychij, & Stephani. In Pamphilia ſancti[g] Heliodori martyris, in perſecutione Aureliani ſub Aëtio Præſide: poſt quem ipſi tortores conuerſi ad fidem, in mare demerſi ſunt. Romæ ſancti Gelaſij[h] Papæ, doctrina & ſanctitate conſpicui. Veronæ ſancti Mauri[i] Epiſcopi & confeſſoris. In monaſterio Bobienſi depoſitio ſancti Columbani[k] abbatis, qui multorum cœnobiorum fundator, plurimorum monachorum extitit Pater, multiſque virtutibus clarus, in ſenectute bona quieuit.

## NOVEMBRIS 21.

PRÆSENTATIO[a].] Agunt de eadem celebritate Græci hac die in Menologio. habetur eius mentio in conſtitutione Emmanuelis Imperatoris, quam recitat Theodorus Balſ. in Nomoc. Photij tit. 7. cap. 1. Extant de ea re ſermones S. Germani Epiſcopi Conſtantinopolitani, & Georgij Epiſc. Nicomediæ, quos Latinè redditos habet Surius tomo 6. Græcè autem ſcriptos inuenimus in bibliotheca Sfortiana codic. manuſcript. num. 19. & 85. In Gallias tranſiit eiuſmodi feſta dies temporibus Caroli Quinti Francorum Regis, anno Domini milleſimo treceenteſimo ſeptuageſimoquinto; de qua re extare dicitur eiuſdem epiſtola ad Nicolaum Antiſiodorenſem Epiſcopum, quam citat Molanus in additione ad Vſuardum. De his autem quæ ad hiſtoriam ſpectant, vide quæ tradit R. P. Petrus Caniſius, vir eruditiſſimus, lib. 1. de beata Virgine Maria cap. 12. Alias confectas eſſe de eadem re ſcriptiones accepi. Scimus antiquitus Præſentationis ſolemnitatem eam eſſe appellatam, qua Dei Genitrix ſancto Simeoni infantem Ieſum in templo obtulit, vt antiqua Ritualia & alia vetuſta eccleſiarum monumenta ſignificant, & ipſa inſuper oratio miſſæ eius diei planè indicat.

[b] Rufi.] De quo Paulus ad Romanos cap. 16. Agunt de eodem Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Hunc creatum eſſe Epiſcopum Thebarum, tradit Dorotheus in Synopſi.

[c] Celſi & Clementis.] De his prædicta antiqua manuſcripta monaſt. S. Cyriaci in Vrbe.

[d] Demetrij & Honorij.] Habetur de his mentio in eodem peruetuſto codice.

[e] Alberti Epiſcopi.] Ex Martyrologio eccleſiæ Bruxellenſis de eodem hoc diſtichon recitat Molanus:

*Legia quem genuit, electum Roma probauit,*
*Rhemis ſacrauit, ſacratum martyrizauit.*

Recenſetur hic ſexageſimus eius ſedis Epiſcopus, confirmatus à Cæleſtino Tertio Rom. Pont. Agit de eodem pluribus Molan. in addit. ad Vſuard. & in Indic. Sanct. Belgij.

[f] Honorij & ſoc.] De his etiam Laurent. Padil. Vaſæus in chron. Flos SS. Hiſpan. & Theſaur. conc. tom. 2. hac die.

[g] Heliodori.] Agunt de his Græci xiij. Kal. Decembr. & pluribus eiuſdem martyrij Acta deſcribunt.

[h] Gelaſij Papæ.] De eodem Beda & Vſuardus xlij. Kal. Decembris, ſed in libro de Romanis Pōtificibus hac die natalis eius conſcribitur. Eius res geſtas ex epiſtolis ipſius manuſcriptis locupletatas per annos ſingulos digeſſimus in Annalibus Eccleſiaſt. Habemus & in antiquo codice eius Acta tribus lectionibus diſtincta, vt olim in aliquibus eccleſiis legi conſueuerunt.

[i] Mauri Epiſc.] De ipſo tab. eccleſ. Veron. vberiùs autem R. D. Auguſt. Valerius Epiſcopus Veronen. Cardinalis lib. antiq. monumen. Epiſc. Veron. pag. 9. & 40.

[k] Columbani abb.] Vſuardus, Ado, & alij recentiores de eodem hac die. Scripta ſunt eius Acta à Iona monacho eius diſcipulo, vt teſtatur Sigebert. de vir. illuſtr. c. 61. idque præfatio docet, quæ habetur apud Sur. tom. 6. Extant eadem Acta apud Bedam tom. 3. falsò illi aliquando attributa. Plura de eodem in vita S. Vualerici apud Sur. tom. 2. die 1. Aprilis. Sigebert. in chron. anno Domini 598. & 622. Eius obitum recenſet Vincentius etiam lib. 23. cap. 4. Antonin. part. 2. tit. 13. cap. 6. §. 11. Petrus in catalog. lib. 10. cap. 95. Trithem. de vir. illuſtr. ord. ſancti Benedicti lib. 2. cap. 5. & lib. 3. cap. 26. Adnumeratur idem inter ſcriptores Eccleſ. à Sigeb. de vir. illuſtr. cap. 60. Extat eiuſdem carmen ad Hunaldum diſcipulum, quo deteſtatur auaritiam. habes illud in collectan. Chriſtianorum poëtarum.

De-

D Decimo Kal. Decemb. Luna. 22

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | | | |

ROMÆ ſanctæ Cæciliæ [a] virginis & martyris, quæ ſponſum ſuum Valerianum, & fratrem eius Tiburtium ad credendum in Chriſtum perduxit, & ad martyrium incitauit. Hanc Amachius Vrbis Præfectus poſt eorum martyrium teneri, atque illuſtri paſſione poſt ignem ſuperatum gladio fecit conſummari, tempore M. Aurelij Seueri Alexandri Imperatoris. Coloſſis in Phrygia ſanctorum Philemonis [b] & Apphiæ ſancti Pauli diſcipulorum, qui ſub Nerone Imperatore, cùm Gentiles in die feſto Dianę inuaſiſſent eccleſiam, ceteris fugientibus tenti, iuſſu Artoclis Præſidis verberibus cæſi, & in foueam vſque ad renes incluſi, lapidibus opprimuntur. Item Romæ ſancti Mauri [c] martyris, qui ex Africa veniens ad ſepulchra Apoſtolorum, ſub Numeriano Imperatore & Celerino Vrbis Præfecto agonizauit. Antiochiæ Piſidiæ paſſio ſanctorum Marci [d] & Stephani ſub Diocletiano Imperatore. Auguſtoduni ſancti Pragmatij [e] Epiſcopi & confeſſoris.

## NOVEMBRIS 22.

[a] CÆCILIÆ [a].] Tam Latini quàm Græci de eadem agunt hac die. Error irrepſerat penes nonnullos auctores, necnon in eius Acta deprauata, paſſam eam eſſe Commodo imperante: cùm luce clariùs conſtet ex rebus ipſius geſtis, cum Vrbano Papa ſubiiſſe martyrium ſub Alexandro Imp. Quem errorem Molanus etiā correxit in Vſuardo in ſecunda editione. Eius Acta è Latinis accepta, Græcis tradita à Metaphraſte, indeque Latinitati reddita habet Lipom. tomo 5. & Surius tomo 6. Antiquiora ea eſſe ducimus, quæ in antiquo manuſcripto codice aſſeruantur in eius eccleſia Tranſtiberina. At cùm in eis legitur: In aëre balnei ſui incluſa, & ſubtus tota die ac nocte magna vis ardentis ignis adhiberetur, &c. Erat hic ille locus in balneis, vbi erat aër calidus, nullæque in eo aquæ, ſed æſtus ad ſudandum; ſub cuius loci pauimento ignis ſuccendebatur, quo pauimentum feruentius redderetur. Id tum ex his quæ habet Vitruuius lib. 5. cap. 10. tum etiam quę Plinius habet lib. 5. epiſt. 14. ad Acilium, poteſt colligi. Irrogatum interdum reperitur eiuſmodi genus mortis nobilioribus perſonis, cùm pudore femineo ſuadente, ſecretior eſſet mors inferenda: tali quippe ſupplicio & Fauſta Conſtantini Magni vxor Auguſta mori coacta eſt. Sed ad Cæciliam redeamus. De eius ſacri corporis inuentione, ac ſociorum ipſius, Sigebert. in chron. anno Domini 821. hæc ſcribit: Paſchalis Papa corpus S. Cæciliæ virginis, ipſa reuelante, inuenit aureis velatum indumentis ſanguine ipſius perfuſis: quod vnà cum corporibus ſanctorum Valeriani ſponſi eius, Tiburtij, Maximi, & Vrbani in eccleſiam à ſe eis reædificatam tranſtulit. Hæc Sigebert. Eadem fuſiùs explicata leguntur in vita Paſchalis Papæ, quę in eodem codice conſcripta habetur. In codice Vaticano num. 153. inuenimus litteras Apoſtolicas eiuſdem Pontificis de inuentione corporis S. Cęcilię & ſociorum. illarum exordium eſt: Cùm ſummæ Apoſtolicæ dignitatis apex, &c. In Breuiario Toletano eſt vetus ſacer hymnus, quo eiuſdem martyris corona egregiè canitur. Vetus eſt Romæ titulus S. Cæciliæ, de quo habetur mentio in primo Concilio Romano ſub Symmacho Papa.

[b] Philemonis & Apphiæ.] Agunt de iiſdem hac die Græci in Menologio, pluribuſque eorum martyrium deſcribunt, vt hîc habetur.

[c] Mauri.] De eodem Vſuardus hac die, & vet. manuſcript. Beda autem pridie huius diei. Agit de eodem Petr. in catalog. lib. 10. cap. 93.

[d] Marci & Stephani.] Græci etiam de eodem hac die in Menologio, ibique eorum paſſionis Acta habentur expreſſa.

[e] Pragmatij Epiſc.] Vſuardus de eodem hac die, cui adſtipulantur vet. manuſcript. Extat ad hunc Sidonij Apollinaris epiſt. 2. lib. 6. Reperitur interfuiſſe Concilio Epaunenſi, claruiſſeque circa annum Domini 490.

Nono

23 Nono Kal. Decemb. Luna. E xxix.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | | | |

NATALIS ſancti Clementis[a] Papæ, qui tertius poſt beatum Petrum Apoſtolum Pontificatum tenuit, & in perſecutione Traiani apud Cherſoneſum[b] relegatus, ibi alligata ad collum eius anchora in mare præcipitatus, martyrio coronatur: cuius corpus Nicolao Primo Pontifice Romam tranſlatum, in eccleſia, quæ eius nomine anteà fuerat extructa, honorificè reconditum eſt. Romæ ſanctæ Felicitatis[c] matris ſeptem filiorum martyrum, quę poſt eos, iubente Marco Antonino Imperatore, decollata eſt pro Chriſto. Emeritæ in Hiſpania ſanctæ[d] Lucretiæ virginis & martyris, quæ in perſecutione Diocletiani ſub Daciano Præſide martyrium conſummauit. Cyzici in Helleſponto ſancti Siſinij[e] martyris, qui in eadem perſecutione poſt multa tormenta gladio cæſus eſt. Iconij in Lycaonia ſancti Amphilochij[f] Epiſcopi, qui ſanctorum Baſilij & Gregorij Nazianzeni in eremo ſocius, & in Epiſcopatu collega, poſt multa certamina pro Catholica fide ſuſcepta, ſanctitate & doctrina clarus quieuit in pace. Agrigenti depoſitio ſancti Gregorij[g] Epiſcopi. In pago Haſbanio ſancti Trudonis[h] presbyteri & confeſſoris.

## NOVEMBRIS 23.

CLEMENTIS Papæ[a].] De eodem Beda, Vſuardus, Ado, & alij Latinorum; Græci autem in Menologio poſtridie agunt. Hic ille putatur, cuius Paulus meminit ad Philippenſes c. 4. & Ignatius ad Philadelph. De eo item Hieron. de ſcript. Eccleſ. Auctor lib. de Rom. Pontific. & alij. De eius ſucceſſione poſt Cletum, præter ea quæ ſuperiùs diximus de Lino & Cleto, pleniùs egimus in Annal. Eccleſiaſt. Martyrio occubuit (vt ſcribunt Euſeb. & Hieron.) anno 3. Traiani Imp. Acta autem eius martyrij Metaphraſtes ex priſcis monumentis edidit, quæ extant apud Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 6. quibus adſtipulatur Greg. Turon. de glor. martyrum c. 35. & 36. Habemus eadem Latinè olim ſcripta, ſed valdè deprauata: habet eadem etiam Mombrit. tom. 1. vit. ſanct. Fortaſſe ea ſunt, quæ Ioannes diaconus, qui Gregorij Papæ vitam contexuit, ſe conſcripturum pollicitus fuit, dum in vita S. Gregorij hæc dicit ad calcem: Ego autem diuinæ ſpei fiducia roboratus, quia Gaudericus Epiſcopus Veliternus expoſtulat, ad Clementem Romanæ vrbis Antiſtitem, ſuffragante Domino, ſtylum conuertam. Hæc ipſe. In Breuiario Toletano Acta S. Clementis ſacro hymno canuntur. Vetus eſt Romæ Titulus S. Clementis, de quo Hieron. de ſcript. Eccleſ. in Clemente in fine: Nominis eius, inquit, memoriam vſque hodie Romæ extructa eccleſia cuſtodit. De eadem eſt mentio in Concilio primo Romano ſub Symmacho Papa: de quo illud non prætereundum, ibi Cæleſtium illum collegam Pelagij, præſente Papa Zoſimo, licet ſubdolè, hæreſim abiuraſſe, habemus de his litteras eiuſdem Pontificis manuſcript. datas Honorio XI. & Conſtantio Conſulibus. De tranſlatione eius corporis Romam facta per S. Cyrillum Epiſcopum Slauorum legitur hiſtoria in Breuiario Polonorum; idem teſtatur Petrus in catal. lib. 10. cap. 98. in fine, & ante hos Leo Oſtien. in chron. Caſſinenſ. De S. Clementis tranſlatione firmius teſtimonium illud putamus, quod ex epiſtola Anaſtaſij Bibliothecarij ad Carolum Regem accipitur, data Kalendis Aprilis Indict. octaua; vbi hæc verba: Vir magnus & Apoſtolicæ vitæ præceptor Conſtantinus philoſophus Romam ſub venerabilis memorię Hadriano Iuniore Papa venit, S. Clementis corpus ſedi ſuæ reſtituit. Hæc Anaſtaſius oculatus teſtis. Diximus de his ſuperiùs die 9. Martij, natali ſanctorũ Methodij & Cyrilli.

De ſcriptis autem S. Clementis, quæ germana quæve apocrypha habeantur, fuſiùs diximus in Annal. Eccleſ.

[b] Apud Cherſoneſum relegatus.] Alicubi irrepſiſſe mendum reperitur, vt Cherſoneſus Lyciæ dicatur. In Actis S. Clementis nulla certa de Lycia habetur mentio; in quibus de loco exilij Clementis hæc leguntur: Oportere eum vel conſentire ſacrificantem, aut vltra mare Pontum in deſertam ciuitatem ſitam prope Cherſonam relegari. hæc ibi ſecundùm veriorem lectionem. alia enim lectio habet: Vltra mare, & Pontum. ſed prædicta certior, quam Beda & Ado ſunt ſecuti in Martyrol. eſt enim Pontus idem quod mare Euxinum, in cuius capite apud Boſphorum Cimmerium eſt Taurica Cherſoneſus, in qua verſus paludem Meotidem eſt ciuitas Cherſoneſus dicta, cuius meminit Strabo lib. 7. appellans eam Cherroneſum, quod idem eſt. Porrò ab aliis Heracliũ etiam (vt à Ptolemęo) appellata reperitur, eò quòd ſit Heraclienſium colonia. recentiores dixere eamdem ciuitatem, Cherſonam; quæ & exilio Iuſtiniani Iunioris Imperatoris notior facta eſt. Quòd autem Lycia Cherſoneſus dicta reperiatur, non vtique ex ea cauſa, quòd ſit in prouincia Lyciæ in Aſia, in qua nulla reperitur nominata Cherſoneſus: ſed irrepſiſſe puto errorem, vt pro Bycia, Lycia, ſcriptum ſit. Alluit enim Bycia palus, ſic dicta à Byco fluuio, Cherſoneſum à ſuperiori parte, vt docet Ptolemæus tab. octaua Europæ. Irrepſit item error in lib. de Roman. Pontific. vbi legitur meodosè, Clemens ſepultus in Græcia. Confirmant prædicta de exilij Clementis loco, quòd in ea regione corpus eiuſdẽ repertum atque tranſlatum apparet: nam in Actis tranſlationis eius habetur mentio de Epiſcopo Georgiæ (eſt hæc illa ciuitas, quam Plin. lib. 4. cap. 12. Georgon appellat; vnde Georgij, de quibus idem Plin. lib. 6. cap. 13.) qui vocatus interfuit inuentioni atque tranſlationi corporis eius. narrat eam breui compendio Petrus in catal. lib. 10. cap. 98. vt dictum eſt ſuperiùs ſuo loco.

[c] Felicitatis.] De eadem Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores. In huius die natali S. Gregorius Papa habuit ad populum homiliam in eius eccleſia: eſt 3. in Euang. Petrus Chryſolog. de eadem ſcripſit ſermonem 134. Geſta ex antiquis monumentis recitat Mombrit. tomo 1. Erat Romæ cœmeterium ſanctæ Felicitatis nomine, de quo habetur mentio in libro de Romanis Pontificibus in Bonifacio Papa.

[d] Lucretiæ.] Agit de eadem Vſuardus, & recenter Vaſæus in chron. Hiſpan. ſub martyribus qui paſſi ſunt Diocletiano Imperatore. Mentio habetur de ipſa etiam in Flore Sanct. Hiſpan.

[e] Siſinij.] Gręci agunt de eodem in Menologio, eiuſque Acta referunt.

[f] Amphilochij Epiſc.] De ipſo etiam hac die Græci in Menologio. Scribit de eo ſanctus Hieron. de ſcript. Eccleſiaſt. Sozom. hiſt. lib. 7. cap. 6. Niceph. hiſt. lib. 11. cap. 20. & lib. 12. cap. 9. Res geſtas ipſius recitat Metaphraſtes: quas Lipom. deſcripſit tom. 5. & Sur. tomo 6. Frequenter de ipſo S. Baſilius, & inter alia in procemio libri de Spirit. ſanct. O ſacrum, inquit, caput Amphilochij, quem præ ceteris facio plurimi. Sæpiùs de eodem S. Gregorius Nazianz. cuius ad eum extant duæ epiſtolæ 12. & 13. cùm verſarentur ambo in ſolitudine Pontica; ex quo tempore magnus inter eos interceſſit familiaritatis vſus. Deque eo in carm. ad Olympiadem: Amphilocbium (ait) veræ atque Orthodoxæ doctrinæ præconem, decus meum & ornamentum, &c. quem licet dicat cum S. Thecla ad Deum tranſmiſiſſe, non tamen quis putet ante Gregorium ex hac vita migraſſe; ſicut & Metaphraſten errare certum eſt, cùm ait, ipſum ex humanis deceſſiſſe tertium poſt annum, ex quo Conſtantinopoli, à Synodo œcumenica recedens, Iconium reuerſus eſt: nam adhuc ſuperſtes fuiſſe reperitur, Arcadio tertiùm, & Honorio ſecundùm Coſſ. quo anno habita eſt alia Synodus Conſtantinopoli, cui ipſum interfuiſſe conſtat ex Actis ipſius, quæ deſcripta extant apud Theodorum Balſam. pag. 390. Fuit is annus xvj. Theodoſij Imp. Vnde illa verba Gregorij de Amphilochio & Thecla ſpiritualiter puto intelligenda de contemplatione cæleſtium. Spectatiſſima eius Catholica fides meruit etiam Imperiali ſanctione laudari, vt apparet ex L. 3. de fide Cathol. Cod. Theod. Præter illa eius ſcripta, quæ recenſet S. Hieronymus, alia rurſus citata reperiuntur à Theodoreto in dialogo de immutabili: inſuper aduerſus Enthuſiaſtas ſcripſiſſe commentarium, idem teſtatur libro 4. hæretic. fabul. Non omittimus de viro ſancto hanc quoque proferre laudem, quòd ob ingens ſtudium, quo S. Theclam martyrem proſequebatur, Amator Theclæ dictus fuerit.

[g] Gregorij Epiſc.] Agunt de eodem Græci hac die in Menolog. Eius vitam à Metaphraſte deſcriptam habet Lipom. tom. 5. & Sur. tomo 6. Niceph. eiuſdem meminit lib. 17. cap. 27. atque ipſum interfuiſſe Quintæ Synodo, cùm nondum eſſet Epiſcopus, vt eius Acta teſtantur: factus poſteà Epiſcopus clatuit temporibus Mauritij Auguſti, cùm Romanæ Eccleſiæ S. Gregorius præſideret, apud quem falsò accuſatus cauſam dixit. Extant de ea re nonnullæ eiuſdem Gregor. epiſtolæ in regiſt. lib. 1. epiſt. 70. lib. 2. epiſt 12. Indict. 11. lib. 4. Indict. 14. epiſt. 11. & lib. 7. Indict. 1. epiſt. 24. Reperitur alius inſuper eiuſdem ciuitatis & nominis Epiſcopus Gregor. Agrigentinus, qui poſt annos octoginta claruit Agathone Rom. Pontifice, interfuitque Romanæ Synodo tunc celebratæ, cui & ſubſcripſit, vt apparet ex eius Actis, quæ extant in ſexta Synodo œcumenica, Actione quarta.

[h] Trudonis.] De eodem Beda, Vſuardus, & alij recentiores. Eius vitam atque tranſlationem ſcripſit Theodoricus abbas, qui & teſtatur, priùs ſcriptam à Donato diacono, indeque à Guicardo abbate; extat ea Theodorici apud Sur. tomo 6. De eodem Trithem. de vir. illuſtr. ord. S. Benedicti lib. 3. cap. 101. eumque claruiſſe tradit anno Domini 670. Plura etiam Molan. in Indic. Sanct. Belg. & in addit. ad Vſuardum.

Octa-

Digitized by Google

24 Octauo Kalend. Decemb. Luna. F xxviij

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 28 | 29/ | 30 | 1 | 2 | 3 | | | |

NATALIS S.Chryſogoni[a] martyris, qui poſt longa vincula & carceres pro conſtantiſſima Chriſti confeſſione toleratos, iubente Diocletiano, Aquileiam perductus, ibidem capite cæſus, & in mare proiectus, martyrium conſummauit. Romæ ſancti Creſcentiani[b] martyris, qui in paſſione beati Marcelli Papæ legitur. Ameriæ in Vmbria ſanctæ Firminæ[c] virginis & martyris, quæ in perſecutione Diocletiani variè cruciata, demum ſuſpenſa, & lampadibus ardentibus aduſta, ſpiritum reddidit. Apud Corinthum ſancti Alexandri[d] martyris, qui ſub Iuliano Apoſtata & Salluſtio Præſide pro Chriſti fide certauit vſque ad mortem. Cordubę ſanctarum virginum & martyrum Floræ[e] & Mariæ, quæ poſt diuturnos carceres in perſecutione Arabica gladio interemptæ ſunt. Peruſiæ ſancti Feliciſſimi[f] martyris. Mediolani S.Protaſij[g] Epiſcopi, qui apud Conſtantem Imperatorem & in Concilio Sardicenſi cauſam Athanaſij defendit, ac pro eccleſia ſibi commiſſa & pro religione multis perfunctus laboribus, migrauit ad Dominum. In caſtro Blauio S. Romani[h] preſbyteri cuius ſanctitatis præconium miraculorum gloria declarat. In territorio Aruernenſi S. Portiani[i] abbatis, qui ſub Theodorico Rege miraculis claruit.

## NOVEMBRIS 24.

[a] CHRYSOGONI.] Beda Vſuard. & Ado de eodem hac die, Græci autem ad xvj. Kalend. Maij in Menolog. Eius Acta iuncta habentur cum Actis S. Anaſtaſiæ; quæ Metaphraſtes refert ad vij. Kal. Ianuarij, & Lipom. tom. 5. Surius tom. 6. ea die, & Mombrit. to. 1. quę ſunt fideliora, habenturque in vet manuſcrip. quorum exordium eſt: Prætextati illuſtris viri, &c. extant eius litteræ ad Anaſtaſiam apud Nicephorum lib. 14. in fine, & apud Suidam prope finem. Vetus eſt Romæ titulus S. Chryſogoni, cuius mentio habetur in Conc. 1. ſub Symmacho, & in regiſt. S. Gregorij Papæ, eumque Gregorius Tertius Papa ornauit, doniſque auxit, vt conſtat ex lib. de Rom. Pontific.

[b] Creſcentiani.] De eodem Beda, & Vſuard. conſentiuntque vet. manuſcript. Deſcribitur eius certamen in Actis S. Marcelli apud Sur. die 16. Ianuarij, tom. 1. Eius autem corpus tranſlatum eſſe in Titulum Equitij à Sergio Iuniore, eccleſiæ eius vetera monumenta teſtantur.

[c] Firminæ.] De qua tabulæ ac vetera monumenta eius eccleſiæ Romam delata. Incidi in alia, quę ſemilacera in bibliotheca Sfortiana viſuntur, quorum eſt exordium: Temporibus Diocletiani Auguſti cucurrit ſacra præceptio, &c. Habent eam fuiſſe filiam Calphurnij Vrbis Præfecti.

[d] Alexandri.] Agunt de eodem Græci hac die in Menologio, vbi eius martyrium deſcribitur. De Salluſtio, qui apud Iulianum Apoſtatam ob eamdem animi impietatem præcipuas obtinuit præfecturas, meminit Ammian. Marcellin li. 27.

[e] Floræ & Mariæ.] De his Vſuardus, & alij recentiores. Earum martyrium conſcripſit S. Eulogius in Mem. Sanct. lib. 2. cap. 8. qui ad eas carceribus detentas commentariolum ſcripſit, quod appellauit Documentum martyriale, agitque de iiſdem in apologetico in fin. in epiſt. 2. ad Marcum, & pluribus de earum martyrio atque reliquiis ad Bald. ſororem S. Floræ: omniaque eiuſmodi ita ſcripta ſunt, vt in pyxide Spiritus ſancti calamum intinxiſſe S. Eulogius videatur. Paſſæ ſunt æra 889. anno à Chriſto octingenteſimo quinquageſimoprimo.

[f] Feliciſſimi.] De eodem Vſuardus, atque alij recentiores, & vetera manuſcripta.

Tt 2 [g] Pro-

Digitized by Google

[g] Protaſij Epiſc.] De quo tab. eccleſ. Mediolan. Claruit temporibus Conſtantij & Conſtantis Auguſtorum, interfuitque Concilio Sardicenſi, vt apparet ex eius Actis, quæ Athanaſius etiam breui compendio refert in apolog. 2. Moritur temporibus Conſtantij Imp. vt patet ex Athanaſio in apologia ad Conſtantium, vbi eum, licet defunctum, teſtem vocat.

[h] Romani.] Vſuardus hac die, & Gregorius Turonenſ. de gloria confeſſorum cap. 46. Claruit temporibus Theodoſij ſenioris, eiuſque corpus S. Martinus Epiſcopus Turonenſis ſepulturæ mandauit.

[i] Portiani.] De eo Gregor. Turon. in vit. ſanct. Patr. cap. 5. De eodem Molan. in addit. ad Vſuardum hac die.

## xxvij. G Septimo Kalend. Decemb. Luna. 25

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | | | |

NATALIS ſanctæ Catharinæ[a] virginis & martyris, quæ ob fidei Chriſtianę confeſſionem Alexandriæ ſub Maximino Imperatore in carcerem truſa, & poſtmodum ſcorpionibus diutiſſimè cæſa, tandem capitis obtruncatione martyrium compleuit: cuius corpus in montem Sinai ab Angelis mirabiliter delatum, ibidem frequenti Chriſtianorum concurſu pia veneratione colitur. Romæ ſancti Moyſis[b] presbyteri & martyris, quem cum aliis detentum in carcere ſanctus Cyprianus per litteras ſæpè eſt conſolatus. Is cùm non tantùm aduerſus Gentiles, ſed etiam aduerſus ſchiſmaticos & hæreticos Nouatianos infracto animo ſtetiſſet, demum (vt ſanctus Cornelius Papa teſtatur) in perſecutione Decij eximio & admirabili martyrio decoratus eſt. Antiochiæ ſancti Eraſmi[c] martyris. Cæſareæ in Cappadocia paſſio ſancti Mercurij[d] militis, qui cuſtodientis ſe Angeli patrocinio & barbaros vicit, & Decij ſæuitiam ſuperauit, multiſque auctus tormentorum trophæis, martyrio coronatus migrauit in cælum. In Æmilia Italiæ prouincia ſanctæ Iucundæ[e] virginis.

## NOVEMBRIS 25.

CATHARINÆ[a].] In antiq. codicibus Æcatherina dicta reperitur. Agunt de eadem hac die Beda, Ado, & alij, necnon & Græci in Menol. his verbis: Commemoratio ſanctæ magnę Æcatherinę. Meminit eiuſdem Euthymius in Pſal. 44. verſ. Delectauerunt te filiæ regũ, &c. ibi de eius ſapientia. Metaphraſtes ex Gręcis edidit eius Acta, quæ habet Lipom. To. 5. & Sur. tom. 6. ex Latinis autem Rabanus Abbas ſcripſiſſe fertur, vt tradit Molan. in annot. ad Vſuard. idemque auctor de ea affirmat, illam quæ Græcis olim erat notior, Latinis etiam factam notiſſimam ob peculiaria patrocinia præſtita in expeditione Terræ ſanctæ. In Actis eius haberi aliqua quæ corrigantur, nullus qui illorum temporum res geſtas nouerit, inficias ierit: vt inter alia illud de Maxentio, cuius loco Maximinus reſtitutus eſt. In Breuiario Tolet. duobus ſacris hymnis eius agones atq; miracula conſcripta habentur. Extat de eadem epigramma Bonad. Santonen. lib. 3. monod. 30.

[b] Moyſis presb.] Eſt de eius martyrio egregium teſtimonium S. Cornelij Papæ & martyris in epiſt. ad Fabium Epiſcopum Antiochenum, quam recitat Euſeb. hiſt. lib. 6. cap. 35. Habetur de eodem mentio in libro de Romanis Pontificibus in Cornelio Papa, & apud Cyprian. epiſt. 22. in fine, epiſt. 25. & 52. ad Antonianum, vbi appellat eum martyrem. Extat eiuſdem Moyſis & aliorum confeſſorum egregia ad Cyprianum epiſt. 26. in editione Pameliana.

[c] Eraſmi.] De eodem hac die Vſuardus, & alij recentiores.

[d] Mercurij.] De eo etiam Græci hac die in Menolog. vbi eius res geſtę paucis deſcribuntur. Acta eius à Metaphraſte fuſiùs deſcripta extant apud Lipom.

Lipom. tom. 5. & Sur.tom.6. Habemus alia manuſcript.quæ incipiunt: Decius Imp. &c. De eo prætereà Petrus in catal. lib. 10. cap. 106. & alij. De his autem quæ à S. Mercurio in Iulianum Apoſtatam modo admirando geſta ſunt, agit Sozom.hiſt.lib.6 cap.2.licet nomen eius non exprimat.eadem Ioan.Damaſcen.in orat. 1.de imag.ex vita S. Baſilij,ſcripta (vt ait) ab Helladio eius diſcipulo, Niceph. hiſt.lib.10. c.34.& 35.& in vita S.Baſilij, quæ fertur nomine Amphilochij.

[e] Iucundæ.] De eadem in vet. manuſcript. ex quibus etiam recentiores hac die.

## 26 Sexto Kalendas Decemb. Luna. A 25. xxvj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | | | |

ALEXANDRIÆ natalis S. Petri[a] eiuſdem vrbis Epiſcopi, qui cùm eſſet omnibus virtutibus exornatus, Maximini præcepto capite obtruncatur. Paſſi ſunt etiam Alexandriæ in eadem perſecutione ſancti martyres[b] Fauſtus preſbyter, Didius, & Ammonius, itemque Phileas, Heſychius, Pachomius, & Theodorus Epiſcopi Ægyptij, cũ aliis ſexcẽtis ſexaginta, quos perſecutionis gladius euexit ad cælos. Nicomediæ S. Marcelli[c] preſbyteri, qui Conſtantij tempore ab Arianis è rupe præcipitatus martyr occubuit. Patauij S. Bellini[d] Epiſcopi & martyris. Auguſtoduni S. Amatoris[e] Epiſcopi. Conſtantiæ S. Conradi[f] Epiſcopi. Apud Fabrianũ in Piceno beati Silueſtri[g] abbatis, inſtitutoris congregationis monachorum Silueſtrinorum. In territorio Rhemenſi natalis S. Baſoli[h] confeſſoris. Hadrianopoli in Paphlagonia ſancti Styliani[i] anachoretæ, miraculis clari. In Armenia ſancti Niconis[k] monachi.

## NOVEMBRIS 26.

[a] PETRI.] Beda, Vſuard. & Ado pridie huius diei, Græci autem in Menolog.viij. Kal. Decemb. De celebritate eius diei, in qua Athanaſius adhuc puer puerilibus luſibus ſeria prænuntiauit, agit Ruffin.hiſt.lib.1.cap.14. Sozom.lib.2.cap.16.& Niceph. lib.8. cap.44. Eius res geſtas ex antiquis manuſcriptis mutuatus edidit Surius tom 6. qui eaſdem eſſe putat, quas Anaſtaſius Bibliothec. ſe in Latinum tranſtuliſſe teſtatur. Habemus alia eiuſdẽ Petri Acta pleniora in vet.cod. manuſcrip. quæ quoniam accuratiùs conſcripta noſcuntur, Anaſtaſio mea ſententia potiùs tribuenda videntur. eſt illorum exordium: Si omnes mei ſenſus, &c. Græcè verò ſcripta extant in bibliotheca Sfortiana cod. manuſcript. num. 85. ſunt autem in eis aliqua corrigenda, vt oſtendimus in Annal. Eccleſiaſt. Meminit eiuſdẽ Petri Athanaſius in orat. 2. contra Arian. Euſeb.hiſt.lib.7.c.vlt.in fine.lib.8. cap.25 & lib 9.c.5. Niceph.lib.6.c.34. Sophron. Prat. ſpirit. c.195. Habentur eiuſdem Canones pœnitentiales, quos recepit Sexta Synodus c.2. Idem ſcripſit librum de Diuinitate, qui citatur in SS. Synodo Epheſina, & reperitur in ſacr. Conc. Chalcedonen. Act. 1. Cetera de eodem fuſius in Annal. Eccleſiaſt. ſcripſimus.

[b] Fauſtus & ſoc.] De his item Beda, Vſuardus, Ado hac die: pluribus tamen Euſebius hiſt. lib.8. cap. 25.

[c] Marcelli.] De eo Beda hac die. Equidem furor Arianæ perſecutionis Nicomediæ, cui præerat Epiſcopus anteſignanus Arianæ impietatis Euſebius, vehementiùs ſæuiit, quàm in aliis Orientis ciuitatibus. Eſt lectio Bedæ, qui loco Marcelli, legit, Marculi. Suſpicatus eſt Molanus in libello quem ſcripſit de Martyrologiis, & poſuit in appendice ſui Vſuardi ſecundò editi, hunc fuiſſe illum Marculum pſeudomartyrem Donatiſtam, cuius meminit Optatus lib.3. & Auguſt. contra lit. Petil. lib. 2.c.20.& 88. Sed cùm hic Marcellus, ille Marculus, hic Nicomediæ, ille (vt ait) in Numidia ponatur (licet de Numidia nec Optatus, nec Auguſtinus meminerit;) cũ inſuper iſte ab Arianis dicatur præcipitatus, ille ſpontaneo ſe præcipitio dederit; hic denique preſbyter, ille autem nequaquam talis eſſe reperiatur: iam omnis de Marculo pſeudomartyre ſuſpicio ceſſare debet.

[d] Bellini Epiſcopi.] Tabulæ eccleſ. Patauinæ, Scard.lib.3.claſ.13.Lud.Cæl.lib.17.cap.28.

[e] Amatoris Epiſcopi.] Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores. Fortaſſe hic eſt ille, qui S. Silverium Papam exulem litteris eſt conſolatus, &

adiuuit pecuniis; ad quem eiuſdem Siluerij extat reddita de his epiſtola tom. 2. Concil.

[f] Conradi Epiſc.] Tab. eius eccl. Molan. etiam hac die. Migrauit ex hac vita anno Dom. 976. claruitque miraculis: recenſetur triceſimus eius ſedis Epiſc. in tab. quas Democh. ſcripſit lib. de ſacrif. Miſſæ, qui ibi pluribus de eodem agit.

[g] Silueſtri abb.] Extat ipſius vita in eius monaſterio Fabriani, ſcripta ab Andrea Iacobi Fabrian. monacho eius congregationis. Obiit anno Dom. 1267. hac die 26. Nouemb. ætatis ſuæ anno nonageſimo. De eo Antonin. in chron. p. 2. tit. 15. cap. 23. §. 2. Caſſanæus in catal. par. 2. conſid. 56. Io. Lucidus in ſuo chron. lib. 10. c. 7. Auguſt Florent. Camaldul. in ſua hiſt. Camaldul. lib. 2. c. 45. Hunc in Martyrologium Rom. referri mandauit S. D. N. Clemens Papa VIII.

[h] Baſoli.] De eodem vet. manuſcrip. Petrus in catal. lib. 9. cap. 69. Trithem. de vir. illuſt. ord. & Bened. lib. 3. cap. 45. Claruit temporibus Chilperici Regis Franc. Sigebert. meminit eiuſdem in chron. anno Domini 567.

[i] Styliani.] Agunt de eodem Græci hac die in Menol. eiusque res geſtas pluribus deſcribunt.

[k] Niconis.] Græci etiam de eodem in Menologio, eiuſque Acta referunt paucis comprehenſa.

xxiiij. 25. B Quinto Kalend. Decemb. Luna. 27

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | | | |

ANTIOCHIÆ ſanctorum martyrum Baſilei [a] Epiſcopi, Auxilij, & Saturnini. In Perſia S. Iacobi [b] interciſi, martyris conſpicui, qui tempore Theodoſij Iunioris, cùm in gratiam Iſdegerdis Regis Chriſtum negaſſet, & propterea mater eius & vxor ab ipſius ſe conſuetudine ſubtraxiſſent, in ſe reuerſus, pro Chriſti confeſſione Regem adiit, à quo irato membratim iuſſus eſt concidi, & capite obtruncari: quo tempore innumeri alij martyres ibidem paſſi ſunt. Sebaſtæ in Armenia ſanctorum martyrum Hirenarchi [c], Acacij preſbyteri, ac ſeptem mulierum; quarum conſtantia Hirenarchus ad Chriſtum conuerſus, ſub Diocletiano Imperatore & Maximo Præſide vnà cum Acacio ſecuri percutitur. In Gallæcia apud Cæam fluuium ſanctorum Facundi [d] & Primitiui, filiorũ ſancti Marcelli martyris, qui ſub Diocletiano Imperatore & Attico Præſide paſſi ſunt. Aquileiæ ſancti [e] Valeriani Epiſcopi. Apud Regium in Gallia S. Maximi [f] Epiſcopi & confeſſoris, qui à primæua ætate omni gratia virtutum præditus, primùm Lerinenſis cœnobij Pater, deinde Regienſis eccleſię Epiſcopus, ſignis & prodigiis inclytus extitit. Apud Indos Perſis finitimos ſanctorum Barlaam [g] & Ioſaphat, quorum actus mirandos ſanctus Ioannes Damaſcenus conſcripſit. Lutetiæ Pariſiorum depoſitio ſancti Seuerini [h] monachi & ſolitarij.

## NOVEMBRIS 27.

BASILEI & ſoc. [a]] Baſileus hic, licet Antiochiæ paſſus habeatur, non fuit tamen Epiſcopus Antiochenæ eccleſiæ, cuius Epiſcoporum catalogus certus extat conſcriptus. Alius hic item Baſileus ab illo Epiſcopo Amaſeno, de quo ſuprà vj. Kal. Maij. Cùm de his agatur in vet. Martyrol. Rom. atque antiquis manuſcriptis: cuius tamen ciuitatis Epiſcopus fuerit, nuſquam reperi.

[b] Iacobi.] Tam Latini quàm Græci in Menologio de eodem agunt hac die; iidemque eius nobile martyrium paucis deſcribunt. Niceph. etiam hiſt. lib. 14. cap. 20. Eius Acta fuſiùs deſcribuntur ex antiquis monumentis à Sur. tom. 6. & 7. Mombrit. tom. 2. Petr. in catal. lib. 10. c. 112. & aliis.

[c] Hirenarchi & ſoc.] De his etiam Græci hac die, vel ſequenti, vt in noſtro Menologio, in quo & de Hirenarcho hæc leguntur: Hic ex vrbe Sebaſta,

baſta,

baſta, cùm eſſet carnifex & miniſter tormẽtorum quæ ſanctis martyribus inferebantur: cumque in perſecutione Diocletiani & Maximiani exquiſitis quibuſdam tormentis Chriſtianas feminas cruciaſſet; admiratus illarũ conſtantiam & miracula, mente diuino ſpiritu illuſtratus, ſe Chriſtianum eſſe, liberè profeſſus, iuſſu Præſidis in paludem iniicitur: indeq́ue in rogum immiſſus, cùm ab vtraque pœna maneret illæſus, capite truncatus, martyrium expleuit. Hæc ibi.

[d] Facundi & Primitiui.] De his antiqua manuſcrip. ex quibus etiam recentiores hac die. Porrò eorum certamen deſcribitur in Flor. ſanct. & in Theſaur. concion. tom. 2. licet in dictis locis paſſi dicantur tempore Marci Aurel. Commodi Imp. Vaſęus autem in chron. Hiſpan. ex Breuiario Eborẽſi (vt ait) hos adnumerat inter filios S. Marcelli centurionis, qui paſſus eſt in perſecutione Diocletiani, Fauſto & Gallo Coſſ. De his etiam Marin. Sicul. hiſt. Hiſpan. lib. 5. & ſub Daciano paſſos refert.

[e] Valeriani Epiſcopi.] De eodem hac die in vet. manuſcript. S. Cyriaci. Agit de eo frequenter S. Hieronymus epiſt. 42. 43. & in chron. anno xj. Valentiniani Imp. Sedit poſt Fortunatianum Arianum, eccleſiamq́ue illam non ſolùm omni labe Ariana expurgatam reddidit, verùm Eccleſiaſtica diſciplina adeò illuſtrauit, vt (quemadmodum idem S. Hieronymus ſcribit) habita ſit quaſi chorus ſanctorum. Interfuit, primuſque ponitur ordine in Concilio Aquileienſi aduerſus Arianos Gratiano Imp. coacto. Habuit ſucceſſorem æquè ſanctum & eruditum Chromatium. Meminit eiuſdem Valeriani Ruffinus presbyter Aquil. lib. 1. Inuect.

[f] Maximi Epiſc.] De eo item Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores. Errore autem factum fuerat, vt Regium Lepidi, quod eſt in Gallia Ciſalpina, poneretur loco Regij in Gallia Narbonenſi. Aliud eſt Rhegium apud Brutios, à quo Rhegini: aliud inſuper in ſecunda Rhetia apud Auguſtanam ciuitatem, cuius meminit Antoninus in Itin. Extat de S. Maximi laudibus homilia ſancti Eucherij, quę fertur nomine Euſebij Emiſſeni. Scripſit eiuſdem ſancti vitæ Acta Dinamius Patricius ad Vrbicum Epiſcopum, Fauſti ſucceſſorem, quem præceſſit idem Maximus, de quo agimus. Recitat ea Sur. to. 6. De eodem Sidonius Apollinaris ad eumdem Fauſtum eius ſucceſſorem in carmine Euchariſtico hæc ait:

*—— Fuerit quis Maximus ille,*
*Vrbem tu cuius monachuſq; antiſtes & abbas*
*Bis ſucceſſor agis*, &c.

Meminit eiuſdem ſcribens ad Principium lib. 8. epiſt. 14. Plura de eodem in vita S. Honorati lib. 1. c. 25. & lib. 2. c. 4. & 9. vbi agitur de eius electione. Succeſſiſſe putatur S. Proſpero, obiiſſeq́ue in Galliis in territorio Taruanenſi; ibiq́ue quadruplici ſolemnitate coli, nimirum huius diei Depoſitionis eius, Octauæ, Relationiſque eius prid. Non. Decembr. & Inuentionis Idibus Septemb. vt ſcribit Molan. in Indic. Sanct. Belg. De miraculis ad ſepulchrum eius fieri ſolitis agit Greg. Turon. de glor. confeſſ. cap. 83.

[g] Barlaam & Ioſaphat.] Horum res geſtas à Ioanne Damaſceno conſcriptas habet Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 6. Eaſdem in Græco codice in bibliotheca Sfortiana num. 63. nomine Ioannis Sinaitæ inſcriptas inuenimus. Porrò veram eſſe hiſtoriam, & non ab alio quàm ab eodem Damaſceno conſcriptam, ſatis demonſtrat Billius in præfatione quam in eamdem vitam apud Ioannem Damaſcenum edidit. Scripſerunt de his alij recentiores, ſed non aliunde quàm ab eodem auctore accepta, vt Petrus in catalog. libro 10. cap. 114. & alij.

[h] Seuerini.] De eodem vetera manuſcripta, Maurolyc. & Molanus in addit. ad Vſuardum.

## 28 Quarto Kalend. Decemb. Luna. C xxiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | | | |

ROMÆ ſancti Rufi[a], quem cum omni familia ſua Diocletianus Chriſti martyrem fecit. Apud Corinthum natalis ſancti Soſthenis[b] diſcipuli beati Pauli Apoſtoli, cuius mentionem facit idem Apoſtolus Corinthiis ſcribens. Hic ex principe ſynagogæ conuerſus ad Chriſtum, ante[c] Gallionem Proconſulem acriter verberatus, pręclaro initio fidei ſuæ primordia conſecrauit. In Africa ſanctorum martyrum Papiniani[d] & Manſueti Epiſcoporum, qui tempore Vuandalicæ perſecutionis ſub Geiſerico Rege Ariano pro fidei Catholicæ defenſione candentibus ferri laminis toto corpore aduſti, glorioſum agonem conſummarunt. Quo etiam tempore alij ſancti Epiſcopi, Valerianus, Vrbanus, Creſcens,

Euſtachius, Creſconius, Creſcentianus, Felix, Hortulanus, & Florentianus damnati exilio, curſum vitæ ſuæ impleuerunt. Conſtantinopoli ſanctorum martyrum Stephani [e] iunioris, Baſilij, Petri, Andreæ, & ſociorum trecentorum & trigintanouem monachorum, qui ſub Conſtantino Copronymo pro ſanctarum imaginum cultu variis excruciati ſuppliciis, veritatem Catholicam effuſo ſanguine confirmarunt. Romæ beati Gregorij [f] Papæ Tertij, qui ſanctitate meritiſque præclarus migrauit in cælum.

## NOVEMBRIS 28.

[a] RVFI.] Beda, Vſuard. Ado, & alij recentiores, Petrus in catal. lib. 10. cap. 120. & vet. manuſcript. in quibus legimus hunc vnà cum ſuis à ſancto Chryſogono ad fidem eſſe conuerſum.

[b] Soſthenis.] De quo Act. Apoſt. cap. 18. & Paulus ad Corinth. 1. cap. 1. Beda de eodem hac die agens, citat Zoſimi Papæ epiſtolam, nobis hactenus incompertam. Agunt de eodem hac die Vſuardus, Ado, ac ceteri Latinorum, Græci autem in Menologio ad ſeptimum Idus Decemb. Hunc Epiſcopum Colophonis ordinatum, tradit Dorotheus in Synopſi, idque ex Hippolyti libello de 72. diſcipulis.

[c] Gallionem Proconſulem.] Gallio Proconſul, cuius mentio habetur in Act. Apoſt. c. 18. fuit germanus L. Annei Senecæ, vt idem Seneca teſtatur in præfat. lib. 4. quæſt. natural. de eius profectione ex Achaia idem auctor meminit lib. 18. epiſt. 101. Ad ipſum Seneca ſcripſit librum de remediis fortuitorum, alterum etiam de vita beata. Quod autem ſpectat ad Achaiam prouinciam factam proconſularem, auctam lege Clodia, ac L. Piſoni primùm traditam, habens expreſſum in oratione Ciceronis in L. Piſonem.

[d] Papiniani, Manſueti, & ſoc.] Agunt de his Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Fuit Papinianus Epiſcopus Vticenſis, Manſuetus autem Vricitanus, Valerianus Abenſis, Vrbanus Gitbenſis, Creſcens Aquitanus, Euſtachius ſiue Euſtratius Suſetanus, Creſconius Eenſis, Felix Adrumetinus; Creſcentianus, Hortulanus, & Florentianus, duo Tripolitani, & tertius Vicelſebratenus. Hæc omnia ex Victore de perſecut. Vuandal. lib. 1. & 3.

[e] Stephani & ſoc.] De iiſdem Græci hac die in Menologiu, eorumque martyrium recitant. Extant autem horum Acta fuſiùs ſcripta apud Ioan. Damaſc. editionis Billianæ, & apud Sur. tom. 6. Meminitque eorum Zonar. in 3. par. Annalium in Conſtantino Copronymo, Cedren. in compend. anno vigeſimoquinto eiuſdem Imp. necnon Ioannes Epiſcopus Ieroſol. in vita S. Ioannis Damaſceni.

[f] Gregorij Papæ III.] Succeſſit hic Gregorio Secundo: aguntque de eodem Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores. Geſta eius retulimus per annos ſingulos in Annal. Eccleſiaſt.

xxij. D Tertio Kal. Decemb. Luna. 29

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ<br>
9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25<br>
t u A B C D E f F G H M N P<br>
26 27 28 29 1 2 3 4 3 4 5 6 7 8

VIGILIA [a] ſancti Andreæ Apoſtoli. Romæ via Salaria natalis ſanctorum martyrum Saturnini [b] ſenis, & Siſinij diaconi ſub Maximiano Principe; quos diu in carcere maceratos, iuſſit Præfectus Vrbis in equuleum leuari, & attrahi neruis, & fuſtibus ac ſcorpionibus cædi, deinde eis flammas apponi, & depoſitos de equuleo capite truncari. Toloſæ ſancti [c] Saturnini Epiſcopi, qui temporibus Decij in Capitolio [d] eiuſdem vrbis à Paganis tentus, atque à ſumma Capitolij arce per omnes gradus præcipitatus, capite colliſo, excuſſoque cerebro, & toto corpore dilaniato, dignam Chriſto animam reddidit. Item paſſio ſanctorũ Paramonis [e], & ſociorum trecentorum ſeptuagintaquinque ſub Decio Imperatore,

&

& Aquilino Præſide. Ancyræ ſancti Philomeni[f] martyris, qui in perſecutione Aureliani Imperatoris ſub Felice Præſide igne probatus, manibus pedibuſque, ac demum capite clauis confixo, martyrium conſummauit. Verulis ſanctorum martyrum Blaſij[g] & Demetrij. Tuderti ſanctæ Illuminatæ[h] virginis.

## NOVEMBRIS 29.

VIGILIA S. Andreæ[a].] De eadem Beda, Vſuardus, Ado, & alij omnes qui agunt de diuin. Offic. vt Amalar. de Ordin. antiph. c. 63. Concil. Oxon. Eſt de ea ſermo ſancti Bernardi.

[b] Saturnini & Siſinij.] Beda & alij qui ſuprà de iiſdem hac die. Horum martyrium recenſetur in Actis ſancti Marcelli Papæ apud Sur. to. 1. die 17. Ianuarij. Erat celebris horum memoria via Salaria, quam incendio abſumptam reſtituit Felix Quartus Rom. Pont. cuius hactenus nomen & veſtigia remanent. Venerandæ eorũ reliquiæ Romam tranſlatæ in Titulum Pammachij, ibi religioſiſſimè aſſeruantur, vt eius eccleſiæ vetera monumenta teſtantur. Porrò Siſinij corpus olim à Sergio Iuniore tranſlatum fuiſſe in Titulum Equitij, vetus inſcriptio in marmore inciſa ibi poſita declarat.

[c] Saturnini Epiſc.] Agunt de eodem Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri. Eius vitæ Acta atque martyrium ex antiquis monumentis edidit Sur. tomo 6. Citat eius paſſionis Acta Gregorius Turon. hiſt. lib. 1. cap. 30. & de gloria martyrum cap. 48. pluribus de eodem agit, & de eius reliquiis lib. de glor. confeſſ. cap. 20 ante ipſum Sidonius Apollinar. cecinit eiuſdem martyrium carmine ſapphico lib. 9. epiſt. in fine. Venantius Fortunatus inſuper de eius agone atque miraculis carmen ſcripſit, addidit & epigramma de eius baſilica lib. 2. In Breuiario Toletano de eodem eſt vetus hymnus. De inuentione corporis S. Saturnini meminit Bernard. in chron. an. Domini 1258.

[d] In Capitolio eiuſdem vrbis, hoc eſt, Toloſę] Non tãtùm Romæ erat Capitolium, ſed & in aliis vrbibus. Meminit Suetonius in Tiberio cap. 40. & in Caio cap. 57. de Capitolio Capuano. S. Cyprianus epiſt. 55. ad Cornelium Papam de Capitolio Carthaginenſi; de eodem in libro de lapſis, S. Hieron. de locis Hebraicis arcem Babyloniæ Capitolium appellat. id ipſum idem in commentariis in Iſai. cap. 14. ſic declarat: Arx autem, id eſt, Capitolium illius vrbis. Eſt prætereà can. 5. Concilij Eliber. quo prohibetur, ne quis Chriſtianus ad idolum Capitolij ſacrificandi cauſa aſcendat, & videat: quæ quidem non de Romano, ſed de alio quolibet in Hiſpania conſtituto Capitolio intelligi debere, nullus ambigit. Erat & Treuiris Capitolium, quod mutatum eſſe in eccleſiam, habent Acta ſanctorum martyrum Thyrſi & ſoc. Conſtantinopoli etiam Capitolium fuiſſe legitur in deſcriptione eius vrbis, regione 8. De eodem L. 12. C. de ædif. priuat. Erat item Beneuenti Capitolium, in quo poſita erat ſtatua Orbilij Beneuentani Grammatici. Locus itaque in vnaquaque ciuitate præcipuus, vbi potiſſimùm Gentilium ſuperſtitio coleretur, idemq́ue murorum ambitu cuſtoditus, Capitolium dici conſueuit, vt ex his ſatis apparet, & quæ habet S. Zeno in ſerm. de ſpirituali ædif. domus Dei, cùm ait: Iudæi fortaſſe cultiùs ſynagogas ædificant: Gentiles cultiùs erigunt Capitolia, &c.

[e] Paramonis & ſoc.] De his etiam Græci hac die agunt, eorumq́ue martyrium deſcribunt.

[f] Philomeni.] Græci itidem de eodem hac die in Menologio, vbi recitantur eius Acta, prout etiam hîc deſcripta habentur.

[g] Blaſij & Demetrij.] Vet. manuſcript. & antiqua Verulanæ eccleſiæ monumenta.

[h] Illuminatæ.] Claruit temporibus Maximiani Imperatoris, vt conſtat ex rebus geſtis ipſius, quas manuſcriptas ab eccleſia Tudertina miſſas accepimus.

30 Pridie Kalend. Decemb. Luna. E xxj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | | | |

APVD Patras Achaiæ natalis ſancti Andreæ[a] Apoſtoli, qui in Thracia & Scythia Chriſti Euangelium prædicauit. Is ab Ægea Proconſule comprehenſus, primò in carcere clauſus eſt, deinde grauiſſimè cæſus, ad vltimum in cruce ſuſpenſus, in ea populum docens biduo ſuperuixit: & rogato Domino ne eum ſineret de cruce deponi, circumdatus magno ſplendore

de

Euſtachius, Creſconius, Creſcentianus, Felix, Hortulanus, & Florentianus damnati exilio, curſum vitæ ſuæ impleuerunt. Conſtantinopoli ſanctorum martyrum Stephani [e] iunioris, Baſilij, Petri, Andreæ, & ſociorum trecentorum & trigintanouem monachorum, qui ſub Conſtantino Copronymo pro ſanctarum imaginum cultu variis excruciati ſuppliciis, veritatem Catholicam effuſo ſanguine confirmarunt. Romæ beati Gregorij [f] Papæ Tertij, qui ſanctitate meritiſque præclarus migrauit in cælum.

## NOVEMBRIS 28.

RVFI [a].] Beda, Vſuard. Ado, & alij recentiores, Petrus in catal. lib. 10. cap. 120. & vet. manuſcript. in quibus legimus hunc vnà cum ſuis à ſancto Chryſogono ad fidem eſſe conuerſum.

[b] Soſthenis.] De quo Act. Apoſt. cap. 18. & Paulus ad Corinth. 1. cap. 1. Beda de eodem hac die agens, citat Zoſimi Papæ epiſtolam, nobis hactenus incompertam. Agunt de eodem hac die Vſuardus, Ado, ac ceteri Latinorum, Græci autem in Menologio ad ſeptimum Idus Decemb. Hunc Epiſcopum Colophonis ordinatum, tradit Dorotheus in Synopſi, idque ex Hippolyti libello de 72. diſcipulis.

[c] Gallionem Proconſulem.] Gallio Proconſul, cuius mentio habetur in Act. Apoſt. c. 18. fuit germanus L. Annei Senecæ, vt idem Seneca teſtatur in præfat. lib. 4. quæſt. natural. de eius profectione ex Achaia idem auctor meminit lib. 18. epiſt. 101. Ad ipſum Seneca ſcripſit librum de remediis fortuitorum, alterum etiam de vita beata. Quod autem ſpectat ad Achaiam prouinciam factam proconſulatem, auctam lege Clodia, ac L. Piſoni primùm traditam, habens expreſſum in oratione Ciceronis in L. Piſonem.

[d] Papiniani, Manſueti, & ſoc.] Agunt de his Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Fuit Papinianus Epiſcopus Vticenſis, Manſuetus autem Vricitanus, Valerianus Abenſis, Vrbanus Gitbenſis, Creſcens Aquitanus, Euſtachius ſiue Euſtratius Sufetanus, Creſconius Eenſis, Felix Adrumetinus; Creſcentianus, Hortulanus, & Florentianus, duo Tripolitani, & tertius Viceſſebratenus. Hæc omnia ex Victore de perſecut. Vuandal. lib. 1. & 3.

[e] Stephani & ſoc.] De iiſdem Græci hac die in Menologio, eorumque martyrium recitant. Extant autem horum Acta fuſiùs ſcripta apud Ioan. Damaſc. editionis Billianæ, & apud Sur. tom. 6. Meminitque eorum Zonar. in 3. par. Annalium in Conſtantino Copronymo, Cedren. in compend. anno vigeſimoquinto eiuſdem Imp. necnon Ioannes Epiſcopus Ieroſol. in vita S. Ioannis Damaſceni.

[f] Gregorij Papæ III.] Succeſſit hic Gregorio Secundo: aguntque de eodem Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores. Geſta eius retulimus per annos ſingulos in Annal. Eccleſiaſt.

xxij. D Tertio Kal. Decemb. Luna. 29

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | | | |

VIGILIA [a] ſancti Andreæ Apoſtoli. Romæ via Salaria natalis ſanctorum martyrum Saturnini [b] ſenis, & Siſinij diaconi ſub Maximiano Principe; quos diu in carcere maceratos, iuſſit Præfectus Vrbis in equuleum leuari, & attrahi neruis, & fuſtibus ac ſcorpionibus cædi, deinde eis flammas apponi, & depoſitos de equuleo capite truncari. Toloſæ ſancti [c] Saturnini Epiſcopi, qui temporibus Decij in Capitolio [d] eiuſdem vrbis à Paganis tentus, atque à ſumma Capitolij arce per omnes gradus præcipitatus, capite colliſo, excuſſoque cerebro, & toto corpore dilaniato, dignam Chriſto animam reddidit. Item paſſio ſanctorũ Paramonis [e], & ſociorum trecentorum ſeptuagintaquinque ſub Decio Imperatore,

&

& Aquilino Præſide. Ancyræ ſancti Philomeni [f] martyris, qui in perſecutione Aureliani Imperatoris ſub Felice Præſide igne probatus, manibus pedibuſque, ac demum capite clauis confixo, martyrium conſummauit. Verulis ſanctorum martyrum Blaſij [g] & Demetrij. Tuderti ſanctæ Illuminatæ [h] virginis.

## NOVEMBRIS 29.

VIGILIA S. Andreæ [a].] De eadem Beda, Vſuardus, Ado, & alij omnes qui agunt de diuin. Offic. vt Amalar. de Ordin. antiph. c. 63. Concil. Oxon. Eſt de ea ſermo ſancti Bernardi.

[b] Saturnini & Siſinij.] Beda & alij qui ſuprà de iiſdem hac die. Horum martyrium recenſetur in Actis ſancti Marcelli Papæ apud Sur. to. 1. die 17. Ianuarij. Erat celebris horum memoria via Salaria, quam incendio abſumptam reſtituit Felix Quartus Rom. Pont. cuius hactenus nomen & veſtigia remanent. Venerandæ eorũ reliquiæ Romam tranſlatæ in Titulum Pammachij, ibi religioſiſſimè aſſeruantur, vt eius eccleſiæ vetera monumenta teſtantur. Porrò Siſinij corpus olim à Sergio Iuniore tranſlatum fuiſſe in Titulum Equitij, vetus inſcriptio in marmore inciſa ibi poſita declarat.

[c] Saturnini Epiſc.] Agunt de eodem Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri. Eius vitæ Acta atque martyrium ex antiquis monumentis edidit Sur. tomo 6. Citat eius paſſionis Acta Gregorius Turon. hiſt. lib. 1. cap. 30. & de gloria martyrum cap. 48. pluribus de eodem agit, & de eius reliquiis lib. de glor. confeſſ. cap. 20 ante ipſum Sidonius Apollinar. cecinit eiuſdem martyrium carmine ſapphico lib. 9. epiſt. in fine. Venantius Fortunatus inſuper de eius agone atque miraculis carmen ſcripſit, addidit & epigramma de eius baſilica lib. 2. In Breuiario Toletano de eodem eſt vetus hymnus. De inuentione corporis S. Saturnini meminit Bernard. in chron. an. Domini 1258.

[d] In Capitolio eiuſdem vrbis, hoc eſt, Toloſę] Non tãtùm Romæ erat Capitolium, ſed & in aliis vrbibus. Meminit Suetonius in Tiberio cap. 40. & in Caio cap. 57. de Capitolio Capuano. S. Cyprianus epiſt. 55. ad Cornelium Papam de Capitolio Carthaginenſi, de eodem in libro de lapſis, S. Hieron. de locis Hebraicis arcem Babyloniæ Capitolium appellat. id ipſum idem in commentariis in Iſai. cap. 14. ſic declarat: Arx autem, id eſt, Capitolium illius vrbis. Eſt prætereà can. 5. Concilij Eliber. quo prohibetur, ne quis Chriſtianus ad idolum Capitolij ſacrificandi cauſa aſcendat, & videat: quæ quidem non de Romano, ſed de alio quolibet in Hiſpania conſtituto Capitolio intelligi debere, nullus ambigit. Erat & Treuiris Capitolium, quod mutatum eſſe in eccleſiam, habent Acta ſanctorum martyrum Thyrſi & ſoc. Conſtantinopoli etiam Capitolium fuiſſe legitur in deſcriptione eius vrbis, regione 8. De eodem L. 12. C. de ædif. priuat. Erat item Beneuenti Capitolium, in quo poſita erat ſtatua Orbilij Beneuentani Grammatici. Locus itaque in vnaquaque ciuitate præcipuus, vbi potiſſimùm Gentilium ſuperſtitio coleretur, idemq́ue murorum ambitu cuſtoditus, Capitolium dici conſueuit, vt ex his ſatis apparet, & quæ habet S. Zeno in ſerm. de ſpirituali ædif. domus Dei, cùm ait: Iudæi fortaſſe cultiùs ſynagogas ædificant: Gentiles cultiùs erigunt Capitolia, &c.

[e] Paramonis & ſoc.] De his etiam Græci hac die agunt, eorumq́ue martyrium deſcribunt.

[f] Philomeni.] Græci itidem de eodem hac die in Menologio, vbi recitantur eius Acta, prout etiam hîc deſcripta habentur.

[g] Blaſij & Demetrij.] Vet. manuſcript. & antiqua Verulanæ eccleſiæ monumenta.

[h] Illuminatæ.] Claruit temporibus Maximiani Imperatoris, vt conſtat ex rebus geſtis ipſius, quas manuſcriptas ab eccleſia Tudertina miſſas accepimus.

30 **Pridie Kalend. Decemb. Luna.** E xxj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | | | |

APVD Patras Achaiæ natalis ſancti Andreæ [a] Apoſtoli, qui in Thracia & Scythia Chriſti Euangelium prædicauit. Is ab Ægea Proconſule comprehenſus, primò in carcere clauſus eſt, deinde grauiſſimè cæſus, ad vltimum in cruce ſuſpenſus, in ea populum docens biduo ſuperuixit: & rogato Domino ne eum ſineret de cruce deponi, circumdatus magno ſplendore de

de cælo, abſcedente poſtmodum lumine, emiſit ſpiritum. Romæ paſſio ſanctorum Caſtuli[b] & Euprepitis. Conſtantinopoli ſanctæ Mauræ[c] virginis & martyris. Item ſanctæ Iuſtinæ[d] virginis & martyris. Apud Santonas ſancti Troiani[e] Epiſcopi, magnæ ſanctitatis viri, qui ſepultus in terris, in cælo ſe viuere multis virtutibus manifeſtat. Romę ſancti Conſtantij[f] confeſſoris, qui fortiter Pelagianis reſiſtens, eorum factione multa pertulit, quæ illum ſanctis confeſſoribus ſociarunt. In Palæſtina beati Zoſimi[g] confeſſoris, qui ſub Iuſtino Imperatore ſanctitate & miraculis fuit inſignis.

## NOVEMBRIS 30.

[a] ANDREÆ Apoſtoli[a].] Latinorum omnia Martyrologia, & Græcorum Menologia de eodem agunt hac die. Specialis mẽtio fit de feſtiuitate S. Andreæ in Capitular. Regum Franc. lib. 1. cap. 164. lib 2. c. 35. & lib. 6. cap. 185. necnon in Concil. Mogunt. ſub Carolo Magno cap. 36. Acta paſſionis eius, quæ feruntur nomine eccleſiæ Achaiæ, à Metaphraſte deſcripta, recitat Lipom. tomo 1. & Surius tomo 6. ex quibus Remig. Antiſiod. in Pſal. 21. & 40. S. Bernard. in ſerm. de S. Andrea, Lanfranc. contra Bereng. Iuo Carnoten. & alij mutuati ſunt exempla. Irrepſit tamen in ea Græciſmus ille de Spiritu ſancto, quòd à Patre procedat, & in Filio permaneat. ſanè quidem in antiquis exemplaribus manuſcriptis ea verba non habentur, nec in editis à Mombrit. tom. 1. vit. ſanct. De eiuſdem Actis, deq́ue libello miraculorũ eius extat ſcripta hiſtoria in paſſionibus Apoſtolorum; quibus illa addita videntur à Manichæis, quæ S. Auguſtinus recitat libro de fide contra Manichæos cap. 38. ea enim à prædictis Actis procul abhorrent. Quod autem ad eius prædicationem ſpectat: in Scythiam profectum, illiſq; gentibus annuntiaſſe Euangeliũ, ſcribit Origen. in Geneſ. lib. 3. cap. 1. Sophronius apud Hieron. de ſcript. Eccleſ. addit nõ tantùm Scythis, ſed & Sogdianis, Saccis, atque etiam Æthiopibus verbum Dei prædicaſſe: idque confirmat Doroth. in Synopſi, & auctor de vit. & mort. ſanct. apud Iſid. De Achaia ac Scythia meminit Niceph. hiſt. lib. 2. c. 39. qui & lib 8. cap. 6. ait eumdem peragraſſe Cappadociam, Galatiam, & Bithyniam vſq; ad mare Euxinum. Greg. Nazianz. in orat. ad Arian. addit Epirum: Gręcis autem annuntiaſſe Euangelium, ſcribit Chryſoſt. in orat. in duodecim Apoſt. eumq́ue poſt Petrum conſummaſſe martyrium tradit: ſic enim accipias illa eiuſdem Ioannis Chryſoſtomi verba in ſermone de S. Andrea, quem recitat Metaphraſt. habeſque eum apud Sur. tom. 6. quibus ait: Poſterior Petro in vitam ingreſſus eſt Andreas, prior Petrum ad Euangelium allexit, &c. Quæ verba nonnulli perperàm intelligentes, dixerunt Petrum ætate maiorem fuiſſe Andrea: vt verò Andream Petro ſeniorem fuiſſe, teſtatur ſanctus Epiphan. in Panar. hæreſ. 51. De prædicatione Andreæ in Achaia meminit S. Hieronymus epiſt. 148. ad Marcellum in fine. Acta Apoſtolorum Andreæ nomine reiiciuntur in primis ab Innocentio Papa in epiſt. ad Exuperium in fine, à Philaſtrio de hæreſ. cap. 89. ac demum à Gelaſio in cap. Sancta Romana. diſtinct. 15. De eius martyrio apud Patras meminit ſanctus Paulinus Epiſcopus Nolan. in Natal. 9. ſancti Felicis. Extat etiam elegans carmen ſapphicum ſancti Damaſi Papę de Andrea crucem paſſo: habetur in Collectaneis poëtarum Chriſtianorum. Et ne quid de antiquis monumentis lateat, S. Petrus Chryſologus in ſerm. 133. de S. Andrea hæc habet in fine: Petrus namque crucem, arborem conſcendit Andreas, &c. quaſi ſignificare velit, ipſum arbori fuiſſe affixum, illicq́ue ſubiiſſe ſupplicium crucis. id quidem videtur acceptum è commentatiolo Hippolyti martyris, quod manuſcript. Græcè extat apud Card. Sirletum, vbi hæc leguntur de Andrea: Crucifixus eſt Patris in Achaia ad arborem oliuæ rectus. De eodem Apoſtolo conſule quæ ſuperiùs in eius corporis tranſlatione diximus 9. Maij.

[b] Caſtuli & Euprepitis.] Agunt de iiſdẽ Beda ac recentiores, conſentiuntq́ue vet. manuſcript.

[c] Mauræ.] De eadem agunt Græci; eiuſque nomine nobilitata eſt inſula in mari Ionio, quæ S. Maura nuncupatur.

[d] Iuſtinæ.] Agitur de ea in vet. manuſcriptis, ſicut & in vet. Romano Martyrologio, aliiſque recentioribus.

[e] Troiani Epiſcopi.] Beda, Vſuardus, Ado, Petrus in catal. lib. 1. c. 12. & Gregor. Turon. de glor. confeſſ. cap. 59. Recenſetur octauus eius ſedis Epiſcopus. ſedit ab anno Domini trecenteſimo octogeſimo vſque ad quadringenteſimum, vt declarant tabulę Demochar. Eſt de eodem epigramma Bonad. Santonen. lib. 3. monod. 23.

[f] Conſtantij confeſſ.] De eodem manuſcript. & Proſper in chron. Coſſ. Honorio decimùm, & Theodoſio Iuniore octauùm. Quæ hîc habentur, ex eodem accepta eſſe noſcuntur.

[g] Zoſimi.] Alius hic ab illo de quo ſuprà pridie Nonas Aprilis, de quo agitur in Actis S. Mariæ Ægyptiacę. De hoc autem ſcribit Euagr. Scholaſt. hiſt. lib. 4. cap. 7. & Niceph. lib. 17. cap. 4.

DE-

# D E C E M B E R.

I Kalendis Decemb. Luna. F xx.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | | | |

NAHVM[a] prophetæ in Begabar quieſcentis. Romæ ſanctorum martyrum Diodori[b] preſbyteri, & Mariani diaconi, cum aliis pluribus, qui, iubente Numeriano Principe, martyrij gloriam meruerunt. Ibidem paſſio ſanctorum Lucij[c], Rogati, Caſſiani, & Candidæ. Eodem die ſancti Anſani[d] Martyris, qui ſub Diocletiano Imperatore Romæ Chriſtum confeſſus, & in carcerem truſus, deinde Senas in Tuſcia perductus, ibidem capitis obtruncatione martyrij curſum perfecit. Ameriæ in Vmbria ſancti Olympiadis[e] viri conſularis, qui à beata Firmina ad fidem conuerſus, ſub Diocletiano in equuleo tortus, martyrium conſummauit. Arbele in Perſia ſancti Ananiæ[f] martyris.* Interamne ſancti Proculi[g] Epiſcopi & martyris, qui poſt multa egregia opera à Totila Gothorum Rege iuſſus eſt decollari. In ciuitate Caſalenſi ſancti Euaſij[h] Epiſcopi & martyris. Mediolani ſancti Caſtritiani[i] Epiſcopi, qui in maxima Eccleſiæ perturbatione virtutũ meritis, ac rerum piè religioſeque geſtarum laude enituit. Brixiæ ſancti[k] Vrſicini Epiſcopi. Nouiomi in Belgia ſancti Eligij[l] Epiſcopi, cuius vitam admirandam multiplex ſignorum numerus commendat. Apud Virodunum ſancti Agerici[m] Epiſcopi. Eodem die ſanctæ Nataliæ[n] vxoris beati Hadriani martyris, quæ ſub Diocletiano Imperatore ſanctis martyribus Nicomediæ in carcere detentis multo tempore miniſtrauit; impletoque eorum certamine, Conſtantinopolim profecta, ibidem in pace quieuit.

* al. Narniæ

## D E C E M B R I S I.

NAHVM Prophetæ[a].] Græci de eodem agunt in Menologio hac die. Præter illa quæ de ipſo legũtur in diuinis Scripturis, multa habet Ioſeph. antiq. lib 9. cap. 12. De eodem ſcribit Epiph. de vita & interit. Prophet. cap. 17. Hieron. procem. in Nahum, & Doroth. in Synopſi, auctor de vit. & mort. ſanct. cap. 46. apud Iſidorum.

[b] Diodori & Mariani.] De his etiam Beda, Ado, & alij recentiores; licet alicubi Marinianus pro Mariano legatur: Vſuardus autem de his agit viij. Kalend. Nouembris. Horum martyrium deſcribitur in Actis ſanctorum Chryſanthi & Dariæ, quæ habet ex Metaphraſte Lipom. tom. 7. & Sur. tom. 5. De horum corporum inuentione eſt conſcripta hiſtoria, quam recitat Sur. tomo 1. die 17. Ianuarij, vbi & de miraculis ibi editis habetur ſermo.

[c] Lucij & ſoc.] Beda hîc tantùm de Candida: ceteri autem redditi ſunt ex prædictis veteribus manuſcriptis.

[d] Anſani.] Tabulæ etiam Senenſis eccleſiæ, vnde & eius Acta manuſcript. Romam miſſa accepimus. De eodem Petr. in catal. lib. 1. cap. 14. Paſſus eſt (vt eadẽ Acta profitentur) Diocletiano octa-

octauùm , & Maximiano ſeptimùm Conſulibus: eſt is annus, ſecundùm Faſtos Onuphrij, trecenteſimus tertius à Chriſto Domino.

[e] Olympiadis.] De eodem hac die in eccleſia Amerina, vbi eius Acta aſſeruari accepimus.

[f] Ananiæ.] Græci etiam de eodem hac die in Menologio, eiuſq; martyrij ſeriem paucis narrãt.

[g] Proculi Epiſcopi.] De eodem Vſuardus, & alij recentiores; conſentiuntq; vet. manuſcript. In codice autem S. Cyriaci omnium vetuſtiſſimo ſic habetur: Interamne, ſiue Narnis, natalis S. Proculi Epiſcopi & martyris. Hęc ibi: quę quidem duplex lectio ambiguitatem de ea re tunc fuiſſe ſignificat. Si etenim aſſentimur Petro in catalog. libro 1. cap. 15. Interamnenſem fuiſſe Epiſcopum affirmare oportet: ſed cùm miſcet eum cum S. Valentino Epiſcopo & martyre, cum alio Proculo Interamnenſi eum confundere videtur, de quo ſuprà xviij. Kalend. Maij. De Proculo Narnienſi mentio habetur in Actis Abundij & Carpophori apud Mombrit. tom. 1. ſed ea erroribus ſcatent. In tabulis eccleſię Rauen. agitur hac die de S. Proculo Epiſcopo Rauennate, qui ſucceſſit ſancto Calocero, ſextuſque numeratur eius ſedis Epiſcopus, de quo Hieron. Rub. hiſt. Rauen. lib. 1.

[h] Euaſij Epiſcopi.] Vet. Martyrol. Roman. & manuſcript. Galeſ. de eodem hac die ex monimentis (vt ait) Caſalenſis, Vercellenſis, & Bergomatis eccleſiarum, quæ non vidimus.

[i] Caſtritiani Epiſcopi.] Tabulæ eccleſ. Mediolan. & Galeſin. hac die, qui ſe eius vitã contexuiſſe, & Ambroſiano Breuiario adſcripſiſſe teſtatur.

[k] Vrſicini Epiſcopi.] Tabulæ Eccleſ. Brixienſis, item Galeſin. qui de eodem agit hac die; ſed in tabulis Rempetti, quas citat Vrſicinus, deſideratur, ſicut & alij plerique, qui poſt illos eidem præfuerunt eccleſiæ.

[l] Eligij Epiſcopi.] De eodem Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores. Scripſit eius vitæ Acta ſanctus Audoënus Epiſcopus Rothomagenſis. recitat Sur. tomo 6. Vinc. in Spec. lib. 23. cap. 86. & ſequent. Antonin. part 2. tit. 13. cap. 6. §. 15. & ſeq. Petrus in catalog. lib. 1. cap. 17. Pluribus etiam Molan. in Indic. Sanct. Belg. Interfuiſſe reperitur Conc. Cabilonenſi, cui & ſubſcripſit, vt eius Acta ſignificant. Extant eiuſdem ſancti viri aliqua ſcriptorum monumenta. Migraſſe ex hac vita anno Domini 665. auctor eſt Sigebertus in chron.

[m] Agerici Epiſcopi.] Ado de eodem hac die: pluribus Greg. Turon hiſt. Franc. lib. 7. c. 44. li. 9. cap. 8. 10. 12. [illegible] 3. Extant de eodem duo epigrammata Venantij Fortunati lib. 3. quibus eius laudes celebrat. Meminit eiuſdem Sigebertus in chron. anno Domini 549.

[n] Nataliæ.] Vſuardus de eadem hac die. Res ab ea præclarè geſtæ intextæ ſunt in Actis S. Hadriani mart. de quo ſuprà quarto Nonas Martij, & ſexto Idus Septembris. Petrus de eadem in catal. lib. 1. cap. 18.

## xix. G Quarto Nonas Decemb. Luna. 2

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | | | |

ROMÆ paſſio ſanctæ Bibianæ[a] virginis, quæ ſub Iuliano Imperatore ſacrilego ob Chriſtum tamdiu plumbatis cæſa eſt, donec redderet ſpiritum. Ibidem ſanctorum martyrum Euſebij[b] presbyteri, Marcelli diaconi, Hippolyti, Maximi, Adriæ, Paulinæ, Neonis, Mariæ, Martanę, & Aurelię, qui in perſecutione Valeriani ſub Secundiano Iudice martyrium compleuerunt. Item Romę ſancti Pontiani[c] martyris, cum aliis quatuor. In Africa natalis ſanctorum martyrum Seueri[d], Securi, Ianuarij, & Victorini, qui ibidem martyrio coronati ſunt. Aquileię ſancti Chromatij[e] Epiſcopi & confeſſoris. Apud Forum Cornelij ſancti Petri[f] Epiſcopi Rauennatis, cognomento Chryſologi, doctrina & ſanctitate celebris. Veronæ ſancti Lupi[g] Epiſcopi & confeſſoris. Edeſſæ ſancti Nonni[h] Epiſcopi, cuius precibus Pelagia pœnitens ad Chriſtum conuerſa eſt. Troade in Phrygia ſancti Siluani[i] Epiſcopi, miraculis clari. Brixiæ ſancti Euaſij[k] Epiſcopi.

BIBIANÆ [a].] De eadem Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Apud Bedam, & aliqua manuſcripta, Viuiana, pro Bibiana, ſicut ſæpè Sauinus, pro Sabino, idque orthographiæ vitio, vt notat Caſſiod. lib. 1. diuinarũ Inſtit. cùm ait: B, pro V. V, pro B. O, pro M. V, pro N. contra orthographiæ præcepta vitiosè poſitas ne relinquas. Et infrà: Orthographos antiquos legant Velium Longum, Curtium, Valerianum, Papirianum, Adamatum, Martyrium de V. & B. &c. Fortaſſe & hęc tertia lectio verior erit, vt legendum ſit, Vibiana, Romanum nomen à Vibio. Habemus Bibianæ Acta manuſcripta: ſed in principio aliqua habent quæ corrigantur, veluti ea quæ ſunt ſuperaddita de Pigmenio & Iuliano Apoſtata. De eadem Petr. in catalog. lib. 1. cap. 19. Eſt vetus & nobilis memoria Romæ iuxta Palatium Licinianum S. Bibianæ, vbi eius venerandum corpus requieſcit; quam S. Simplicius Papa erexit, vt conſtat ex libro de Roman. Pont. in Simplicio.

[b] Euſebij & ſoc.] Reſtituti ſunt ex antiquis manuſcriptis. Horum autem Acta extant in vet. codice ſanctæ Marię ad Martyres Romę, eademque legitima; habent enim diem & Conſules. eſt enim illorum exordium: Valeriano & Lucillo Coſſ. aliàs, & rectiùs, Valerio & Acilio Coſſ. &c. eſt is annus Domini 259. tertius Stephani Papæ & martyris. Prædicti autem martyres licet diuerſis diebus paſſi reperiantur, tamen vnà ſimul de omnibus eadem hac die agitur. Porrò ſacra pignora Hippolyti, Adriæ, Mariæ, Neonis, & Paulinæ, aſſeruantur Romæ in eccleſia ſanctæ Agathæ in Suburra, vt eius eccleſiæ antiqua monumenta demonſtrant.

[c] Pontiani.] De eodẽ Beda, & vet. manuſcripta, quorum nuper meminimus. Pontianum ab Euſebio curatum paralyſi, eadem Acta reſtantur.

[d] Seuerini & ſoc.] Beda, Vſuardus, Petrus in catal. lib. 2. cap. 21. vbi ex Adone refert hos paſſos in perſecutione Vuandalica.

[e] Chromatij Epiſcopi.] De eo ſæpiſſimè ſanctus Hieronymus; qui eùm ob ſpectatiſſimam vitæ ſanctitatem, tum ob eximiam eruditionem eum cõmendat. Eumdem ſanctus Ioannes Chryſoſtomus in epiſt. 155. ad ipſum ſcripta eiuſmodi elogio celebrat: Clariſſima, inquit, feruentis tuæ & ſinceræ charitatis tuba ad nos vſque ſonum ſuum diffundit, &c. Ad eum Ambr. epiſtolam ſcripſit. De eo & Ruffin. li. 1. inuect. Vixit temporibus Honorij Imperatoris. Extat lucubrationum eius nobile monumentum, duæ videlicet orationes de octo beatitudinibus. cur autem inſcribantur titulo Chromatij Romani Epiſcopi, conſule quę ſuperiùs notauimus in Nicęa Epiſcopo Aquileienſi die 22. Iunij.

[f] Petri Epiſcopi.] Tabulæ Eccleſ. Rauen. de eodem hac die. Eius Acta manuſcrip. ante ipſius ſermones appoſita habemus in noſtra bibliotheca; eſt eorum exordium: Petrus Archiepiſcopus viceſimusprimus, &c. Alia deſcripſit Sur. ex hiſt. Rauen. Hier. Rub. Aliqua monumenta eius vitæ ex eiuſdem ſermonibus colligi poſſunt, vt de educatione ſub Cornelio Epiſcopo Forocornelienſi ſerm. 165. & alia. Quantum inſuper laboris inſumpſerit pro fide Catholica, eius epiſtola ad Eutychen hæreſiarcham conſcripta facilè demonſtrat. Meminit eiuſdem Conſtantius in vita S. Germani Epiſcopi Antiſiodorenſis in fine, Petrus Dam. in ſerm. de S. Barbatiano, Petr. in catal. lib. 2. cap. 20. & alij.

[g] Lupi Epiſcopi.] De eodem tabulæ eccleſiæ Veron. & Aug. Valerius Epiſc. Veron. Card. in antiq. monum. Epiſc. Veron. pag. 9. & 40.

[h] Nonni Epiſcopi.] De eo Græci, Niceph. hiſt. lib. 14. c. 30. & plura in Actis ſanctæ Pelagiæ pœnitentis. Vide ſuperiùs notata de eodem in Pelagia ad octauum Idus Octobr. Fuit & alter Nonnus Panopolita Ægyptius eloquentiſſimus, qui ſanctum Ioannem Euangeliſtam verſibus heroicis interpretatus eſt. Hæc Suidas. Sed extant eius Paraphraſes in Euangelium Ioannis, & Διονυσιακὰ, dithyrambico ſtylo & Græcis perdifficili ob compoſitorum frequentiam. Edidit Plantinus noſter ex Ioan. Sambuci bibliotheca.

[i] Siluani Epiſcopi.] Græci etiam; eiuſque miracula edita, vitamque conſpicuam ſcribit Sozom. hiſt. lib. 7. c. 36. & Niceph. lib. 14. c. 39.

[k] Euaſij Epiſc.] Tab. eius eccleſiæ, quæ his ipſis conſentiunt.

## 3 Tertio Nonas Decemb. Luna. A xviij.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29
t u A B C D E f F G H M N P
1 2 3 4 5 6 7 8 7 8 9 10 11 12

IN Iudæa ſancti Sophoniæ [a] Prophetæ. Romæ ſanctorum martyrum Claudij [b] Tribuni, & vxoris eius Hilariæ, ac filiorum Iaſonis & Mauri cum ſeptuaginta militibus: ex quibus Claudium iuſſit Numerianus Imperator ingenti ſaxo alligatum in flumen præcipitem dari, milites verò, & filios ipſius Claudij capitali ſententia puniri. Beata autem Hilaria cùm filiorum

corpora ſepeliſſet, ad eorum ſepulchrum orans, paulò pòſt à Paganis tenta migrauit ad Dominum. Tingi in Mauritania paſſio ſancti Caſſiani [c] martyris, qui exceptoris diu gerens officium, tandem cælitus inſpiratus, execrabile duxit, Chriſtianorum neci deſeruire; vnde renuntians eidem officio, ſub Chriſtiana confeſſione triumphum meruit obtinere martyrij. Item in Africa ſanctorum martyrum Claudij [d], Criſpini, Maginæ, Ioannis, & Stephani. In Pannonia ſancti Agricolæ [e] martyris. Nicomediæ paſſio ſanctorum Ambici [f], Victoris, & Iulij. Mediolani ſancti Mirocletis [g] Epiſcopi & confeſſoris, cuius aliquando S. Ambroſius meminit. In Anglia ſancti Birini [h] primi Epiſcopi Dorceſtrienſis. Curiæ in Germania S. Lucij [i] Britannorum Regis, qui primus ex iis Regibus Chriſti fidem ſuſcepit, tempore Eleutherij Papæ. Senis in Tuſcia ſancti Galgani [k] eremitæ.

## DECEMBRIS 3.

[a] SOPHONIÆ Prophetæ.] Aguot de eodem hac item die Græci in Meoologio, Epiphan. de vit. & interit. Proph. cap. 19. Auctor de vit. & mort. ſanctorum c. 48. apud Iſidor. & Doroth. in Synopſi cap. 9.

[b] Claudij & ſoc.] Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri recentiores hac die. Eorum res geſtæ iunctæ habentur Actis ſanctorum Chryſanthi & Dariæ apud Surium tomo 5. die 25. Octobris, & Petr. io catalogo lib. 1. cap. 23.

[c] Caſſiani.] De eo item Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Prudentius io Periſtepb. hym. 4. huius meminit his verſibus:

*Ingeret Tingis ſua Caſſianum*
*Feſta, Maſſilûm monumenta Regum;*
*Qui cinis gentes domitas coegit*
*Ad iuga Chriſti.*

De eodem Petrus io catalogo lib. 1. cap. 22.

[d] Claudij & ſoc.] Beda, & alij recenoores de his agunt hac die, adſtipulanturque vetera manuſcripta.

[e] Agricolæ.] De eodem Beda, ac vetera manuſcript. & alij recentiores.

[f] Ambici & ſoc.] De his item Beda ac vetera manuſcripta, oecnon & tecentiores.

[g] Mirocletis.] Tabulæ eccleſiæ Mediolan. Claruit temporibus Cōſtaooni, & Melchiadis Papæ; interfuitque Rom. Conc. in cauſa Cæciliani Epiſcopi Carthaginenſ. vt ſcribit Optatus Mileuit. li. 1. cootra Parm. Ex quo erroris arguitur chroo. Mediolan. vbi ponitur Mirocles obiiſſe diem anno Domini 268. oam ex Optati teſtimonio reperitur ſediſſe iudex io caoſa Cæciliani, anno 313. Meminit eioſdem S. Ambroſius io Auxenoum. Hic S. Anathaloois eiuſdem ciuitatis Epiſcopi memoriam exornauit, imaginemq; eius addidit, & epigrammate laudauit. Extabant hæc aotiquitatis monumenta in eccleſia ſaocti Getuaſij. Sed de his ſuperiùs actum eſt in Aoathalone, die 25. Septembris. Ex proſapia S. Mirocletis Epiſcopi Mediol. ducere originem ſanctum Epiphanium Epiſcopum Ticioenſem, ſcribit Eonodius Ticinenſis in rebus geſtis eiuſdem Epiphanij.

[h] Birini Epiſcopi.] De eodem Beda hiſt. de geſt. Angl. lib. 3. c. 7. In catal. ſcript. Britan. legitur Guilielmus Rameſ. ord. S. Benedicti ſcripſiſſe eius vitam; putamus eam quæ extat apud Sur. tom. 6. iocerto auctore. De eodem Trithemius de viris illuſtr. ord. Bened. lib. 3. c. 140. eumque claruiſſe ait anno Domini ſexceoteſimo quadrageſimo.

[i] Lucij Britan. Regis.] De quo liber de Roman. Pootific. in Eleutherio, Beda de geſt. Angl. lib. 1. c. 4. & de ſex ætat. in Marco Aurelio & Lucio Vero, Ado Vieo. Marian. Scot. io chron. Petr. in catal. lib. 1. c. 24. & alij. Coofule quæ ſuperiùs notata ſuot io Eleutherio Papa, die 26. Maij. Non prætereundum illud, Lucium hunc martyrem ſcribi in Actis eius, eumdem io Germaoiam fidei cauſa profectum, Cotiæ Epiſcopum factum, & à Paganis eſſe lapidatum & occiſum.

[k] Galgani.] Eius res geſtas ſcriptis mandauit Gregorius ordinis Prædicat. Migraoit (vt ille ait) ex hac vita anoo Domini milleſimo centeſimo octogeſimoprimo; adſcriptuſque eſt numero Sanctorum ab Alexaodro Tertio Papa, vt idem auctor teſtatur. Verùm cùm reperiatur Alexander Papa deceſſiſſe ex hac vita ante S. Galganum, oimirum eodem anno Domini milleſimo centeſimo octogeſimoprimo, ſexto Kal. Septembris, & ille tertio Nonas Decembris; fatendum videtur, vel ante id tempus Galganum diem obiiſſe, vel ab alio Romano Pontifice inter Sanctos relatum eſſe.

## Pridie Nonas Decemb. Luna. B xvij.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ

14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 1

t u A B C D E f F G H M N P

2 3 4 5 6 7 8 9 8 9 10 11 12 13

NICOMEDIÆ paſſio ſanctæ Barbaræ [a] virginis & martyris, quæ in perſecutione Maximini, poſt diram carceris macerationem, lampadarum aduſtionem, mamillarum præciſionem, atque alia tormenta, gladio martyrium conſummauit. Conſtantinopoli ſanctorum Theophanis [b], & ſociorum. In Ponto beati Meletij [c] Epiſcopi & confeſſoris, qui cùm eſſet eruditionis prærogatiua præcipuus, virtus tamen animi & vitæ ſinceritas in eo longè magnificentior extitit. Bononiæ ſancti Felicis [d] Epiſcopi, qui antea Mediolanenſis eccleſiæ ſub ſancto Ambroſio diaconus fuerat. In Anglia ſancti Oſmundi [e] Epiſcopi & confeſſoris. Coloniæ ſancti Annonis [f] Epiſcopi. In Meſopotamia ſancti Maruthæ [g] Epiſcopi, qui collapſas in Perſia Dei eccleſias ob perſecutionem Iſdegerdis Regis reparauit, multiſque miraculis clarus, apud hoſtes etiam meruit honorari. Parmæ S. Bernardi [h] Cardinalis, & eiuſdem ciuitatis Epiſcopi.

## DECEMBRIS 4.

BARBARÆ [a].] De eadem Vſuardus & Ado, qui eam in Tuſcia ponunt: ſed antiqua manuſcripta habent Nicomediæ. Agunt de eadem hac die Græci in Menologio, feſtumque diem celebrant: de quo eſt conſtitutio Emmanuelis Imp. quam recitat Theodor. in Nomoc. Photij tit. 7. c. 1. appellantque præclaram martyrem Barbaram. Extant eius Acta, quæ feruntur nomine Ioannis Damaſceni, & Arſenij; alia à Metaphraſte edita: quæ omnia Sur. retulit in tom. 6. Alia rurſus manuſcripta in nonnullis antiquis codicibus, eademque inter ſe varia habentur: in quibus omnibus non tantùm de loco ea eſt diſcrepantia, dum alij in Tuſcia, alij Nicomediæ ferunt paſſam; ſed plerique ponunt Heliopoli, vt ex Græcis Metaphraſtes, & ex Latinis Mombritius tom. 1. vit. Sanct. Verùm quæ fideliora videntur eius Acta, vt quæ feruntur nomine Ioannis Damaſceni, & alia quæ extant in cod. manuſcripto S. Mariæ ad Martyres, aliiſque perantiquis manuſcript. Nicomediæ martyrio coronatam tradunt. Rurſus etiam, quod ad tempus ſpectat, deprauati videntur nonnulli codices, qui eam referunt ad tempora Maximiani. ſed ea Acta quidem nobis fideliora probantur, quæ & habemus in noſtra bibliotheca, quorum eſt exordium: Poſt Imperatorem Alexandrum Maximinus, &c. quæ eam ſub Maximino Imperatore, qui ſucceſſit Alexandro, paſſam teſtantur; feruntque eam ab Origene litteris ſacris imbutam. Sanè quidem quamplures mulieres ab eo fidem Chriſtianã edoctas, ſcribit Euſeb. hiſt. li. 6. cap. 4. & 7. Si Acta S. Barbaræ Græcè ſcripta cupis, oſtendam vnde haurias: in bibliothecæ Sfortianæ cod. manuſcript. num. 81. & alio num. 93. ea deſcripta, ſed ſine auctore, inuenimus. Extant in Breuiario Toletano hymni duo, quibus eiuſdem martyrij trophæa canuntur, recens item epigramma Bonad. lib. 3. monod. 32.

[b] Theophanis & ſoc.] Horum nomina hæc ſunt: Papias, Strategius cubicularius, & Iacobus protoſpatharius, omneſque aulici Leonis Armeni Imperatoris hæretici Iconoclaſtæ. De his agitur in hiſt. Miſcel. anno quinto eiuſdem Leonis. Alius tamen eſt Theophanes, qui hiſtoriam texuit à temporibus Maximiani vſque ad Niceph. Imp. vt tradit Cedren. in principio ſuæ hiſtoriæ, qui & præfectus fuit monaſterio Agri, de quo & præfatio Anaſtaſij in eamdem hiſtoriam Miſcellam: fuit & ipſe confeſſor illuſtris, & doctrina clarus. Rurſus autem prẹter hos & alius eſt Theopbanes, qui vnà cum Theodoto fratre ob Cbriſli fidem gratia paſſus eſt à Theophilo Imperatore: de quibus ſingulis diuerſis diebus agitur ſuprà.

[c] Meletij Epiſcopi.] De eo Vſuardus, & alij recentiores. Scribit de eo Euſeb. hiſt. lib. 7. cap. 9. Citat eum S. Baſilius libro de Spiritu ſancto ad Amphilochium cap. 29. Claruit temporibus Diocletiani Imperatoris. Alius rurſus eſt Meletius Epiſcopus Antiochenus, qui vixit tẽporibus Valentis Imp. & obiit Theodoſio imperante. Huius, ni fallor, eſt epiſtola apud Baſilium 69. ad Italos

& Gallos, item Baſilij ad illum 56. 57. 58. 59. Alius rurſus ab his longè diuerſus Meletius Ægyptius, ſchiſmatis auctor in eccleſia Alexandrina, temporibus Diocletiani, de quo ſæpè Athanaſius & Epiphanius meminerunt.

[d] Felicis Epiſcopi.] De eodem tab. Eccleſ. Bonon. Scribit de ipſo Paulinus in vita ſancti Ambroſij. Succeſſit S. Euſebio; recenſeturque quintus eius ſedis Epiſcopus. habuit ſucceſſorem ſanctum Petronium.

[e] Oſmundi Epiſcopi.] Fuit hic Epiſcopus Sariſberienſis, ſanctitate & eruditione clarus, ſcripſitq; inter alia vitam S. Anſelmi. De eo Ranulph. lib. 7. cap. 3. & Molan. in addit. ad Vſuard. Claruit circa annum Domini 1050.

[f] Annonis Epiſc.] Eius Acta ſinceriſſimè tribus libris conſcripta recitat Sur. tom. 6. Migrauit ex hac vita anno Domini 1075. ſedis ſuæ anno xxj. Marian. Scot. in chron. refert ad annũ Domini 1077. vbi plura de eodem ſcribit, necnon Hermannus Contractus, & Lambertus in chronicis, alijque complures. In ſanctiſſimum virum Eccleſiaſticę libertatis vindicem & propugnatorẽ declamarunt olim ſchiſmatici, obſtrepuntq; nunc hęretici Magdeburgenſes mendaciorum textores, dicti Cẽturiatores. Tu autem, Lector ſtudioſe veritatis, conſule auctores Catholicos, qui eiuſdem temporibus vixere, quos diximus, Marianum Scotum, & Lambertum, Actaque eius fideliſſimè ſcripta. Intereà accipe de eodem eiuſmodi Mariani Scoti elogium, quo ait, Catholicis Domno Apoſtolico ſtudiosè fauentibus, inter quos erat princeps & ſignifer iuſtitiæ dilectus Deo & hominibus Anno Colonienſis Epiſcopus, cuius memoria in benedictione eſt, &c. Extat Gregorij Septimi Romani Pontif. epiſtola ad eumdem Annonem, qua præcipuè monet, vt ſibi ſubditis populis caſtitatem ſeruandam inculcet. dat. anno 2. Pontif. 4. Kal. Decemb. quod ipſum Annonem grauiter impleſſe conſtat. De eodem hac die Molan. in addit. ad Vſuardum.

[g] Maruthę Epiſcopi.] Gręci de eodem, Socrat. hiſt. lib. 6. c. 14. & lib. 7. c. 8. Sozom. lib. 8. c. 16. & Niceph. lib. 14. c. 18. Plurimi eum feciſſe videtur S. Ioan. Chryſoſt. cùm eius meminit in epiſt. 14.

[h] Bernardi Epiſc.] Tabulæ Eccleſiæ Parmen. Molanus & alij de eodem hac die. Hic Florentiâ oriundus, alumnus monaſterij S. Saluij Valliſumbroſæ, ab Vrbano Papa Secundo factus eſt preſbyter Cardinalis Tit. S. Chryſogoni, fungenſque legatione Apoſtolica, Parmam veniens, cùm ſedes illa vacaret, poſtulatus eſt eius eccleſiæ Epiſcopus. Migrauit ex hac vita anno Domini 1133. Hęc ex Breuiario monach. Valliſumbroſę.

xvj. C Nonis Decemb. Luna. 5

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | | | |

MVTALÆ in Cappadocia ſancti Sabæ[a] abbatis, qui in Palæſtina miro ſanctitatis exemplo refulſit, & pro fide Catholica aduerſus impugnantes ſanctam Synodum Chalcedonenſem ſtrenuè laborauit. Thebeſte in Africa ſanctæ Criſpinę[b] nobiliſſimæ feminę, quæ temporibus Diocletiani & Maximiani, cùm ſacrificare nollet, iuſſu Anolini Proconſulis decollata eſt: quã ſanctus Auguſtinus ſæpè laudibus celebrat. Thaguræ in Africa ſanctorum martyrum Iulij[c], Potamiæ, Criſpini, Felicis, Grati, & aliorum ſeptem. Nicææ apud Varum fluuium ſancti Baſſi[d] Epiſcopi, qui in perſecutione Decij & Valeriani à Perennio Præſide ob Chriſti fidem equuleo tortus, laminis candentibus vſtus, fuſtibus & ſcorpionibus cæſus, in ignem iniectus, cùm euaſiſſet illæſus, duobus clauis confixus illuſtre martyrium conſummauit. Papiæ ſancti Dalmatij[e] Epiſcopi & martyris, qui in perſecutione Maximiani paſſus eſt. Corfinij in Pelignis ſancti Pelini[f] Epiſcopi Brunduſini, qui ſub Iuliano Apoſtata, cùm eius oratione Martis templum corruiſſet, à templorum pontificibus diriſſimè cæſus, atque octoginta & quinque vulneribus confoſſus, martyrij coronam promeruit. Item ſancti Anaſtaſij[g] martyris, qui ardore martyrij ſponte ſe perſecutoribus obtulit. Treuiris ſancti

ſancti Nicetij [h] Epiſcopi, miræ ſanctitatis viri. Polyboti in Aſia ſancti Ioannis [i] Epiſcopi, cognomento Thaumaturgi.

## DECEMBRIS 5.

SABÆ [a].] De eodem hac die Græci in Menologio, conſentiuntq́; Latinorum antiqua manuſcripta. Scripſit eius vitam Cyrillus monachus. qui eodem ſæculo vixit ſanctitate clarus. teſtatur id auctor in in Actis S. Enthymij, quæ ſcripſit; vbi in fine ait, ſe duobus annis cùm in Laura quieſceret, vitam prædictorum Sabæ & Euthymij ſcriptis mandaſſe. deſcripſit eamdem Metaphraſtes, aliqua ſuperaddens; extat apud Lipom. to. 5. & Sur. to. 6. Plura idem auctor de Saba in vita Euthymij, & Ioannis Silentiarij. Legimus alia manuſcript. in antiquo codice ſanctæ Mariæ ad Martyres Romę, vbi hęc in fine: Tradidit animam quinta Decembris, Indict. 10. ab initio mundi ſeno millenatio atque triceſimoſecundo, ab incarnatione Chriſti quingenteſimo trigeſimotertio, anno ſexto Iuſtiniani, videlicet Conſulatu Lampadij & Oreſtis: defunctus eſt nonageſimoquarto ſuæ ætatis anno. Hæc ibi. Verùm Conſulatus Lampadij & Oreſtis nõ incidit in aonum Domini 533. ſed in 531. quo quidem anno S. Sabam ex hac vita migraſſe oſtendimus tom. 7. Annal. ſicq́ue corrigendum etiam quod in eodem codice legitur, ipſum perueniſſe ad annum ætatis nonageſimumquartum: nam nonniſi annos nonagintaduos vixiſſe probatur, quem Cyrillus natum dicit Coſſ. Theodoſio Iuniori decimumſeptimùm, & Feſto: eſt is annus à Chriſto 439. Habemus in antiquis manuſcript. cod. eius Acta, adſcriptumq́ue libellum miraculorum eius poſt obitum editorum, qui ſic incipit: Tranſacta decima Indictione, &c. Citantur Acta Sabæ in Nicæno Concil. ſecundo, Act. 1. & 4. Vetus eſt Romæ Memoria S. Sabæ, eiuſdemq́ue nomine monaſterium, cuius meminit Ioan. diacon. in vita S. Gregor. lib. 1. cap. 9. recenſeturq́ue in lib. Cenſuum, cod. Vaticano, vnum ex vigintiduobus monaſteriis, quæ Romæ erant inſignia. Porrò venerandum ipſius corpus Venetias tranſlatum accepimus.

[b] Criſpinæ.] Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores de eadem hac die. Meminit eiuſdem frequenter S. Auguſtinus, vt illuſtriſſimæ martyris, nimirum in Pſal. 120. in fine, & in Pſalm. 137. in ſer. 53. de verbis Domini, in lib. de virginit. c. 44. in fine, & ſer. 39. de diuerſ. c. 2. in fin. De Thebeſte, vbi hæc paſſa eſt, fit mẽtio in Concil. Carthag. ſub Cypriano, cui interfuit Lucius à Thebeſte. Erat Colonia Thebeſte in Numidia. Anton. Itiner.

[c] Iulij & ſoc.] De his item Beda, Vſuardus, & alij recentiores, quibus adſtipulantur vet. manuſcript. de Thaguta, vbi paſſi dicuntur, meminit Anton. Itiner. & alij, poniturq́ue in Numidia.

[d] Baſſi Epiſcopi.] De quo tabulæ eius eccleſiæ, vnde & Acta eius manuſcripta accepimus: quæ paucis reſtricta recenſet Petrus in catal. lib. 1. c. 30. De Nicenſi eccleſia meminit Hilarus Papa in epiſt. ad Veranum.

[e] Dalmatij Epiſcopi.] Beda, Vſuardus, Ado, & alij hac die. Eius res geſtas heroico carmine ſcriptas à Hieron. Vida Albæ Epiſc. recitat Sur. tomo 6. & 7. Agit de eodem Petr. in catal. lib. 1. cap. 32. Fuit eiuſdem nominis & fidei Catholicæ defenſione celebris Dalmatius Archimandrita Conſtantinopoli tempore Concilij Epheſini; de quo Cyrillus ad Potamium, & Acta Epheſina ſæpè.

[f] Pelini Epiſcopi.] Tabulæ eius eccleſiæ, à qua etiam eius vitam manuſcriptam accepimus, ſed admodum deprauatam, atque emendatione dignam. Paſſi habentur hac item die Sebaſtius, & Gregorius, ſiue Gorgonius, vt ea iiſdem Actis apparet.

[g] Anaſtaſij.] Agunt de eodem Græci in Menologio hac die, eiuſque certamen referunt.

[h] Nicetij Epiſcopi.] De quo Ado eiuſdem ſedis Epiſcopus agit hac die, nonnulli verò Kalendis Octobris. Scripſit eius res geſtas Gregor. Turon. in Vit. ſanct. Patrum cap. 17. ex quibus tempora, quibus vixit, ſatis perſpecta habentur. de eodem idem etiam de glor. confeſſ. c. 94. Numeratur hic triceſimus primus eius ſedis Epiſcopus, ſubſcriptuſque habetur Concilio Aruernenſi poſt Conſulatum Paulini celebrato, Theodoberto Rege Francorum, anno Domini 541. Scripſit eius epitaphium Venantius Fortunatus, cuius initium eſt:

*Splendor apex fidei veneranda mente Niceti,*
*Totius Orbis amor, Pontificumq́; caput, &c.*

Hæc quidem non poteſtatis, ſed egregiæ ſanctitatis cauſa auctorem dixiſſe, intelligendum eſt; quemadmodum & cùm eum fidei apicem appellat. Pluribus agit de eodem Sigebert. in chron. anno Domini 528.

[i] Ioannis Epiſc.] De eodem hac die Græci in Menologio, eiuſque res geſtas breui compendio referunt. Claruit temporibus Leonis Iſaurici Imp. aduerſus quem pro venerando cultu ſanctarum imaginum ſtrenuè pugnauit.

xv. D Octauo Idus Decemb. Luna. 6

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 1 2 3
t u A B C D E f F G H M N P
4 5 6 7 8 9 10 11 10 11 12 13 14 15

MYRÆ, quæ eſt metropolis Lyciæ, natalis S. Nicolai[a] Epiſcopi & confeſſoris, de quo inter plura miraculorum inſignia illud memorabile fertur, quòd Imperatorem Conſtantinum ab interitu quorumdam ſe inuocantium, longè conſtitutus, ad miſericordiam per viſum monitis deflexit & minis. In Africa ſanctarum mulierum Dionyſiæ[b], Datiuæ, Leontiæ, & religioſi viri nomine Tertij, Æmiliani medici, & Bonifacij, cum aliis tribus, qui omnes in perſecutione Vuandalica ſub Hunnerico Rege Ariano pro defenſione Catholicę fidei grauiſſimis & innumeris ſuppliciis cruciati, confeſſorum Chriſti numero ſociari meruerunt. Ibidem S. Maiorici[c] filij ſanctæ Dionyſiæ, qui cùm eſſet adoleſcentulus, ac tormenta paueſceret, matris obtutibus verbiſque corroboratus, ceteris fortior factus in tormentis reddidit ſpiritum: quem amplexata mater domi ſepeliuit, & ad eius ſepulchrum aſſiduè orare conſueuit. Eodem die ſancti Polychronij[d] preſbyteri, qui tempore Conſtantij Imperatoris, cùm ad altare Miſſas ageret, inuaſus eſt ab Arianis, & iugulatus. Romæ ſanctæ Aſellæ[e] virginis, quæ (vt beatus Hieronymus ſcribit) ab vtero matris benedicta, vitam in ieiuniis & orationibus vſque ad ſenectam produxit.

## DECEMBRIS 6.

NICOLAI Epiſcopi[a].] Beda, ac ceteri Latioorum, Gręci etiam in Menologio hac die. In conſtitutione Emmanuelis Imp. apud Theodor. in Nom. Phot. tit. 7. cap. 1. hæc verba ſcripta ſunt; Sexta dies Decembris feſtiua eſt propter miraculis inſignem & vnguentorum fragrantia ſcatentem Nicolaum. Eius res nobiliter geſtas, ex vetuſtioribus monumentis erutas, Metaphraſtes, & doctiſſimus vir Leonardus Iuſtinianus Venetus beati Laurētij Patriarchæ germanus ediderunt: quas referunt Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 6. Habemus in noſtra bibliotheca alia eiuſdem Nicolai Acta à Ioanne diacono conſcripta, quem putamus eumdem cum eo qui etiam S. Gregorij Papæ vitam ſcriptis mandauit: in his enim copioſus fuit. eſt eius præfationis exordium: Sicut omnis maceries ſi ab imperfecto artifice, &c. Teſtatur auctor eadem Acta fuiſſe conſcripta à ſancto Methodio Epiſcopo Conſtantinopolitano: edidit ea Mombrit. tom. 2. vit. ſanct. De eodem præterea digna laus in liturgia S. Ioannis Chryſoſtomi, Niceph. Calliſt. hiſt. lib. 8. c. 14. & 42. necnon Suidas. De eodem extat ſermo Leonis Imp. Græcè ſcriptus in biblioth. Sfortiana. cod. manuſcript. num. 65. Alius adhuc eſt de eo ſermo Petri Damiani. De vnguento ex eius ſepulchro manare ſolito, in ſacro hymno quem legimus in Breuiario Toletano, hi verſus deſcribuntur:

*Cuius tumba fert oleum,*
*Matres oliua neſciunt;*
*Quod natura non protulit,*
*Marmor ſudando parturit.*

Quod miraculum hactenus vigere dicitur. Mirificum templum Iuſtinianus Imperator eidem Nicolao erexit, vt ſcribit Procop. lib. 1. de ædific. Iuſtiniani Imp. reſtituitque Baſilius Aug. vt Cedren. teſtatur in compend. hiſtor. in Baſilio. De corporis eius tranſlatione ſuo loco ſuperiùs actum eſt die 9. Maij.

[b] Dionyſij & ſoc.] Agunt de iiſdem Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores: harum certamina egregiè deſcribit Victor lib. 3. de perſecut. Vuandalica, ex quo ceteri. Græci autem de iiſdem annuam commemorationem celebrant poſtridie

[c] Maiorici.] De eodem iidem qui ſuprà, & Victor eodem lib. 3. de perſecut. Vuandalica.

[d] Polychronij.] Græci in Menologio de eodem hac item die agunt his verbis: Commemoratio ſancti martyris Polychronij, viri ſanctitate & miraculorum operatione inſignis. Hic in Synodo

Nicææ

Nicææ celebrata ex lectore diaconus, & deinde preſbyter eſt ordinatus: poſtquam verò Magnus Conſtantinus exceſſit, ſtatim hæreſis Atiana multos perturbare cœpit: itaque peruerſæ opinionis homines cùm inueniſſent S. Polychronium altati aſſiſtentem, repentè in eum inſilientes, gladiis iugularunt, & myſtico ac diuino ſanguini ſanguinem martyris addiderunt. Hæc ibi.

e Aſellæ.] Eius vitam admirabilem S. Hieronymus ad Marcellam texexit epiſt. 15. rurſus de eiuſdem eruditione & ſanctitate epiſtol. 140. ad Principiam. Extat ad eamdem eiuſdem epiſt. 99. cùm iam egreſſus eſſet ab Vrbe. De eadem hæc Palladius cap. 29. Romæ etiam Aſellam nomine, bonam valdè Chriſti virginem noui in monaſterio ſeouiſſe, feminam mitem atque manſuetam, multarumque illic curam gerentem. Hæc Palladius. Quod ad nomen ſpectat, erat id cognomen nobili Romanæ familiæ. Meminit Cicero orat. 6. in Verrem P. Annij Aſelli: legitur etiã apud Gell. lib. 3. cap. 4. Aſellius Tribunus pleb. tempore P. Scipionis. Rurſus etiam familiæ Corneliorum additum eſſe cognomentum Aſina, auctor eſt Macrobius Saturnal. libro primo cap. 6.

7 Septimo Idus Decemb. Luna. E xiiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | | | |

MEDIOLANI ordinatio [a] S. Ambroſij Epiſcopi, & Eccleſiæ doctoris, cuius ſanctitate & doctrina vniuerſalis Eccleſia decoratur. Alexandriæ natalis beati Agathonis [b] militaris, qui in perſecutione Decij cùm prohiberet quoſdam volentes illudere cadaueribus martyrum, clamor repentè totius vulgi aduerſus eum extollitur: oblatus autem Iudici, cùm in confeſſione Chriſti perſiſteret, capite pro pietate damnatus eſt. Antiochiæ ſanctorũ martyrum Polycarpi [c] & Theodori. Tuburbi in Africa ſancti Serui [d] martyris, qui in perſecutione Vuandalica ſub Hunnerico Rege Ariano fuſtibus diutiſſimè cęſus, trochleis [e] frequenter in ſublime eleuatus, atq; ictu celeri ſuper ſilices pondere corporis dimiſſus, & lapidibus acutiſſimis perfricatus, martyrij palmam adeptus eſt. Theani in Campania ſancti Vrbani [f] Epiſcopi & confeſſoris. Apud Santonas in Gallia ſancti Martini [g] abbatis, ad cuius tumulum creberrima diuinitus fiunt miracula. In pago Meldenſi ſanctæ Pharæ [h] virginis.

## DECEMBRIS 7.

ORDINATIO S. Ambroſij [a].] Non tantùm Latini, ſed & Græci eamdem celebrant ſolemnitatem, Natalemque dicunt, vt conſtat ex eorum Menologio hac die. Paulinus (quis ille fuerit, alibi pluribus diſſeruimus) ſanctiſſimi viri res pręclariſſimè geſtas conſcripſit, rurſus autem ex recentioribus Coſterius. Legi in bibliotheca Sfortiana cod. manuſcript. vitam S. Ambroſij Græcè ſcriptam ſine auctore: quibus omnibus cùm nonnulla adhoc deeſſe conſpicerem, eademq; non parui momenti & auctoritatis; ſingula in vnum collegi, atque ordine temporum diſpoſui. habes eam editam, ac tomo quinto operum ſancti Ambroſij Rom. edit. præfixam, quæ quidem ad ſcripta de eo in noſtris Annalibus conformanda erit. Quod autem ſpectat ad tempus ordinationis eius, Hieronymum ſequor; qui in chronico, quo res geſtas illorum temporum per ſingulos annos digeſſit, anno vndecimo Valentiniani Imper. Auxentij ſenioris obitum, Ambroſij creationem, & quæ inde vtilitas prouenit, ſcribit in hunc modum: Poſt Auxentij ſeram mortem, Mediolani Ambroſio conſtituto, omnis ad rectam fidem Italia conuertitur. Hæc ipſe. Quæ verba miratus ſum à quibuſdam, qui de vnico Auxentio ſunt conati firmare ſententiam, in alium ſenſum diſtorqueri; ac ſi Hieronymus velit dicere, non priùs omnem Italiam ad rectam fidem potuiſſe conuerti, etiam Ambroſio conſtituto Epiſcopo, quàm poſt ſeram mortem Auxentij. Hæc cùm dicant, rogo illos, quonam tempore hæc facta ſunt? certè nonniſi eo anno quo recenſentur, fateantur oportet: aliter neceſſe eſt dicant Hieronymum hallucinatum eſſe, & oſcitantia quadam res ſuorum temporum ex inſtituto per annos ſingulos diſponendas,

longè diuerſo tempore poſuiſſe. Si ergo eo anno vndecimo Valentiniani, Auxentio mortuo, & Ambroſio Epiſcopo conſtiruto, tam ingens factà eſt acceſſio Catholicę fidei: quiſnam, quæſo, Auxentius ille eſt, qui temporibus Valériniani iunioris, & Iuſtinæ Auguſtæ, poſt tot annos tam ingentes ſeditiones aduerſus Ambroſium concitauit? Sed de certa morte Auxentij ſenioris ante electionem Ambroſij ſunt fideliſſimi teſtes, qui hæc viderunt, atque (vt ita dicam) manibus contrectarunt, ac in primis Paulinus, qui Ambroſij ſcripſit vitam, & illi erat à manu; item Ruffinus, qui eodem vixit tempore, agitq; de his lib. 2. c. 11. hos ſecuti ſunt ceteri Latinorum, ex Græcis Socrates lib. 4. cap. 15. Sozom. lib. 6. cap. 4. Theodoretus lib 4. cap. 5. & in Decret. diſtinct. 63. cap. 3. ac denique reliqui omnes. Sed iam audiamus Ambroſium ipſum ſæpiùs profitentem. In epiſtola quam ſcripſit ad Valentinianum Auguſt. (eſt 13. lib. 2. edit. Rom.) hæc de Auxentio: Quòd ſi aliquorum peregrinorum aſſentatione ſe iactat, ibi ſit Epiſcopus, vnde ſunt ij qui eum Epiſcopatus putant nomine eſſe donandum: nam ego nec Epiſcopum noui, nec, vnde ſit, ſcio. Hæc Ambroſ. de iuniori Auxentio, vt de homine nouo; quæ ſeniori Auxentio nulla ex parte aptari poſſunt: nam illum probè nouerat Mediolani, cùm fungeretur munere præfecturæ. Sed leuiora ſunt hæc, ſi conferantur cum his, quę idem Ambroſius in concione prima de baſilicis non tradendis habita, in eamdem ſententiam firmiùs aſſeuerat, dum ait: Ergo Auxentius eiicitur, Mercurinus excluditur. Vnū portentum, duo nomina. etenim ne cognoſceretur quis eſſet, mutauit ſibi vocabulum; vt quia hic fuerat Auxentius Epiſcopus Arianus, ad decipiendam plebem, quam ille tenuerat, ſe vocaret Mercurinum. Mutauit ergo vocabulum, ſed perfidiam non mutauit; exuit lupum, & induit lupum, &c. Habes ex his in Auxentio iuniore mutandi nominis cauſam: nimirum quia Auxentij nomen Mediolani erat odioſum ob ſeniorem Auxentium, qui illic fuerat Epiſcopus. Certè de duobus illic agi Auxentiis, pronomen, ille neceſſariò fateri cogit: nam quid, quæſo, ille, niſi alium ab iſto de quo agitur, Auxentium monſtrat? ſic enim iſte dicitur mutaſſe nomen, vt deciperet plebem, quam ille tenuerat, Catholicis omnibus infenſiſſimus. Quis ſibi perſuadeat Auxentium ſeniorem, qui à temporibus Dionyſij in exilium pulſi vſque ad electionem Ambroſij annis decem & nouem eam ſedem occupauerat, & ob impietatem, quam egregiè propugnauerat, non illi tantùm vrbi, ſed Orbi planè innotuerat, rurſus (vt volunt) Mediolanum tempore Ambroſij redeuntem, ſub puerili larua, mutatione nominis, ne agnoſceretur, deliteſcere, aliquo modo exiſtimate potuiſſe: quem certè nec (quæ ſunt in fabulis) Orci galea, nec annulus Gygis occultare valuiſſent? Rurſus verò poſt prædicta verba Ambroſij recitata, alia ſequuntur, quæ de duobus Auxentiis certiorem fidem faciunt. reddemus ea ſingula, ne decurtaſſe ſentẽtias temerè arguamur: Alius, inquit, in Scythiæ partibus dicebatur, alius hìc vocatur: nomina pro regionibus habet. Habet ergo iam duo nomina: & ſi hinc aliò perrexerit, habebit & tertium. Quonam modo patietur, vt maneat ei vocabulum ad tanti ſceleris indicium? minora fecit in Scythia, & ita erubuit, vt mutaret vocabulum: ſceleratiora hîc auſus eſt; & volet, quocumque perrexerit, nomine ſuo prodi? Hæc Ambroſ. quibus ſanè conſtat, ipſum de Auxentio iuniori verba facere, cùm ea ſeniori nullatenus aptari poſſint; qui toto illo tempore decem & nouem annorum, quo occupauit ſedem Mediolanenſem, ſemper Auxentius dictus reperitur: qui ſi in Scythia exulans, itidem dictus habetur Auxentius; quomodo verum eſt, eum cum regione mutaſſe nomen? Sed ſi quis dicat, ipſum in Scythia primùm, vnde ducebat originem, dictum fuiſſe Auxentium, ac venientem Mediolanum nuncupari voluiſſe Mercurinum: hæc quidem, toto cælo, repugnant his quæ dicit Ambroſius, nimirum ea ex cauſa dici voluiſſe Mercurinum, quòd nomen Auxentij Mediolani eſſet infame. ſicque ex his luce clariùs conſtat, Ambroſium de duobus locutum Auxentiis: de ſeniori nimirum, quem non ex Scythia, ſed ex Cappadocia oriundum ſcribit S. Athanaſius in epiſt. ad ſolitar. & de iuniori, quem è Scythia idem Ambroſ. veniſſe dicit. Iam habes ex prædictis duos Auxentios, eoſdemq; Arianos Epiſcopos; quorum prior ante electionem Ambroſij defunctus eſt; poſterior autem tẽporibus Valentiniani & Iuſtinæ de vendicanda ſibi baſilica negotium fecit Ambroſio. Contingebat illis temporibus, vt vbi fauore Principum Ariani conſiſterent, ab iis baſilicam, vbi ſuos conuentus agerent, impetrarent: quod & Romę, regnantibus Regibus Arianis, factum eſſe, S. Gregorius ſæpè teſtatur lib. 3. dialog. cap. 30. & in regiſt. lib. 3. Ind. 11. cap. 19. Adhuc inſuper (ni fallor) in ſcriptis Ambroſianis & tertius reperitur Auxentius, collega impuriſſimi Iouiniani hæreſiarchæ: inter illos enim qui illi adhæſerant, non tantùm in litteris Ambroſij & collegarum Epiſcoporum lib. 1. epiſt. 7. edit. Rom. ſed & in epiſt. 6. Siricij Papæ ibid. recenſita adnumeratus reperitur: quem tamen ſi eumdem cum iuniore Auxentio Ariano eſſe quis contentioſè voluerit affirmare (quod mihi certè non probatur) neceſſe habet hæc primùm de illo fateri: nimirum recantaſſe palinodiam, ex Epiſcopo Ariano factum eſſe Catholicum, atque monachum in monaſterio S. Ambroſij aliquamdiu exercuiſſe monaſticam diſciplinam, ibique à Iouiniano in eodem monaſterio monacho eſſe ſeductum, factumq; apoſtatam & hæreticum; ſententiaque Siricij Papæ, Ambroſij, ac aliorum Epiſcoporum eſſe damnatum. Hæc quidem de illis inſinuat eiuſdem Ambroſij epiſtola ad Vercellenſes. ponitur lib. 3. epiſt. 25. in edit. Rom. Firmata iam ſententia de duobus Auxentiis Arianis Epiſcopis, eò vnde digreſſi ſumus, reuertentes, dicimus cum S. Hieronymo in chron. ipſo anno vndecimo Valentiniani ſenioris Imp. Gratiano tertiùm & Equitio Coſſ. anno Domini, trecenteſimo ſeptuageſimoquarto, hac ipſa die, S. Ambroſium eſſe ordinatum Epiſcopum. Sententiam eorum qui dixerunt ipſum creatum Epiſcopum anno Domini 369. confutauimus vberiùs in Annal. Eccleſ. breuiùs verò in vita eiuſdem, quam ſcripſimus.

[b] Agathonis. ] Agunt de eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores. Simile certamen hic ſubiiſſe videtur, ac ille de quo ex Dionyſ. Alexand. Euſebius in tranſlat. Ruffin. lib. 6. cap. 30. qui & in editione Chriſtophorſoni Beſa appellatur lib. 6. cap. 34. de quo ſuperiùs agitur

tertio

-tuo Kal. Martij. Porrò diuerſum nomen, & dies natalis, alium ab illo eſſe perſuadet. Eiuſmodi enim cauſa ſubeundi martyrium communis multis facilè eſſe potuit.

[c] Polycarpi & Theodori.] De his hac item die Beda, & ver. manuſcript. aliique recentiores.

[d] Seueri.] Eius martyrium conſcripſit Victor de perſecut. Vuandal. lib 3. De Tuburbo, vbi hic ponitur, eſt mentio in Concil. Carthag. ſub Cypriano, & in Antonin. Itin. eſt ciuitas in prouincia Zeuzitana in Africa.

[e] Trochleis.] Deſcribitur hîc à Victore Vticenſi illud ipſum torquendi genus, quod falsò nonnulli dicũt, torquere fidiculis, cùm ſune reus, reuinctis poſt terga manibus, alligatur, atque in ſublime tollitur, rurſumq; impetu deorſum mittitur. Quod autem, qualéve fuerit tormentum fidicularum, diximus ſuperiùs in notis 22 Iannarij. Trochlea enim propriè rota eſt totam continens volubilem, per quam funis tractorius iminiſſis ligatum brachiis reuinctum reum ſurſum trahit, vel remiſſus deorſum relaxat. eiuſmodi itaque tormẽtum dictum reperitur eleuatio ad trochleas. Diuerſum tameu eſt illud quod dicitur extenſio ad trochleas, cuius mentio habetur in Actis ſanctæ Symphoroſæ apud Adonem 17. Iunij; de quo genere torquendi Greg. Turon. hiſt. Franc. lib. 4. cap. 49. hæc ait: Extenſus ad trochleas, cædebatur fuſtibus, virgis, ac loris duplicibus, &c. Et lib. 6. cap. 8. In terra extenditur ad trochleas, virgis ac fuſtibus cæditur. Eadem cap. 35. eodem lib. & lib. 7. cap. 32. Itemque de gloria confeſſ. cep. 83. de eiuſmodi genere tormentorum habetur mentio.

[f] Vrbani Epiſc.] De quo tab. eius eccleſiæ. Porrò eius vitæ Acta antiquitus ſcripta, collecta eſſe vnà cum aliis multis ab Illuſtriſ. & Reuer. D. Iulio Ant. Sanctorio, S.R E. Cardinali, eruditione & vitæ moribus clariſſimo, eademque in lucem edenda percepimus. Faxit Deus, vt diebus noſtris ſolertiſſimi ingenij mercamur frui laboribus.

[g] Martini abb.] Agunt de eodem Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Hunc fuiſſe diſcipulum ſancti Martini Epiſcopi Turonenſis, hîc tradit Beda. Pluribus autem de eodem Gregorius Turon. de glor. confeſſ. cap. 57. & hiſt. Franc. lib. 7. cap. 10. agit de eius baſilica.

[h] Pharæ.] De eadem hac die Vſuardus, & alij recentiores. Sigebertus in chron. an. Domini 620. de ea his verbis: Virgo Chriſti Phara claret in Francia, cuius ſanctitatem imitatus eſt frater Pharo, ex Comite clericus, & ex clerico factus Epiſcopus Meldenſis. Hæc Sigebert. Plura de eadem in vita eiuſdem S. Pharonis Epiſcopi apud Sur. die 28. Octobr. to. 5. Petrum in catal. lib. 1. cap 39. & Trithem. de viris illuſtr. ord. S. Benedicti lib. 3. cap. 55.

8 ## Sexto Idus Decemb. Luna. F xiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |

CONCEPTIO [a] glorioſæ ſemper virginis genitricis Dei Mariæ. Romæ beati Eutychiani [b] Papæ, qui per diuerſa loca trecentos quadraginta duos Martyres manu ſua ſepeliuit; quibus & ipſe ſociatus, ſub Numeriano Imperatore martyrio coronatus eſt, & in cœmeterio Calliſti ſepultus. Alexandriæ ſancti Macarij [c] martyris, qui tempore Decij cùm à Iudice multis verbis ad negandum Chriſtum ſuaderetur, & eò maiori conſtantia fidem ſuam profiteretur, viuus ad vltimum iubetur exuri. Treuiris ſancti Eucharij [d], diſcipuli beati Petri Apoſtoli, & primi eiuſdem ciuitatis Epiſcopi. In Cypro ſancti Sophronij [e] Epiſcopi, qui pupillorum, orphanorum, ac viduarum defenſor mirificus, & pauperum atque oppreſſorum omnium adiutor fuit. In monaſterio Luxouienſi ſancti Romarici [f] abbatis, qui cùm in aula Theodoberti Regis primus eſſet, renuntians ſæculo, monaſtica etiam obſeruantia ceteris antecelluit. Conſtantinopoli ſancti Patapij [g] ſolitarij, virtutibus & miraculis clari. Veronæ ordinatio ſancti Zenonis [h] Epiſcopi.

DE-

CONCEPTIO [a]. ] Tàm Latini quàm Græci eamdem celebrant ſolemnitatem: ſed illi non eadem die, poſtridie tamen; vt conſtat ex conſtit. Emmanuelis Imp. quam recitat Theodor. in Nomoc. Photij nt. 7. cap. 1. Extat Leonis Imp. ſerm. de Concept. beatæ Mariæ in manuſcript. cod. bibliothecæ Sfortianæ, num. 65. Alius inſuper Georgij Epiſcopi Nicomed. eod. cod. habetur. Quod ad tempus attinet, quo eiuſmodi celebtitas apud nos agi cœpta eſt: non à Sixto Quarto (vt quidam opinatus eſt) exordium ſumpſit; licet ille de ea dederit decretalem ext. tit. de reliq. & ven. ſanct. c. Cùm præcelſa, ſed longè antè in Dei Eccleſia celebrata reperitur. Planè conſtat, temporibus S. Bernardi, circa annum Domini 1145. cœptam celebrari in Galliis in eccleſia Lugdunenſi, vt patet ex epiſtola eiuſdem Bernardi 174 ad Canonicos Lugdunenſes, ſubindignantis, quòd abſque auctoritate Catholicæ Romanæ Eccleſiæ nouam inducerent celebritatem, obtentu cuiuſdam ſupernæ reuelationis: cùm tamen de his omnibus ſe iudicium Romanæ Eccleſiæ expectare profiteatur. Ceterùm quænam fuerit iſta diuinitus facta reuelatio, Petrus in catal. lib. t. cap. 42. rem geſtam refert, ac tribuit ſancto Anſelmo Cantuarienſi Epiſcopo, qui vixit ante Bernardi tempora, obiitque diem anno Domini 1109. At licet ea reuelatio eodem fermè modo, vt ſcribit, ſe habuerit: tamen non eſt facta Anſelmo, ſed alij, qui nec temporibus quibus ille factus eſt Epiſcopus, claruit; ſed paulò antè, circa annum Domini 1070. cùm Guilielmus Normannorum Dux regnaret in Anglia: quando Elſino, aliàs Elpino, Anglo abbati maris tempeſtate periclitanti diuinitus quoddam viſum apparuit, eumque admonuit de eiuſmodi celebranda ſolemnitate; ſubſecutumque eſt miraculum in fidei veritatis teſtimonium. Habemus rei geſtæ hiſtoriam in antiquo codice manuſcripto, cuius exordium eſt: Eo tempore, quo Guilielmus, &c. Ex quibus omnibus ſatis compertum habetur eiuſmodi celebritatem in Anglia primùm celebrari cœptam, eidemque fauiſſe ſanctum Anſelmum, qui & de conceptione Virginis commentarium [illegible] fertur: ſed an eius ſit, à multis meri[illegible] tur in controuerſiam, cùm habeat multa [illegible] eidem auctori repugnent, vt notat Ioannes Tur. Crem. in tract. de verit. concept. beatiſſ. Virg. pag. 6. cap. 3. par. 12. cap. 9. 10. Poſteà (vt diximus) recepit eam eccleſia Lugdunenſis, ſed non ſine controuerſia. Acceſſit demum Romanæ Eccleſiæ aſſenſus atque decretum: nouiſſimeque SS. Concilium Tridentinum, ac Pius V. Rom. Pont. eam ſeruandam eſſe firmarunt.

[b] Eutychiani Papæ. ] De eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores. De eius ſucceſſione ſcribit Euſeb. hiſt. lib. 7. cap. 26. Optat. lib. 2. contra Parmen. Aug. epiſt. 165. Niceph. chron. & alij. Cetera diximus in Annalibus Eccleſiaſticis.

[c] Macarij. ] Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Scribit de eodem Euſebius ex Dionyſio Alexandrino lib. 6. cap. 34.

[d] Eucharij Epiſcopi. ] Agit de eodem Beda die ſequenti. Meminit eiuſdem Gregorius Turonenſ. in vit. SS. Patrum in Nicetio Treuer. Epiſc. cap. 17. prope finem. De eodem Petr. Cluniac. lib. t. epiſt. 2. Marian. Scot. anno Domini 74. Tabulæ eccleſiæ Treuer. quas recitat Demochares de ſacrif. Miſſæ, & alij.

[e] Sophronij Epiſc. ] Græci de eodem agunt hac die in Menologio, eiuſque res geſtas breui compendio perſtrictas referunt.

[f] Romarici abb. ] De eius conuerſione ex ſæculari vita, qua florebat apud Theodobertum Regem Francorum, ad monaſticam obſeruantiam cœnobij Luxouienſis, mentio habetur in vita S. Euſtachij abb. cuius fuit diſcipulus, cap. 6. De eodem Petr. in catal. lib. 1. cap. 44. & Trithem. de vir. illuſtr. ord. ſancti Bened. lib. 3. cap 9.

[g] Patapij. ] Agunt de eodem Græci hac die; eius autem Acta Metaphraſtes ex antiquis monumentis deſcripſit: extant apud Lipom. tom. 5. & Surium tom. 6.

[h] Zenonis Epiſcopi. ] De Zenone Epiſcopo Veronenſi conſule ea quæ ſuprà notauimus pridie Idus Aprilis.

xij. G Quinto Idus Decembris. Luna. 9

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |

TOLETI in Hiſpania natalis ſanctæ Leocadiæ [a] virginis & martyris, quæ in perſecutione Diocletiani Imperatoris à Præfecto Hiſpaniarum Daciano dira carceris cuſtodia macerata, cùm grauiſſimos beatæ Eulaliæ & reliquorum martyrum cruciatus audiſſet, genibus in oratione poſitis, impollutum ſpiritum Chriſto reddidit. Carthagine S. Reſtituti [b] Epiſcopi & mar-

martyris, in cuius ſolemnitate ſanctus Auguſtinus de eo ad populum ſermonem habuit. Item in Africa ſanctorum martyrum Petri [c], Succeſſi, Baſſiani, Primitiui, & aliorum viginti. Lemouicis in Gallia ſanctę Valeriæ [d] virginis & martyris: Veronæ S. Proculi [e] Epiſcopi, qui in perſecutione Diocletiani colaphis ac fuſtibus cæſus, & ciuitate pulſus, tandem in eccleſiam ſuam reſtitutus quieuit in pace. Papiæ ſancti Syri [f] primi eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, qui Apoſtolicis ſignis & virtutibus claruit. Apameæ in Syria beati Iuliani [g] Epiſcopi, qui tempore Seueri ſanctitate refulſit. Petragoricis in Gallia ſancti Cypriani [h] abbatis, magnæ ſanctitatis viri. Nazianzi ſanctæ Gorgoniæ [i] ſororis beati Gregorij Theologi, cuius ipſe virtutes & miracula conſcripſit.

## DECEMBRIS 9.

LEOCADIÆ [a].] De eadem Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri. Plura de ipſa in Breuiario Toletano, vbi ſacro hymno eius Acta canuntur. Tres ibidem baſilicæ in eius memoriam erectæ permanent: quarum prima vbi nata, altera vbi paſſa, tertia verò vbi ſepulta fuit. Leguntur plures Synodi Toletanę habitæ in eccleſia S Leocadiæ. Cùm Sarraceni Hiſpanias inuaſiſſent, venerandum eius corpus in Gallias delatum ferunt, cuius brachium poſteà eccleſiæ priſtinæ redditum Laurent. Padil. & Vaſæus in chron. tradunt. Sed his diebus Romam ipſum venerandum corpus allatum, in Hiſpaniam ſolemni pompa transferendum, accepimus. De eadem Petrus in catal. lib. 1. cap. 48. Marin. Sicul. rerum Hiſpan. lib. 5. Flos ſanct. Hiſpan. & Theſaur. concion. tomo 2. hac die.

[b] Reſtituti Epiſcopi.] De eodem vet. manuſcr. De ſermone S Auguſtini, cuius hîc mentio habetur, ſcribit Poſſid. in Indic. c. 8. ipſe autem deſideratur. De alio Reſtituto presbytero Calamenſi Auguſtinus meminit lib. 13. de ciuitate Dei, c. 24. miraque de eo ſcribit.

[c] Petri & ſoc.] Agunt de eodem Beda & alij recentiores; conſentiuntque vet. manuſcript.

[d] Valeriæ.] De ipſa habetur mentio in Actis S. Martialis apud Petrum in catal. lib. 9. cap. 29. & in epiſt. quæ S. Martialis fertur ad Toloſanos: Molanus de eadem in addit. ad Vſuardum hac die.

[e] Proculi Epiſcopi.] De quo tabulæ eccleſiæ Veron. & Auguſtinus Valer. Epiſcopus Veronen. Card. de antiq. mon. Epiſc. Veron. pagina decima, & quadrageſimaprima: eius vitam in antiquo Lectionario eius eccleſiæ haberi teſtatur. Agit de eodem Petrus in catalogo lib. 1. cap. 49. & lib. 7. cap. 42. in Firmo & Ruſtico. Recenſetur quartus eius ſedis Epiſcopus.

[f] Syri Epiſc.] De eodem hac die etiam tabulæ eccleſiæ Ticinenſis. Tranſlatio autem celebratur ad xvj. Kal. Iunij. Vide quæ notauimus ſuprà in Iuuentio, prid. Idus Septembr.

[g] Iuliani.] De quo & Græci. Eius certamina pro fide Catholica ſuſcepta aduerſus Cataphrygas, eum illuſtriorem reddidere, vt conſtat ex Epiſtola Apollinaris Hierapolitani apud Euſeb. hiſt. lib. 5. cap. 15.

[h] Cypriani abb.] Agunt de Eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij: pluribus autem Gregor. Turon. de glor. confeſſ. cap. 100. Petrus in catal. lib. 1. c. 51. & Trith. de viris illuſtr. ord. S. Benedicti lib. 3. cap. 252.

[i] Gorgoniæ.] Græci itidem. Eius præclaras laudes & res geſtas contexuit ipſius germanus S. Gregorius Nazianzenus clariſſima oratione, quam dixit in eius funere.

## 10 Quarto Idus Decemb. Luna. A xj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |

ROMÆ ſancti Melchiadis [a] Papæ, qui in perſecutione Maximiani multa paſſus, reddita Eccleſiæ pace, quieuit in Domino. Eodem die ſanctorum martyrum Carpophori [b] presbyteri, & Abundij diaconi, qui in perſecutione Diocletiani primò fuſtibus crudeliſſimè cæſi, deinde in carcerem, negato cibo & potu, retruſi, & rurſum in equuleo torti, & poſt hæc diu in carcere

cere macerati, nouiſſimè gladio percuſſi ſunt. Emeritæ in Hiſpania paſſio ſanctæ Eulaliæ [c] virginis, quæ ſub Maximiano Imperatore, cùm eſſet annorum duodecim, iuſſu Daciani Præſidis pro confeſſione Chriſti plurima tormenta perpeſſa eſt: nouiſſimè in equuleo ſuſpenſa, & exungulata, faculis ardentibus ex vtroque latere appoſitis, hauſto igne, ſpiritum reddidit. Item ibidem ſanctæ Iuliæ [d] virginis & martyris, quæ beatæ Eulaliæ ſocia fuit, & illi ad paſſionem properanti comes indiuidua adhæſit. Alexandriæ ſanctorum martyrum Mennæ [e], Hermogenis, & Eugraphi, qui ſub Maximiano paſſi ſunt. Apud Leontinos in Sicilia ſanctorum martyrum Mercurij [f] & ſociorum militum, qui ſub Tertyllo Pręſide tempore Licinij Imperatoris gladio cæſi ſunt. Ancyræ in Galatia S. Gemelli [h] martyris, qui poſt dira tormenta ſub Iuliano Apoſtata crucis ſupplicio martyrium conſummauit. Viennæ ſancti Sindulphi [i] Epiſcopi & confeſſoris. Brixiæ ſancti Deuſdedit [k] Epiſcopi.

## DECEMBRIS 10.

[a] MELCHIADIS Papæ, aliàs Miltiadis [a].] Agunt de eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores. De eius ſucceſſione liber de Rom. Pontificibus, Euſeb. chron. Optat. Mileuit. lib. 2. Auguſt. epiſt. 165. Niceph. chron. & alij. Geſta autem eius intexuimus in Annal. Eccleſiaſt. hîc tantùm ex inſtituto de ſucceſſione agimus.

[b] Carpophori & Abundij.] De his Beda, Vſuardus, Ado, conſentiuntque ver. manuſcripta. Sed magna varietas lectionis, dum penes quoſdam codices Hiſpali, & apud alios Spoleti paſſi leguntur. Spoleti autem paſſos eſſe, Acta eorum, quæ deſcripſit Mombrit. tom. 1. & manuſcrip. quę è Spoletina eccleſia mutuati ſumus (licet omnia admodum deprauata) ſignificant: quæ nuper mendis purgata & illuſtrata edidit R. P. Ioan. Baptiſta Bracchefcus Florentinus, ord. Prædic. Camerini impreſſa anno Domini 1586. Rurſus autem Hiſpali hos martyrio coronatos, Beda teſtatur, & ex Breuiario Eborenſi tradit Vaſæus in chron. Petrus in catal. lib. 1. cap. 33. Flos ſanct. & Theſaur. concion. to. 2. Sed quod præſtat his omnibus, Catalogus Epiſcoporum Hiſpalenſium Carpophorum habet Epiſcopum & martyrem. Omnes tamen in hoc conſentiunt, paſſos eſſe in perſecutione Diocletiani & Maximiani, ſub Martiano Iudice. Quorum autem ſint potiora iura, & quibus cauſa ſit adiudicanda, non eſt noſtrum definire. Colantur vbique ſancti martyres, quorum Deus omnia in omnibus, & diues in omnes qui inuocant eos. Ceterùm error irrepſiſſe videtur ex confuſione nominum ciuitatis; dum complures antiquorum Eccleſiaſticorum ſcriptorum pro Hiſpalenſi dixere Hiſpalitano, vt Gregorius Papa. lib. 3. dial. cap. 3. ac rurſum pro Spoletino, Spolitano, vt item in dial. lib. 3. cap. 14. Sic & in Synodis Romæ ſub Symmacho Ioannes Spoletanus. Rurſus, quod item Vſuardus habet, apud ciuitatem Hiſpolitanam, errandi etiam tribuit occaſionem.

[c] Eulaliæ.] De eadem Beda, ac ceteri omnes hac die. Eius Acta cecinit Prudentius hymno Periſteph. idemq; hym. 4. eamdem deſcribit, cùm ait:

*Luſitanorum caput oppidorum*
*Vrbs, adorata cineres puella*
*Obuiam Chriſto rapiens, ad aram*
*Porriget ipſam.*

Appellat Auguſtam Emeritam, quæ erat Rom. colonia, caput Luſitaniæ, quæ quidem prouincia adminiſtrabatur per Legatum Prætorium: reliqua autem Hiſpaniæ pars, præter Bæticam, per Conſularem Legatum curabatur: Bæticę enim ab Auguſto populo Rom. attributæ dabatur Prætor cum Quæſtore & Legato. Hæc pluribus Strabo, lib. 3. quæ voluimus adnotaſſe, quòd in Actis ſanctorum martyrum, qui in Hiſpania paſſi ſunt, eos ſæpè ſub Conſularibus vel Legatis paſſos inuenies, licet eoſdem Præſides frequentiùs appellatos reperias, vt habes hîc de Daciano. Vt ad Eulaliam reuertamur, de eadem Venant. Fortun. lib. 7. carm. ad Bod. ducem, & de gaud. vitæ æternæ hoc verſu:

*Eulalia Emerita tollit ab vrbe caput, &c.*

Itemque Aldelm. lib. de laud. virg. His adde miranda admodum, quæ ad eius ſepulchrum fieri conſueuerunt, quę ſcribit Gregor. Turon. de glor. mart. lib. 1. cap. 91. Scribit S. Iſid. in hiſt. Goth. æra 491. Gothos ab Emerita abſtinuiſſe, territos oſtentis beatiſſimæ Eulaliæ. Agunt de eadem alij recentiores, vt Petrus in catal. lib. 1. cap. 5. Flos Sanct. Hiſp. & Theſ. concion. tom. 2. Conſule quę ſuperiùs notauimus in Eulalia Barchinonen. pridie Idus Februarij.

[d] Iuliæ.] Agunt de ea iidem qui ſuprà, Beda, Vſuardus, Ado, & Petrus in catal. lib. 1. cap. 55.

[e] Mennæ & ſoc.] De his Græci etiá agunt hac die, eorumque Acta recolunt in Menologio: pleniùs autem Metaphraſtes, ex quo Lipom. to. 5. & Surius tom. 6. Alius hic Mennas ab eo, de quo ſuprà tertio Idus Nouembris; licet nonnulli hunc Mennam, illum eſſe dicant. Huius corpus tranſlatum

latum eſt Conſtantinopolim, in cuius honorem Iuſtinianus Imp. baſilicam excitauit, vt Procop. de ædif. Iuſtiniani Imp. libro primo teſtatur.

[f] Mercurij & ſoc.] Horũ Acta accepimus edita ab eccleſia Leontina, iuncta ſimul cũ rebus geſtis ſanctorũ martyrũ Alphij, Philadelphi, & Cyrini.

[g] Gemelli.] Græci item agunt de eodem hac die in Menolog. eiuſque martyrium narrant. De templo S. Gemelli martyris mentio habetur in Actis S. Theodori Siceotæ. Metaph. 22. Aprilis.

[h] Sindulphi Epiſcopi.] Beda, Ado, & alij recentiores. Meminit eiuſdem Ado Viennenſis in chron. anno Domini 669. Poniturque trigeſimusprimus eius ſedis Epiſcopus in tabul. Democh. Alius eiuſdem nominis fuit Sindulphus monachus, de quo Trithem. de viris illuſtr. ord. S. Bened. lib. 3. cap. 46.

[i] Deuſdedit Epiſcopi.] De eo tabulæ eccleſiæ Brixienſ. & Rampert. in ſermone de tranſlatione S. Philaſtrij.

## II Tertio Idus Decemb. Luna. B x.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |

ROMÆ ſancti Damaſi[a] Papæ & confeſſoris, qui Apollinarem hæreſiarcham damnauit, & Petrum Epiſcopum Alexandrinum fugatum reſtituit: multa etiam ſanctorum Martyrum corpora inuenit, eorumque memorias verſibus exornauit. Item Romæ paſſio ſancti Thraſonis[b], qui cùm Chriſtianos laborantes in thermis, aliiſque operibus publicis fatigatos, & in carcere poſitos de ſuis facultatibus aleret, iubente Maximiano tentus, cum aliis duobus, Pontiano & Prętextato, martyrio coronatus eſt. Ambiani ſanctorum martyrum Victorici[c] & Fuſciani ſub eodem Imperatore, in quorum naribus & auribus iuſſit Rictiouarus Præſes immitti tarinchas[d], & clauis ardentibus tempora transfigi, deinde oculos euelli, ac poſtmodum eorum corpora iaculari; ſicque vnà cum ſancto Gentiano eorum hoſpite, capitibus amputatis, migrauerunt ad Dominum. In Perſide ſancti Barſabę[e] martyris. In Hiſpania ſancti Eutychij[f] martyris. Placentiæ ſancti Sabini[g] Epiſcopi, miraculis clari. Conſtantinopoli ſancti Danielis[h] Stylitæ.

## DECEMBRIS II.

DAMASI Papæ[a].] De eodem Beda, Vſuardus, Ado, & alij. De eius ſucceſſione liber de Roman. Pontificibus, Optat. Mileuit. lib. 2. Ruffin. hiſtor. lib. 2. cap. 10. Auguſtin. ad Generoſum epiſt. 165. Sozom. lib. 6. cap. 23. Niceph. in chron. & alij plures. Cetera de eo in Annal. vbi cùm eius Acta per annos ſingulos digeſſimus, tum apologiam conſcripſimus aduerſus libellum Marcellini ſchiſmatici, quem ille obtulit Theodoſio Imp. quo rabido ore in ſanctiſſimum virum inuehitur. Habemus de eodem manuſcriptum ſermonem, qui per lectiones diſtinctus, in aliquibus eccleſiis olim recitari conſueuit natali eius die.

[b] Thraſonis.] De ipſo Beda, & alij. Eius res geſtæ intextæ habentur Actis S. Marcelli Papæ, apud Surium tomo 1. die 16. Ianuarij. Mentio habetur de Thraſone etiam in Actis ſanctæ Suſannę virginis & martyris, apud Surium tom. 4.

[c] Victorici & Fuſciani.] Agunt de his iidem qui ſuprà, Beda, & alij. Eorum Acta Petrus in catal. lib. 1. cap. 57. paucis deſcribit, eademque Mombritius recitat tomo 1.

[d] Tarinchas.] Vox prorſus incognita, niſi ex varia lectione Actorum eorumdem martyrum, genus eſſe tormentorum, aſſequi poſſimus. Aliqua vetera manuſcripta, loco tarincharum, habent ſudes ferreas; ſic etiam legit Mombrit. tom. 1. vit. ſanct. in vita dictorum martyrum; ſic Vincentius in Specul. lib. 13. cap. 141. ſic denique Petrus in catalogo lib. 1. cap. 57. Puto autem tarinchas illas eſſe, quas Ioſephus libro de Machab. ex verſione Eraſmiana, appellat ſuccenſoria; quæ (inquit) erant tenuia ferri tela ad incendendum martyrem comparata.

[e] Barſabæ.] Agunt de eodem hac die Græci in Menologio.

[f] Eutychij.] Beda, Vſuard. Ado, & alij recentiores. Prope Gades paſſum ferunt Laurent. Padil. & Vaſęus in chron. Hiſp. Agitur de eodẽ in Flore Sanct. Hiſpan. & io Theſaur. conc. to. 2. hac die.

[g] Sabini Epiſcopi.] De eodem hac die tabulæ eccleſiæ Placentinæ. Scribit de eo S. Gregorius Papa lib. 3. dialog. c. 10. vbi refert iosigoe miraculum ab eo editum. Claruit temporibus Gratiani & Theodoſij Impp. Intetfuit vnà cũ S. Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo Concilio Aquileienſi, vt eius Synodi Acta ſignificant. Habentur illic grauiſſimæ aduerſus Arianos à Sabino dictæ ſeotentiæ: erat enim non tantùm ſanctitate, ſed eruditione pręcipuus; cui tantum tribuit S. Ambroſius, vt ſua ſcripta ab eodem voluerit recognoſci, cenſura ipſius examinari, atque iudicio comprobari; vt apparet ex eius epiſtola 63. lib. 8. edit. Rom. ad eumdem Sabinum conſcripta, in qua hæc aurea eius ſenteotia legitur: Vnumquemque fallunt ſua ſcripta, & auctorem prætereuot; atque vt filij etiam deformes delectant, ſic etiam ſcriptorem iodecores ſermones ſui palpant. Hæc ille beatus & egregius doctor Eccleſię. In eamdem item ſeotentiam S. Auguſtinus ſcribens ad Marcellinum epiſt. 7. Ego (inquit) iudices meos veros, & veritate ſeueros magis intueor, &c. Si hæc tanti doctores Eccleſię, quis interim tantum ſibi ſumat, vt idoneus de ſe ipſo iudex ſibi eſſe videatur? His itaqoe admonitus, fateor, non vnum, ſed plures ſcriptionum mearum ſemper optaoi arbitros. Etſi habeam domeſticum cognitorem R. P. Franciſcum Bordinum, virum planè diſertum, quocum ab ineunte ętate iiſdem literarum ſtudiis aſſueui; tamen præter eum, quo contentus eſſe poſſem, alios eruditos rerum noſtrarum nõ tantùm inſpectores, ſed iudices induſtriâ quæſitos adhibere conſueui. Sed ad Sabinum, de quo agimus, reuertamur. Extant eiuſdem Ambroſij ad Sabinum aliæ ſcriptæ epiſtolæ, videlicet lib. 1. epiſt. 8. lib. 4. epiſt. 30. 31. & lib 8. epiſt. 65. edit. Roman. in quibus licet cuius ſedis Epiſcopus fuerit, nulla mentio habeatur, tamen illum ipſum eſſe Sabinum Epiſcopum Placentinum, collegam in Concilio Aquileienſi, cognitoremque ſcriptorum ipſius, omnis ratio ſuadet.

[h] Danielis Stylitæ.] De eo pariter Græci in Menol. Edidit eius Acta Metaph. quæ & Lipom. tom. 5. & Sur. to. 6. deſcripſerunt. Meminit eiuſdem Niceph. hiſt. lib. 15. cap. 32. & lib. 16. cap. 6. Cedren. & alij in Leone Magno. Citantur eius Acta à ſancto Ioanoe Damaſceno in orat. 3. de imaginibus. Cyrus exconſul columnam Danielis eleganti epigrammate illuſtrauit, vt eiuſdem Danielis Acta teſtantur.

ix. C **Pridie Idus Decemb. Luna.** 12

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | | | |

ROMÆ ſancti Syneſij [a] martyris, qui tempore beati Sixti Papæ lector ordinatus, cùm multos conuertiſſet ad Chriſtum, apud Aurelianum Imperatorem accuſatus, gladio percuſſus, martyrij coronam accepit. Alexandriæ ſanctorum martyrum Epimachi [b] & Alexandri, qui ſub Decio Imperatore cùm fuiſſent multo tempore in vinculis, & diuerſis ſuppliciis affecti perduraſſent in fide, ignibus tandem conſumpti ſunt. Ibidem ſanctarum mulierum Ammonatiæ [c] virginis, Mercuriæ, Dionyſiæ, & alterius Ammonariæ: quarum prima in eadem Decij perſecutione, inauditis tormentorum generibus ſuperatis, ferro cædente, beatum vitæ finem percepit: tres verò aliæ, cùm Iudex à feminis ſuperari erubeſceret, ac dubitaret ne eadem in illas exercens cruciamenta, earum etiam conſtantia vinceretur, ſtatim iuſſæ ſunt decollari. Eodem die ſanctorum martyrum Hermogenis [d], Donati, & aliorum vigintiduorum. Treuiris, ſanctorum martyrum Maxentij [e], Conſtantij, Creſcentij, Iuſtini, & ſociorum, qui in perſecutione Diocletiani ſub Rictiouaro Præſide paſſi ſunt.

DE-

## DECEMBRIS 12.

SYNESII[a].] Celebris inter martyres, Græcis etiam notiſſimus fuit; qui de eodem agunt hac die in Menologio, vbi & certaminis eius Acta deſcribũt, prout hîc narrantur. De eius tranſlatione in inſulam Augienſem anno Domini octingenteſimo trigeſimo facta meminit Hermannus Contract. in Chron. eo anno.

[b] Epimachi & Alexandri.] De quibus hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij: Græci autem de Epimacho agunt natalem diem pridie Kalend. Nouembris: eius verò tranſlationem Conſtantinopolim factam recolunt quinto Idus Martij. De vtriuſque certamine ſcribit Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus apud Euſebium hiſtor. libro 6. cap. 34. & alij ex prædicto auctore accipientes.

[c] Ammonariæ & ſoc.] Agunt de his mulieribus iidem qui ſuprà, Beda, & alij hac die: iidemque earum coronas martyrij deſcribunt ex Dionyſio, quem refert Euſebius hiſtoriar. libro 6. cap. 34.

[d] Hermogenis & ſoc.] Beda, Vſuard. Vuandelbertus, & alij recentiores hac die. Hos in paludem quamdam eſſe demerſos, ac ſic martyrium conſummaſſe, habetur in Theſauro concion. tomo 2.

[e] Maxentij & ſoc.] Non tantùm hi tres clariſſimi eius ciuitatis ſenatores tunc paſſi ſunt; ſed & quatuor alij, quorum hæc ſunt nomina, Iuſtinus, Leander, Alexander, & Soter. De quorum corporum inuentione agit Sigebertus in chronico, anno Domini 1071.

13 Idibus Decemb. Luna. **D** viij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | | | |

SYRACVSIS in Sicilia natalis ſanctæ Luciæ[a] virginis & martyris, in perſecutione Diocletiani: quam cùm lenones, quibus, iubente Paſchaſio conſulari, tradita erat, vt à populo caſtitati eius illuderetur, ducere vellent, nullatenus eam mouere potuerunt, nec funibus additis, nec boum iugis plurimis: deinde verò picem, reſinam, feruens oleum nil læſa ſuperans, tandem gladio in gutture percuſſa martyrium conſummauit. In Armenia paſſio ſanctorum martyrum Euſtratij[b], Auxentij, Eugenij, Mardarij, & Oreſtis, in perſecutione Diocletiani: ex quibus Euſtratius primò ſub Lyſia, deinde Sebaſtæ ſub Agricolao Præſide vnà cum Oreſte exquiſitis tormentis cruciatus, in fornacem miſſus reddidit ſpiritum: Oreſtes autem in ſtratum ferreum ignitum poſitus migrauit ad Dominum: ceteri apud Arabracos ſæuiſſimis agitati ſupplicijs ſub Lyſia Præſide, diuerſimodè martyrium conſummauerunt. Eorum corpora poſteà Romam tranſlata, in eccleſia S. Apollinaris honorificè ſunt collocata. Apud Sardiniam in Sulcitana inſula paſſio ſancti[c] Antiochi ſub Hadriano Imperatore. Cameraci in Gallia ſancti Authberti[d] Epiſcopi & confeſſoris. In pago Pontino ſancti Iudoci[e] confeſſoris. In territorio Argentoratenſi ſanctæ Othiliæ[f] virginis.

## DECEMBRIS 13.

LVCIÆ[a].] Agunt de eadem Latini omnes hac die, ſimul & Græci, eiuſque martyrij Acta iiſdem omnibus notiſſima recitat Surius tom. 6. Mombrit. tom. 2. & alij plures; repetiunturque in antiquis codicibus manuſcr. Carmine autem eadem cecinit Sigebert. qui & tranſlationes corporis eius egregio ſermone proſecutus eſt. profitetur hæc ipſe lib. de vir. illuſt. c. 172. Plura de ipſa S. Aldelmus, tam ſoluta oratione, quàm carmine in lib. de

laude virgin. Iidem Baptiſta Mantuanus Carmelita præclarus poëta S. Luciæ agonem heroico carmine egregiè decantauit, ſicut & SS. virginum Apolloniæ & Margaritæ.

[b] Euſtratij & ſoc.] De his Græci hac etiam die agunt in Menologio. Horum res præclarè geſtæ, à Metaphraſte deſcriptæ, extant apud Lipom. tomo 5. & Sur. tom 6. Legimus eaſdem in nonnullis codicibus manuſcript. & inter alios in eo qui aſſeruatur Romæ in eccleſia S. Mariæ ad Martyres, eſt eorum exordium: Regnantibus Diocletiano & Maximiano Impp. Habemus eaſdem in noſtra bibliotheca; in quibus & nomen auctoris, qui ea conſcripſit, proditur: nimirum Euſebius monachus Sebaſtenus, qui ea tradidit Auracinis, penes quos celebrior erat eorum memoria. In his quæ habemus apud nos, aperitur & nomen auctoris, qui ea Latinitate donauit. Fuit is Ioannes ſeruus S. Ianuarij (ſic enim inſcribitur) qui vixit Neapoli temporibus Athanaſij iunioris, eius ſedis Epiſcopi: hęc etenim habet auctor in præfatione: Athanaſius iunior Parthenopenſis eccleſiæ Præſul, patrui ſui magnifici Præſulis ſtudia ſecutus, me impulit, &c. Trithem: de ſcriptoribus Eccleſiaſt. teſtatur horum Acta eſſe conſcripta à Dorotheo. Agit de iiſdem martyribus Niceph. hiſt. lib. 7. cap. 14. Aſſeruantur Romæ horum corpora in eccleſia S. Apollinaris Epiſcopi, vbi ad reparandas ingentes clades Germanarum eccleſiarum ab hæreticis illatas Gregorius XIII. Papa diuino conſilio ſtabiliuit Collegium Germanicum, addidit & Hungaricum, auxitque ampliſſimis domibus, ac reditibus.

[c] Antiochi.] De eodem tabulæ eius eccleſiæ hac die. Inde etiam accepimus eius Acta plenius ſcripta, atque (prout in eius ſolemnitate recitari ſolent) per lectiones diſtincta. incipiunt: Sicut Sanctorum omnium, &c.

[d] Authberti Epiſcopi.] Agunt de eodem Vſuard. Ado, & alij recentiores. Extant eius vitæ Acta apud Sur. tomo 6. Meminit eiuſdem Sigebert. in chron. anno Domini 650. 651. & 658. Plura de eodem Molanus in Indic. Sanct. Belgij. Recenſetur in tab. Democharis octauus eius ſedis Epiſcopus.

[e] Iudoci.] Eius res geſtas à Florentio abbate conſcriptas edidit Surius tomo 6. Agit de eodem Sigebert. in chron. anno Domini 653. Vincent. hiſt. lib. 24. cap. 105. 106. Petrus in catal. lib. 1. cap 65. & Molanus in addit. ad Vſuardum.

[f] Othiliæ.] De eadem Adonis Martyrologium. Claruit circa annum Domini ſeptingenteſimum, vt conſtat ex chron. Germ. Hæc cæca à natiuitate in baptiſmate viſum recepit, exercuitque monaſticam diſciplinam in Alſatia. De eadem agit Molanus in addit. ad Vſuardum.

## vij. E Decimonono Kalend. Ianuarij. Luna. 14

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |

ALexandriæ ſanctorum martyrum Heronis [a], Arſenij, Iſidori, & Dioſcori pueri: quorum tres primos Iudex in perſecutione Deciana variis tormentis dilanians, cùm pari conſtantia videret armatos, tradi ignibus iubet: Dioſcorus verò multipliciter flagellatus, diuino nutu ad conſolationem Fidelium dimiſſus eſt. Antiochiæ natalis ſanctorum martyrum Druſi [b], Zoſimi, & Theodori. Eodem die paſſio ſanctorum Iuſti [c] & Abundantij, qui ſub Numeriano Imperatore & Olybrio Præſide in ignem iniecti, cùm euaſiſſent illæſi, gladio percuſſi ſunt. Rhemis paſſio ſanctorum Nicaſij [d] Epiſcopi, Eutropiæ virginis ſororis eius, & ſociorum martyrum, qui à barbaris Eccleſiæ hoſtibus cæſi ſunt. In Cypro inſula natalis beati Spiridionis [e] Epiſcopi, qui vnus fuit ex illis confeſſoribus, quos Maximinus dextro oculo effoſſo, & ſiniſtro poplite ſucciſo, ad metalla damnauerat. Hic prophetiæ dono, & ſignorum gloria inclytus fuit, & in Nicæno Concilio philoſophum Ethnicum Chriſtianæ religioni inſultantem deuicit, & ad fidem perduxit. Bergomi S. Viatoris Epiſcopi & confeſſoris. Papiæ S. Pompeij [g] Epiſcopi. Neapoli

poli in Campania S. Agnelli[h] abbatis, gratia miraculorum illuſtris, qui obſeſſam vrbem ſæpè viſus eſt crucis vexillo ab hoſtibus liberare. Mediolani ſancti Matroniani[i] eremitæ.

## DECEMBRIS 14.

[a] HERONIS & ſoc.] De his Beda, Vſuard. Ado, & alij. Scribit eorum certamina Dionyſ. Alexand. quæ recitat Euſebius hiſt. lib. 6. cap. 34. In editione Chriſtophorſoni loco Arſenij, Ater legitur. Græcè habet Αʹ''ηρ.

[b] Druſi & ſoc.] Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri recentiores de his hac die agunt.

[c] Iuſti & Abundij.] Eius paſſionis Acta deſcribuntur hymno ſacro in Breuiario Toletano, vbi de his pluribus agitur.

[d] Nicaſij Epiſcopi, Eutropiæ, & ſoc.] De his Vſuardus, Ado, conſentiuntque vet. manuſcript. Acta autem ipſorum ex antiquis codicibus edidit Surius tom. 7. Agunt de his Otho Friſing. lib. 4. c. 28. Sigebert. in chron. anno Domini 453. Nicol. Olaus in Attila, Vincent. Spec. hiſt. lib. 21. cap. 37. Petrus in catalog. lib. 1. cap. 69. & Mombrit. to. 2. quorum alij paſſos hos tradunt temporibus Vuandalicę cladis, alij autem ſub Attila Hunnorum Rege. De baſilica S. Nicaſij Rhemis agit Hincmarus in vita S. Remigij.

[e] Spiridionis Epiſcopi.] Beda ac ceteri Latinorum de eodem hac die, Græci autem pridie Idus Decembris in Menologio. Non ſolùm interfuit SS. Nicæno Concilio, ſed & adnumeratur etiam Spiridion, ſeu Spiridon inter Patres qui in Concilio Sardicenſi fidem Catholicam propugnarunt, vt conſtat ex Athanaſij apolog. 2. Eius Acta edita à Metaphraſte habet Lipom. tō. 5. & Surius tom. 6. Ruffinus de eodem lib. 1. cap. 5. Socrates lib. 1. cap. 8. Sozomenus lib. 1. cap. 11. Niceph. lib. 8. cap. 15. & 42. Gregorius presbyter in orat. habita de ſanctis Patribus Nicææ congregatis, Cedren. in Conſtantino, Glycas, & alij. Licet autem Metaphraſtes auctorem qui Acta Spiridionis ſcripſit, non prodat; conſtat tamen (teſte Suida) ea eſſe conſcripta à Triphyllio Epiſcopo eius diſcipulo verſibus iambicis, ſed non extant. De conuerſione philoſophi iidem qui ſuprà agunt, & Euſeb. hiſt. lib. 10. cap. 3.

[f] Viatoris Epiſcopi.] Beda de eodem, licet ponat in Galliis. Agit Galeſinius de eodem ex tabulis eccleſiæ Bergomenſis.

[g] Pompeij Epiſc.] Tabulæ eccleſ. Papien. vnde & eius Acta manuſcripta accepimus: plura de eodem in Actis S. Syri eiuſdem eccleſiæ Epiſcopi.

[h] Agnelli abb.] Tabulæ eccleſiæ Neapol. vbi religioſiſſimè colitur. Extant eius Acta edita à Paulo Regio; habemus & nos manuſcript. in noſtra bibliotheca, vbi & quædam à viro ſancto miracula edita leguntur. Claruit temporibus Gregorij Papæ, & Mauritij Imp. cùm Neapolitanæ eccleſiæ præeſſet Fortunatus, de quo eſt frequens mentio in regiſtro S. Gregorij Papæ. Legi & libellum miraculorum eius, cùm eſſem Neapoli.

[i] Matroniani.] De eo etiam tabulæ eccleſiæ Mediolanenſis, ex quibus Galeſinius.

## 15 Decimooctauo Kalend. Ianuarij. Luna. F vj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | | | |

ROMÆ ſanctorum martyrum Irenæi[a], Antonij, Theodori, Saturnini, Victoris, & aliorū decem & ſeptem, qui in perſecutione Valeriani pro Chriſto paſſi ſunt. In Africa paſſio ſanctorum Fauſtini[b], Lucij, Candidi, Cæliani, Marci, Ianuarij, & Fortunati. Ibidem S. Valeriani[c] Epiſcopi, qui cùm eſſet annorum plus octoginta, in perſecutione Vuandalica ſub Geiſerico Rege Ariano, conuentus ab eo vt traderet eccleſiæ vtenſilia, idq; conſtanter renuiſſet, extra ciuitatem ſingularis iuſſus eſt pelli: cumque præceptum eſſet, vt nullus eum neque in domo, neque in agro dimitteret habitare, multo tēpore in ſtrata publica nudo ſub aëre iacens, in confeſſione & defenſione Catholicæ veritatis curſum beatæ vitæ compleuit. In territorio Aurelianenſi S. Maximini[d] cōfeſſoris. Apud Iberos trans

Pontum Euxinum ſanctæ Chriſtianæ ancillæ[e], quæ virtute miraculorum gentem illam tempore Conſtantini ad fidem Chriſti perduxit.

## DECEMBRIS 15.

IRENÆI & ſoc.[a]] De his vet. manuſcript. ex quibus & recentiores hac die.

[b] Fauſtini, Lucij, & ſoc.] Agunt de his Beda, atque alij recentiores, adſtipulanturque vet. manuſcripta.

[c] Valeriani Epiſcopi.] Beda, Vſuardus, aliique de eodem hac die. Eius res geſtas conſcripſit Victor Vticenſis lib. 1. de perſecut. Vuandal. ex quo & ceteri accepiſſe noſcuntur.

[d] Maximini.] Agunt de eodem Beda, Vſuardus, Ado, ac ceteri recentiores hac die.

[e] Chriſtianæ ancillæ.] Hæc, de qua agitur, eò quòd nomen eius incognitum haberetur, non proprio, ſed appellatiuo potiùs nomine Chriſtiana ancilla dicta videtur. De Apoſtolico munere, quo (Deo dante) hæc functa eſt, egregiiſque miraculis, & Gentilis populi ad Chriſtum conuerſione, ſcribit in primis Ruffinus hiſt. lib. 1. cap. 10. Socrates lib. 1. cap. 26. Sozomenus lib. 2. cap. 6. Theodoretus lib. 1. cap. 24. Caſſiodorus ex prædictis in tripart. lib. 9. cap. 45. Nicephorus lib. 8. c. 34. & 45. Suidas, & alij. Claruit tempore Conſtantini Imperatoris. Perſeuerauit florentiſſimus Chriſtianiſmus in Iberia: agit enim de Iberis Chriſtianis ſumma cum laude Procopius de bello Perſico lib. 1. Hi etenim, ingruentibus hæreticorum procellis, fidem Catholicam integram illibatamque ſeruarunt.

## v. G Decimoſeptimo Kal. Ianuarij. Luna. 16

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | | | |

TRIVM puerorum, Ananiæ[a], Azariæ, & Miſaëlis, quorum corpora apud Babyloniam ſub quodam ſpecu ſunt poſita. Rauennæ ſanctorum martyrum Valentini[b] magiſtri militum, Concordij eius filij, Naualis, & Agricolæ, qui in perſecutione Maximiani pro Chriſto paſſi ſunt. Formiis in Campania ſanctæ Albinæ[c] virginis & martyris, ſub Decio Imperatore. In Africa paſſio plurimarum ſanctarum[d] Virginum, quæ in perſecutione Vuandalica ſub Hunnerico Rege Ariano ſuſpendia, pondera, laminaſque ignitas tolerantes, martyrij agonem feliciter conſummarunt. Viennæ beati Adonis[e] Epiſcopi & confeſſoris. Aberdone in Hibernia ſancti Beani[f] Epiſcopi. Gazæ in Palæſtina ſancti Ireniónis[g] Epiſcopi.

## DECEMBRIS 16.

TRIVM puerorum, Ananiæ, & ſociorum[a].] De his Beda, Vſuard. Ado, & alij, Græci autem in Menologio die ſequenti. Poſt multa quæ in diuinis Scripturis de his teſtata habentur, agit Ioſephus antiq. lib. 10. cap. 11. & auctor apud Iſid. de vita & obitu Sanct. cap. 60. vbi meminit de ipſorum ſepulchro. De manu horum vnius tranſlata Babylone Alexandriam, ac de baſilica illic erecta, narratur hiſtoria in Actis Cyri & Ioannis, apud Lipom. tom. 5. De aliis reliquiis eorumdem poſitis iuxta loculum Danielis Stylitæ, habes apud Metaph. in Actis S. Danielis, apud Lipom. to. 5. Athan. ſerm. 3. contra Arianos appellat hos tres pueros martyres Babylonios, ſic dicens: Id cognoſcentes etiã martyres illi Babylonij, Ananias, Azarias, Miſaël, refutant Arianorum impietatem, &c.

[b] Valentini & ſoc.] De his Beda, Ado, & alij recentiores: ipſorum martyrium narrat Hieron. Rub. hiſt. Rauen. lib. 2.

[c] Albinæ.] De eadem vet. manuſcript. Eius Acta ex antiquis monumentis eccleſiæ Caietanæ accepimus: eſt illorum exordium: Tempore adueniente, &c. Fuit Romę eius nomine femina genere & ſanctitate illuſtris, de qua frequenter ſumma cum laude meminit S. Hieronymus.

[d] San-

Digitized by Google

[d] Sanctarum virginum.] Harum fortem in confeſſione conſtantiam atque coronam martyrij ſcribit Victor de perſecutione Vuandalica lib. 1. Non tantùm pro fide Catholica ſubiere martyrium; ſed etiam, vt calumnioſum mendacium in ſanctos Epiſcopos dicerent, cruciatæ ſunt ſæuiſſimè; ſed præualuit earum ſubnixa veritate conſtantia.

[e] Adonis Epiſcopi.] De eo hîc Bedæ Martyrologium. Hic ille ipſe qui chronicon ſcripſit, perduxitque vſque ad annum Domini 880. Alium ab ipſo non inuenimus eius eccleſiæ Epiſcopum.

[f] Beani.] Vet. manuſcr. ex quibus Molanus hac die. Fuit hic Epiſc. Aderdonẽſis, vt idem teſtatur.

[g] Irenionis Epiſc.] De quo præclara mentio in Actis ſancti Porphyrij Epiſcopi Gazenſis, quæ ex Metaphraſte, & ille ex Marco diacono, recenſet Lipom. tomo 5. Claruit tempore Theodoſij Imperatoris. Ei ſucceſſit Æneas, ac inde ſubrogatur Porphyrius; in cuius vita hæc Marcus diaconus: Irenion quoque fuit ciuis Angelicarum poteſtatum, cuius laudes fieri non poteſt vt ſcribantur in digreſſione; ſed opus eſſet opere ſeparato ad hoc, vt conſcriberemus vitam huius dicti inclyti Irenionis: aliis verò id relinquimus ſcriptoribus, qui eius vitam ſciunt accuratè. Hæc ille.

## 17 Sextodecimo Kal. Ianuarij. Luna. A iiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | | | |

ELEVTHEROPOLI in Palæſtina ſanctorum martyrum Floriani[a], Calanici, & ſociorum quinquaginta & octo, qui tempore Heraclij Imperatoris à Sarracenis ob Chriſti fidem occiſi ſunt. Maſſiliæ in Gallia beati Lazari[b] Epiſcopi, quem Dominus in Euangelio à mortuis ſuſcitaſſe legitur. Bigardis prope Bruxellam ſanctæ Viuinæ[c] virginis, cuius egregiam ſanctitatem miracula crebra teſtantur. Conſtantinopoli ſanctæ Olympiadis[d] viduæ. Andaniæ apud Septemeccleſias beatæ Beggæ[e] viduæ, ſororis ſanctæ Gertrudis. Eodem die tranſlatio[f] ſancti Ignatij Epiſcopi & martyris, qui tertius poſt beatum Petrum Apoſtolum Antiochenam rexit eccleſiam: cuius corpus ab vrbe Roma, vbi ipſe ſub Traiano paſſus fuerat, Antiochiam delatum, extra portam Daphniticam in cœmeterio eccleſiæ poſitum fuit: in qua celebritate ſanctus Ioannes Chryſoſtomus concionem ad populum habuit: poſtmodum verò eius reliquiæ rurſus Romam tranſlatæ ſunt, & in eccleſia ſancti Clementis vnà cum corpore eiuſdem beatiſſimi Papæ & martyris ſumma veneratione reconditæ.

## DECEMBRIS 17.

[a] FLORIANI & ſoc.] De his Beda, Vſuard. Ado, Petr. in catal. lib. 1. c. 73. & alij. Paſſi habentur anno trigeſimoſeptimo Heraclij Imp. De eadem barbarica incurſione, & eccleſiarum clade agitur in hiſt. Miſcell. de qua & Cedren. in comp. hiſt.

[b] Lazari Epiſc.] Beda, Vſuard. Ado, ceterique recentiores; Græci agunt in Menolog. tranſlationem reliquiarum eius Conſtantinopolim factam xvj. Kal. Nouemb. Leone VI. Imp. qui nobilem eidem erexit baſilicam, vt ſcribit Cedren. in eodem Imp. De eadem tranſlatione è Cypro inſula agit Zonaras in 3. parte Annal. in Leone Philoſopho. Extat de ſancto Lazaro encomium Andreæ Cretenſis Græcè ſcriptum in Bibliotheca Sfortiana cod. manuſcr. num. 11. De rebus geſtis ipſius, præter illa quæ in ſacro leguntur Euangelio, plura habentur in Actis ſanctarum Marthæ, & Magdalenæ, & Maximini.

[c] Viuinæ.] Tabulæ eius eccleſiæ, ex quibus Molanus in addit. ad Vſuard. & in Indic. Sanct. Belgij.

 [d] Olym-

[d] Olympiadis.] De ea vet. manuſcript. Græci autem in Menolog viij. Kalend. Auguſti, vbi hæc leguntur: Vixit hæc ſub Imp. Theodoſio, Arcadio & Honorio filiis, Aniſij ſecundi Comitis filia, neptis Ablauij Præfecti, deſpōſata Nebridio, cum quo paululum temporis vixit, antequam cum eo copula iungeretur: ſicque virgo ſimul & vidua remanſit, tempus omne tranſigens in ieiuniis, venerata plurimùm ſanctos Dei ſacerdotes, ac pręcipuè ſanctum Ioannem Chryſoſtomum. Hęc ibi. Cùm autem hęc dicatur neptis Ablauij; tenuit hic primum locum apud Conſtantinum Imperatorem, filiamque habuit Olympiadem, quæ iuſſu Conſtantij Imperatoris nupſit Arſaci Armeniæ Regi, vt auctor eſt Ammianus Marcellin. lib. 20. An autem huius ex alio viro Ablauij neptis Olympias fuerit filia, incompertum habemus. Ad Olympiadis nuptias vocatus ſanctus Gregorius Nazianzenus, dolore podagræ ſe impeditum excuſat per literas, ad Aniſium epiſt. 57. Scripſit tamen ad eam carmen paræneticum, quo eam inſtituit vt ſe gerere debeat in ſancto coniugio. De eadem Olympiade, cùm ad ſecunda vota tranſire per Theodoſium Imperatorem cogeretur, cui reſtitit, pluribus agunt Pallad. in dialog. de S. Ioanne Chryſoſtomo, Sozomenus lib. 8. c. 24. Pallad. Galat. in Lauſiacis cap. 43. Leo Imp. in encomio de S. Ioan. Chryſoſtom. & Niceph. hiſt. lib. 13. cap. 24. Extant eiuſdem S. Ioan. Chryſoſt. ad eamdem epiſtolæ ſeptemdecim, quibus quaſi quibuſdā coloribus eius egregiæ laudes panduntur; cùm præſertim hęc vitans ſchiſmaticos, inhærens Catholicis, Ioannis partibus, eius cauſa ad tribunal vſque perducta, bonis mulctata, aliiſq; grauiſſimis ærumnis cōfecta eſt: quando ipſam idem Ioannes Chryſoſt. pluribus litteris eſt conſolatus.

[e] Beggæ viduæ.] Tabulæ eius eccleſiæ, ex quibus Molanus hac die in addit. ad Vſuard. & pluribus in Indic. Sanct. Belg. vbi hæc ſcribit: Sancta Begga matrona patrem habuit Pipinum primum Ducem Brabantiæ & Maiorem domus in Auſtraſia, germanam verò ſororem beatiſſimam Gertrudem. Hæc, Anſigiſo viro ſuo perempto, Romam adiit dominā mundi & Eccleſiæ caput. Vnde cùm benedictione Papæ, & donata reliquiis reuerſa, in honorem ſeptem eccleſiarum Romanarum, Andanæ ad Moſam cœnobium Septem eccleſiarum fundauit, &c. ibi enim vixit regularibus diſciplinis; & ſanctitate pollens, hac die migrauit ad Dominum. Voluimus hæc ad verbum deſcripſiſſe, non tantùm vt eius genus & ſanctitas innoteſceret, ſed vt celebertimum ac vetuſtiſſimum cultum ſeptem Romæ eccleſiarum eſſe conſtaret. De eadem Sigebert. in chron. anno Domini 686. De eius autem obitu anno 698. agit.

[f] Tranſlatio S. Ignatij.] De qua etiam hac die Beda, Vſuard. & alij recentiores. Fuit hæc prima tranſlatio: quando conſummato martyrio, eius diſcipuli, qui eum ſecuti fuerant Antiochiâ, illuc victrices reliquias reduxerunt: de qua tranſlatione agitur in fine Actorum martyrij ipſius, eamque graphicè deſcribit egregia oratione S. Ioan. Chryſoſt. Poſitum tunc fuit corpus eius in cœmeterio ad portam Daphniticam. inde autem vltimis temporibus Theodoſij Iunioris delatum eſt ſummo cum honore intra ciuitatem Antiochiam, poſitum in templo quod Fortunæ dicebatur, vt teſtatur Niceph. hiſtor. lib. 14. cap. 44. licet erret, cùm ait, tunc, videlicet tempore Theodoſij, Româ illuc eſſe perlatum: nam arguitur prædictorum auctoritate, necnon etiam S. Hieronymi in lib. de Script. Eccleſiaſt. in Ignatio, dum ait, eius corpus iacere extra portam Daphniticam in cœmeterio. De eadem tranſlatione iterùm facta ſcribit Euagrius Scholaſt. hiſt. lib. 1. cap. 16. De tertia autem, quando Romam delatum eſt, nihil mihi hactenus compertum habetur. Opinor tamen tunc inde ablatas ſanctiſſimi martyris reliquias, cùm Iuſtiniano Imperante, ciuitas illa à Coſi hoe Rege Perſarum igni ferroque vaſtata eſt, anno Domini 540. Agit Procop. de eadem clade lib. 2. de bello Perſico.

## iij. B Quintodecimo Kal. Ianuarij. Luna. 18

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | | | |

PHILIPPIS in Macedonia natalis ſanctorum martyrum Rufi [a] & Zoſimi, qui ex eo numero diſcipulorum fuerunt, per quos primitiua Eccleſia in Iudæis & Græcis fundata eſt: de quorum etiam felici agone ſcribit ſanctus Polycarpus in epiſtola ad Philippenſes. Laodiceæ in Syria paſſio ſanctorum Theotimi [b] & Baſiliani. In Africa ſanctorum martyrum Quincti [c], Simplicij, & aliorum, qui ſub Decij & Valeriani perſecutione paſſi ſunt. Ibidem ſancti Moyſetis [d] martyris. Item in Africa ſanctorum martyrum Victuri [e], Victoris, Victorini, Adiutoris, Quarti, & alio-

Digitized by Google

aliorum triginta. Mopſueſtiæ in Cilicia ſancti Auxentij [f] Epiſcopi, qui olim ſub Licinio miles, potiùs elegit cingulum exuere, quàm vuas Baccho offerre: factuſque Epiſcopus, præclarus meritis in pace quieuit. Turonis ſancti Gatiani [g] Epiſcopi, qui à ſancto Fabiano Papa eiuſdem ciuitatis primus Epiſcopus ordinatus, multis clarus miraculis obdormiuit in Domino.

## DECEMBRIS 18.

RVFI & Zoſimi [a]. ] Beda, Vſuard. Ado, & alij de iiſdem hac die. Hi ſummopere laudantur à S. Polycarpo in epiſtola ad Philippenſes, dum eoſdem vnà cum S. Ignatio in exemplum ponit ſinceræ fidei, & perfectæ charitatis. De his iterùm apud Bedam, ſeptimo Kal Ianuarij: ſed perperàm additum videtur Zoſimo nomen Rom. Pōtificis, quaſi fuerit Zoſimus Papa, de quo infrà 26. Decembris.

[b] Theotimi & Baſiliani.] De his item Beda, & alij recentiores, conſentiuntque vetera manuſcripta.

[c] Quincti & ſoc. ] Beda de iiſdem hac die. Fuit Quinctus Epiſc. in Mauritania temporibus Decij Imp. ad quem extat S. Cypriani epiſt. 71. Inſcribitur nomen eius in epiſt. ad Cornelium Papam 54. An autem hic ille idem ſit, non ſatis exploratum habeo.

[d] Moyſetis.] De eodem Beda, Vſuardus, & vet. manuſcripta, itemque recentiores agunt.

[e] Victuri & ſoc. ] De his eadem manuſcripta S. Cyriaci hac die.

[f] Auxentij Epiſcopi.] De eo Græci; eiuſque certamen temporibus Licinij exhibitum deſcribit Suidas, ex quo Lipom. tomo 4. Alius eiuſdem nominis eſt ille qui temporibus Diocletiani ob Chriſti fidem ad beſtias damnatus eſt, de quo Euſeb. hiſt. lib. 8. cap. 17. Alius inſuper qui cum Euſtratio atque Mardario paſſus eſt, de quo ſuprà. Prætermittimus alios abſque martyrio eius nominis ſanctitate nobiles.

[g] Gatiani Epiſcopi.] Agunt de eodem Beda, Vſuardus, Ado, & alij hac die; pluribus Gregorius Turonenſis de geſt. Franc. lib. 1. cap. 30. & lib. 10. cap. 31. Ponitur hic primus Turonen. ſedis Epiſcopus, creatus Æmiliano & Aquilino Coſſ. Eſt is annus à Chriſto 251. ſecundùm veriorem ſupputationem.

19 Quartodecimo Kal. Ianuarij. Luna. Cij.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
29 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16
t u A B C D E f F G H M N P
17 18 19 20 21 22 23 24 23 24 25 26 27 28

ALEXANDRIÆ in Ægypto beati Nemeſij [a] martyris, qui primò per calumniam quaſi latro Iudici delatus, eoque crimine abſolutus, mox in perſecutione Decij Chriſtianæ religionis nomine Æmiliano Iudici accuſatur: à quo geminatis ſupplicijs excruciatus, cum latronibus iuſſus eſt incendi, Saluatoris deferens ſimilitudinem, qui vnà cum latronibus pertulit crucem. Nicææ ſanctorum Darij [b], Zoſimi, Pauli, & Secundi martyrum. Nicomediæ ſanctorum martyrum Cyriaci [c], Paulilli, Secundi, Anaſtaſij, Syndimij, & ſociorum. In Mauritania ſancti Timothei [d] diaconi, qui ob Chriſti fidem poſt diros carceres in ignem coniectus, martyrium conſummauit. Gazæ in Palæſtina paſſio ſanctarum Meuris [e] & Theę. Antiſiodori ſancti Gregorij [f] Epiſcopi & confeſſoris. Aureliani ſancti [g] Adiuti abbatis, prophetiæ ſpiritu illuſtris. Romæ ſanctæ Fauſtæ [h] matris ſanctæ Anaſtaſiæ, nobilitate & pietate inſignis.

DE-

NEMESII[a].] De eodem Beda, Vſuardus, Ado, & alij, iidemque ex epiſtola S. Dionyſij Epiſcopi Alexandrini, quam recitat Euſebius hiſt. lib. 6. c. 34. vbi eius certamen ponitur.

[b] Darij & ſoc.] Agit de Dario Vſuardus hac die; ceteri autem reſtituti ſunt ex prædicto antiquo manuſcripto.

[c] Cyriaci & ſoc.] Beda de iiſdem agit, ac recentiores, ſuffraganturque manuſcripta.

[d] Timothei diac.] De quo etiam Græci hac die in Menol. ibique recenſent eius martyrium.

[e] Meuris & Theæ.] Græci itidem de his agunt. Marcus diac. in Actis S. Porphyrij Epiſcopi Gazenſis refert harum venerandas reliquias Gazæ poſitas eſſe in eccleſia S. Timothei martyris.

[f] Gregorij Epiſcopi.] De eo Vſuardus hac die. Apud Bedam deprauatè legitur Gregorius Papa. De eodem Ado, & alij recentiores. Numeratur hic decimustertius eius ſedis Epiſcopus: ſedit annos duodecim, & menſes ſex, temporibus Vigilij & Siluerij Rom. Pont. vt conſtat ex tabulis eius eccleſiæ, quas recitat Demochares.

[g] Adiuti abb.] Vet. manuſcripta, ex quibus etiam recentiores hac die agunt.

[h] Fauſtæ.] De eadem manuſcripta. Extat ſanctæ Anaſtaſiæ epiſtola perbreuis ad ſanctũ Chryſogonum, vbi de ea his verbis meminit: Fauſta mater Chriſtianiſſima ſemper vixiſſe probatur & caſta: hæc me inter ipſa cunabula fecit fieri Chriſtianam, &c. Apud Nicephorum lib. 14. in fine, Flauia, pro Fauſta legitur, vt eſt apud Suidam.

## j. D Tertiodecimo Kalend. Ianuarij. Luna. 20

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | | | |

VIGILIA[a] ſancti Thomæ Apoſtoli. Romæ ſanctorum martyrum Liberati[b] & Baiuli. Alexandriæ ſanctorum martyrum Ammonis[c], Zenonis, Ptolemæi, Ingenis, & Theophili militum, qui tribunalibus aſtantes, cùm quidam Chriſtianus in ſuppliciis poſitus trepidaret, & iam pęnè ad negandum declinaret, vultu, oculis, ac nutibus illum conabantur erigere: cumque hac de cauſa totius populi clamor in eos prosiliret, prorumpentes in medium, Chriſtianos ſe eſſe teſtati ſunt: per quorum victoriam Chriſtus, qui ſuis eam animi conſtantiam dederat, glorioſiſſimè triumphauit. Geldubæ ſancti Iulij[d] martyris. In Arabia ſanctorum martyrum Eugenij[e] & Macarij presbyterorum, qui à Iuliano Apoſtata, cùm ipſius impietatem arguiſſent, ſæuiſſimis plagis affecti, atque in vaſtiſſimam eremum relegati, gladio cæſi ſunt. Antiochiæ natalis ſancti Philogonij[f] Epiſcopi, qui ex cauſidico ad eam eccleſiam regendam Dei nutu accerſitus, aduerſus Arium vnà cum ſancto Alexandro Epiſcopo & ſociis primum pro fide Catholica certamen iniit, clarusque meritis quieuit in Domino: cuius annuam feſtiuitatem S. Ioannes Chryſoſtomus præclaro encomio celebrauit. Brixiæ ſancti Dominici[g] Epiſcopi & confeſſoris.

## DECEMBRIS 20.

VIGILIA S. Thomæ [a].] De eadem Beda,& alij recentiores, Concil. Oxonienſ. & qui agunt de diuin. offic. vt Durand.lib.6. cap.7. & alij.

[b] Liberati & Bauli.] Agit de his Beda, Vſuardus tantùm de Liberato in Amphitrea.

[c] Ammonis & ſoc.] Beda, Vſuard. Ado, ac ceteri de his hac die. Extat epiſtola S. Dionyſij Epiſcopi Alexandrini, quam recitat Euſeb. hiſt. lib.6.c.34. qua eorumdẽ deſcribitur martyrium.

[d] Iulij.] De eo etiam Vſuardus hac die. Gelduba in Thracia ponitur ab Vſuardo, niſi ſit mendum in codice: verùm Plinius lib.19. cap.5. dicit Geldubam eſſe caſtellum Rheno impoſitum; aliam Geldubam non inuenimus.

[e] Eugenij & Macarij.] Agunt de his etiam Græci hac die in Menologio, eorumque certaminis compendium breui ſumma perſtringunt. Porrò eorum Acta pleniùs proſecutus eſt Metaphraſtes in vita ſancti Artemij martyris, quam deſcripſit Lipom. to.6.& Sur. to.5. die 20. Octobris. Memini me legiſſe eorumdem certamen in cod. manuſcript. bibliothec. S. Petri in Actis Patermuthij.

[f] Philogonij Epiſc.] Græci etiam de Philogonio hac die in Menologio. Extat homilia S. Ioannis Chryſoſtomi dicta in die natali ipſius tom.3. Ex litteris Arij hæreſiarchæ, quas recitat S. Epiphan. in Panar. hæreſi 69. maxima laus eidem Philogonio comparatur; dum illis ſignificat, hunc ipſum ſuæ ſectæ præcipuum aduerſarium eſſe. De eodem Hieron. chron. Niceph. Epiſcopus chron. & Nicephorus Calliſt. hiſt. lib.8. cap. 6. 7.8.9. & 14.

[g] Dominici Epiſcopi.] Tabulæ eccleſ. Brixian. Meminit de eo Rempertus eiuſdem ciuitatis Epiſcopus in ſermone habito de tranſlatione S. Philaſtrij. de alio Dominico confeſſore agitur hac eadem die in nonnullis eccleſiis Hiſp. de quo mentio habetur in Theſauro concion. tomo 2.

21 Duodecimo Kalend. Ianuarij. Luna. E *

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | | | |

CALAMINÆ natalis beati Thomæ [a] Apoſtoli, qui Parthis, Medis, Perſis, Hyrcanis, & Brachmanis Euangelium prædicauit, ac demum in Indiam perueniens, cùm eos populos in Chriſtiana religione inſtituiſſet, Regis iuſſu lanceis transfixus occubuit: cuius reliquiæ ad vrbem Edeſſam, deinde Orthonam in Apulia tranſlatæ ſunt. In Tuſcia ſanctorum martyrum Ioannis [b] & Feſti. In Lycia ſancti Themiſtoclis [c] martyris, qui ſub Decio Imperatore pro ſancto Dioſcoro, qui quærebatur ad necem, ſe offerens, equuleo tortus, raptatus, ac fuſtibus cæſus, martyrij coronam adeptus eſt. Nicomediæ ſancti Glycerij [d] preſbyteri, qui in perſecutione Diocletiani multis tormentis vexatus, in ignem demum coniectus, martyrium conſummauit. Antiochiæ ſancti Anaſtaſij Epiſcopi & martyris, qui, Phoca imperante, à Iudęis ſæuiſſimè necatus eſt. Treuiris ſancti Seuerini Epiſcopi & confeſſoris.

## DECEMBRIS 21.

THOMÆ Apoſtoli [a].] De quo Beda, ac ceteri Latinorum; Græci autem pridie Non. Octobris, vt conſtat ex eorum Menologio, & conſtitutione Emmanoelis Imp. De prædicatione Thomæ, de qua hîc agitur, quod ad Parthos pertinet, Origenes teſtatur lib.3. in Geneſ. Euſeb. hiſt. lib.3. cap 1. Ruffin. hiſt. lib.1. cap.9. Socrat. lib.1. cap.15. De Æthiopia meminit Ioannes Chryſoſt. homil. in duodecim Apoſtolos, cùm ait: Thomas baptiſmate Æthiopas dealbat. De prædicatione ad Indos ſcribit Gregor. Nazianz. orat. ad Arianos, & Greg.

Papa

Papa in Euangel.hom.17. De ceteris regionibus, quæ hîc numerantur, agit Sophron. apud Hieron. de Script. Eccleſ. Auctor apud Iſidor. de vita & obitu ſanct. c.76. Dorotheus in Synopſi, Beda in collect. & alij. De veteribus monumentis eius prædicationis apud Indos, conſule Hieron. Oſorium Epiſcopum Siluenſem grauiſſimum Indicarum rerum noſtri temporis ſcriptorem lib. 3. Non tantùm Brachmanis, ſed & Taprobanæ inſulæ accolis Euangelium annuntiaſſe, ſcribit Niceph.hiſt.lib.2.cap.50. Ante eum idem affirmare videtur Theodoretus de legibus. De Actis S. Thomæ Gelaſius meminit, & reiicit inter apocrypha; eadem habet Auguſtinus lib. contra Adimant. Manich.cap.17. contra Fauſt.lib.22.cap.9. & de Ser. Domini in monte, lib.1.c.20. Extant ea inter paſſiones Apoſtolorum ex anonymo. Reliqua verò ſcripta eius nomine, vt Circuitus, Actus, Euangelium, & Apocalypſis Thomæ dicta, damnata prorſus atq; reiecta reperiuntur in primis ab Athanaſio in Synopſi, Epiph. in Panario hęreſ.74. Innocent. Papa epiſt. ad Exuperium Epiſcopum Toloſanum, Cyrillo in catecheſi 6. ac denique à Gelaſio Rom. Pont. in cap. Sancta Rom. diſtin.15. Thomam enim quemdam Manetis diſcipulum eorumdem ſcriptionum auctorem fuiſſe, ſcribit idem Cyrillus in eadem catech.6. prope finem, & Epiphan. hæreſ.66. De ſancti Thomæ corporis tranſlatione, cuius hîc mentio habetur, iam ſatis ſuo loco ſuperiùs die 3. Iulij.

[b] Ioannis & Feſti.] De iiſdem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij agunt.

[c] Themiſtoclis.] Agunt de eodem Græci in Menologio, ex quo etiam ceteri.

[d] Glycerij.] De quo Græci in Menologio. Meminit eiuſdem Niceph.hiſt.lib.7.cap.6.& Metaphraſt.in Actis SS. Indes & Domnæ, die 26. Decembris, apud Lipom. tom.5.& Sur.tom.4.

[e] Anaſtaſij Epiſcopi.] Alius hic ab illo, de quo ſuprà xj. Kal. Maij. Vide notata ea die in Anaſtaſio Sinaita. Meminit huius Niceph. hiſt.li.18. cap.44. ſed confundit cum priori, vt ibi diximus.

[f] Seuerini Epiſcopi.] Vet. manuſcr. ex quibus etiam Molanus hac die. Ponitur in tabulis Demochar. vigeſimusſecundus eius ſedis Epiſcopus.

xxix. F Vndecimo Kalend. Ianuarij. Luna. 22

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |
| t | u | A | B | C | D | E | ſ | F | G | H | M | N | P | | | |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | | | |

ROMÆ via Lauicana inter duas Lauros natalis ſanctorum triginta[a] Martyrum, qui omnes vna die in perſecutione Diocletiani martyrio coronati ſunt. Ibidem S. Flauiani[b] expræfecti, qui ſub Iuliano Apoſtata pro Chriſto inſcriptione[c] damnatus, & ad Aquas Taurinas in exilium miſſus, illic orans, ſpiritum Deo reddidit. Apud Oſtia Tiberina ſanctorum martyrum Demetrij[d], Honorati, & Flori. Alexādrię ſancti[e] Iſchyrionis martyris, qui cùm ad ſacrificandum conuitiis & iniuriis cogeretur, atque contemneret, præacuta ſude per media viſcera tranſuerberatus neci traditur. In Ægypto ſanctorum Chæremonis[f] Epiſcopi Nilopolis, & aliorum plurimorum martyrum: quorum alij, ſæuiente Decij perſecutione, fuga diſperſi, in ſolitudinibus errantes, à beſtiis interempti ſunt: alij fame, frigore, ac languore conſumpti, alij à barbaris & latronibus necati, martyrij gloria coronati ſunt. Nicomediæ ſancti Zenonis[g] militis, qui cùm Diocletianum Cereri immolantem deriſiſſet, maxillis confractis, dentibusque excuſis, capite truncatus eſt.

DECEMBRIS 22.

TRIGINTA martyrum[a].] Agunt de his Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores. De loco Inter duas lauros, mentio habetur etiam in libello de munificentia Conſtantini, cùm agitur de baſilica ſanctorum Petri & Marcellini ibi à Conſtantino erecta.

[b] Flauiani.] Fabianus pro Flauiano ponitur in aliquibus vet. manuſcr. Agitur de eo in Actis S. Bibianę martyris. Locū Aquæ Taurinę dictum, cuius

cuius hîc habetur mentio, in Tuſcia fuiſſe conſtat: Plinius enim lib. 3. c. 5. Aquenſes Taurinos ponit in Tuſcia. De eodem loco pluribus ſcribit Rutilius Itiner. lib. 1. cùm ait:

*Noſſe iuuat Tauri dictas de nomine thermas*, &c.

Rurſus verò de Aquis Taurinis, & inde denominata eccleſia Tauritana, ſub diœceſi Centumcellenſi, habetur mentio à S. Gregor. in dialog. lib. 4. cap. 55. vbi plura de balneis ibi poſitis.

[c] Inſcriptione damnatus.] Eiuſmodi ignominia affici ſolitos Chriſtianos confeſſores, docet Pontius diac. in vita S. Cypriani, dum ait: Quis deniq. tot confeſſores frontium notatarum ſecunda inſcriptione ſignatos, & ad exemplum martyrij ſuperſtites reſeruatos, incentiuo tubæ cæleſtis animaret? Hæc ille. Seruorum vultus inſcribi ſolitos, teſtatur Plin. lib. 18. cap. 3. & alij, vt Varro lib. 1. de re ruſtica. Seruos pœnæ etiam; vnde Suet. in Caio cap. 27. ait: Multos honeſti ordinis, deformatos priùs ſtigmatum notis, ad metalla, & & munitiones viarum, aut ad beſtias condemnauit. De ſeruo hiſce notis deformato meminit Valer. lib. 6. cap. 8. Dicebantur eiuſmodi ſerui Stigmatici; ſic apud Dionem hiſtor. Rom. libro 97. itemque aliquando litterati, atque inuſti. Erat itaque inſcriptio antiquum genus ſupplicij, quo ſumma irrogabatur ignominia, cùm liberi hominis facies atris notis perpetuò manſuris profundis characteribus incideretur. Meminit eius ſupplicij Seneca lib. 3. de ira, c. 3. cùm ait: Varia vinculorum genera, varia pœnarum, lacerationes membrorũ, inſcriptiones frontis, &c. Sed frequentiùs de beneficijs lib. 4. c. 137. & 138. vbi de inſcriptione, qua Philippus Rea ingratum militem notandum præcepit. Conſtantinus Imp. eiuſmodi vultus deturpationem lege vetuit, ſic reſcribens ad Eumelinm: Si quis in ludum fuerit, vel in metallum pro criminum deprehenſorum qualitate damnatus, minimè in eius facie ſcribatur; dum & in manibus & in ſuris poſſit pœna damnationis vna ſcriptione comprehendi: quo facies, quæ ad ſimilitudinem pulchritudinis cæleſtis eſt figurata, minimè maculetur. L. 2. de pœnis. Cod. Theod. Theophilus Imp. hæreticus Iconoclaſta abolitam antiquatamque pœnam reſtituit, hiſceque non dicam ignominiæ, ſed præclariſſimæ laudis notis rigauit vultus ſanctorum martyrum Theophanis ac Theodori fratrum, quos Methodius illuſtris confeſſor, qui ob Chriſti fidem ab eodem Imp. tenebatur ſepulchro incluſus, per fidum internuntium his ſalutauit iambis:

*Quorum libris inſcripta ſunt cæleſtibus*
*Nomina, piaq; frontes compuncta notis:*
*Hos, qui ſepultus ante funus eſt ſuum,*
*Vinctos ſalutat & ipſe vinculis grauis.*

Hæc apud Georg. Cedren. in compendio hiſt. in Theoph. Comminatus eſt Theodoricus Rex Italiæ Opilioni & Gaudentio viris clariſſimis, inſcribendas notis ipſorum frontes. Boëtius de conſolat. proſa 4. Thracibus verò notæ in facie ſcriptæ erant in ſignum nobilitatis: vnde in prouerbium adductæ Thraciæ notæ, vt ea Herodoto notat Cæl. Rhodig. lect. antiq. lib. 7. cap. 31. Meminit de Thracijs notis Valer. lib. 9. cap. 14. 2. eat. Dacos ac Sarmatas ſolitos fuiſſe ſuas frontes notis inſcribere, auctor eſt Plin. lib. 22. c. 1. Stigmata fuiſſe etiam Britonum inſignia, teſtatur Tertullianns lib. de virgin. veland. Fuerunt & Syri ſtigmatici: non tamen in vultu, ſed in vola manus, vel in ceruice (vt tradit Lucianus in Dea Syria) ſtigmata incidebant.

[d] Demetrij & ſoc.] De his Vſuardus, Ado, & alij recentiores hac die.

[e] Iſchyrionis.] In Beda mendosè legitur Chiridonis; in Vſuardo, Schyrionis. ſatis conſtat ex epiſtola Dionyſij Alexandrini ad Fabium Antiochenum, quam recitat Euſeb. hiſt. lib. 6. cap. 34. cùm eius Acta refert, Iſchyrionem dici debere.

[f] Chæremonis Epiſc. & ſociorum.] Beda, Ado, & alij de ijſdem hac die: pluribus autem idem Dionyſ. eadem epiſt. apud Euſeb. libro 6. cap. 34. prope finem.

[g] Zenonis.] Eius certamen deſcribitur in Actis ſanctorum Indes & Domnæ, apud Metaphraſt. die 25. Decemb. Habet eadem Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 6.

## 23 Decimo Kal. Ianuarij. Luna. G aavij

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | | | |

ROMÆ ſanctæ Victoriæ [a] virginis & martyris, quæ in perſecutione Decij Imperatoris, cùm eſſet deſponſata Eugenio Pagano, & nec nubere vellet, neque ſacrificare, poſt multa facta miracula, quibus plurimas Deo virgines aggregauerat, à carnifice percuſſa eſt gladio in corde, rogatu ſui ſponſi. Nicomediæ natalis ſanctorum viginti [b] Martyrum, quos Diocletiana perſecutio grauiſſimis tormentis cruciatos, martyres Chriſti fecit. Ibidem paſſio ſanctorum Migdonij [c] & Mardonij, quorum alter in eadem perſecutione igne crematus, alter in foſſam proiectus occubuit.



Digitized by Google

Tunc etiam paſſus eſt diaconus S. Anthimi Epiſcopi Nicomedienſis, qui cùm litteras perferret ad Martyres, à Gentilibus tentus, & lapidibus obrutus, migrauit ad Dominum. In Creta ſanctorum martyrum Theoduli [d], Saturnini, Eupori, Gelaſij, Euniciani, Zerici, Cleomenis, Agathopi, Baſilidis, & Euariſti, qui in perſecutione Decij crudelia paſſi, capite cæſi ſunt. Romæ beati Seruuli [e], de quo S. Gregorius [f] ſcribit, quòd à primæua ſui ætate vſque ad finem vitæ paralyticus iacuit in porticu prope eccleſiam ſancti Clementis, & demum Angelorum cantibus inuitatus, tranſiuit ad gloriam paradiſi: ad cuius tumulum Deus miracula creberrimè oſtendit.

## DECEMBRIS 23.

VICTORIÆ. [a]] De eadem Beda, Vſuard. Ado, & alij recentiores: S. Aldelmus libro de laud. virg. tam proſa quàm carmine Victoriam, ac eius germanam Anatholiam pluribus laudat, earumdemque res geſtas commemorat. Habemus vtriuſque Acta manuſcripta. quorum eſt exordium: Factum eſt autem vt vir, &c. Petr. in catal. lib. 1. c. 83. de ijſdem agit, atque alij.

[b] Viginti martyrum. ] Beda, Vſuard. Ado, Petr. in catal. lib. 1. cap. 84 & alij recentiores hac die.

[c] Migdonij & Mardonij. ] Horum martyrium recenſetur in Actis SS. Indes & Domnæ, apud Metaphr. die 26. Decemb. ex quo Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 6. Agitur ibidem de diacono Nicomedienſi, de quo hic mentio habetur. De Migdonio item Niceph. hiſt. lib. 7. c. 5. qui agit & de Gorgonio, quem diuerſum eſſe à Mardonio, Acta ſuperiùs citata ſignificant.

[d] Theoduli & ſoc. ] Agunt de his etiã Græci hac die in Menologio, eorumq. paſſionis Acta deſcribunt: locupleriùs autem Metaphraſtes, ex quo Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 6. eadem referunt.

[e] Seruuli. ] De eo Beda, Vſuard. Ado, ac ceteri. Eius Acta perpetuis ſcriptorum monumentis ſanctus Gregorius Papa mandauit; agit enim de ipſo lib. 4. dialog. cap. 14. & homil. 5. in Euangel. Erat eius memoria Romæ apud S. Clementem, vbi & eius vita picturis deſcripta habetur.

[f] Gregorius ſcribit. ] Etſi menti non exciderit, me notationes tantummodò, & non apologias, vel inuectiuas conſcribere: tamen non omnino ab instituto alienum exiſtimo, ſi cùm ſæpè in Romano Martyrologio libri dialogorum S. Gregorij Papę adducantur in teſtimonium, eoſdem (tanti Patris reuerentia ductus) à calumnijs vendicem, non dico hæreticorũ (aliter enim cum illis mihi agendum eſſet) ſed Catholici hominis Melchioris Cani Epiſc. Canar. dum in ſuorum quos ſcripſit locorum Theologicorum commentario lib. 2. cap. 6. aduerſus prędictos dialogorum libros inconſtanter ac inconſultè nimis loqui videatur; & quos iam mille ferè annis tam Occidétalis, quàm Orientalis Eccleſia ſumma fide, digna veneratione, immenſiſq. eſt laudibus proſecuta, audeat nouus aſſertor in controuerſiam reuocare, ac fide minuere. At ne nos calumniã agere quis exiſtimet; reddimus eius verba, præteritis nonnullis, quæ eodem capitulo ab ipſo dicta, caſtigatione ſunt digna. ſic ſe habent, dum ſanctos ac eruditos viros hallucinatos eſſe aliquando, conatus eſt demonſtrare: Quæ (inquit) ego eadem de Beda atque Gregorio iure fortaſſe ac verè dicere poſſum: quorum ille in hiſtoria Anglorum, hic in dialogis quædam miracula ſcribunt vulgò iactata & credita: quæ huius præſertim ſæculi Ariſtarchi incerta eſſe cenſebunt. Equidem hiſtorias illas probarem magis, ſi earum auctores, iuxta pręfinitam normam, ſeueritati iudicij curam in eligendo maiorem adiunxiſſent: ſed quoniam modeſtè & circumſpecto iudicio de tantis viris pronuntiandum eſt, ne in his quidem duobus reijcienda ſunt plurima: pauca enim in eis poſſis arguere, quamuis hiſtoriam Eccleſiaſticam reuocare ad ſeueriora iudicia contendas. Hæc ille: cetera autem, quibus eumdem Gregorium ſugillat, dicemus inferiùs. Appello te, vir erudite, qui feriendo demulces, & demulcendo feris (vt interim de Beda taceamus) cur non ſignas in Gregorij dialogis, illa quæ ſcribis, miracula vulgò iactata & credita; ne pauca, quæ tuo iudicio ſunt arguenda, non arguens, vel reijciens, integrum opus fide minuas, & in ſuſpicionem adducas? Qui ſint Ariſtarchi, qui ea incerta exiſtiment; licet te ab illis ſubtrahere videaris, cùm tamen eadem vulgò iactata ac credita dicas, te ipſa te inter illos adnumeras. Sed ante omnia te ipſum ad tuam reuoco ſcriptionem, dum præceptoris tui iudicium de te editum ſic deſcribis in duodecimi libri tui præfatione: Fratrem (inquis) Franciſcum Victoria, Lector optime, eum quem ſummum Theologiæ præceptorem Hiſpania Dei ſingulari munere accepit, ſolitum dicere audiui, poſtquam ab illius ſchola diſceſſi, ſe ingenio meo quidem egregiè delectari: ſed id vereri, ne huius excellentia quadam elatus & exultans, immoderatè iactarer; & grandior effectus, non lætè modò & liberè ingrederer, ſed temerè etiam ac licenter pręceptoris veſtigia conculcarem. Hęc tu ipſe. At vtinam vnius tantùm pręceptoris, & nõ maiorum omnium de dialogis Gregorij iudicium contempſiſſes, neque tot adſtipulatoribus tuam prætuliſſes ſententiam. Prouoco te ad Patres tuos ſanctiſſimos ac erudititiſſimos viros Hiſpaniarum doctores, Iſidorum, ſanctum Illefonſum, eiuſque

ſucceſſo-

ſucceſſorẽ poſt Quiricum, S. Inlianum, qui libros prognoſticon ſcripſit. Quantum Iſidorus Gregorij ſcripta omnia plurimi fecerit, ipſum conſule lib. de vir. illuſt. c. 27. vbi poſt immenſa pręconia, hęc tandem in fine: Felix (inquit) & nimiùm felix, qui omnium ſtudiorũ eius potuit cognoſcere dicta. Ilefonſus & ipſe de vir. illuſtr. cap. 2. Tanto (inquit) per gratiam Spiritus ſancti ſcientię lumine pręditus, vt non modò illi pręſentium temporum quiſpiã, ſed ne in pręteritis quidem par fuerit vmquam. Ita enim cunctorum meritorum claruit perfectione ſublimis, vt excluſis omnium illuſtrium virorum comparationibus, nihil illi ſimile demonſtraret antiquitas. Vicit enim ſanctitate Antonium, eloquentia Cyprianum, ſapientia Auguſtinum, &c. Certè Inlianus in his quæ diſſerit in libris prognoſticon, è dialogorum S. Gregorij libris teſtimonium petit. Itemq ſanctorum Patrum conuentus ex ijſdem dialogis mutuati ſunt auctoritatem, ex ijſdemq. citatas hiſtorias deſcripſere, vt in Concilio Triburienſi cap. 17. vbi recitatur mirandum illud prodigium de Valentino eccleſiæ Defenſore, de quo S. Gregorius agit li. 4. dialog. c. 53. quod præ ceteris fortè Ariſtarchi tui commentum eſſe cenſebunt. Hadrianus Papa in epiſtola quam ſcripſit ad Carolum Magnum, non ſemel eoſdem S. Gregorij citat dialogos. Ijſdem dialogis vt validiſſimis armis vſus eſt etiam Ionas Aurelianenſis ad confutanda portentoſa monſtra Claudij Taurinenſis. Quanti illos fecerit Zacharias Papa, hęc habes à Ioanne diacono lib. 4. c. 75. Hos libros (inquit) Zacharias, ſanctę Eccleſię Romanę Epiſcopus, Gręco Latinoq. ſermone doctiſſimus, temporibus Conſtantini Imp. poſt annos ferè centum ſeptuagintaquinque in Græcam linguam conuertens, Orientalibus eccleſijs diuulgauit. Hæc Ioannes. Quanti autem eos Gręci æſtimarint, ex his potes intelligere, dum Gregorium citantes, Dialogum appellant. Quid ad hæc, vir optime, numquid his omnibus cæcutientibus, tu ſolus vides? ac ceteris dormitantibus, tu ſolus vigilas? ſed ad quam lucernam? tu ipſe prodis, dum eodem capitulo hæc de Ludouico Viues: Iuſtiſſima eſt (inquis) Ludouici querela de hiſtorijs quibuſdam in Eccleſia confectis, &c. Hęc tu de illo, cuius ſcriptiones quali indiguerint ſcopa, notum eſt omnibus. Sed quid in his immoror? Quid de dialogis S. Gregorij ſit ſentiendum, cùm tecum ago, non alterius quàm tui ipſius appello iudicium. In memoriam, quæſo, reuoca, quid de his nuper ſenſeris, quid ipſe nuper ſcripſeris: te ipſum enim ad tua ſcripta iterùm prouoco. Hæc enim ante quatuor paginas eodem capitulo, quo de recta ſcribendæ hiſtoriæ ratione diſputas, poſita habes: Prima lex (inquis) ex hominum probitate integritateque ſumetur. Quæ omnino res locum habet, cùm quæ narrant hiſtorici, ea vel ipſi ſe vidiſſe teſtantur, vel ab his qui viderunt, accepiſſe. Qualia ſunt pleraque in epiſtolis Ambroſij, Cypriani, Hieronymi, Auguſtini, in libris quoque de Ciuitate Dei, in dialogis S. Gregorij, breuiter in omnibus ferè doctorum Eccleſię probatiſſimorum ſcriptis: in quibus mendacium ſuſpicari, quod ad memoriam ſempiternam transferre illi ſcribendo voluerint, piaculum eſt. Magnis quippe pręclariſq. virtutibus viri ſanctiſſimi atque optimi id conſequi meruerunt, vt in rebus huiuſmodi, quas vel ſpectaſſe ſe, vel ab alijs fide dignis qui ſpectauerint, ſe audiuiſſe teſtati ſunt, fides omnino illis adhibeatur. Hæc tu quidem, cùm ſtatim in Eraſmum, & in alios recentiores inueheris, qui ſtultè nimis à prædictis deſciuerũt. His certè nihil grauius, nihil eruditius, nihil denique Catholico homine dignius dici potuit. Sed quæ tanta in re tanta, tantula temporis mora, in tanto homine inconſtantia? quid dicam ampliùs non habeo; niſi quòd illa priora diuino afflatus ſpiritu, veritate ſuadente, ſcripſiſti, poſteriora autem ipſe tuo ſenſu conatus es, quo qui ducitur, mendax eſt, veritate atteſtante: Omnis homo mendax, Deus autem verax eſt. Vt autem ad dictos Dialogorum libros reuertar. Scripſit eos S. Gregorius anno quarto ſui Pontificatus, vt colligi poteſt ex lib. 4. c. 36. cùm peſtilentiam, quæ primo anno ſuæ ſedis Romam afflixit, ante triennium eſſe graſſatam affirmat. Quanta autem adhibita diligentia, quantoque ſtudio veritatis, opus elaborarit; cùm quæ viderit, vel à certis probatiſſimiſque viris acceperit, ſcriptis mandauit; tam ex ijſdem libris, quàm etiam ex epiſt. 50. lib. 2. regiſtr. ad Maximianum Epiſcopum Syracuſanum ſcripta, facilè poteſt intelligi. Sed de his hactenus. Occurrimus etiam eiuſdẽ obiectioni de eodem ſancto Gregorio, qui de Sozomeno agens in regiſtro libro 6. epiſt. 31. Ind. 15. cap. 95. locum illius citat de laude Theodori Mopſueſteni Epiſcopi; quem quidem cùm prędictus Canus apud Sozomenum non reperiri contendat, quaſi oſcitantiæ Gregorium redarguens, illum locum dicit eſſe Theodoreti lib. 5. c. 39. ſed non animaduertit nos non habere integram hiſtoriam Soxomeni, ac complures eius libros exciſiſſe. Nam cùm ipſe in præfatione ad Theodoſium Imp. teſtetur, ſe perducere ſuam hiſtoriam vſque ad decimumſeptimum Conſulatum ipſius; cumq́ue ea quæ extat, nece Conſtantij Imp. collegę Honorij terminetur, qui (vt auctor eſt ſanctus Proſper in chronico, & alij) occiſus eſt, Agricola & Euſtachio Coſſ. neceſſe eſt affirmare, decem & octo annorum ſaltem temporis Sozomeni hiſtoriam intercidiſſe, quibus præſertim temporibus, exurgente hæreſi Neſtoriana, quæ à prædicto Theodoro Mopſueſteno ducit originem, de eodem Theodoro prolixior erat abſque dubio narratio. Ecquid mirum, ſi quod dixerat Sozomenus, à Theodoreto repetitum inueniatur; cùm & alia complura de his exempla in illorum hiſtorijs eſſe conſtet? Prætermittimus hîc alia, quæ de Theodoreto diſputat; memores notationes hîc nos tantùm conſcribere, non quaſcumque controuerſias diſputare, omnéſve aliorum errores corrigere.

xxvij. A **Nono Kalend. Ianuarij. Luna.** 24

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | | | |

VIGILIA [a] Natiuitatis Domini noſtri IESV Chriſti. Antiochię natalis ſanctarum Virginum [b] quadraginta, quę in Deciana perſecutione per diuerſa tormenta martyrium conſummarunt. Apud Spoletum S. Gregorij [c] presbyteri & martyris, qui temporibus Diocletiani & Maximiani Imperatorum primò nodoſis fuſtibus cæſus, ac deinde poſt craticulam & carcerem, carduis ferreis in genibus percuſſus, ſed & ardentibus lampadibus per latera incenſus, tandem eſt decollatus. Tripoli ſanctorum martyrum Luciani [d], Metrobij, Pauli, Zenobij, Theotimi, & Druſi. Nicomediæ S. Euthymij [e] martyris, qui in perſecutione Diocletiani, cùm multos ad martyrium pręmiſiſſet, ipſe enſe transfixus, ſecutus eſt ad coronam. Burdigalæ S. Delphini [f] Epiſcopi, qui Theodoſij tempore claruit ſanctitate. Romæ natalis ſanctæ [g] Tharſillæ virginis, amitæ S. Gregorij Papę, de qua ipſe teſtatur, quòd in hora exitus ſui IESVM ad ſe venientem viderit. Treuiris ſanctę Irminę [h] virginis, filiæ Dagoberti Regis.

## DECEMBRIS 24.

VIGILIA Natiuitatis Domini [a]. ] De ea Beda, Vſuardus, Ado, Gregorius Turonenſis ante hos omnes de geſtis Franc. lib. 10. cap. 31. Amalarius de ordin. antiph. c. 14. Microlog. c. 32. ac demum ceteri omnes qui agunt de offic. Eccleſiaſt. S. Auguſtinus presbyterum ſibi ſubditum ab officio presbyterij remouendum putauit, quòd inter alia (vt ait) Vigilia Natalis Domini, qua omnes eccleſiæ ſolent ieiunare, apud famoſam mulierē prandere ac cœnare præſumpſiſſet. Scribit de his ad Xantippum Numidiæ Epiſcopum epiſt. 236. De tremēdo iudicio Dei in Eparchium presbyterum eamdem Vigiliam profanantem ſcribit Gregor. Turonen. de glor. mart. cap. 87. vbi & de ſeuera animaduerſione in ſe ipſum diuinitus immiſſa, cùm ſe pauliſper ſomno dediſſet, ſubdit exemplum. Ea legant, attendantque qui ſacratiſſima illa nocte ad iniquitates & peccata vigilant.

[b] Virginum quadraginta. ] De his item hac die Beda, Vſuardus, Ado, Wandelbertus, & Petrus in catalogo libro 1. cap. 89. & alij recentiores.

[c] Gregorij. ] Beda, Vſuardus, Ado, & alij de his hac die pluribus agunt. Eius autem Acta ex antiquis codicibus edidit Mombrit. tomo 2. & Sur. tom 6. Habemus eadem manuſcript. quibus additur præclarum miraculum eius virtute editum anno Domini milleſimo trigeſimoſeptimo. incipit: Recolentibus vobis, &c.

[d] Luciani & ſociorum. ] De his Beda, Vſuardus, & Ado; conſentiuntque vetera manuſcripta.

[e] Euthymij. ] De eodem in ijſdem Actis ſanctarum Indes & Domnę habetur mentio, apud Metaphraſt. die 26. Decemb. Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 6.

[f] Delphini Epiſc. ] Extant ad hunc S. Paulini Nolani Epiſc. epiſtolæ quinque, videlicet 15. 16. 17. 18. & 19. meminitque eiuſdem ſumma cum laude ſcribens ad Amandum, eiuſdem ciuitatis Epiſcopum, epiſtola 21. & 24.

[g] Tharſillæ. ] Hanc feliciter ex hac vita migraſſe hac die, ſcribit S. Gregorius, qui eius Acta pluribus refert, dial. lib. 4. cap. 16. & in Euangel. hom. 38.

[h] Irminæ. ] De eadem Ado, & alij recentiores, pluribus verò Trithem. de vir. illuſtr. ord. S. Benedicti lib. 3. c. 138. Claruit (vt ait) anno Domini 710.

Octauo

25 Octauo Kalend. Ianuarij. Luna. B xxvj.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22
t u A B C D E f F G H M N P
23 24 25 26 27 28 29 30 29 1 2 3 4 5

ANNO [a] à creatione mundi, quando in principio Deus creauit cælum & terram, quinquies milleſimo centeſimo nonageſimonono: A diluuio verò anno bis milleſimo nongenteſimo quinquageſimoſeptimo: A natiuitate Abrahæ anno bis milleſimo quintodecimo: A Moyſe, & egreſſu populi Iſrael de Ægypto, anno milleſimo quingenteſimodecimo: Ab vnctione Dauid in Regem anno milleſimo trigeſimoſecundo: Hebdomada ſexageſimaquinta iuxta Danielis prophetiam: Olympiade centeſima nonageſimaquarta: Ab vrbe Roma condita anno ſeptingenteſimo quinquageſimoſecundo: Anno Imperij Octauiani [b] Auguſti quadrageſimoſecundo, toto orbe in pace compoſito, ſexta mundi ætate, IESVS CHRISTVS æternus Deus, æterniq́ue Patris Filius, mundum volens aduentu ſuo pijſſimo conſecrare, de Spiritu ſancto conceptus, nouemq́ue poſt conceptionem decurſis menſibus, ( *Hic dicitur alta voce,* ) In Bethleem Iudæ naſcitur ex MARIA virgine factus Homo. ( *Hic autem altiùs, & in tono paſsionis:* )

NATIVITAS [c] Domini noſtri IESV CHRISTI ſecundùm carnem. ( *Quod ſequitur, legitur in tono lectionis Martyrologij:* ) Eodem die natalis ſanctæ Anaſtaſiæ [d], quæ tempore Diocletiani, primò diram & immitem cuſtodiam à viro ſuo Publio perpeſſa eſt, in qua tamen à Chryſogono confeſſore Chriſti multùm conſolata & confortata fuit: deinde à Floro Præfecto Illyrici diutina cuſtodia macerata, ad vltimum manibus & pedibus extenſis ligata eſt ad palos, & circa eam ignis accenſus; in quo martyrium conſummauit in inſula Palmaria, ad quam cum ducentis viris & ſeptuaginta feminis deportata fuerat, qui varijs interfectionibus martyrium celebrarunt. Romæ in cœmeterio Aproniani ſanctæ Eugeniæ [e] virginis, quæ tempore Gallieni Imperatoris poſt plurima virtutum inſignia, poſt ſacros virginum choros Chriſto aggregatos, ſub Nicetio Vrbis Præfecto diu agonizans, nouiſſimè gladio iugulata eſt. Nicomediæ paſſio multorum [f] millium Martyrum, qui cùm in Chriſti Natali ad Dominicum [g] conueniſſent, Diocletianus Imperator ianuas eccleſiæ claudi iuſſit, & ignem circumcircà parari, tripodemq́. cum thure præ foribus

Yy 3 poni,

poni, ac prǫconem magna voce clamare, vt qui incendium vellent effugere, foras exirent, & Ioui thus adolerent: cumque omnes vna voce reſpondiſſent, pro Chriſto ſe libentiùs mori, incenſo igne conſumpti, eo die naſci meruerunt in cǫlis, quo Chriſtus in terris pro ſalute mundi naſci dignatus eſt.

# DECEMBRIS. 25.

ANNO à creatione mundi quinquies milleſimo centeſimo nonageſimonono [a].] Ita antiquæ tabulæ eccleſiarum, ſecundùm ſupputationem ſeptuagintaduorũ Interpretum, ex Euſebij chronico: quam quidem tam Occidentalem, quàm Orientalem Eccleſiam conſtat eſſe ſecutam. Scimus autem de annorũ calculo ab origine mundi varias eſſe diuerſorum ſententias; quorum alij in his ſeptuagintaduos Interpretes, alij autem Hebraicam veritatem ſecuti ſunt: rurſumque nec in vnam conuenire ſententiam, qui prædictos Interpretes, ſicut nec qui Hebrǫorum codices ſunt ſectati; adeoque inter ſe diſſentire, vt licet tam Latinorum, quàm Græcorum ingens ſit numerus, qui tempora ſupputarint; nullus ferè, qui alteri in omnibus conſentiat, inueniatur; iureque in his dici illud poſſit: Quot capita, tot ſententiæ. Non eſt modò nobis dicendum per ſingula; nec breui ſcholio coarctanda ſunt, quæ prægrande volumen expoſcunt. Satis tibi ſit, candide Lector, nos hîc demonſtrare eiuſmodi annorum ſupputationem poſitam eſſe more maiorum, ſimulque oſtendere Catholicam Dei Eccleſiam in ſupputando annorum numero ſeptuaginta Interpretes ſequi conſueuiſſe. Eſt de his in primis ſancti Auguſtini teſtimonium lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 11. vbi agens de ſupputatione temporum: Eos (inquit) in auctoritatem celebriorem ſuſcepit Eccleſia, &c. cùm tamen aliquando idem plus tribuat Hebraicæ veritati; idque (vt ait) non vt deroget dictis Interpretibus, ſed quòd qui ex eis deſcripſerunt, aliquo errore lapſi ſunt. ita dicto li. 15. cap. 13. Idipſum S. Hieron. de Hebraic. quæſtion. in Geneſ. Inſuper Iulianus Epiſcopus Toletanus doctrina ac ſanctitate celebris docet antiquum eſſe morem Romanæ Eccleſiæ, in ſupputatione temporum ſequi ſeptuagintaduos Interpretes. Agens etenim contra Iudæos, pluribuſque diſſerens, ac prǫferens eam Interpretum ſupputationem illi quæ ex Hebraicis codicibus colligitur, poſt multas rationes, hæc ſubdit de antiquo Eccleſiæ vſu: Ergo (inquit) illa nobis & ſola pro his annis eſt obſeruanda auctoritas ſeptuaginta Interpretum, quæ meritò omnibus editionibus & tranſlationibus anteſertur; quam etiam vſque omnes Doctores Eccleſiaſtici tenuerunt, & in hac præcipuè annorum ſupputatione ſecuti ſunt. Hæc Iulianus. Docent hæc etiam cùm rerum eccleſiaſticarum exempla, tum etiam ſanctorum Patrum auctoritates & teſtimonia. Acta Synodica œcumenica ſecundùm prædictos Interpretes annos enumerant. Conſtat id ex ſexta Synodo can. 5. apud Theod. Balſam. pag. 198. Antiqui Patres, tam Græci, quàm Latini, pari modo numerarunt, vt Heros Epiſcopus Antiochenus, Theophilus eiuſdem ciuitatis Antiſtes, Hippolytus Portuenſis, Cyprianus, Origenes, Iulius Africanus, Epiphanius, Euſebius, Cyrillus, Nicephorus, Suidas, & alij complures: Latinorum autem Lactantius, Philaſter, Auguſtinus, Oroſius, Iulianus Epiſcopus Toletanus, Albinus Flaccus, & alij plures ex recentioribus, quos omittimus. ſatis ſit modò declaraſſe, Catholicam Dei Eccleſiam in ſupputatione annorum ab origine mundi dictos Interpretes eſſe ſecutam; quod & antiqua Martyrologia, ex quibus hæc ſunt deſcripta, teſtantur. At quid dicam noſtrates? cùm factum conſtet à Iudæorum hiſtoricorum antiquioribus; quorum qui clariſſimus habetur, Ioſephum conſtat numeraſſe annos ab origine mundi ſecundùm ſeptuagintaduos Interpretes, non autem ſecundùm Hebraicam veritatem. quod ex eo facilè intelligi poteſt, dum in præfatione librorum de Antiquitatibus, & contra Apionem lib. 1. ab origine mundi vſque ad ſua tempora numerat quinque mille annos. Quòd ſi qui ex textu Hebraico colligitur numerus, certior eſſet; Hieronymus eius ſectator atque defenſor ad quid in libro 1. comment. in epiſt. ad Tit. c. 3. hæc ait? Eiuſmodi annorum certum numerum aut difficile eſt inuenire propter librorum varietatem, & (dum paulatim de inemendatis inemendata ſcribuntur) errores inolitos: aut etſi inuenimus magno ſtudio & labore, nihil profutura cognoſcas. Faciunt certam quidẽ fidem eius rei multiplices ſupputatores ab inuicem diſcrepantes, qui licet ex Hebraico fonte numerum deducant annorum mundi, vix vnus vel alter reperitur qui alteri in omnibus conſentiat. Cuius rei creditur deſperatione victos antiquorum complures, qui ante tempora Conſtantini ſcripſere de temporibus commentarios, nonniſi à Moyſi tempore annos numerare cœpiſſe, vt tradit Lactantius lib. 4. c. 5. Quamobrem nullus faceſſat negotium, ſi de annis ab origine mundi, ex Hebraica veritate alij, tum antiquiores, tum recentiores, ſupputauerint annos. Nam ſi id aſſequi maioribus minùs licuit; certè quomodo id recentiores ſibi tutò vendicent, non intelligo: etenim ſi codicum reſtituenda lectio eſt, nonniſi ex antiquioribus exemplaribus rectè fieri poſſe continget. At de his ſatis.

[b] Anno Imperij Octauiani Auguſti quadrageſimoſecundo.] Id etiam profitetur Euſeb. in chron. Epiph. in Panar. li. 1. hǫreſ. 20. & iterùm lib. 2. hæreſ. 51. id in homilia de Indictione, quæ Græcè ſcripta Ioan. Chryſoſt. eſſe dicitur: id ipſum Græcorum ceteri, Beda de ſex ætat. & alij. Sed huic ſententiæ auctores grauiſſimi refragari videntur, dum affirmant Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum natum anno quadrageſimoprimo Imperij Octauiani Auguſti. Id etenim habent in primis Irenǫus lib. 3. cap. 25. Tertullianus contra Iudǫos, S. Hieronymus iterùm, vt in Iſai. c. 2. in Daniel.

Daniel. lib. 1. cap. 9. Caſſiodorus, Iulianus Epiſc. Tolet. Marianus Scotus, & quidam ex recentioribus hos ſecuti. Sed huiuſmodi diſcrepantia facillimè conciliatur, ſi annorum Imperij Auguſti diuerſa ſupputationis ratio attendatur. Euſebius etenim, Epiphanius, & alij eam ſententiam de anno quadrageſimoſecundo ſecuti, Auguſti annos exordiuntur à nece Cæſaris, qui fuit annus ante Triumuiratũ, quo re vera ex Senatuſconſulto declaratus eſt Imperator, eò quòd ſuo exercitu Romam ab Antonij furore liberaſſet. Teſtatũ id habes expreſsè in epiſtola decimaquinta Ciceronis ad Brutum, cuius quidem epiſtolæ tempus fuiſſe annum ante Triumuiratum, facilè quiſque intelliget, qui illorum temporum res geſtas nouit. Quanta æſtimata fuerit illa collati Imperij dignitatis amplitudo, ſcribens Brutus ad Ciceronem, hæc ait: Itaque timeo de Conſulatu, ne Cæſar tuus altiùs ſe aſcendiſſe putet decretis tuis, quàm inde, ſi Conſul factus ſit, deſcenſurum. Hæc ille de ea Imperij Cæſaris maieſtate; quam maioribus in dies acceſſionibus auctam conſtat, quouſque ſumma rerum potitus, pleniſſimæ poteſtatis (vt dicemus paulò inferiùs) Imperator eſt appellatus. A prædicto itaque tempore complures antiquorum annos Auguſti Imp. numeraſſe, certiſſimum eſt. Id etenim Euſebium feciſſe, ex eius chronico ſatis conſtat: inde etiam Epiphanium numerare cœpiſſe liquet, vt oſtendimus in apparatu ad noſtros Annales Eccleſiaſticos. Qui verò numerare conſueuerunt à tempore Triumuiratus (id etiam vſu quodam receptum fuiſſe videtur) ij iure natum dicunt Chriſtum Dominum anno eiuſdem Imperij quadrageſimoprimo. Rurſus autem alia ratione Clemens Alexand. li. 1. Stromat. numerans annos Imperij Auguſti ab eo tempore, quo debellatis iam cunctis hoſtibus, ſumma rerum potitus, Imperator antonomaſticè eſt appellatus, ait Dominum Ieſum Chriſtum natum anno vigeſimooctauo eius Imperij. Hæc ea quidem ratione, quòd anno ſeptingenteſimo vigeſimoquinto ab Vrbe condita, Octauiano quintùm & Apuleio Coſſ. (inquit Dio lib. 52.) idem Octauianus Imperatoris nomen accepit, non quale propter victoriam tribui vetuſto more ſolebat (id enim ſæpiùs & anteà & poſtmodum ex ipſis actionibus reportauit, vicies quidem Imperator dictus) ſed quo ſumma Imperij demonſtraretur, &c. Paulò pòſt aute[illegible]accepiſſe oblatum à Senatu ſibi nomen Auguſt[illegible] idem auctor teſtatur. Hæc de annis Auguſti ex Faſtis Conſularibus ſunt deducta, quibus vſi ſunt Patres ad exactam temporum rationem peruestigandam; quos qui contemnit, in multos errores labi neceſſe eſt. In quam ſententiam S. Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 28. hæc ait: Per Olympiades, & Conſulum nomina, multa ſæpè quæruntur à nobis; & ignorantia Conſulatus quo natus eſt Dominus, & quo paſſus, nonnullos coëgit errare. Hæc Auguſtinus. Ex quo autem in hæc ſemel incidimus, quo annorum ratio ex Faſtis Conſularibus deducenda, firmior certiorque eſſe noſcatur, hîc obiter inſulſæ nimis ac imprudenti quorumdam obiectioni occurrimus, dicentium ex multitudine Conſulum ſuffectorum & allectorum, fallaciſſimum eſſe annos per Conſules numerare; quaſi neceſſe ſit dictos Conſules cum illis qui ordinarij Conſules ſunt dicti, confundere. Vnius Dionis, quæ modò occurrit, ſententia his ſatisfaciat, cuius lib. 43. hiſt. Rom. hæc ſunt verba: Ab eo tempore (anno ab Vrbe condita ſeptingenteſimonono, quo Fabio Conſule mortuo, ſuffectus eſt ad paucas horas Caninius) cœptum eſt, vt perpauci toto anno Conſulatum gererent; ſed alij pauciores, alij plures menſes dieſque, prout caſus tuliſſet, eo magiſtratu fungerentur: ac noſtro quidem tempore (Seueri Imp. videlicet) nemo neque ad integrum annum, neque ampliùs duobus menſibus ferè cum collega aliquo Conſul eſt: in ceteris ab antiquo more nihil diſcrepamus: annorum autem numerus his qui ab initio eius Conſules fuerunt, adſcribitur, &c. Hęc Dio, & ipſe eodem ordine numerans ſingulos annos, ſicut & feciſſe conſtat Liuium, Tacitum, & alios hiſtoricos nobiliſſimos. Porrò tantum abeſt vt in annorum numero aliqua ratio haberetur ſuffectorum vel allectorum Conſulum: vt dicat Auſon. Gallus in gratiarum act. pro ſuo Conſulatu, ſub quibus Conſulibus ij Conſulatum geſſerint, quærere opus fuiſſe.

[e] NATIVITAS.] Hac ipſa die ex antiqua Eccleſiæ Catholicæ traditione Natalem Domini celebrari ſolitum, præter ea quæ feruntur in Conſt. Clem. lib. 5. cap. 13. S. Auguſtinus teſtatur in Pſalm. 132. & alij. Scimus tamen de die Natali Domini fuiſſe diuerſas ſententias, quas recenſet Clemens Alexand. lib. 1 Stromat. Ægyptij inter alios à ceteris diſcrepantes, celebrabant Natalem Chriſti, quo die agimus nos Domini Epiphaniam. Id etenim conſtat ex prooemio Paſchalis epiſtolæ Theophili Epiſcopi Alexandrini, ex qua Caſſian. collat. 10. cap. 1. ſanctus Epiphanius etiam in eadem videtur perſtitiſſe ſententia, vt natus eſſet Dominus Ieſus vndecima die menſis Tubi, ipſe eſt apud nos dies Epiphaniæ. ſic ipſe in Panar. hęreſ. 51. quam quidem opinionem refellit S. Hieronymus in Ezechiel. lib. 1. cap. 1. Porrò Græcorum ceteri conſentientes Eccleſiæ Latinæ, diſtinguere norunt diem Natalem Domini à ſolemnitate Epiphaniæ, vt apparet ex Gregor. Nazianz. & alijs Gręcis Patribus. Extat & de his homil. S. Ioan. Chryſoſt. Gręcè ſcripta in biblioth. Sfortiana: idque ſecuta eſt etiam eccleſia Africana, vt ſcribit S. Aug. contra Creſcon. lib. 4. c. 37. & ſerm. 40. de diuerſis. Duplici nomine hæc dies dicta à Græcis reperitur, nimirum Natiuitas, & Theophania, vt auctor eſt Gregor. Nazianz. orat. in Chriſti Natiuit. vbi Nicetas in ſchol. Theophania (inquit) diuinitatis, Natiuitas humanitatis. Licet Latini Theophaniam dixerint Epiphaniã, vt Ordo Rom. Albin. Flac. de diuin. offic. & alij hos ſecuti. In quam autem hebdomadis diem inciderit Natalis Domini, docet ſexta Synodus, quæ prima die, quam nos Dominicam appellamus, natum Dominum profitetur, cap. 8.

[d] Anaſtaſiæ.] De eadem Beda, ac ceteri Latinorum, Gręci autem in Menolog ad xj. Kal. Ianuarij. Eius martyrij Acta à Metaphr. edita deſcripſerũt Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 6. Alia paulò diuerſa in antiq. cod. manuſcr. habemus, quorum exordiũ eſt: Prętextati viri illuſtris, &c. Eadem Mombrit. tom. 1. Pręfefert eorum titulus Anaſtaſium Bibliothecarium auctorem, de cuius præfatione in eadem Acta meminit Molan. in addit. ad Vſuardum. legimus eamdem in dicto codice, quæ ſic incipit: Omnia quæ à ſanctis geſta ſunt, &c.

Duas fuiſſe Anaſtaſias, ſuperiùs diximus: quarum ſenior paſſa eſt Valeriano Imperatore; agitur de ea v. Kal. Nouemb. Hæc autem iunior dicta, martyrio coronatur temporibus Diocletiani Imperatoris. Duas etiam Anaſtaſias nouit Niceph. hiſt. li. 7. c. 14. Fuit hęc Romę celeberrima: vetus enim eius nomine Titulus hactenus perſeuerat, cuius habetur mentio in Concilio primo Romano ſub Symmacho, atque in Ord. Rom. & alijs in locis. Illa autem ſenior, quæ Sirmij paſſa dicitur, Conſtantinopoli erat celebris: quam olim fuiſſe veneficam, tradit Niceph. hiſt. lib. 14 c. 10. in fine; vbi ait eius reliquias tempore Gennadij Epiſcopi Conſtantinopolitani Sirmio Conſtantinopolim tranſlatas: id ipſum Theodorus lector lib. 2. collect. in fine; additq. eas eſſe reconditas in baſilica Anaſtaſiæ, non quidem ab ea primùm ita denominata, ſed à S. Greg. Nazianz. cùm illic fides collapſa excitata eſſet, ita dicta: quam quidem olim perexiguam in auguſtiorem formam à ſe auctam S. Marcianus in honorem Dei genitricis, & Anaſtaſiæ martyris Deo dicandam curauit, vt Marciani Acta teſtantur, quæ deſcripſit Metaphraſt. habetq. Lipom. tom. 5. De eadem baſilica & inſigni miraculo illic edito agit Niceph. hiſt. lib. 15. c. 22. & eadem quæ diximus Marciani Acta: eam vetuſtate conſumptam ac denuò reſtitutam Baſilius Imperator lapideo exornauit faſtigio, vt tradit Cedren. in compend. hiſt. in Baſilio Imperatore. Monemus Lectorem, de vtriſque Anaſtaſijs contigiſſe, vt ob commune nomen, incuria quadam, Acta communicata atque ſimul confuſa videantur, vt quod alterius eſt, alteri tribuatur: rurſus apocrypha quædam, immò falſa omnino ferri ex anilibus fabulis congeſta de S. Anaſtaſia, quòd interfuerit ſanctiſſimo Virginis puerperio, eò quòd ſcilicet eadem die de ea commemoratio in Eccleſia fiat. Huius autem, de qua hîc agitur, eſſe epiſtolas ad Chryſogonum, quas recitant Nicephorus, Suidas & alij, certum eſt.

e Eugeniæ.] Agunt de eadem Beda, Vſuardus, ac ceteri Latinorum; Gręci in Menol. pridie huius diei. Meminit eiuſdem, vt celeberrimæ martyris, Alcimus Auitus Epiſcopus Viennenſis in carmine ad Fuſcinam ſororem de laude caſtitatis, lib. 6. c. 20. Fortunat. lib. 8. carm. 4. de virginitate, Aldelmus pluribus lib. de laude virginit. Eius Acta deſcripta à Metaphr. extant apud Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 6. Habent tamen aliqua quæ cenſura indigeant; veluti quòd ibi legitur de Philippo Eugenię patre, facto (vt ait auctor) Epiſcopo Alexandrino; quod planè commentum eſſe, tabulæ Epiſcoporum Alexandrinorum, quæ ab Euſebio in chron. & in hiſt. & à Nicephoro Epiſcopo Conſtantinopolitano deſcribuntur, & alijs, manifeſtè declarant.

f Multorum millium martyrum.] Græci autem, vt horum ſolemnitatem celebriùs agerent, tranſtulerunt eam poſt diem ſequentem in Menolog. his verbis: Certamen viginti millium martyrum ſub Maximiano Imp. apud Nicomediam combuſtorum. Pluribus autem de his Niceph. hiſt. lib. 7. c. 6. vbi & ea quæ hîc leguntur, fuſiùs explicantur.

g Ad Dominicum conueniſſent.] Conuenire ad Dominicum, duplici poteſt ſenſu accipi; ac primò, vt idem ſit Dominicum, quod eccleſia, quò Chriſtiani conueniunt: ita in Concilio Laodiceno can. 28. ὁ δὴ τὰς ἀγάπας ἐν τοῖς κυριακοῖς ποιεῖν. quod autem ibi Dominicum dicitur, tranſlatum habetur, Baſilica, diſt. 42. c. Non oportet. Quo etiam ſenſu Cyprianus de opere & eleemoſ. In Dominicum (inquit) ſine ſacrificio venis? Et apud Ruffin. hiſt. lib. 1. c. 2. Tunc ſenior: Si hæc (inquit) ita eſſe credis, ſurge, & ſequere me ad Dominicum, &c. Erat Antiochiæ nobiliſſima baſilica, Dominicũ aureum, appellata, vt auctor eſt Hier. in chron. anno 22. Conſtan. Imp. Porrò huius nomenclaturæ Euſebius in oratione de laudibus Conſtantini hanc affert cauſam: Ædes ſacras (inquit) & templa vni omnium Deo atque vniuerſarum rerum Domino dicanda cõſecrandaq. curauit: vnde etiam templa quæ erant ei conſecrata, Domini nomen obtinuerunt: quod nomen non ex hominibus, ſed ex ipſo omnium Domino illis fuit impoſitum, & propterea Dominica ſunt appellata. Hæc Euſebius: eadem ferè Walfrid. Strab. de reb. eccl. c. 7. Alio autem ſenſu, conuenire ad Dominicum, idem eſt, quod ad ſacrificiũ myſticum, ad ipſas ſacras Miſſas accedere, idemq. celebrare Dominicum. Eſt de hoc eiuſdem Cypriani exemplum eodem lib. de opere & eleemoſ. Locuples (inquit) & diues es, & Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non reſpicis? & epiſt. 63. ad Cæcilium: Numquid ergo Dominicum poſt cœnam celebrare debemus? &c. intelligens ipſum diuinum Miſſæ ſacrificium. Veterem eiuſmodi loquendi morem docent Acta Proconſularia ſanctorum martyrum Saturnini & ſoc. quę extant apud Sur. to. 1. die 11. Februarij. Vbi ſancti martyres iudicio poſtulati, quòd ſacram Synaxim contra Imp. præcepta egiſſent, ſic eorum Proconſuli reſponderunt: Dominicum cum fratribus celebraui. Et iterùm: Sine Dominico eſſe non poſſumus. Et inferiùs ex verbis Proconſulis ſic interrogantis: Si in collecta fuiſti? Reſpondit: Quaſi Chriſtianus ſine Dominico eſſe poſſit, aut Dominicum ſine Chriſtianis celebrari. An neſcis, ſatana, in Dominico Chriſtianum, & in Chriſtiano Dominicum conſtitutum? Et poſt alia: Ego deuota mente cel[illegible]raui Dominicum, collectam cum fratribus f[illegible], quia Chriſtianus ſum. Hæc ibi Felix martyr. Saturninus autem, cùm rogaretur ab eodem Proconſule Anulino his verbis: Tu Saturnine interfuiſti? reſpondit Saturninus: Chriſtianus ſum. Ait ille: Non à te quæro hoc, ſed vtrùm egeris Dominicum? Cui reſpondit Saturninus: Egi Dominicum, quia Saluator eſt Chriſtus, &c. Hęc quidem cùm ad prędictam vocem declarandam, tum etiam vt innoteſceret, quo ardore fidei, etiam tempore perſecutionis, Chriſtiani ad diuinum ſacrificium conuenirent; vt eſt egregium exemplum prædictorum martyrum, ſimulque horum, de quibus hac die agitur.

Septimo

26 Septimo Kalend. Ianuarij. Luna. C xxv. 25.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |

IEROSOLYMIS natalis ſancti Stephani [a] Protomartyris, qui à Iudæis non longè poſt Aſcenſionem Domini lapidatus eſt. Romæ ſancti Marini [b] ordinis ſenatorij, qui ſub Carino Imperatore, & Marciano Præfecto, Chriſtianæ religionis cauſa comprehenſus, equuleo & vngulis ſeruili more punitus, in ſartaginem deinde coniectus, ſed igne in rorem conuerſo liberatus, feris quoque obiectus, & ab illis ſeruatus illæſus, tandem ad aram iterùm ductus, cùm idola oratione eius corruiſſent, percuſſus gladio, martyrij triumphum adeptus eſt. Item Romæ via Appia depoſitio ſancti Dionyſij [c] Papæ, qui multis pro Eccleſia impenſis laboribus, fidei documentis clarus effulſit. Ibidem ſancti Zoſimi Papæ & confeſſoris. In Meſopotamia ſancti Archelai [d] Epiſcopi, doctrina & ſanctitate celebris. Maiumæ [e] ſancti Zenonis [f] Epiſcopi. Romæ ſancti Theodori [g] manſionarij eccleſiæ ſancti Petri, cuius meminit beatus Gregorius Papa.

## DECEMBRIS 26.

STEPHANI Protomartyris, qui non longè poſt Aſcenſionem Domini lapidatus eſt [a]. ] Hæc eadem verba ſunt in vet. Rom. Martyrolog. quibus adſtipulantur antiqua manuſcrip. necnon Beda, Vſuardus, Ado, & alij. His refellitur ea de tempore necis Stephani opinio, quæ Euodij & Hippolyti Thebani fertur nomine, quam refert Niceph. hiſt. lib. 2. cap. 3. & Glycas in 3. parte Annalium. Errore etenim librariorum factum puto, vt loco ſeptem menſium (quod ſpatium temporis interceſſit à Chriſti Aſcenſione vſque ad martyrium Stephani) ſeptem anni poſiti habeantur. Rurſus autem eum terminum necis eius ab Aſcenſione Domini nimis arctant aliqui ex recentioribus, putantes eius martyrium contigiſſe tertio Nonas Auguſti, quo eius ſacri corporis inuentio celebratur: cui quidem ſententiæ S. Auguſtinus ac ceteri aduerſantur, dum in ſuis ſermonibus hac die dictis, hunc diem natalem Stephani, quo necatus à Iudæis palmam martyrij adeptus eſt, profitentur. Id etiam ſuperiùs notauimus ea die inuentionis. Præter ſanctorum Patrum de his teſtimonia, etiam firma ratio perſuadet, ſaltem vſque ad hanc diem Stephani martyrium eſſe dilatum. Nam poſt Aſcenſionem Domini, poſt Spiritum ſanctum datum Apoſtolis (vt habent Acta Apoſtolica) perſeuerauit aliquamdiu Eccleſia in fractione panis; indeque occaſione oborti diſſidij, actum eſt de electione diaconorum, cùm electus eſt Stephanus, qui perſeuerauit aliquod temporis ſpatium faciens ſigna & prodigia magna in populo: qui miniſtrauit & Iacobo Apoſtolo, vt tradit S. Ignatius in epiſtola ad Trallianos. Quæ quidem omnia impleri potuiſſe ab Aſcenſione Domini vſque ad tertium Nonas Auguſti, nulla ratio perſuadet. Quænam verò occaſio fuerit vt ea die de inuentione ageretur, ſuo loco ſuperiùs diximus. Dicitur S. Stephanus tam à Latinis, quàm Græcis Patribus, Archidiaconus, ſiue Primicerius diaconorum, idemque & Protomartyr. Cuius laudes egregijs orationibus proſecuti ſunt Patres, quas omittimus recenſere. Quo loco occiſus lapidibus fuit, ingens baſilica ab Eudocia Auguſta erecta eſt, de qua Niceph. lib. 14. cap. 50.

[b] Marini. ] Agit de eodem Vſuardus hac die. Extant eius Acta apud Mombrit. tom. 2. Vincent. lib. 13. cap. 38. & 40. & Petr. in catal. lib. 1. cap. 6.

[c] Dionyſij Papæ. ] Vſuardus de eodem hac die, Beda autem poſtridie. De eius ſucceſſione Euſeb.

Digitized by Google

Euſeb.chron. & hiſt. lib. 2. cap. 24. Optat. lib. contra Parmen. Auguſt. epiſt. 165. Hieron. de ſcriptor. Eccleſ. in Dionyſio Alexandrin. Nicephorus Epiſcopus Conſtantinopolitanus in chronic. & alij. Cetera diximus in Annalibus Eccleſiaſticis.

[d] Zoſimi Papæ. ] De eodem Beda; ſed per errorem confuſus habetur cum alio Zoſimo, de quo idem ſuprà xv. Kalendas Ianuarij. De huius ſucceſſione agit ſanctus Proſper in chronic. Marcellinus Comes in chronic. Nicephorus Epiſcopus Conſtantinop. in chron. & alij. Eius autem Acta fuſiùs ſcripta ſunt à nobis in Annalibus Eccleſiaſticis.

[e] Archelai Epiſcopi. ] Hic primus reſtitit impio Maneti hæreſiarchæ, fuitque Epiſcopus Caſcarorum in Meſopotamia, de quo pluribus ſanctus Cyrillus Ieroſolym. in Catecheſi ſexta, & Epiphan. hæreſ. 66. & lib. de menſuris & ponderib.

[f] Maiumæ. ] Eſt Maiuma ciuitas in Palæſtina, quæ & Natale, ſeu Portus Gazæ dicta eſt: poſteà verò à Conſtantino dicta eſt Conſtantia: ſed Iulianus Apoſtata, in odium illius, & nomen & priuilegia in eam collata abſtulit, & Gazæis iterùm ſubiecit; quæ per Synodum in priſtinum eſt reſtituta. De his Euſebius in vita Conſtantin. lib.4. cap.37. & 38. Sozom. lib.2. cap. 4. in fine, & lib. 5. cap. 3. Niceph. 8. cap. 33. & lib. 1. cap. 4. Accidit hîc opportunè, vt de Maiuma agamus, quo nomine feſtum appellatur, de quo eſt titulus lib. 11. Cod. Iuſtin. & L. vnic. de eodem, qua Arcadius Imp. pręcipit, vt ſic reſtituatur illa celebritas, vt tamen ſeruetur honeſtas, & verecundia caſtis moribus perſeueret. Eadem in L. 15. tit. 6. Cod. Theod. vbi & ſecunda lex eſt, qua ab eodem Imperatore Maiuma penitus interdicitur. Certè acquieſcere non poſſumus Suidæ, vel Alciato libro 5. Parerg. cap. 5. eum ſecuto: dum dicunt fuiſſe feſtum à Romanis menſe Maio ad Oſtia Tiberina celebrari ſolitum. Nullus enim antiquorum, aut recentiorum, qui res Romanas ſunt proſecuti; nec inſuper Kalendarium ipſum feſtorum dierum Gentilium, quod ſumma cum diligentia nunc eſt editum, vllum de ea celebratione verbum facit. Certè quidem Plutarchus in Problem. Rom. quæſt. q. 86. dum de his agit quæ Romani menſe Maio agere ſolerent, nullam prorſus de his quæ à Suida ſcribuntur habet mentionem. Præterea non in Occidentalibus oris, ſed in Oriente Maiumæ ſpectaculum viguiſſe, ex nuper citatis Arcadij Imperatoris legibus ſatis compertum habetur. Cùm enim in Codicę Theodoſiano dictæ leges datæ reperiantur Conſtantinopoli; euidenter apparet, eas ab Arcadio latas ad illorum ſpectaculorum obſcœnitates coërcendas, quæ in Oriente ſub ipſius ditione exercebantur. Quænam enim ſubeſt ratio, vt Orientis Imperator Conſtantinopoli daret leges de his quæ Romę agerentur, cùm Occidentali Imperio tunc præeſſet Honorius? Quænam autem ea eſſent ſpectacula, & cur ſic dicta, paulò exactiùs inueſtigemus. Ea quidem fuiſſe fœdiſſima, prædictæ ab Arcadio latæ leges ſignificant; & (ni fallor) ea ipſa videntur, aduerſus quæ S. Ioannes Chryſoſt. declamat in homilia de Dauid & Saule, cùm ait: Non metuis, non expaueſcis, dum oculis, quibus illic lectum, qui eſt in orcheſtra, ſpectas, vbi deteſtandæ adulterij fabulæ peraguntur, ijſdem hîc ſacram menſam intueris? &c. Omnium enim libidinum imagines tam verbis quàm re ipſa repręſentari illis obſcœnis ludis, oſtendit. idemq. vetuit, ne qui illis ſpectaculis interfuiſſent, in eccleſiam ingredi pręſumerent, niſi priùs peccatum per pœnitentiam expiaſſent. Mihi etiam illud perſuadetur, eiuſdem Chryſoſt. declamationibus impulſum fuiſſe Arcadium Imperatorem, primò vt eam legem ferret, qua à Maiuma, quæ eſſent fœda, reſecaret; deinde verò, vt poſt biennium, Conſule Theodoto, iterùm lege lata prorſus abſcinderet, ac prohiberet. Memini me legiſſe etiam Iulianum Apoſtatam in Miſopogone Antiochenos de Maiumis ſerijs redarguiſſe, cùm ait: Vnuſquiſque veſtrûm priuatim in conuiuijs & ferijs Maiumę pecuniā effundit: pro nobis ipſis & communi ſalute neque priuatim neque publicè ſacrificatis, &c. Quod autem ad nomen pertinet; non aliunde quàm à dicta ciuitate Maiuma originem ducere, exiſtimo: ſiquidē ibidem impudiciſſimè colebatur Venus, cuius turpiſſimum ſimulacrum in loco, qui dicebatur Tetramphodos, ad Arcadij vſq. tempora libidinum illecebris palàm expoſitum permanſit; quod virtute ſanctæ Crucis, agente ſancto Porphyrio Gazenſi Epiſcopo, ſponte collapſum, perfractum eſt, eiuſdem Arcadij tempore. Scribit eam hiſtoriam Marcus diaconus Gazenſis; eamque retulit Metaphraſtes in diem 26. Februarij.

[g] Zenonis Epiſc. ] De eodem Sozomenus hiſt. lib. 7. cap. 27. Niceph. hiſt. lib. 4. c. 47. & lib. 13. cap. 2. vbi ait, ab hoc ordinatum eſſe lectorem ſanctum Ioannem Chryſoſtomum: illum eſſe ratus, de quo Socrates hiſtor. libro 6. cap. 3. ſed verius puto, illum fuiſſe Zenonem Tyrium Epiſcopum, de quo ſuperiùs 5. Iunij in Dorotheo.

[h] Theodori. ] Agit de eodem S. Gregorius Papa lib. 3. dialog. cap. 34.

Sexto

27 Sexto Kalend. Ianuarij. Luna. D xxiiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |

APVD Epheſum natalis ſancti Ioannis [a] Apoſtoli & Euangeliſtæ, qui poſt Euangelij ſcriptionem, poſt exilij relegationem, & Apocalypſim diuinam, vſque ad Traiani Principis tempora perſeuerans, totius Aſiæ fundauit rexitque eccleſias. Alexandriæ ſancti Maximi [b] Epiſcopi, qui ſatis clarus & inſignis titulo confeſſionis effectus eſt. Conſtantinopoli ſanctorum confeſſorum Theodori [c] & Theophanis fratrum, qui à pueritia in monaſterio ſancti Sabæ nutriti, cùm poſteà pro ſanctarum imaginum cultu aduerſus Leonem Armenum ſtrenuè decertarent, eius iuſſu verberibus affecti, exilio relegantur: ſed eo mortuo, rurſus Theophilo Imperatori, qui eadem impietate detinebatur, conſtanter reſiſtentes, verberibus iterùm cæſi, in exilium pulſi ſunt, vbi Theodorus in carcere expirauit: Theophanes verò, pace demum Eccleſiæ reddita, factus Nicænus Epiſcopus, quieuit in Domino. Ibidem ſanctæ Niceratæ [d] virginis, quæ ſub Arcadio Imperatore claruit ſanctitate.

## DECEMBRIS 27.

IOANNIS Apoſtoli [a]. ] Deeodem Beda, Viuardus, Ado, ac ceteri Latinorum: Græci autem in Menologio vj. Kalend. Octobris his verbis: Migratio ſancti glorioſi & celebris Apoſtoli ac Euangeliſtæ Ioannis cognomento Theologi. Hæc illi, te vera vita functum eredentes, ſicut & Polycrates Epheſi Epiſcopus ſcribens ad Victorem Romanum Pontificem, quem refert Euſebius hiſtor. lib. 3. c. 25. atque Ioannes Chryſoſtomus in homilia in laudem duodecim Apoſtolorum, vbi de Ioanne ait, quòd poſt mortem tamquam viuus Epheſum curat: idemque de eius ſepulchro non oſſibus vacuo meminit homil. 26. in epiſtolam Pauli ad Hebræos. id ipſum & alij Græcorum profitentur; Latinorum autem antiquior Tertullianus hæc in libro de anima: Tranſlatus eſt (inquit) Enoch & Elias, nec mors eorum reperta eſt, dilata ſcilicet: ceterùm morituri aſſeruantur, vt Antichriſtum ſuo extinguant ſanguine. Obijt & Ioannes, quem in aduentum Domini remanſurum fruſtrà ſpes erat. Hæc Tertullianus. Hieronymus id ipſum aſſeueranter affirmat libro de Script. Eccleſiaſt. in Ioanne, & commentar. in Matth. c. 20. Cœleſtinus Papa in epiſtola quam ſcribit ad SS. Synodum Epheſinam meminit reliquias ſancti Ioannis Euangeliſtæ Epheſi in honore haberi, oſtendens eum iam eſſe defunctum. De ijſdem Synodica Orientalium ad ſenatum Conſtantinopolitanum; êxtat inter Acta Concilij Epheſini edit. Peltanę tom. 2. c. 14. & tom. 3. c. 6. Præterimus de ea aliorum tam Græcorum quàm Latinorum teſtimonia, qui in commentarijs in Matth. cap. 20. & in Ioan. cap. 21. de his egere. Satis modò ſit, quid de his antiquitas tradiderit, aperuiſſe: quid de his Polycrates eius loci Epiſcopus, quid Ioannes Chryſoſtomus, qui Epheſi interfuit Synodo ſeptuaginta Epiſcoporum, cùm depoſuit Epiſcopum Epheſinum, vt eius vitæ Acta declarant apud Socratem libro 6. cap. 10. Sozomen. lib. 8. c. 6. Pallad. in dialog. de Ioanne Chryſoſtomo, & Metaphraſt. in vita ipſius. Ioanni Chryſoſtomo hæc dicenti adſtipulatur Nicephorus libro 2. cap. 42. Hæc quidem antiquitatis teſtimonia pluris apud me ſunt quibuſuis aliorum recentiorum contentioſis aſſertionibus. De tempore exitus hæc S. Hieronymus: Confectus ſenio, ſexageſimooctauo poſt paſſionem Domini anno mortuus, iuxta vrbem eamdem ſepultus eſt. Adnumeratur hic annus à Chriſti aduentu (ſecundùm Faſtos Onuphrij) centeſimus primus. Inter religioſas Orientales peregrinationes percelebris erat Epheſina, viſitandi gratia ſepulchrũ eiuſdem Apoſtoli; cùm præſertim certa quadam traditione exploratum

haberetur,

habeꝛetur, illic apud eumdem Apoſtolum Dei genitricem Mariam aliquando permanſiſſe; eſt de ea egregium teſtimonium SS. œcumenicæ Synodi Epheſinę in epiſtol. Synodali ad clerum Conſtantinopolitanum, extant inter Acta eiuſdem Concilij in edit. Pelt. tom. 2. c. 27. Indeq. putamus euenisse, vt illic pręcipua, & inter alias plures baſilica auguſtior eſſet, quæ nomine Dei genitricis Mariæ appellaretur, vbi & eadem ſacroſancta Synodus habita eſt aduerſus Neſtorium, Cæleſtino Romano Pontif. Poſt eam erat baſilica nomine S. Ioannis, quam tunc temporis ſibi ſchiſmatici vendicarant; eamdem poſteà dirutam Iuſtinianus Imperator in honorem eiuſdem Apoſtoli longè ampliorem excitauit, vt ſcribit Procopius de ædific. Iuſtiniani Imperatoris libro 5. De tunica eiuſdem S. Ioannis Romam allata, ac miraculis illuſtrata, agit Ioannes diaconus in vita S. Gregorij Papæ lib. 3. c. 28. 57. & 58. Acceperat enim eam idem S. Pontifex à Ioanne abbate, vt indicant eius litterę ad eumdem Ioannem lib. 2. indict. 11. epiſt. 3. c. 42. Mentio habetur de eadem peregrinatione Epheſum ad ſanctū Ioannem in Prat. ſpirit. c. 180. De rebus geſtis eiuſdem Apoſtoli, pręter illa quæ in ſacris litteris ſcripta reperiūtur, & ea quæ Tertullianus & S. Hieronymus ſcribunt de dolio feruentis olei, quę recipiuntur ab omnibus; feruntur Acta quędam Procori nomine, quę ſcatent erroribus, ſicut & ea quæ Melitonis nomine edita ſunt de tranſitu Dei genitricis. Alia ſunt inſuper quæ inter paſſiones Apoſtolorū ſcribuntur anonyma: quæ autem de ſepultura eius ferantur apocrypha, conſule Auguſtinum tract. 124. in Ioannem. De prędicatione eius in Aſia Hieronymus, Ioannes Chryſoſtomus, ac ceteri teſtantur. Parthis etiam Euangelium annuntiaſſe, vetus illa inſcriptio eius epiſtolæ ad Parthos ſignificat. Eumdem Apoſtolum verbi prædicatione ad Indos penetraſſe, declarant litteræ Apoſtolicorum virorum, ipſorum inquam Patrum Societatis IESV, qui nuper in illis regionibus ſacrum Euangelium reſtituerunt: datæ ſunt anno Domini M.D.LV. De rebus geſtis ipſius in Phrygia ſcribit Metaphraſtes die 5. Septembris, apud Lipom. tom. 6.

[b] Maximi Epiſcopi. ] De quo Vſuardus, & alij recentiores. Scribit de Maximo Euſeb. in chronic. & hiſtor. libro 7. cap. 10. 12. & 14. ex epiſtola Dionyſij, aitque ſucceſſiſſe Maximum Dionyſio anno duodecimo Gallieni Imp. eadem Niceph. hiſt. lib. 6. cap. 34. Ad hunc Maximum, quem alij Maximianum dicunt, S. Felix Papa, ſucceſſor S. Dionyſij, ſcripſit epiſtolam aduerſus tunc emergentem hæreſim Pauli Samoſateni: cuius epiſtolæ fragmentum recitatur in Actis Synodi Epheſinæ contra Neſtorium, reperiturq. deinde intexta in Concil. Chalced. ex ſcriptis S. Cyrilli Epiſcopi Alexandrini.

[c] Theodori & Theophanis. ] Agunt de ijſdem Græci hac die in Menologio. res geſtas ipſorum editas à Metaphraſte habet Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 6. De his etiam Cedren. & Zonaras in Theophilo Imperatore.

[d] Niceratæ. ] Ferunt eamdem fuiſſe medicæ artis peritam Sozom. hiſt. lib. 8. c. 23. & Niceph. lib. 13. c. 25. Vnde coniectura ducimur opinari, hanc illam eſſe quæ S. Ioanni Chryſoſtomo ſtomacho laboranti ſalubre parauit antidotum, de qua ipſe ſcribit epiſt. 4. ad Olympiadem.

xxiij. E Quinto Kalend. Ianuarij. Luna. 28

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | | | |

IN Bethlehem Iudæ natalis ſanctorum Innocentium [a], qui ab Herode Rege pro Chriſto interfecti ſunt. Ancyrę in Galatia ſanctorum martyrum Eutychij [b] preſbyteri, & Domitiani diaconi. In Africa natalis ſanctorum martyrum Caſtoris [c], Victoris, & Rogatiani. Nicomediæ ſanctorum martyrum Indes [d] eunuchi, Domnæ, Agapis, & Theophilæ virginum, & ſociorum, qui in perſecutione Diocletiani poſt longa certamina diuerſo mortis genere coronam martyrij ſunt aſſecuti. Neocæſareæ in Ponto S. Troadij [e] martyris, in perſecutione Decij: cui agonizanti S. Gregorius Thaumaturgus in ſpiritu adfuit, eumque ad ſubeundum martyrium roborauit. Arabiſſi in Armenia inferiori S. Cæſarij [f] martyris, qui ſub Galerio Maximino paſſus eſt. Romæ S. Domnionis [g] preſbyteri. In Ægypto S. Theodori [h] monachi, diſcipuli S. Pachomij. In monaſterio Lerinenſi S. Antonij [i] monachi, miraculis clari.

D E-

SANCTORVM Innocentium [a].] De his Beda, Vſuardus, ac ceteri Latinorum, Græci autem in Menologio die ſequenti. Antiquiſſima hęc eſt ſolemnitas in Eccleſia, de qua Origen. in Matth. homil. 3. hęc ait: Benè, inquit, & ſecundùm voluntatem Dei eorum memoriam ſancti Patres celebrari mandarunt ſempiternam in eccleſiis, veluti pro Domino morientium, &c. Eoſdem Innocentes conſueuerunt antiqui Patres appellare martyres, vt inter alios Irenęus aduerſus hęreſ. lib. 3. cap. 18. De eadem celebritate duo habentur ſermones ſancti Auguſtini, totidem ei tributi ſunt, 8. 9. 10. & 11. de ſanctis; duo item Petri Chryſologi 152. & 153. Celebratur etiam eius ſolemnitatis Octaua, in qua S. Auguſtinum duos ſermones habuiſſe teſtatur Poſſid. in Indic. Cur autem iiſdem infantibus nomen & honor martyrum deferatur, conſule Auguſtinum epiſtola ad Hieronymum 28. de natura & origine animarum.

[b] Eutychij & Domitiani.] Vſuardus & alij recentiores de his hac die agunt.

[c] Caſtoris & ſociorum.] Vetus Romanum Martyrologium, adſtipulanturque vet. manuſcr. ex quibus omnibus Molanus etiam hac die apud Vſuardum.

[d] Indes & ſoc.] Agunt de iiſdem Gręci hac die in Menologio. Eorum Acta à Metaphraſte edita habet Lipomanus tom 5 & Surius tom. 6. meminitque de his Nicephorus hiſtor. libro 7. cap. 6.

[e] Troadij.] Eius certamen & coronam deſcriptam habes à ſancto Gregorio Nyſſeno in Actis ſancti Gregorij Thaumaturgi, quæ luculenta oratione narrauit.

[f] Cæſarij.] Græci de eodem. Arabiſſum ciuitas in Armenia non tantùm huius martyrio illuſtratur, ſed etiam exilio S. Ioannis Chryſoſtomi, immò hoſpitio nobilitatur: illuc etenim ad euitandos frequentes barbarorum incurſus confugiens, à Treio eius ciuitatis Epiſcopo humaniſſimè ſuſceptus eſt, vt ipſe ſcribit epiſt. 4. & 69. De Arabiſſo, Cucuſo, Cummana, Sebaſte, aliiſque Armeniæ ciuitatibus, ipſaque prouincia in quatuor partes diuiſa, vide Nouel. conſtit. collat. 10. tit. 31. de deſcript. quatuor præſ. Armen. Ex Arabiſſo etiam oriundus fuit Mauritius Imp. vt teſtatur Euſtath. in Eutychio.

[g] Domnionis.] De quo ſæpè S. Hieron ſcribenſque ad Deſiderium epiſt. 154 virum ſanctiſſimum, & ſui temporis alterum Loth appellat. Ad Domnionem extant eiuſdem Hieronymi epiſtolæ 51. & 109 necnon præfatio in Eſdram. Sanctus Paulinus in epiſtola ad Alipium 35. apud Auguſtinum, Domnionem ſanctiſſimum, eumdemque Patrem appellat.

[h] Theodori.] Hic ſpectatiſſimus ſanctitate monachus fuit, de quo agitur in vita S Pachomij, & in Vit. Patrum par. 1. De eo & S. Nilus in lib. de oratione. Recenſetur inter ſcriptores Eccleſ. à Gennadio cap. 8. De altero Theodoro monacho diſcipulo ſancti Antonij ſuprà ſeptimo Idus Ianuarij.

[i] Antonij.] Huius Acta conſcripta ab Ennodio Ticinenſi legimus manuſcrip. in biblioth Vatic eſt eorum exordium: Vt præliaturi aſſurgunt buccinis, &c.

29 Quarto Kal. Ianuarij. Luna. F xxij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | | | |

CANTVARIÆ in Anglia natalis ſancti [a] Thomæ Epiſcopi & martyris, qui ob defenſionem iuſtitiæ & Eccleſiaſticæ immunitatis, impiorum hominum factione, in baſilica ſua gladio percuſſus migrauit ad Chriſtum. Ieroſolymis ſancti Dauid [b] Regis & Prophetæ. Arelate natalis ſancti Trophimi [c], cuius meminit ſanctus Paulus ad Timotheum ſcribens: qui ab eodem Apoſtolo Epiſcopus ordinatus, præfatæ vrbi primus ad Chriſti Euangelium prædicandum directus eſt: ex cuius prædicationis fonte (vt ſanctus Zoſimus Papa ſcribit) tota Gallia fidei riuulos accepit. Romæ ſanctorum martyrum Calliſti [d], Felicis, & Bonifacij. In Africa paſſio ſanctorum martyrum Dominici [e], Victoris, Primiani, Lyboſi, Saturni,

nini, Creſcentij, Secundi, & Honorati. Viennæ in Gallia ſancti Creſcentis [f] diſcipuli beati Pauli Apoſtoli, & primi eiuſdem ciuitatis Epiſcopi. Conſtantinopoli ſancti Marcelli [g] abbatis. In pago Oxymenſi ſancti Ebrulphi [h] abbatis & confeſſoris, tempore Childeberti Regis.

## DECEMBRIS 29.

[a] THOMÆ Epiſcopi [a]. ] Huius præclariſſimi martyris res geſtas complures ſcripſere, nimirum, Herebertus eius comes iodiuiduus, poſtmodum Cardinalis & Epiſcopus Beneuentanus, Ioannes Saliſburgenſis Epiſcopus Carnotenſis, Gulielmus Cantuarienſis, Alanus & Benedictus Abbates, necnon Eduardus eiuſdem S. Thomæ contemporaneus, cuius commentarium in compendium Sorius redigens deſcripſit tom. 6. Eſt alia inſuper ſancti Thomæ vita Pariſiis impreſſa anno Domini 1495. cootexta ex prædictis auctoribus vnà cum proceſſu de Eccleſiaſtica libertate. Habemus apud nos incerto auctore de eodem S. Thoma egregium encomium, vbi deſcribuntur Acta ipſius, ac quamplurima miracula ad ſepulchrum eius edita, cunctaq. auctor ſe vidiſſe teſtatur. Extat & Petri Bleſenſis epiſt. 27. de nece eiuſdem S. Thomæ Epiſcopi, in qua ſanctiſſimi viri laudes prædicat. Sed (quod his omnibus anteponimus) extat in bibliotheca Vaticana regiſtrum omnium epiſtolarum S. Thomæ & aliorum, quæ toto illo plurium anoorum perſecutionis tempore vltrò citroque ſunt datæ: quas omnes exſcripſimus, retulimuſque per annos ſingulos, vt ſcriptæ ſunt, io Annales Eccleſiaſticos. Coronatus eſt martyrio ſanctus Thomas anno Domioi 1170. Facta eſt eiuſdem tranſlatio anno octauo Honorij Papæ Tertij: extant de ea te litteræ Apoſtolicæ, ſimulq. opuſculum à Stephano Archiepiſcopo Cantuarienſi conſcriptum. Habet hæc omnia cod. manuſcriptus biblioth. Vatic. num. 722. vbi etiam leguntur litteræ Alexandri Papæ Tertij de eiuſdem canonizatione promulgatæ. Videre meruit ſæculum noſtrum hac ex parte feliciſſimom quamplurimos Thomas, ſanctiſſimos ſacerdotes, alioſque nobiliſſimos viros Anglicanos ampliori (liceat dicere) martyrio coronatos, dupliciſque tituli coronis auctos; cùm non ſolùm (vt Thomas) pro Eccleſiaſtica libertate, ſed pro fide Catholica tuenda, reſtituenda, ac conſeruanda, nobiliſſimo martyrio occubuerint; vt ioter alios, quos nuper S. Societas Ieſu velut agnos innoxios in ſacris ſeptis, ſanctis eruditionibus ad martyrium, acceptiſſimas Deo hoſtias, ſaginaoit; quos Romanum, quos Rhemenſe ſacra collegia, quæ dixerim celſas turres à facie Aquilonis, & fortiſſima propugnacula fidei, emiſerunt ad triumphos, & prouexerunt ad coronas. Macte animo, macte virtute, Anglicanorum nobiliſſime ac glorioſiſſime cœtus, qui tam illuſtri militiæ nomen dediſti, ac ſacramento ſanguinem ſpopondiſti: æmulor ſanè vos Dei æmulatione, cùm vos martyrij candidatos, ac oobiliſſimæ purpuræ martyres deſignatos aſpicio. Compellor & dicere: Moriatur anima mea morte iuſtorum, & fiant oouiſſima mea horum ſimilia.

[b] Dauid Regis. ] De eodem hac die Beda, & alij recenoiores. Plenæ ſunt de ipſo diuinæ Scripturæ, multaque de eo Ioſephus in libris antiq. De immenſis prodigiis ad ſepulchrum eius editis, cùm impius Herodes theſaurum inde auferre conaretur, vide eumdem antiquitatum lib. 16. cap. 11.

[b] Trophimi. ] De qno Acta Apoſt. c. 20. 21. & Paul. 2. ad Corinth. cap. 4. Agunt de eodem hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Meminit eiuſdem Greg. Turon. de geſt. Franc. lib. 1. c. 30. vbi manifeſtiſſimè errat, dum eum temporibus Decij Imp. in Gallias miſſum affirmat. Agit de eo etiam Ado Vien. In chron. anno Dom. 59. Petrus Cluniac. lib. 1. epiſt. 2. contra Heinricianos. 5. 8. Dorotheus in Synopſi, & alij. Zoſimi epiſtola, quæ hîc citatur, noo habetur.

[d] Calliſti & ſoc. ] De his Beda hac die, adſtipulanturque vetera manuſcripta.

[e] Dominici & ſoc. ] De his Beda, vet. manuſcripta, ac recentiores.

[f] Creſcentis. ] Hic idem cum eo de quo ſuprà agitur quinto Kal. Iulij, de quo vide quæ ibi ootaoimus ea die: puto enim hac die tranſlationem celebrari.

[g] Marcelli abb. ] De eodem Græci. Eius Acta ex Metaphraſte deſcripta habet. Lipomanus tom. 5. ac Surius tom. 6. Claruit temporibus Leonis Imperatoris.

[h] Ebrulphi. ] De eodem Vſuardus hac die: eius autem res geſtas recitat Sur. tom. 6.

Tertio

30 Tertio Kalend. Ianuarij. Luna. G xxj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | | | |

SPOLETI natalis ſanctorum martyrum Sabini [a] Epiſcopi, Exuperantij & Marcelli diaconorum, ac Venuſtiani Præſidis, cum vxore & filijs, ſub Maximiano Imperatore: ex quibus Marcellus & Exuperantius primùm equuleo ſuſpenſi, deinde fuſtibus grauiter mactati, poſteà vngulis abraſi, & laterum exuſtione aſſati, martyrium compleuerunt: Venuſtianus autem non multò pòſt vnà cum vxore & filijs gladio necatus eſt: ſanctus verò Sabinus poſt manuum detruncationem, & diutinam carceris marcerationem, ad mortem vſque cæſus eſt. Horum martyrium licet diuerſo extiterit tempore, vna tamen die recolitur. Alexandriæ ſanctorum Manſueti [b], Seueri, Appiani, Donati, Honorij, & ſociorum martyrum. Theſſalonicæ ſanctæ Anyſiæ [c] martyris. Ibidem ſancti Anyſij [d] eiuſdem ciuitatis Epiſcopi. Mediolani ſancti Eugenij [e] Epiſcopi & confeſſoris. Rauennæ ſancti Liberij [f] Epiſcopi. Aquilæ in Veſtinis ſancti Rainerij [g] Epiſcopi.

## DECEMBRIS. 30.

SABINI Epiſcopi & ſociorum. [a]] De ijſdem Beda, Vſuardus, & alij omnes. Eius Acta manuſcripta habemus. incipiunt: In diebus illis Venuſtianus, &c. Petrus in catalog. lib. 2. cap. 19. eadem paucis perſtrinxit. De inſigni miraculo eius virtute edito ſcribit Paulus diacon. de geſtis Longob. lib. 4. cap. 5. deque eodem martyre, & Petro Epiſcopo Ticinenſi vide eumdem libro 6. cap. 18. De eius ſacris reliquijs Firmum tranſferendis ſunt epiſtolæ ſancti Gregorij Papæ in regiſtro libro 7. epiſtola 71. ad Chryſanthum, 72. ad Paſſiuum, & libro 11. epiſtola 18. ad eumdem.

[b] Manſueti & ſociorum.] De his item Vſuardus, Wandelbertus, & vetera manuſcripta.

[c] Anyſiæ.] Agunt de eadem hac die Græci in Menologio. Eius autem Acta à Metaphraſte deſcripta habet Lipomanus tomo 5. & Surius tomo 6. Paſſa eſt in perſecutione Maximiani Imperatoris.

[d] Anyſij Epiſcopi.] Fuit hic ſucceſſor ſancti Acholij. Claruit temporibus Theodoſij Imp. Ad hunc ſcriptæ extant duæ epiſtolæ S. Ambroſij, 60. & 79. Ad ipſum ac ceteros Macedoniæ Epiſcopos ſcripſit Ioannes Chryſoſtom. epiſtolam 163. Mentio habetur de eodem apud Pallad. dialog. de rebus geſtis ſancti Ioannis Chryſoſtomi.

[e] Eugenij Epiſcopi.] Tabulæ eccleſiæ Mediolanenſis, ex quibus Molanus & Galeſinius hac die.

[f] Liberij Epiſcopi.] De eo tabulæ eccleſiæ Rauennat. & Hieronymus Rub. hiſt. Rauen. lib. 1. qui eum perueniſſe ait vſque ad tempora Victoris Papæ, & Seueri Imperatoris.

[g] Liberij Epiſcopi.] De ipſo vetera monumenta eius eccleſiæ, quæ manuſcripta Romam miſſa accepimus. Fuit Epiſcopus Furconienſis; cuius eccleſiæ in Actis Conciliorum aliquando habetur mentio, vt ſuperiùs diximus.

xx. A Pridie Kalend. Ianuarij. Luna. 31

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | ſ |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |
| t | u | A | B | C | D | E | f | F | G | H | M | N | P | | | |
| 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | | | |

ROMÆ natalis ſancti Siluestri [a] Papæ, qui Magnum Conſtantinum Imperatorem baptizauit, & Nicænam Synodum confirmauit: multiſque alijs rebus ſanctiſſimè geſtis, quieuit in pace. Item Romæ via Salaria, in cœmeterio Priſcillæ, ſanctarum martyrum Donatæ [b], Paulinæ, Ruſticæ, Nominandæ, Serotinæ, Hilariæ, & ſociarum. Apud Senonas beatorum Sabiniani [c] Epiſcopi, & Potentiani, qui à Pontifice Romano illuc ad prædicandum directi, eamdem metropolim confeſſionis ſuæ martyrio illuſtrarunt. Ibidem ſanctæ Columbæ [d] virginis & martyris, quæ, igne ſuperato, in perſecutione Aureliani Imperatoris gladio cæſa eſt. Rhætiariæ ſancti Hermetis [e] exorciſtæ. Catanæ in Sicilia paſſio ſanctorum Stephani [f], Pontiani, Attali, Fabiani, Cornelij, Sexti, Floris, Quinctiani, Mineruini, & Simpliciani. Eodem die ſancti Zotici [g] preſbyteri Romani, qui Conſtantinopolim profectus, alendorum orphanorum curam ſuſcepit. Rauennæ ſancti Barbatiani [h] preſbyteri & confeſſoris. Eodem die ſanctæ Melaniæ [i] iunioris, quę cum viro ſuo Piniano Roma abſcedens, & Ieroſolymam proficiſcens, ibi inter feminas Deo ſacras, vir inter monachos religioſam vitam exercuit; & ambo ſancto fine quieuerunt. ¶ Et alibi aliorum plurimorum ſanctorum Martyrum, & Confeſſorum, atque ſanctarum Virginum. ℟. Deo gratias.

## DECEMBRIS 31.

SILVESTRI Papæ [a].] De eodem Beda, Vſuardus, Ado, & ceteri Latinorum: Gręci autem Kalend. Ianuarij in Menologio, hiſce verbis: Eodem die S. Siluestri Rom. Pontificis, qui propter ſummum virtutis gradum, defuncto Melchiade, antiquioris Romæ creatus eſt Epiſcopus. hic multorum patrator miraculorum, Conſtantinum Magnum ad fidem conuertit, cùm animæ & corporis morbos diuino baptiſmate ab eo expuliſſet. Hæc in Menolog. De eius ſucceſſione agit Euſeb. in chron. Optat. libro 2. contra Parmen. Aug. epiſtol. 165. Niceph. in chron. & alij plures.

De Actis Siluestri eſt cenſura Gelaſij in cap. Sancta Romana. diſtinct. 15. Habemus eadem manuſcript. quorum eſt exordium: Siluester cùm eſſet infantulus, à vidua matre Iuſta traditus eſt Caritio preſbytero, &c. Habet eadem Mombrit. tom. 2. Tribuunt nonnulli ea Euſebio Cæſarienſi (talis enim titulus illi commentariolo affixus reperitur in aliquibus codicibus) ſed error ex multis manifeſtus arguitur, cùm & Gelaſio teſte, Acta Silueſtri incerto auctore ſint ſcripta. Habet & Metaphr. Siluestri Acta, quę deſcripſit Lipòm. tom. 5. & Sur. tom. 6. in quibus tamen nonnulla deſiderantur. Citantur Acta Siluestri Papę vt authentica ab Hadriano Papa in epiſt. ad Carolúm Magnum Imperatorem.

De veritate baptiſmatis Conſtantini Imp. per Siluestrum Romæ exhibiti, ſatis egimus in Annal. Eccleſ. vbi ceteras ipſius res geſtas per annos ſingulos ordine temporis digeſſimus. Breuiter de de his diximus ſuperiùs 22. Augusti in Timotheo; vbi de Conſtantini baptiſmate nonnulla, quibus Euſebij Ariani impoſtura redarguitur, habentur conſcripta.

De feſta die S. Siluestri feriánda extat can. 1. de conſecrat. diſtinct. 3. ex Gregor. IX. extra. de ferijs, cap. Conqueſtus. Ea die ſanctus Gregorius Papa in eccleſia habuit homiliam, quæ eſt

nona

nona in Euangel. & Innocentius III. duas.

Eccleſiam S. Silueſtri, quæ Titulus Equitij dicta eſt (vt habet liber de Rom. Pontif.) Symmachus Papa à fundamentis erexit, ſeu, quod verius puto, reſtituit: nam Equitij Titulũ ab eodẽ Silueſtro fuiſſe inſtitutum, idem liber de Rom. Pontif. docet in Silueſtro. In eadem eccleſia ſub maiori altari à Sergio Iuniori Rom. Pontifice recõditum eſſe corpus S. Silueſtri Papæ, docet vetus inſcriptio, quæ inciſa marmori, intra cancellos eiuſdem eccleſię aſſeruatur. Rurſum de eccleſia S. Silueſtri Papæ, & ſacris imaginibus ibi poſitis muſiuo opere contextis, meminit Hadrianus Papa in epiſt. ad Carolum Magnum de imaginibus. Paulus Papa ædes paternas, in quibus natus fuerat & educatus, in eccleſiam & monaſterium conuertens, eamdem in honorem ſanctorum Stephani Protomartyris, & Silueſtri Rom. Pont. Deo dicauit. Extant de ea re eiuſdem litteræ Apoſtolicæ, quę hactenus in eodem monaſterio aſſeruantur: dicta eſt ea eccleſia, S. Silueſtri apud Campum Martium, ſicut & antiqua monumenta teſtantur, vel (vt habet Martinus Polon.) S. Silueſtri ad Caput, ob reconditum in ea caput Præcurſoris Domini.

[b] Donatæ & ſoc.] Ado de ijſdem agit, ac recentiores, conſentiuntque vet. manuſcripta.

[c] Sabini & Potentiani.] De his Beda, Vſuardus, ac ceteri omnes. Horum res geſtas, atque tranſlationem recitat Petrus in catal. lib. 1. cap. 25. pluribus Mombrit. tom. 2. & tab. Epiſcoporum Senonenſium apud Democharem.

[d] Columbæ.] Beda, Vſuardus, Ado, & alij. In Breuiario Toletano legimus de ea ſacrum hymnum, quo eius martyrium canitur. De eadem Mombrit. tom. 1. & Petr. in catal. lib. 2. cap. 24. Longè hæc alia eſt à Columba Cordubenſi, de qua S. Eulog. in memor. ſanct. lib. 3. cap. 9. cuius natalis eſt dies xv. Kalend. Octobris.

[e] Hermetis.] De eodem Vſuardus, Ado, manuſcript. ac etiam recentiores.

[f] Stephani & ſoc.] De his tab. eccleſiæ Catanenſis, vbi celebris eſt eorum memoria.

[g] Zotici.] Agunt de eodem Græci hac die in Menologio, his verbis: Commemoratio S. Zotici orphanorum nutritoris, qui claris parentibus ortus ex vrbe Roma à Conſtantino Magno in ciuitatem Conſtantinopolitanam cum alijs quibuſdam nobilibus ductus. Hæc ibi. Mich. Glyc. in 3. parte Annalium recenſens illuſtres viros quos ſecum Conſtantinus Româ Conſtantinopolim duxit, Zoticum inter alios numerat: de quo præclarum eſt illud elogium in conſtitutione Leonis & Anthemij Auguſtorum ad Dioſcorum Præf. prætor. L. Omnia priuilegia. Cod. de Epiſc. & cler. his verbis: Zotici beatiſſimę memorię, qui primus huiuſcemodi pietatis officia inueniſſe dicitur. Hæc ibi: licet mendoſus codex habeat, Iotici, loco Zotici: verior eſt itaque lectio, quæ notatur in margine. Quòd autem in ea conſtitutione Leonis Imp. Zoticus primus dicatur qui pium hoſpitalitatis officium erga pauperes exercuit, ſic accipias, vt ipſe Conſtantinopoli xenodochium primus erexerit, ſicut in Portu Romano ſanctus Pammachius peregrinorum; & Romæ Fabiola νοσοκομεῖον, vt auctor eſt ſanctus Hieronymus: nam quod ad primam xenodochij inſtitutionem ſpectat, Hyrcanum illud primum erexiſſe Ieroſolymis, ſcribit Ioſeph. lib. 13. antiq. c. 16. Hegeſippus lib. 1. Iſidor. lib. 15. orig. c. 2. licet Ioſephi locum Gelenius aliter in Latinum verterit, nempe quòd Hyrcanus primus externum militem alere cœperit, non pauperes peregrinos, prout veteres omnes intellexiſſe videmus.

[h] Barbatiani.] De eodem tabul. eccleſ. Rauen. Habuit ſermonem in die natali ipſius Petrus Damian. quo etiam eius Acta contexuit, apud Surium tom. 6. & iterùm tom. 5. De eo item Petr. in catal. lib. 2. cap. 23. Hieron. Rub. hiſt. Rauen. lib. 3. & alij. Claruit temporibus Valentiniani Tertij Imp. & Gallæ Placidiæ Aug. eius matris.

[i] Melaniæ iunioris.] De eadem hac die Græci. Res eius geſtas ex antiquis monumentis edidit Metaphraſt. deſcripſit Lipom. tom. 5. Hęc iunior dicta reſpectu ſenioris, cuius neptis erat: de vtraq. Pallad. c. 33. Non imparis virtutis, aut minoris laudis Melania ſenior fuit aliquando, ſed poſteà Origenis fuligine pręclariſſima opera obſcurauit. De Melania iuniore, eiuſq. viro Piniano agit ſanctus Auguſtin. epiſt. 224. 225. 227. & S. Hieron. epiſt. 79. Inter eius Acta nobilia, illud celeberrimum non pretermittimus, quòd Voluſianum patruum, Romanorum nobiliſſimum, quem vt ad Chriſtum conuerteret, S. Auguſtin. tantopere laborauit (vt ad eum, & ab eo ſcriptæ epiſt. 1. 2. 3. & 4. indicant) illum inquam diſertiſſimũ virum, & à Chriſtiana lege alieniſſimum tandem ipſa Melania Chriſto ſubegit, vt eius Acta teſtantur.

FINIS NOTATIONVM.

Laus Deo, Beatæ Mariæ, Sanctiſque omnibus.

Libellus ſupplex Auctoris ad S. D. N. Sixtum Quintum, quo petit prædictas ſuas lucubrationes cognoſci à R. D. VVilhelmo Lindano, Epiſcopo Ruremundenſi, tunc in Vrbe commorante.

*Sanctiſsimo D. N. Sixto Papæ Quinto S.*

*CVM ad calcem perductum ſit, Deo iuuante, opus Notationum noſtrarum in Martyrologium Romanum, quo de omnibus quæ in eo habentur, pro viribus ratio redditur: meumque in ea re inſtitutum, cùm de his coràm agerem (Beatiſſime Pater) apud te adhuc Cardinalem, mirificè commendares, vehementerque ad opus ſuſcipiendum, perficiendumque hortarere, cupiamque in lucem edere, id nonnullis eruditis viris efflagitantibus, auideque expectantibus: optarem priùs auctoritate Beatitudinis veſtræ illud relegi & expendi à Reuerendiſſimo D. VVilhelmo Lindano, Epiſcopo Ruremundenſi, viro tum in Theologicis facultatibus, tum etiam in Eccleſiaſtica hiſtoria apprimè verſato: quem modò hic opportunè ipſius Eccleſiæ negotia detinent. Cumque fuerit à dicto Præſule eiuſmodi opus perſpectum, diſcuſſum, atque probatum: fas mihi ſit illud prælis committere in vſum Chriſtianæ religionis. Deus Beatitudinem veſtram (vt opus habet Eccleſia) diutiſſimè incolumem ſeruet ac protegat.*

*Beatitudinis veſtræ humilis ſeruus Cæſar Baronius Soranus, Presbyter Congreg. Oratorij in Vrbe.*

*P. P. Concedimus. cognoſcat Reuerendiſſ. Lindanus.*

Sequitur relatio eiuſdem VVilhelmi Lindani, Epiſcopi Ruremundenſis, ad S. D. N. Sixtum Pont. Max.

BEATISSIME PATER,

SECVTVS S. V. *mandatum harum tergo inſcriptum ſuper Notationibus in Martyrologium Rom. venerandi V. Cæſaris Baronij Sorani, teſtor hac mea manu, me in ijs perlegendis non reperiſſe, quæ vllam ſuſpectæ aut nouatæ fidei ingerant labem, nedum quæ ſanctæ Catholicæ noſtræ officiant Religioni, aut orthodoxæ aduerſentur doctrinæ; ſed varijs de cauſis digniſſimas equidem arbitror, vt primo quoque tempore in lucem edantur propter admirandam veteris Eccleſiaſticæ hiſtoriæ doctrinam, & exquiſitam atque raram, eamque ſingularem Chriſtianæ antiquitatis cognitionem. In quorum fidem has meis & ſigillo & manu propria ſignaui. Romæ* XI. *Kal. Septemb. anno* M. D. LXXXV.

*Ita atteſtor*

*VVilhelm. Damaſi Lindanus, Eccl. Ruremundenſis Epiſcopus indignus.*

Eiuſdem R. D. VVilhelmi Lindani teſtata fides de Notationibus imprimendis.

DIE *ſecunda Septembris ann.* 1585. *hunc libellum Sanctiſſ. D. N. retuli, manum & ſigillum noſtri arbitrij teſtes oſtendens. eius Sanctitas iuſſit, vt eumdem ſupplicanti redderem, qui R. P. Magiſtro S. Palatij exhiberet, vt prælo tradatur. Actum in area Domicilij Sanctiſſ. D. N. in Quirinali, cùm proximè diſceſſurus Sanctitati ſuæ Vale dicerem.*

*Ita eſt.*

*VVilhelmus Lindanus, Eccl. Ruremundenſis Epiſcopus indignus.*

Extat de his omnibus originalis ſcriptio apud Reuerendiſſ. D. Magiſtrum ſacri Palatij, cuius ſubſcriptio hîc poſita ordine ſequitur.

DIE *prima Octobris* 1585. *recepta copia iſtius libri ſubſcripta R. D. Cæſaris Baronij auctoris manu, huic originali ſubſcribo, concedens vt imprimatur.*

*F. Thomas Zobbius, ſacri Palatij Magiſter, manu propria.*

LECTIO-

# LECTIONES
## PER TOTVM ANNVM
## AD ABSOLVTIONEM
## CAPITVLI.

*In Aduentu, tam in Dominicis, quàm in ferijs, vſque ad Vigiliam Natiuitatis Domini, Lectio.*

DOMINE miſerere noſtri; te enim expectauimus: eſto brachium noſtrum in manè, & ſalus noſtra in tempore tribulationis. Tu autem Domine miſerere nobis. ℟. Deo gratias.

*In Vigilia Natiuitatis Domini, Lectio.*

PER quem accepimus gratiam & Apoſtolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus, pro nomine eius, in quibus eſtis & vos vocati IESV Chriſti Domini noſtri. Tu autem.

*In Die Natiuitatis Domini, Lectio.*

IPSI peribunt, tu autem permanebis, & omnes vt veſtimentum veteraſcent: & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur; tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Tu autem Domine.

*In feſto S. Stephani Protomartyris, Lectio.*

POSITIS autem genibus, clamauit voce magna, dicens: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum: & cùm hoc dixiſſet, obdormiuit in Domino. Tu autem Domine.

*In feſto S. Ioannis Euangeliſtæ, Lectio.*

IN medio Eccleſiæ aperuit os eius, & impleuit eum Dominus ſpiritu ſapientiæ & intellectus, & ſtolam gloriæ induit eum. Tu autem Domine.

*In feſto ſanctorum Innocentium, Lectio.*

HI empti ſunt ex omnibus primitiæ Deo & Agno, & in ore ipſorum non eſt inuentum mendacium: ſine macula enim ſunt ante thronum Dei. Tu autem.

*Dominica infra Octauam Natiuitatis Domini, Lectio.*

ITAQVE iam non eſt ſeruus, ſed filius: quòd ſi filius, & heres per Deum. Tu autem Domine.

*In Octaua Natiuitatis, Lectio.*

IPSI peribunt, tu autem permanebis: *vt in die Natiuitatis.*

*In Epiphania Domini, & per Octauam, Lectio.*

OMNES de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes. Tu autem.

*Dominica infra Octauam Epiphaniæ, Lectio.*

SICVT enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra, in Chriſto IESV Domino noſtro. Tu autem Domine.

*In Dominicis diebus, & ferijs per annum ab Octaua Epiphaniæ vſque ad Dominicam primam Quadrageſimæ: & ab Octaua Pentecoſtes excluſiuè, vſque ad Aduentum Domini, Lectio.*

DOMINVS autem dirigat corda & corpora noſtra in charitate Dei, & patientia Chriſti. Tu autem.

*In Dominica prima Quadrageſimæ, & in alijs Dominicis & ferijs vſque ad Dominicam Paſſionis.*

QVÆRITE Dominum dum inueniri poteſt, inuocate eum dum propè eſt. Tu autem Domine.

*In Dominica de Paſſione vſque ad feriam quartam maioris hebdomadæ, Lectio.*

FACIEM meam non auerti ab increpantibus & conſpuentibus in me, Domine Deus auxiliator meus, & ideò non ſum confuſus. Tu autem.

*In die ſancto Paſchæ, & per Octauam, & in omnibus Dominicis & ferijs vſque ad Aſcenſionem, Lectio.*

SI conſurrexiſtis cùm Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Tu autem Domine.

*In Aſcenſione Domini, & per Octauam, Lectio.*

VIRI Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cælum? Hic IESVS, qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum. Tu autem Domine.

*Dominica infra Octauam Aſcenſionis, Lectio.*

SI quis loquitur, quaſi ſermones Dei; ſi quis miniſtrat, tamquam ex virtute, quam adminiſtrat Deus: vt in omnibus honorificetur Deus, per IESVM Chriſtum Dominum noſtrum. Tu autem Domine.

*In die ſancto Pentecoſtes, & per Octauam, Lectio.*

IVDÆI quoque & proſelyti, Cretes & Arabes, audiuimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei. Tu autem Domine.

*In feſto Sanctiſſimæ Trinitatis, Lectio.*

TRES ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt. Tu autem.

*In feſto Corporis Chriſti, & per Octauam, Lectio.*

QVICVMQVE manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Tu autem Domine.

*Dominica infra Octauam Corporis Chriſti, Lectio.*

FILIOLI mei, non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate. Tu autem.

PROPRIA SANCTORVM CAPITVLA.

*In feſto ſancti Andreæ Apoſtoli, Lectio.*

ISAIAS enim dicit: Domine, quis credidit auditui noſtro? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti. ſed dico: Numquid non audierunt? Et quidem, In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Tu autem.

*In Conuerſione S. Pauli Apoſtoli, Lectio.*

SAVLVS autem multo magis conualeſcebat, & confundebat Iudæos qui habitabant Damaſci, affirmans quoniam hic eſt Chriſtus. Tu autem.

*In Purificatione beatæ Mariæ virginis, Lectio.*

ET placebit Domino ſacrificium Iuda & Ieruſalem, ſicut dies ſæculi, & ſicut anni antiqui, dicit Dominus omnipotens. Tu autem Domine.

*In feſto Annuntiationis virginis Mariæ, Lectio.*

EGREDIETVR virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini. Tu autem.

*In feſtiuitatibus ſanctæ Crucis, Lectio.*

HVMILIAVIT ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen. Tu autem.

*In Natiuitate ſancti Ioannis Baptiſtæ, Lectio.*

REGES videbunt, & conſurgent principes, & adorabunt Dominum Deum tuum, & ſanctum Iſrael, qui elegit te. Tu autem Domine.

*In Natali SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, Lectio.*

ET Petrus ad ſe reuerſus dixit: Nunc ſcio verè, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & liberauit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum. Tu autem.

*In Commemoratione ſancti Pauli Apoſtoli, Lectio.*

EGO enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei: gratia autem Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit. Tu autem Domine.

*In feſto S. Petri ad Vincula, Lectio.*

ET Petrus ad ſe reuerſus, *vt in Natali eiuſdem.*

*In feſto Transfigurationis Domini, Lectio.*

SVSTVLIT me in ſpiritu in montem magnum & altum, & oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Ieruſalem deſcendentem de cælo à Deo, habentem claritatem Dei, & lucerna eius eſt Agnus. Tu autem Domine.

*In feſto S. Laurentij, Lectio.*

POTENS eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, vt in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, ſicut ſcriptum eſt: Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. Tu autem Domine.

*In feſto Aſſumptionis Natiuitatis, Ad niues, Viſitationis, & Conceptionis beatæ Mariæ virginis, & in Officio eiuſdem in Sabbato, Lectio.*

IN plateis ſicut cinnamomum & balſamum aromatizans odorem dedi; quaſi myrrha

Digitized by Google

myrrha electa dedi ſuauitatem odoris. Tu autem.

*In feſtiuitatibus ſancti Michaelis, Lectio.*

FACTVM eſt prælium magnum in cælo: Michael & angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & angeli eius: & non præualuerunt, neque locus inuentus eſt eorum ampliùs in cælo. Tu autem.

*In feſto omnium Sanctorum, & per Octauam, Lectio.*

BENEDICTIO, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæculorum, Amen. Tu autem.

*In feſtiuitatibus Apoſtolorum, Lectio.*

IBANT Apoſtoli gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati. Tu autem Domine.

*In feſtiuitatibus Apoſtolorum, & Martyrum à Paſcha vſque ad Pentecoſten, Lectio.*

SCIMVS quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti. Tu autem Domine.

*In Natali vnius Martyris, Lectio.*

IVSTVS cor ſuum tradidit ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, & in conſpectu Altiſſimi deprecabitur. Tu autem Domine.

*In Natalitijs plurium Martyrum, Lectio.*

FVLGEBVNT iuſti, & tamquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent: iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum. Tu autem Domine.

*In feſto Confeſſorum Pontificum, Lectio.*

FVNGI ſacerdotio, & habere laudem in nomine ipſius, & offerre illi incenſum dignum in odorem ſuauitatis. Tu autem.

*In feſto Confeſſorum non Pontificum, Lectio.*

IVSTVM deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei, & dedit illi ſcientiam ſanctorum: honeſtauit illum in laboribus, & compleuit labores illius. Tu autem Domine.

*In feſtis ſanctarum Virginum & Martyrum, Lectio.*

DOMINE Deus meus exaltaſti ſuper terram habitationem meam, & pro morte defluente deprecata ſum: inuocaui Dominum patrem Domini mei, vt non derelinquat me in die tribulationis meæ, & in tempore ſuperborum ſine adiutorio. Tu autem Domine.

*In feſtis ſanctarum Martyrum tantùm, Lectio.*

LAVDABIT vſque ad mortem anima mea Dominum, quoniam eruis ſuſtinentes te, & liberas eos de manu anguſtiæ, Domine Deus noſter. Tu autem Domine.

*In feſto ſanctarum Mulierum, nec virginum nec martyrum, Lectio.*

MVLTÆ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas: fallax gratia, & vana eſt pulchritudo: mulier timens Deum, ipſa laudabitur. Tu autem.

*In dedicatione Eccleſiæ, Lectio.*

ET abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis ſanctorum, & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà, quæ prima abierunt: & dixit qui ſedebat in throno, Ecce noua facio omnia. Tu autem Domine miſerere nobis. ℟. Deo gratias.


MAR-

Digitized by Google

# MARTYROLOGIVM
## IN CHORO CANTATVR
in tono Lectionum Matutini, hoc modo.



Kalendis Ia nu a ri j Luna prima.




Circumciſi o Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Octaua Natiuita tis eiuſdem.

*Et ſic terminatur qualibet clauſula, etiam in fine Lectionis, præterquam ſi vltima dictio ſit monoſyllaba, quæ hoc modo inflectitur.*




Tandem gla di o marty rij palmam adepta eſt.



Anno à cre a ti o ne mundi, quando in princi pi o Deus, &c.

*vſque ad verba illa,* In Bethlehem Iudæ; *in quibus extollitur vox ad quartam ſuperiorem, videlicet:*



In Beth le hem Iudæ naſci tur ex Ma ri a vir gi ne factus homo.

*Verſus autem ſequens in tono Paſſionis.*



Natiuitas Domi ni noſtri Ieſu Chriſti ſecundùm carnem.

*Quod ſequitur, in tono Lectionis conſueto.*

## F I N I S.

IN-

# INDEX NOMINVM
## OMNIVM SANCTORVM
### QVI IN HOC MARTYROLOGIO CONTINENTVR, ORDINE ALPHABETICO DESCRIPTVS.

A.

AARON ſacerdos, in monte Hor. 1 Iulij.
Aaron mart. in Britannia ſub Diocletiano, infrà cum Iulio. 1 Iulij.
Abachum mart. Romę ſub Claudio, infrà cum Mario. 19 Ianuarij.
Abdias propheta, Samariæ. 14 Iun. & 19 Nouēb.
Abdieſus diaconus mart. ſub Sapore, infrà in, Martyres plurimi in Perſide. 22 Aprilis.
Abdon & Sennen mart. Romę ſub Decio. 30 Iul.
Abedechalas presbyt. & mart. in Perſide ſub Sapore, infrà cum Simeone. 21 Aprilis.
Abercius epiſcopus Hierapolitan. 22 Octobris.
Abibonis Inuentio. 3 Auguſti.
Abibus diaconus martyr Edeſſæ ſub Licinio. 15 Nouembris.
Abilius epiſcopus Alexandrin. 22 Febr.
Abraham eremita in Syria. 16 Mart.
Abraham confeſſor Aruernis. 15 Iunij.
Abraham patriarcha. 9 Octob.
Abrahamitæ monachi mart. Conſtantinopoli ſub Theophilo. 8 Iulij.
Abſalon mart. Cæſareæ, infrà cum Lucio. 2 Mart.
Abudemius mart. ſub Dioclet. in Thenedo 15 Iul.
Abundantius mart. infrà cum Leone. 1 Mart.
Abundantius diaconus mart. Romæ ſub Dioclet. infrà cum Abundio. 16 Septemb.
Abundius mart. Romæ, infrà cum Alexandro. 27 Februarij.
Abundius epiſcopus Comenſis. 2 Apr.
Abundius manſionarius eccleſ. S. Petri Romæ. 14 Aprilis.
Abundius presbyt. & mart. Cordubæ. 11 Iul.
Abundius mart. Romæ ſub Valeriano, infrà cum Irenæo. 26 Auguſti.
Abundius presbyter, Abundantius diaconus, Marcianus, & Ioannes mart. Romæ ſub Diocletiano. 16 Septemb.
Abundius diaconus mart. ſub Diocletiano, infrà cum Carpophoro. 10 Decemb.
Abundius mart. ſub Numeriano, infrà cum Iuſto. 14 Decemb.
Acacius presbyt. & mart. Sebaſt. ſub Dioclet. infrà cum Hirenarcho. 27 Nouemb.
Acathius centurio mart. Conſtantinopoli ſub Dioclet. 8 Maij.
Acatius epiſcopus Amidæ. 9 Aprilis.
Acatius mart. Pruſæ, infrà cum Patricio. 28 Apr.
Acatius mart. Mileti ſub Licinio. 28 Iul.
Accurſius mart. in Africa, infrà cum Berardo. 16 Ianuar.
Acepſimas epiſcopus mart. ſub Sapore, infrà in, Martyres plurimi in Perſide. 22 Aprilis.
Achillas epiſcopus Alexandrin. 7 Nouemb.
Achilleus diaconus mart. Valentiæ in Gallia, infrà cum Felice. 23 Apr.
Achilleus mart. Romæ, infrà cũ Nereo. 12 Maij.
Acindinus mart. ſub Dioclet. infrà cum Victore. 20 April.
Acindinus, Pegaſius, Aphthonius, Elpidephorus, Anempodiſtus, & ſocij mart. in Perſide. 2 Nou.
Aciſclus & Victoria mart. Cordubæ ſub Dioclet. 17 Nouemb.
Acutius mart. Puteolis ſub Dioclet. infrà cum Ianuario. 19 Septemb.
Adalbertus epiſcopus Pragenſis mart. 23. Apr.
Adaucus martyr Romæ ſub Diocletiano, infrà cum Felice. 30 Auguſti.
Adauctus mart. in Phrygia cum alijs plurimis ſub Maximino. 7 Febr.
Adelbertus confeſſor in Hollandia. 25 Iunij.
Adelphus epiſcopus Metenſis. 29 Aug.
Aderitus epiſcopus Rauennæ. 27 Septemb.
Adiutor confeſſor in Campania ſub Vuandalis, infrà cum Priſco. 1 Septemb.
Adiutor mart. in Africa, infrà cum Victuto. 18 Decemb.
Adiutus mart. in Africa, infrà cum Berardo. 16 Ianuar.
Adiutus abbas, Aurelianis. 19 Decemb.
Ado epiſcopus Viennen. 16 Decemb.
Adria mart. Romæ ſub Valeriano, infrà cum Euſebio. 2 Decemb.
Adrio, Victor, & Baſilla mart. Alexādriæ. 17 Maij.
Aduentor mart. Taurini ſub Maximiano, infrà cum Octauio. 20 Nouemb.
Adulphus & Ioannes mart. Cordubæ. 27 Sept.
Ædeſius mart. Alexandriæ ſub Maximino. 8 Apr.
Ægidius abbas in prouincia Narbonenſi. 1 Sept.
Æmiliana virgo Romæ. 5 Ianuar.
Æmiliana mart. Romæ. 30 Iunij.
Æmilianus martyr in Armenia, infrà cum Dionyſio. 8 Febr.
Æmilianus miles, Tertulla, & Antonia virg. & mulier quædam cum duobus filiis mart. in Numidia ſub Valeriano. 29 Aprilis.
Æmilianus mart. Doroſtori ſub Iuliano. 18 Iul.
Æmilianus epiſcopus Cyzici. 8 Auguſti.
Æmilianus epiſcopus Vercellen. 11 Septemb.
Æmilianus confeſſor Rhedonen. 11 Octob.
Æmilianus presbyter Turiaſonen. 12 Nouemb.
Æmilianus mart. in Africa ſub Hunnerico, infrà cum Dionyſia. 6 Decemb.
Æmilius mart. in Africa, infrà cum Caſto. 22 Maij.
Æmilius, Felix, Priamus, & Lucianus mart. in Sardinia. 28 Maij.
Æmilius mart. Capuæ, infrà cum Marcello. 6 Octob.

Æthe-

Ætherius epiſcopus mart. in Cherſoueſo, infrà cum Baſilio. 4 Mart.
Ætherius epiſcopus Viennenſis. 14 Iunij.
Ætherius mart. ſub Dioclet. 18 Iunij.
Ætherius epiſcopus Antiſiodoren. 27 Iul.
Afra mart. Brixiæ ſub Hadriano. 24 Maij.
Afra mart. Auguſtæ. 5 Auguſti.
Africanus mart. in Africa ſub Decio, infrà cum Terentio. 10 Aprilis.
Agabius epiſcopus Veronen. 4 Auguſti.
Agabus Propheta, Antiochiæ. 13 Febr.
Agape & Chionia virg. mart. Teſſalonicæ ſub Dioclet. 3 Martij.
Agapes mart. infrà cum Donato 25 Ianuarij.
Agapes virgo & mart. Interamnæ. 15 Febr.
Agapes virgo & mart. Nicomediæ ſub Dioclet. infrà cum Inde. 28 Decemb.
Agapitus epiſcopus Rauennæ. 16 Martij.
Agapitus epiſcopus Synnadæ. 24 Martij.
Agapitus diaconus mart. Romæ ſub Valeriano, infrà cum Sixto. 6 Auguſti.
Agapitus mart. Præneſte ſub Aureliano. 18 Aug.
Agapitus Papa. 20 Septemb.
Agapitus mart. Heracleæ, infrà cũ Baſſo. 20 Nou.
Agapius mart. Cæſareæ ſub Dioclet. infrà cum Timolao. 24 Martij.
Agapius mart. infrà cum Aphrodiſio 28 Apr.
Agapius & Secundinus epiſcopi mart. Cirthæ in Numidia ſub Valeriano. 29 Apr.
Agapius mart. in Palęſtina ſub Dioclet. infrà cum Timotheo. 19 Auguſti.
Agapius mart. Edeſſæ ſub Maximiano, infrà cum Baſſa. 21 Auguſti.
Agapius epiſcopus Nouarien. 10 Septemb.
Agapius mart. Romæ ſub Hadriano, infrà cum Euſtachio. 20 Septemb.
Agapius mart. Sebaſtæ ſub Licinio, infrà cum Carterio. 2 Nouemb.
Agapius mart. Cæſareæ ſub Maximino, 20 Nou.
Agatha virgo mart. Catanæ ſub Decio. 5 Febr.
Agathangelus mart. Ancyræ. 23 Ianuarij.
Agatho Papa Romæ. 10 Ianuarij.
Agatho exorciſta mart. infrà cũ Cyrione. 14 Febr.
Agatho & Triphina mart. in Sicilia. 5 Iulij.
Agatho mart. Alexandriæ ſub Decio. 7 Decemb.
Agathoclia ancilla mart. 17 Septemb.
Agathodorus epiſcopus mart. in Cherſoneſo, infrà cum Baſilio. 4 Martij.
Agathodorus mart. Pergami ſub Antonino, infrà cum Carpo. 15 Apr.
Agathonica mart. Pergami ſub Antonino, infrà cum Carpo. 13 Apr.
Agathonica virgo & mart. Cathagine, infrà cum Baſſa. 10 Auguſti.
Agathonicus, Zoticus, & ſocij mart. Nicomediæ ſub Maximiano. 22 Auguſti.
Agathopus diaconus, & Theodulus lector martyres, Theſſalonicæ ſub Maximiano. 4 Apr.
Agathopus diaconus Antiochiæ, infrà cum Philone. 25 Aprilis.
Agathopus mart. in Creta ſub Decio, infrà cum Theodulo. 23 Decemb.
Agericus epiſcopus Virodunen. 1. Decemb.
Aggæus mart. Bononiæ ſub Maximiano, infrà cum Hermete. 4 Ianuarij.
Aggæus propheta. 4 Iulij.
Agileus mart. Carthagine. 15 Octob.
Aglibertus mar. Pariſius, infrà cũ Agoardo. 24 Iun.
Agnes virgo mart. Romæ. 21 Iannarij. Secundo. 28. eiuſdem.
Agnes virgo in Monte politiano. 20 Aprilis.
Agnellus abbas Neapoli. 14 Decemb.
Agoardus, & Aglibertus cum aliis innumeris mart. Pariſiis. 24 Iunij.
Agricola epiſcopus Cabilonen. 17 Martij.
Agricola mart. Bononię, infrà cum Vitale. 4 Nou.
Agricola mart. in Pannonia. 3 Decemb.
Agricola mart. Rauennæ ſub Maximiano, infrà cum Valentino 16 Decembris.
Agrippina virgo mart. Romæ ſub Valeriano. 24 Maij.
Agrippinus epiſcopus Neapolitan. 9 Nouemb.
Agritius epiſcopus Treuirenſis. 13 Ianuarij.
Aichardus abbas. 15 Septemb.
Aidanus epiſcopus Lindisfarnen. 31 Aug.
Aigulphus abbas Lerinenſis, & ſocij monachi mart. 3 Septemb.
Aithalas presbyt. & mart. ſub Sapore, infrà in, Martyres plurimi in Perſide. 22 Aprilis.
Albanus mart. Maguntiæ 21 Iunij.
Albanus, & miles quidam mart. in Britannia ſub Dioclet. 22 Iunij.
Albertus ord. Carmelit. in Sicilia. 7 Aug.
Albertus epiſcopus Leodien. mart. 21 Nouemb.
Albina virgo mart. Formiis ſub Decio. 6 Decemb.
Albinus epiſcopus Brixien. 5 Feb.
Albinus epiſcopus Andegauen. 1 Martij.
Albinus epiſcopus Lugdunen. 15 Septemb.
Aldegundes virgo in Hannonia. 30 Ianuarij.
Aldelmus epiſcopus Seireburgenſis. 25 Maij.
Alexander epiſcopus Firmanus mart. 11 Ianuarij.
Alexander ſenex mart. ſub Decio. 30 Ianuarij.
Alexander, & alij xxxviii. mart. Romæ. 9 Feb.
Alexander martyr in Cypro, infrà cum Ammonio 9 Februarij.
Alexander mart. Oſtiæ ſub Dioclet. infrà cum Maximo. 18 Februarij.
Alexander epiſcopus Alexandrinus. 26 Febr.
Alexander, Abundius, Antigonus, & Fortunatus mart. Romæ. 27 Feb.
Alexander mart. Apameæ ſub Antonino, infrà cum Caio. 10 Martij.
Alexander, & Theodorus mart. Romæ. 17 Martij.
Alexander epiſcopus & martyr Cæſareæ ſub Decio. 18 Martij.
Alexander miles martyr, Driziparæ ſub Maximiano. 17 Martij.
Alexander mart. Cæſareæ ſub Valeriano, infrà cum Priſco. 28 Martij.
Alexander, & alij xxxiv. mart. Lugduni ſub Antonino. 24 Aprilis.
Alexander Papa, Euentius, & Theodulus presbyteri & mart. Romæ ſub Traiano 3 Maij
Alexander miles, & Antonina virgo mart. Conſtantinopoli ſub Maximiano. 3 Maij.
Alexander mart. Edeſſæ ſub Numeriano, infrà cum Thalalæo. 20 Maij.
Alexander mart. Anauniæ, infrà cum Siſinio. 29 Maij.
Alexander mart. Lugduni ſub Antonino, infrà cum Photino. 2 Iunij.
Alexander epiſcopus Veronen. 4 Iunij.
Alexander mart. Nouioduni, infrà cum Amantio. 6 Iunij.
Alexander epiſcopus Feſulan. mart. 6 Iunij.
Alexander mart. Alexandriæ ſub Iuliano, infrà

cum

cum Patermuthio.9 Iulij.
Alexander mart. Romæ ſub Antonino,infrà in, Septem fratres. 10 Iulij.
Alexander miles mart. Maſſiliæ,infrà cum Victore. 21 Iulij.
Alexander mart. Perge ſub Dioclet. infrà cum Leontio. 1 Auguſti.
Alexander Carbonarius, epiſcopus Comanæ & mart. 11 Auguſti.
Alexander ex legione Thebæorum martyr, Bergomi. 26 Auguſti.
Alexander epiſcopus Conſtantinop. 28 Auguſti.
Alexander mart. in Sabinis, infrà cum Hyacintho 9 Septembris.
Alexander epiſcopus & mart.Romæ ſub Antonino.21 Septembris.
Alexander martyr Antiochiæ, infrà cum Marco. 28 Septembris.
Alexander mart.infrà cum Victore.17 Octobris.
Alexander epiſcopus, Heraclius miles, & ſocij mart.22 Octobris.
Alexander mart.Theſſal.ſub Maximiano.9 Nou.
Alexander mart. Corinthi ſub Iuliano. 24 Nou.
Alexander mart. Alexandriæ ſub Decio, infrà cum Epimacho. 12 Decembris.
Alexandra, Claudia, Euphraſia, Matrona, Iuliana,Euphemia,Theodoſia, Derphuta, & eius ſoror,mart.in Paphlagonia. 20 Martij.
Alexandra virgo mart. Ancyræ,infrà cum Theodoto. 18 Maij.
Alexandri duo mart. Cæſareæ ſub Dioclet.infrà cum Timolao. 24 Martij.
Alexius confeſſor,Romæ.17 Iulij.
Alipius epiſcopus Tagaſten. 15 Auguſti.
Almachius mart. Romæ. 1 Ianuarij.
Alodia virgo mart. in Hiſpania,infrà cum Nunilone.22 Octobris.
Alphæus & Zacchæus mart.in Palæſtina ſub Diocler. 17 Nouembris.
Alphius, Philadelphus, & Cyrinus martyres in Sicilia. 10 Maij.
Alphius martyr Antiochiæ, infrà cum Marco. 28 Septembris.
Alpinianus preſbyter Lemouicis, infrà cum Martiale. 30 Iunij.
Amandus epiſcopus Traiecten.6 Februarij.
Amandus epiſcopus Burdigalen. 18 Iunij.
Amantius mart.Romæ,infrà cum Zotico.10 Feb.
Amantius diaconus Gandauenſis. 19 Martij.
Amantius epiſcopus Comenſis.8 Aprilis.
Amantius,Alexander, & ſocij mart.Nouioduni. 6. Iunij.
Amantius mart.Romæ ſub Hadriano, infrà cum Getulio. 10 Iunij.
Amantius presbyter Tuderti. 26 Septembris.
Amantius epiſcopus Ruthenorum. 4 Nouemb.
Amaranthus mart.Albigen.7 Nouembris.
Amator, Petrus, & Ludouicus mart. Cordubæ. 30 Aprilis.
Amator epiſcopus Antiſiodoren.1 Maij.
Amator epiſcopus Auguſtodunen. 26 Nouemb.
Amatus epiſcopus Nuſci. 31 Auguſti.
Amatus epiſcopus Senonen. 13 Septembris.
Amatus abbas monaſt. Romarici. 13 Septemb.
Ambicus,Victor, & Iulius martyres Nicomediæ. 3 Decembris.
Ambroſius Senēſis,ordinis Prædicatorū.20 Mar.
Ambroſius epiſcopus Mediolanen.4 Aprilis.
Eiuſdem ordinatio in epiſcopum. 7 Decemb.
Ambroſius centurio mart. Ferentini ſub Diocletiano.16 Auguſti.
Ambroſius epiſcopus Caturcen.16 Octobris.
Ambroſius abbas monaſt.Agaunen.2 Nouemb.
Amelberga virgo, Gaudaui. 10 Iulij.
Ammia, Cæſareæ, infrà cum Theodoto.31 Aug.
Ammianus martyr ſub Maximiano, infrà cum Theodoro.4 Septembris.
Ammon diaconus, & virgines XL. mart. Heracleæ ſub Licinio.1 Septembris.
Ammon,Theophilus,Noterius,& alij XXII. mart. Alexandriæ.8 Septembris.
Ammon,Zenon,Ptolemæus,Ingen, & Theophilus milites mart. Alexandriæ.20 Decembris.
Ammonaria virgo, Mercuria,Dionyſia, & Ammonaria mart. Alexandriæ ſub Decio.12 Dec.
Ammonius miles mart.in Ponto,infrà cum Moſeo.18 Ianuarij.
Ammonius & Alexander mart. in Cypro. 9 Feb.
Ammonius infans mart. Alexandriæ, infrà cum Modeſto. 12 Februarij.
Ammonius mart. Alexandriæ, infrà cum Dionyſio.14 Februarij.
Ammonius lector mart. Pentapoli, infrà cum Theodoro.26 Martij.
Ammonius mart.Alexandriæ ſub Maximino,infrà cum Fauſto. 26 Septembris.
Amos propheta in Palæſtina. 31 Martij.
Ampelius mart. in Africa ſub Dioclet. infrà cum Saturnino. 11 Februarij.
Ampelus & Caius mart. Meſſanæ. 20 Nouemb.
Amphianus martyr Cæſareæ ſub Maximino. 2 Aprilis.
Amphilochius mart. infrà cum Phileto. 27 Mar.
Amphilochius epiſcopus Iconij. 23 Nouemb.
Amphion epiſcopus in Cilicia, confeſſor ſub Maximino. 12 Iunij.
Ampliatus,Vrbanus, & Narciſſus mart. 31 Oct.
Anacharius epiſcopus Antioſiodoren. 25 Sept.
Anacletus Papa mart.Romæ.13 Iulij.
Ananias mart.Damaſci.25 Ianuarij.
Ananias presbyt. mart. in Perſide ſub Sapore, infrà cum Simeone.21 Aprilis.
Ananias mart. Arbele in Perſia.1 Decembris.
Ananias, Azarias, & Miſael in Babylonia. 16 Decembris.
Anaſtaſia mart.Romæ ſub Nerone, infrà cum Baſiliſſa.15 Aprilis.
Anaſtaſia ſenior virgo, & Cyrillus mart. Romæ ſub Valeriano. 28 Octobris.
Anaſtaſia mart.cum CCLXX. in inſula Palmaria ſub Diocler. 25 Decembris.
Anaſtaſij duo mart. ſub Conſtante, infrà cum Maximo. 13 Auguſti.
Anaſtaſius mart. Antiochiæ ſub Diocletiano,infrà cum Baſiliſſa. 9 Ianuarij.
Anaſtaſius monachus & ſoc.Suppētoniæ.11 Ian.
Anaſtaſius Perſa monachus mart. cum LXX. ſociis ſub Coſrhoa. 22 Ianuarij.
Anaſtaſius Sinaita epiſcopus Antiochenus.21 Ap.
Anaſtaſius Papa Romæ. 27 Aprilis.
Anaſtaſius & ſoc. mart. Camerini ſub Decio. 11 Maij.
Anaſtaſius epiſcopus Brixien. 20 Maij.
Anaſtaſius epiſcopus Papien. 30 Maij.
Anaſtaſius, Felix, & Digna martyres Cordubæ. 14 Iunij.

Anaſtaſius mart. Argentomachi, infrà cum Marcello. 29 Iunij.
Anaſtaſius epiſcopus Interamnen. 17 Auguſti.
Anaſtaſius mart. Salone ſub Aureliano. 21 Aug.
Anaſtaſius mart. Aquileiæ. 7 Septembris.
Anaſtaſius presbyter, Placidius, Geneſius, & ſocij mart. 11 Octobris.
Anaſtaſius mart. 5 Decembris.
Anaſtaſius mart. Nicomediæ, infrà cum Cyriaco. 19 Decembris.
Anaſtaſius epiſcopus Antiochenus & martyr. 21 Decembris.
Anathalon epiſcopus Mediolan. 25 Septembris.
Anatolia virgo, & Audax martyr Thoræ ſub Decio. 9 Iulij.
Anatolius mart. infrà cum Photina. 20 Martij.
Anatolius epiſcopus Laodiceæ. 3 Iulij.
Anatolius mart. Nicææ ſub Maximino, infrà cum Euſtachio. 20 Nouembris.
Andeolus ſubdiaconus mart. in Gallia ſub Seuero. 1 Maij.
Andochius Presbyter, Thyrſus diaconus, & Felix mart. Auguſtoduni. 24 Septembris.
Andreas epiſcopus Florentin. 26 Februarij.
Andreas mart. in Helleſponto, infrà cum Petro. 15 Maij.
Andreas, & ſocij milites mart. in Cilicia ſub Maximiano. 19 Auguſti.
Andreas presbyter mart. Conſtantinopoli ſub Leone Iſaurico, infrà cum Hypatio. 29 Aug.
Andreas, Ioannes, Petrus, & Antonius mart. in Africa. 23 Septembris.
Andreas Cretenſis monachus mart. ſub Copronymo. 17 Octobris.
Andreas monachus mart. Conſtantinopoli ſub Copronymo, infrà cũ Stephano. 28 Nouemb.
Andreas Apoſtolus mart. in Achaia. 30 Nouemb.
Eiuſdem Vigilia. 29 Nouembris.
Eiuſdem Tranſlatio Conſtantinopoli. 9 Maij.
Andronicus, & Athanaſia Ieroſolymis. 9 Oct.
Andronicus martyr Tarſi ſub Dioclet. infrà cum Tharaco. 11 Octobris.
Anectus martyr Corinthi ſub Decio, infrà cum Codrato. 10 Martij.
Anectus martyr Cæſareæ ſub Dioclet. 27 Iunij.
Anempodiſtus martyr in Perſide, ſuprà cum Acindino. 2 Nouembris.
Aneſius martyr in Africa, infrà cum Theodulo. 31 Martij.
Angelus presbyter ordinis Carmel. martyr Panormi. 5 Maij.
Angelus martyr in Mauritania, infrà cum Daniele. 13 Octobris.
Anianus epiſcopus Alexandrin. 25 Aprilis.
Anianus diaconus martyr Antiochiæ, infrà cum Demetrio. 10 Nouembris.
Anianus epiſcopus Aurelianen. 17 Nouemb.
Anicetus Papa & martyr Romæ ſub Antonino. 17 Aprilis.
Anicetus, Photinus, & alij plures mart. Nicomediæ ſub Dioclet. 12 Auguſti.
Anna mater B. Mariæ Virginis. 26 Iulij.
Anna propheteiſſa, Ieroſolymis. 1 Septembris.
Annon epiſcopus Colonienſis. 4 Decembris.
Annuntiatio B. Mariæ Virginis. 25 Martij.
Anſanus mart. ſub Dioclet. Senis. 1 Decembris.
Anſbertus epiſcopus Rhotomagen. 9 Februarij.
Anſcharius epiſcopus Bremenſis. 3 Februarij.
Anſelmus epiſcopus Mantuan. 18 Martij.
Anſelmus epiſcopus Cantuarien. 21 Aprilis.
Anſouinus epiſcopus Camerini. 13 Martij.
Anterus Papa & mart. Romæ ſub Iulio Maximino. 3 Ianuarij.
Anthelmus epiſcopus Bellicen. 26 Iunij.
Anthes mart. Salerni ſub Dioclet. infrà cum Fortunato. 28 Auguſti.
Anthia mart. Maſſanæ ſub Hadriano, infrà cum Eleutherio. 18 Aprilis.
Anthimus epiſcopus Nicomedien. martyr ſub Dioclet. cum vniuerſo ferè ſuo grege. 27 Apr.
Anthimus presbyter Romę martyr ſub Dioclet. 11 Maij.
Anthimus mart. Ægeæ ſub Dioclet. infrà cum Coſma. 27 Septembris.
Antholianus mart. Aruernis. 6 Februarij.
Anthuſa virgo Conſtantinopoli ſub Copronymo. 27 Iulij.
Anthuſa ſenior mart. Tarſi ſub Valeriano, infrà cum Athanaſio. 22 Auguſti.
Anthuſa iunior mart. 27 Auguſti.
Antidius epiſcopus Veſontionen. mart. 25 Iunij.
Antigonius mart. Romę, ſuprà cum Alexandro. 27 Februarij.
Antinogenes mart. Emeritæ ſub Dioclet. infrà cum Victore. 24 Iulij.
Antiochus tribunus mart. Cæſareæ, infrà cum Nicoſtrato. 21 Maij.
Antiochus & Cyriacus mart. Sebaſte. 15 Iulij.
Antiochus epiſcopus Lugdunen. 15 Octobris.
Antiochus mart. in Sardinia ſub Hadr. 13 Dec.
Antipas mart. Pergami ſub Domitiano. 11 April.
Antonia virgo mart. Cirthæ ſub Valeriano, ſuprà cum Æmiliano. 29 Aprilis.
Antonia mart. Nicomediæ. 4 Maij.
Antonina mart, ſub Dioclet. 1 Martij.
Antonina virg. mart. Conſtantinopoli ſub Maximiano, ſuprà cum Alexandro milite. 3 Maij.
Antonina mart. Nicææ ſub Dioclet. 12 Iunij,
Antoninus abbas Caſſinenſis, Sutrenti. 14 Ianu.
Antoninus mart. ſub Dioclet. infrà cum Victore. 20 Aprilis.
Antoninus mart. Romæ ſub Dioclet. infrà cum Marcellino Papa. 26 Aprilis.
Antoninus epiſcopus Florentinus. 2 Maij.
Antoninus mart. infrà cum Lucia. 6 Iulij.
Antoninus mart. Romæ ſub Gallieno, infrà cum Lucilla. 29 Iulij.
Antoninus mart. Romæ. 22 Auguſti.
Antoninus mart. Pamiæ. 2 Septembris.
Antoninus puer mart. Capuæ, infrà cum Ariſteo. 3 Septembris.
Antoninus ex Legione Thebæorum mart. Placentiæ. 30 Septembris.
Antoninus epiſcopus Mediolanen. 31 Octobris.
Antoninus, Zebina, Germanus, & Ennatha virgo mart. Cæſareæ ſub Maximino. 13 Nouembris.
Antonius presbyt. & mart. Antiochiæ ſub Dioclet. infrà cum Baſiliſſa. 9 Ianuarij.
Antonius abbas in Thebaide. 17 Ianuarij.
Antonius, Merulus, & Ioannes monachi, Romæ. 17 Ianuarij.
Antonius epiſcopus Conſtantinop. 12 Feb.
Antonius mart. Alexandrię, infrà cũ Baſſo. 14 Fe.
Antonius Luſitanus, ord. Min. Patauij. 13 Iunij.
Antonius martyr in Africa, ſuprà cum Andrea. 23 Septembris.

Antonius mart. Ancyræ ſub Iuliano, infrà cum Melaſippo. 7 Nouembris.
Antonius mart. Romæ ſub Valeriano, infrà cum Irenæo. 15 Decembris.
Antonius monachus Lerinenſis. 28 Decembris.
Anyſia mart. Theſſalonicæ. 30 Decemb.
Anyſius epiſcopus Theſſalonicen. 30 Decemb.
Apelles & Lucius, Chriſti diſcipuli Smyrnæ. 22 Aprilis.
Apellius, Lucas, & Clemens mart. 10 Septemb.
Aphraates anachoreta in Syria. 7 Aprilis.
Aphrodiſius martyr in Africa, infrà cum Petro. 14 Martij.
Aphrodiſius, Carilippus, Agapius, & Euſebius martyres. 28 Aprilis.
Aphrodiſius presbyter & alij xxx. mart. Alexandriæ. 30 Aprilis.
Aphthonius mart. in Perſide, ſuprà cum Acindino. 2 Nouembris.
Apodemius martyr, infrà in, XVIII. mart. Cæſaraugust. 16 Aprilis.
Apollinaris virgo. 5 Ianuarij.
Apollinaris epiſcopus Hierapolitan. 8 Ianuarij.
Apollinaris martyr in Africa, infrà cum Cyriaco. 21 Iunij.
Apollinaris epiſcopus Rauennæ, mart. ſub Veſpaſiano. 23 Iulij.
Apollinaris mart. Rhemis, infrà cum Timotheo. 23 Auguſtæ.
Apollinaris epiſcopus Valentiæ in Gallia. 5 Oct.
Apollo, Iſacius, & Crotates mart. ſub Diocletiano 21 Aprilis.
Apollonia virgo martyr Alexandriæ ſub Decio. 9 Februarij.
Apollonius mart. Interamnæ, infrà cum Proculo. 14 Februarij.
Apollonius diaconus mart. Antinoi, infrà cum Philemone. 8 Martij.
Apollonius & Leontius epiſcopi. 19 Martij.
Apollonius mart. in Ægypto ſub Maximino, infrà cum Martiano. 5 Apr. & 5 Iunij.
Apollonius presb. & alij quinque mart. Alexandriæ ſub Maximino. 10 Aprilis.
Apollonius ſenator mart. Romæ ſub Commodo. 18 Aprilis.
Apollonius epiſcopus Brixien. 7 Iulij.
Apollonius mart. Iconij. 10 Iulij.
Apollonius, & Eugenius mart. 23 Iulij.
Apparitio S. Michaëlis Archangeli. 8 Maij.
Apphias mart. Coloſſis ſub Nerone, infrà cum Philemone. 22 Nouembris.
Appianus mart. Alexand. infrà cum Manſueto. 30 Decembris.
Apronianus mart. Romæ. 2 Februarij.
Aprus epiſcopus Tullenſis. 15 Septembris.
Apuleius mart. Romę, infrà cũ Marcello. 7 Oct.
Aquila mart. in Mauritania, infrà cum Seueriano. 23 Ianuarij.
Aquila mart. infrà cum Domitio. 23 Martij.
Aquila mart. in Thebaide. 20 Maij.
Aquila, & Priſcilla, in Aſia. 8 Iulij.
Aquila mart. Philadelphiæ, infrà cũ Cyril. 1 Aug.
Aquilina virgo martyr in Palęſtina ſub Diocletiano. 13 Iunij.
Aquilina mart. in Lycia, infrà cum Niceta. 24 Iul.
2. I N IV Non. Apud Cæſaream Cappadociæ, S. Theodoſiæ virginis & martyris capitis cæſæ.

3. II O III Non. Theſſalonicæ, virginum Agapes & Chioniç.
Tomis, Euagrij & Benigni.

Apud Tauromenium, S. Pancratij.

4. III P  II Non.  Mediolani, B. Ambroſij Epiſcopi & confeſſ.

5. IV Q  Nonæ.  Theſſalonicæ, S. Irenes virginis.
Apud Ægyptum, Martianæ, Nicanoris, Apollonij.

6. V R  VIII Id.  Xyſti Papæ & martyris, temporibus Adriani paſſi.

7. VI S  VII Id.  Hegeſippi, qui vicinus Apoſtolicorum temporum extitit.

8. VII T  VI Id.  Turonis, Perpetui Epiſcopi.

9. I V  V Id.  Antiochiæ, Prochori diaconi, qui vnus eſt de ſeptem.
Apud Sirmium, VII. virginum, quæ in vnum coronatæ ſunt.

10. II A  IV Id.  Ezechielis Prophetæ.
Romæ, Martyrum plurimorum, qui ab Alexandro Papâ baptizati ſunt.

11. III B  III Id.  Gortinæ, Philippi Epiſcopi, qui claruit Antonini Veri & Lucij temporibus.

12. IV C  II Id.  Viâ Aureliâ, Iulij Papæ & confeſſoris, ſub Conſtantio Arriano.

13. V D  Idus.  Apud Pergamum Aſiæ, Carpi Epiſcopi & Papyrij, Agathonicę, & aliarũ multarum.

14. VI E  XVIII K. Mai  Romæ in cœmeterio Prætextati, martyrum Tiburtij, Valeriani, & Maximi.

15. VII F  XVII Kal.  Cordulæ, Olympiadis & Maximi.
In Italiâ, Maronis, Eutychetis, & Victorini.

16. I G  XVI Kal.  Apud Corinthum, Calliſti & Cariſij, cum alijs VII. in mare merſorum.

17. II H  XV Kal.  Apud Africam, S. Mappalici.
Antiochiæ, Petri diaconi & Hermogenis.

18. III I  XIV Kal.  Apud Meſanam Apuliæ, Eleutherij Epiſcopi, & Anthiæ matris eius.
Romæ, Apollonij Senatoris.

19. IV K  XIII Kal.  Apud Corinthum, Timonis diaconi de ſeptem.
In Militanâ, Hermogenis, Caij, Expediti, Ariſtonici, Rufi, Galatæ.

20. V L  XII Kal.  [a] Inuentio ſanctarum reliquiarum multarum [b] inſtabet.
Romæ, Victoris Epiſcopi & martyris.
Sulpitij & Seruiliani.

[a] Deeſt Adoni.
[b] fortè in Stabeleto.

21 VI

| | | | |
|---|---|---|---|
| 21. VI M | XI Kal. | In Perſide, S. Simeonis Epiſcopi & martyris, cum alijs centum, & Vſtazadis, & Abdelæ, & Ananiæ, & Puſicij. | |
| 22. VII N | X Kal. | Romæ in cœmeterio Calliſti, Caij Papæ. | |
| | | In Perſide, Martyrum plurimorum ſub Sapore Perſarum rege. | |
| | | Cordulæ, Parmenij, Helimenæ, & Chryſoteli preſbyterorum, & Lucæ & Mucij diaconorum. | |
| 23. I O | IX Kal. | In Perſide ciuitate Dioſpoli, Georgij mart. | |
| 24. II P | VIII Kal. | | |
| 25. III Q | VII Kal. | Alexandriæ, Marci Euangeliſtæ. | |
| | | * Erminonis confeſſoris. | *Deeſt Adoni. |
| | | Et Romæ, Litania maior ad S. Petrum. | |
| 26. IV R | VI Kal. | Romæ, Anacleti Papæ & martyris. | |
| | | Et Marcellini Papæ & martyris. | |
| 27. V S | V Kal. | Sancti Anaſtaſij Papæ. | |
| | | Nicomediæ, Anthimi Epiſcopi cum innumerâ multitudine martyrum. | |
| 28. VI T | IV Kal. | Rauennæ, S. Vitalis martyris, patris SS. Geruaſij & Protaſij. | |
| | | Alexandriæ, Theodoræ virginis, & Didymi. | |
| 29. VII A | III Kal. | Apud Paphum, Tychici Apoſtolorum diſcipuli. | |
| | | Apud Cirthenſem Coloniam, Agapij & Secundini. | |
| 30. I B | II Kal. | Martyrum Mariani & Iacobi, in Lambeſitanâ vrbe cum alijs multis decollatorum. | |
| | | * Quirini martyris. | *Deeſt Adoni. |
| | | Et Vigilia Apoſtolorum. | |

## MENSIS MAIVS

habet dies XXXI. Luna XXX.

| | | | |
|---|---|---|---|
| 1. II C | Kal. Mai. | Ieremiæ Prophetæ. |
| | | Et Apoſtolorum Philippi & Iacobi fratris Domini. |
| 2. III D | VI Non. | Athanaſij Alexandrinæ vrbis Epiſcopi. |
| | | Et Saturnini & Neopolis, qui in carcere requieuerunt. |
| 3. IV E | V Non. | Ieroſolymis, Inuentio S. Crucis. |
| | | Romæ viâ Numentanâ, Alexandri Papæ, & Euentij, |

Digitized by Google

Euentij & Theoduli preſbyterorum.

4. V F iv Non. In ciuitate Gazâ, Siluani Epiſcopi cum plurimis clericorum ſuorum coronati.

5. VI G iii Non. Alexandriæ, S. Euthymij diaconi in carcere quieſcentis.

Theſſalonicæ, Irenæi & Peregrini.

6. VII H ii Non. B. Euodij Epiſcopi, qui primus ab Apoſtolis Antiochiæ ordinatus eſt.

Et S. Lucij Cyrenenſis, qui Cyrenæ ab Apoſtolis Epiſcopus ordinatus eſt.

Et S. Ioannis Apoſtoli, quando ante portam Latinam in feruentis olei dolio miſſus eſt.

7. I I Nonæ. Iuuenalis martyris.

Et Flauiæ Domitillæ.

Nicomediæ, Auguſti & Auguſtini.

8. II K viii Id. Mediolani, S. Victoris martyris.

9. III L vii Id. In Perſide, Martyrum CCCX.

Apud Nazanzi oppidum, Gregorij Epiſcopi Theologi.

10. IV M vi Id. Iob Prophetæ.

Viâ Latinâ, Gordiani & Epimachi.

Et Calepodij ſenis preſbyteri.

11. V N v Id. Romæ viâ Salariâ, S. Anthimi.

12. VI O iv Id. In cœmeterio Prætextati, Nerei, & Achillei fratrum.

Viâ Aureliâ, S. Pancratij martyris.

Et Dionyſij.

13. VII P iii Id. Seruatij Epiſcopi.

S. Mariæ ad martyres dedicationis dies agitur, à Bonifacio Papâ ſtatutus.

14. I Q ii Id. In Syriâ, Victoris & Coronæ martyrum.

15. II R Idus. Torquati, Cteſiphontis, Secundi, Indalecij, Cæcilij, Eſicij, Euſraſij, qui Romæ ab Apoſtolis ordinati ſunt.

16. III S xvii K. Iunij In Iſauriâ, Aquilini & Victoriani.

17. IV T xvi Kal. In Tuſciâ, Torpetis martyris ſub Nerone.

18. V V xv Kal. Apud Ægyptum, Dioſcori lectoris.

19. VI A xiv Kal. Romæ, Potentianæ virginis.

Et Pudentis diſcipuli Pauli.

Et Caloceri & Partheni Eunuchorum.

20. VII B xiii Kal. Viâ Salariâ, S. Baſillæ virginis & martyris.

21. I C xii Kal. In Mauritaniâ Cæſarienſi, Timothei, Polij.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 22. | II | D | XI Kal. | In Africâ, Caſti & Æmilij. |
| 23. | III | E | X Kal. | |
| 24. | IV | F | IX Kal. | S. Vincentij martyris.<br>In Iſtriâ, Zoëlli, Siluani. |
| 25. | V | G | VIII Kal. | In cœmeterio Prætextati, S. Vrbani Epiſcopi & martyris. |
| 26. | VI | H | VII Kal. | Apud Athenas, Quadrati diſcipuli Apoſtolorum. |
| 27. | VII | I | VI Kal. | In Mæſiâ ciuitate Doroſtorenſi, Iulij martyris. |
| 28. | I | K | V Kal. | Ioannis Papæ.<br>In Sardiniâ, Æmilij, Felicis. |
| 29. | II | L | IV Kal. | Viâ Aureliâ, Reſtituti.<br>Viâ Tiburtinâ, Septem germanorum.<br>Treueris, S. Maximini Epiſcopi confeſſoris. |
| 30. | III | M | III Kal. | Viâ Aureliâ in cœmeterio, Felicis Papæ.<br>Turribus Sardiniæ, Criſpuli & Gabinij. |
| 31. | IV | N | II Kal. | Romæ, Petronillæ virginis.<br>Aquileiæ, Cantij, Cantiani, Cantianillæ. |

## MENSIS IVNIVS
### habet dies XXX. Luna XXIX.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 1. | V | O | Kal. Iunij. | Dedicatio S. Nicomedis martyris.<br>Et S. Pamphili martyris. |
| 2. | VI | P | IV Non. | Romæ, Marcellini preſbyteri, & Petri exorciſtæ. |
| 3. | VII | Q | III Non. | Apud Aretium Tuſciæ, martyrum Pergentini & Laurentini.<br>In Campaniâ, Eraſmi Epiſcopi & martyris. |
| 4. | I | R | II Non. | Apud Illyricum ciuitate Siſciâ, S. Quirini Epiſcopi & martyris. |
| 5. | II | S | Nonæ. | Bonifacij martyris apud Tharſum XIV. die menſis Maij paſſi, Romæ Nonis Iunij ſepulti. |
| 6. | III | T | VIII Id. | Philippi diaconi de VII. apud Cæſaream.<br>Romæ, Artemij, Candidæ, & filiæ eorum Paulinæ.<br>Apud Tharſum, XX. Martyrum. |
| 7. | IV | V | VII Id. | Apud Conſtantinopolim, Pauli Epiſcopi.<br>In Cappadociâ, Luciani martyris. |
| 8. | V | A | VI Id. | |



Digitized by Google

| | | | |
|---|---|---|---|
| 9. VI | B | v Id. | Romæ in Cælio monte, Primi & Feliciani martyrum. |
| 10. VII | C | iv Id. | Romæ viâ Aureliâ, Baſilidis, Tripodis, & Mandalis, & aliorum xx. |
| | | | Et Getulij martyris, & Cerealis. |
| 11. I | D | III Id. | Barnabæ Apoſtoli. |
| | | | Et Soſthenis apud Corinthum, diſcipuli Pauli. |
| | | | Aquileiæ, Felicis & Fortunati. |
| 12. II | E | II Id. | Mediolani, Nazarij & Celſi, quorũ inuentio II. Id. Iunij, martyrium v. Kal. Auguſti. |
| 13. III | F | Idus. | Romæ, S. Feliculæ virginis martyris. |
| 14. IV | G | XVIII Kal. Iul. | Eliſæi Prophetæ. |
| | | | In Cappadociâ, ſancti Baſilij fratris Gregorij & Petri. |
| 15. V | H | XVII Kal. | In Siciliâ, Modeſti, Viti, & Creſcentiæ martyrum. |
| | | | Doroſtori, Eſychij militaris. |
| 16. VI | I | XVI Kal. | Antiochiæ, Cyrici & Iulittæ matris eius, & aliorum CCCCIV. |
| 17. VII | K | XV Kal. | Romæ, Martyrum CCLXII. |
| 18. I | L | XIV Kal. | Romæ viâ Ardeatinâ, martyrum Marci & Marcelliani. |
| 19. II | M | XIII Kal. | Mediolani, Geruaſij & Protaſij. |
| *Deeſt Adoni. | | | *Et Commemoratio Nazarij & Celſi. |
| | | | Rauennæ, Vrſicini martyris. |
| 20. III | N | XII Kal. | Romæ, Nouati, fratris Timothei preſbyteri, qui ab Apoſtolis eruditi ſunt. |
| 21. IV | O | XI Kal. | Syracuſis, martyrum Rufini & Martiæ. |
| | | | Romæ, Demetriæ virginis. |
| 22. V | P | X Kal. | Albani martyris. |
| | | | Nolæ Campaniæ, Paulini Epiſcopi. |
| 23. VI | Q | IX Kal. | Sancti Ioannis preſbyteri, viâ Salariâ vetere ſepulti. |
| 24. VII | R | VIII Kal. | Natiuitas Præcurſoris Domini. |
| 25. I | S | VII Kal. | Apud Pyrriberœam, Soſipatris diſcipuli Pauli. |
| | | | Alexandriæ, Gallicani martyris. |
| | | | Romæ, Luciæ virginis cum alijs XXII. |
| 26. II | T | VI Kal. | Romæ, Ioannis & Pauli fratrum. |
| 27. III | A | V Kal. | Apud Galatiam, Creſcentis diſcipuli Pauli Apoſtoli. |

Apud

| | | | |
|---|---|---|---|
| | | | Apud Tiburtinem Italiæ, Symphoroſæ cum VII. filijs. |
| 28. IV | B | IV Kal. | Romæ, Leonis Papæ. |
| | | | Alexandriæ, Plutarchi, Sereni, Heraclidis, Herois, Potamiœnæ, Marcellæ, & aliorũ. |
| 29. V | C | III Kal. | Romæ, Apoſtolorum Petri & Pauli. |
| 30. VI | D | II Kal. | Natalis Lucinæ, diſcipulæ Apoſtolorum. |

## MENSIS IVLIVS
### habet dies XXX. Luna XXX.

| | | | |
|---|---|---|---|
| 1. VII | E | Kal. Iulij. | In monte Hor, Aaron Sacerdotis primi in Lege. |
| 2. I | F | VI Non. | In cœmeterio Damaſi, Proceſſi & Martiniani, ab Apoſtolis Petro & Paulo baptizatorum. |
| | | | Et trium militum, qui cum Paulo Apoſtolo paſſi ſunt. |
| | | | Et martyrum Ariſtonis, Creſcentiani, Eutychiani, Vrbani, & aliorum. |
| 3. II | G | V Non. | Tranſlatio Thomæ Apoſtoli. |
| | | | Apud Conſtantinopolim, Eulogij. |
| | | | Laodiciæ, Anatholij Epiſcopi. |
| | | | Et Gregorij martyris. |
| 4. III | H | IV Non. | Oſeæ & Aggæi. |
| | | | Iocundiniani martyris. |
| | | | Apud Sirmium, Innocentij, Sabbatiæ, cum alijs XXX. |
| 5. IV | I | III Non. | In Syriâ, S. Domitij martyris. |
| | | | Romæ, Natale Zoæ, vxoris Nicoſtrati. |
| 6. V | K | II Non. | Eſaiæ & Iohel Prophetarum. |
| | | | Et Octauæ Apoſtolorum. |
| | | | Et primus ingreſſus Apoſtoli Pauli in vrbem Romam. |
| | | | Et Tranquillini martyris. |
| | | | Et natalis S. Goaris Confeſſoris. |
| 7. VI | L | Nonæ. | Alexandriæ, S. Pantæni. |
| | | | Romæ, martyris Nicoſtrati primiſcrinij, Claudij, Caſtorij, Victorini, Symphroniani. |
| 8. VII | M | VIII Id. | In Aſiâ minori, Aquilæ & Priſcillæ vxoris eius. |
| | | | In Palæſtinâ, Procopij martyris. |

*Ado die ſequēti.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| | | | * Maralanâ ciuitate, Brictij Epiſcopi. |
| 9. I | N | VII Id. | Romæ ad Guttam iugiter manantem, Zenonis & aliorum ∞. CCIII. |
| | | | In ciuitate Tyriæ, Anatoliæ & Audacis. |
| | | | Cyrilli Epiſcopi & martyris. |
| 10. II | O | VI Id. | Romæ, Septem fratrum. |
| | | | In Africâ, Ianuarij, Marini, Naboris, & Felicis. |
| | | | Romæ, Rufinæ & Secundæ. |
| 11. III | P | V Id. | In Armeniâ minore, martyris Ianuarij. |
| 12. IV | Q | IV Id. | Aquileiæ, Hermagoræ Epiſcopi, diſcipuli S. Marci. |
| | | | Apud Cyprum, Naſonis, antiqui Chriſti diſcipuli. |
| 13. V | R | III Id. | Eſdræ & Iohel Prophetarum. |
| | | | Et SS. Confeſſorum Eugenij Epiſcopi, & vniuerſi cleri eccleſiæ. |
| 14. VI | S | II Id. | Apud Pontum, Phocæ Epiſcopi ciuitatis Synopis. |
| 15. VII | T | Idus. | Niſibi, Iacobi Epiſcopi. |
| | | | Romæ in Portu, Eutropij, Zoſimæ & Bonoſæ ſororum. |
| 16. I | V | XVII Kal. Aug. | In Oſtiâ, S. Hilarini martyris. |
| | | | Apud Antiochiam Syriæ, Euſtachij Epiſc. |
| 17. II | A | XVI Kal. | Carthagine, martyrum Scillitanorum, Sperati, Narthali, Cythini, Bethurij, Felicis, & aliorum VII. |
| 18. III | B | XV Kal. | Carthagine, S. Guddenes virginis martyris. |
| 19. IV | C | XIV Kal. | Hiſpali, SS. Iuſtæ & Rufinæ. |
| 20. V | D | XIII Kal. | Ioſeph, qui cognominatus eſt Iuſtus, qui à Iudæis pro Chriſto multa perpeſſus, victor in Iudæâ quieuit. |
| 21. VI | E | XII Kal. | Danielis Prophetæ. |
| | | | Romæ, Praxedis virginis. |
| | | | Maſſiliæ, Victoris martyris. |
| 22. VII | F | XI Kal. | S. Mariæ Magdalenes. |
| | | | Et Syntyches, quæ Philippis dormit. |
| | | | Ancyræ, Platonis martyris. |
| 23. I | G | X Kal. | Rauennæ, Apollinaris Epiſcopi & martyris. |
| 24. II | H | IX Kal. | Romæ viâ Tiburtinâ, Vincentij. |
| | | | Apud Emeritam Hiſpaniæ, Victoris militaris. |

Circa

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| | | | | Circa lacum Vulſinum in Italiâ, Chriſtinæ virginis. |
| 25. | III | I | VIII Kal. | Iacobi Zebedæi Apoſtoli. |
| | | | | Ciuitate Samo, Chriſtophori martyris. |
| 26. | IV | K | VII Kal. | Romæ in Portu, S. Hyacinthi martyris. |
| 27. | V | L | VI Kal. | In Siciliâ, Simeonis monachi. |
| | | | | Nicomediæ, Harmolai preſbyteri. |
| 28. | VI | M | V Kal. | Nicomediæ, S. Pantaleonis martyris. |
| 29. | VII | N | IV Kal. | Romæ, Felicis Papæ & martyris ſub Conſtantio. |
| | | | | Et Simplicij, Fauſtini, & Beatricis. |
| 30. | I | O | III Kal. | Romæ, Abdon & Sennis. |
| | | | | Tuburbo Lucernariæ, Maximæ, Donatillæ, & Secundæ virginum. |
| 31. | II | P | II Kal. | Cæſareæ, Fabij martyris. |

## MENSIS AVGVSTVS.

### habet dies XXXI. Luna XXIX.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 1. | III | Q | Kal. Aug. | Romæ, ad S. Petrum ad Vincula. |
| | | | | Antiochiæ, SS. Machabæorum. |
| | | | | Philadelphiæ, martyrum Cyrilli, Aquilæ, Petri, & aliorum. |
| | | | | Vercellis, Euſebij Epiſcopi. |
| 2. | IV | R | IV Non. | Romæ, Stephani Papæ & martyris. |
| | | | | In Bithyniâ, Theodotæ cum tribus filijs. |
| 3. | V | S | III Non. | Ieroſolymis, Inuentio corporis B. Stephani, Gamalielis, Nicodemi, Abibon. |
| | | | | Conſtantinopoli, Hermelli martyris. |
| 4. | VI | T | II Non. | Atiſtarchi diſcipuli Apoſtolorum. |
| | | | | In cryptâ Atenariâ, Tertullini mart. Romæ. |
| 5. | VII | V | Nonæ. | In ciuitate Auguſtâ in Rhætiâ, ſanctæ Afræ martyris. |
| 6. | I | A | VIII Id. | Romæ viâ Appiâ, Xyſti Papæ & martyris. |
| | | | | Feliciſſimi & Agapiti diaconorum in cœmeterio Prætextati. |
| 7. | II | B | VII Id. | Apud Aretium, Donati Epiſcopi & mart. |
| | | | | Romæ, Petri, Iulianæ, cum alijs XVIII. |
| | | | | Mediolani, Fauſti martyris. |
| 8. | III | C | VI Id. | Romæ viâ Oſtienſi, Cyriaci martyris cum alijs XXI. quando VIII. die menſis Auguſti reconditi ſunt. |

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 9. | IV | D | V Id. | Romæ, Romani militis. |
| | | | | Vigilia S. Laurentij. |
| 10. | V | E | IV Id. | Romæ, Laurentij archidiaconi martyris. |
| | | | | Et militum CLXV. |
| 11. | VI | F | III Id. | Romæ inter duas lauros, Tiburtij martyris. |
| | | | | Et Suſannæ virginis martyris. |
| 12. | VII | G | II Id. | Catanæ, Eupli diaconi & martyris. |
| | | | | In Syriâ, Macarij & Iuliani. |
| 13. | I | H | Idus. | Romæ, Hippolyti martyris cum familiâ ſuâ, & S. Concordiæ, nutricis eius. |
| | | | | In Foro Syllæ, Caſſiani. |
| 14. | II | I | XIX K.Sept. | Romæ, Euſebij preſbyteri & confeſſoris, ſub Conſtantio Arriano, ſepulti in cœmeterio Calliſti. |
| 15. | III | K | XVIII Kal. | S. MARIÆ dormitio. |
| | | | | S. Tharſitij acolythi & martyris. |
| 16. | IV | L | XVII Kal. | In Niceâ Bithyniæ, Vrſatij confeſſoris ſub Licinio. |
| | | | | Romæ, Serenæ, vxoris Diocletiani Auguſti. |
| 17. | V | M | XVI Kal. | In Africâ, martyrum Liberati abbatis, Bonifacij diaconi, Seruij & Ruſtici, & aliorum, ſub VVandalicâ perſecutione. |
| | | | | Cæſareæ, Mammetis martyris. |
| 18. | VI | N | XV Kal. | In Præneſtinâ ciuitate, Agapiti martyris. |
| | | | | Romæ, Ioannis & Criſpi preſbyterorum. |
| 19. | VII | O | XIV Kal. | S. Magni ſeu Andreæ martyris, cum ſocijs ſuis duobus millibus DXCVII. |
| | | | | Romæ, Iulij Senatoris & martyris. |
| 20. | I | P | XIII Kal. | Samuelis prophetæ. |
| | | | | Et Porphyrij hominis Dei. |
| 21. | II | Q | XII Kal. | Salonæ, Anaſtaſij martyris. |
| 22. | III | R | XI Kal. | Romæ viâ Oſtienſi, Timothei martyris. |
| | | | | Et Antonij martyris. |
| | | | | Et peregrinorum martyrum Martialis, Epicteti, Saturnini, cum ſocijs eorum. |
| 23. | IV | S | X Kal. | Romæ, Hippolyti, Quiriaci, & Archillai. |
| | | | | Zachæi Epiſcopi. |
| | | | | Theonæ Epiſcopi. |
| 24. | V | T | IX Kal. | Bartholomæi Apoſtoli & martyris. |
| | | | | Maſſæ candidæ, Carthagini. |
| 25. | VI | A | VIII Kal. | Romæ, Geneſij martyris, mimi. Thymelicæ artis magiſter fuit. |

Et

Et S. Geneſij Arelatenſis.
Romæ, quatuor martyrum Euſebij, Pontiani, Peregrini, & Vincentij.

26. VII B VII Kal. Zephyrini Papæ.
Irenæi, Abundij.
Bergamis, Alexandri.
Apud Victimilium, Secundi martyris.

27. I C VI Kal. Capuæ, Rufi martyris, Apollinaris diſcipuli.
Tomis, Marcellini & Manneæ.

28. II D V Kal. Romæ, Hermetis martyris.
In Africâ, Auguſtini Epiſcopi.
Conſtantinopoli, S. Alexandri Epiſcopi.

29. III E IV Kal. Romæ ad Arcum Fauſtini, Sabinæ martyris.
Eo die veneratur decollatio ſancti Ioannis Baptiſtæ.

30. IV F III Kal. Viâ Oſtienſi, Felicis & *Audacti martyrum. *alias Adaucti

31. V G II Kal. Apud Athenas, Ariſtidis, qui Adriano Principi de religione Chriſtianâ libros obtulit.

## MENSIS SEPTEMBER

### habet dies XXX. Luna XXX.

1. VI H Kal. Sept. Ieſu Naue & Gedeon Prophetarum.
Capuæ, Priſci martyris, de illis antiquis Chriſti diſcipulis.
Apud Cæſaream Cappadociæ, Longini militis & martyris, qui latus Domini in cruce aperuit.

2. VII I IV Non. Apud Apamiam, Antonini martyris.

3. I K III Non. Romæ, Seraphiæ virginis, IV. Kalend. Auguſti paſſæ, II. Kalend. ſepultæ, III. Non. Septembris memoria paſſionis eius celebrior.

4. II L II Non. Moyſis Prophetæ.
Ancyræ, martyrum trium puerorum, Rufini, Siluani, Vitalicæ.

5. III M Nonæ. Romæ, Victorini martyris, fratris Seuerini, qui poſt miram pænitudinem Amiterninæ vrbis Epiſcopus & martyr factus eſt.
Romæ, Hercolani.

6. IV N VIII Id. Zachariæ prophetæ.
Et Oneſiphori Pauli diſcipuli.
Et confeſſorum Donatiani, & ceterorum.

7. V O VII Id. Ioannis martyris, qui Nicomediæ ſub Diocletiano librum iniquæ legis minutatim diſcerpſit.

8. VI P VI Id. Natiuitas Dei genitricis MARIÆ.
Et Adriani martyris cum XXIII. martyribus.
Et Nataliæ.

9. VII Q V Id. Nicomediæ, Dorothei & Gorgonij martyrum, quorum vnus, Gorgonius, Romam transfertur.
In Sabinis, Hyacinthi, Alexandri, Tiburtij.

10. I R IV Id. In Africâ, Epiſcoporum, Nemeſiani, Felicis, & aliorum VII.
Apud Chalcedonam, Soſthenis & Victoris.

11. II S III Id. Romæ, Hyacinthi & Proti eunuchorum.

12. III T II Id. Ticini, confeſſoris Syri, & Euentij, diſcipulorum Hermagoræ, Aquileienſis primi Epiſcopi.

13. IV V Idus. In Alexandriâ, Philippi Epiſcopi & martyris, qui primùm præfectus fuit.

14. V A XVIII K. Octob. Romæ, Cornelij Epiſcopi & martyris, & aliorum XXI. & Cerealis & Saluſtiæ.
Carthagine, Cypriani Epiſcopi & martyris.
Exaltatio ſanctæ Crucis, ab Heraclio Imperatore à Perſis Ieroſolymam reportatæ, quando & Romæ lignum ſalutiferum Crucis à Sergio Papâ inuentum ab omni populo veneratur.

15. VI B XVII Kal. Romæ, Nicomedis martyris.

16. VII C XVI Kal. Chalcedone, Euphemiæ virginis.
Romæ, Luciæ & Geminiani martyrum.

17. I D XV Kal. Romæ, Iuſtini preſbyteri, ad quem beatus Laurentius in vico Patricij nocte venit.
Item Narciſſi & Creſcentiani.

18. II E XIV Kal. Methodij, Olympi Lyciæ, & poſteà Tyri Epiſcopi, qui ſub Diocletiano martyrio coronatus eſt.

19. III F XIII Kal. Neapoli, Ianuarij, Soſij, Feſti, Deſiderij,
Proculi,

Digitized by Google

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| | | | | Proculi, Eutychetis, Acuti. |
| | | | | Et Pelei, & Nili. |
| 20. | IV | G | XII Kal. | In Cyzico, Fauſtæ virginis, & Euilaſij. |
| 21. | V | H | XI Kal. | Matthæi Apoſtoli. |
| 22. | VI | I | X Kal. | Mauritij cum ſocijs, qui Thebæi fuiſſe referuntur, ſub Maximiano paſſi. |
| 23. | VII | K | IX Kal. | Meſenathæ, Soſij diaconi, annorum XXX. martyris. |
| | | | | Et Theclæ virginis, Seleuciæ quieſcentis. |
| 24. | I | L | VIII Kal. | Conceptio Ioannis Baptiſtæ. |
| 25. | II | M | VII Kal. | Cleophæ, cui Dominus poſt reſurrectionem in viâ apparuit. |
| 26. | III | N | VI Kal. | Romæ, Cypriani Epiſcopi, Antiochiæ paſſi, & cum martyre Iuſtinâ Romam tranſlati. |
| 27. | IV | O | V Kal. | In Ægeâ ciuitate, Coſmæ & Damiani, Anthimi, Leontij & Euprepij. |
| 28. | V | P | IV Kal. | Cordubæ, Fauſti, Ianuarij & Martialis martyrum. |
| 29. | VI | Q | III Kal. | In monte Gargano, venerabilis memoria Archangeli Michaëlis. |
| | | | | Et Romæ, dedicatio Eccleſiæ eiuſdem Archangeli, à beato Bonifacio Papâ conſtructæ in Circo, qui locus INTER NVBES dicitur. |
| 30. | VII | R | II Kal. | Bethleëm, Hieronymi preſbyteri. |

## MENSIS OCTOBER

### habet dies XXXI. Luna XXX.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 1. | I | S | Kal. Octob. | Tomis ciuitate, Priſci, Creſcentij & Euagrij. |
| | | | | Et Remis ciuitate, ſancti Remigij Epiſcopi. |
| 2. | II | T | VI Non. | Nicomediæ, Eleutherij martyris ſub Diocletiano, & innumerabilium aliorum, quos iratus Diocletianus pro incenſo palatio, diuerſis tormentis odio Chriſtiani nominis occidit. |
| 3. | III | V | V Non. | Athenis, Dionyſij Areopagitæ, ſub Adriano diuerſis tormentis paſſi, vt Ariſtides teſtis eſt in opere, quod de Chriſtianâ re- |

ligione compoſuit: hoc opus apud Athenienſes inter antiquorum memorias clariſſimum tenetur.

4. IV A IV Non. Apud Corinthum, Criſpi & Caij.
Apud Ægyptum, Marci & Martiani fratrum, cumque eis innumeræ multitudinis.

5. V B III Non. Eumeniæ, Thraſeæ Epiſcopi, apud Smyrnam coronati, qui vnus fuit ex antiquis.

6. VI C II Non. Sagaris Epiſcopi Laodicenſis, de antiquis Pauli Apoſtoli diſcipulis.

7. VII D Nonæ. Romæ, Marci Papæ.
Et Iuliæ, Sergij, & Bacchi.
Marcelli, & Apuleij, qui primò adhæſerunt Simoni Mago, deinde Apoſtolo Petro: ſub Aureliano conſulari viro, martyrio coronati.

8. I E VIII Id. Gortinæ, Philippi Epiſcopi.
Theſſalonicæ, Demetrij martyris.

9. II F VII Id. Abrahæ Patriarchæ.
Pariſijs, Dionyſij Epiſcopi cum ſocijs ſuis à Feſcennino gladio animaduerſi.

10. III G VI Id. Loth Prophetæ.
In Cretâ, Pyniti inter Epiſcopos nobiliſſimi.

11. IV H V Id. Apud Tharſum, martyrum Tharaci, Probi, & Andronici.

12. V I IV Id. Rauennæ, Hediſtij.
Apud Africam, ſanctorum confeſſorum quatuor millium DCCCC. LXXVI. ſub perſecutione VVandalicâ paſſorum.

13. VI K III Id. Troade, Carpi, Apoſtoli Pauli diſcipuli.
Antiochiæ, Theophili Epiſcopi, qui ſextus ab Apoſtolis fuit.

14. VII L II Id. Romæ, Calliſti Papæ & martyris, & Priuati militis.

15. I M Idus.

16. II N XVII K. Nou. Sanctorum martyrum Martiani & Satyriani, cum duobus fratribus eorum, & aliorum CCLXX. pariter coronatorum VVandalicâ perſecutione.

17. III O XVI Kal. Marthæ ſororis Lazari.
Et Ariſtionis, qui fuit vnus de LXX. Chriſti diſcipulis.

18. IV P xv Kal. Lucæ Euangeliſtæ.
Et Aſclepiadis, Antiocheni Epiſcopi.
Romæ, Triphoniæ, vxoris quondam Decij Cæſaris.

19. V Q xiv Kal. Antiochiæ, Beronici, Pelagiæ & aliorum XLIX.
Et Ptolomæi, qui à quodam Centurione Vrbicio Iudici traditur; & Lucij ac Tertij ſimul decollatorum, qui Alexandriæ ſepulti ſunt.

20. VI R xiii Kal. *

21. VII S xii Kal. Nicomediæ, Daſij, Zotici, Caij, cum XII. militibus.
Et S. Hilarionis monachi.

22. I T xi Kal. Ieroſolymis, Marci, qui primus ex gentibus Epiſcopus ibi factus eſt.
Et Salomæ, quæ in Euangelio legitur.

23. II V x Kal. Antiochiæ, Theodoreti preſbyteri.
In Hiſpanijs, Seruandi & Germani.

24. III A ix Kal. Venuſiæ, Felicis Epiſcopi Tubzocenſis, & Audactis & Ianuarij preſbyterorum, & Fortunatiani & Septimi lectorum.

25. IV B viii Kal. Romæ viâ Salariâ, XLVI. militum, qui baptizati à Dionyſio Papâ, iubente Claudio decollati ſunt.

26. V C vii Kal. In Africâ, Rogatiani preſbyteri, & Feliciſſimi martyris.

27. VI D vi Kal. Abelâ ciuitate, Vincentij, Sabinæ & Chriſtetes martyrum.

28. VII E v Kal. Simonis & Thadæi Apoſtolorum.
Romæ, Cyrillæ, filiæ Decij Cæſaris.

29. I F iv Kal. Narciſſi Ieroſolymorum Epiſcopi, viri ſanctitate, & patientiâ, ac fide laudabilis.
Sidonæ, Zenobij preſbyteri & martyris.

30. II G iii Kal. Tingitanæ, Marcelli centurionis & martyris.
In Africâ, Martyrum CCXX.

31. III H ii Kal. Nemeſij diaconi, & Lucillæ filiæ eius, VIII. Kalend. Septembrium paſſi, ſed pridie Kalend. Nouembrium à Sixto Papâ ſepulti.

**In M S. hic erant Sancti ſeq. diei: & 21. die Marcus & Salome; & 22. vacabat. Sed Ado & omnes, vt hic impreſſum.*

MEN-

# MENSIS NOVEMBER

## habet dies XXX. Luna XXX.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 1. | IV | I | Kal. Nou. | Feſtiuitas Sanctorum, quæ celebris & generalis agitur Romæ. |
| | | | | Cæſarij diaconi & martyris, & Iuliani preſbyteri. |
| | | | | Et Seuerini monachi, de Tiburtinâ ciuitate. |
| 2. | V | K | IV Non. | Laodiceæ, Theodoti Epiſcopi, qui arte medicus fuit. |
| 3. | VI | L | III Non. | Quarti, diſcipuli Apoſtolorum. |
| | | | | In Cappadociâ, martyrum Germani, Theophili, Cæſarij, Vitalis, ſub Decianâ perſecutione. |
| 4. | VII | M | II Non. | Alexandriæ, Hierij preſbyteri, vitâ puriſſimi, in Scripturis nobiliter eruditi. |
| 5. | I | N | Nonæ. | Zachariæ Prophetæ, patris Ioannis Baptiſtæ. |
| | | | | Terracinæ, Felicis preſbyteri, & Euſebij monachi. |
| 6. | II | O | VIII Id. | Tonizâ Africæ, ſancti Felicis martyris. |
| | | | | Ciuitate Theopoli, XL. Martyrum. |
| 7. | III | P | VII Id. | Alexandriæ, Achilleæ Epiſcopi. |
| | | | | Apud Peruſinam, Herculani Epiſcopi & martyris. |
| 8. | IV | Q | VI Id. | Romæ, martyrum Claudij, Nicoſtrati, Symphroniani, Caſtorij, Simplicij, artificum inſigniſſimorum. |
| | | | | Et ipſo die, IV. Coronatorum Seueri, Seueriani, Carpophori, Victorini. quorum feſtiuitatem ſtatuit Melchiades Papa ſub nominibus quinque Martyrum celebrari: quia nomina eorum non reperiebantur; ſed intercurrentibus annis cuidam ſancto viro reuelata ſunt. |
| 9. | V | R | V Id. | Euchaitæ, ſancti Theodori martyris. |
| 10. | VI | S | IV Id. | Cherſonâ Lyciæ, Martini Papæ, qui ob Catholicam fidem ibi relegatus vitam finiuit. |
| 11. | VII | T | III Id. | Turonis, Martini Epiſcopi, miraculorum patratoris. |



Digitized by Google

In Scythiâ, Mennæ martyris, Conſtantinopolim tranſlati.

12. I V II Id. In Africâ, Archadij, Paſchaſij, Probi, & Eutychiani, VVandalorum perſecutione martyrum.

13. II A Idus. Rauennæ, Valentini, Solutoris, Victoris martyrum.

14. III B XVIII Kal. Dec. Alexandriæ, Serapionis, qui ſub Decio præcipitatus martyr efficitur.

15. IV C XVII Kal. Felicis Epiſcopi, qui à quintodecimo anno miraculorum gloriâ inſignis fuit, & ſub Martiano cum XXX. martyrium compleuit, in Nolenſi eccleſiâ ſepultus.

16. V D XVI Kal.

17. VI E XV Kal. [a] Dedicatio ſancti Petri ad [b] Mal m̃ dar.
Alexandriæ, Dionyſij Epiſcopi, in multis ſæpè confeſſionibus clari, Valeriani & Gallieni temporibus.

*[a] Deeſt Adonis. [b] fortè Malmundariũ.*

18. VII F XIV Kal. Antiochiæ, Romani monachi & martyris.
Et ſancti Eſychij Palatini & martyris.

19. I G XIII Kal. Romæ, Maximi preſbyteri & martyris.
Et Fauſti diaconi, & Euſebij collegæ eius, martyrum viſitatorum.

20. II H XII Kal. Romæ, Pontiani Papæ & martyris.
Meſſanæ, Ampeli & Caij.

21. III I XI Kal. Rufi, quem Apoſtolus ad Romanos ſcribens ſalutat.

22. IV K X Kal. Romæ, Cæciliæ virginis & martyris.

23. V L IX Kal. Sancti Clementis Epiſcopi.
Et Felicitatis, matris VII. filiorum.

24. VI M VIII Kal. Romæ, Chryſogoni martyris, & Zoili.

25. VII N VII Kal. Sancti Petri Alexandrini Epiſcopi cum alijs DCLX.

26. I O VI Kal. Romæ, Lini Papæ.
Et beati Alexandri Epiſcopi & martyris, paſſi XI. Kalend. Octobr. à Papâ Damaſo VI. Kalend. Decembr. tranſlati, quando feſtiuitatem ei dicauit.

27. II P V Kal. Bononiæ, Vitalis & Agricolæ martyrum.

28. III Q IV Kal. Soſthenis diſcipuli Apoſtolorum.
Et ſancti Rufi martyris cum omni domo ſuâ per Chryſogonum lucrati.

In

In Africâ, Papinij & Manſueti Epiſcoporum.

29. IV R III Kal. Romæ, Saturnini martyris, & Sennis, & Siſinnij diaconorum.

30. V S II Kal. Andreæ Apoſtoli.

## MENSIS DECEMBER
### habet dies XXXI. Luna XXIX.

1. VI T Kal. Dec. Romæ, Chryſanthi & Dariæ martyrum, & Diodori & Mariniani, cum infinitâ multitudine martyrum.

*aliàs Bibianæ. 2. VII V IV Non. Romæ,* Viuianæ martyris.

Fauſti martyris & Dafroſæ filiæ.

3. I A III Non. Romæ, Claudij tribuni, & Hilariæ vxoris eius, & Iaſonis & Mauri, & LXX. militum ſub Numeriano.

4. II B II Non. Romæ, Symphronij & Olympij, Exſuperiæ & Theodoli die VII. Kalendarum Auguſti paſſorum; à beato Xyſto viâ Latinâ II. Nonas Decembris tranſlatorum, quando eorum feſtus dies celebrior agitur.

5. III C Nonæ. Criſpinæ martyris.

Et Dalmatij martyris.

6. IV D VIII Id. Nicolai Epiſcopi Myrorum Lyciæ.

In Africâ, Dionyſiæ, Datiuæ, Leontis, & Æmiliani medici, & aliorum.

7. V E VII Id. Alexandriæ, Agathonis martyris & militis ſub Decio.

8. VI F VI Id. Romæ, Eutychiani Papæ & martyris, qui CCCXLII. martyres ſuâ manu ſepeliuit.

Alexandriæ, Macarij martyris, genere Libyci.

9. VII G V Id. Leocadiæ virginis.

10. I H IV Id. Eulaliæ virginis & martyris.

Spoleti, Carpophori preſbyteri, & Abundij diaconi.

11. II I III Id. Danielis Prophetæ.

Romæ, Damaſi Papæ.

Et martyrum Pontiani, Prætextati, & Thraſonis, qui martyribus de facultatibus ſuis miniſtrauit.



Digitized by Google

| | | | |
|---|---|---|---|
| 12. III | K | II Id. | Alexandriæ, Epimachij & Alexandri. |
| | | | Et ſanctarum quatuor mulierum, Ammonariæ, Mercuriæ, Dionyſiæ, & Ammonariæ. |
| 13. IV | L | Idus. | Syracuſis, Luciæ virginis & martyris. |
| 14. V | M | XIX Kal. Ian. | Antiochiæ, Druſi, Zoſimi, & Theodori. |
| | | | Alexandriæ, Heronis, Arſenij, & Iſidori, & Dioſcori. |
| | | | In Cypro, Spiridionis Epiſcopi. |
| 15. VI | N | XVIII Kal. | In Africâ, Valeriani Epiſcopi & confeſſoris, VVandalicâ perſecutione. |
| 16. VII | O | XVII Kal. | Martyrium ſanctorum Ananiæ, Azariæ, Miſaëlis. |
| | | | In Tuſciâ, Barbaræ virginis & martyris. |
| 17. I | P | XVI Kal. | Tranſlatio Ignatij Epiſcopi & martyris Antiochiæ. |
| | | | Et Lazari, quem Chriſtus reſuſcitauit, & Marthæ ſororis eius in Bethaniâ. |
| 18. II | Q | XV Kal. | Rufi & Zoſimi de primis diſcipulis Chriſti, per quos Eccleſia de Iudæis & Græcis primitiua fundata eſt. |
| 19. III | R | XIV Kal. | Apud Ægyptum, Nemeſij martyris, qui per calumniam quaſi latro, Iudici delatus eſt. |
| 20. IV | S | XIII Kal. | Alexandriæ, Ammonis, Zenonis, Ptolomæi, Ingenui, Theophili. |
| 21. V | T | XII Kal. | Thomæ Apoſtoli. |
| | | | In Tuſciâ, Ioannis & Feſti. |
| 22. VI | V | XI Kal. | Romæ, XXX. martyrum ſub Diocletiano, viâ Lauicanâ inter duas lauros ſepultorum. |
| | | | Alexandriæ, Iſchyrionis martyris. |
| | | | Et aliorum quamplurimorum, inter quos ſenex Chæremon. |
| 23. VII | A | X Kal. | Romæ, Victoriæ martyris. |
| | | | Nicomediæ, Martyrum XX. |
| | | | Romæ, Seruuli ægritudine diſſoluti, in eccleſiâ beati Clementis ſepulti; vbi Dominus per illum mira operari dignatur. |
| 24. I | B | IX Kal. | Vigilia Natalis Domini. |
| | | | Apud Spoletum, Gregorij preſbyteri & martyris. |
| 25. II | C | VIII Kal. | NATIVITAS DOMINI ſecundùm carnem. |

| | | | |
|---|---|---|---|
| | | | Romæ, Anaſtaſiæ. |
| | | | Et Eugeniæ. |
| 26. III | D | VII Kal. | Stephani protomartyris. |
| 27. IV | E | VI Kal. | Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtę, apud Epheſum. |
| 28. V | F | V Kal. | Bethleēm, ſanctorum Innocentium. |
| 29. VI | G | IV Kal. | Dauid Regis. |
| | | | Et Trophimi Epiſcopi, diſcipuli Apoſtolorum. |
| 30. VII | H | III Kal. | Apud Spoletum, Sabini Epiſcopi, Exſuperantij, & Marcelli, & Venuſtiani cum vxore & filijs: qui paſſi VII. Idus Decembris, feſtiuitatem ſepulturę habent III. Kalend. Ianuarij. |
| 31. I | I | II Kal. | Romæ, Silueſtri Papæ & confeſſoris. |
| | | | Et ſanctæ Columbæ virginis. |

QVO

Digitized by Google

# QVO GENERE VEL CVLTV SANCTI MARTYRES VENERANDI SVNT.

## Ex libris beati AVGVSTINI Epiſcopi.

POPVLVS *Chriſtianus Memorias Martyrum reli-* Auguſtinus
*gioſâ ſolemnitate concelebrat, & ad excitandam imi-* lib. 20. con-
*tationem, & vt meritis eorum conſocietur, atque ora-* tra Fauſtū,
*tionibus adiuuetur: ita tamen, vt nulli Martyrum,* cap. 21.
*ſed ipſi Deo Martyrum, quamuis in Memoriis Mar-*
*tyrum, conſtituamus altaria. Quis enim Antiſtitum*
*in locis ſanctorum corporum, aſſiſtens altari, aliquan-*
*do dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offer-*
*tur, offertur Deo, qui Martyres coronauit, apud Memorias eorum quos*
*coronauit; vt ex ipſorum locorum admonitione maior affectus exſurgat, ad*
*augendam charitatem, & in illos quos imitari poſſumus, & in illum quo*
*adiuuante poſſimus. Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis & ſocieta-*
*tis, quo & in hac vitâ coluntur ſancti homines Dei, quorum cor ad talem*
*pro Euangelicâ veritate paſſionem paratum eſſe ſentimus: ſed illos tanto*
*deuotiùs, quanto ſecuriùs poſt incerta omnia ſuperata; quanto etiam fiden-*
*tiori laude prædicamus iam in vitâ feliciori victores, quàm in iſtâ adhuc vſ-*
*que pugnantes. At illo cultu, qui Græcè* λατρεία *dicitur, Latinè vno verbo*
*dici non poteſt, cùm ſit quædam propriè Diuinitati debita ſeruitus, nec coli-*
*mus nec colendum docemus, niſi vnum Deum. Cùm autem ad hunc cultum*
*pertineat oblatio ſacrificij (vnde Idololatræ dicuntur, qui hoc etiam idolis*
*exhibent) nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel*
*cuiquam Martyri, vel cuiquã ſanctæ animæ, vel cuiquam Angelo; & quiſ-*
*quis in hunc errorem delabitur, corripitur per ſanam doctrinam, ſiue vt*
*corrigatur, ſiue vt caueatur. Etiam ipſi ſancti, vel homines vel Angeli, ex-*
*hiberi ſibi nolunt, quod vni Domino deberi nôrunt. Apparuit hoc in Pau-* Act. 14.
*lo & Barnabâ, cùm commoti miraculis, quæ per eos facta ſunt, Lycaonij*
*tamquam diis immolare voluerunt: conſciſſis enim veſtimentis ſuis, confi-*
*tentes & perſuadentes ſe deos non eſſe, iſta ſibi fieri vetuerunt. Apparuit*
*& in Angelis, ſicut in Apocalypſi legimus, Angelum ſe adorari prohibentem* Apoc. 19.
*ac dicentem adoratori ſuo: Conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum, Do-* & 22.
*minum adora. Iſta ſibi planè ſuperbi ſpiritus exigunt, diabolus & angeli*
*eius, ſicut per omnia templa & ſacra gentilium. Quorum ſimilitudo in qui-*

buſdam etiam ſuperbis hominibus expreſſa eſt: ſicut de Babyloniæ quibuſdam regibus memoriæ commendatum tenemus. Vnde ſanctus Daniel accuſatores ac perſecutores pertulit, quòd Regis edicto propoſito, vt nihil à quoquam Deo peteretur niſi à Rege ſolo, Deum ſuum, hoc eſt vnum & verum Deum adorare deprecariq́; deprehenſus eſt. qui autem ſe in memoriis Martyrum inebriant, quomodo à nobis approbari poſſunt, cùm eos, etiam ſi in domibus ſuis id faciant, ſana doctrina condemnet? Sed aliud eſt quod docemus, aliud quod ſuſtinemus: aliud quod præcipere iubemur, aliud quod emendare præcipimur, & donec emendemus, tolerare compellimur; alia eſt diſciplina Chriſtianorum, alia luxuria vinolentorum, vel error infirmorum; verumtamen & in hoc ipſo diſtant plurimùm culpæ vinolentorum & ſacrilegorũ. Longè quippe minoris peccati eſt, ebrium redire à Martyribus, quàm vel ieiunum ſacrificare Martyribus. Sacrificare Martyribus dixi, non dixi ſacrificare Deo in memoriis Martyrum: quod frequentiſſimè facimus: illo dumtaxat ritu, quo ſibi ſacrificari noui Teſtamenti manifeſtatione præcepit: quod pertinet ad illum cultum qui λατρεία dicitur, & vni Deo debetur. [Proinde verum ſacrificium, quod vni vero debetur Deo, quo eius altare ſolus Chriſtus impleuit, in victimis pecorum imitata dæmonia ſibi arroganter expoſcunt: vnde Apoſtolus dicit, quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant & non Deo. non quòd offerebatur culpans, ſed quia illis offerebatur. Hebræi autem in victimis pecorum quas offerebant Deo multis & variis modis, ſicut re tantâ dignum erat; prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Chriſtus obtulit. Vnde iam Chriſtiani peracti euſdem ſacrificij memoriam celebrant ſacroſanctâ oblatione & participatione corporis & ſanguinis Chriſti.] Huius ſacrificij caro & ſanguis ante aduentum Chriſti per victimas ſimilitudinum promittebatur; in paſſione Chriſti per ipſam veritatem reddebatur; poſt aſcenſum Chriſti per ſacramentum memoria celebratur.

Dan. 6.

1. Cor. 10.

Virgulis incluſa deſunt Auguſtino impreſſo, citato loco.

MAR-

# MARTYROLOGIVM
# ADONIS
## ARCHIEPISCOPI
## VIENNENSIS.

Digitized by Google

# BENEVOLE LECTOR,

Adonis editores primi.

ALOYSIVS *Lipomanus, Epiſcopus Veronenſis, illuſtre Italiæ decus, tomo ſuo quarto de Vitis S S. anno* M. D. LIV. *Venetiis edito, non pauca ex Adonis Martyrologio M S. delibauit. quod ille tanti fecit, vt ipſe ſcribat:* Omne aurum nihil duxi in comparatione illius. *Deinde Iacobus Moſander, Carthuſiæ Colonienſis inſignis alumnus, anno* M. D. LXXXI. *tomo ſeptimo de vitis Sanctorum, quem ſuccedaneum Surio dedit, hoc Martyrologium Adonis integrius edidit.*

Qui hæc editio curata.

*Sed cùm hic & ordinem mutauerit, & quadam ab alienâ manu inſeruerit, paucula dempſerit, nonnulla quoque aſſecutus non fuerit; placuit rurſus Adonem recenſere, eumq́; priſtino nitori reſtituere, & veteri Martyrologio Romano, ſicut ipſe olim fecit, ſubnectere. Quod vt ex fide præſtarem, tres mihi veteres codices fuere ſubſidio, perbenignè à diuerſis antiquitatis Eccleſiaſticæ fautoribus communicati. Primus fuit S. Pantaleonis Coloniæ, quem ſuppeditauit Carthuſia Colonienſis, ex quâ Ado curante Moſandro prodierat. Secundum nactus ſum ab Euerbodienſi Abbatiâ iuxta Sichemium: tertium, à Petro Scriuerio. Qui etſi ſinguli ſe vetuſtate ſuâ probarent, tertius tamen eminebat; niſi quòd huic prima omnia deerant, vſque ad Martium, & pars in Iunio Iulióque. Reliqui integrum Adonem repræſentabant, eo ordine modóque, quo nunc exhibeo. Litteræ ſingulis Martyrologij diebus præfixæ, in ſolo erant codice Euerbodienſi.*

Ado libellum Apoſt. à Martyrologio ſeiunxit.

*Quare ne mireris, Lector, hîc in fronte Martyrologij Adonis comparere* Libellum de Feſtiuitatibus S S. Apoſtolorum, & reliquorum, qui diſcipuli aut vicini, ſucceſſoreſque ipſorum Apoſtolorum fuerunt. *Nihil enim ſine auctoribus libris, iisq́; vetuſtiſsimis dedi; nihil in vulgato Adone, niſi iiſdem ſuffragantibus mutaui. Et verò libelli huius auctoritatem tuetur ipſe Ado in ſuo Martyrologio* II. *Iulij, vbi poſtquam breuiter S S. Proceſsi & Martiniani Martyrum meminit, addit:* Quorum paſſio in libello Apoſtolorum ſuprà notata eſt. *quæ verba in vulgato Adone deſiderantur, vti & nonnulla alia. Quod inde accidit, quòd Moſander libellum hunc Apoſtolorum, paſsim Martyrologio Adonis, locis ſuis inſeruerit, iis ſubmotis, quæ breuiculè tantùm de iiſdem Sanctis notata erant. Sed aliud Ado ipſe conſilium inierat. Voluit Apoſtolos, eorumq́; ſucceſſores viros Apoſtolicos, velut duces in fronte generoſi exercitus apparere, & glorioſos milites velut in aciem educere: voluit eoſdem rurſus in principiis & poſt principia (vt ſtrenui duces ſolent) intercurrere. quod cur mutemus?*

Ado Viennenſis, non Treuirenſis, huius Martyrologij auctor.

*Adonem verò Viennenſem Archiepiſcopum, non Treuirenſem (quod exiſtimarunt Aloyſius & Moſander) vti Martyrologij, ita & huius libelli auctorem eſſe, fidem facit codex Euerbodienſis, qui hunc titulum præfert:* Ado Viennenſis Archiepiſcopus quaſi epilogatum compilauit, incipiens à feſtiuitatibus Apoſtolorum, aut diſcipulorum, aut ſucceſſorum eorum. *Nam quem antè titulum dedi, eſt è codice S. Pantaleonis, in quo Ado ante vetus Martyrologium Romanum, vt ſuprà habes, præfatur, nullâ diſtinctione Epiſcopatus adiectâ. Viennenſis hic Ado multo Treuirenſi eſt antiquior: nam ille vixit tempore Ioannis* VIII. *circa annum* D.CCC. LXXIX. *ad eum enim annum Chronicon ſuum perduxit: alter verò ſiue Ado ſiue Vdo tempore Gregorij* VII. *circa annum* M. LXXVI. *Adonis Viennenſis natalis inter Sanctos recenſitus habetur* XVI. *Decembr.* Viennæ beati Adonis Epiſcopi & Confeſſoris.

Cur initiũ Martyrologij à Vigiliâ Natiuitatis.

*Quod hîc in Martyrologio Adonis initium ſumitur, non à Kalendis Ianuarij, vt hactenus editum, ſed à Vigiliâ Natiuitatis Domini, ſcias hoc ex Romanæ Eccleſiæ ritu factum, quæ anni epocham olim habuit Natiuitatem* CHRISTI, *& à Veſperis Vigiliæ ipſius Natiuitatis annum auſpicabatur. Conſtanter ita exhibebant tria M S. exemplaria, quibus vſus ſum. Vide & Cl. V. Pauli Petauij Syntagma de Epochâ annorum.*

ADO-

# ADONIS ARCHIEP. VIEN. LIBELLVS DE FESTIVITATIBVS SS. APOSTOLORVM ET RELIQVORVM QVI DISCIPVLI AVT VICINI SVCCESSORESQ. IPSORVM APOSTOLORVM FVERVNT.

## E. III. KALENDAS IVLII. *29. Iunij.*

ROMAE Natalis beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli,qui paſſi ſunt ſub Nerone,Baſſo & Tuſco Conſulibus. Petrus ſecundo Claudij anno, poſt Epiſcopatum Antiochenſis eccleſiæ, & prædicationem diſperſionis eorum, qui de circumciſione crediderant, in Ponto,Galatiâ,Cappadociâ,Aſiâ,& Bithyniâ, ad expugnandum Simonem magum Romam miſſus eſt: ibique viginti quinque annis cathedram ſacerdotalem tenuit, vſque ad vltimum annum Neronis, à quo & affixus cruci, martyrio coronatus eſt, capite ad terram verſo, & in ſublime pedibus eleuatis, aſſerens ſe indignum, qui crucifigeretur vt Dominus ſuus. Sepultus in eadem vrbe, in Vaticano,iuxta viam triumphalem, totius orbis veneratione celebratur. Scripſit duas Epiſtolas, quæ Catholicæ nominantur; quarum ſecunda à pleriſque eius negatur, propter ſtyli cum priore diſſonantiam: ſed & Euangelium iuxta Marcum,qui auditor eius & interpres fuit, huius dicitur. Libri autem, è quibus vnus Actorum eius ſcribitur, alius Euangelij, tertius Prædicationis, quartus Ἀποκαλύψεως, quintus Iudicij, inter apocryphas ſcripturas repudiantur. *Hieron. de ſcript. Eccl. cap. 1.*

Paulus quoque poſt paſſionem Domini XXV. anno, id eſt,ſecundo Neronis, poſtquam ab Ieruſalem vſque Illyricum repleuit Euangelium Chriſti, Romam vinctus miſſus eſt; & ſicut ipſe in ſecundâ Epiſtolâ ad Timotheum ſcribit, liberatus de ore leonis,videlicet ferociſſimi perſecutoris Neronis,Euangelium Chriſti in Occidentis quoque partibus prædicauit. Et hic ergo quarto decimo Neronis anno, eodem die quo Petrus,Romæ pro Chriſto capite truncatur. Sepultuſque eſt in viâ Oſtienſi,anno poſt paſſionem Domini trigeſimo ſeptimo. Scribit autem nouem,ad ſeptem eccleſias,Epiſtolas: ad Romanos vnam; ad Corinthios duas; ad Galatas vnam; ad Epheſios vnam; ad Philippenſes vnam; ad Coloſſenſes vnam; ad Theſſalonicenſes duas. Præterea ad diſcipulos ſuos; Timotheo duas; Tito vnam; Philemoni vnam. Epiſtola autem, quæ fertur ad Hebræos, non eius creditur, propter ſtyli ſermoniſque diſſonantiam: ſed vel Barnabæ, iuxta Tertullianum; vel Lucæ Euangeliſtæ, iuxta quoſdam; vel Clementis, Romanæ pòſt Eccleſiæ Epiſcopi; quem dicunt, ſententias Pauli proprio ordinaſſe *Hieron. de ſcript. Eccl. cap. 5.*

& omaſſe ſermone; vel certè (quia Paulus ſcribebat ad Hebræos, & propter inuidiam ſui apud eos nominis, titulum in principio ſalutationis amputauerat; ſcripſerat autem vt Hebræus Hebraicè, id eſt, ſuo eloquio diſertiſſimè) ea quæ eloquenter ſcripta fuerant in Hebræo, eloquentiùs vertiſſe in Græcum. & hanc eſſe cauſſam, quòd à ceteris Pauli epiſtolis diſcrepare videatur. Eius itaque eſſe, non alterius, tota Eccleſia iam firmiſſimè tenet. Legunt quidam & ad Laodicenſes; ſed ab omnibus exploditur. Hic de tribu Beniamin, & oppido Iudææ, *Giſcalis fuit. quo à Romanis capto, cum parentibus ſuis Tharſum Ciliciæ commigrauit: à quibus ob ſtudium legis miſſus Ieroſolymam, à Gamaliele doctiſſimo viro eruditus eſt. Cùm autem interfuiſſet neci martyris Stephani, & acceptis epiſtolis à Pontifice templi, ad perſequendos eos qui Chriſto crediderant, Damaſcum pergeret, reuelatione compulſus ad fidem in vas electionis de perſecutore tranſlatus eſt. Cumque primùm ad prædicationem eius Sergius Paulus proconſul Cypri credidiſſet, ab eo, quòd eum Chriſti fidei ſubegerat, ſortitus eſt nomen.

*al. Giſchalis — Act. 7. & 9.

30. Nou. F. II. KALENDAS DECEMBRIS.

In ciuitate Patras prouinciæ Achaiæ, Natalis beati Andreæ Apoſtoli, qui etiam apud Scythiam prædicauit. Hic beatiſſimus Apoſtolus ab Ægeâ proconſule Achaiæ cōprehenſus, cùm perſeueranter in fide Chriſti & Euangelij miniſterio duraret, inſuperabiliſque maneret, carcere primùm clauſus, inde coram Proconſule grauiſſimè cæſus, ad vltimum cruce ligatis manibus & pedibus, funibúſque toto corpore tenſus, vt longiùs cruciaretur, biduo inibi ſuperuixit, non ceſſans ea, quæ Chriſti ſunt, populum docere. Cúmque hi, qui per eum Chriſto Domino crediderant, ſatis agerent, vt deponeretur; Ægeámque, vt hoc perficeret, nolentem impellerent; Apoſtolus Domini circumſtante populo, & Ægeâ proconſule, vt ſolueretur, agente, poſt verba orationis fulgore cæleſti ferè vnâ deſuper circumfulſus horâ, cum ipſo lumine abſcedente emittens ſpiritum, perrexit fine beato ad Dominum. Cuius ſanctiſſimum corpus Maximilla potentiſſima matronarum reuerenter depoſitum ſepeliuit: ſed emergentibus annis, ſacratiſſima eius oſſa, viceſimo Conſtantij Imperatoris anno, ab Achaiâ Conſtantinopolim tranſlata ſunt.

Euſeb. in Chron.

25 Iulij. C. VIII. KALENDAS AVGVSTI.

Natalis beati Iacobi Apoſtoli, fratris Ioannis Euangeliſtæ, qui decollatus eſt ab Herode rege Ieroſolymis, vt liber Actuum Apoſtolorum docet. Huius beatiſſimi Apoſtoli ſacra oſſa ad Hiſpanias tranſlata, & in vltimis earum finibus, videlicet contra mare Britannicum condita, celeberrimâ illarum gentium veneratione excoluntur.

Act. 12.

27. Dec. D. VI. KALENDAS IANVARII.

Natalis beati Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ, quem Ieſus amauit plurimùm: qui ſecundam poſt Neronem perſecutionem mouente Domitiano, poſteaquam in oleo ignito demerſus nihil paſſus eſt, in Pathmum inſulam relegatus vidit Apocalypſim. Interfecto autem Domitiano, & actis eius ob nimiam crudelitatem à Senatu reſciſſis, ſub Pertinace rediit Epheſum. Et quia concuſſam ſe abſente per hæreticos vidit eccleſiæ fidem, confeſtim hanc deſcriptam in Euangelio ſuo, Verbi Domini æternitate ſtabiliuit. Rogatus ſiquidem ab Aſiæ Epiſcopis aduerſus Cerinthum alioſque hæreticos, & maximè contra Ebionitarum dogma tunc conſurgens, qui aſſerunt Chriſtum ante Mariam non fuiſſe, compulſus eſt ſcribendi Euangelij ſanctum opus ſuſcipere. Ferunt & aliam cauſſam huius ſcripturæ; quòd cùm legiſſet Matthæi, Marci, & Lucæ volumina, probauerit quidem textum hiſtoriæ, & vera eos dixiſſe firmauerit, ſed vnius tantùm anni

Hieron. de Eccl. ſcript. cap. 9.

anni, in quo & paſſus eſt Chriſtus, & poſt carcerem Ioannis, hiſtoriam texuiſſe.
Prætermiſſo itaque anno, cuius acta à tribus expoſita fuerant, ſuperioris tempo-
ris, antequam Ioannes clauderetur in carcerem, geſta narrauit. Sicut manife-
ſtum eſſe poterit his, qui diligenter quatuor Euangeliorum volumina legerint;
quæ res & διαφωνίαν, id eſt diſſonantiam, quæ videbatur Ioannis eſſe cum ceteris,
tollit. Ipſe autem vſque ad Traiani principis tempora perſeuerans, totas Aſiæ
fundauit rexitque eccleſias; & confectus ſenio, ſexageſimo octauo poſt Paſſio-
nem Domini anno mortuus, iuxta eamdem vrbem ſepultus eſt. Scripſit autem
& vnam epiſtolam, cuius exordium eſt: *Quod fuit ab initio.* quæ ab vniuerſis ec-
cleſiaſticis & eruditis viris probatur. Reliquæ autem duæ, quarum principium
eſt; *Senior Electæ dominæ & natis eius*; & ſequentis, *Senior Gaio chariſſimo*; Ioannis
presbyteri eſſe ab aliquibus putantur: ſed nunc iam generalis Eccleſiæ conſenſus
habet, quòd has quoque epiſtolas Ioannes Apoſtolus ſcripſerit.

### B. KALENDIS MAII. 1. *Maij.*

Natalis bearorum Apoſtolorum Philippi & Iacobi: ex quibus Philippus cùm
penè Scythiam ad fidem Chriſti conuertiſſet, diaconibus, presbyteris & Epiſco-
pis ibi conſtitutis, reuerſus eſt ad Aſiam, vbi continuâ prædicatione per aliquot
annos inſiſtens, multitudinem populorum Chriſto laboribus piis ſemper inſer-
uiens lucratus eſt. Quique apud Hierapolim Aſiæ ciuitatem dormiuit, cum pa-
tribus ſuis beato fine ſepultus.

Iacobus verò, qui & frarer Domini legitur, cognomento Iuſtus, poſt paſſio- *Hieron de*
nem Domini ſtatim ab Apoſtolis Ieroſolymorum Epiſcopus ordinatus eſt. Hic *Eccl ſcript.*
de vtero matris ſanctus fuit, vinum & ſiceram non bibir, carnem nullam com- *cap. 2.*
edit, numquam adtonſus eſt, nec vnctus vnguento, nec vſus balneo. Huic ſoli li-
citum erat ingredi Sancta ſanctorum. ſiquidem veſtibus laneis non vtebatur,
ſed lineis. ſolúſque ingrediebatur templum, & fixis genibus pro populo depre-
cabatur, intantùm vt camelorum duritiem traxiſſe eius genua crederentur. Hic
itaque cùm publicè in Concilio compelleretur à Iudæis, vt Chriſtum Dei filium
denegaret, & ille voce maximâ proteſtaretur ad populum, dicens; Quid me in-
terrogatis de Filio hominis? Ecce ipſe ſedet à dextris virtutis Dei, & venturus eſt
cum nubibus cæli; præcipitatus de pinnâ templi, confractis cruribus, adhuc ſe-
mianimis tollens ad cælum manus, diceret; Domine ignoſce eis, quod enim ſa-
ciunt, neſciunt; fullonis fuſte in cerebro percuſſus occubuit. Hic eſt de quo Apo-
ſtolus Paulus ſcribit ad Galatas: *Alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Ja-* *Gal. 1.*
*cobum fratrem Domini.* Et Apoſtolorum ſuper hoc crebriùs Acta teſtantur. Euan-
gelium quoque, quod appellatur ſecundùm Hebræos, & à beato Hieronymo in
Græcum ſermonem Latinumque tranſlatum eſt, poſt reſurrectionem Saluato-
ris de eo refert: *Dominus autem cùm dediſſet ſindonem ſeruo ſacerdotis, venit ad Ja-*
*cobum Iuſtum & apparuit ei. Jurauerat autem Jacobus ſe non comeſturum panem ab illâ*
*horâ, quâ biberat calicem Domini, donec videret eum reſurgentem à dormientibus.*
Rurſúſque poſt paulum: *Afferte, ait Dominus, menſam & panem.* Statímque ad-
ditur: *Tulit panem, & benedixit, & fregit, & dedit Jacobo Juſto, dixitque ei: Frater*
*mi, comede panem tuum, quia Filius hominis ſurrexit à dormientibus.* Triginta itaque
annis Ieroſolymę rexit eccleſiam, id eſt, vſque ad ſeptimum Neronis annum; &
iuxta templum, vbi præcipitatus fuerat, ſepultus eſt. Quidam in monte Oliueti
eum conditum putant: ſed falſa eorum opinio eſt. Scripſit autem vnam tantùm
Epiſtolam, quæ de ſeptem canonicis eſt.

### E. IX. KALENDAS SEPTEMB. 24. *Aug.*

Natalis beati Bartholomæi Apoſtoli: qui apud Indiam Chriſti Euangelium
prædicans, decollatione martyrium compleuit. Huius Apoſtoli ſacratiſſimum
corpus

corpus primùm ad inſulam Liparis, quæ Siciliæ vicina eſt, deinde Beneuentum tranſlatum piâ fidelium veneratione celebratur.

21. Dec. E. XII. KALENDAS IANVARII.

Natalis beati Thomæ Apoſtoli, qui Parthis & Medis Euangelium prædicans, paſſus eſt in Indiâ. Corpus eius in ciuitatem, quam Syri Edeſſam vocant, tranſlatum, ibique digno honore conditum eſt.

21. Sept. E. XI. KALENDAS OCTOBRIS.

Hieron. de ſcript. Eccl. cap. 3. Natalis beati Matthæi Apoſtoli & Euangeliſtæ; qui primus in Iudæâ Euangelium Chriſti Hebræo ſermone conſcripſit, pòſt verò apud Æthiopiam prædicans, martyrium paſſus eſt. Euangelium, eius ſtylo ſcriptum, ipſo reuelante, tempore Zenonis Imperatoris inuentum eſt. Idem autem Matthæus in Euangelio Leui appellatur. Matth. 2. Luca 5.

28. Oct. G. V. KALENDAS NOVEMB.

Luca 6. Act. 1. Natalis beatorum Apoſtolorum Simonis Cananæi, qui & Zelotes ſcribitur, & Thadæi, qui etiam Iudas Iacobi legitur; & alibi appellatur Lebæus, quod interpretatur corculus. E quibus Thadęus apud Meſopotamiam, Simon verò apud Ægyptum traditur prædicaſſe: inde ſimul Perſidam ingreſſi, cùm fidei Chriſti innumeram gentis ipſius multitudinem ſubdidiſſent, & Eccleſiam Domini latè iam fundatam viderent, martyrium ibi, curſum temporis explentes, beato certamine conſummauerunt; honorificè ſepulti à populis Chriſtianis, quos Domino ipſi genuerat. Quòd quidam putant Simonem Apoſtolum vnum de duodecim ipſum eſſe, qui ſub Traiano crucem paſſus ſit, omnino falſum eſt. Nam & Beda ſanctus presbyter, qui hoc ſuper Acta Apoſtolorum ſentit, Iſidorum ſecutus, in libro Retractationum ſe hoc non benè ſenſiſſe reprehendit. Sed & hiſtoria Eccleſiaſtica, non de Apoſtolo, ſed de alio Simone geſta narrat. Iſid. de vit. & ob. SS. cap. 81. Euſeb. li. 3. cap 16.

2. Maij. C. VI. NONAS MAII.

In Martyrol. Adonis eſt 18. Feb. Euſeb. lib. 3 cap. 26. Natalis beati Simeonis Epiſcopi & martyris, qui propinquus Saluatoris ſecundùm carnem, Ieroſolymorum Epiſcopus poſt Iacobum fratrem Domini eſt ordinatus; & perſecutione Traiani multo tempore ſuppliciis affectus, martyrio conſummatus eſt: omnibus, qui aderant, & ipſo iudice mirantibus, vt centum viginti annorum ſenex crucis ſupplicium pertuliſſet.

24. Febr. F. VI. KAL. MARTII.

Act. 1. Natalis ſancti Matthiæ Apoſtoli, qui poſt aſcenſionem Domini à beatis Apoſtolis ſorte electus, atque in locum Iudæ proditoris Domini ſubrogatus, apud Iudæam Chriſti Euangelium prædicauit.

11. Iunij. A. III. IDVS IVNII.

Hieron. de ſcript. Eccl. cap. 6. Act. 11. Natalis ſancti Barnabæ Apoſtoli, qui cùm eſſet Cyprius, cum Paulo gentium Apoſtolus ordinatus eſt. Hic poſteà propter Ioannem diſcipulũ, qui & Marcus vocabatur, ſeparatus à Paulo, nihilominus Euangelicæ prædicationis iniunctum ſibi opus exercuit. Cuius corpus tempore Zenonis Imperatoris, ipſo reuelante, repertum eſt. Hic vnam ad ædificationem Eccleſię pertinentem epiſtolam compoſuit, quæ tamen inter apocryphas legitur.

18. Oct. D. XV. KALENDAS NOVEMB.

Hieron. de ſcript. Eccl. cap. 7. Natalis ſancti Lucæ Euangeliſtæ, qui fuit natione Syrus Antiochenſis, arte medicus, diſcipulus Apoſtolorum; Paulum ſecutus vſque ad confeſſionem eius, ſeruiens Domino ſine crimine: neque vxorem vmquam habens neque filios. Septuaginta & trium annorum obiit in Bithyniâ, plenus Spiritu ſancto. Sepultus autem nunc Conſtantinopoli; ad quam vrbem, viceſimo Conſtantij anno, oſſa eius, cum reliquiis Andreæ Apoſtoli, tranſlata ſunt. Scripſit Euangelium, quod non ſolùm ab Apoſtolo Paulo didicit, qui cum Domino in carne non fuerat, ſed Euſeb. in Chron.

& à

& à ceteris Apoſtolis. Quod & ipſe quoque in principio voluminis ſui declarat, dicens: *Sicut tradiderunt nobis, qui à principio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis.* *Luca 1.* Aliud quoque volumen edidit egregium, quod titulo Apoſtolicarum ΠΡΑΞΕΩΝ prænotatur. Cuius hiſtoria vſque ad biennium Romæ commorantis Pauli peruenit, id eſt, vſque ad quartum Neronis annum. Ex quo intelligimus, in eadem vrbe librum eſſe compoſitum.

### C. VII. Kalendas Maii. *25. Apr.*

Natalis ſancti Marci Euangeliſtæ. Hic diſcipulus & interpres Apoſtoli Petri, *Hieron. de ſcript. Eccl. cap. 8.* rogatus Romæ à fratribus ſcripſit Euangelium, quod quanto tardiùs ceteris inchoauit, tantum in longiora ſcribendo tempora porrexit. Ab initio namque Euangelicæ prædicationis, quod per Ioannem factum cœpit, ad illud vſque tempus narrando peruenit, quo Apoſtoli idem Euangelij verbum totum prædicando diſſeminauere per orbem. Quod cùm Petrus audiſſet, probauit, & Eccleſiis legendum ſua auctoritate edidit: quo aſſumpto, idem Marcus perrexit Ægyptum, & primus Alexandriæ Chriſtum annuntians, cõſtituit eccleſiam, tantâ doctrinâ & vitæ continentiâ, vt omnes ſectatores Chriſti ad exemplum ſui cogeret. Meminit huius Marci & Petrus in primâ Epiſtolâ, ſub nomine Babylonis figuraliter Romam ſignificans: *Salutat vos quæ eſt Babylone coëlecta, & Marcus filius meus.* *1. Pet. 5.* Quique conſtitutis & confirmatis eccleſiis per Libyam, Marmaricam, Hammoniacam, Pentapolim, Alexandriam, atque Ægyptum vniuerſam; ad vltimum tentus eſt à paganis, qui remanſerunt Alexandriæ. Qui videntes eum die ſancto Paſchæ Miſſas facientem, miſerunt funem in collo eius, & trahebant eum ad loca Bucoliæ, quæ erant iuxta mare ſub rupibus, vbi erat eccleſia conſtructa, & defluebant carnes eius in terram, ac ſaxa inficiebantur ſanguine. Veſpere autem facto miſerunt eum in carcerem, vbi circa mediam noctem primò angelicâ viſitatione confortatus eſt: deinde ipſo Domino ei apparente, ad cæleſtia regna vocatus eſt. At manè dum traheretur ad loca Bucoliæ, gratias agens, & dicens, Domine in manus tuas commendo ſpiritum meum, defunctus eſt, & à viris religioſis ſepultus in loco lapidis exciſi cum gloriâ. Ordinauerat autem pro ſe Alexandriæ Epiſcopum Anianum. Mortuus eſt autem octauo Neronis anno.

### C. VII. Kalendas Ianuarii. *26. Dec.*

Natalis beatiſſimi Stephani Protomartyris: qui non multò poſt aſcenſionem Chriſti ab Apoſtolis, cùm eſſet plenus fide & Spiritu ſancto, diaconus ordinatur. Hic faciens ſigna & prodigia magna in populo, plenus gratiâ & virtute, in *Act. 6. 7. 8.* nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, à quibuſdam, qui erant de Synagogâ, quæ dicitur Libertinorum, & Cyrenenſium, & Alexandrinorum, & qui à Ciliciâ & Aſiâ, cum eo diſputantibus, & conquirentibus atque altercantibus, nec reſiſtere valentibus ſapientiæ & Spiritui ſancto, quo loquebatur; concitato populo ac ſenioribus, ſcribiſque aduerſus eum commotis; raptus & adductus in concilium eſt: cumque inſimularetur aduerſus locum ſanctum & legem docuiſſe, plenus Spiritu ſancto oſtendit, quomodo IeſusChriſtus ex lege monſtraretur & Prophetis. At illi ſtridentes dentibus in eum, & frementes in cordibus ſuis, atque aures ſuas comprimentes, impetu facto eiecerunt eum extra ciuitatem: & lapidatus martyr obdormiuit. Cuius beatiſſimum corpus viri timorati comportauerunt, & fecerunt planctum magnum ſuper eum. Scribit beatus Lucas Euangeliſta beatiſſimam eius paſſionem in Actibus Apoſtolorum.

### C. VIII. Idvs Ivnii. *6. Iun.*

Natalis Philippi, qui fuit vnus de ſeptem diaconibus, qui cum beato Stephano ſtatim poſt aſcenſionem Chriſti ab Apoſtolis ſunt ordinati: de quo beatus Lucas in Actibus Apoſtolorum refert, quòd ſigna & prodigia faciendo, prædicatio-

Act. 8. & 21. catione ſuâ Samaritas ad fidem Chriſti conuertit: & Candacis Reginæ Æthio-
Euſeb. li. 2. cap. 1. & lib. 3. c. 25. pum ſtudioſum in Scripturis eunuchum, in fonte, qui eſt in vico Bethſoro in tribu Iuda, euntibus ab Æliâ ad Hebron, in viceſimo lapide, baptizauit: qui poſteà apud Cæſaream requieuit. Iuxta quem tres virgines filiæ ipſius propheticiſſę tumulatæ iacent: nam quarta filia illius plena Spiritu ſancto in Epheſo occubuit. Quidam tamen putant, apud Hierapolim eas tumulatas, vbi Apoſtolus Philippus vnus de duodecim quieſcit. Cuius fuiſſe filiæ ab aliquibus ſcriptoribus putatæ ſunt.

9. Apr. A. V. IDVS APRILIS.

Beati Prochori diaconi, præclariſſimi fide & miraculis viri, apud Antiochiam martyrio conſummari, ibique quieſcentis.

10. Ian. C. IV. IDVS IANVARII.

Beati Nicanoris diaconi, gratiâ fidei & virtute admirandi, apud Cyprum glorioſiſſimè coronati, ibique venerabiliter ſepulti.

19. Apr. D. XIII. KALENDAS MAII.

Sancti Timonis diaconi apud Berœam, qui primò Doctor reſedit, deinde verbum Domini diſſeminans venit Corinthum, ibique à zelantibus Iudæis & nomen Chriſti perſequentibus Græcis traditus, vt ferunt, primò flammis iniectus, ſed nihil læſus; deinde cruci adfixus martyrium ſuum impleuit. Sepultus apud Corinthum glorioſè.

23. Ian. B. X. KALENDAS FEBRVARII.

Sancti Parmenæ diaconi: qui traditus gratiæ Dei, à fratribus iniunctum officium prædicationis plenâ fide conſummauit, martyrij gloriam adeptus Philippis quieuit.

24. Ian. C. IX. KALENDAS FEBRVARII.

Natalis ſancti Timothei diſcipuli beati Pauli Apoſtoli, qui apud Epheſum à beato Apoſtolo Epiſcopus ordinatus, poſt multos pro Chriſto agones dormiuit. Cuius corpus cum reliquiis beati Andreæ & Lucæ viceſimo Conſtantij anno Conſtantinopolim tranſlatum eſt.

4. Ian. D. II. NONAS IANVARII.

Natalis beati Titi Apoſtolorum diſcipuli: qui ordinatus ab Apoſtolo Paulo Cretenſium Epiſcopus, cui etiam epiſtolam omni Eccleſiæ Dei celeberrimam idem Apoſtolus miſit, poſt prædicationis officium fideliſſimè conſummatum, beatum finem adeptus, ſepultus eſt in eccleſiâ, vbi à beato Apoſtolo fuerat dignus miniſter conſtitutus.

9. Maij. C. VII. IDVS MAII.

Natalis ſancti Hermæ, cuius Apoſtolus Paulus ad Romanos ſcribens memi-
Rom. 16. nit: *Salutate Phlegontham, Hermen, Patrobam, Herman, & qui ſunt cum eis fratres.* Hunc adferunt auctorem eſſe libri, qui appellatur Paſtor: & apud quaſdam Græciæ eccleſias etiam publicè legitur. Reuerà vtilis liber, multique de eo ſcriptorum veterum vſurpauêre teſtimonia; ſed apud Latinos pęnè ignotus eſt. Qui dignè Deo ſemetipſum ſacrificans, acceptabiliſque Deo hoſtia factus, virtutibus clariſſimè fundatus, cæli regna petiuit. Sepultus apud vrbem Romam. Titulus nomine ipſius, iuxta quod baptiſterium ex facultatibus ſanctæ Praxedis eſt extructum, & beato Pio diſcipulo Apoſtolorum operante ſtudio conſecratum, venerabiliter ei ſtatutus eſt.

16. Febr. E. XIV. KALENDAS MARTII.

Natalis ſancti Oneſimi, de quo beatus Apoſtolus Philemoni familiares litte-
Philem. 1. ras mittit. *Obſecro te de meo filio quem genui in vinculis Oneſimo, qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi & tibi vtilis, quem remiſi: tu autem illum, id eſt, viſce-*

*viſcera mea ſuſcipe.* quem beatus idem Apoſtolus Epiſcopum ordinans, prædicationiſque verbum ei committens, apud Epheſiorum ciuitatem reliquit: cui Epi- *Ignat. ep. 14 ad Epheſ.* ſcopus poſt beatum Timotheum & ipſe reſedit. De quo & beatus Ignatius Epheſiis mittens epiſtolam, ita dicit: *Quoniam ergo ſuſcepi multitudinem veſtram in nomine Domini in Oneſimo, dilecto præceptore noſtro, veſtro autem Epiſcopo; obſecro eum ſecundùm Ieſum Chriſtum diligere vos, & vos omnes in concordiâ eius in ipſo eſſe: benedictus enim Dominus, qui vobis talibus talem Epiſcopum donauit habere in Chriſto.* Hic Romam perductus, atque ibi pro fide Chriſti lapidatus, ſepultus eſt Chriſti martyr primùm ibi; inde ad loca, vbi fuerat ordinatus Epiſcopus, corpus eius eſt delatum.

E. IX. KALENDAS DECEMB. *23. Nou.*

Natalis ſancti Clementis, de quo Apoſtolus Paulus ait: *Cum Clemente & ce-* Philip 4. *teris cooperatoribus meis, quorum nomina ſunt in libro vitæ.* Hic quartus poſt Petrum *Hieron de ſcript. Eccl. cap. 15.* Romæ Epiſcopus, (ſiquidem ſecundus Linus fuit, tertius Anacletus) ſub perſecutione Traiani, trans Pontum mare in eremo, quod adiacet ciuitati Cherſonæ, re- *Pontificale cap. 4.* legatur exilio. vbi cùm per doctrinam eius plures conuerterentur ad Dominum, paganis inſiſtentibus, inuidioſa relatio cucurrit ad Imperatorem Traianum, quæ diceret ibi per Clementem Chriſtianorum populum adcreuiſſe. Qui miſit ducem Aufidianum: qui cùm videret (multos Chriſtianos occidens) fixum in omnibus beatum Clementem, & penitùs mutari non poſſe, iuſſit præcipitari eum in mari medio, ligatâ ei ad collum anchorâ. taliq́ue martyrio diſcipulus Petri coronatur: & nominis eius memoriam vſque hodie Romæ extructa eccleſia cuſtodit.

D. KALENDIS FEBRVARII. *1. Febr.*

Natalis ſancti Ignatij Epiſcopi & Martyris, qui tertius poſt Petrum Apoſto- *Hieron de ſcript. Eccl. cap. 16.* lum Antiochenam rexit Eccleſiam: qui perſecutione Traiani damnatus ad beſtias Romam vinctus mittitur. vbi præſente Traiano circumſedente Senatu, pilis plumbeis ſcapulæ eius primùm contuſæ, deinde vngulis latera eius dilaniata, & lapidibus aſperis confricata. Pòſt expanſæ manus eius & igni repletæ, papyro oleo infuſo & incenſo latera eius aduſta. Pòſt ſuper carbones pauimento aſperſos, vbi ſanctæ plantæ illius ſteterunt. Poſt lectum flammantem, poſt dorſum eius vngulis diſciſſum & dilaceratum, poſt aceto & ſale plagas eius perfuſas, poſt vinculis ferreis beata membra illius aſtricta, & pedes eius in ima carceris ligno concluſos, vbi tribus diebus ac noctibus panem non comedens & aquam non bibens manſit; ſedente Traiano pro Tribunali in amphitheatro, concurrente omni turbâ Romanorum, ligatus duobus obiicitur leonibus. Cumq́ue iam proiectus beſtias rugientes audiret, ardore patiendi ait: Viri Romani, qui hoc certamen ſpectatis, non ſine causâ laboraui, non propter prauitatem hæc patior, ſed propter pietatem: frumentum Chriſti ſum, dentibus beſtiarum molar, vt panis mundus inueniar. Hæc illo dicente adcurrerunt ad eum leones, & ex vtraq; parte ſuper eum incidentes præfocauerunt eum tantummodò, & non tetigerunt carnes eius, vt reliquiæ eius tuitio eſſent Romanorum & magnæ Vrbis, in quâ Petrus crucifixus eſt, Paulus decollatus, Oneſimus lapidatus. Paſſus eſt vndecimo Traiani anno, conſulatu Attici & Marcelli, Kalend. Febr. Reliquiæ corporis eius à fratribus, qui eum vſque ad martyrium deduxerant, Antiochiam relatæ, iacent extra portam Daphniticam in cœmeterio eccleſiæ XVI. Kalendas Ianuarij delatæ.

G. PRIDIE NONAS MAII. *6. Maij.*

Natalis ſancti Euodij, qui ab Apoſtolis Antiochiæ Epiſcopus ordinatus eſt, *Ignat ep. 12 ad Antioch.* de quo beatus Ignatius ad Antiochenam Eccleſiam: *Pauli & Petri facti eſtis*

D *diſci-*

*diſcipuli, nolite perdere depoſitum, quod vobis commendauerunt. Mementote dignè beatiſſimi Euodij, paſtoris veſtri, qui primus vobis ab Apoſtolis Antiſtes ordinatus eſt. Non confundamus patrem, ſed efficiamur certi filij & non adulterini.* Hic martyr apud Antiochiam vrbem, cui præfuit, ſepultus eſt.

23. *Iulij.* A. X. KALENDAS AVGVSTI.

*Vide in Martyrol. Adonis de hoc fuſiùs.* Natalis ſancti Apollinaris Epiſcopi, qui Romæ ordinatus ab Apoſtolo Petro Rauennam miſſus eſt, qui etiam in Æmiliâ prædicauit, & in partibus Corinthiorum, & in Mæſiâ, & in ripâ Danubij, & in partibus Thraciæ, in quibus locis exilio relegatus eſt, & vbicumque peruênit, innumeras virtutes fecit, & paſſiones ſuſtinuit: nam nimiâ cæde pænè mactatus & diutiùs fuſtibus cæſus, ac nudis pedibus ſuper prunas impoſitus, rurſum cæſus & equuleo appenſus, tortus eſt, & ſaxo os eius contuſum eſt, & cum grauiſſimo ferri pondere incluſus in carcere horrifico, atque in ligno extenſus eſt, vbi ab hominibus quidem neglectus, ſed ab Angelo publicè paſtus eſt: deinde catenatus, & in exilium directus eſt, in quo rurſum diutiùs fuſtibus cæſus, & rurſum in Rauennâ ligatus, à paganis cæſus & vulneratus, & rurſum in carcerem miſſus & cæſus, ſic martyrium conſummauit ſub Veſpaſiano Cæſare, Demoſthene patricio. Rexit Eccleſiam annos XXVIII. dies IV. menſem I.

26. *Ian.* E. VII. KALENDAS FEBRVARII.

*Vide in Martyrol. Adonis de hoc fuſiùs.* Natalis S. Polycarpi, qui beati Ioannis diſcipulus, & ab eo Smyrnæ Epiſcopus ordinatus, totius Aſiæ princeps fuit. Poſteà verò, regnante Marco Antonino, & Lucio Aurelio Commodo, quartâ poſt Neronem perſecutione, Smyrnę ſedente Proconſule, & vniuerſo populo in amphitheatro aduerſum eum perſonante, igni traditus eſt. Cum quo etiam alij duodecim, ex Philadelphiâ venientes, apud præfatam vrbem martyrio conſummati ſunt.

Tunc etiam Germanicus, athleta Chriſti inſignis, glorioſo martyrij agone tranſlatus eſt. Nam cùm à Iudice damnatus fuiſſet ad beſtias, vltrò ſibi præparatam beſtiam prouocauit, deſpiciens videlicet temporalem mortē, & coronam vitæ æternæ veloci fine adipiſci deſiderans. Scripſit idem beatus Polycarpus ad Philippenſes valdè vtilem epiſtolam, quæ vſque hodie in Aſię conuentu legitur.

13. *Iulij.* E. III. IDVS IVLII.

*al. Silæ Natalis ſancti *Sileę Apoſtoli, qui cùm eſſet vnus de primis fratribus, & ab
Act. 15. 16. 17. 18. Apoſtolis ad Eccleſias gentium deſtinatus, cum Barnabâ & Iudâ, poſteà ab Apoſtolo Paulo aſſumptus, prædicationis officium, gratiâ Domini plenus, inſtanter conſummauit, atque apud Macedoniam in paſſionibus ſuis Chriſtum clarificans, poſtmodum requieuit.

19. *Iulij.* D. XIV. KAL. AVGVSTI.

Coloſſ. 1. & 4. & ad Philem. Natalis beati Epaphræ, qui à beato Paulo Coloſſis ordinatus Epiſcopus, clarus virtutibus, martyrij palmam pro ouibus ſibi commendatis virili agone percepit. Sepultus apud eamdem vrbem.

26. *Iulij.* D. VII. KAL. AVGVSTI.

Act. 19. Rom. 16. 2. Tim. 4. Natalis Eraſti, qui Philippis à beato Paulo Epiſcopus relictus, ibi martyrio coronatus quieuit.

18. *Dec.* B. XV. KAL. IANVARII.

Natalis beatorum Rufi & Zoſimi, de quorum agone felici ſanctus Polycarpus in epiſtolâ ad Philippenſes ſcribit, dicens: *Deprecor autem vos omnes obedientiæ operam dare, ac meditari patientiam, quam vidiſtis in Ignatio & Rufo & Zoſimo beatiſſimis viris: ſcientes quòd hi non in vacuum, ſed per fidem & iuſtitiam cucurrerunt, donec venirent ad locum ſibi à Domino præparatum: quoniam quidem paſſionum eius parti-*

*Polyc. ep. vnic. ad Philipp.*

*participes extiterunt, nec dilexerunt præſens ſæculum, ſed eum qui pro ipſis & pro omnibus mortuus eſt & reſurrexit.*

F. II. NONAS AVGVSTI. 4. *Aug.*

Natalis beati Ariſtarchi, de quo Apoſtolus Paulus Coloſſenſibus ſcribit, *Salutat vos Ariſtarchus concaptiuus meus*; qui comes indiuiduus Apoſtolo permanſit vſque ad eius confeſſionem, qui conſtitutus Theſſalonicenſium Epiſcopus, poſt longos & beatiſſimos agones à Chriſto coronatus quieuit. Coloſſ.4. Act.19.20.27.

D. VIII. IDVS SEPTEMBRIS. 6. *Sept.*

Natalis ſancti Oneſiphori, de quo ad Timotheum ſcribit Apoſtolus, *Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui, quia ſæpè me refrigerauit, & catenam meam non erubuit: ſed cùm Romam veniſſet, ſollicitè me quæſiuit, & inuenit. Det illi Dominus inuenire miſericordiam à Domino in illâ die. Et quanta Epheſi miniſtrauit, meliùs tu noſti.* 2.Tim.1.

B. VII. KALENDAS OCTOBRIS. 25. *Sept.*

Natalis Cleophę, qui vnus fuit de LXX. Chriſti diſcipulis. Cui poſt reſurrectionem eunti cum alio condiſcipulo in caſtellum nomine Emmaus, quod Nicopolis nunc dicitur, Dominus apparuit. Quem tradunt in eadem vrbe in eadémq; domo, in quâ menſam, quaſi peregrino, Domino parauerat, pro confeſſione illius, quem ibi ipſe recognouerat, à Iudæis occiſum, & glorioſâ memoriâ etiam ſepultum. Luc.24.

D. IV. NON. OCTOBRIS. 4. *Oct.*

Natalis SS. Criſpi & Caij, quos apud Corinthios beatus Apoſtolus ſe dicit baptizaſſe. Cuius Caij meminit idem Apoſtolus ad Romanos, *Salutat vos Caius hoſpes meus, & vniuerſa eccleſia.* Cuius & beatus Ioannes, ſcribens ei epiſtolam, meminit, *Senior Caio chariſſimo, quem ego diligo in veritate.* 1.Cor.1. Rom.16. Ioan.ep.3.

F. IV. KAL. IANVARII. 29. *Dec.*

Natalis ſancti Trophimi, de quo ſcribit Apoſtolus ad Timotheum, *Trophimum autem reliqui infirmum Mileti.* Hic ab Apoſtolis Romæ ordinatus Epiſcopus, primus ad Arelatem vrbem Galliæ ob Chriſti Euangelium prædicandum directus eſt. Ex cuius fonte, vt beatus Papa Zoſimus ſcribit, totæ Galliæ fidei riuos acceperunt: qui apud eamdem vrbem in pace quieuit. 2.Tim.4.

D. XI. KALENDAS APRILIS. 22. *Mar.*

Natalis ſancti Pauli, quem beati Apoſtoli ordinatum vrbi Narbonæ Epiſcopum miſerunt. Quem tradunt eumdem ipſum fuiſſe Sergium Paulum Proconſulem, virum prudentem: à quo ipſe Paulus ſortitus eſt nomen, quia eum fidei Chriſti ſubegerat; quíque ab eodem ſancto Apoſtolo, cùm ad Hiſpanias prædicandi gratiâ pergeret, apud præfatam vrbem Narbonam relictus, prædicationis officio non ſegniter impleto, clarus miraculis coronatus ſepelitur.

D. XII. KAL. FEBRVARII. 21. *Ian.*

Natalis ſancti Publij Athenarum Epiſcopi, qui princeps inſulæ Melite vel Militenę, cùm nauigantem beatum Apoſtolum Paulum Romam, ſub cuſtodiâ detentum per triduum hoſpitio receptum, humanè tractaſſet, vt beatus Lucas refert, patrem ipſius Publij contigit febribus & dyſenteriâ iacere. Ad quem cùm intraſſet beatus Apoſtolus, & impoſuiſſet illi manus, & oraſſet, ſanauit eum. Quem Publium adhærentem ſibi beatus Apoſtolus poſteà ordinatum Epiſcopum, ad prædicandum direxit: qui poſtmodum Athenienſium eccleſiam nobiliter rexit, & præclarus virtutibus & doctrinâ præfulgens, ob Chriſti martyrium glorioſè coronatur: nam primus Dionyſius, inde Publius iſte Athenis præfuit. Act.28. Euſeb. li.4. cap.22.

F. VII. KAL. IVNII. 26. *Maij.*

Natalis ſancti Quadrati Apoſtolorum diſcipuli, qui in locum beati Publij Athenarum Epiſcopi ſubſtituitur & Eccleſiam grandi terrore diſperſam fide & Hieron de ſcript. Eccl. cap.19.

induſtriâ ſuâ congregat: cumque Adrianus Athenis exiſſet hieme inuiſens Eleuſinam, & omnibus pænè Græciæ ſacris initiatus, dediſſet occaſionem his qui Chriſtianos oderant abſque præcepto Imperatoris vexare credentes, porrexit ei librum pro noſtrâ religione compoſitum valdè vtilem, plenumque rationis & fidei, Apoſtolicâ doctrinâ dignum, in quo & antiquitatem ſuæ ætatis oſtendens, ait plurimos à ſe viſos, qui variis in Iudæâ oppreſſi calamitatibus, à Domino ſa-
*Act. 21.* nati fuerant, & qui à mortuis reſurrexerant: *quia vnà cum filiabus Philippi, &
** Deeſt in Hieron.* in propheticâ gratiâ celeberrimus fuit.

*31 Octob.* C. V. NON. OCTOBRIS.

Natalis ſancti Dionyſij Areopagitæ, qui, vt liber Actuum Apoſtolorum in-
*Act. 17.* dicat, ad prædicationem beati Pauli Apoſtoli apud Athenas ad fidem Chriſti conuerſus, primus eiuſdem ciuitatis Epiſcopus ab eodem eſt conſtitutus.

*22. Iulij.* G. XI. KAL. AVGVSTI.

Natalis ſanctæ Mariæ Magdalenæ, de quâ, vt Euangelium refert, ſeptem dæmonia eiecit Dominus. Quæ etiam inter alia dona inſignia Chriſtum à mortuis reſurgentem prima videre meruit.

*23. Sept.* G. IX. KAL. OCTOBRIS.

Natalis ſanctæ Theclæ virginis de Iconio ciuitate Orientis, quæ à Paulo Apoſtolo inſtructa, in confeſſione Chriſti ignes ac beſtias deuicit, & poſt multa certamina ad doctrinam multorum veniens Seleuciam requieuit in pace.

*3. Sept.* A. III. NONAS SEPTEMBRIS.

*Rom. 16.* Natalis ſanctæ Phœbes, de quâ beatus Apoſtolus Romanis ſcribit: ***Commendo autem vobis Phœben ſororem noſtram, quæ eſt in miniſterio Cenchris, vt eam ſuſcipiatis in Domino dignè ſanctis, & adſiſtatis ei in quibuſcumque deſiderauerit: veſtris etenim ipſa quoque adſiſtit multis, etiam & mihi ipſi.***

*2. Iulij.* A. VI. NONAS IVLII.

Natalis ſanctorum Proceſſi & Martiniani, qui cùm eſſent Magiſtriani Melloprincipi, & viderent mirabilia, quæ faciebat per beatos Apoſtolos ſuos Petrum & Paulum Dominus Ieſus Chriſtus, mirari cœperunt. Erant tunc temporis beatiſſimi Apoſtoli traditi Paulino ſub cuſtodiâ Mamurtini in monte Tarpeio, vbi de monte ſuis orationibus aquam manare fecerunt. Tunc ſunt baptizati Proceſſus & Martinianus à beato Petro Apoſtolo & alij promiſcui ſexus numero XLVII. Quod cùm nuntiatum eſſet Paulino, ſcilicet quòd Proceſſus & Martinianus Magiſtriani Mellichriſtiani effecti eſſent, miſit milites & tenuit eos, iuſſitque in cuſtodiam retrudi. Sequenti die educti cùm conſtantiſſimè Chriſtum faterentur, iuſſit Paulinus, vt lapidibus os eorum contunderetur; ſed illi gloriam in excelſis Deo dicebant. Allata eſt & tripoda, & ſupra eam Iouis aureus. Illi cùm viderent, riſum facientes exſpuerunt in Iouem, & in tripodam. Tunc iuſſi ſunt in equuleo ſuſpendi, & adtrahi neruis, & cædi fuſtibus. Iuſſumque eſt, vt flammæ ponerentur circa latera eorum. Erat autem ibi matrona nobiliſſima nomine Lucina, quæ confortabat eos, dicens: Milites Chriſti conſtantes eſtote, & nolite metuere pœnas quæ ad tempus ſunt. Iterùm appenſi in equuleo, à militibus cæſi ſunt ſcorpionibus, iterùm retruſi in cuſtodiam, vbi venerabilis femina Lucina miniſtrabat eis. Poſt triduum Paulinus arreptus à dæmonio exſpirauit. Cæſareus præfectus hoc Neroni intimauit. cui Nero præcepit, dicens: Non tardentur, ſed celeriùs extinguantur. Tunc educti foras muros vrbis Romę, in viâ, quę Aurelia nuncupatur, gladio cęſi ſunt. Corpora eorum beatiſſima Lucina collegit, & cum aromatibus pretioſis ſepeliuit in prædio ſuo in Arenario, iuxta locum, vbi decollati ſunt, ſub die VI. Non. Iulij.

F. II.

F. II. Kalend. Iulii. *30. Iunij.*

Natalis beatiſſimæ Lucinæ, quæ à beatis Apoſtolis baptizata & inſtructa eſt, *Vide geſta*
quę de facultatibus ſuis Sanctorum neceſſitatibus communicans, vincula & car- *SS. Proceſſi & Marti-*
ceres eorum ſemper ſubleuare ſtuduit, atque eorum ſepulturis venerabiliter in- *niani 2. Iul.*
ſeruire. Quorum meritis & ipſa ſociata, pretioſiſſimam mortem confeſſione Chriſti adepta, atria Ieruſalem intrare, vota ſua Domino perſoluendo meruit: ac Romæ in cryptâ laudabili, quam ipſa ad condendum Martyrum corpora conſtruxerat, honorabiliter ſepulta.

G. XII. Kal. Februarii. *21. Ian.*

Natalis beatiſſimæ Agnetis virginis & martyris, quæ tertiodecimo ætatis ſuæ anno in vrbe Româ paſſa eſt. Hæc, dum ab ſcholis reuertitur, à Præfecti filio adamatur: cuius parentes dum requiſiſſet, cœpit offerre plurima, & plura promittere; denique detulerat ſecum pretioſiſſima ornamenta, quæ à beatâ Agnete veluti quædam ſtercora ſunt recuſata. Vnde factum eſt, vt iuuenis maiori perurgeretur ſtimulo, & putans eam meliora velle accipere ornamenta, omnem lapidem pretioſum ſecum defert & gloriam; & per ſe ipſum, & per notos & affines cœpit aures appellare virginis; diuitias, domos, poſſeſſiones, familias, atque omnes mundi diuitias repromiſit, ſi conſenſum ſuum eius coniunctioni non negaret. Sed cùm beatiſſimam virginem inclinare nullis donis aut promiſſionibus poſſet, inſanus iuuenis amore corrumpitur cæco, & inter anguſtias animi & corporis anhelo cruciabatur ſpiritu. Inter hæc lecto proſternitur, & per alta ſuſpiria amor à medicis aperitur. Fiunt nota patri, quæ fuerant inuenta à medicis, & eadem paterna voce, quæ fuerant iam dicta à filio, ad petitionem virginis reuoluuntur. Abnegat Agnes beatiſſima, & ſe nullo pacto aſſerit prioris ſponſi fœdera violare. Tunc Præfectus cœpit vehementer inquirere, quis eſſet, de cuius ſe Agnes poteſtate iactaret. Extitit quidam, qui diceret hanc Chriſtianam eſſe ab infantiâ, & magicis artibus ita occupatam, vt dicat Chriſtum ſponſum ſuum. Audiens hæc præfectus Symphronius, lætus efficitur, & miſsâ apparitione cum ingenti ſtrepitu ſuis eam tribunalibus præcepit aſſiſti. Quam cùm nec blandimentis, nec terroribus poſſet ab ſtatu ſui propoſiti mouere, iuſſit eam exſpoliari, & nudam ad lupanar duci ſub voce præconiâ dicentis: Agnem ſacrilegam virginem, Diis blaſphemiam inferentem, ſcortum traditam lupanaribus. Statim autem vt ſpoliata eſt, crine reſoluto tantam denſitatem capillis eius gratia diuina conceſſit, vt meliùs eorum fimbriis videretur quàm veſtibus tecta. Ingreſſa autem turpitudinis locum, Angelum illic Domini præparatum ita inuenit, vt circumdaret eam immenſo lumine. Cumque ſe in oratione Domino ſubſtrauiſſet, apparuit ante oculos eius ſtola candidiſſima, & apprehendens eam induit ſe. erat autem ad menſuram corpuſculi eius indumentum nimio candore conſpicuum. Intereà Præfecti filius venit ad locum, credens ſe ludibrium exercere: & audacter ingreſſus, vidit tantum lumen circa eam; ſed quia non dedit honorem Domino, cecidit in faciem ſuam, & præfocatus à diabolo exſpirauit. Hunc tamen virgo poſt paululum orando reſuſcitauit. qui egreſſus foràs, cœpit clamare: Vnus Deus in cælo & in terrâ & in mari, qui eſt Deus Chriſtianorum: nam omnia templa vana ſunt, dij qui coluntur vani ſunt, & penitùs nec ſibi poſſunt aliquid nec aliis præſtare. Præfectus autem videns tanta mirabilia, obſtupuit; ſed veritus proſcriptionem, ſi contra Pontifices templorum ageret, qui ſeditionem populorum concitauerant, & Agnem contra ſententias ſuas defenſaret, vicarium ad ſeditionem populi Iudicem derelinquit. Ipſe autem triſtis abſceſſit, quòd eam non potuit poſt reſurrectionem filij ſui liberare. Vicarius verò Aſpaſius nomine iuſſit in conſpectu omnium ignem copio-

ſum incendi, & in medio eam præcepit flammarum iactari. Quod dum fuiſſet impletum, ſtatim in duas partes diuiſæ flammæ hinc atque illinc ſeditioſum populum exurebant. Beata autem Agnes expandens manus ſuas, in medio ignis orationẽ fudit ad Dominum. Completâ oratione ita omnis ignis extinctus eſt, vt nec tepor quidem incendij remanſiſſet. Tunc Aſpaſius ſeditionem populi, qui hoc non virtutibus diuinis, ſed maleficiis reputabant, minimè ferens, in gutture eius gladiũ mergi præcepit: atq; hoc exitu ſanguinis ſui rubore perfuſam, Chriſtus ſibi ſponſam & martyrem conſecrauit: parentes verò eius cum gaudio abſtulerunt corpus eius, & poſuerunt illud in prædio ſuo, non longè ab Vrbe, viâ Numentanâ XI. Kal. Febr. vbi baſilicam poſt aliquot annos petente Conſtantiâ filiâ, Conſtantinus Auguſtus conſtruxit. Fuerat enim ab obſeſſis vulneribus eadem Regina & virgo, ad ſepulchrum Agnetis ſanata, ibíque Mauſoleum ſibi ipſa conſtituit. Paſſa eſt autem beata Agnes ſub præfecto Vrbis Symphronio, vicario eiuſdem Vrbis Aſpaſio.

5. Febr.

## A. Nonis Febrvarii.

Sanctæ Agathæ virginis & martyris, in Siciliâ ciuitate Catanæ ſub Quinctiano proconſule, Imperatore Decio: qui conſularis vir Quinctianus cupiens multifariâ intentione ad eam pertingere, quòd eſſet nobiliſſimis orta natalibus, fecit eam artari, & cuidam matronæ tradi nomine Aphrodiſiæ, quæ habebat nouem filias turpiſſimas, vt mutaret animum eius. Quæ videns mentem eius immobilem, poſt XXX. dies abiit ad Quinctianum, & dixit ei: Faciliùs poſſunt ſaxa molliri, & ferrum in plumbi molliciem verti, quàm ab intentione Chriſtianâ mens iſtius puellæ reuocetur. Iuſſit igitur eam Quinctianus ad Secretarium ſuum adduci, & ſedens pro tribunali, beatiſſimam Agathen interrogat: Cuius conditionis es? Agatha reſpondit: Non ſolùm ingenua, ſed & ſpectabilis genere, vt omnis parentela mea teſtatur. Cui dixit Quinctianus: Et ſi ingenua probaris & nobilis, cur moribus ſeruilem perſonam te habere oſtendis? Cui beata Agatha inquit: Ancilla Chriſti ſum, ideò me ſeruilem habere oſtendo perſonam. Cumque in confeſſione Chriſti fortiſſimè, quæ fidei ſunt, proſequeretur, iuſſit eam Quinctianus alapis cædi; deinde conſtantiùs Chriſtum prædicantem iuſſit ad carcerem trahi. Agathe autem lætiſſima & glorianter carcerem introiuit, & quaſi ad epulas inuitata, ita gaudens agonem ſuum Domino precibus commendabat. Sequenti die iterùm aſpectibus iudicis præſentatur, quam iuſſit in equuleo ingenti ſuſpendi, & torqueri. Tunc poſt alia Agatha Iudici reſpondit: Sicut qui videt, quem diu deſiderabat; aut ſicut qui inuenit theſauros multos, ita & ego delector in his pœnis corporalibus poſita. Non enim poteſt triticum in horreo reponi, niſi theca eius fortiter fuerit conculcata, & redacta in paleas. Ita & anima mea non poteſt in paradiſum Dei cum palmâ intrare martyrij, niſi diligenter feceris corpus meum à carnificibus adtrectari. Iuſſa eſt deinde in mamillâ torqueri, quam diu tortam fecit impius Iudex abſcindi. Recipitur beata virgo iterùm in carcerem, vbi neque panis neque aqua miniſtraretur ei: & ecce circa noctem mediam venit quidam ſenex, qui ſe medicum eſſe commemorabat, ferens diuerſa medicamenta, quem antecedebat puer luminis portitor: qui inter alia virgini dixit: Conſideraui, inquit, & vidi, quia poteſt ſalutem tua mamilla ſuſcipere. Cumque illa verbis ſenis non præberet aſſenſum, putans quòd vellet carnalem adhibere ſibi medicinam: dixiſſetque ſeni inter alia; Habeo Saluatorem Dominum Chriſtum Ieſum, qui verbo curat omnia, & ſermo eius ſolus reſtaurat vniuerſa. ſubridens ſenior; Et me, inquit, ipſe miſit ad te: nam & ego Apoſtolus eius ſum, & in nomine eius ſcias te eſſe ſaluatam: & ſic ab oculis eius ſublatus

latus eſt. Poſt quatuor dies reducta iterùm ad Quinctianum eſt, qui teſtas acutas & carbones iuſſit ſpargi, & nudo corpore eam ſuprà volutari: & ecce ſubitò totus ille locus commotus eſt, & pars parietis cecidit & oppreſſit duos; conſiliarium Iudicis, & amicum eius. Quinctianus igitur fugiens, quia ex vno latere terræ motum, ex alio latere ſeditionem populi formidabat, iterùm iuſſit eam in carcerem recipi; quæ ingreſſa expandit manus ſuas ad Dominum, & dixit: Domine, qui me creaſti, & cuſtodiſti ab infantiâ meâ, & feciſti me in iuuentute viriliter agere, qui tuliſti à me amorem ſæculi, qui corpus meum à pollutione ſeparaſti, qui feciſti me vincere tormenta carnificis, ferrum, ignem, & vincula; qui mihi inter tormenta virtutem patientiæ contuliſti: deprecor vt accipias ſpiritum meum modò, quia tempus eſt, vt me iubeas iſtud ſæculum derelinquere, & ad tuam miſericordiam peruenire. Hæc dicens, beatum cælo miſit ſpiritum. cuius ſacrum corpus auferentes Chriſtiani populi, poſuerunt condîtum aromatibus in ſepulchro nouo. Cùm autem collocaretur, venit quidam iuuenis ſericis veſtibus indutus, quem ſequebantur ampliùs quàm centum pueri albati & pulchri, & introiuit ad locum vbi condebatur corpus ſanctæ virginis, & poſuit tabulam breuem marmoream vbi ſcriptum eſt: *Mentem ſanctam & ſpontaneam, honorem Dei, & patriæ liberationem*: & tamdiu ibi ſtetit idem iuuenis, donec ſepulchrum cum diligentiâ clauderetur, & abſcedens non eſt vlteriùs viſus in totâ prouinciâ Siculorum. Vnde non dubitandum quòd Angelus fuerit. Paſſa eſt autem beata Agatha Non. Febr. Quinctianus poſt hæc iter arripuit vt facultates beatæ Agathæ inueſtigaret, & vt teneret omnes de parentelâ eius, qui Dei iudicio in medio flumine interiit.

## G. VIII. KALENDAS IVLII. *24. Iunij.*

Natiuitas beati Ioannis Baptiſtæ Præcurſoris Domini, Zachariæ & Eliſabeth filij, qui Spiritu ſancto repletus adhuc in vtero matris ſuæ, & antequam exiret inde, ſanctificatus, vſque ad diem oſtenſionis ſuæ ad Iſraël, confortatus Spiritu *Marc. 1.* agebat in deſertis, veſtitus pilis camelorum, habens zonam pelliceam circa lumbos ſuos, eſca autem eius erat locuſta & mel ſilueſtre. Triceſimo ætatis anno, quinto decimo anno imperij Tiberij Cæſaris, cùm Procurator eſſet in Iudæâ Pilatus, iamque regnum Iudæorum in quatuor principatus eſſet diuiſum, venit in *Luc. 1. & 3* omnem regionem Iordanis prædicans baptiſmum pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum.

## C. IV. KALENDAS SEPTEMB. *29. Aug.*

Paſſio & decollatio, vel potiùs Inuentio capitis eiuſdem beatiſſimi Ioannis *Mar. 6.* Baptiſtæ, quem Herodes Tetrarcha, vt Euangeliſtæ referunt, tenens ligauit in *Luca 3. Matth. 14.* carcere, propter Herodiadem vxorem fratris ſui Philippi, quia duxerat eam. dicebat enim illi Ioannes: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Hac de cauſâ inſidiabatur illi Herodias, & quærebat occidere eum, & non poterat. Herodes autem metuebat Ioannem, ſciens eum virum iuſtum & ſanctum eſſe. Sed cùm Herodes ipſe diem natalis ſui ageret, filiâ Herodiadis ſaltante in medio, ſæuiente matre, inter delicias & laſciuias conuiuantium, temerè ab Herode iuratur, & impiè quod iuratur, in nece Prophetæ impletur. Non enim poterat ſeueritas æquo animo tolerare, quod homo Dei monebat, quia vicerat Regem libido. Vinctus autem erat ſanctus Baptiſta in Arabiâ, caſtello Macherontâ. Miſſo itaque ſpiculatore, decollatus eſt in carcere, & allatum eſt caput eius in diſco, puellæque datum. Quod audientes diſcipuli eius, venerunt & tulerunt corpus eius, & poſuerunt illud in monumento apud Sebaſten, vrbem Palæſtinæ, quæ quondam

Samaria dicta eſt: vbi per aliquot annos iacuit vſque ad tempora Iuliani impiiſſimi Cæſaris. Qui cùm Chriſtianis eſſet infeſtiſſimus, pagani apud Sebaſten ſepulchrum eiuſdē Ioannis Baptiſtę inuadunt, oſſa diſpergunt; eadem rurſum collecta & cremata, latiùs diſpergunt: ſed Dei prouidentiâ adfuêre quidam ex Ieroſolymis monachi, qui mixti colligentibus, quæquæ ipſi poterant, ablata ad patrem ſuum Philippum pertulêre. Ille confeſtim hæc (ſupra ſe enim ducebat tantum theſaurum propriis ſeruare vigiliis) ad Pontificem maximum tunc Athanaſium per Iulianum Diaconum ſuum mittit: quæ ille ſuſcepta, paucis arbitris ſub cauato ſacrarij pariete incluſa, prophetico ſpiritu profutura generationi poſteræ conſeruauit. Cuius præſagium ſub Theodoſio principe, per Theophilum eiuſdem vrbis Epiſcopum completur. Qui deſtructo Serapis ſepulchro, ſancti Ioannis ibidem conſecrauit eccleſiam. Porrò caput ſuum duobus monachis Orientalibus, qui causâ orationis venerant Ieroſolymam, idem beatus Ioannes iuxta Herodis quondam Regis habitaculum reuelauit: quod deinceps Emeſam Phœniciæ vrbem perlatum, & digno honore cultum eſt.

8. *Octob.* A. VIII. IDVS OCTOBRIS.

Natalis beatiſſimi ſenis Simeonis, de quo beatus Lucas Euangeliſta refert:
*Lucæ 2.* *Et ecce homo erat in Jeruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte iuſtus & timoratus, exſpectans conſolationem Iſrael, & Spiritus ſanctus erat in eo. Reſponſum autem acceperat ab Spiritu ſancto non viſurum ſe mortem, niſi priùs videret Chriſtum Domini. Et venit in ſpiritu in templum. Et cùm inducerent puerum Jeſum parentes eius, vt facerent ſecundùm conſuetudinem legis pro eo, & ipſe accepit eum in manibus, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum in pace.*

1. *Sept.* F. KALENDIS SEPTEMBRIS.

Natalis beatiſſimæ Annæ propheticiſſæ, filiæ Phanuel, de tribu Aſer, cuius
*Lucæ 2.* ſanctitatem Euangelicus ſermo prodit: *Hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſuâ: & hæc vidua vſque ad annos octoginta quatuor; quæ non diſcedebat de templo ieiuniis, & orationibus ſeruiens nocte ac die.*

8. *Sept.* F. VI. IDVS SEPTEMBRIS.

NATALIS beatiſſimæ Dei Genitricis MARIAE, perpetuæ virginis, quam Spiritus ſanctus cuſtodiuit, & electam ſanctificauit, vt ex illius vtero naſceretur homo Deus altiſſimus. Ad quam miſſus eſt angelus Gabriel à Domino in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, cùm eſſet deſponſata viro Ioſeph
*Lucæ 1.* de domo Dauid. Et ingreſſus Angelus euangelizauit eam, & dixit: *Aue gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres.* Ipſa autem vt vidit eum, mota eſt introitu eius, & erat cogitans, quòd ſic benedixiſſet eam. Et ait ei Angelus: *Ne timeas* MARIA, *inueniſti enim gratiam apud Deum: & ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius* IESVM. Quæ tanto nuntio clarificata, Spiritu ſancto fecundata, ab illo, qui de illâ ſumere carnem dignatus eſt, præ hominibus ſublimata manet in æternum, venerabiliter benedicta. Cuius dormitionem XVIII. Kalend. Septembr. omnis celebrat Eccleſia. cuius & ſa-
*Deut. 34.* crum corpus non inuenitur ſupra terram. ſic nec beati Moyſi ſepulchrum, quem ſacra Scriptura dicit à Domino ſepultum. Tamen pia mater Eccleſia, quæ ſuis obſeruationibus integerrimâ fide fundata conſiſtit, eius venerabilem memo-

Digitized by Google

memoriam ſic feſtiuam agit, vt pro conditione carnis eam migraſſe non dubitet. Vbi autem venerabile Spiritus ſancti templum illud, id eſt, caro ipſius beatiſſimæ Virginis MARIAE diuino nutu & conſilio occultatum ſit, magis elegit ſobrietas Eccleſiæ cum pietate neſcire, quàm aliquid friuolum & apocryphum inde tenendo docere. Sufficiunt enim ei ad ſanctitatem & vitam Virginis & Matris Domini commendandam Euangeliſtarum teſtimonia, nec de eâ quærere vltrà neceſſarium putat.

# MARTYROLOGIVM ADONIS ARCHIEPISCOPI VIENNENSIS.

## MENSIS DECEMBER.

A. IX. KALENDAS IANVARII. 24.Dec.

VIGILIA Natiuitatis DOMINI.

Eodem die apud Antiochiam Syriæ, natalis ſanctarum Virginum quadraginta, quæ perſecutione Decianâ per diuerſa tormenta martyrium conſummauerunt.

Eodem die, apud Spoletum ciuitatem Tuſciæ, natale ſancti Gregorij martyris & presbyteri, temporibus Diocletiani & Maximiani Imperatorum, ſub iudice Flacco. Quem ad ſe adductum ita Flaccus aggreditur: Tu rebellis es deorum, & Principum contemptor? Cui beatus Gregorius reſpondit: Si verè vis ſcire, ab infantiâ meâ numquam à Deo meo receſſi, qui me ex limo terræ formauit. Cúmque perſeuerantiſſimus in fide confeſſionis maneret, fuſtibus nodoſis dorſum eius verberatum rumpitur: regytatus, venter eius diſſipatur. Inde ligatus manus & pedes, in craticulâ ſuperponitur, lignis ſuppoſitis. Et continuò terræmotu cecidit vna regio in ciuitate Spoletanâ, & oppreſſit pluſquam trecentos homines idolis ſeruientes. Pòſt ferro conſtrictus, ſub cuſtodiâ militum in carcere retruditur, vbi Angelicâ viſitatione conſolatur. Eductus è carcere, cardis ferreis in genibus percutitur. Sed & ardentibus lampadibus latera eius ſunt incenſa, dicente beato Martyre impio iudici: Si totum corpus meum perdas, præſtò eſt mihi medicus Dominus Ieſus Chriſtus, qui me ſanat & corroborat. Tunc Flaccus iuſſit Tyrcano cuidam, vt beatum Gregorium tractum in amphitheatro decollaret. Quo facto, iuſſit Tyrcanus feras terribiles dimitti, vt corpus ſancti Martyris abſorberent: ſed nulla earum corpus ſanctum attigit. Quædam autem mulier Abundantia nomine, petiuit corpus Martyris: ſed quia non potuit obtinere aliter, datis trigintaquinque aureis Tyr-

Tyrcano, corpus recepit, & vt decuit Martyrem, ſepeliuit iuxta pontem lapideum, & riuum qui Sanguinarius appellatur, ad muros ciuitatis, nono die Kalendar. Ianuar.

25. Dec. B. VIII. KALENDAS IANVARII.

IESVS CHRISTVS Filius Dei in Bethleem Iudæ naſcitur, anno Cæſaris Auguſti quadrageſimo ſecundo, Olympiadis centeſimæ nonageſimæ tertiæ, ab Vrbe condita anno ſeptingenteſimo quinquageſimoſecundo: compreſſis cunctarum per orbem terræ gentium motibus, & firmiſſimâ veriſſimâque pace, ordinatione Dei à Cæſare Auguſto compoſitâ: quando Quirinus ex conſilio Senatus Iudæam miſſus, cenſus hominum poſſeſſionûmque deſcribebat: ſextámque mundi ætatem ſuo piiſſimo conſecrauit aduentu idem Dominus noſter Ieſus Chriſtus.

Eodem die, natalis ſanctæ Anaſtaſiæ; quæ tempore Diocletiani, primò diram & immitem cuſtodiam à viro ſuo Publio perpeſſa eſt: in quâ tamen à Chryſogono confeſſore Chriſti multùm conſolata & confortata eſt. Deinde à Præfecto Illyrici in grauiſſimâ æquè atque diutinâ cuſtodiâ macerata eſt. in quâ duobus menſibus refecta eſt cæleſtibus eſcis, per ſanctam Theodoten, quæ martyrium priùs paſſa eſt. Deinde naui impoſita cum ducentis viris, & quingentis feminis, vt demergeretur in mare, perlata eſt ad inſulas Palmarias: vbi per manus & pedes extenſa, & ligatâ ad palos fixos, circa media eius ignis accenſus eſt, in quo martyrium conſummauit. Et omnes qui cum illâ venerant, variis interfectionibus martyrium celebrarunt. Inter quos omnes, vnus erat Eutychianus nomine, innocentiſſimæ naturæ: qui ſublatis ſibi (cùm diues eſſet) omnibus facultatibus, tacuit: nihil cogitans, nihílque metuens, niſi hoc, ne facultates ac diuitias fidei perderet. Quotieſcumque denique fuiſſet auditus, quotieſcumque interrogatus, nihil aliud dicebat: Chriſtum mihi non tollet, etiam qui caput abſtulerit. Tunc Apollonia Chriſtiana matrona, tollens corpus beatæ Anaſtaſiæ, exoſculabatur, & aromatibus condiens, digníſque linteaminibus obuoluens, intra viridarium domus ſuæ fabricatâ baſilicâ, vt decuit Martyrem, ſepeliuit.

Ipſo die Romæ in cœmeterio Aproniani, paſſio ſanctæ Eugeniæ virginis, quæ tempore Gallieni Imperatoris, poſt multa virtutum inſignia, & ſacros virginum choros, quas Chriſto Domino aggregauerat, ſub Nicetio Vrbis præfecto alligata ſaxo, & præcipitata in Tiberim, mergi non potuit. Inde thermis ignitis incluſa, illæſa reperta eſt. Nouiſſimè in cuſtodiâ gladio iugulatur: & ſublatum eſt corpus ab affinibus eius Chriſtianis, & poſitum non longè ab Vrbe, viâ Latinâ in prædio eius proprio, vbi multorum ipſa ſepelierat membra.

26. Dec. C. VII. KALENDAS IANVARII.

*Vide libellum De feſtis. Apoſt.* NATALE ſancti Stephani Protomartyris, non longè poſt aſcenſionem Domini paſſi, eodem ſcilicet anno paſſionis Chriſti.

*Pontificale cap. 42.* Eodem die Zoſimi Papæ, qui ſedit Romæ anno vno. Hic conſtituit, vt Diaconi læuam tegerent palliis: & præcepit vt nullus clericus poculum in publico propinaret, niſi tantùm in cellis fidelium & clericorum.

27. Dec. D. VI. KALENDAS IANVARII.

*Vide libellũ De feſtis. Apoſt.* NATALIS ſancti Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ, dilecti Domini, qui obiit anno LXVIII. poſt aſcenſionem Domini, ætatis autem ſuæ nonageſimo nono, Epheſi.

*Pontificale cap. 26.* Romæ, ſancti Dionyſij Papæ, qui ſedit in Epiſcopatu annos ſex, ſepultus viâ Appiâ in cœmeterio Calixti. Hic eccleſias presbyteris dedit, & parochias diœceſis dedit atque conſtituit.

E. V.

E. V. KALENDAS IANVARII. *28. Dec.*

BETHLEEM, natale ſanctorum Innocentum; quos Herodes, cùm Chriſti natiuitatem Magorum indicio cognouiſſet, XXXV. anno regni ſui interfici iuſſit: qui anno XXXVI. morbo intercutis aquæ, & ſcatentibus toto corpore vermibus, miſerabiliter & dignè moritur. Marth.2. *Euſeb. li.1. cap.8.*

F. IV. KALENDAS IANVARII. *29. Dec.*

DAVID Regis.

Item apud Arelatem, natalis ſancti Trophimi, Epiſcopi & Confeſſoris, diſcipuli Apoſtolorum Petri & Pauli. *Vide libellū De feſtis. Apoſt.*

Eodem die, ſancti Creſcentis, Apoſtoli Pauli diſcipuli, Vienneſis Eccleſiæ primi Doctoris. 2. Tim.4.

G. III. KALENDAS IANVARII. *30. Dec.*

APVD Spoletum, paſſio ſancti Sabini Epiſcopi, Exuperantij & Marcelli diaconorum, & Venuſtiani cum vxore & filiis, ſub Maximiano Auguſto. Qui beatus Sabinus cùm eſſet clarus in omnibus diuinis inſtructionibus, & ſermone eloquentiſſimus, tentus eſt à Præſide Tuſciæ Venuſtiano, cum duobus diaconibus Exuperantio & Marcello, & multis clericis. Cui Venuſtianus deum ſuum Iouem, quem habebat in cubiculo, ex lapide Coralite mirè formatum in veſtimentis aureis, ad adorandum obtulit. Quem beatus Sabinus in manibus acceptum, factâ oratione, continuò illiſit in pauimentum, & confregit. Quod factum videns Venuſtianus, cum furore iuſſit, vt præciderentur ei manus, & in conſpectu eius Marcellum & Exuperantium equuleo ſuſpendi, ac fuſtibus macerari, vnguibúſque radi latera eorum, & ignem ſupponi. Hoc facto, in confeſſione Domini ſpiritum emiſerunt. Quorum corpora præcepit iactari in fluuium, Sabinum verò Epiſcopum in carcerem retrudi. Audiens hoc quidam piſcator, & presbyter, collegit corpora Sanctorum, & ſepeliuit iuxta viam pridie Kalendar. Ianuar. Serena verò Chriſtianiſſima vidua curam habens ſancti Sabini Epiſcopi, adduxit ad eum in carcerem nepotem ſuum Priſcianum, qui erat cæcus. Tunc ſanctus Sabinus truncos ſuos ſuper oculos ipſius poſuit, & in fide Chriſti oratione factâ, eum illuminauit. Videntes autem illi, qui in cuſtodiâ erant, miſerunt ſe ad pedes eius, & baptizati ſunt eo die numero XI. Quod cùm nuntiatum eſſet Venuſtiano Præſidi, (indoluerant enim ei oculi, & præ dolore neque cibum, neque ſomnum capere poterat) miſit vxorem ſuam, & duos filios ſuos, vt adducerent beatum Sabinum ad domum eius de carcere. Adducto itaque, proſtrauit ſe ad pedes eius Venuſtianus cum fletu, vxórque eius & filij, agentes pœnitentiam, & rogantes ſe baptizari. Mox baptizatus vt de pelue leuatus eſt, nullum dolorem oculorum ſenſit. Hoc nuntiatum eſt Maximiano, qui iratus præcepit Sabinum damnari, & ipſum Venuſtianum capite truncari. Veniens autem Lucius Tribunus, ſine auditione beatum Venuſtianum cum vxore & filiis necauit in ciuitate Aſſiſinate: ſanctum verò Sabinum adduxit in ciuitatem Spoletum, & tam diu præcepit cædi, quouſque deficeret. Cuius corpus collegit venerabilis Serena, quæ iam manus eius in dolio vitreo cum aromatibus condiderat, & infra domum ſuam poſuerat, & ſepeliuit eum à ciuitate Spoletanâ miliario plus minùs vno, ſub die ſeptimo Idus Decembris. Feſtiuitas tamen eius & ſupranominatorum Martyrum tertio Kalendas Ianuarij agitur.

A. PRIDIE KALENDAS IANVARII. *31. Dec.*

ROMAE, natale ſancti Silueſtri Epiſcopi & confeſſoris, qui poſt beatum Petrum triceſimus quartus, ſedit annos viginti tres, menſes decem, dies vndecim. Cuius induſtriâ Synodus præclariſſima toto orbe terrarum, trecentorum, *Pontificale cap 34.*

rum, decem & octo Patrum, apud Niceam vrbem Bithyniæ celebratur, ſub conſulatu Conſtantini Auguſti, & Licinij, x I I. Kalendas Iulij: attamen Iulij Papæ tempore conſummatur. Fecit autem ordinationes ſex menſe Decembrio, Presbyteros quadragintaduos, Diaconos vigintiquinque, Epiſcopos per diuerſa loca ſexagintaquinque. Sedit autem ex die Kalendarum Februariarum, vſque in diem Kalendarum Ianuariarum. Sepultus eſt in cœmeterio Priſcillæ viâ Salariâ, miliario tertio ab vrbe Româ, pridie Kalendas Ianuarij: & ceſſauit Epiſcopatus eius dies quindecim. Hic conſtituit Chriſma ab Epiſcopo confici, & vt baptizatum liniat presbyter: &, vt nullus laicus crimen audeat clerico inferre: & dalmaticis in eccleſiâ vti, & vt pallio linoſtimo læua eorum tegeretur, ſcilicet diaconorum.

Apud Senonas, ſanctæ Columbæ virginis, quæ ſuperato igni, gladio cæſa eſt. Item apud Senonas, natale beatorum Sabiniani & Potentiani, qui à beatis Apoſtolis ad prædicandum directi, præfatam vrbem martyrij ſui confeſſione illuſtrem fecerunt.

## LITANIÆ INDICENDÆ.

# MENSIS IANVARIVS

## habet dies XXXI. Luna verò XXX.

1. *Ian.* A. KALENDIS IANVARII.

OCTAVAE Domini.

Romæ, natalis ſancti Almachij martyris: qui iubente Alipio Vrbis præfecto, cùm diceret; Hodie octauæ Dominici diei ſunt, ceſſate à ſuperſtitionibus idolorum & ſacrificiis pollutis; à gladiatoribus hac de cauſâ occiſus eſt.

Item Romæ, natale S. Martinæ virginis & martyris: quæ cùm eſſet ſublimis genere, & patre Conſule nata, diues nimis rerum, quas miſericorditer indigentibus erogabat; tenta ab Alexandro Imperatore, iuſſa eſt ſacrificare Apollini. Sed mox vt orationem fudit beata virgo, terræmotus factus eſt magnus, vt ciuitas concuteretur. Ac ſic pars templi ipſius Apollinis deſtructa eſt, ſimulacrum comminutum, & multitudo magna cum ſacerdotibus fani oppreſſa. Iratus valdè Alexander Imperator, iuſſit alapis faciem eius cædi, & vncinis palpebras eius diſrumpi. Carnifices autem qui ad cædendum eam deputati fuerant, deficientes clamare cœperunt, videre ſe quatuor viros ſplendidos, qui eam confortarent, ſibique potiùs pœnam inferrent. Inde teſtarum fragmentis cæſa, cùm inuictiſſima duraſſet; illi, quibus hoc impium officium delegatum fuerat, tandem pietate diuinâ circumdati lumine (erant enim octo) crudele ilicò miniſterium exſecrantes, crediderunt, ac Dominum verum Chriſtum Ieſum confeſſi ſunt. In quos accenſus valdè Imperator, ſuſpenſis fecit carnes eorum ſpathis lacerari. Deinde capitibus amputatis ſæculi huius vitam finiêre, XVII. die, menſe Nouembrio: ſicque felicia regna martyres Chriſti facti petierunt. Iterùm ſancta Martina pœnis pulſatur: nam exſpoliata veſtibus, inciſa eſt toto corpore, ac deinde quatuor palis extenſa, à duobus Centurionibus fuſtibus cæſa. Cùmq; in confeſſione perſeueraret, mutati ſunt qui per vices eam cæderent ſeptem Centuriones. Sed illa ſibi ſupplicia illata forti animo riſit. Inde recepta in carcerem. Inde adipibus & pinguedine ſuperuncta, & ad Imperatorem iterùm adducta, & iuben-

iubente eo in fanum deorum intromiſſa. Sed mox oratione factâ ab illâ, ignis de cælo cecidit,& idolum in fauillam redegit; ſacerdotes templi exuſſit,& multitudinem populi occîdit. Tunc perculſus terrore Imperator, tradidit eam cuidam Iuſtino præfecto, vt impelleret eam ad ſacrificandum. Qui mox extendi eam iuſſit in conto,& ſpathis membra eius incidi, & circa mamillas vngulis attrectari, vſque dum C X V I I I. inciſiones ab vncinis fierent. Sed cùm adhuc vt ille ſperauerat non exſpiraſſet, depoſita de conto recipitur in carcerem. Quæ & iterùm in Amphitheatrum à Iuſtino præfecto præſentata Imperatori, feris eſt iniecta. Sed leo immaniſſimus de caueâ laxatus, rugiendo vſque ad pedes ſanctæ Martyris peruenit, vbi ſtatim ferocitatem depoſuit, eamque nullo pacto attigit. Sed cùm reduceretur in caueam, Eumenium Imperatoris cognatum interfecit. Et iterùm recepta eſt, iubente Imperatore, in carcerem. Exinde poſt duos dies cùm iret ad ſacrificandum Imperator, exhibita Martyr, cùm fixa in Domino maneret,ſuſpenſa iterùm,vngulis raſa: raſiſque capillis, in quibus credebant quòd magica ars conſiſteret, videntes eam inſuperabilem, in templo Dianæ tribus diebus & tribus noctibus eam includunt. Cumq; precibus ſuis in puluerem redegiſſet ſimulacrum, educta de fano, ad vltimum gladio ferienda ab Imperatore deſtinatur. Huiuſmodi fine Martyr venerabilis cæli regnum meruit.

Eodem die apud Spoletum ciuitatem Tuſciæ, natalis ſancti Concordij martyris temporibus Antonini Imperatoris. Hic ortus eſt Romæ, cuius pater Gordianus dicebatur, ſanctiſſimâ conuerſatione presbyter, de titulo Paſtoris, ordinatus Subdiaconus à ſancto Pio vrbis Romæ Epiſcopo.Qui nihil aliud cum patre ſuo, niſi ieiuniis & orationibus die noctúque vacabat, eleemoſynis pauperum ſemper inſeruiens. Factum eſt,vt cum conſilio patris ſui apud beatum Eutychen, qui tunc morabatur in prædiolo ſuo, viâ Salariâ iuxta ciuitatem habitaret. Audiens famam eorum Torquatus Comes Tuſciæ, qui verſabatur in ciuitate Spoleti mittens accerſiuit ſanctum Concordium, & dixit ei: Quo nomine vocaris? Reſpondit ſanctus Concordius: Chriſtianus ſum. Dicit ei Comes: De nomine requiro, non de Chriſto tuo. Sanctus Concordius reſpondit: Chriſtianus ſum, & Chriſtum confiteor. Cumque impelleretur ad ſacrificandum,& ille in fide Chriſti fortiter perduraret,iuſſus eſt fuſtibus cædi.Sequenti nocte venit ad eum beatus Eutyches cum Anthimo Epiſcopo, & rogauerunt Comitem, vt aliquot diebus cum eis permitteretur morari. Erat namq; Anthimus Epiſcopus amicus Comitis, quíque beatum virum Concordium fecit illis diebus preſbyterum. Peractis aliquibus diebus, reuocatus eſt beatus Concordius, & venit ad Comitem. Cui & dixit Comes: Quid tractaſti circa ſalutem tuam? Sanctus vir reſpondit: Salus mea Chriſtus eſt, cui quotidie ſacrifico ſacrificium laudis. Iratus Comes, iuſſit eum ſuſpendi in equuleo. Cruciatus diu,reuocatur arctatus ferro in carcerem: vbi meruit conſolationem Angelicam. Poſt tres noctes miſſi ſunt ad eum, qui eum aut ſacrificantem laxarent, aut nolentem punirent. Venientes autem miſſi, dixerunt ei: Aut ſacrifica Ioui, aut capitalem ſententiam accipies. Ferebant autem ſtatunculam Iouis. Beatus Concordius dixit: Gratias tibi Domine Ieſu Chriſte. Et exſpuit in faciem Iouis. Tunc vnus de ſatellitibus euaginato gladio amputauit caput eius: atque ita in confeſſione Domini emiſit ſpiritum. Venientes autem duo clerici cum religioſis viris,tulerunt corpus eius, & ſepelierunt non longè à Spoleto, in loco vbi aquæ multæ emanant.

Item Romæ viâ Appiâ, coronæ Militum triginta: has ſub Diocletiano pro confeſſione veræ fidei percipere meruerunt.

Apud Africam,natalis ſancti Fulgentij, Eccleſiæ Ruſpenſis Epiſcopi & confeſſoris, qui tempore VVandalicæ perſecutionis, ob Catholicam fidem & eximiam

miam doctrinam, ab Arrianis multa perpeſſus,& diu apud Sardiniam exilio relegatus, tandem ad Eccleſiam ſuam redire permiſſus, & vitâ & triumpho clarus, functo fine quieuit, annum ſui Epiſcopatus agens vigeſimumquintum, vitæ autem totius ſexageſimumquintum.

Apud Alexandriam, ſanctæ Euphroſynæ virginis, quæ orationibus patris ſui Paphnutij de ſterili matre progenita, in puerili ætate conſtituta, clàm ſe tonderi fecit,& monaſticam vitam expetiit; Smaragdi ſibi nomen imponens. Pòſt etiam in recluſione viginti & octo annis in omni ſanctitate perdurans, tacta ægrotationis incommodo, & mortem ſibi adeſſe cognoſcens, manifeſtauit ſe religioſo & lacrymis multoties quærenti eam patri.

In territorio Lugdunenſi monaſterio Iurenſium, S. Eugendi Abbatis, cuius vita virtutibus & miraculis plena refulſit.

2. *Ian.*

B. IV. NONAS IANVARII.

NATALIS beati Macarij Abbatis.

Et in Ponto ciuitate Tomis, trium fratrum, Argæi, Nateiſſi, & Marcellini pueri, qui ſub Licinio inter tyrones comprehenſus, cùm nollet militare, cæſus ad mortem, & diu in carcere maceratus, in mare merſus, martyrium conſummauit. Corpus eius ad littus delatum, & à religioſis viris depoſitum, magnis coruſcat virtutibus.

3. *Ian.*

C. III. NONAS IANVARII.

*Pontificale cap. 20.*

ROMAE, natalis ſancti Anteros Papæ & martyris, qui viceſimus poſt beatum Petrum cùm duodecim annis, menſe vno, diebus duodecim rexiſſet Eccleſiam, paſſus eſt ſub Maximino: & in cœmeterio Calixti ſepultus viâ Appiâ. Hic geſta Martyrũ à notariis diligenter exquiſiuit, & in eccleſiâ recondidit.

Apud Pariſios, ſanctæ Genofeuæ virginis, quæ à beato Germano Autiſiodorenſi Epiſcopo Chriſto dicata, admirandis virtutibus & miraculis latè claruit,& vſque octoginta annos in Chriſti ſeruitute conſenuit.

*Ado in Chron. anno 241.*

Eodem die ſancti Florentij Viennenſis Epiſcopi & martyris, octaui eiuſdem vrbis.

4. *Ian.*

D. II. NONAS IANVARII.

*Vide libellũ De feſtiu. Apoſt.*

NATALIS ſancti Titi Apoſtolorum diſcipuli.

Apud Africam, natalis ſanctorum Aquilini, Gemini, Eugenti, Martiani, Quinti, Theodoti, Tryphonis, præclariſſimorum martyrum, quorum geſta habentur.

Eodem die apud vrbem Romam, ſanctorum martyrum Priſci presbyteri,& Priſcilliani clerici, atque Benedictæ religioſiſſimæ feminæ, ſub tempore Iuliani impiiſſimi Auguſti, qui gladio martyrium compleuerunt.

Item apud vrbem Romam, beatę Dafroſæ vxoris Fabiani martyris, quæ poſt damnationem beati viri ſui primùm relegata exilio, deinde ab impio Iuliano capite iuſſa eſt puniri.

5. *Ian.*

E. NONIS IANVARII.

*Pontificale cap. 9.*

ROMAE, natalis ſancti Teleſphori, qui ſeptimus poſt Petrum Apoſtolum Pontifex ordinatus, ſedit annos vndecim, menſes tres, dies viginti vnum, illuſtréque martyrium duxit. Hic conſtituit, vt ſex hebdomadibus ante Paſcha ieiunium celebraretur, & Natali Domini Ieſu Chriſti nocte Miſſæ celebrarentur, & hymnus Angelicus, id eſt, *Gloria in excelſis Deo*, horâ ſacrificij Miſſæ diceretur.

Item apud Antiochiam, depoſitio ſancti Simeonis monachi, admirandæ virtutis viri, qui decimotertio ætatis anno huic ſæculo abrenuntians, monaſterij clauſtra expetiit, vbi mirâ abſtinentiâ vix ſeptimo die cibum ſibi indulgens,

Pſal-

Pſalterium inter quatuor menſes didicit. Deinde nimiâ domandi corporis intentione ſune palmiceo renes ſibi conſtringens, duriter laniatus eſt. Inde in quodam puteo ſe recludens, & ex eo à fratribus violenter ad monaſterium reductus, clàm fugiens, eremum petiit. Vbi multo commoratus tempore, in columnâ editiori ſanctitate feruens, ſe recluſit. Vbi non modò nulli extraneę mulieri, ſed nec propriæ matri ſe videre permiſit. Et vſque hodie baſilicam columnæ illius feminarum nulla ingreditur. Nam quædam mulier veſte induta virili ingredi voluit, & mox vt limen attigit, retrorſum mortua cecidit.

F. VIII. IDVS IANVARII. 6. Ian.

EPIPHANIA Domini.

Eodem die paſſio ſanctæ Macræ virginis, quam cùm Rictiouarus præſes torqueri & in ignem præcipitari iuſſiſſet, illæſa permanſit. Deinde mamillis abſciſis, ſqualoréque carceris afflicta, ſuper teſtas acutiſſimas & prunas volutata, orans migrauit ad Dominum.

G. VII. IDVS IANVARII. 7. Ian.

RELATIO pueri IESV ex Ægypto.

Item natalis ſancti Luciani Antiochenæ eccleſiæ presbyteri & martyris, viri doctiſſimi atque eloquentiſſimi, qui paſſus eſt Nicomediæ ob confeſſionem Chriſti ſub perſecutione Maximini: ſepultúſque Helenopoli Bithyniæ, quam vrbem (cùm priùs Drepana vocaretur) in honorem eiuſdem glorioſi Martyris, Conſtantinus Imperator inſtaurans, ex nomine matris ſuæ Helenopolim nuncupauit.

Item apud Antiochiam, beati Cleri diaconi, qui ob confeſſionem Chriſti ſepties tortus, & in carcere diu maceratus, ad vltimum decollatus martyrium conſummauit.

A. VI. IDVS IANVARII. 8. Ian.

APVD Neapolim Campaniæ, ſancti Seuerini confeſſoris, fratris beatiſſimi Victorini clariſſimi viri in miraculis. Qui & ipſe fratris imitator, poſt multarum virtutum perpetrationem, ſanctitate plenus quieuit. Sepultus in loco, vbi primùm abſtinentiſſimus, quàm ad Epiſcopatum vocaretur, conuerſatus fuerat. *Vide plura de eo 5. Sep.*

Beluaci, ſanctorum Luciani & Meſſiani.

B. V. IDVS IANVARII. 9. Ian.

IN Mauritaniâ Cæſarienſi, natalis ſanctæ Martianæ virginis & martyris.

Eodem die apud Antiochiam, natale ſancti Iuliani martyris & Baſiliſſæ coniugis eius. Hi itaque ſanctiſſimo voto caſti coniuges, aliquot annos pariter vixerunt, carnem ſuam Chriſto virginem ſeruantes, monaſteria de rebus ſuis, quia erant parentibus & genere clariſſimi, inſtituerunt, vt ad decem millia monachorum pater beatus Iulianus fieret, Baſiliſſa verò multarum mater virginum. Quarum multitudinem cùm iam victricem præmiſiſſet ad Dominum, ipſa conuerſatione vitæ, & doctrinæ ſtudiis probatiſſima, inter verba orationis dulciſſimis ſuſpiriis plena reddens Domino ſpiritum, Angelorum conſortio in cælo coniunxit. Iulianus verò poſtmodum à Martiano præſide requiritur, quo tempore rabies crudelitatis ad perſequendum ſanctos Dei ſub Diocletiano & Maximiano exarſerat, ad quem multitudo ſacerdotum & Eccleſiæ Chriſti miniſtrorum confugerat propter immanitatem perſecutionis. Comprehenſus itaque cum hac ingenti multitudine ipſe Pręſidis audientiæ reſeruatur; ceteri ſerui Dei, iuſſu crudelis Iudicis ingenti accenſo igne, eisque appoſito, in quo conſiſtebant loco conſumpti ſunt. Vbi ad commendandam pretioſam mortem ſanctorum, tertiam, ſextam, nonam pſallentium chori feruntur audiri. Sed & veſper-

ſpertinos, & matutinos hymnos Deo concinere. Beatus verò Iulianus primùm auditus, rigidiſſimis fuſtibus cæſus eſt. Cumque cæderetur, vnus miniſtrorum Præſidi neceſſarius oculum amiſit. Quem beato Iuliano orante ilicò recepit, & Chriſto credens ſtatim ab inſano Iudice decollatur. Inde beatus Iulianus ductus ad fanum dæmonum: ſimulacra cryſtallina & electrina, atque diuerſi generis metallo acquiſita, ita comminuta atque in puluerem redacta ſunt, vt quid fuerint omnino non parêret. Deinde ſanctus Martyr vinculis ferreis arctatus, per ciuitatem ſub voce præconis circumducitur. Cumque perueniſſet ad locum, vbi filius Præſidis in ſcholis erudiebatur, puer idem Celſus nomine, vidit multitudinem albatorum circa ſanctum Martyrem, & coronam pretioſiſſimis lapidibus renitentem ſuper caput eius. Quæ viſa cùm ſuis condiſcipulis narraret, ſubitò diuinitùs inſpiratus proiecit volumina magiſtrorum, & veſtimenta quibus erat indutus, & celeri curſu peruenit ad pedes vincti Martyris. Ad quod factum ſtupens tota penè ciuitas accurrit: cum reliquis Præſes & mater pueri eiulantes adueniunt. Sed cùm puerum à ſocietate beati ſeparare non poſſent, cum beato Iuliano imo carceris mancipatur. Vbi diuino lumine conſolati, & odore mirifico ſunt reſperſi, ita vt milites, qui eos ſeruabant, circiter viginti, commoti, & ſtupore perculſi, Chriſto Domino crederent. Ad hos itaque viſitandos in carcerem fratres ſeptem vnà cum Antonino presbytero venerunt: officióque ſancti Antonini presbyteri, tam puer, quàm viginti milites baptizati ſunt. Quod audiens Præſes, ſeptem fratres diu cuſtodiâ maceratos, ad vltimum tradi igni præcepit: porrò milites gladio trucidari. Sicque martyrium victores conſummauerunt. Sanctum verò Iulianum atque Celſum puerum, ſanctúmque Antoninum presbyterum ſibi præſentatos, necnon & Anaſtaſium, quem beatus Iulianus à morte ſuſcitatum participem gratiæ Chriſti fecerat, in cuppas pice & adipe feruentes iniecit, ſub quibus lignorum & ſarmentorum copiam aggregari iuſſit. Sed beati nihil læſi ſub igne, in confeſſione inuicti perſiſtunt. Ducti ergo iterùm ſunt in cuſtodiam. Cum puero autem mater ipſius Martionilla, vt eum mutare poſſet, volens incluſa eſt. Sed dum cupit filium prædam fieri diabolo, ipſa prædata Chriſto, eiúſque ancilla fidelis facta, baptiſmi gratiam recepit. Quo audito, impius coniunx piam Chriſti famulam in ima carceris truſam Martyribus ſociauit. Quos iterùm ſuis conſpectibus præſentari fecit, & ad fanum dæmonum, ſacerdotibus fani intrò expectantibus, vt ſacrificaturi mittuntur. Sed mox ſanctis orantibus templo ad ſolum deiecto, ſacerdotum ad mille, cum paganorum multitudine occiſi ſunt. Sed iterùm ab irato impio Præſide ſancti retruduntur. Qui diuinâ conſolatione nocte ſunt mirabiliter confortati. Sequenti verò luce producti ſunt de cuſtodiâ: oleóque infuſo liciniis, manus & pedes eorum ligantur, ignîſque ita ſupponitur. Sed cùm inuicti perdurarent, Iuliano & Celſo cutem capitis auferri iubet, Antonino & Anaſtaſio lumina effodi, Martionillæ equuleum parari. Hæc cùm illi fortiſſimè peruiciſſent, feris intromiſſis in Amphitheatrum ad deuorandum eos obiecerunt. Sed feræ pedes ſanctorum lingebant. Cumque omnia peruiciſſent, militibus eos ferire iuſſit. Atque tali certamine palmam adepti, regna manſura perceperunt.

10.*Ian.* C. IV. IDVS IANVARII.

APVD Thebaidem, natalis ſancti Pauli primi Eremitæ, qui à ſextodecimo ætatis ſuæ anno vſque ad centeſimum & tertiumdecimum ſolus in eremo permanſit. Cuius animam inter Apoſtolorum & Prophetarum choros ad cælum ferri ab Angelis, ſanctus Antonius vidit.

*Pontificale cap. 10.* S. Hyginij Papæ, qui ſedit Romæ annos quatuor. Hic conſtituit Clerum, & diſtribuit gradus. Sepultus in Vaticano I V. Idus Ianuarij.

Apud

Apud Cyprum, B. Nicanoris, qui vnus fuit de ſeptem primis diaconibus. *Vide libellum De feſtis. Apoſt.*
Et aduentio ſancti martyris Hermetis.

D. III. IDVS IANVARII. 11. *Ian.*

APVD Alexandriam, natalis ſanctorum Confeſſorum Petri, Seueri, Lucij, quorum geſta habentur.

In Africâ, natalis ſancti Saluij. In huius natali ſanctus Auguſtinus verbum fecit ad populum Carthagini. *Poſſid. in indic. c. 3. & 9.*

E. PRIDIE IDVS IANVARII. 12 *Ian.*

APVD Achaiam, natalis ſancti Satyri martyris, ciuis Arabiæ, qui tranſiens ante quoddam idolum, cùm exſufflaſſet illud, ſignans ſibi frontem, ſtatim corruit: ob quam cauſam decollatus eſt.

Eodem die natalis S. Arcadij martyris, genere & miraculis clari. *Zeno Veronen. ſerm. propr.*

F. IDIBVS IANVARII. 13. *Ian.*

ROMAE viâ Lauicanâ, coronæ Militum quadraginta, ſub Gallieno Imperatore.

Pictauis, ſancti Hilarij Epiſcopi & confeſſoris, qui ob Catholicam fidem quadriennio apud Phrygiam relegatus. Inter alias virtutes fertur quòd mortuum ſuſcitauerit.

Apud Viennam, ſancti Veri Epiſcopi, qui præſedit Eccleſiæ poſt ſanctum Euantium.

G. XIX. KALENDAS FEBR. 14. *Ian.*

APVD Nolam Campaniæ, natale beati Felicis presbyteri. Hic à Maximo Nolanæ vrbis Epiſcopo presbyterij honore præditus eſt. Cùm autem Imperatorum decreta Chriſtianos inſequi præcepiſſent, Maximus Pontifex iam ſenio prægrauatus, putans ſe non poſſe ferre ſupplicia, ſiluarum ſaltus adiit. Quos dum turbidus de perſecutione pererraſſet, affectus fame, gelu attritus, ſolo corruit ſemiuiuus. At beatus Felix presbyter captus, & vinculis adſtrictus, ante præſidem Draccum adductus, cùm multa de portentis deorum, quòd nihil eſſent, diſputaret; cúmque Præfectus immolare impelleret; reſpondit: Inimici eſtis deorum veſtrorum. Ad quæcumque enim me deorum veſtrorum templa duxeritis, hoc eis eueniet, quod euenit illis, ad quæ meum fratrem Felicem vos duxiſſe pœnituit. Sed ſi vultis probare virtutem Domini mei Ieſu Chriſti, me ad Capitolium ire iubete, vt ipſum Iouem, principem dæmoniorum veſtrorum tuere faciam. Mox impius Iudex compreſſis auribus ſuis, iuſſit eum fuſtibus cædi, deinde equulei tormentis applicari; inde carceri includitur, in quo non mediocribus vinculis adſtrictus, cochleis ac teſtulis ſuppoſitis extenditur. Et ecce nocte mediâ Angelus Domini, confractis catenis, ſciſſáque trabe quâ pedes eius concluſi tenebantur, ait illi: Surge & egredere, ac require ſacerdotem tuum, inuentúmque reduc ad vrbem, & abſconde, ne inediâ ac fame depereat, donec deſinat perſecutio. Dumque beatus Felix egreſſus ſacerdotem & Epiſcopum ſuum requireret, inuenit illum ſolo proſtratum, clauſis oculis, ſtrictiſque dentibus vix ſpirantem. Et cùm anxiè requireret, quid alimenti defecto ſeni porrigeret, ecce ſubitò de ſentibus vuam pendere miratur: de quâ aliquibus granis in os confeſſoris Chriſti expreſſis, paululùm ſenior refocillatus ſurrexit. Quem humeris impoſitum Felix ad ciuitatem detulit, & ſub tugurio cuiuſdam viduæ commendatum, alimentis pauit. Deinde captus, in exilium deportatur beatus martyr, in monte qui vocatur Citceis, vbi lapides excidebantur, vt ipſe cum damnatis pari modo lapidum cæſor eſſet. Vbi Probi cuiuſdam Tribuni filiam à dæmonio liberauit, vxorémque eius ab hydropiſi morbo curauit,

ipſumque Probum cum vxore & filiâ, & pluribus aliis, in Chriſto baptizauit. Pòſt deinde cùm regreſſus eſſet, creſcente perſecutione, iterùm mittitur perſecutor ex numero apparitorum, qui beatum Felicem teneret. Quem cùm ſolicitè requireret, & eumdem Felicem interrogaret, ſi noſſet, vbi Felix presbyter lateret: Hac, inquit, Felix parte abiit. Perſecutore diſcedente, Felix latebram petiit. Sed nec mora, perſecutor ipſe ſubſequitur. At martyr inter parietes dirutos occulebatur, vbi in ipſo primo domus introitu araneorum telæ dependentes, intùs neminem tunc intraſſe, fidem fecerunt. Quâ viſione deluſus inimicus abſceſſit. Sic martyr ad alium locum demigrans, à muliere quadam per tres menſes paſtus eſt: cuius tamen faciem, dum iiſdem latibulis celaretur, nullo modo vidit. Poſtmodum verò apud Nolam pontificem dęmoniorum ad Chriſtum conuertens, templum Apollinis, priùs dæmone, qui reſponſa dabat, expulſo, diuinâ virtute deiecit. Virtutibus itaque adeò illuſtris, cùm vellet vniuerſus populus Nolanus vt leuaretur Epiſcopus, non conſenſit, ſed alterum in ſede Pontificali eligens, ipſe poſt duodecim annos, quos apud Nolam ceſſante perſecutione fecerat, Dominicâ die myſteriis confectis, datâ pace omnibus, ſe in pauimentum oraturus proiecit: moxque beati viri anima de carnis ergaſtulo egreſſa, poſt grauia tormenta, quæ patienter tulerat pro Chriſto, felicia regna, ipſe verè Felix conſcendit. Sepultúſque iuxta vrbem in loco qui dicitur Pincis, vbi claris ſemper fulget virtutibus, ab Helpidio, venerabili & ſancto presbytero. Hic etiam beatiſſimus martyr & confeſſor hæreticis inuictiſſimè reſtitit.

*Ado in Chron. anno 686.* Apud Viennam, S. Caeoldi Epiſcopi.

*15. Ian.*

A. XVIII. KAL. FEBRVARII.

ABACVC & Michęæ Prophetarum, quorum corpora ſub Arcadio Imperatore diuinâ reuelatione reperta ſunt.

Item beati Macarij Abbatis, diſcipuli beati Antonij, vitâ & miraculis celeberrimi.

Item beati Iſidori, ſanctitate vitæ, fide ac miraculis præclari.

Apud Bituricas ciuitatem, Tranſlatio Sulpitij Epiſcopi & confeſſoris, qui à pueritiâ Sacris litteris eruditus, & ſanctæ conuerſationis luce conſpicuus, etiam laicus virtutibus claruit. Pòſt etiam comâ depoſitâ, monachorum pater extitit: atque inde ad Epiſcopalem prouectus cathedram, vitâ clarus, miraculis glorioſus quieuit.

*16. Ian.*

B. XVII. KALENDAS FEBRVARII.

ROMAE viâ Salatiâ in cœmeterio Priſcillæ, natalis ſancti Marcelli Papæ, qui iubente Maximino Imperatore, primò fuſtibus cæſus, & à facie eius quem corripiebat expulſus eſt. Deinde audiens quòd domum S. Lucinæ, quam ipſe proſcriptione damnauerat, eò quòd de facultatibus ſuis Chriſtianis donauerit, eccleſiam faceret, & in eâ Miſſas celebraret, in mediâ ciuitate iuſſit in eâdem eccleſiâ plancas ſterni ad animalia catabuli publici: & eiuſdem ſtabuli Epiſcopum ad ſeruitium animalium deputauit cum cuſtodiâ publicâ. Vbi etiam poſt multos annos ſeruiendo, indutus amictu cilicino, defunctus eſt: & conditus aromatibus à Ioanne presbytero, ac à B. Lucinâ, ſepultus in cœmeterio Priſcillæ.

Apud Arelatem, ſancti Honorati Epiſcopi, cuius vita doctrinâ ac miraculis illuſtris refulſit.

*17. Ian.*

C. XVI. KALEND. FEBRVARII.

IN Ægypto apud Thebaidem, beati Antonij monachi, qui ſine vllâ ſcientiâ litterarum, Scripturas diuinas, & memoriter audiendo tenuiſſe, & prudenter cogitando intellexiſſe prædicatur. Multorum monachorum pater, vitâ & miraculis præclariſſimus vixit. Cuius corpus ſub Iuſtiniano Imperatore diuinâ

reue-

reuelatione repertum, Alexandriam delatum eſt, & in eccleſiâ beati Ioannis Baptiſtæ humatum.

Apud Linguonas, natale ſanctorum geminorum Speuſippi, Eleuſippi, & Meleuſippi. Qui cùm eſſent vigintiquinque annorum, cum auiâ ſuâ Leonillâ, & Ionillâ, & Neone, martyrio coronati ſunt, tempore Aureliani Imperatoris. Gemini quidem in vnâ arbore ſuſpenſi, ligatis manibus ſurſum, & pedibus* iuſum: ita extenti, vt pęnè putarentur ab ipſa membrorum compage ſeparari: & poſt hæc in ignem præcipitati, nec tamen læſi, inter verba orationum ſimul migrarunt ad Dominum. Ionilla hoc videns, confeſſa eſt ſe etiam eſſe Chriſtianam. Et pòſt comprehenſa à turbis, ac capillis ſuſpenſa, multíſque afflicta ſuppliciis, cùm Chriſtum negare noluiſſet, cum Leonillâ eſt ſimul gladio perempta. Neon exceptor geſtorum, & ipſe Chriſti nomen confeſſus, martyrio coronatus eſt. Docuit autem & baptizauit geminos hos Benignus presbyter, quem miſit ab Oriente B. Polycarpus Ioannis Apoſtoli auditor in Galliam, cum Andochio presbytero & Thyrſo Diacono. Sepulti ſunt autem iidem gemini in ſecundo miliario ab vrbe Linguonum. Turbon autem, ſcribens victorias confitentium Dominum, non poſt multum temporis martyrium perpeſſus eſt.

*id eſt, deorſum.

Apud Bituricas, Sulpitij Epiſcopi.

D. XV. KALENDAS FEBRVARII. 18. Ian.

CATHEDRA ſancti Petri Apoſtoli, quâ primùm ſedit Romæ.

Eodem die, natalis S. Priſcæ virginis & martyris.

Et in Ponto, natalis ſanctorum martyrum Moſæi & Ammonij: qui cùm eſſent milites, primò ad metalla deputati, nouiſſimè igni traditi ſunt.

E. XIV. KALENDAS FEBRVARII. 19 Ian.

IN Smyrnâ, natalis ſancti Germanici martyris, qui cùm primææ ætatis venuſtate floreret, per gratiam virtutis Dei, metum corporeæ fragilitatis excludens, ſponte præparatam ſibi beſtiam, damnatus à Iudice iam, prouocauit: cuius dentibus comminutus, vero pani, id eſt, Domino Ieſu Chriſto, pro ipſo moriens, meruit incorporari.

*Euſeb. li 4. cap. 14. Vide libellū De feſtis. Apoſt. in Polycarpo.*

Eodem die, natale ſancti Pontiani martyris, apud Spoletum, temporibus Antonini Imperatoris, ſub iudice Fabiano. Ante quem adductus, & interrogatus, quo nomine vocaretur, reſpondit: A parentibus nomen mihi impoſitum eſt Pontianus; maius autem nomen, Chriſtianus. Tunc iratus Fabianus, expoliari eum, & virgis cædi iuſſit, donec videretur ſanguis ipſius in terram fluere. Iterùm iuſſit ſuper carbones nudis pedibus ambulare. Cui beatus Pontianus: Ego in nomine Domini mei Ieſu Chriſti ambulo ſuper carbones ardentes: tu ſi potes, mitte in nomine Iouis manum in aquam calidam. Iratus Fabianus iuſſit equuleum parari, & vncinos ferreos fieri, & ibi eum ſuſpendi. Sed deficientibus miniſtris impiis, truditur martyr Dei in ima carceris, vbi à religioſis viris confortatur ad agonem martyrij. Educitur iterùm ad certamen, circumſpectante populo in Amphitheatro, & dimittuntur ei duo leones. Qui manſuefacti, beatum Pontianum minimè tetigerunt. Quod videntes populi, exclamauerunt, Verè magnus eſt Deus Chriſtianorum: ita vt ſeditio fieret. Iterùm beatus martyr retruditur in carcerem per duodecim dies, vt fame deficeret, vbi ab Angelo confortatus, & cæleſti cibo paſtus eſt. Poſt duodecim verò dies putantes eum defeciſſe, miniſtri venerunt, vt corpus eius tollerent, & inuenerunt eum pſallentem, & laudes Deo dicentem. Eductus iterùm de carcere eſt, & extenſus ſuper lectum ferreum, iubente impio Iudice, ac plumbo ferueſacto dorſum illius perfuſum. Sed cùm martyr talia paruipendens inuictus maneret, confuſus Fabianus dictauit ſententiam, vt capite minueretur. Sicque ab ſpiculatore percuſſus, quieuit in pace.

pace. Conſummauit autem martyrium ſuum XIX. Kalendas Februarij. Et ſublatum corpus eius à Chriſtianis ſepultum eſt XV. Kalendas. Celebris verò dies ipſius agitur XIV. Kalendas Februarij, quando iterùm ſacrum corpus eius mutatum eſt.

20. *Ian.* F. XIII. KAL. FEBRVARII.

*Pontificale cap 21.* ROMAE, Fabiani Epiſcopi: qui cùm quatuordecim annos, menſes vndecim, ac duodecim dies Eccleſiæ præeſſet, paſſus eſt martyrium tempore Decij, & in cœmeterio Calixti ſepultus.

Eodem die, natale ſancti Sebaſtiani martyris, qui intantùm charus erat Imperatoribus Diocletiano & Maximiano, vt principatum ei primæ cohortis traderét. Quem Diocletianus vbi Chriſtianum cognouit, nec à fide poſſe reuocari, iuſſit ligari in medio campo, quaſi ſignum ad ſagittam, & ſagittari à militibus. Qui cùm ſagittis plenus ſtaret, quaſi hericius, putantes eum mortuum, abierunt. Nocte autem veniens quædam mulier nomine Hirene tollere corpus, inuenit eum viuentem, & adduxit in domum ſuam, & curam eius egit: qui vbi conualuit, multos in fide confortauit. Nec mora, ipſis Imperatoribus apparens, hos, prout digni erant, corripuit. Tunc iuſſit eum Diocletianus in hippodromum palatij duci, & fuſtigari donec deficeret: quem mortuum in maximam cloacam miſerunt. Sed ille apparuit in ſomnis ſanctæ matronæ Lucinæ, dicens: Iuxta Circum inuenies corpus meum, pendens in vnco: hoc ſordes non tetigerunt: dum leuaueris, perduc ad Catacumbas, & ſepelies me in cryptâ iuxta veſtigia Apoſtolorum. Quæ ipſâ nocte cum ſeruis veniens, totum ita compleuit.

Eodem die, Romæ natalis ſanctorum martyrum Marij & Marthæ, cum filiis ſuis, Audifax & Abacuc, nobilium de Perſidâ, qui ad orationem venerant Romam tempore Claudij principis: è quibus poſt toleratos fuſtes, equuleum, ignes, vngues, manuum præciſionem, Martha in Nymphâ necata, ceteri decollati, & cetera corpora eorum ſunt omnia incenſa & diſſipata.

21. *Ian.* G. XII. KALENDAS FEBRVARII.

*Vide libellū De feſtiu. Apoſt.* ROMAE, natalis ſanctæ Agnetis virginis & martyris, quæ ſub Præfecto Vrbis Symphronio, ignibus iniecta; ſed his per orationem ipſius exſtinctis, gladio percuſſa eſt.

*Vide libellū De feſtiu. Apoſt.* Item apud Athenas, B. Publij Epiſcopi, ob Chriſti martyrium coronati.

In Hiſpaniis ciuitate Tarraconâ, natalis ſanctorum martyrum Fructuoſi *Prudent. hymn. 6.* Epiſcopi, Augurij & Eulogij diaconorum: qui tempore Gallieni, ſub Æmiliano præſide, primò in carcerem truſi, deinde flammis iniecti, exuſtis vinculis, manibus in modum crucis expanſis, orantes vt vrerentur, obtinuerunt. Et mox viſus è fratribus, & filia Præſidis quæ adſtabat, viderunt animas ſanctorum, cælum conſcendere coronatas.

Apud Trecas, paſſio ſancti Patrocli martyris.

22. *Ian.* A. XI. KALENDAS FEBRVARII.

IN Hiſpaniis, natale ſancti Vincentij diaconi & martyris, qui cum S. Valerio Epiſcopo ſuo à Cæſarauguſtâ ciuitate Valentiam vſque grauibus nexus catenis, iubente Daciano, perductus eſt: ibíque fame & ſqualore carceris diu maceratus, tormentis equulei & vngularum horrendâ laceratione vexatus, à grabato etiam ferreo diutiſſimè vſtulatus, atuinæ guttis, & crepitanti ſale reſperſus eſt. Poſt hoc in teterrimo carcere miſſus eſt, diuaricatíſque in neruo cruribus, ſuper acutiſſima teſtarum fragmenta proiectus eſt. Vbi nocte lux ingens apparuit, & virtute Dei ſolutus martyr, inter Angelos, à quibus viſitari meruit, hymnum canebat, ita vt ipſe cuſtos carceris crederet Chriſto. Manè autem facto, cùm iuſſiſſet eum Dacianus in lecto molliſſimo reclinari, vt aliquantulùm recreatus

acriùs

acriùs denuò torqueretur, infatigabilem ſpiritum Chriſto reddidit. Tunc Dacianus corpus eius in campum proiici, & feris atq; auibus iuſſit exponi. Sed mox coruus diuinitus ad cuſtodiam eius datus, non ſolùm alias aues arcebat, ſed mox & immanem lupum à ſancto corpore repulit. Quod cùm Daciano nuntiatum eſſet, iuſſit eum inſutum culeo, in profundum maris cum grauiſſimo ſaxi pondere immergi. Sed priùs virtute Dei ſuper vndas innatans ad littus delatus, & arenis conditus eſt, quàm remiges portum tangere potuiſſent. Inde autem cùm ſe ſanctus Martyr cuidam fideli anui reuelaſſet, ceſſante perſecutionis rabie, à Chriſtianis reuerenter ſublatus, & in baſilicâ conditus eſt.

Ad aquas Saluias, natale ſancti Anaſtaſij martyris & monachi de Perſide, qui poſt plurima tormenta carceris, verberum & vinculorum, quæ in Cæſareâ Palæſtinæ perpeſſus fuerat, à Perſis poſtremò in Perſide multâ pœnâ affectus, atque ad vltimum decollatus eſt à Rege eorum Choſtoe cum aliis LXX. Reliquiæ corporis eius primò Ieroſolymis ad monaſterium ſuum, deinde Romam delatę, venerãtur in monaſterio B. Pauli Apoſtoli, quod dicitur Ad aquas Saluias.

B. X. KALENDAS FEBRVARII. 23. *Ian.*

ROMAE, natalis S. Emerentianæ, virginis Chriſti & martyris, quæ erat collactanea ſanctæ Agnetis: & dum oraret ad ſepulcrum eius, ac ſimul orantes à gentilium læſione defenderet, lapidata eſt ab eis.

In Mauritaniâ, ciuitate Neocæſareâ, natalis ſancti Seuerini & Aquilæ vxoris eius, ignibus combuſtorum.

Apud Philippos, B. Parmenæ diaconi, qui vnus fuit de VII. diaconibus. *Act. 6. Vide lib. De feſt. Apoſt.*

C. IX. KALEND. FEBRVARII. *24. Ian.*

APVD Epheſum, natalis ſancti Timothei Apoſtoli.

Apud Antiochiam, S. Babylæ Epiſcopi, qui perſecutione Decij, poſteaquàm frequenter paſſionibus ſuis & cruciatibus glorificauerat Dominum, glorioſæ vitæ finem fortitus eſt in vinculis. De quo in decimo Eccleſiaſticæ hiſtorię libro grande narratur miraculum. Nam cùm Iulianus Imperator, ad idolorum cultum cõuerſus, quodam tempore, Daphnis in ſuburbio Antiochiæ, iuxta fontem Caſtalium litaret Apollini, & nulla ex his, quæ requirebat, reſponſa ſuſciperet, cauſaſq; ſilentij percontaretur à ſacerdotibus; reſponderunt dæmones, Babylæ martyris ſepulcrum propè aſſiſtere, & ideò reſponſa non reddi. Tunc ille venire Galilæos (hoc enim nomine noſtros appellare ſolitus erat) & auferre Martyris ſepulcrum iubet. Mox igitur Chriſtiani conuenientes, magnâ exultatione ſuccincti, ſuſtulerunt arcam Martyris, pſallentes in auribus prophani principis, per ſex millia paſſuum ſummis vocibus & cum exultatione dicentes: *Confundantur omnes qui adorant ſculptilia, & glorientur in ſimulacris ſuis.* *Vide libellum De feſtiu. Apoſt. Euſeb. l. 10. cap. 35. ex verſione Ruff. Pſal. 96.*

Item in Neocæſareâ ciuitate, natalis ſanctorum martyrum Mardonij, Muſonij, Eugenij, & Metelli, qui omnes igni traditi ſunt, & reliquiæ eorum in Axum fluuium diſperſæ.

D. VIII. KALENDAS FEBRVARII. 25. *Ian.*

CONVERSIO ſancti Pauli. *Act. 9. 22.*

Eodem die, natalis ſancti Ananiæ apud Damaſcum, qui beatum Paulum baptizauit.

Apud Gabalenſem ciuitatem, ſancti Seueriani Epiſcopi, mirandæ ſanctitatis & doctrinæ viri.

Item natalis ſancti Præiecti Aruernenſis Epiſcopi.

E. VII. KALENDAS FEBRVARII. 26. *Ian.*

APVD Smyrnam, natalis ſancti Polycarpi Epiſcopi, qui beati Ioannis Apoſtoli diſcipulus, & ab eo Smyrnæ Epiſcopus ordinatus, totius Aſię princeps fuit. *Vide libell. De feſtiuit. Apoſt.*

fuit. Poſteà verò regnante Marco Antonino, & Lucio Aurelio Commodo, quartà poſt Neronem perſecutione, Smyrnæ ſedente Proconſule, & vniuerſo populo in ſe acclamationibus incitato, primùm compellentibus & deprecantibus eum ſuis, ad vicinum locum ſemel & iterùm ſuccedit. Deinde comprehenſus ab inquiſitoribus, apponi eis menſam iubet, atque eis epulas largiùs miniſtrari. Horæ vnius ſpatio ab eis orationis gratiâ impetrato, inſtante horâ progreditur. Cúmque interrogaretur à Proconſule, ſi ipſe eſſet Polycarpus: ſe eſſe confitetur. Ergo, inquit, habeto ætatis tuæ reuerentiam, & parcens vltimæ ſenectuti tuæ, iura fortunam Cæſaris, gerens de prioribus pœnitudinem, & conclama ſacrilegos. Tunc Polycarpus, toruo vultu ad populum qui in ſtadio reſidebat, adſpiciens, eleuatâ ad cælum dexterâ, cum gemitu proclamauit, & dixit: Tolle ſacrilegos. Sed inſiſtente Proconſule, & dicente: Iura fortunam Cæſaris, & dic in Chriſtum conuicia, & ego dimitto te. Polycarpus ad hæc dixit: Octoginta & ſex annis ſeruio ei, & nihil me læſit vnquã, quomodo poſſum blaſphemare Regem meum, qui ſalutem mihi dedit? Cúmque rurſus vehementiùs vrgeretur, vt fortunam Cæſaris iuraret, ait: Si hanc iactantiam quæritis, vt ego fortunam Cæſaris iurem, & quis ſim ignorare te ſimulas, cum omni libertate audi à me, quia Chriſtianus ſum. Replebatur igitur confidentiâ ſimul & lætitiâ, ita vt alacritatem vultus eius, reſponſionúmque conſtantiam, Proconſul maximo ſtupore miraretur. Miſſo igitur curione ad populum, iubet voce magnâ proteſtari, Polycarpum tertiò confeſſum, Chriſtianum ſe eſſe. Quo audito, vniuerſa multitudo, tam Gentilium quàm Iudæorum Smyrnenſis ciuitatis, cum ingenti furore acclamabat: Hic eſt totius Aſiæ doctor, & pater Chriſtianorum: noſtrorum autem ſubuerſor deorum. Ipſe eſt qui multos docet ne immolent, néve adorent deos. Omnéſque pariter conclamabant, vt Polycarpus viuus arderet. Oportebat enim viſionẽ eius impleri. Viderat ſiquidem in viſione, quòd ceruical capitis ſui flammis conſumeretur. Quæ cùm dicto citiùs gererentur, ipſis populis ligna, vel de balneis, vel de publicis quibuſque locis, & ſarmenta congregantibus, præcipuè Iudæis ardentiùs ad hæc ex more feruentibus, cũ omni velocitate extructus eſt rogus. Tunc depoſitis ſenior indumentis, ac zonâ reſolutâ, calceamenta quoque de pedibus tentabat educere, quæ numquam niſi à religioſis quibuſque, fide & deuotione ſemetipſos inuicẽ præuenientibus, reſolui conſueuerant. Ita namq; in omni reliquâ vitâ ſuâ venerabiliter etiã ab omnibus colebatur. Vt ergo expedita ſunt quæ ad ignem pertinebant: cùm eum vellent rogo impoſitum, etiam clauis affigere, ait: Sinite me. qui enim dedit mihi ignis ferre ſupplicium, dabit vt & ſine clauorum affixione, flammas immobiliter perferam. Tunc illi omiſſis clauis, ſolis vſi ſunt vinculis: quibus poſt tergum manibus reuinctis, velut electus aries, & ex magno grege aſſumptus, acceptabile holocauſtum omnipotenti oblatus eſt Deo. Orationémque vt compleuit, ſubiiciunt ignem homines ignis æterni. Cúmque flamma ingens reluxiſſet, viderunt miracula omnes, quibus ea Deus videre conceſſit. Flamma etenim in modum cameræ, curuatâ ſpecie, quaſi velum nauis vento ſinuatum, ſupra corpus Martyris ſtetit. Quod corpus in medio poſitum non erat vt caro ardens, ſed tamquam ſi aurum aut argentum in fornace candeſceret. Tunc prætereà odorem naribus circumſtantes hauſerunt, tamquam incenſi, vel pretioſiſſimi vnguenti. Ad vltimum videntes ſcelerum miniſtri, corpus igni non poſſe conſumi, iuſſerunt propiùs accedere confectores, & corpus, cui ignis ceſſerat, mucrone transfodere. Quo facto, tam largus profuſus eſt ſanguis, vt reſtingueret rogum. Populus autem cum miraculi ſtupore diſceſſit. Sed æmulus totius boni, ſatis agere cœpit, vt reliquias eius nemo ad ſepulturam deferret: Iudæis in hoc maximè inſtantibus. Vbi autem vidit

Cen-

Centurio obſtinatam Iudæorum contentionem, poſitum in medio ipſum corpus exuſſit: & ita poſtmodum abuſta oſſa, pretioſiſſimis gemmis cariora, & omni auro probabiliora per ignem facta, à fratribus colliguntur, ac ſicut conueniebat, ex more conduntur. Quo in loco, præſtante Domino, ſolennes aguntur celebréſque conuentus. Cum eo etiam alij duodecim ex Philadelphiâ venientes, apud præfatam vrbem martyrio conſummati ſunt.

Eodem die, ſanctorum martyrum Theogenis cum aliis triginta ſex, qui contemnentes temporalem mortem, coronam vitæ æternæ adepti ſunt.

F. VI. KALENDAS FEBRVARII. 27 *Ian.*

NATALIS ſancti Ioannis Epiſcopi Conſtantinopolitani, qui Chryſoſtomus appellatur.

Item beati Marij Abbatis monaſterij Badonenſis: cuius vitam plenam virtutibus vir illuſtris ac Patricius Dynamius ſcribit.

Et apud Bethleëm Iudæ, dormitio S. Paulæ, matris Euſtochij virginis Chriſti. Quæ cùm eſſet ex nobiliſſimo ſenatorum genere, abrenuntians ſæculo, & opibus ſuis in pauperes erogatis, Chriſti conſecuta eſt paupertatem, & apud præfatum oppidulum Dominicâ natiuitate glorioſum, monaſterij virginalis extitit mater. Huius vitam virtutibus admirandam S. Hieronymus ſcribens, teſtatur eam longo coronatam eſſe martyrio. *Hier. ad Euſtoch. ep. 27.*

G. V. KALENDAS FEBRVARII. 28. *Ian.*

NATALIS ſanctæ Agnetis ſecundò.

Et in ciuitate Apolloniâ, Leucij, Thyrſi, & Calenici martyrum: qui tempore Decij Imperatoris, ſub præſidibus Combricio, Syluano, & Baudo, diuerſis tormentorum generibus excruciati; primus & vltimus abſciſione capitis, medius cæleſti voce euocatus, ſpiritum reddens, martyrium conſummauerunt in Græciâ.

Eodem die apud Alexandriam, beati Cyrilli Epiſcopi, qui Catholicæ fidei præclariſſimus extitit propugnator.

Item in monaſterio Reomanenſi, ſancti Ioannis presbyteri viri Dei.

A. IV. KALEND. FEBRVARII. 29. *Ian.*

ROMAE, natalis Papiæ & Mauri militum, tempore Diocletiani. Qui videntes conſtantiam Saturnini & Siſinnij martyrum, conuerſi ſunt ad fidem, ſtatimque iuſſum eſt à Laodicio præfecto Vrbis, vt eorum ora quibus Chriſtum confitebantur, lapidibus contunderentur, & retruderentur in carcerem, vbi baptizati erant à beato Marcello Papâ. Quos poſt duodecim dies eductos, iuſſit ſterni in terram, & fuſtibus cædi: dein leuatos de terrâ, plumbatis percuti donec expirarent. Quorum corpora colligens noctu Ioannes presbyter, ſepeliuit viâ Numentanâ ad Nymphas beati Petri, vbi ipſe baptizabat. Scriptum eſt in geſtis beati Marcelli Papæ. 16. *Ianuar.*

Eodem die Treuiris, depoſitio beati Valerij Epiſcopi, diſcipuli ſancti Petri Apoſtoli.

B. III. KAL. FEBRVARII. 30. *Ian.*

APVD Antiochiam, paſſio S. Hippolyti martyris, qui Nouati ſchiſmate aliquantulùm deceptus, operante gratiâ Chriſti correctus, ad charitatem Eccleſię rediit: pro quâ, & in quâ, illuſtre martyrium poſteà conſummauit.

Ieroſolymis, beatiſſimi Matthiæ Epiſcopi, de quo mira & plena fide geſta narrantur: qui multa pro Chriſto perpeſſus, vltimò in pace vitam finiuit. Hic octauus poſt Iacobum rexit Eccleſiam. *Euſeb. li. 4. cap. 5.*

Item beati Alexandri. Hic Decianâ perſecutione, pro confeſſione fidei, iudiciis ſiſtitur, & vinculis carceris traditur. Quique cùm longæuæ ætatis venerandâ cani-

canitie præfulgeret, poſtquàm frequenter paſſionibus ſuis & cruciatibus glorificauerat Dominum, de vinculis ad tribunalia, & à tribunalibus reuocaretur ad vincula, inter ipſa viciſſim ſibi ſuccedentia tormenta, bono fine quieuit.

*31. Ian.* C. PRIDIE KALENDAS FEBRVARII.

APVD Alexandriam, natalis ſancti Metrani martyris; quem pagani correptum, iubent impia verba proferre: quod illo recuſante, omne corpus eius fuſtibus colliſerunt, vultúmque & oculos acutis calamis terebrantes, extra vrbem cum cruciatibus expulerunt, ibíque quod in eo ſupererat ſpiritus, lapidibus eiecerunt.

Item ſanctorum Saturnini, Thyrſi & Victoris.

Eodem die apud Trientinam vrbem, beati Vigilij Epiſcopi & martyris.

## LITANIÆ INDICENDÆ.

## MENSIS FEBRVARIVS

## habet dies XXVIII. in Biſſextili verò XXIX. Luna XXIX.

*1. Febr.* D. KALENDIS FEBRVARII.

APVD Smyrnam, natalis ſancti Pionij martyris, qui perſecutione Antonini Veri, poſt inſuperabilem reſponſionum conſtantiam, & ſqualorem carceris, vbi multos fratrum ad martyrij tolerantiam ſuis exhortationibus roborauit, ad vltimum cruciatibus multis vexatus, clauis confixus, & ardenti rogo ſuperpoſitus, beatum pro Chriſto finem vitæ ſortitus eſt. Paſſi ſunt cum eo & alij quindecim.

Eodem die B. Ephræm, Edeſſenæ eccleſiæ diaconi.

*Vide libell. De feſtiuit. Apoſt.* Eodem die apud Antiochiam B. Ignatij Epiſcopi & martyris.

Item apud Scotiam, S. Brigidæ virginis, cuius vita miraculis claruit. Quæ cùm lignum altaris in teſtimonium virginitatis ſuæ tetigiſſet, viride factum eſt.

Eodem die, ſancti Pauli Epiſcopi ciuitatis Trecaſſinę, cuius & vita virtutibus claruit, & mors pretioſa miraculis commendatur.

*2. Febr.* E. IIII. NONAS FEBRVARII.

HYpapante Domini.

*Act. 10.* Apud Cæſaream, beatiſſimi Cornelij centurionis, quem beatus Petrus baptizauit; quiq; apud præfatam vrbem, Epiſcopi honore ſublimatus, quieuit.

*De eo in vitá S. Marcelli, 16. Ianuarij.* Eodem die Romæ, ſancti Aproniani martyris. Qui ſub perſecutione Maximiani Imperatoris cùm præſentaſſet adſpectibus Laodicij præfecti beatum Siſinnium diaconum eductum de carcere, (erat enim Commentarienſis) & ſubitò factam lucem de cælo vidiſſet, vocémque pariter hauſiſſet, tremefactus cecidit ad pedes Siſinnij, dicens: Adiuro te per Chriſtum, quem confiteris, ne tardes me baptizare, faciáſque me pertingere tecum ad coronam. Quem beatus Siſinnius baptizatum ad conſignandum ſacro chriſmate Marcello Papæ obtulit. Quo Præſes comperto, iuſſit eum capitalem ſubire ſententiam. Perductus itaque viâ Salariâ, miliario ſecundo, capite truncatus, martyr victórque deceſſit.

*3. Febr.* F. III. NONAS FEBRVARII.

IN Africâ, beati Celerini diaconi & confeſſoris. Et ſanctorum martyrum Celerinæ auiæ eius, & Laurentini, & Ignatij. Quorum prior patruus, ſequens auun-

auunculus ipſius fuit. De quorum omnium glorioſis laudibus extat beati Cypriani epiſtola, quæ de his inter cetera ita loquitur: *Auia, inquit, eius Celerina martyrio coronata eſt. Item patruus eius & auunculus Laurentinus & Ignatius, in caſtris & ipſi quondam ſecularibus militantes; ſed veri & ſpirituales Dei milites, dum diabolum Chriſti confeſſione proſternunt, palmas Domini & coronas illuſtri paſſione meruerunt. Sacrificia pro eis ſemper (vt meminiſtis) offerimus, quoties Martyrum paſſiones & dies anniuerſariâ celebratione commemoramus*, &c. *Non inuenio quem beatiorem magis dicam, vtrúmne illos de poſteritate tam clarâ, an hunc de origine glorioſâ.* *Cyp. ep. 34.*

## G. PRIDIE NONAS FEBRVARII. *4. Febr.*

IN ciuitate Ægypti, quæ appellatur Thmuis, paſſio beati Phileæ, eiuſdem vrbis Epiſcopi, & Philoromi Tribuni militum Romanorum: cum quibus etiam innumera fidelium multitudo ex eadem vrbe, paſtoris ſui veſtigia ſequens perſecutione Diocletiani, martyrio coronata eſt. Sedente namque pro tribunalibus ſæuiſſimo Præſide, offeruntur innumeri fidelium populi. Quos ille ſingulos per ordinem confeſſos ſe Chriſtianos, capite plecti iubet: cumque certatim ſe & ſponte confeſſione præmiſſâ, gladio ſubijcerent, ille inhumanus & crudus, nec multitudinis contemplatione, nec virtutis eorum magnanimitate permotus, duci nihilominùs omnes & cædi capite iubet. Verùm hi cōſtanter & fortiter cum lætitiâ & exultatione mortem præſentem velut æternæ vitæ principia rapiebant. Denique cùm priores quique iugularentur, reliqui non deſidiæ, aut torpori animos indulgebant, ſed pſallentes & hymnos Deo canentes, locum quiſque ſui martyrij expectabat, vt hæc agentes, etiam extremos ſpiritus in Dei laudibus exhalarent. O verè mirabilis & omni veneratione dignus grex ille beatorum, turma virorum fortium, corona ſplendoris gloriæ Chriſti. Hanc ſanè coronam, pretioſior omnium lapis, & gemma nobilior adornabat; hanc turmam præibat ductor illuſtrior, hunc gregem paſtor nobilior decorabat: Phileas huic nomen eſt, qui erat Epiſcopus vrbis ipſius. Hic nobilitatem primi generis, ſecundùm animi virtutem de cæleſtibus trahebat: de terrenis verò, quantum ad ſæculum pertinet, primis in Romanâ Republicâ honoribus functus. Eruditione quoque liberalium litterarum, & omnibus quæ ad animi virtutem pertinent exercitiis, apprimè eruditus. Hic cùm plurimos propinquos & conſanguineos nobiles viros in eadem vrbe haberet, frequenter ad Præſidem ducebatur: eiuſque monitis acquieſcere, tot & tantis propinquis exorantibus, reſpectum habere vxoris, & contemplationem ſuadebatur ſuſcipere liberorum, neque in cœptâ præſumptione perſiſtere. Aſt ille velut ſi ſaxum immobile vndâ allideretur, garrientium dicta reſpuere, animos ad cælum tendere, Deum in oculis habere, parentes & propinquos ſanctos Martyres & Apoſtolos ducere. Aderat tunc quidam vir agens turmam militum Romanorum, Philoromus nomine, qui cùm videret Phileam circumdatum lacrymis propinquorum, & Præſidis calliditate fatigari, nec tamen flecti aut infringi vllatenus poſſe, exclamat: Quid inaniter & ſuperfluè conſtantiam viri tentatis? Quid eum, qui fidem Deo ſeruat, infidelem vultis efficere? Quid eum cogitis negare Deum, vt hominibus acquieſcat? Non videtis, quòd aures eius veſtra verba non audiunt, quòd oculi eius veſtras lacrymas non vident? Quomodo poteſt terrenis lacrymis flecti, cuius oculi cæleſtem gloriam contuentur? Poſt hæc dicta, cunctorum ira in Philoromum verſa; vnam eamdemque ſententiam, eum cum Phileâ ſubire poſcunt. Quibus libenter annuens Iudex, vtrumque plecti capite iubet. Paſſi ſunt hi beati Martyres ſub perſecutione * Diocletiani.

*Euſeb. l. 8. cap. 9. 10. ex verſione Ruffin. qui plurima inſeruit.*

* *Malè in MS. erat Decianâ.*

F A NO-

A. NONIS FEBRVARII.

5. *Febr.* IN Siciliâ ciuitate Catanenſium, paſſio ſanctæ Agathæ virginis, ſub Imperatore Decio, Proconſule Quinctiano, quæ poſt alapas & carcerem, poſt eculeum & tortiones, poſt mamillarum abſciſſionem, ſed à Domino ſanationem, poſt volutationem in teſtulis & carbonibus, tandem in carcere cõſummata eſt.

*Vide libell. de feſtiuit. Apoſtol.*

Viennæ, B. Auiti Epiſcopi, cuius fide & induſtriâ, atque admirabili doctrinâ, tẽpore Gundobaldi Regis, ab infeſtatione Arianæ hæreſeos Galliæ defenſę ſunt.

B. VIII. IDVS FEBRVARII.

6. *Febr.* APVD Cæſaream Cappadociæ, natalis ſanctæ Dorotheæ virginis, quæ ſub *Apricio, prouinciæ ipſius Præſide, primùm eculei extenſione vexata, dein palmis diutiſſimè cæſa, ad vltimum capitali ſententiâ punita eſt. Cumque egrediens de prætorio duceretur ad mortem, Theophilus quidã ſcholaſticus ait ad eam: Eia tu ſponſa Chriſti, mitte mihi mala de paradiſo ſponſi tui. Quæ ſtatim promiſit ſe eſſe miſſuram. Vbi ergo ventum eſt ad locum in quo iugulanda erat, paulìſper oratione factâ, protulit orarium ſuum; & vocato ad ſe quodam puerulo annorum ſex, miſit Theophilo, dicens: Dic ei, Dorothea ancilla Dei mittit tibi mala de paradiſo ſponſi ſui Chriſti. Accipiens ille, & gratias agens quòd petitionem eius impleſſet, cœpit ſibi faciem tergere, tantaque repentè ſuauitate perfuſus eſt, ità vt totâ mente mutatus, cum grandi exultatione & clarâ voce ſæpiùs replicaret: Benedictum nomen Dñi mei Ieſu Chriſti. Ob quam confeſſionẽ mox & ipſe tentus, ac ſuſpenſus in eculeo, tantâ crudelitate tortus eſt, vt omnes circũſtantes horreſcerent: nouiſſimè cęſo capite martyriũ conſummauit.

**al. Sapricio.*

Eodem die, natalis S. Antholiani, qui apud vrbem Aruernam martyrio coronatus eſt.

C. VII. IDVS FEBRVARII.

7. *Febr.* IN Britanniis ciuitate Auguſtâ, natalis ſancti Auguli Epiſcopi & martyris.

Item S. Moyſetis venerabilis Epiſcopi, qui primò quidem in eremo vitam ſolitariam ducens, meritis ac virtutibus & ſignis, quæ faciebat per illum Deus, magnificè innotuerat. Qui poſtmodum petente Mauiâ Saracenorum Reginâ, epiſcopus gentis illius factus, fidei Catholicæ cuſtodiuit intemerata conſortia, & gentem cui datus fuerat Epiſcopus, ex grandi parte ad fidem Chriſti conuertit. Sicque perfectus in virtutibus, in pace quieuit.

*Ruff. lib. 2. cap. 6.*

D. VI. IDVS FEBRVARII.

8. *Febr.* APVD Armeniam minorem, natalis SS. Dionyſij, Æmiliani & Sebaſtiani.

Eodem die, apud Alexandriam, natalis ſanctæ Cointhæ martyris. Hanc pagani correptam ad idola perducentes, adorare cogebant. Quæ cùm illa execrans recuſaret, vincula pedibus eius innectentes, & per plateas totius ciuitatis eam trahentes, horrendo ſupplicio diſcerpſerunt.

*Euſeb. l. 6. cap. 34. vel 31. ex verſione Ruffin.*

E. V. IDVS FEBRVARII.

9. *Febr.* ALEXANDRIAE, ſanctæ Apolloniæ virginis; cui perſecutores, omnes primùm dentes excuſſerunt: deinde cùm minarentur, conſtructo ac ſuccenſo rogo, eam ſe viuam incenſuros, niſi cum eis impia verba proferret; illa paululùm, quid ageret, intra ſemetipſam deliberans, repentè de manibus impiorum prorupit, & in ignem quem minabantur, ſponte proſiliuit.

*Euſeb. l. 6. cap. 34. vel 31. ex verſione Ruffi.*

F. IV. IDVS FEBRVARII.

10. *Febr.* ROMAE, natalis SS. martyrum Zotici, Irenæi, Hyacinthi & Amantij.

Eodem die in Oriente, ſanctæ Soteris virginis, quæ grauiter & diutiſſimè alapis cæſa, cùm cetera quoque pœnarum genera viciſſet, gladio martyrium conſummauit.

Item Romæ viâ Lauicanâ, decem Militum.

G. III. IDVS FEBRVARII. 11. Feb.

APVD Viennam, ſancti Simplidis Epiſcopi & confeſſoris.
Item apud Alexandriam, depoſitio ſanctæ Euphraſiæ virginis, quæ in monaſterio mirâ virtute abſtinentiæ & miraculis claruit.

A. PRIDIE IDVS FEBRVARII. 12. Febr.

IN Hiſpaniis, ciuitate Barcinonâ, natalis S. Eulaliæ virginis & martyris, quæ paſſa eſt tempore Diocletiani Imperatoris, ſub præfecto Hiſpaniarum Daciano, quando ſub eodem, apud Barcinonam ſanctum Cucuphatum, & apud Gerundam ſanctum Felicem, glorioſas conſtat martyrij accepiſſe coronas. Scriptum in paſſione S. Leocadiæ. 9. Decembris.
In Africâ, paſſio ſancti Damiani militis.
Et in Alexandriâ, Modeſti & Ammonij infantum.

B. IDIBVS FEBRVARII. 13. Febr.

NATALIS S. Agabi prophetæ in nouo Teſtamento, apud Antiochiam: de quo beatus Lucas in Apoſtolicis Actibus ita dicit: *Conuerſantibus nobis Antiochiæ, ſurgens vnus ex Prophetis nomine Agabus, ſignificabat per ſpiritum, famem magnam futuram in vniuerſo orbe terrarum, quæ facta eſt ſub Claudio Cæſare.* Act. 11. Et iterùm, cùm B. Paulus Ieroſolymam Pentecoſten facturus pergeret, iamque Cæſaream veniſſet: *Commorantibus*, inquit, *nobis in Cæſareâ per dies aliquot, ſuperuenit quidam vir à Iudæâ propheta, nomine Agabus, & venit ad nos, & tollens zonam Pauli, ligans ſibi manus & pedes, dixit: Hæc dicit Spiritus ſanctus: Virum hunc cuius eſt hæc zona, ſic alligabunt eum in Jeruſalem Iudæi, & tradent in manus nationum.* Act. 21.
Item in Melitenâ ciuitate Armeniæ, natalis ſancti Polyeucti martyris, qui Latinè interpretatur Multùm orans.

C. XVI. KALENDAS MARTII. 14. Febr.

ROMAE, natalis ſancti Valentini presbyteri, qui poſt multa ſanitatum & doctrinæ inſignia, fuſtibus cæſus, & ſic decollatus eſt, ſub Claudio Cæſare.
Eodem die, natalis ſancti Valentini Interamnenſis Epiſcopi, qui tentus à paganis, ac virgis cæſus, & poſt diuturnam cædem, cuſtodiæ mancipatus, cùm ſuperari non poſſet, mediæ noctis ſilentio eiectus de carcere, decollatus eſt iuſſu furioſi Placidi, Vrbis præfecti. Tunc Proculus, Ephybus & Apollonius diſcipuli eius, transferentes corpus eius ad ſuam eccleſiam Interamnæ vrbis, noctu ſepelierunt. Vbi cùm quotidianis vigiliis incubarent, tenti à gentilibus cuſtodiæ ſunt traditi, conſulate Leontio: quos ille iuſſit noctis medio ſuis tribunalibus præſentati: & cùm à fide reuocari nec blandimentis nec minis poſſent, iuſſit capite cædi. Qui non longè ſunt à corpore S. Valentini ſepulti.
Item apud Alexandriam, natalis ſanctorum martyrum Baſſi, Antonij, Protolici, qui in mare merſi ſunt.
Item Cyrionis presbyteri, Moyſeos, Baſſiani lectoris, & Agathonis exorciſtæ, qui omnes igne combuſti ſunt.
Item Dionyſij & Ammonij, decollatorum.
Eodem die Romæ, ſanctorum martyrum Vitalis, Feliculæ, & Zenonis.

D. XV. KALENDAS MARTII. 15. Febr.

ROMAE, ſancti Cratonis martyris, qui cùm haberet filium Chæremon nomine, ſcholaſticum, qui inciderat in ægritudinem grauiſſimam, eumque beato Valentino Epiſcopo ad ſanandum obtuliſſet, ſub tali conditione, vt ſi puer ſanaretur, ipſe cum omni domo ſuâ fieret Chriſtianus: ſanato pueto, quod promiſerat impleuit, atque cum vxore & vniuerſâ domo baptizatus, non multis pòſt diebus, martyrio eſt conſummatus. Dicta in geſtis Valẽtini Interam. 14. Febr.
Et apud Sebaſten ciuitatem, paſſio S.* Blaſij Epiſcopi: qui multorum patrator * MS. Blaſij.

miraculorum, ſub præſide Agricolao, poſt diutinam cæſionem, poſt carcerem, atque inde ſuſpenſionem in ligno, vbi * pectinibus ferreis carnes eius diſruptæ ſunt, poſt iterùm teterrimum carcerē, poſt demerſionem laci, vnde ſuperuadens ſaluus exiuit, iubente iniquiſſimo Iudice, capite ad extremum cum duobus pueris truncatur, felicia regna ita cum ipſis ingreſſus. Ipſo autem adhuc agonizante, ſeptem mulieres beatiſſimæ, quæ guttas ſanguinis eius præterfluentes de beatiſſimis plagis corporis ipſius colligebant, deprehenſæ quòd eſſent Chriſtianæ, poſt caminum ignis vbi plumbo ſuperfuſæ ſunt, poſt pectines ferreos, quibus carnes earum diruptæ, poſt æreas tunicas excandentes, nouiſſimè ſententiâ datâ, percuſſæ gladio, datoque pretio ſanguinis, vitam mercantur æternam.

* MS. pectinis

In Galliis, ciuitate * Vaſionenſi, depoſitio ſancti Quinidij Epiſcopi, cuius mortem in conſpectu Domini pretioſam miracula crebra teſtantur.

* al. VVangionenſi,

16. Febr.

E. XIIII. KALENDAS MARTII.

Vide libellū de feſtiuit. Apoſt.

NATALE ſancti Oneſimi Apoſtoli.

Et in Cumis, natale S. Iulianæ virginis, quæ tēpore Maximiani Imperatoris, primò à ſuo patre Africano cæſa, & grauiter cruciata, deinde & à præfecto * Eolaſio, quem ſponſum habuerat, nuda virgis cæſa, & à capillis ſuſpenſa, & plumbo ſoluto, à capite perfuſa, ac rurſum in carcerem recepta, vbi palàm cum diabolo conflixit: & rurſus euocata, rotarum tormenta, flammas ignium, ollam feruentem ſuperauit, ac decollatione capitis martyrium conſummauit. Quæ paſſa eſt quidem in Nicomediâ, ſed poſt paucum tempus Deo diſponente, in Campaniam tranſlata.

* Eleuſio,

Eodem die apud Ægyptum, Iuliani, cum aliis, numero quinque millibus.

17. Febr.

F. XIII. KALENDAS MARTII.

IN Perſide, natalis beati Polychronij, Babyloniæ & Creſiphontis Epiſcopi, qui præſente Decio perſecutore, os lapidibus cæſus, manibus extenſis, oculos ad cælum eleuans, emiſit ſpiritum. Scriptum in paſſione ſancti Laurentij.

10. Auguſt.

18. Febr.

G. XII. KALENDAS MARTII.

Vide lib. de feſtiuit. Apoſt. in quo 2. Maij. De his in geſtis Suſanna 11. Auguſt.

IEroſolymis, beati Simeonis Epiſcopi & martyris, qui traditur propinquus Saluatoris ſecundùm carnem fuiſſe.

Eodem die ſanctorū martyrum Claudij & vxoris eius Præpedignæ, ac filiorum Alexandri & Cutiæ, & fratris Claudij beati Maximi: qui cùm eſſent præclatiſſimi generis, agente fratre eorum Gabinio presbytero, baptizati ſunt à beato Caio Pontifice Romano, & poſtmodùm tenti ſunt iubente Diocletiano, à iudice impio Iulio. Et Claudius quidem, cum vxore ſuâ & filiis, deportatus eſt in exilium: deinde incendio concremati, odoriferum ſacrificium martyrij Deo reddiderunt, ac ſic poſtmodum apud Oſtiam in rheuma iactati: quorum reliquias Chriſtiani perquiſitas, iuxta ciuitatem ſepelierunt.

19. Febr.

A. XI. KALENDAS MARTII.

De hoc in vitâ Suſanne 11. Auguſt.

ROMAE, S. Gabinij presbyteri, patris beatiſſimæ Suſannæ, qui à Diocletiano diu in cuſtodiâ vinculis afflictus, pretioſâ morte cæli gaudia comparauit.

20. Febr.

B. X. KALENDAS MARTII.

APVD Tyrum, quæ eſt vrbs maxima Phœnicis, beatorum Martyrum, quorum numerum ſolius Dei ſcientia colligit: quos, iubente Diocletiano, Veturius magiſter militiæ diuerſis tormentorū generibus ſibi inuicem ſuccedentibus occidit. Primò flagris per omne corpus martyres Dei carpebantur, pòſt hæc tradebantur ad beſtias: adhibebantur leones, vrſi, pardi, atque omne ferarū genus: apri quoque, ſed & tauri, quibus ferro & igni feritas addebatur. Statuuntur denique Dei cultores, nudatis membris, in medio arenæ loco, & beſtiæ intra caueas incitatæ, ſæuioreſque in ſemetipſis effectæ, proruunt clauſtris, replent

Euſeb. l. 8. c. 7. ex verſione Ruff.

ſubitò

ſubitò ſtadium, circumdant eccleſiam martyrum in medio ſitam: circumeunt ſæpiùs, & obluſtrant; ac diuinæ virtutis adeſſe eis cuſtodiam ſentientes, procul ab eorum corporibus abſcedunt. Sed ilicò furor, qui reprimebatur in belluis, tranſit in homines: gladiis ergo peragunt quod beſtiis nequiuerunt, & vt in omnibus oſtenderent ſe belluis eſſe nequiores, prohibebant etiam cadauera mandari terræ, ſed iubebant fluctibus dari. Horum glorioſiſſimam multitudinem, cœlíque exercitum, ducebant & incitabant ad victoriam, beatiſſimi Tyrannio Epiſcopus & Syluanus Epiſcopus, qui paruo tempore interpoſito, beſtiarum morſibus martyrium compleuit: & Peleus atque Nilus Epiſcopi, qui igne cum plurimis clericis conſumpti ſunt: Zenobius quoque venerabilis presbyter capite cæſus. *Euſeb. l. 8. c. 22. & 23.*

Item in Alemaniâ beati Galli Abbatis, miræ ſanctitatis viri, diſcipuli ſancti Columbani Abbatis.

C. IX. KALENDAS MARTII. *21. Febr.*

APVD Siciliam, ſanctorum Martyrum ſeptuaginta nouem, qui ſub Diocletiano per diuerſa tormenta, confeſſionis ſuæ coronam, à Chriſto ſibi paratam, percipere meruerunt.

D. VIII. KALENDAS MARTII. *22. Febr.*

APVD Antiochiam Cathedra ſancti Petri.

Eodem die apud Alexandriam, S. Abilij Epiſcopi, qui poſt beatum Marcum ſecundus Epiſcopus, tredecim annos ſacerdotium miniſtrauit.

Apud Hierapolim, ſancti Papiæ Epiſcopi, auditoris S. Ioannis Apoſtoli.

Item beati Ariſtionis, qui fuit vnus de ſeptuagintaduobus Chriſti diſcipulis.

Viennæ, ſancti Paſchaſij confeſſoris atque pontificis, admirandæ ſanctitatis.

E. VII. KALENDAS MARTII. *23. Febr.*

APVD Sirmium, beati * Syreni monachi, qui cùm tempore Maximiani Imperatoris, vnius ex domeſticis eius vxorem, horâ incongruâ in horto, quem ipſe ſibi excolebat, deambulantem, acriùs increpando repuliſſet; iubente Maximiano tentus, & Chriſtianum ſe eſſe confeſſus, capite cæſus eſt. **al. Syneri*

Item aliorum ſexagintaduorum, qui ibidem paſſi ſunt.

Ipſo die, ſancti Polycarpi presbyteri & confeſſoris, qui cum beato Sebaſtiano plurimos ad fidem Chriſti conuertit, atque ad martyrij gloriam exhortando perduxit. *De hoc in geſtis ſancti Sebaſtiani, 20. Ian.*

F. VI. KALENDAS MARTII. *24. Febr.*

NATALIS ſancti Matthiæ Apoſtoli. *Vide libell. de feſtiuit. Apoſt.*

Et inuentio capitis Præcurſoris, tempore Martiani Principis, quando iſdem Præcurſor duobus monachis, vbi idem caput eius celatum iaceret, reuelauit. Conſtat autem quia imminente feſtiuitate Paſchali fuerit, ſicut in Euangelio apparet, decollatus: & anno poſt hunc ſequente cùm denuò tempus Paſchale rediiſſet, myſterium Dominicæ paſſionis eſſe completum. Et propterea quòd in libro Sacramentorum natale iiij. Kalendarum Septembrium die notatum eſt, & in Martyrologio, quod Euſebij & Hieronymi vocabulis inſignitum eſt, legitur: *Quarto Kalendas Septembris in Emeſá ciuitate Phœniciæ prouinciæ, natale ſancti Ioannis Baptiſtæ, quo die decollatus*: non ſpecialiter ipſum diem decollationis eius, ſed diem potiùs, quo caput eius in eadem Emeſâ ciuitate repertum, atque in eccleſiâ conditum, deſignat. Siquidem duo monachi Orientales venerant adorare Ieroſolymis, & loca ſancta videre. Quibus per reuelationem aſſiſtens idem Præcurſor Domini, præcepit, vt ad Herodis quondam Regis habitaculum accedentes, caput ſuum ibi requirerent, & inuentum digno honore reconderent. Quod ab eis inuentum *Vide infrà 29. Aug.*

inuentum & aſſumptum, ſed non multò pòſt culpâ incuriæ perditum, perlatum eſt Emeſam ab illis, & in quodam ſpecu, in vrnâ ſub terrâ non pauco tempore ignobiliter reconditum: donec denuò ſeſe ſuúmque caput oſtendit Marcello cuidam religioſo presbytero, dum in eodem ſpecu habitaret. Ex quo tempore cœpit in eadem ciuitate beati Præcurſoris decollatio ipſo die, quo caput eius inuentum ſiue eleuatum eſt, celebrari.

Item apud Cæſaream Cappadociæ, natalis beati Sergij martyris, cuius geſta præclariſſima habentur.

25. Feb. G. V. KALENDAS MARTII.

APVD Ægyptum, natale ſanctorum Victorini, Victoris, Nicophori, Claudiani, Dioſcori, Serapionis, & Papiæ, ſub Numeriano Imperatore, agente Sabino duce. Quorum primus in pilam ex robore cauam, & vndique circumforatam miſſus, ac per ſingula foramina diutiſſimè tranſpunctus eſt: cúmque nimius ſanguis efflueret, eductus è pilâ, capite cæſus eſt. Secundus manibus ac pedibus amputatis, in eamdem pilam miſſus, prioris tormenta ſuſtinuit, & nouiſſimè gladio cæſus eſt. Tertius cùm vltrò in pilam fuiſſet ingreſſus, indignatus Iudex iuſſit eum inde produci, & ſuper craticulam prunis ſubſtratam aliquantiſper aſſari & inuerti: cumque in confeſſione perſiſteret, ſublatus inde, minutatim gladio conciſus, ſpiritum reddidit. Reliquorum quatuor, Claudianus & Dioſcorus flammis incenſi, Serapion & Papias gladio conſummati ſunt.

26. Feb. A. IV. KALENDAS MARTII.

IN ciuitate Perge Pamphiliæ, natale beati Neſtoris Epiſcopi: qui perſecutione Decij, cùm diu noctuque orationi inſiſteret, poſtulans vt grex Chriſti cuſtodiretur; comprehenſus à quodam Irenarcho, qui erat princeps curiæ ciuitatis, velut aries ſine malitiâ oblatus eſt præſidi Pollioni. Et cùm nomen Chriſti mirâ libertate & alacritate confiteretur, deos autem Gentium dæmonia peſſima eſſe memoraret, iuſſus ab eodem Præſide ſuſpendi in eculeo, & crudeliſſimè
Pſal. 33. torqueri, lætus pſallebat, dicens: *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo*. Præſes verò ſtupens ſuper tantâ tolerantiâ, & volens eum blandis verbis à fide reuocare, dixit ei: Vis eſſe nobiſcum, aut cum Chriſto tuo? Cui ſanctus Neſtor cum magno gaudio reſpondit, dicens: Cum Chriſto meo & eram, & ſum, & ero. Tunc indignatus Præſes dedit aduerſus eum ſententiam, vt quia Ieſum crucifixum ſub Pontio Pilato fateretur, tamquam deuotus Deo ſuo, illius ſubiret ſententiam, & ligno crucifixus reſolueretur à vitâ. Ille gratias agens Deo, cùm iam affixus eſſet patibulo, docebat aſſiſtentem populum Chriſtianum, vt perſiſterent in fide & charitate Chriſti, & libentiſſimè compaterentur, vt & ſimul glorificarentur. Poſt hæc petens omnem adſtantem turbam fidelium, vt genua flectentes orarent cum ipſo: cùm compleſſet orationem, & dixiſſent omnes, Amen, reddidit ſpiritum. Conſummauit autem martyrium quintâ ſabbati, horâ tertiâ.

Euſeb. l. 10. cap. 1. & Rufin. l. 1. cap. 1. Eodem die, beati Alexandri, Alexandrinæ ciuitatis Epiſcopi, glorioſi ſenis, qui poſt beatum Petrum, Arium presbyterum ſuum, hereticâ impietate deprauatum, & diuinâ veritate reconuictum, de Eccleſiâ eiecit: & poſteà inter trecentos decem & octo Patres, eumdem in Niceno Concilio damnauit.

27. Feb. B. III. KALENDAS MARTII.

De eo Greg. in præfat. Moralium. APVD Hiſpaniam, ciuitate Hiſpali, ſancti Leandri Epiſcopi & cõfeſſoris: ad quem beatus Gregorius libros Moralium ſcribit: cuius prædicatione & induſtriâ, tota Gothorum gens per Reccaredum Regem ab Arianâ impietate conuerſa eſt. Qui etiam fratrem eius Erminigildum Regem, viuente adhuc patre hæretico, ab eâdem Arianâ hæreſi ad Catholicam fidem correxit: atque vſque

ad

ad glorioſam martyrij paſſionem ſuis exhortationibus perduxit.

Item eodem die in Alexandriâ, natalis ſancti Iuliani martyris, qui cùm ita podagrâ conſtrictus eſſet, vt neque incedere neque ſtare poſſet, cum his, qui eum in ſellulâ portabant, Iudici offertur: quorum vnus quidem ſtatim negauit, alter nomine Eunus, cum Iuliano ſene in Domini confeſſione perdurat: quíque iubentur camelis impoſiti, per totam circumduci vrbem, & flagris, hinc inde inſpectante populo, laniari, vſquequò finem ipſis verberibus ſortirentur. *Euſeb. l. 6. cap. 34.*

Item apud Lugdunum, ſancti Baldemeris, viri Dei, cuius ſepulchrum crebris miraculis illuſtratur.

C. PRIDIE KALENDAS MARTII. *28. Febr.*

IN territorio Lugdunenſi locis Iurenſibus, beati Romani Abbatis, qui primus illic vitam eremiticam duxit, & multis virtutibus ac miraculis clarus, plurimorum poſteà pater extitit monachorum. Venerabile corpus eius ſitum eſt in finibus Veſuntionum.

## LITANIÆ INDICENDÆ.

# MENSIS MARTIVS

## habet dies XXXI. Luna XXX.

D. KALENDIS MARTII. *1. Mart.*

ROMAE ſanctorum Martyrum ducentorum ſexaginta, temporibus Claudij, qui viâ Salariâ arenam fodientes, damnati fuerant pro Chriſti nomine; quos iuſſit Claudius vt in figlinâ foris muros portæ Salariæ mitterentur, & eo loco incluſi, in ciuitatis amphitheatro militum ſagittis interficerentur. *De his in vitâ S. Valent. presb. 14. Febr.*

E. VI. NONAS MARTII. *2. Mart.*

ROMAE viâ Latinâ, ſanctorum martyrum Iouini & Baſilei, qui paſſi ſunt ſub Gallieno & Valeriano Imperatoribus.

Eodem die, Martyrum plurimorum, ſub Alexandro Imperatore paſſorum, quos diu cruciatos, impius Alexander capitali ſententiâ in extremo damnauit.

F. V. NONAS MARTII. *3. Mart.*

NATALIS ſanctorum martyrum Emitetij & Cheledonij, qui primùm apud Legionenſem Gallæciæ ciuitatem milites, exurgente perſecutionis procellâ, pro confeſſione nominis Chriſti plurimis afflicti tormentis, Calagurrim vſque perducti, atque ibi martyriò coronati ſunt. Cúmque eorum capita lictor incideret, miraculum populis magnum apparuit. Nam vnius annulus, orariumque alterius nube ſuſceptum, & in cælos euectum eſt. Viderunt hæc omnes qui aderant, & vſquequò acies oculorum intendere potuit, fulgorem auri, candoremque lintei, attonito ſequebantur intuitu. Scribit hæc Aurelius Clemens in libro Coronarum. *Prud. hym. no 1.*

Apud Cæſaream Palæſtinæ, ſanctorum martyrum, Marini militis, & Aſterij Senatoris, ſub perſecutione Valeriani: quorum prior, cùm accuſatus fuiſſet à commilitonibus, quòd Chriſtianus eſſet, & interrogarus à Iudice, Chriſtianum ſe eſſe clariſſimâ voce teſtaretur, tres illi horæ ad deliberandum indultæ ſunt. Cumque à tribunalibus fuiſſet egreſſus, à beato Theotecno, eiuſdem vrbis Epiſcopo, plurimùm in fide confortatus, repetens continuò tribunal Iudicis confidentiſſimè reſpondit: *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus*. Ilicò martyrij coronam capitis abſciſſione ſuſcepit. Cumque præfatus Aſterius *Act. 5.*

 capite

capite truncatum martyris corpus ſubiectis humeris & ſubſtratâ veſte, quâ induebatur, exciperet, honorem quem martyri detulit, continuò ipſe martyr accepit. Scriptum in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ libro ſeptimo. *Euſeb. l. 7. cap. 14.*

*4. Mart.* G. IIII. NONAS MARTII.

NATALIS ſancti Lucij Papæ & martyris, qui perſecutione Valeriani & Gallieni, ob fidem Chriſti exilio relegatus, & poſtmodum diuino nutu ad Eccleſiam ſuam redire permiſſus, martyrium capitis obtruncatione compleuit. Poſitus eſt autem viâ Appiâ ad ſanctum Sixtum. Hic præcepit, vt duo presbyteri & tres diaconi in omni loco Epiſcopum non desererent, propter teſtimonium eccleſiaſticum. Sedit autem in Epiſcopatu annos tres, menſes tres, atque dies tres. *Pontificale cap. 23.*

Item Romæ viâ Appiâ, ſanctorum Martyrum DCCCC. qui poſiti ſunt in cœmeterio ad ſanctam Cæciliam.

Eodem die ſancti Caij Palatini, in mare merſi.

*5. Mart.* A. III. NONAS MARTII.

APVD Antiochiam, paſſio ſancti Phocæ martyris: qui poſt multas, quas pro nomine Redemptoris eſt paſſus iniurias, qualiter de antiquo illo ſerpente triumphauerit, hodiéque populis declaratur. Denique ſi in quempiam in his locis coluber morſum ſtringens, venena diffuderit, extemplò qui percuſſus eſt, vt ianuam baſilicæ Martyris credens attigerit, euacuatâ virtute veneni, ſaluatur. *Greg. Tur. de gloriâ Mart. c. 99*

Item ipſo die, ſancti Euſebij Palatini, & aliorum nouem Martyrum.

*6. Mart.* B. PRIDIE NONAS MARTII.

NICOMEDIAE, natalis ſanctorum Victoris & Victorini, qui per triennium cum Claudiano, & Baſſâ vxore eius, tormentis afflicti, & retruſi in carcerem, ibidem vitæ ſuæ curſum impleuerunt.

*7. Mart.* C NONIS MARTII.

IN Mauritaniâ, ciuitate Tuburbitanorum, paſſio ſanctarum Perpetuæ & Felicitatis martyrũ, & cum eis Reuocati, Saturnini, & Secunduli: quorum vltimus in carcere quieuit; reliqui omnes ad beſtias traditi, ſub Seuero principe, die natalis eius. Quíque dum adhuc ſeruarentur in carcere, & Felicitas parturiret, omnium ſanctorum commilitonum precibus impetratum eſt, vt octauo menſe pareret. Iam verò Perpetuæ inter alia conceſſum eſt, vt eius mens quodam modo auerteretur à corpore, in quo vaccæ impetum pertulit, ita vt adhuc futurum expectaret, quod in ſe iam geſtum eſſe neſciret.

*8. Mart.* D. VIII. IDVS MARTII.

APVD Carthaginem, ſancti Pontij, diaconi beati Cypriani Epiſcopi: qui vſque ad diem paſſionis eius cum ipſo exilium ſuſtinens, egregium volumen vitæ & paſſionis ipſius reliquit, atque Dominum in paſſionibus ſuis ſemper glorificans, coronam vitæ promeruit. *Hieron. de ſcript. Eccl. cap. 68.*

*9. Mart.* E. VII. IDVS MARTII.

APVD Nyſſenam ciuitatem, S. Gregorij Epiſcopi, fratris beati Baſilij Cæſareenſis, viri doctiſſimi & eloquentiâ clariſſimi. *Hieron. ſuprà c. 128.*

Apud Barcinonam, S. Paciani Epiſcopi, tam vitâ quàm ſermone clari, qui optimâ ſenectute mortuus eſt Theodoſij principis tempore in pace. *Hieron ſuprà c. 106.*

*10. Mar.* F. VI. IDVS MARTII.

NATALIS ſanctorum martyrum Alexandri & Caij de Eumeniâ, qui apud Apamiam, perſecutione Antonini Veri, martyrio coronati ſunt. Scribit Apollinaris Hieropolitanus Epiſcopus, in libro aduerſum Cataphrygas. *Euſeb. l. 5. cap. 15.*

In Perſide, natalis ſanctorum Martyrum numero quadragintaduorum.

G. V.

G. V. IDVS MARTII. 11. *Mar.*

APVD Sebaſten Armeniæ minoris, natalis quadraginta Militum, tempore Licinij Regis, ſub præſide Agricolao. Qui poſt vincula & carceres creberrimos, poſt cæſas lapidibus facies, miſſi ſunt in ſtagnum, vbi gelu conſtricta corpora eorum nocte dirumpebantur. Vnus autem de numero quadraginta, effectus puſillanimis, refugit ad balneum: & mox vt attigit calorem, ſtatim reſolutus reddidit ſpiritum. Quod videntes ceteri, in laudes omnipotentis Dei, ſancto Spiritu confortati, eruperunt. Et circa horam tertiam noctis reſplenduit velut ſol lumen feruens ſuper eos, & glacies diſſoluta eſt. Porrò qui eos cuſtodiebant, ſomno grauabantur, clauicularius tantùm ſolus vigilabat. Qui audiens eos orantes, videnſque tantam lucem, atque glaciem ſolutam, reſpiciens vnde ortum lux ipſa haberet, vidit ſuper ſanctos coronas deſcendentes numero trigintanouem. Cœpitque cogitare ſecum, dicens: Quadraginta ſunt, vnius corona vbi eſt? Expergefaciens itaque reliquos cuſtodes, proiecit veſtimenta ſua in facies eorum, & exiliuit in ſtagnum, clamans & dicens: Chriſtianus ſum, Chriſtianus ſum. Mane autem facto, impiiſſimi tyranni ſatellites inuenerunt clauiculariũ ipſum connumeratum Martyribus, vnde vnus ceciderat. Cumque verè fidelem eum comperiſſent, eoſdem omnes tractos ad litus, baculis crura eorum confregerunt, atque ita crurifragio martyrium conſummauerunt. Nomina verò horum martyrum hæc ſunt: Domitianus, Eunoicus, Siſinnius, Heraclius, Alexander, Ioannes, Claudius, Athanaſius, Valens, Helianus, Meliton, Hecditius, Acharius, Vibianus, Helius, Theodulus, Cyrillus, Flauius, Seuerianus, Cyrion, Valerius, Chudion, Sacerdon, Priſcus, Eutychius, Smaragdus, Philoctimon, Aëtius, Micallius, Liſimachus, Domnus, Theophilus, Euthycius, Xantius, Aggius, Leontius, Yſitius, Caius, Gorgonius, Candidus. Quorum vnus Meliton nomine cùm eſſet omniũ ætate iunior, & cruribus fractis adhuc ſuperuiueret, timens beatiſſima mater eius, quę Martyribus adſtabat, ne in cruciatibus deficeret, virili animo hortabatur eum, dicens: Fili, modicùm ſuſtine, ecce Chriſtus ad ianuam ſtat adiuuans te. Cumq; ſanctorum corpora birotis, id eſt plauſtris, ſuperpoſita ferrent ad incendendum miniſtri diaboli, videns pia mater ſolum filium relictum, quem miniſtri ad hoc reliquerant, quia ſperabant eius animum poſſe culturis dæmonũ inclinari, ſi viueret, tollẽs eum ſuper humeros ſuos virili greſſu ſequebatur vehicula. Cumque ferretur puer, inter amplexus maternos animam cælo reddidit. Perueniensq; mulier ad locum, vbi ſanctorũ corpora cremabantur, ſuperiecit oſſa ipſius ſuper oſſa Martyrum, vt morte etiam & ſepulturâ Martyribus ſociaretur. Combuſta ſunt igitur corpora eorũ, & in fluuiũ proiecta. Sed diuinâ diſpenſatione reliquiæ eorũ integrę ſunt repertę, & honore digno cõditæ.

*Baſil. homilia 10.*

A. IIII. IDVS MARTII. 12. *Mar.*

ROMAE, beatorum Pontificum, Gregorij, Doctoris & Apoſtoli Anglorum, qui ſedit ibi annos XIII. menſes VI. dies X. *Pontificale cap. 65.* Eſt Greg. I.

Et Innocentij, qui rexit Eccleſiam an. XV. menſes II. dies XXI. *Pontificale cap. 41.* Eſt Innocentius I.

Apud Nicomediam, B. Petri martyris, qui vnus fuit ex Dorothei & Gorgonij martyrũ ſodalibus, qui in cubiculo Regis erant. Hic iubẽte Diocletiano, eò quòd de immẽſis martyris ſancti nomine ſupplicijs liberiùs cauſaretur, in mediũ educitur, atque immolare compellitur. Abnuens, imperatur appendi & flagris toto corpore laniari: videlicet vt doloris neceſſitate faceret, quod præcipiebatur inuitus. At ille cùm maneret immobilis, viſceribus iam pelle nudatis, iubetur aceto & ſale perfundi. Cumque etiam id tormenti genus cõſtanter ac fortiter toleraſſet, craticula prunis ſubterſtrata poni iubetur in medio, ibique quod reliquum fuerat in verberibus abſumpti corporis ſuperponi: & non ad ſubitũ, ſed ſenſim paula- *Euſeb. l. 8. cap. 6.*

paulatimque ſuccendi; quò ſcilicet pœna protelaretur in longum. Cúmque miniſtri ſcelerum, hinc modò corpus, modò inde verſantes, per membra ſingula pœnas inciperent, & ſupplicia renouarent, ſperantes ab eo elicere ſe poſſe conſenſum: ille firmus in fide, & quaſi in ſpe conſumptis iam & igne reſolutis carnibus ſuis, vltimum ſpiritum in fide lætus exhalat. Tali Petrus (hoc enim & nomen eius) martyrio decoratus, verè Petri extitit & fidei heres & nominis.

Item Nicomediæ, natalis ſanctorum Egduni presbyteri, & aliorum ſeptem, qui diebus ſingulis ſuffocati ſunt, vt ceteris metus incuteretur.

* al. Mamiliani. Eodem die, paſſio ſancti * Maximiliani martyris.

13. *Mar.*

B. III. IDVS MARTII.

APVD Nicomediam, natalis ſanctorum Macedonij presbyteri, & Patriciæ vxoris eius, & filiæ Modeſtæ.

Niceâ ciuitate, ſanctorum martyrum Theuſetæ & Horris filij eius, Theodotæ, Nymphodoræ, Marci, Atabiæ, qui omnes igni traditi ſunt.

14. *Mar.*

C. PRIDIE IDVS MARTII.

*De his in paſſione Proceſſi & Martiniani 2. Iulij.* ROMAE, paſſio ſanctorum Martyrum quadraginta & ſeptem, qui baptizati ſunt à beato Petro Apoſtolo, cùm teneretur idem Apoſtolus in cuſtodiâ Mamurtini, cum coapoſtolo ſuo Paulo, vbi nouem menſes detenti ſunt. Qui omnes ſub deuotiſſimâ fidei confeſſione, Netoniano gladio conſumpti ſunt.

15. *Mar.*

D. IDIBVS MARTII.

*Pontificale cap. 92.* ROMAE, Zachariæ Pontificis, qui Romæ ſedit annos x.

Apud Theſſalonicam ciuitatem, natalis ſanctæ Matronæ: quæ cùm eſſet Plautillæ cuiuſdam viduæ ancilla, & occultè Chriſtum colens, quotidie furtiuis orationibus eccleſiam frequentaret, deprehenſa à dominâ ſuâ, & in ſcamno extenſa & ligata, & penè vſque ad mortem flagellata, atque ita vincta in ſcamno, obſignatis diligentiſſimè ianuis, per noctem relicta, ibi die altero diuinitus ſoluta, ac cum ingenti oris gratiâ orans, inuenta eſt. Rurſúmque neruis crudis in eodem ſcamno conſtricta, & loris quouſque obmuteſceret cæſa eſt, ibique per triduum obſignatis ianuis relicta. Factâ autem die tertiâ, iterùm ſoluta diuinitus, & orans inuenta eſt. Tunc robuſtis fuſtibus vſque ad mortem cæſa, in confeſſione Chriſti incorruptum ſpiritum reddidit.

16. *Mar.*

E. XVII. KALENDAS APRILIS.

ROMAE, natale ſancti Cyriaci, qui poſt longam carceris macerationem, quam ſub Maximiano pertulit, cum Siſinnio condiacono ſuo, & Smaragdo & Largo, poſt multa facta miracula, in quibus filiam Diocletiani Artemiam, ipſius rogatu à dæmonio curauit, ac baptizauit: filiam quoque Saporis Regis Perſarum Iobiam, miſſus illò pro hoc à Diocletiano, æquè liberauit à dæmonio, ac baptizauit cum ipſo Rege, & aliis quadringentis triginta: rediens Romam poſt mortem Diocletiani, tentus eſt inter alios Chriſtianos à filio eius Maximino, & in cuſtodiam miſſus, eò quòd ſororem ſuam Chriſtianam feciſſet. Deinde præcepit, vt die proceſſionis ſuæ nudus, catenîſque obligatus, ante rhedam eius traheretur. Et poſt hoc, eductus de carcere cum ſociis Largo, Smaragdo & Creſcentiano, per Carpaſium vicarium, pice reliquatâ caput eius perfuſum eſt. Et rurſum poſt dies quatuor, eductus denuò de carcere, in cataſtâ extentus, ac tractus neruis, & fuſtibus cæſus, poſt dies iubente Maximiano, capite truncatus eſt cum Largo & Smaragdo, & aliis viginti. Scriptum eſt in geſtis Marcelli Papæ: porrò ipſo tempore Maximinus interfecit ſororem ſuam Artemiam. *16. Ianuar.*

Item apud Viennam, ſancti Iſicij Epiſcopi.

V. XVI. KALENDAS APRILIS. 17. *Mar.*

IN Scotiâ, natale ſancti Patricij Epiſcopi & confeſſoris, qui primus ibidem Chriſtum euangelizauit.

Eodem die, natalis ſanctæ Getetrudis virginis.

G. XV. KALENDAS APRILIS. 18. *Mar.*

NATALIS ſancti Alexandri Epiſcopi: qui de Cappadociâ ciuitate ſuâ veniens, cùm deſiderio ſanctorum locorum Ieroſolymam pergeret, & Narciſſus Epiſcopus eiuſdem vrbis iam ſenex regeret eccleſiam; & ipſi Narciſſo, & multis Clericorum eius reuelatum eſt, alterâ die manè intrare Epiſcopum, qui adiutor ſacerdotalis cathedræ eſſe deberet. Itaque re ita completâ, vt prædicta fuerat, cunctis in Palæſtinâ in vnum congregatis, adnitente vel maximè Narciſſo, Ieroſolymitanæ Eccleſiæ cum eo gubernaculum ſuſcepit. Quique perſecutione Decij, cùm iam longæuæ ætatis venerandâ canitie præfulgeret, ductus Cæſaream, & clauſus carcere, ob confeſſionem Chriſti martyrio coronatus eſt. *Euſeb. l. 6. cap. 7. 9. 16. 29. ex verſione Ruff.*

A. XIV. KALENDAS APRILIS. 19. *Mar.*

APVD Penarenſem vrbem, natale beati Ioannis, magnæ ſanctitatis viri, qui de Syriâ oriundus peruenit ad Italiam. Cumque quæreret locum habitationis ſuæ, orationem fudit ad Dominum: Te deprecor Domine, qui lumen es verum, ſi proſperum facis iter meum, hoc mihi ſignum fiat: vbicumque ambulauero, ſi Pſalterium meum dedero, & eadem die mihi redditum fuerit, ibi ſit permanſionis meæ locus. Factum eſt. Recepit eum hoſpitio matrona quædam, cui vir Dei Pſalterium ſuum dedit; requiſiuit, eique mox à muliere redditur. Hoc itaque ſigno, vt ſtationem ſuam ibi vir Dei faceret, confirmatur; ac inde non longè plus minúſve quàm duarum ſagittarum progreſſus, habuit Angelum Dei obuium, qui ei dixit: Serue Dei, hîc tibi locus permanſionis à Domino parabitur. Erat autem hiems, & ſedebat vir Dei ſub arbore. Venatores verò cùm per locum tranſitû facerent, viderunt eum ſedentem, atque arborem illam iuxta illum foliis veſtitam. Requirẽtes autem virum quis eſſet, ob Domini ſeruitium ſe de vltramarinis partibus loci ſve veniſſe, morarique hîc velle reſpondit. Nuntiantibus igitur illis, famaque vitam beati viri longiùs ſpargente, tanta frequentia populi Dei vndequaque illuc aduenit, vt monaſterio facto congregatio magna ſeruorum Dei ſimul habitantium ibi fieret. Cui præfuit multis clarus virtutibus beatus Ioannes quadragintaquatuor annos: requieſcens in pace, depoſitus eſt ſub die xiiij. Kal. Aprilium in loco vbi præſtantur beneficia Dei vſque in hodiernum diem.

Eodem die apud Surrentum, ſanctorum Quinti, Quintilli, Quartillæ, Marci, cum aliis nouem.

B. XIII. KALENDAS APRILIS. 20. *Mar.*

IN Britanniis, ſancti Chutberti, qui ex anachoretâ, Eccleſiæ Lindisfarnenſis Antiſtes, totam ab infantiâ vſque ad ſenium vitam miraculorum ſignis inclytam duxit. Cuius dum vndecim annos maneret corpus humatum, incorruptum poſthæc, quaſi eadem horâ defunctum, ſimul cum veſte quâ tegebatur, inuentum eſt. Scripſit Beda presbyter de vitâ ipſius.

C. XII. KALENDAS APRILIS. 21. *Mart.*

APVD Caſſinum caſtrũ, natale S. Benedicti Abbatis, cuius vitam virtutibus & miraculis glorioſam, in Dialogorũ libris beatus Papa ſcribit Gregorius. *Lib. 2. Dialogor.*

Eodem die beati Serapionis anachoritæ.

Et in territorio Lugdunenſi, ſancti Lupicini Abbatis Iurenſium, cuius vita ſanctitatis & miraculorum gloriâ illuſtris fuit. Corpus eius in finibus Veſontionum, apud Laoconenſe monaſterium celebratur. *Greg. Tur. de vitâ PP. cap. 1.*

22. *Mar.*

D. XI. KALENDAS APRILIS.

*Vide libell. de feſtiuit. Apoſt.* IN Galliis ciuitate Narbonâ, natale ſancti Pauli Epiſcopi & confeſſoris, diſcipuli Apoſtolorum.

23. *Mar.*

E. X. KALENDAS APRILIS.

*Victor Africanus l. 3.* IN Africâ, ſanctorum martyrum Victoriani, Frumentij, & alterius Frumentij, & duorum germanorum, qui omnes perſecutione VVandalicâ, ſub Hunnerico Rege Ariano apud Africam pro conſtantiâ Catholicæ confeſſionis immaniſſimis ſuppliciis excruciati, egregiè coronati ſunt.

24. *Mar.*

F. IX. KALENDAS APRILIS.

ROMAE, natale ſancti Pigmenij presbyteri. Hic Iulianum apoſtatam & impium à puero nutriuit, & litteris etiam ſacris erudiuit. Sed factus Imperator, culturam pietatis poſtquam reliquit, audito quòd corpora ſanctorum Martyrum, qui ab eo necabantur, idem Pigmenius ſepeliret, mandauit ei, Perge quò volueris: hîc enim non mercabitur vita tua, tamen ſeruitiis tuis præmium reddo, non tibi. Tunc ſanctus Pigmenius perrexit ad Perſidam, vbi demoratus annos I V. factus eſt cæcus. Inde monetur in ſomnis à Domino, vt reuerteretur Romam. Cumque poſt quatuor menſes reuerſus, cliuum Sacræ viæ cum vno puero ſtipem petendo conſcenderet, factum eſt vt offenderet Iulianum Imperatorem in rhedâ aureâ ſedentem. Qui eminùs conſpiciens Pigmenium, vocari eum præcepit, dixitque ei: Gloria diis deabuſque meis, quia te video. Cui vir Dei Pigmenius ilicò reſpondit: Gloria Domino meo Ieſu Chriſto Nazareno crucifixo, quia te non video. Ad hanc vocem iratus Iulianus, iuſſit eum per pontem in Tiberim præcipitari. Cuius corpus inuentum & collectum, ſepultum eſt in cœmeterio Pontiani, non longè à ſanctis Abdon & Sennes.

25. *Mar.*

G. VIII. KALENDAS APRILIS.

APVD ciuitatem Galilææ Nazareth, Annuntiatio Dominica.

Et in Nicomediâ, natalis S. Dulæ, ancillæ militis, quæ pro caſtitate occiſa eſt.

*14. Februarij.* Romæ, ſancti Cirini, qui interfectus à Claudio, & in Tiberim iactatus, in inſulâ Lycaoniâ inuentus, & in cœmeterio Pontiani conditus eſt. Scriptum in paſſione ſancti Valentini.

Et apud Sirmium, natale S. Irenæi Epiſcopi, qui tempore Maximiani Imperatoris, ſub præſide Probo, primò tormentis acerrimis vexatus, deinde diebus plurimis in carcere cruciatus, nouiſſimè abſciſſo capite conſummatus eſt.

26. *Mar.*

A VII. KALENDAS APRILIS.

ROMAE viâ Lauicanâ, in cœmeterio eiuſdem, natalis ſancti Caſtuli, qui
*10. Ianuar.* cùm eſſet zætarius palatij, & hoſpes ſanctorum, vt in geſtis beati Sebaſtiani legitur, à perſecutoribus arctatus, & tertiò appenſus, tertioque auditus, in confeſſione Domini perſeuerans, miſſus eſt in foueam, & demiſſa eſt ſuper eum maſſa arenaria, atque ita cum palmâ martyrij migrauit ad Chriſtum.

Eodem die apud Pentapolim Libyæ, Theodori Epiſcopi, Irenæi diaconi, Serapionis & Ammonij Lectorum.

Et apud Sirmium, natale ſancti Montani presbyteri, qui cum Maximâ vxore ſuâ tentus, & in fluuium præcipitatus eſt: corpora eorum nono ab vrbe lapide inuenta & ſepulta ſunt.

27. *Mar.*

B. VI. KALENDAS APRILIS.

*Rufin. l. 2. cap. 19.* APVD Ægyptum, beati Ioannis Eremitæ, admirandæ ſanctitatis viri, qui etiam prophetico ſpiritu plenus, Theodoſio Imperatori Chriſtianiſſimo, victorias de tyrannis maximas prædixit.

C. V. KALENDAS APRILIS. 28.*Mar.*

APVD Cæſaream Palæſtinæ, ſanctorum martyrum Priſci, Malchi, & Alexandri: qui perſecutione Valeriani, cùm ſuburbanum agellum ſupradictæ vrbis habitarent, atque in eâ cæleſtis martyrij proponerentur coronæ: diuino fidei calore ſuccenſi, vltrò Iudicem adeuntes, cur tantum in ſanguinem piorum deſæuiret, obiurgant. Quos ille continuò, pro Chriſti nomine, beſtiis tradidit deuorandos.

Et apud vrbem Cabilonenſium, depoſitio Gunthranni Regis Francorum, viri religioſi, qui ita ſe ſpiritualibus actionibus mancipauit, vt relictis ſæculi pompis, theſauros ſuos eccleſiis & pauperibus erogaret.

Item Sixti Papæ, qui Romæ ſedit annos octo. Hic criminatorem ſuum, Baſſum nomine, nutu diuino mortuum, manibus ſuis cum linteaminibus & aromatibus tractans, ſepeliuit apud beatum Petrum. *Pontificale cap. 45. Eſt Sixtus III.*

D. IV. KALENDAS APRILIS. 29.*Mar.*

DEPOSITIO Abbatis Euſtaſij, diſcipuli ſancti Columbani, qui pater ferme ſexcentorum extitit monachorum: & vitæ ſanctitate conſpicuus, etiam miraculis claruit.

Eodem die apud Africam, ſanctorum confeſſorum Armogaſtis, Archinimi, & Satyri: qui apud Africam tempore VVandalicæ perſecutionis, ſub Geiſerico Rege Ariano, cùm eſſent lucidiſſima membra Eccleſiæ Chriſti, & prauitatem Arianorum libertate Catholicâ frequenter arguerent, pro confeſſione veritatis, multa & grauia perpeſſi ſupplicia atque opprobria, curſum glorioſi certaminis impleuerunt. *Victor Afric. ſub finem lib. 1.*

E. III. KALENDAS APRILIS. 30.*Mar.*

ROMAE, natale ſancti Quirini Tribuni & martyris, ſub Traiano Imperatore: qui cùm ex præcepto eius beatum Alexandrum Papam, & Hermen præfectum in vincula conieciſſet, haberetque filiam cuius collum ſtruma circumdederat, auditis exhortationibus beati Hermæ de fide Chriſti, & viſis ſignis, quæ Deus in martyribus ſuis Alexandro & Herme operabatur, ipſam eamdem filiam ſuam obtulit ad ſanandum. Cui dixit B. Alexander: Tolle boiam de collo meo, & impone ei. Quod cùm obedienter pater eius exequeretur, diuino nutu ſubitò ſanata eſt. Vocabatur autem ipſa Balbina. Atque ita pater eius Quirinus & ipſa, cum vniuerſis qui in cuſtodiâ tenebantur, omnique domo ſuâ, baptizatus eſt. Quod vt nuntiauit Commentarienſis Aureliano iudici, iratus iuſſit adduci Quirinum ad ſe, & dixit ei: Ego te quaſi filium dilexi; tu autem iriſiſti me, deceptus ab Alexandro. Dixit ei Quirinus: Ego Chriſtianus ſum factus: vis occidere, vis fuſtigare, vis incendere? aliud non ero. Nam omnes qui erant in carcere, feci fieri Chriſtianos, & dimiſi eos, ſed noluerunt vſquam ire. Iratus Aurelianus, fecit ei linguam abſcindi, deinde in equuleo ſuſpendi. Qui dum Aureliani non cederet iniuriis, iuſſit ei manus & pedes abſcindi, & ſic eum decollari, & canibus proiici: ſed Chriſtiani corpus eius raptum, in viâ Appiâ ſepelierunt, in cœmeterio Prætextati. *De eo in geſtis Alexandri Papæ, 3. Maij.*

F. PRIDIE KALENDAS APRILIS. 31.*Mar.*

ROMAE, natale ſanctæ Balbinæ, filiæ Quirini martyris. Qui beatus Martyr tollens boiam de collo Alexandri Papę ſecundùm iuſſionem ei[illegible]ùm pergeret vt collo filiæ ſuæ ſtrumam habentis imponeret, ecce ſubitò puer cum faculâ apparuit; quem conſtat Angelum Dei fuiſſe, & venit ad puellam, dicens: Salua eſto, & in virginitate tuâ permane, & ego te faciam videre ſponſum tuum, qui pro amore tuo ſanguinem ſuum fudit. Perueniens igitur pater vt perficeret, quod de boiâ ei iuſſum fuerat, videt ſubitò filiam ſuam ſanam, quæ poſtmo-

dum à ſancto Alexandro baptizata eſt, & inſtructa in virginitate, plena operibus bonis permanſit. Cui ſæpè oſculanti boiam ipſam B. Alexandri dixit ſanctus Alexander: Deſine hanc boiam oſculari, ſed potiùs require domini mei Petri vincula, & ea oſculare. Tunc dedit operam, & ſummo ſtudio poſt deſiderium magnum peruenit ad illa, tradiditque S. Theodoræ religioſiſſimæ feminæ, ſorori S. Hermetis præfecti & martyris. Ipſa verò virgo Balbina poſt deuictum ſæculi huius curſum, ſepelitur iuxta patrem ſuum martyrem Quirinum, viâ Appiâ, in cœmeterio Prætextati, 11. Kal. Aprilis.

# LITANIÆ INDICENDÆ.

# MENSIS APRILIS

## habet dies XXX. Luna verò XXIX.

1. *Apr.*

### G. KALENDIS APRILIS.

*De his geſtis. Alexand. Papa 3. Maj.*

ROMAE, beatiſſimæ Theodoræ, ſororis illuſtriſſimi martyris Hermetis, quam beatus Alexander Papa & martyr inſtruxit, baptizauit, atque in fide Chriſti docuit. Quæ ſub Aureliano Imperatore martyrizauit. Sepulta iuxta fratrem ſuum martyrem, viâ Salariâ, non longè ab vrbe Româ.

Eodem die S. Venantij Epiſcopi & martyris.

Et in pago VVimnoënſi, ſancti VValerici confeſſoris, cuius ſepulcrum crebris miraculis illuſtratur.

2. *Apr.*

### A. IIII. NONAS APRILIS.

NATALIS S. Nicetij, Lugdunenſis Epiſcopi, cuius & vita miraculis claruit, & pretioſa mors nihilominùs miraculis commendatur.

*Euſeb. li. 8. cap. 17.*

Et apud Cæſaream Cappadociæ, paſſio ſanctæ Theodoſiæ virginis: quæ tempore Diocletiani, cùm eſſet annorum octodecim, vltrò ſe ſanctis confeſſoribus in cuſtodiâ ſocians, tenta ab Vrbano præfecto, & in equuleo cruciata: deinde ferro onuſta, & in carcerem truſa: ibi virtute Dei, omnia vincula eius diſrupta ſunt. Poſt hæc ſaxo alligata, in mare merſa eſt: ſed mox littoribus incolumis reddita, beſtiis in amphitheatro proiecta, & ab his intacta, martyrium capitis abſciſione dignê compleuit.

3. *Apr.*

### B. III. NONAS APRILIS.

THESSALONICAE, natalis SS. virginum Agapis & Chioniæ, ſub Diocletiano: quæ primò in carcere maceratæ, pòſt in ignem miſſæ ſunt, ſed intactæ à flammis, poſt orationem ad Dominum fuſam, animas reddiderunt.

Apud Scythiam, ciuitate Tomis, natalis SS. Euagrij & Benigni.

Apud Tauromenium Siciliæ, S. Pancratij.

4. *Apr.*

### C. PRIDIE NONAS APRILIS.

MEDIOLANI, depoſitio B. Ambroſij Epiſcopi & confeſſoris: cuius ſtudio, inter cetera doctrinæ & miraculorum inſignia, tempore Arianæ perfidiæ, tota Italia ad Catholicam conuerſa fidem eſt.

5. *Apr.*

### D. NONIS APRILIS.

THESSALONICAE, natalis S. Irenis virginis, quæ poſt tolerantiam carceris, ſagittâ percuſſa eſt à Siſinnio comite; ſub quo & ſorores eius ſimul Agapes & Chionia martyrizauerunt.

Item

Digitized by Google

Item apud Ægyptum, natalis S S. Martianæ, Nicanoris, & Apollonij.
Apud Cæſaream Lyciæ, natalis ſancti Amphiani.

E. VIII. IDVS APRILIS. 7. *Apr.*

ROMAE, S. Sixti Papæ & martyris, qui rexit Eccleſiam annos decem, menſes duos, diem vnum. Paſſus eſt autem temporibus Adriani Imperatoris. *Pontificale cap* 8. Eſt Sixt. 1.

F. VII. IDVS APRILIS. 7. *Apr.*

EGESIPPI viri ſanctiſſimi, qui vicinus Apoſtolicorum temporum, omnes à paſſione Domini, vſque ad ſuam ætatem, eccleſiaſticorum actuum texens hiſtorias, multaque ad vtilitatem legentium pertinentia, hinc inde congregans, quinque libros compoſuit, ſermone ſimplici, vt quorum vitam ſectab.tur, dicendi quoque exprimeret characterem. Aſſerit ſe veniſſe ſub Aniceto Romam, qui decimus poſt Petrum Epiſcopus fuit, & perſeueraſſe vſque ad Eleutherium eiuſdem vrbis Epiſcopum, qui Aniceti quondam diaconus fuerat. Iſdem quoque Egeſippus in libris ſuis refert de cōuerſatione ſuâ, quam habuit à gentili philoſophiâ. *Nam & ego ipſe*, inquit, *ſectis Platonicis inſtitutus, audiens infamari Chriſtianos, & videns eos impauidos ad ſuſcipiendam mortem, atque omne ſupplicium tolerandum, conſiderabam quòd impoſſibile eſſet, in malitiâ eos & in libidine conuerſari.* *Hieron de ſcript. Eccl. cap. 22. Euſeb. li. 4. cap. 8. 10. & 12.*

G. VI. IDVS APRILIS. 8. *Apr.*

TVRONIS, S. Perpetui Epiſcopi, admirandæ ſanctitatis viri: cuius operâ, templum ſuper veneranda oſſa beati Martini Epiſcopi, perfectum eſt, cuiuſq; ſacrum corpus, de loco vbi primùm tumulatum fuerat, ad locum vbi nunc condignè veneratur, tranſlatum & reconditum eſt.

A. V. IDVS APRILIS. 9. *Apr.*

APVD Sirmium, natalis ſeptem Virginum, quę in vnum meruerunt coronari quinto Idus Aprilis.

Apud Antiochiam, S. Prochori diaconi, qui vnus fuit de ſeptem primis. *Vide lib. De feſt. Apoſt.*

B. IV. IDVS APRILIS. 10. *Apr.*

EZECHIELIS Prophetæ.

Et apud Romam beatorum Martyrum plurimorum, quos beatus Alexander Papa & martyr baptizauit cùm teneretur in carcere, & ipſi relegati pariter cum illo. Hos omnes Aurelianus Imperator, naui vetuſtæ impoſitos, in altum mare deduci, & illic collo ligatis lapidibus, mergi in profundum maris fecit quarto Idus Aprilis.

C. III. IDVS APRILIS. 11. *Apr.*

APVD Cretam, vrbe Cortynæ, B. Philippi Epiſcopi, qui vitâ & doctrinâ claruit, tēporibus Antonini Veri, & Lucij Aurelij Commodi Imperatorum.

D. PRIDIE IDVS APRILIS. 12. *Apr.*

ROMAE viâ Aureliâ milliario tertio, in cœmeterio Calepodij, natale ſancti Iulij Epiſcopi & Confeſſoris, qui ſub Conſtantio Ariano filio Conſtantini, decem menſes tribulationes & exilia perpeſſus: poſt eius mortem, cum magnâ gloriâ ad ſuam ſedem reuerſus eſt. *Pontific. cap. 36.*

E. IDIBVS APRILIS. 13. *Apr.*

APVD Pergamum Aſiæ vrbem, natalis ſanctorum Carpi Epiſcopi & Papyrij diaconi, & Agathonicæ optimæ feminæ, aliarumq; multarum quę probatis confeſſionibus martyrio coronatæ ſunt. Cum quibus & vir mirabilis Iuſtinus Philoſophus, qui habitu quoque philoſophorum incedens, prò religione Chriſti plurimùm laborauit, intantùm, vt Antonino Pio & filiis eius, & Senatui, librum contra gentes ſcriptum daret, ignominiamque Crucis non erubeſceret. Cumque iam ſecundum librum ſucceſſoribus præfati Imperatoris, id eſt, Antonino *Euſeb. lib. 4 cap. 14. Idem ibid. c. 8. & 11.*

nino Vero & Aurelio Commodo, pro religionis noſtræ defenſione porrexiſſet, remunerationem linguæ fidelis, martyrij munus accepit.

Apud Hiſpaniam, natalis S. Herminigildi, quem pater eius Leouigildus Arianus, Gothorum Rex, ob fidei Catholicæ confeſſionem, inexpugnabilem videns, in carcerem & vincula coniecit: vbi nocte ſanctâ Dominicæ reſurrectionis, iuſſu perfidi patris, ſecuri percuſſus in capite, regnum cæleſte pro terreno, Rex & martyr intrauit. Scribit beatus Papa Gregorius.

*Greg. lib. 3. Dial. c. 31.*

*14. Apr.*

F. XVIII. KALENDAS MAII.

*De his in geſtâ Caeciliæ 22. Nou.*

ROMAE viâ Appiâ in cœmeterio Prætextati, natalis ſanctorum martyrum Tiburtij, Valeriani, & Maximi, ſub Almachio præfecto: quorum primi fuſtibus cæſi, & gladio ſunt percuſſi, vltimus tam diu ad plumbatas verberatus, donec ſpiritum redderet.

Interamnę, ſancti Proculi martyris.

Item S. Domnæ virginis, cum ſociis virginibus coronatæ.

Apud Alexandriam, ſancti Frontonis Abbatis, cuius vita exſtitit ſanctitate & miraculis glorioſa.

*15. Apr.*

G. XVII. KALENDAS MAII.

*De his in vitâ ſancti Laurentij 10. Aug.*

IN ciuitate Cordulâ, natalis ſanctorum Olympiadis & Maximi nobilium, qui iubente Decio fuſtibus cæſi, & deinde plumbatis, ad vltimum capita eorum ſecuribus tunſa, donec emitterent ſpiritum.

Item in Hiſpaniis, ciuitate Cæſaraguſtâ, natalis ſanctorum octodecim Martyrum, Optati, Luperci, Succeſſi, Martialis, Vrbani, Iulij, Quinctiliani, Publij, Frontonis, Felicis, Cæciliani, Euoti, Primitiui, Apodemi, & reliquorum quatuor, qui omnes Saturnini vocati referuntur.

*De his in vitâ Nerei & Achillei. 12. Maij*

Apud Italiam, natale ſanctorum martyrum Maronis, Eutychetis, & Victorini: qui cum beatâ Flauiâ Domitillâ apud inſulam Pontiam longum ducentes exilium, eamque in Chriſti confeſſione pio fouentes ſolario, inuidiâ atque inſectatione Aureliani ſponſi, & perſecutoris eius, quem illa ob Chriſtum contempſerat, poſtmodum à principe Neruâ eidem Aureliano in ſeruitutem traditi ſunt. Quos ille primùm quaſi ſeruos per ſua prædia ſingulos diuiſit, iuſſitque eos terram fodere per totum diem, ad veſperam verò cantabrum manducare. Deinde cùm plurimos ad fidem Chriſti conuerterent, & populum credentium ampliarent, repletus irâ à diabolo, miſit qui vario genere pœnarum interficerent eos. Nam Eutychen in mediâ viâ tam diu cædi iuſſit, donec ſpiritum exhalaret. Cuius corpus rapuit populus Chriſtianorum. Victorinum verò apud eum locum qui Cotilias appellatur, vbi putentes aquæ emanant & ſulphureæ, capite deorſum per horas tres ſuſpenſum teneri iuſſit. Quod cùm per triduum pro nomine Chriſti paſſus fuiſſet, migrauit ad Dominum. Cumque vnâ die iuſſu Aureliani corpus eius inhumatum iacuiſſet, venerunt Amiternenſes populi Chriſtiani, & rapientes in ſuum territorium tranſtulerunt. Maronem autem, miſſo amico ſuo, nomine Turgio, iuſſit idem Aurelianus duci, & ſaxo ingenti opprimi. Sed protegente Domino, in nullo eum lædere potuerunt. Quem Conſularis accepto ab Aureliano præcepto interfecit, corpuſque eius Chriſtianus populus rapuit, & condigno honore ſepeliuit.

*16. Apr.*

A. XVI. KALENDAS MAII.

APVD Corinthum, Calliſti & Cariſij cum aliis ſeptem, omnium in mare merſorum.

*17. Apr.*

B. XV. KALENDAS MAII.

*Cypr. ep. 9.*

APVD Africam, natale S. Mappalici, qui cum aliis pluribus martyrio coronatus eſt. Scribit B. Cyprianus in epiſtolâ ad martyres & confeſſores de illo

hoc

hoc modo: *Vox plena Spiritu ſancto de Martyris ore prorupit, cùm Mappalicus beatiſſimus inter cruciatus ſuos Proconſuli diceret: Videbis cras agonem. Et quod ille cum virtutis ac fidei teſtimonio dixit, Dominus impleuit. Agon cæleſtis exhibitus, & Dei ſeruus in agonis promiſſi certamine coronatus eſt.* Er poſt pauca: *Hunc igitur agonem per Prophetas antè prædictum, per Dominum commiſſum, per Apoſtolos geſtum, Mappalicus ſuo & collegarum ſuorum nomine, Proconſuli repromiſit: nec fefellit in promiſſo ſuo vox fidelis: pugnam quam ſpopondit, exhibuit; & palmam quam meruit, accepit. Iſtum nunc beatiſſimum Martyrem, & alios participes eiuſdem congreſſionis & comites, in fide ſtabiles, in dolore patientes, in quæſtione victores, vt ceteri quoque ſectemini, & opto pariter & exhortor: vt quos vinculum confeſſionis, & hoſpitium carceris ſimul iunxit, iungat etiam conſummatio virtutis, & corona cæleſtis.* *Item Lucianus Ep. 22 apud eundem de ſocus.*

Apud Antiochiam, natalis SS. Petri diaconi & Hermogenis.

Apud Viennam, S. Pantagathi Epiſcopi.

C. XIV. KALENDAS MAII. 18. *Apr.*

APVD * Meſſanam Apuliæ ciuitatem, natalis ſanctorum martyrum Eleutherij Epiſcopi, & * Anthiæ matris eius: qui beatus Epiſcopus cùm eſſet & ſanctimoniâ vitæ, & miraculorum virtute illuſtris, ſub Adriano principe, in confeſſione Chriſti, lectum ferreum ignitum, craticulam, & ſartaginem oleo, pice, ac reſinâ feruentem, ſuperans, leonibus quoque proiectus, ſed ab his illæſus, nouiſſimè, vnà cum matre, gladio iugulatur. ** al. Meſenam* ** al. Euanthiæ*

Item eodem die Romæ, ſancti Apollonij ſenatoris, qui ſub Commodo principe, à ſeruo proditus quòd Chriſtianus eſſet, imperatus vt rationem fidei ſuæ redderet, inſigne volumen compoſuit, quod in Senatu legit. Et nihilominùs ſententiâ Senatus, pro Chriſto capite truncatus eſt: veteri apud eos obtinente lege, abſque negatione non dimitti Chriſtianos, qui ſemel ad eorum iudicium pertracti eſſent. *Euſeb. li. 5. cap. 20. 21. Ruffini.*

In Laubaco monaſterio, tranſitus S. Vrſmari Epiſcopi & confeſſoris.

D. XIII. KALENDAS MAII. 19. *Apr.*

IN Armeniâ, ciuitate Militanâ, natalis SS. Hermogenis, Caij, Expediti, Ariſtonici, Rufi, Galatæ, vnâ die coronatorum.

Caucoliberi Hiſpaniæ, natalis S. Vincentij martyris.

Apud Corinthum, S. Timonis, de illis VII. diaconibus primis. *Act. 6. Vide lib. De feſt. Apoſt.*

E. XII. KALENDAS MAII. 20. *Apr.*

ROMAE, S. Victoris Epiſcopi, qui tertiuſdecimus poſt B. Petrum, rexit Eccleſiam annis decem, & ſub Seuero principe martyrio coronatur. *Pontificale cap. 15.*

Item Romæ, SS. Martyrum Sulpitij & Seruiliani, qui prædicatione & miraculis B. Flauiæ Domitillæ ad fidem Chriſti conuerſi ſunt (quæ etiam ſponſas eorum Theodoram & Euphroſynam ad ſpem vitæ æternæ, & perſeuerantiam ſanctæ virginitatis lucrata fuerat) perſecutione Traiani, cùm nollent idolis immolare, à præfecto vrbis Aniano capite cæſi ſunt. Quorum corpora Chriſtiani rapientes, poſuerunt in prædio eorum, viâ Latinâ, milliario ſecundo. *De his in geſtis Nereï & Achillei 12. Maij*

Eodem die in Galliis, ciuitate Ebredunenſi, S. Marcellini primi eiuſdem vrbis Epiſcopi & confeſſoris: qui diuino iuſſu, cum ſanctis ſociis Vincentio & Domnino ex Africâ veniens, maximam partem Alpium maritimarum, verbo & ſignis admirandis, quibus vſque hodie refulget, ad fidem Chriſti conuertit: ita vt Baptiſterium, quod ipſe apud præfatam vrbem condidit, in ſacroſanctis Paſchalis feſti vigiliis, diuinâ virtute, ſingulis annis aquis ſubitis inundetur, & per ſeptem eiuſdem ſolemnitatis dies, gratiâ exuberante permaneat. Venerabiles ſocij eius apud Dinienſium vrbem conditi, glorioſis nihilominùs miraculis commendantur. *Greg. Tur. de glo. Confeſſ. cap. 69.*

*21. Apr.*

### F. XI. KALENDAS MAII.

*Caſsiod. l. 3 hiſt. Trip. cap. 2.*

APVD Perſidem, natalis ſancti Simeonis Epiſcopi Seleuciæ & Cteſiphontis, regalium ciuitatum: qui perſecutione Saporis Regis Perſarum, iubente eodem tyranno comprehenſus, ferroque onuſtus, cùm iniquis tribunalibus exhibitus, de Domino Ieſu Chriſto voce liberâ ac conſtantiſſimâ reſtaretur; primùm carcerali ergaſtulo cum aliis centum, è quibus alij Epiſcopi, alij erant presbyteri, alij diuerſorum ordinum clerici, longo tempote maceratus eſt. Nouiſſimè, cùm in Chriſti teſtimonio immobilis perſiſteret, iuſſus eſt cum omnibus pariter decollari: ita vt cùm ceteri iugularentur, adſtaret, & ipſe vltimus trucidaretur. Cumque omnes ſub eius adſpectu cæderentur, & ille ſingulos paternis exhortationibus alacriter confortaret; extremo lictoris ictu, & ipſe occumbens, palmam martyrij adeptus eſt. Erat autem ſexta feria ſeptimanæ maioris, in quâ ante Reſurrectionis feſtiuitatem annua Chriſti paſſionis memoria celebratur. Paſſi ſunt cum eo etiam Vſtazadis eunuchus nutritius Regis & Maior regiæ domus, & Abdella, atque Ananias, venerabiles ſenes: & Puſitius princeps artificum regalium, eò quòd videns præfatum ſenem Ananiam ſub ictu gladij trementem, exclamauerit confidenter, dicens: Paululùm ô ſenex claude oculos, & ſecurus eſto, mox Chriſti videbis adſpectum. Filia quoque eiuſdem Puſitij virgo ſacra ſimul perempta eſt.

Apud Alexandriam, natalis S S. Fortunati, Aratoris presbyteri, Felicis, Siluij, Vitalis, qui in carcete quieuerunt.

*22. Apr.*

### G. X. KALENDAS MAII.

*De hoc geſta Sebaſtiani & Suſannæ Aug. 11.*

*Pontific. cap. 29.*

ROMAE viâ Appiâ, in cœmeterio Calliſti, ſancti Caij Papæ, qui cùm Eccleſiam vndecim annos, menſes quatuor, dies duodecim rexiſſet, martyrio coronatus eſt ſub Diocletiano principe. Frater namque eius beatus Gabinius presbyter, in multis clariſſimis paſſionibus, iam finierat triumphum victoriæ ſuæ, ſub eodem impio Principe, vndecimo Kalendas Martias.

*Caſsiod. l. 3 hiſt. Trip. cap. 2.*

Apud Perſidem, ſanctorum Martyrum plurimorum, qui iubente Sapore Perſarum Rege, annuo die, quo paſſionis Dominicæ memoria celebrarut, per totam Perſidis tegionem tenti, ac pro Chriſti nomine gladio iugulati ſunt. In quo fidei certamine paſſus eſt Meliſius Epiſcopus, ſanctitare & miraculorum gloriâ inſignis: Acepſimas quoque Epiſcopus cum presbyteto ſuo Iacobo, & Mareas & Bicor nihilominùs Epiſcopi, cum clericis ferè ducentis, & quinquaginta monachis, & ſacratis virginibus plurimis: inter quas & Simeonis Epiſcopi ſororem nomine Tarbuam cum pediſſequâ ſuâ, ſtipitibus alligantes, ſerraque findentes, crudeliſſimè necauerunt.

Eodem die in Cordulâ ciuitate, natalis ſanctorum Parmenij, Helimenæ, & Chryſoteli presbyterorum, & Lucæ & Mutij diaconorum de Babyloniâ. Quorum primus præciſâ etiam linguâ loquebatur. Omnes primò in equuleo ſuſpenſi, & nexibus attracti ſunt: dein laminis ardentibus circa latera appoſitis, vſtulati & vnguibus lacerati, ad vltimum gladio trucidati ſunt, præſente perſecutore Decio. Scriptum in paſſione S. Laurentij.

*10. Aug.*

*Greg. Tur. de gloriâ Mart. c. 64*

Et Lugduno Galliæ, natalis ſancti Epipodij martyris, qui perſecutione Antonini Veri, poſt glorioſos quadraginta octo Martyrum agones, qui in eadem vrbe paſſi ſunt, cum Alexandro chariſſimo collegâ tentus, ipſo interim in carcerem truſo, primò os diris pugnorum ictibus cæſus, deinde equulei extenſione vexatus, poſtremò martyrium capitis abſciſione compleuit.

Viennæ, S. Iuliani Epiſcopi & confeſſoris.



Digitized by Google

A. IX. KALENDAS MAII. *23. Apr.*

IN Perſide, ciuitate Dioſpoli, paſſio S. Georgij martyris: cuius geſta paſſionis, etſi inter apocryphas cõnumeratur ſcripturas, tamen illuſtriſſimum martyrium eius inter coronas Martyrum, Eccleſia Dei venerabiliter honorat. *Diſt 15. ca. Sancta Romana Eccl.*

In Galliis, ciuitate Valentiâ, natalis ſanctorum Felicis presbyteri, Fortunati & Achillei diaconorum: qui à beato Irenæo Lugdunenſi Epiſcopo & martyre ad prædicandum verbum Dei miſſi, cùm maximam partem ſupradictæ vrbis ad fidem Chriſti conuertiſſent, à Duce Cornelio in carcerem truſi: dein duriſſimâ neruorum flagellatione diutiſſimè verberati: pòſt etiam reuinctis poſt terga manibus, cruribusque confractis, circa rotarum vertiginem adſtricti, fumi quoque amaritudine ſuppoſitâ, die ac nocte continuatâ equulei extenſione ſuſpenſi, ad extremum gladio conſummati ſunt.

In Fontenellâ monaſterio, ſancti VVulfranni Epiſcopi, præclari in miraculis & doctrinâ viri.

B. VIII. KALENDAS MAII. *24. Apr.*

LVGDVNO Galliæ, natalis ſancti Alexandri, qui tertio poſt paſſionem Epipodij die productus è carcere, primò ita laniatus eſt crudelitate verberantium, vt crate ſolutâ coſtarum, patefactis viſceribus, ſecreta animæ panderentur. Dein crucis affixus patibulo, beatum ſpiritum exanimatus emiſit. Paſſi ſunt cum eo & alij, numero XXXIV. Sepulti ambo ex vtroque altaris latere, in cryptâ, quæ in colle ſupetpoſito ciuitati, pulchro & antiquo opere extructa eſt.

Eodem die, depoſitio Melliti Epiſcopi in Britanniâ, qui tertius poſt Auguſtinum Epiſcopum, Dotouernenſem Eccleſiam ſuſcepit, quam rexit annos quinque: ſepultus in monaſterio, in eccleſiâ beati Petri, octauo Kalendas Martij, anno ab incarnatione Domini DC. XXIV. *Beda lib. 2. hiſt. Angl. c. 20. & 30. & l. 3. c. 2. & ſeqq.*

C. VII. KALENDAS MAII. *25. Apr.*

APVD Alexandriam, natale S. Marci Euangeliſtæ, qui martyr defunctus, ſepultus eſt in loco lapidis exciſi cum gloriâ. Ordinauerat autem pro ſe Alexandriæ Epiſcopum Anianum: aliis quoque longè lateque eccleſiis Epiſcopos, presbyteros, diaconos dederat. *Vide libellũ De feſtiu. Apoſt.*

Eodem die Romæ, Litania maior, ad S. Petrum.

Apud Viennam, S. Clatentij Epiſcopi & confeſſoris.

D. VI. KALENDAS MAII. *26. Apr.*

ROMAE, natalis ſancti Anacleti Papæ, qui ſecundus poſt beatum Petrum, cùm rexiſſet Eccleſiam annis duodecim, perſecutione Domitiani, martyrio coronatus eſt. *Pontificale cap. 3.*

Ipſo die, S. Marcellini Papæ, qui cùm Eccleſiam nouem annis & menſibus quatuor rexiſſet, temporibus Diocletiani & Maximiani, ab eodem Diocletiano, pro confeſſione veræ fidei, cum Claudio, Cyrino & Antonino, capite truncatus eſt, & poſt dies XXXV. ſepultus viâ Salariâ, in cubiculo, à Marcello presbytero, & à diaconibus cúm hymnis. Quo tempore fuit magna perſecutio, ita vt intra vnum menſem XVII. millia martyrio coronarentur. *Pontifie. cap. 30.*

E. V. KALENDAS MAII. *27. Apr.*

ROMAE, S. Anaſtaſij Papæ, qui ſedit annos tres, dies decem. *Pontifie.*

Apud Nicomediam, natalis ſancti Anthimi Epiſcopi & martyris, in memoriis piorum fulgentis in regno Chriſti. Hic perſecutione Diocletiani, ob confeſſionem Chriſti, martyrij gloriam capitis obtruncatione ſuſcepit. Quem tamquam bonum paſtorem, viam martyrij præeuntem, vniuerſa pænè gregis ſui multitudo ſecuta eſt: quorum alios præfatus tyrannus, apud eamdem ciuitatem tunc temporis reſidens, gladio obtruncari, alios ignibus conflagrari, alios nauі- *cap. 40.*

*Euſeb. lib. 8 cap. 6.* nauiculis impoſitos, pelago immergi fecit. Ipſis fidelium turbis tanto per Dei gratiam fidei igne inflammatis, vt nec interrogari ſe paterentur, ſed vltrò in flammas irruerent, vel cædentibus gladiis ceruices obiectarent. Scriptum eſt in Eccleſiaſticâ hiſtoriâ libro VIII.

*28. Apr.* F. IV. KALENDAS MAII.

APVD Rauennam, natale ſancti Vitalis martyris, patris ſanctorum Geruaſij & Protaſij: qui militans cum Paulino iudice, Rauennam ingreſſus eſt. Et cùm videret in conſpectu Iudicis ſui Chriſtianum nomine Vrſicinum, arte Medicum, natione Ligurium, poſt nimia tormenta capitalem accepiſſe ſententiam, & cùm veniſſet ad Palmam, & expauiſſet, exclamauit: Noli, noli, Vrſicine medice, qui alios curare conſueſti, te ipſum æternæ mortis iaculo vulnerare: & qui per paſſiones nimias veniſti ad Palmam, coronam vis perdere à Domino præparatam? Vtque martyrium conſummauit idem Vrſicinus, ſtatim beatus Vitalis corpus eius rapiens intra Rauennatium vrbem ſepeliuit, ad Iudicem vltrà venire contemnens. Tentus itaque à Paulino conſulari ob id maximè, quia præfatum Vrſicinum in paſſionis agone poſitum ſuis exhortationibus roboraſſet, poſt equulei tormenta, iuſſus eſt perduci ad Palmam. Locus autem, vbi decollabantur Chriſtiani, hoc habebat vocabulum; eò quòd arbores palmæ illic eſſent. Et factâ foueâ quouſque inueniretur aqua, ibi ſupinus depoſitus, & terrâ ac lapidibus oppreſſus eſt. Coniunx quoque eius Valeria, cùm reuerteretur ad vrbem Mediolanenſium, Syluano ſacrificantes incurrit: cumque eam deponentes de ſagmario hortarentur de idolothytis manducare, nec ſibi omnino licitum teſtaretur, quia eſſet Chriſtiana; nimiâ ab eis cæde mactata eſt, vt vix ſemivecem ſui homines eam ad Mediolanenſem vrbem perducerent. Quæ infra biduum migrauit ad Dominum.

Alexandriæ, natale ſanctæ Theodoræ virginis, quæ ſacrificare contemnens, *Ambr l. 2. de virgin. habet, Antiochia.* in lupanar tradita, miro Dei fauore erepta eſt. Adſtante quippe iam ad oſtium cellulæ multitudine iuuenum impudicorum, repentè quidam ex fratribus Didymus nomine, plenus fide, diuinitus inſpiratus, ſumpto militari habitu, primus lupanar irrupit, & ſanctæ virgini cur veniſſet exponens, illi militares imponit exuuias, ipſe virginali veſte induitur. Sic virgo egreſſa, & à nullo agnita, ad ciuitatem fugiens euaſit. Didymus Præſidi exhibitus, & omne factum conſtanter exponens, Chriſtianum ſe eſſe confeſſus, abſciſo capite igni traditus eſt. Beata quoq; virgo, quæ pro tuendâ virginitate ex lupanari fugerat, amore coronæ continuò ad ſtadium regreſſa, ſimul cum Didymo percuſſa, & ſimul eſt coronata.

Eodem die Aphrodiſij, Carilippi, Agapij, & Euſebij martyrum.

Item in Pannoniâ, ſancti Pollionis martyris.

*29. Apr.* G. III. KALENDAS MAII.

Epheſ 6. 2. Tim. 4. APVD Paphum, Tychici Apoſtolorum diſcipuli.

In Numidiâ apud Cirthenſem coloniam, natalis ſanctorum martyrum *De his in geſtis SS. Mariani & Iacobi 30. Apr.* Agapij & Secundini Epiſcoporum: qui perſecutione Valeriani, poſt longum exilium apud præfatam vrbem, in quâ tunc maximè Gentilium cæco furore & officiis militaribus ad tentandam iuſtorum fidem rabies diaboli infeſtantis inhiabat, ex illuſtri ſacerdotio effecti ſunt Martyres glorioſi. Paſſi ſunt in eorum collegio Æmilianus miles, Tertulla & Antonia ſacræ virgines, & quædam mulier cum ſuis geminis.

*30. Apr.* A. PRIDIE KALENDAS MAII.

NATALIS ſanctorum martyrum Mariani & Iacobi, quorum prior Lector, poſterior Diaconus erat. Et cùm iam pridem infeſtationes Decianæ perſecutionis in confeſſione Chriſti euiciſſet Marianus, iterùm cum chariſſimo collegâ

legâ tentus eſt apud Cirthenſem coloniam. Vbi poſt dira & exquiſita ſupplicia (ita vt Marianus per ſummos apices pollicum ſuſpenſus, vt graui pondere pedibus innexus, crudeliſſimè torqueretur) diu in carcere macerati ſunt. Sed diuinis reuelationibus mirabiliter confortati: deinde Lambeſitanam vrbem directi ad Præſidem, ibi rurſum longo tempore carcerali ergaſtulo mancipati ſunt: ſed iterùm diuinis reuelationibus alleuati, nouiſſimè cum multis aliis gladio conſummati ſunt.

Eodem die apud ciuitatem Santonas, natalis ſancti Eutropis martyris, qui à beato Clemente Epiſcopo directus in Gallias: ab eodem etiam Pontificalis ordinis gratiâ conſecratus, impleto huius officij ordine, peractâ in incredulis prædicatione, inſurgentibus paganis, quos auctor inuidiæ credere non permiſit, illiſo capite victor occubuit. Denique poſt multa annorum ſpatia, cùm Palladius eiuſdem vrbis Epiſcopus, & cum eo alij viri Dei, corpus eius, debiti honoris gratiâ, in baſilicam nouam transferrent, reſerato ſarcophago, contemplati ſunt cicatricem capitis, quâ in parte defixum fuerat ſecuris acumen. Cúmque ſequenti nocte ſtrauiſſent ſacerdotes membra quieti, apparuit eis per viſum, dicens: Cicatricem quam contemplati eſtis in capite, ſcitote me per eam martyrium conſummaſſe. *Greg. Tur. de gloriâ MM. c. 56.*

Apud Aſiam, paſſio S. Maximi martyris, cuius geſta habentur.

## LITANIÆ INDICENDÆ.

## MENSIS MAIVS

## habet dies XXXI. Luna verò XXX.

### B. KALENDIS MAII. *1. Maij.*

IEREMIAE Prophetæ.

Et natalis Apoſtolorum Philippi & Iacobi filij Mariæ, quæ fuit ſoror matris Domini, vnde frater Domini dicebatur. *Vide libellũ De feſtiu. Apoſt.*

In Galliis territorio Viuarienſi, in loco qui vocatus eſt antiquitùs Gentibus, S. Andeoli ſubdiaconi, quem miſit ab Oriente ſanctus Polycarpus cum beato Benigno & Andochio presbyteris, & Thyrſo diacono, ad prædicandum verbum Dei in Galliam. Cuius prædicatione Cæſar Seuerus compertâ, ſpinoſis fuſtibus crudeliſſimè flagellatum in carcerem trudi præcepit: & aliâ die productum cùm videret ſuperari non poſſe, iuſſit ad ſimilitudinem gladij, de ligno duriſſimo enſem fieri, & in crucis modum caput eius ſcindi. Quod cùm factum fuiſſet, eliſo in terram cerebro, glorioſâ morte tranſlatus eſt.

Item ciuitate Sedunenſi, loco Agauno, paſſio Sigiſmundi Regis filij Gundebaldi, Regis Burgundionum. Qui cùm ſe cerneret non poſſe Francis reſiſtere, ſolus fugiens, comâ depoſitâ, habitum religionis ſuſcepit, & ieiuniis, vigiliis ac orationibus die noctéque vacans, captus à Francis eſt, cum vxore ac filiis, in puteúmque demerſus occubuit. Pòſt verò Abbati cuidam reuelatus, & ab eo reuerenter ſepultus, etiam miraculis claruit.

### C. VI. NONAS MAII. *2. Maij.*

NATALIS ſancti Patris noſtri Athanaſij, Alexandrinæ vrbis Epiſcopi & confeſſoris. Qui multa Arianorum perpeſſus inſidiis, quadrageſimo & ſexto anno ſacerdotij ſui, poſt multos agones, multaſque patientiæ coronas, quieuit in pace. *Hieron. de ſcript. Eccl. cap. 15.*

Ruffin.l.1. cap.14. pace. Hic vir acris ingenij, & eccleſiaſticis negotiis apprimè vigilans fuit. Huius origo & à puero inſtitutio, tali modo narratur. Tempore quo apud Alexandriam Petri martyris diem Alexander Epiſcopus agebat, cùm poſt expleta ſolennia conuentutos ad conuiuium ſuum clericos expectaret, in loco mari vicino videt eminus puerorum ſuper oram maris ludum, imitantium (vt fieri ſolet) Epiſcopum, atque ea quæ in eccleſiis geri mos eſt. Sed cùm intentus diutinò pueros inſpectaret, videt ab his geri etiam ſecretiora quædam & myſtica. Perturbatus, ilicò vocari ad ſe clericos iubet, atque eis, quid eminus ipſe videret, oſtendit. Tum abire eos, & comprehenſos ad ſe adducere omnes pueros imperat. Cumq; adeſſent, quis eis ludus, & quid egiſſent, vel quomodo, percontatur. Illi (vt talis habet ætas) pauidi, negare primò. Dein rem geſtam per ordinem pandunt, & baptizatos à ſe quoſdam catechumenos confitentur, per Athanaſium, qui ludi illius puerilis Epiſcopus fuerat ſimulatus. Tum ille diligenter inquirens ab his qui baptizati dicebantur, quid interrogati fuerint, quídve reſponderint, ſimul & ab eo qui interrogauerat: vbi videt, ſecundùm religionis noſtræ ritum cuncta conſtare, collocutus cum concilio clericorum, ſtatuiſſe traditur illis quibus integris interrogationibus & reſponſionibus aqua fuerat infuſa, iterari baptiſmum non debere, ſed adimpleri ea quæ à ſacerdotibus mos eſt. Athanaſium verò atque eos, quos ludus iſte vel presbyteros viſus fuerat vel miniſtros, conuocatis parentibus, ſub Dei obteſtatione eos tradit Eccleſiæ nutriendos. Paruo autem exacto tempore, cùm à Notario integrè, & à Grammatico ſufficienter Athanaſius fuiſſet inſtructus, continuò tamquam fidele Domini commendatũ, à parentibus

1.Reg. 1. reſtituitur ſacerdoti, ac veluti Samuel quidam in templo Domini nutritur; & ab eo pergente ad patres in ſenectute bonâ, ad portandũ poſt ſe Ephod ſacerdotale deligitur. Huius tanti in Eccleſiâ pro fidei integritate agones fuerunt, vt etiã de

Act.9. hoc videatur dictum eſſe illud quod ſcriptum eſt: *Ego enim oſtendam ei, quantum pro nomine meo eum pati oporteat.* In huius etenim perſecutiones vniuerſus coniurauit orbis, & commoti ſunt Principes terræ: gentes, regna, exercitus, coierunt aduerſus eum; multaſque Arianorum perpeſſus inſidias, toto orbe profugus agi-

Ruff.lib.1. cap.18.& 19. tur: nullus tutus ad latendum ſupererat locus. Tribuni, præpoſiti, comites, exercitus quoque ad inueſtigandum eum mouentur. Edictis Imperialibus præmia delatoribus proponuntur, ſi quis viuum maximè, ſin minùs, certè caput Athanaſij detuliſſet. Ita totis regni viribus fruſtrà aduerſus eum (cui Deus aderat) certabatur. Intereà ſex continuis annis ita latuiſſe fertur in lacu ciſternæ non habentis aquam, vt ſolem numquam viderit. Sed cùm iam ſibi nullum locum tutum videret, (proditus ſiquidem fuerat per ancillam, quæ ſola conſcia erat dominorum officiis, qui ei latebras præbuerant) ad Conſtantem Galliarum principem fugit, à quo ſatis honorificè religioſéque ſuſceptus eſt. Quique cauſâ eius, quam famâ compererat, diligentiùs cognitâ, ſcribit ad fratrem, pro certo comperiſſe, quòd ſacerdos Dei ſummi Athanaſius iniuſtè fugatus, exilia pateretur. Reuerſus itaque ad Conſtantium cum litteris, ad Eccleſiam ſuam permittitur ire. Et rurſus poſt mortem illius fugatus, vſque ad Iouiniani imperium latuit: à quo honorificè & officioſiſſimis litteris requiſitus, eccleſiarum diſponendarum, iam ſtatutus in ſede ſuâ, accepit poteſtatem. Moritur Valentiniani & Valentis Imperatorum tempore.

Eodem die, natalis SS. Saturnini & Neopolis, qui in carcere requieuerunt.

3.Maij. D. V. NONAS MAII.

IEROSOLYMIS, Inuentio ſanctæ Crucis ab Helenâ Reginâ, ſub Conſtantino Principe, cuius & ipſa exſtitit mater. Inuentionis autem pretioſi ligni hiſtoiia cognitu digna ita ſe habet. Adrianus, qui vndecimus Cæſar & Imperator Romę

Romæ erat, exiſtimans ſe fidem Chriſtianam loci iniuriâ perempturum, in loco
paſſionis ſimulacrum Iouis conſecrauit. Et Bethleēm Adonidis fano profanata
eſt, vt quaſi radix & fundamentum Eccleſiæ tolleretur, ſi in his locis idola cole-
rentur, in quibus Chriſtus natus eſt, vt pateretur: paſſus eſt, vt reſurgeret: ſurrexit,
vt regnaret; Iudex vel Rex iudicaret. In Bethleēm quoque vbi agnouerat bos Iſai. 1.
poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, ibi Principes hominum infi-
ciati Saluatorem Domini, infames hominum amores inorteſque coluerunt. Pro-
dita nouo ſidere Regis æterni vbi cunabula ſupplices cum ſuis opibus adoraue-
rant Chaldæi, ibi barbaras libidines ſacrauerunt Romani. Vbi natum Saluato- Ezech. 8.
rem cum exercitu Angelorum concinente, cæleſti gaudio ſalutauerant illuſtratâ
nocte paſtores, ibi Veneris amaſium mixtæ ſemiuiris planxêre meretrices. Prô
dolor! quæ pietas hominum hanc impietatem compenſare poterit! vbi ſacra nati
Saluatoris infantia vagierat, illic Veneris lamenta fingentium laſciuis luctibus,
infamis ritus vlulabat: & vbi Virgo pepererat, adulteri colebantur. Manſit hoc
ſæculi prioris nefas in tempora Conſtantini, qui Princeps vt eſſet Principibus
Chriſtianis, non magis ſuâ quàm matris Helenę fide meruit. Quæ diuino, vt exi-
tus docuit, inſpirata conſilio, rogat filium vt ſibi facultatem daret, cuncta illic
loca Dominicis impreſſa veſtigiis, & diuinorum erga nos operum ſignata moni-
mentis purgare; deſtructis templis & idolis ab omni profanæ impietatis conta-
gio, & religioni ſuę reddere, vt Eccleſia tandem in terrâ originis ſuæ celebraretur.
Itaque prompto filij Imperatoris aſſenſu, mater Auguſta patefactis ad opera ſan-
cta theſauris, toto abuſa fiſco eſt, quantoque ſumptu atque cultu Regina pote-
rat, & religio ſuadebat, ædificatis baſilicis, contexit omnia & excoluit loca, in
quibus ſalutaria nobis myſteria pietatis ſuæ, incarnationis, & paſſionis, & reſur-
rectionis, atque aſcenſionis ſacramentis Dominus redemptor impleuerat. Mi-
rum verò inter hæc, quòd in baſilicâ aſcenſionis, locus ille tantùm de quo in nu- Epheſ. 4.
be ſuſceptus aſcendit, captiuam in ſuâ carne ducens captiuitatem noſtram, ita
ſacratus diuinis veſtigiis dicitur, vt numquam tegi marmore, aut * pauiri recepe- * MS. pa-
rit: ſemper excuſſis ſolo reſpuente, quæ manus adornandi ſtudio tentauit appo- ueri
nere. Itaque in toto baſilicæ ſpatio ſolus in ſui ceſpitis ſpecie virens permanet,
& impreſſam diuinorum pedum venerationem calcati Deo pulueris perſpicua
ſimul & attigua venerantibus arena conſeruat, vt verè dici poſſit, Adorauimus Pſal. 131.
in loco vbi ſteterunt pedes eius. Regina illa venerabilis, vt venit Ieroſolymam,
diligenter & piè locis illic & circà omnibus, diuinorum curioſa inſignium, &
oculis haurire geſtiens fidem, quam piis auribus litteriſque perceperat, Crucem
Domini ſtudioſiſſimè perquirere adorſa eſt. Sed quæ via vel ratio inueniendi
ſubeſſet, cùm iudex idoneus nemo inueniri poſſet, vbi memoriam & curam reli-
gioſæ conſcientiæ vel obſeruantię, & antiquitas æui, & ſuperſtitionis impiæ diu-
turnitas aboleuiſſet? Verùm ipſo omnium & terris & animis opertorum conſcio
& teſte Domino, fidelis mulier ſanctum Spiritum per affectum pium meruit.
Quo adſpirante, cùm rem ab humanâ conſcientiâ diuinitùs remotam fruſtrà
diligens requiſiſſet, de loco tantùm paſſionis certior fieri ſtuduit. Itaque non ſo-
lùm de Chriſtianis doctrinâ & ſanctitate plenos viros, ſed & de Iudæis peritiſſi-
mos vt propriæ (quâ miſeri & gloriantur) impietatis indices exquiſiuit, & accitos
in Ieroſolymam congregauit. Tum omnium vna de loco teſtificatione confir-
mata eſt. Iuſſit ilicò, vrgente ſine dubio conceptæ reuelationis inſtinctu, in ip-
ſum locum operam foſſionis accingi, parataque mox ciuium pariter & militari
manu, breui laborem iſtius molitionis hauſit, & contra ſpem omnium, ſed ſe-
cundùm ipſius tantùm Reginæ fidem, altâ egeſtione reſeratis terræ ſinibus, ab-
ditæ Crucis arcana patuerunt. Sed cùm tres pariter cruces, vt quondam fixæ Do-

mino

mino & latronibus ſteterant, repertæ fuiſſent, gratulatio repertarum cœpit anxiâ dubitatione confundi: iuſto piorum metu, ne forſitan aut pro Cruce Domini patibulum latronis eligerent, aut ſalutare lignum pro ſtipite latronis abiiciendo violarent. Aderat quidem & titulus ille qui Græcis & Latinis atque Hebraicis litteris à Pilato fuerat conſcriptus, ſed nec ipſe ſatis euidenter Dominici prodebat ſigna patibuli. Reſpexit pias fideliter æſtuantium curas Dominus, & ipſi potiſſimùm, quæ tam piæ ſolicitudinis princeps erat, huius conſilij lumen infudit, vt aliquem recèns mortuũ inquiri & inferri iuberet. Macarius per idem tempus Eccleſiæ illius Epiſcopus præſens erat. Nec mora, verbum factum, cadauer illatum eſt. Deponitur iacenti vna de crucibus, admouetur & altera, ſed eorum ligna mors ſpreuit. Poſtremò Dominicam Crucem prodit reſurrectio, & ad ſalutaris ligni tactum, morte profugâ, funus excuſſum, & corpus erectum eſt: tremefactiſq; viuentibus, ſtetit mortuus; & funebribus, vt Lazarus quondam, vinculis expeditus, ilicò inter ſpectatores ſuos rediuiuus inceſſit. Ergo Crux Domini tot operta ætatibus, & Iudæis in tempore paſſionis abſcondita, neque Gentibus, in ædificatione fani, terram ſine dubio ad ipſam fabricam egerentibus, reuelata; nónne diuinâ manu latuit, vt nunc inueniretur, cùm religioſè quæreretur? Ita vt Crucem Chriſti decuit, experimento reſurrectionis inuenta & probata Crux Chriſti eſt, dignoque mox ambitu conſecratur, conditâ in paſſionis loco baſilicâ, quæ auratis coruſcat laquearibus, & aureis diues altaribus, arcano repoſitam ſacrario Crucis partem ſeruat, quam thecis argenteis incomparabilis fide Regina conditam dereliquit ibi. Namque partem ipſius ligni ſalutaris detulit filio: quam Epiſcopus vrbis eius quotannis, cùm Paſcha Domini agitur, adorandam populo, princeps ipſe venerantium promit. Neque præter hanc diem quâ Crucis ipſius myſterium celebratur, ipſa (quæ ſacramentorum cauſa eſt) quaſi quoddam ſacræ ſolennitatis inſigne profertur: niſi interdum religioſiſſimi poſtulent, qui hac tantùm cauſsâ illò peregrinati aduenerint, vt ſibi eius reuelatio, quaſi in pretium longinquæ peregrinationis deferatur; quod ſolùm Epiſcopi beneficio obtineri ferunt. Quæquidem Crux, in materiâ inſenſatâ vim viuam tenens, ita ex illo tempore innumeris pænè quotidie hominum votis lignum ſuum commodat, vt detrimentum non ſentiat, & quaſi intacta permaneat; quotidie diuidua ſumentibus, & ſemper tota venerantibus. Sed iſtam imputribilem virtutem & indetribilem ſoliditatem, de illius profectò carnis ſanguine bibit, quæ paſſa mortem, non vidit corruptionem. Clauos quoque, quibus corpus Dominicum fuerat affixum, eadem venerabilis Regina portauit ad filium. Ex quibus ille frenos compoſuit, quibus vteretur ad bellum; & ex aliis galeam, nihilominùs belli vſibus aptam.

*Ruff. lib. 1. cap. 8.*

*Pontificale cap. 7. Eſt Alexander I.*

Eodem die Romæ viâ Numentanâ, miliario ſeptimo, ſancti Alexandri Papæ, cum Euentio & Theodulo Presbyteris ſub Traiano Principe, Iudice Aureliano: qui Romanæ Eccleſiæ Epiſcopatum, quintus poſt Petrum, tenuit annos decem, menſes duos, dies decem, & ſanctitate incomparabilis, fide clariſſimus, maximam partem Senatorum vrbis conuertit ad Dominum. Qui poſtmodum iubente Traiano Principe, ab Aureliano comite vtriuſque militiæ, carceri mancipatus, poſt ſtupenda & diuina miracula, vbi per puerum, qui faculam ferebat ardentem, è carcere nocturno ſilentio per feneſtram eductus, ad domum Quirini Tribuni, vbi B. Hermes præfectus ſub cuſtodiâ tenebatur, perducitur; & poſtquam ſanata eſt filia ipſius Quirini, Balbina nomine, & ipſe Quirinus conuerſus baptiſmi gratiam deſiderauit, poſtque liberationem & baptizationem eorum, quos vinculis arctatos in carcere Quirinus ipſe tenuerat, inter quos duos quoque ſanctiſſimos presbyteros inter reos conſtrinxerat, Euentium & Theodulum,

lum, qui de Oriente venerant: poſt iſta omnia, & ſi qua ſunt alia venerabiliter ab eo geſta, Aureliano comiti iterùm, Principe adhuc Traiano (ſiquidem Adrianus nondum imperabat) exhibitus eſt ſimul cum ipſis beatis duobus Presbyteris: primoque in eculeum leuatus, & tortus vngulis, atque lampadibus attractatus grauiſſimè fuit. Cùmque nullas daret voces, dixit ei Aurelianus: Quare taces? Sanctus Alexander reſpondit: Quia tempore orationis Chriſtianus homo cum Deo loquitur. Depoſito autem Alexandro, iuſſit impius Iudex applicari Euentium & Theodulum, & interrogauit B. Alexandrum: Qui ſunt iſti? Beatus Alexander dixit: Ambo viri ſancti, ambo presbyteri. Tunc conuerſus ad beatum Euentium Iudex, interrogauit eum: Quando factus es Chriſtianus? Cui beatus Euentius: Ante annos LXX. & annorum XI. ſum baptizatus, & annorum XX. presbyter ordinatus fui, & nunc ago LXXX. & vnum ætatis, quem in carcere & vinculis compleui. Et poſtquam interrogauit etiam Theodulum, & in confeſſione manentem inuenit, iuſſit furnum incendi fortiter, & beatum Alexandrum atque Euentium ligatos in medium præcipitari. Cum eis & beatus Theodulus ſponte in flammas proſiliuit, decantans cum ipſis & pariter gratias agens: Igne nos examinaſti, & non eſt inuenta in nobis iniquitas. Quod cùm nuntiatum impio Aureliano eſſet, fecit beatiſſimum Alexandrum punctis creberrimis per tota pungi membra, donec deficeret. Huiuſmodi fine vir ſanctus martyrium ſuum compleuit. Sancti autem duo Presbyteri gladio conſummati ſunt. Quorum corpora Seuera femina religioſa collegit, & beatum Alexandrum atque Euentium in vno ſepulcro, ſanctum verò Theodulum ſeparatim in alio poſuit viâ Numentanâ, in prædio ſuo, v. Nonas Maij. *Pſal. 16.*

Ipſo die, natalis ſancti Iuuenalis Epiſcopi & confeſſoris.

E. IV. NONAS MAII. *4. Maij.*

IN Palæſtinâ, ciuitate Gazâ, natalis S. Siluani eiuſdem vrbis Epiſcopi. Qui perſecutione Diocletiani cum plurimis Clericorum ſuorum martyrio coronatus eſt. *Euſeb. l. 8. c. 14 & l. 9. c. 6. Ruffin.*

Item in metallo Fanenſi, SS. Martyrum XL. qui ſimul capite cæſi ſunt.

Nicomediæ, natalis S. Antoniæ: quæ nimiùm torta & variis afflicta cruciatibus ab vno brachio tribus diebus ſuſpenſa, & in carcerem biennio detruſa, à Priſcilliano præſide ad vltimum flammis exuſta eſt.

Eodem die, in Norico Ripenſi, loco Lauria, conatalis S. Floriani: qui, Præſidis iuſſu ligato ad collum ſaxo, in flumen Aniſi præcipitatus eſt; & mox omnibus, qui circumſtabant videntibus, oculi præcipitatoris eius crepuerunt.

Ipſo die, B. Quiriaci Epiſcopi & martyris glorioſi, ſub Iuliano Imperatore.

F. III. NONAS MAII. *5. Maij.*

APVD Alexandriam, S. Euthymij diaconi in carcere quieſcentis.

Theſſalonicæ, natalis ſanctorum Irenæi & Peregrini & Irenes ignibus combuſtorum.

In Galliis, ciuitate Arelatenſi, S. Hilarij Epiſcopi, magni, docti & præclariſſimi viri. Qui paupertatis amator, & erga inopũ prouiſionem non ſolùm mentis pietate, ſed & corporis ſui labore ſolicitus erat. nam pro reficiendis pauperibus, etiam ruſticationẽ contra vires ſuas, homo genere clarus, & longè aliter educatus, exercuit. Sed nec in ſpiritalibus neglexit. nam & in docendo gratiam habuit, & abſque perſonarũ acceptione omnibus caſtigationem ingeſſit. Inter ſua verò opera ingenio immortali, ad multorũ vtilitatem, neceſſario opere, vitam S. Honorati deceſſoris ſui compoſuit. Moritur Valentiniano & Martiano Imperatoribus. *Gennadius de viris illuſtr. c. 69.*

Item Viennæ, B. Nicetij Epiſcopi, venerabilis ſanctitatis viri.

Autiſiodori, paſſio S. Iouiniani lectoris & martyris.

6. *Maij.* G. PRIDIE NONAS MAII.

*Hier. lib. 1. cōtra Iouinian. c. 14. & in c. 20. Matth. ex Tertull. de praeſcr. c. 36*

NATALIS S. Ioannis Apoſtoli ante portam Latinam Romæ: qui ab Epheſo iuſſu Domitiani fratris Titi, ſecundâ perſecutione, quam ipſe poſt Neronem exercuit, ad vrbem Romam perductus, præſente Senatu ante portam Latinam in feruentis olei dolio miſſus eſt; agente hoc impio Principe, qui Chriſtianorum infeſtiſſimus perſecutor erat. Sed B. Apoſtolus tam liber à pœnâ inde exiit, quàm à corruptionibus carnis fuerat immunis. Tunc in Patmum inſulam relegatur exilio, vbi Apocalypſim vidit. Ad commendandam ergo ipſius dignam memoriam, & pro fide Apoſtolicam conſtantiam, Chriſtiani eccleſiam, venerationem eius geſtantem, in ſupradicto loco ante portam Latinam præclaro & miro opere conſtruxerunt. vbi feſtiuum concurſum II. Non. Maij vſque hodie faciunt.

*Vide libell. de feſtiuit. Apoſtol.* Eodem die, beati Euodij, Antiochiæ Epiſcopi, qui primus ab Apoſtolis ibi eſt Epiſcopus ordinatus.

Item B. Lucij Cyrenenſis, qui apud Cyrenen primus Epiſcopus à ſanctis
Act. 19. Apoſtolis inſtitutus eſt, quem in Actibus Apoſtolorum S. Lucas commemorat.

7. *Maij.* A. NONIS MAII.

*Gregor. homilia 27.*

NATALIS ſancti Iuuenalis martyris.

*De eâ in geſtis Nerei & Achillei 12. May.*

Et beatiſſimæ atque illuſtriſſimæ Dei famulæ Flauiæ Domitillæ. Quæ cùm eſſet Flauij Clementis Conſulis ex ſorore neptis, & à S. Clemente ſacro velamine ad integritatis perſeuerantiam conſecrata, perſecutione Domitiani, anno principatus eius quintodecimo, ob teſtimonium quod Chriſto perhibebat, cum aliis plurimis in inſulā Pontiam exilio deportata, longum inibi martyriū duxit. Nouiſſimè, cùm ab Aureliano ſponſo ſuo, quem pro Chriſto contempſerat, & cuius accuſatione exilio fuerat relegata, tranſlata eſſet ad Tertacinam vrbē Campaniæ, & doctrinâ ac miraculis primò Euphroſynam & Theodotam conlactaneas & conuirginales ſuas, deinde etiam alios ad fidem Chriſti conuertiſſet; inter quæ magnalia, etiam prædictus Aurelianus infeſtiſſimus perſecutor eius, diuinâ virtute extinctus eſt: à Luxurio fratre eius incenſo cubiculo, in quo ſimul præfatis cum virginalibus ſuis clauſa morabatur, curſum glorioſi martyrij ſui conſummauit ſub perſecutione Traiani. Alterâ namque die veniens ſanctus Diaconus nomine Cæſarius, inuenit corpora ſanctarum virginū illæſa. in facies enim ſuas proſtratæ, orantes Dominum, receſſerunt. Quarum corpora idem ſanctus Diaconus in ſarcophago nouo ſimul condiens, in profundo terræ infodiēs ſepeliuit.

Eodem die apud Nicomediam, paſſio ſanctorum martyrum Flauij, Auguſti, & Auguſtini fratrum.

8. *Maij.* B. VIII. IDVS MAII.

*Greg. Tur. de gloriâ Martyrū, cap. 45.*

MEDIOLANI, S. Victoris martyris: qui natione Maurus, & à primæuâ ætate Chriſtianus, cùm eſſet in caſtris imperialibus, miles etiam canitie decoratus, compellente Maximiano vt ſacrificaret idolis, in confeſſione Domini fortiſſimè perſeuerans, primò grauiter fuſtibus cæſus, ſed Deo protegente doloris expers; deinde liquenti plumbo perfuſus, ſed nihil penitùs læſus; nouiſſimè glorioſi martyrij curſum capitis abſciſione compleuit. Erat autem ciuis ſanctorum martyrum Naboris & Felicis, qui in Africâ decollati, ſimul cum Ianuario & Marino Mediolanum tranſlati ſunt.

9. *Maij.* C. VII. IDVS MAII.

*Hieron. de ſcript. Eccl. cap. 117.*

IN Perſide ſanctorum Martyrum trecentorum decem.

Eodem die apud Nazianzi oppidum, B. Gregorij Epiſcopi, qui Theologus dicitur, nobilis, Athenis eruditus, collega B. Baſilij Cæſareę Cappadociæ poſteà Epiſcopi. Quique, cùm ſe totum Dei ſeruitio mancipaſſet, tantum de collegæ amore

amore præſumpſit, vt ſedentem Baſilium de Doctoris cathedrâ deponeret, ac ſecum ad monaſterium manu iniectâ perduceret, ibique per annos XIII. omnium Græcorum ſecularium libris remotis, ſolis diuinæ Scripturæ voluminibus operam dabant. Igitur apud Nazanzon oppidum in loco patris Epiſcopus ſubrogatus, hæreticorum turbinem fideliter tulit. Redditâ verò pace, Conſtantinopolim ad Eccleſiam docendam venire exoratus, non abnuit. Vbi breui tempore intantùm ad emendandum populum; vetuſtis hæreticorum infectum venenis, profecit, vt tunc primùm Chriſtiani ſibi fieri viderentur, & nouellam lucem veritatis adſpicere. Sed vbi gloriam ſubſecuta inuidia eſt, obniti quidam & præſcriptionibus minùs ſanis vti cœpere, vt ipſo ad propria remeante, alius ordinaretur Epiſcopus. Quod ille ſuſurrari tantùm & ſub dente ſentiens ruminari, ipſe profert, quia dicere ei nullus audebat: Abſit, inquit, vt mei cauſâ, aliqua ſimultas in Dei Sacerdotibus oriatur. Si propter me eſt iſta tempeſtas, tollite, & mittite me in mare, & deſinet à vobis quaſſatio. Tum regreſſus, in Eccleſiâ ſuâ quod ſuperfuit vitæ tempus exegit. Et quoniam feſſâ iam ætate & corpore inualidus erat, ſucceſſorem ſibi ipſe delegit, quo Eccleſiam gubernante, debilitatis & ſenectutis otio frueretur. Rufin. l. 1. cap. 9.

Conſtantinopoli, natalis S. Timothei, quando ab Epheſo eius ſacra oſſa delata ſunt. Vide lib. de feſt. Apoſt.

D. VI. IDVS MAII. 10. Maij.

IOb Prophetæ.

Romæ viâ Latinâ in cœmeterio eiuſdem, natalis ſanctorum Gordiani & Epimachi: quos Iulianus Imperator Apoſtata, inter multos Chriſtianos, publicis cuſtodiis mancipauit. Beatum verò Ianuarium ſenem presbyterum comprehenſum, cuidam Vicario Gordiano ad audiendum tradidit. Qui B. Ianuarium patienter audiens, ſpiritu Dei illuminatus credere cœpit. Quem protinus beatus presbyter, cum vxore Marinâ nomine, & familiâ promiſcui ſexus numero LIII. & eo ampliùs, baptizauit. Quod factum audiens Iulianus, plenus irâ, damnauit inſcriptionibus ſanctum presbyterum Ianuarium. Sanctum verò Gordianum ſimiliter damnatum, in cuſtodiâ publicâ poſuit; atque cuidam Clementiano, quem Vicarium eius loco dederat, tradidit. Vxorem porrò eius ad aquas * Saluias manere præcepit in ſeruitio ruſticorum. Clementianus autem pro tribunali reſidens, B. Gordianum vinctum catenis ſibi præſentari fecit. Ille in confeſſione Chriſti fixus, diu plumbatis cæditur; in vltimo, capite truncatur. Cuius corpus iuſſit iniquus Iudex ante templũ Apollinis in Tellude iactari, vt à canibus roderetur. Quod nocturno tempore Chriſtiani rapientes, miliario plus minùs vno ab vrbe Româ poſuerunt in cryptâ, vbi iam pridẽ corpus beati martyris Epimachi ſepultum fuerat. Hic Epimachus apud Alexandriam cum collegâ ſuo Alexandro, multo tempore in vinculis & in cruciatibus carceris tortus, cùm in frequentibus & diuerſis ſuppliciis confectus perduraſſet in fide, ignibus poſtremùm conſumitur, deinde reliquiæ eius Romam tranſlatæ. * al. Siluias

Item Romæ, natalis S. Calepodij ſenis presbyteri, ſub Alexandro Imperatore; qui eum fecit occidi à Laodicio, & corpus trahi per ciuitatem, atque in Tiberim iactari, die Kalendarum Maij. Quod inuentum piſcatores leuauerunt, & narrauerunt hoc Calliſto Epiſcopo. Acceptum itaque condiuit illud aromatibus & linteaminibus, & ſepeliuit in cœmeterio eius, miliario ab Vrbe tertio, in cryptâ, VI. Idus Maij. Tunc decollatus eſt ab Alexandro Palmatius conſul cum vxore & filiis, & aliis promiſcui ſexus de domo ſuâ XLII. Cum quibus & Simplicius ſenator cum vxore & filiis ſuis, & familiâ ſuâ, ferè promiſcui ſexus LXVIII. & Felix ſimiliter cum vxore ſuâ Blandâ, qui per doctrinam Calliſti

Papæ & Calepodij presbyteri, nuper fuerât baptizati. Hic enim Palmatius conſul Alexandro Imperatori adeò charus acceperat ab eo poteſtatem, vt Chriſtianos cogeret ſacrificare. Erat autem multitudo Chriſtianorũ collecta in quodam loco trans Tiberim, inter quos beatus Calliſtus Epiſcopus Vrbis cum clero ſuo, & ſenex presbyter beatus Calepodius: ad quos tenendos Palmatius conſul milites direxit. Qui ingreſſi vbi erat Sanctorum multitudo, ſubitò cæci facti ſunt. Palmatius hoc videns, timore perterritus, nuntiauit Alexandro, atque milites in conſpectu eius exhibuit. Tunc cœpit Alexander clamare: O ciues optimi, videtis artem magicam? Reſpondit Palmatius: Si per magicam iſtud factum eſt, vbi ſunt virtutes deorum noſtrorum? Iubeat itaque pietas veſtra offerri & immolari diis, ne pereat Reſpublica per eorum incantationes. Statuitur itaque dies, & præconis voce iubentur omnes immolare Mercurio, qui in vrbe Româ erant. Factum eſt autem, dum funderetur ſanguis porcinus, & vitulinus, & ſacerdotes virgineſque baccharentur per templum dæmonis, vna ex illis Iuliana nomine, arrepta cœpit clamare: Deus Calliſti, ipſe viuus & verus, ipſe indignatus eſt pollutionibus Reipublicæ veſtræ, & conteret Regem mortalem veſtrum, quia non adoratis veritatem. Audiens hoc Palmatius, cucurrit ad beatum Calliſtum trans Tiberim, vbi erat multitudo Chriſtianorum, & cecidit ad pedes eius: Cognoui, inquit, Dominum Chriſtum Deum eſſe verum, quem dæmones confeſſi ſunt hodie. Per ipſum te coniuro, vt liberes me à culturâ dæmonum, & baptizes me ſicut prædicas. Quem beatus Calliſtus indicto ieiunio catechizauit, & allatâ aquâ baptizauit. Qui baptizatus cœpit clamare: Verè vidi Dominum Ieſum Chriſtum, lumen verum, qui me illuminauit. Baptizata autem eſt & omnis domus eius. Ab eâdem die omnem facultatem ſuam cœpit pauperibus Chriſtianis erogare, vbicumque inuenirentur, miniſtrans eis victum & tegumentum. Poſt dies triginta requiritur ab Alexandro: nuntiatum enim eſt ei quòd Chriſtianus eſſet. Tentus igitur à quodam tribuno Torquato, miſſus eſt per triduum in cuſtodiâ * Mamurtini, & vinctus præſentatur Alexandro. Quem videns Alexander, iuſſit ſolui, cui & dixit: Sic amens es Palmati, vt deſeras deos, & quæras hominem mortuum? Inter alia reſpondit Palmatius: Feci quaſi infelix, modò autem cognoui quod verum eſt. Tunc Alexander tradidit eum cuidam ſenatori Simplicio, vt reuocaret eum ad culturam deorum mollibus verbis. Sed Palmatius ieiuniis, orationibus & vigiliis ſtudens, non ceſſabat lacrymis Deum Patrem omnipotentem & Dominum Ieſum Chriſtum filium eius deprecari. Veniens autem ad eum quidam Felix nomine, rogabat eum pro vxore ſuâ, quæ à quatuor annis iacebat clinica. Beatus Palmatius præſente vxore Simplicij & omni familiâ, cecidit in terram, & cum lacrymis orare cœpit: Domine Deus qui illuminaſti ſeruũ tuum, & donaſti mihi lumen æternum Dominum Ieſum Chriſtum, ſalua ancillam tuam Blandam, & alleua eam de lecto doloris, vt cognoſcant omnes, quia tu es Creator omnium rerum. Quæ ilicò ſana ſurrexit. Quod videntes Simplicius & Felix, & reliqui qui in domo Simplicij erant, cœperunt vrgere beatum Palmatium vt baptizarentur. Qui mittens vocauit ſanctum Calliſtum, & baptizati ſunt omnes in nomine Domini Ieſu Chriſti.

* al. Mamertini.

Item Romæ viâ Latinâ ad Centum aula, natalis ſanctorum Quarti & Quinti.

11. *Maij.* E. V. IDVS MAII.

ROMAE viâ Salariâ miliario XXII. natalis S. Anthimi.

Viennæ, beati Mamerti Epiſcopi, qui ob imminentem cladem, ſolennes ante Aſcenſionem Domini Litanias inſtituit.

F. IV. IDVS MAII. *12. Maij.*

ROMAE, in cœmeterio Prætextati, natalis ſanctorum martyrum Nerei & Achillei fratrum, qui fuerunt eunuchi B. Flauiæ Domitillæ, quiqúe cum eâ apud inſulam Pontiam longum pro Chriſto duxerunt exilium. Poſtmodum verò ab Aureliano ſponſo Domitillæ (quem ipſa ob amorem Chriſti ſpreuerat) primò verberibus grauiſſimis attrectati, deinde * Mommio Rufo conſulari ſunt tradìti, à quo cùm eculeo & flammis compellerentur ad immolandum, & dicerent ſe à B. Petro Apoſtolo baptizatos, nullâ ratione poſſe idolis immolare, capite cæſi ſunt. Quorum corpora rapuit Auſpicius diſcipulus eorum, nutritor ſanctæ virginis Domitillæ, quæ etiam nauiculæ impoſita, adduxit, & in prędio Domitillæ in cryptâ arenariâ ſepeliuit, viâ Ardeatinâ, à muro Vrbis miliario vno ſemis. *al. Mummio, & Memmio*

Item viâ Aureliâ, miliario ſecundo, natalis S. Pancratij martyris: qui cùm eſſet annorum XIV. ſub Diocletiano martyrium capitis detruncatione compleuit. Cuius reuerendum corpus Octauilla illuſtris fœmina occultè noctu ſublatum, aromatibus condîtum ſepeliuit IV. Idus Maij.

Eodem die, B. Dionyſij patrui beati Pancratij, cuius ſtudio idem Pancratius & baptizatus, & in timore Domini confortatus ad martyrium animatus eſt. Ipſe cum pręmiis cæleſtibus, charus & dignus Deo, in pace diem vitæ huius clauſit. *Deeo in geſtis eiuſdem Pancratij.*

Sed & tunc temporis paſſa eſt virgo ſacratiſſima Soteris, nomine & genere nobilis, ſub Diocletiano Auguſto.

Eodem die apud Cyprum, S. Patris noſtri Epiphanij, Salaminæ Epiſcopi.

G. III. IDVS MAII. *13. Maij.*

NATALIS S. Mariæ ad Martyres. Phocâ Imperatore, beatus Bonifacius Papa in veteri fano quod Pantheon vocabatur, ablatis idololatriæ ſordibus, eccleſiam beatę ſemper virginis Mariæ & omnium Martyrum dedicauit. Cuius dedicationis ſacratiſſima dies agitur Romę III. Idus Maij.

Ipſo die, ſancti Seruatij Tungrenſis eccleſiæ Epiſcopi: qui tempore quo Hunni Germaniam vaſtabant, ne ciuitatis atque Eccleſiæ ſuę videret excidium, Domini reuelatione commonitus, tranſiit ad vicum Traiectenſium; ibiqúe defunctus, atque in medio publici aggeris eſt ſepultus. Ob cuius meritum hominibus demonſtrandum, cùm tempore hiemis omnia in circuitu nix repleret, numquam ſepulcrum eius operuit, donec induſtriâ ciuium baſilica ſuper ipſum ædificata eſt.

A. PRIDIE IDVS MAII. *14. Maij.*

SANCTI Patris noſtri Pachomij, qui cùm eſſet factis Apoſtolicæ gratiæ inſignis, fundatorque Ægypti cœnobiorum, ſcripſit monachorum regulas, quas Angelo dictante didicerat, ſimul & de tempore Paſchali. *Gennad. de viris illuſt. cap. 7.*

Ipſo die in Syriâ, natalis Victoris & Coronæ, ſub Antonino Imperatore, Duce Alexandriæ Sebaſtiano. Erat autem Victor miles à Ciliciâ, cui Sebaſtianus in confeſſione fidei confringi digitos, & euelli iuſſit vngues à cute, deinde illum in caminum ignis mitti, vbi triduo permanens, non eſt læſus. Deinde venenum bibere iuſſus, non eſt mortuus, ſed veneficum potiùs ad fidem conuertit. Poſteà iuſſum eſt, neruos corporis eius tolli: deinde oleum bulliens mitti in pudendis eius. Poſt hoc iuſſit lampades ardentes ſuſpenſo ad latera applicari: poſt hæc acetum & calcem ſimul miſceri, & dari ei in ore: deinde oculos erui. Deinde triduo iuſſit capite * iuſum ſuſpendi; & dum adhuc ſpiraret, iuſſit eum excoriari. Tunc Corona cùm eſſet vxor cuiuſdam militis, cœpit beatificare ſanctum Victorem pro gloriâ martyrij. Et dum hoc faceret, vidit duas coronas de cælo *al. ioſum, i. deorſum.*

 lapſas,

lapſas, vnam Victori, & alteram ſibi miſſam. Cumque & hoc cunctis audientibus proteſtaretur, tenta eſt à Duce; iuſſumque eſt duas arbores palmæ curuati adinuicem, & canabinis funibus ligari Coronam in vtriſque manibus & pedibus, & ſic arbores dimitti. Quod dum fieret, diuiſa eſt Corona in duas partes, & ſic æternæ vitæ coronam accepit. Erat autem XVI. annorum. Tunc quoque Victor decollatus, & ipſe victoriæ perennis triumphum meruit.

15. *Maij.* B. IDIBVS MAII.

NATALE ſanctorum confeſſorum Torquati, Cteſiphontis, Secundi, Indalecij, Cæcilij, Eſitij, Euphraſij. Qui Romæ à ſanctis Apoſtolis Epiſcopi ordinati, & ad prędicandum verbum Dei ad Hiſpanos, tunc adhuc gentili errore implicatos, directi ſunt. Cumque ad ciuitatem Accitanam veniſſent, & propter laborem itineris modicum quieſcentes, cauſâ victus emendi diſcipulos in vrbem miſiſſent; mox paganorum multitudo, qui tunc fortè diis ſuis feſta celebrabant, eos vſque ad fluuium perſecuta eſt, in quo pons miræ magnitudinis & firmitatis extructus, tranſeuntibus ſanctis, Dei nutu, cum omni perſequentium multitudine funditus corruit. Ad quod miraculum ceteri territi, & cuiuſdam magnæ ſenatricis Lupariæ (quæ diuinitus inſpirata, eos benignè ſuſcipiens, credidit) exemplum ſequuti, relictis idolis, Chriſto Domino crediderunt. Poſt hoc diuerſis vrbibus euangelizantes, & innumeras multitudines Chriſti fidei ſubiugantes, Torquatus Acci, Cteſiphon Vergij, Secundus Abulæ, Indalecius Vrci, Cæcilius Eliberri, Eſitius * Carteſæ, Euphraſius Eliturgi quieuerunt. Extat vſque hodie illuſtre miraculum ad commendationem pretioſæ mortis eorum. Nam eadem ſolemnitate apud prǽfatam Accitanam vrbem, ad ſepulcrum ſancti Torquati arbor oliuę diuinitus florens, maturis fructibus onuſtatur.

* al. Carcere.

*Greg. Tur. de gloriâ Martyrum, cap. 101.* Apud inſulam Chium, natalis S. Iſidori martyris. In cuius baſilicâ extat puteus, in quo & fertur iniectus. De cuius aquâ energumeni, febricitanteſque, vel reliqui infirmi ſæpiùs potati ſaluantur.

Apud Lamoſacum, paſſio ſanctorum Petri & Andreæ, Pauli & Dionyſiæ.

16. *Maij.* C. XVII. KALENDAS IVNII.

APVD Iſauriam, natalis ſanctorum Aquilini & Victoriani, quorum geſta habentur.

Apud Autiſiodorum, paſſio ſancti Peregrini, Epiſcopi primi ciuitatis ipſius.

Et in pago Foroiulienſi, vico qui vocatur Calidianus, ſanctæ Maximæ virginis, quæ multis clara virtutibus, in pace quieuit.

17. *Maij.* D. XVI. KALENDAS IVNII.

IN Tuſciâ, natale ſancti Torpetis martyris ſub Nerone principe. Hic magnus in officio Cæſaris Neronis fuit, & à beato Antonino presbyrero baptizatus, & in fide Chriſti eruditus eſt. Hunc Nero cùm cognouiſſet eſſe Chriſtianum, tradidit cuidam propinquo ſuo Satellico, vt impelleret eum ſacrificare. Sed cùm ſpiritu Dei confortatus, & in fide fundatus, vir beatus immobilis permaneret, fecit eum Satellicus alapis cædi, & ligatum ad columnam tamdiu verberibus affici, quouſque ſanguis guttatim de corpore ipſius deflueret. Sed ſubitò dum Martyr cæderetur, columna cadens oppreſſit Iudicem, & quinquaginta cum eo viros. Inde tentus à miniſtris, poſitus eſt in rotâ. Poſteà feris objicitur à filio Satellici, nomine Syluio, ſed minimè ab his læſus. Cuius conſtantiam & virtutem quidam conſiliarius Neronis Euellius nomine inſpiciens, Chriſto credidit. Ac poſt paululum baptizatus, decollatus eſt in vrbe Româ V. Kalendas Maij, martyriíque honore coronatus. Sed & beatus Torpes, iubente Syluio foras ciuitatem Piſanam ductus, decollatione martyrium ſuum compleuit III. Kalendas Maij. Huius corpus miniſtri ſceleris impoſitum pænè fractæ & cario-

carioſæ naui, ſimulque canem & gallum proiecerunt in decurſum fluminis. Apparens autem Angelus Domini cuidam venerabili feminæ, cuius nomen Celerina, monuit vt perquireret Martyris corpus, & ſepeliret. Quod illa celeriùs complens, inuentum cum omni reuerentiâ ſepeliuit, & de facultatibus ſuis, ceſſante perſecutione, eccleſiam miro opere ſupra conſtruxit. Agitur feſtiuitas Martyris & conuentus ciuium XVI. Kalendas Iunij.

E. XV. KALENDAS IVNII. *18. Maij.*

APVD Ægyptum, natalis ſancti Dioſcori lectoris: in quem Præſes multa & varia tormenta exercuit, ita vt vngues eius effoderet, & lampadibus eius latera inflammaret: ſed cęleſtis luminis fulgore territi ceciderunt miniſtri. Nouiſſimè laminis ardentibus aduſtus martyrium conſummauit.

F. XIV. KALENDAS IVNII. *19. Maij.*

ROMAE, natalis ſanctæ Pudentianæ vel Potentianæ virginis, quæ illuſtriſſimi generis, Pudentis diſcipuli ſancti Pauli Apoſtoli filia fuit: cuius mater Sabinella, ſoror verò Praxedis: quas piiſſimus pater earum Pudens in omni religione Chriſti erudiuit, virgineſque Chriſto reliquit. Quæ poſt obitum ſancti patris in omni exercitatione pietatis ita excreuerunt, vt nocte dieque inceſſanter hymnis & orationibus cum familiâ ſuâ Domino inſeruirent, beatiſſimo Pio vrbis Epiſcopo cum eis in laudibus Dei participante. Remunerationem igitur pro piiſſimis laboribus ſuis percepturæ, quos per gratiam Chriſti fructuosè conſummauerant; poſt innumeros agones, poſt multorum Martyrum venerabiliter exhibitas ſepulturas, poſt omnes facultates ſuas in viſceribus pauperum incluſas, Chriſtoque fideliter commendatas, tandem de terris ad Chriſtum migrauerunt: Potentiana venerabilis quartodecimo Kalendas Iunij, poſita in cœmeterio Priſcillæ viâ Salariâ: Praxedis verò virgo æquè ſanctiſſima duodecimo Kalendas Auguſti, & ipſa cum ſorore iuxta patrem ſanctum Pudentem poſita.

Eodem ipſo die, beatiſſimi Pudentis patris ſuprà nominatarum virginum, qui ab Apoſtolis Chriſto in Baptiſmo veſtitus, innocentem tunicam vſque ad coronam vitæ immaculatè cuſtodiuit & ſeruauit.

Item Romæ, natalis ſanctorum Caloceri & Partheni eunuchorum vxoris Decij Imperatoris: qui cùm eſſent, vnus prępoſitus cubili, alter primicerius, nolentes ſacrificare idolis, à Decio occiſi ſunt. Corpora eorum iuxta viam Appiam poſita XIV. Kalendas Iunij.

G. XIII. KALENDAS IVNII. *20. Maij.*

ROMAE viâ Salariâ, natalis ſanctæ Baſillæ virginis & martyris Chriſti. Quæ cùm eſſet ex genere regio, & haberet ſponſum illuſtriſſimum nomine Pompeium, per beatam Eugeniam & ſanctos Dei viros * Protam & Hyacinthum conuerſa ad fidē, accuſata eſt à pręfato ſponſo ſuo quòd eſſet Chriſtiana. Decreuit continuò Gallienus Auguſtus, qui tunc Chriſti perſequebatur Eccleſiam, vt aut ſponſum reciperet, aut gladio interiret. Conuenta de hoc, reſpondit, ſe Regem regum ſponſum habere, qui eſt Chriſtus filius Dei. Et cùm hoc dixiſſet, gladio tranſuerberata eſt. *De eâ in geſtis S. Eugeniæ 25. Decembris.* ** al. Protum*

Eodem die in Galliis, ciuitate Nemauſo, natalis Baudelij martyris: qui à paganis deorum ſuorum ſacrificia celebrantibus comprehenſus, cùm ſacrificare nollet, & in fide Chriſti immobilis inter verbera & tormenta perſiſteret, martyrij palmam pretioſâ morte percepit. *Greg. Tur. de gloriâ Mart. c. 78.*

A. XII. KALENDAS IVNII. *21. Maij.*

IN Mauritaniâ Cæſarienſi, natalis ſanctorum Timothei, Polij & Eutychij diaconorum: qui apud præfatam regionem verbum Domini diſſeminantes, pariter coronari meruerunt.

Item apud Cæſaream Cappadociæ, natalis SS. Polyeucti, Victorij, Donati.

*22. Maij.* B. XI. KALENDAS IVNII.

IN Africâ, SS. Caſti & Æmilij, qui per ignem paſſionis martyrium conſummauerunt. Scribit Cyprianus in libro de lapſis. *Cypr. de lapſis, cap. 6.*

Eodem die apud Corſicam, S. Iuliæ, quæ crucis ſupplicio paſſa eſt.

*23. Maij.* C. X. KALENDAS IVNII.

APVD Linguones, paſſio ſancti Deſiderij Epiſcopi, qui cùm plebem ſuam ab exercitu VVandalorum vaſtari cerneret, ad Regem eorum, pro eâ ſupplicaturus exiuit: à quo ſtatim iugulari iuſſus, pro ouibus ſibi creditis ceruicem libenter tetendit, & percuſſus gladio, migrauit ad Chriſtum. Percuſſor verò eius mox amentiâ correptus interiit. Sepultus eſt ibidem beatus Martyr, in baſilicâ iuxta vrbis muros: quod fidelium populus à Chriſto ei commiſſus, præcipuo ipſius amore, & piâ deuotione ad tutelam ciuium fieri procurauit. Paſſi ſunt autem cum eo & plures alij de numero gregis ſui, & apud eamdem vrbem conditi.

*24. Maij.* D. IX. KALENDAS IVNII.

*Act. 13.* NATALIS S. Manahen, Herodis tetrarchæ collactanei, doctoris & prophetæ ſub gratiâ noui Teſtamenti, apud Antiochiam in Chriſto quieſcẽtis.

*Lucæ 8. & 24.* Item beatiſſimæ Ioannæ vxoris Chuſæ procuratoris Herodis, quam commemorant Euangeliſtæ.

Item in Portu Romano, natalis ſancti Vincentij martyris.

*Greg. Tur. de gloriâ Mart. c. 60.* In Galliis, ciuitate Nannetis, natalis SS. martyrum Donatiani & Rogatiani fratrum.

In Hiſtriâ, natalis ſanctorum Zoëlli, Seruilij, Syluani & Dioclis.

*25. Maij.* E. VIII. KALENDAS IVNII.

*De eo in geſtis ſanctæ Cæciliæ, 22. Nouēb.* ROMAE viâ Numentanâ, in cœmeterio Prætextati, natalis ſancti Vrbani Epiſcopi & martyris. Cuius doctrinâ, ſub perſecutione Alexandri, multi martyrio coronati ſunt.

Mediolani, S. Dionyſij Epiſcopi & confeſſoris. Qui ab Imperatore Conſtantio Ariano apud Cappadociam pro fide Catholicâ damnatus exilio, ibidem requieuit. Reliquias corporis eius, per ſanctum Baſilium præfatæ vrbis Epiſcopum receptas, beatus Ambroſius condigno honore condidit. *Ambroſius epiſt. 82. ad Vercell.*

Eodem die apud Mæſiam, ciuitate Doroſtoro, natalis ſanctorum martyrum Paſſicratis, Valentionis, & aliorum duorum coronatorum.

*Pontificale cap. 14.* Romæ, Eleutherij Papæ. Hic accepit epiſtolas à Lucio Britannico Rege, vt per eius mandatum Chriſtianus fieret. Sepultus eſt iuxta corpus beati Petri Apoſtoli.

*26. Maij.* F. VII. KALENDAS IVNII.

*Vide libell. de feſtiuit. Apoſt.* APVD Athenas, natalis ſancti Quadrati Epiſcopi, diſcipuli Apoſtolorum. Item natalis S. Quadrati martyris, in cuius ſolemnitate S. Auguſtini ſermones habiti inueniuntur. *Poſſidonius vnius meminit.*

Romæ, beatorum martyrum Symmetrij presbyteri, & aliorum vigintiduorum, quos Antoninus Imperator gladio pro Chriſto puniri fecit: quorum corpora nocte beata Praxedis collegit, & ſepeliuit in cœmeterio Priſcillæ, ſub die ſeptimo Kalend. Iunij.

Tuder Tuſciæ, natalis SS. Feliciſſimi, Heraclij, Paulini.

In territorio Autiſiodorenſi, paſſio ſancti Priſci martyris cum ingenti multitudine.

In Britanniis, S. Auguſtini Epiſcopi & confeſſoris. Qui miſſus à beato Papâ Gregorio, primus genti Anglorum Chriſti Euangelium prædicauit, atque illic virtutibus & miraculis glorioſus in Chriſto quieuit.

G. VI.

G. VI. KALENDAS IVNII. 27. *Maij.*

APVD Mæſiam, ciuitate Doroſtorenſi, natale ſancti Iulij, qui tempore perſecutionis cùm eſſet veteranus, & emeritæ militiæ; comprehenſus ab officialibus, & Maximo præſidi oblatus, nolens ſacrificare idolis, & nomen Domini Ieſu Chriſti conſtantiſſimè confeſſus, capitali ſententiâ punitus eſt. Cumque duceretur ad locum cædis implendæ, Eſychius quidam miles, cùm & ipſe ob fidem Chriſti comprehenſus detineretur, rogabat eum dicens: Memor eſto meî: nam & ego ſubſequor te. Plurimùm etiam ſaluta Paſſicratem & Valentionem famulos Dei, qui nos iam per bonam confeſſionem præceſſerunt ad Dominum. Iulius verò oſculatus Eſychium dixit: Frater, feſtina venire; mandata enim tua iam audierunt quos ſalutaſti. Sic accepto orario, ligans ſibi oculos, martyrij palmam gladio cædente percepit.

In Galliis, ciuitate Atauſicâ, S. Eutropij Epiſcopi cuius vitam illuſtrem virtutibus ac miraculis, Verus Epiſcopus luculento ſermone deſcribit.

A. V. KALENDAS IVNII. 28. *Maij.*

NATALIS ſancti Ioannis Papæ, quem (quia orthodoxus erat, & à Iuſtino Imperatore orthodoxo Conſtantinopolim veniens glorioſè ſuſceptus fuerat) Theodoricus Rex Arianus reuertentem in Rauennam, in cuſtodiâ tentũ, ad mortem vſque, cum aliis æquè Catholicis viris, perduxit. Huius meminit S. Gregorius in libro Dialogorum. Cuius corpus tranſlatum de Rauennâ, ſepultum eſt in baſilicâ S. Petri Apoſtoli quinto Kalendarum Ianuarij, Olybrio conſule. *Pontificale cap. 54.* *Greg. Dial. l. 3. c. 2. & lib. 4. c. 30.*

Eodem die apud Pariſium, natalis ſancti Germani Epiſcopi & confeſſoris.

Item apud Sardiniam, ſanctorum Æmilij, Felicis, Priami & Luciani.

B. IV. KALENDAS IVNII. 29. *Maij.*

ROMAE, viâ Aureliâ, ſancti Reſtituti.

Viâ Tiburtinâ, Septem germanorum.

Treuiris, beati Maximini Epiſcopi: à quo Athanaſius perſecutionem Conſtantij fugiens honorificè ſuſceptus eſt.

Item paſſio ſancti Cononis martyris, & filij eius ſub Aureliano Imperatore, in Iconio, ciuitate prouinciæ Iſauriæ, iudice Domitiano. Hic cùm eſſet fide præclarus, exhibitus Iudici cum filio ſuo annorum duodecim, Spiritum ſanctum in ſe habitare veraci confeſſione manifeſtauerũt. Primùm itaque ignito ferro ſuperpoſiti, deinde craticulam prunis ſuppoſitis & oleo ſuperinfuſo conſtanter ſuperauerunt; inde frixoriam: inde ſuſpenſi, & valido igne ſub eis adhibito, malleo ad extremum ligneo manus eorum contritæ, in laudem omnipotentis Dei, ſpiritum emiſerunt.

Eodem die, natalis ſanctorum Siſinnij, Martyrij, atque Alexandri: qui in Ananiæ partibus perſequentibus gentilibus viris, martyrij coronam adepti ſunt. Hos Vigilius Tridentinæ vrbis Epiſcopus & martyr ad regionem vicinam (cui vocabulum Anaunia) ad prædicandum miſit. Ex quibus vnus Siſinnius ſenex venerabilis, genere Græcus, ex prouinciâ Cappadociæ fuit. Igitur dum per aliquod tempus verbum Dei prædicarent, turba gentilium indignè ferens, aduerſus ſanctos Dei pugnatura conſurgit. Contigit autem, vt ſecundùm gentilem conſuetudinem, per quinquennium culturâ ruris ſui, diabolicâ pompâ ſemina ſua circumirent, luctuoſis ornatibus coronati, Saturno victimas immolaturi. Tunc & ipſi apprehenſi à multitudine gentilium, immolare iubentur. Quibus reluctantibus, tantâ cæde ſunt mactati, vt vix extremum ſpiritum traherent. Interim vnâ nocte dilatâ, mox peruenitur ad coronam martyrij. Nam ſanctus Siſinnius tubâ æreâ percuſſus in capite, atque ſecuribus confoſſus, iuxta ipſius eccleſiæ limina decubuerat. Sanctus verò Martyrius compre-

prehenſus ſtetit immobilis, & agens gratias Deo, vulneratus capite ſecuribus atque ſudibus transforatus, ducebatur ad idolum: in quo itinere reddidit ſpiritum. Multitudo autem gentilium tunc apprehendentes Sanctorum corpora, & in collo S. Siſinnij tintinnabulum ſuſpendentes, inſultabant dicentes: Modò te vindicet Chriſtus. Igitur inter corpora ſancti Siſinnij & Martyrij viuus Alexander trahendus apponitur, vt per iter aſperum membratim corpora diſiungerentur. Vbi ergo peruenerunt ad aram Saturni, ignem copioſum factum, Sanctorum corporibus immiſerunt. Sanctum autem Alexandrum flagellantes, interrogabant, ſi vellet euadere flammas, vt ſacrificaret Saturno. Sed ille contemnens impias voces, glorioſæ paſſionis excepit palmam. Hæc cùm ſextâ feriâ acta fuiſſent quando Saluator fuerat crucifixus, vmbra quædam nigra proxima terræ, mox totam texit regionem, fulminibus creberrimis diſcurrentibus, vt & ipſi impij confiterentur terrore perculſi, hoc Sanctorum cauſâ fieri. Quorum etiam reliquias cùm poſtmodum Mediolanenſes ſummâ deuotione ſuſciperent, quidam cæcus ex littore Dalmateno adueniens, tacto loculo
4. Aprilis. lumen recepit, vt ſanctus Paulinus ſcribit in vitâ S. Ambroſij.

30. Maij. G. III. KALENDAS IVNII.

Pontificale cap. 27. ROMAE viâ Aureliâ in cœmeterio, natalis ſancti Felicis Papæ. Qui cùm annis quinque rexiſſet Eccleſiam, ſub Claudio principe, martyrio coronatus eſt.

Turribus Sardiniæ, natalis ſanctorum martyrum Gabinij & Criſpuli.

31. Maij. D. PRIDIE KALENDAS IVNII.

De eâ in geſtis Nerei 12. Maij. ROMAE, S. Petronillæ virginis. Hæc fuit filia beatiſſimi Petri Apoſtoli, quæ poſt multa miracula ſanitatum, cùm eam Flaccus Comes ſuo vellet coniugio ſociare, tridui inducias poſtulans, & cum ſanctâ virgine Feliculâ collactaneâ ſuâ continuis ieiuniis atque orationibus vacans, tertiò celebratis Dominicæ oblationis myſteriis, mox vt Chriſti Sacramentum accepit, reclinans ſe in lectulo, emiſit ſpiritum.

Eodem die apud Aquileiam, natalis ſanctorum martyrum Cantij, Cantiani, & Cantianillæ fratrum.

Turribus Sardiniæ, natalis ſancti Creſcentiani.

## LITANIÆ INDICENDÆ.

## MENSIS IVNIVS

### habet dies XXX. Luna verò XXIX.

1. Iunij. E. KALENDAS IVNII.

DEDICATIO ſancti Nicomedis martyris & presbyteri apud vrbem Romam, cuius martyrium celebratur XVII. Kalend. Octobris.

Apud Cæſaream Palæſtinæ, natalis ſancti Pamphili presbyteri, viri admirandæ fidei & ſanctitatis, qui ſub perſecutione Maximini martyrio coronatus eſt. Huius vitam Euſebius Cæ-
Hieron. de Scrip. Eccl. cap. 75. ſarcenſis Epiſcopus tribus libris comprehendit. Sed & beatus Hieronymus ſcribit, quædam volumina manu eius exarata ſe reperiſſe: *Quæ tanto*, inquit, *amplector & ſeruo gaudio, vt Crœſi opes habere me credam. Si enim lætitiæ eſt vnam epiſtolam habere Martyris, quanto magis tot millia verſuum, quæ mihi videtur ſui ſanguinis ſignaſſe veſtigiis?*

Ipſo

Ipſo die, ſancti Capraſij Abbatis monaſterij Lirinenſis.

Apud Viennam, ſancti Claudij xi. Epiſcopi.

F. IV. NONAS IVNII. 2. Iunij.

ROMAE, Marcellini presbyteri & Petri exorciſtæ, ſub Diocletiano, iudice Sereno. Factum eſt dum teneretur beatus Petrus in obſcuriſſimo carcere vinculis ferreis adſtrictus, vt cuſtos carceris nomine Artemius haberet filiam dæmoniacam, quam vnicè diligebat. Cui vir Dei Petrus dixit: Audi conſilium meum Artemi, & crede vnigenitum filium Dei viui Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui eſt liberator omnium in ſe credentium. Si credideris, ſaluabitur filia tua. Cui Artemius: Miror imprudentiam conſilij tui. Te Deus tuus liberare non poteſt, cùm illi credas, & quotidie pro eius nomine plagas & vincula perferas, quomodo poterit filiam meam liberare ſi ei credidero? Si me vis credere Deo tuo, ecce ego duplicabo ſuper te catenas, & clauſtra omnia carceris muniam: te autem ipſum in ipſa ima tenebroſa ſolum includam. Si de his omnibus liberauerit te Deus tuus, credam ei. Cui beatus Petrus aſſenſum dedit, promittens ad domum illius ſe venturũ: Hoc inquam faciam non ad libitum tentationis tuæ, ſed ad declarationem diuinitatis Domini mei Ieſu Chriſti. Agitans caput Artemius, Iſte, inquit, homo nimiis paſſionibus fatigatus aliena loquitur, & hæc dicens abſceſſit. Narrauitque geſta & dicta vxori ſuæ Candidæ. Et ecce ſubitò noctis initio, adeſt homo Dei Petrus Artemio & Candidæ, indutus veſtibus candidis, tenens in manu ſuâ triumphum Crucis. In cuius veſtigia corruentes illi, clamabant: Verè vnus Deus eſt, & verus Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Statimque filia eorum, nomine & corpore virgo Paulina, à ſpiritu immundo vexata, curata eſt. Et cùm hoc fieret, omnes, qui in domo Artemij erant, crediderunt. Conuenitque multitudo vicinorum ampliùs quàm trecentorum, mulierum verò abundantior numerus, clamantium: Præter Chriſtum non eſt alius Deus. Cumque omnes cuperent fieri Chriſtiani, adduxit vir Dei Petrus Marcellinum presbyterum, qui omnes vnanimiter baptizauit. Sed Artemius omnes qui in vinculis erant abſoluit, qui & omnes Baptiſmi gratiam perceperunt. Audiens hoc iudex Serenus, iuſſit Marcellinum presbyterum & Petrum exorciſtam præſentiæ ſuæ exhiberi. Et auditum beatum Marcellinum iuſſit pugnis cædi in ambabus arteriis. At vbi defecerunt cædentes, ab eo Petro ſeparato, iuſſit vt nudus ſuper vitri fragmenta ſterneretur in cuſtodiâ, & victus ei & lumen negaretur. Petrus conuerſus ad Serenum dixit: Cùm ſis nomine Serenus, totum te nubilum & tenebroſum factis oſtendis. Tunc & ipſum Serenus iuſſit in vinculis recipi, & pedes in cippo arctiſſimo conſtringi. Factum eſt dum ſeparati eſſent, apparuit Angelus Domini Marcellino presbytero oranti nudo, & induit eum veſtimentis ſuis, & adduxit eum vbi beatus Petrus erat in cippo & ferro. Sed & ipſum ſoluit, & ambos perduxit ad domum vbi nuper baptizati orabant. Non poſt multum verò, cùm beatus Artemius cum vxore & filiâ ſententiam capitalem ſuſcepiſſent, comprehenſi & illi ab his qui ſanctos Dei Martyres puniturі erant, alligati ſunt manibus retrò ad arborem, vſque dum nunciaretur iudici Sereno de eis. Ille iuſſit eos duci in ſiluam nigram quæ hodie in honore ſanctorum Silua candida appellatur, & in eadem ambos pariter decollati. Cumque ventum fuiſſet in mediâ ſiluâ, ipſi ſibi manibus ſuis mundauerunt locum ab ſpinis, vbi orantes ſimul, & dantes ſibi pacis oſculum, genu poſito decollati ſunt; & qui eos decollauit, vidit animas eorum ſplendidè ornatas ab Angelis ferri ad cælos: & pœnitentiam agens, ſub Iulio Papâ baptizatus eſt in ſenectute ſuâ, nomine Dorotheus. Quorum corpora, reuelantibus ſe beatis Martyribus, tulerunt poſtmodum Lucilla & Firmina Chriſtianiſſimæ feminæ,

&

Digitized by Google

& iuxta ſanctum Tiburtium in inferiori parte cryptæ ſepelierunt quinto Kalend. Septemb.

Euſeb. l. 5. cap. 2. 3. Ruffin. Ipſo die Lugduni, ſanctæ Blandinæ cum XLVIII. Martyribus, temporibus Marci Aurelij Veri & Antonini atque Lucij filiorum eius, quando per multas Romani orbis prouincias, ex acclamatione & ſeditione vulgi, perſecutiones aduerſus Chriſtianos duriſſimæ concitatæ ſunt, ita vt millia multa Martyrũ per loca ſingula fierent. Quo tempore apud Lugdunum & Viennam vrbes Galliæ, erga Dei ſeruos, ſupra omne narrationis genus, ſuppliciorũ & cruciatuum modus exhibitus eſt: ita, vt primò domorũ illis prohiberetur habitatio; tum deinde vſus balnearum: pòſt etiam proceſſus ad publicum: ad vltimum, ne omnino in quolibet loco, domi foriſque, publico priuatoque, viderentur. Denique quodam adſtante Tribuno & Primoribus ciuitatis pro ſolis acclamationibus populi correpti, & in carcerem truſi ſunt Chriſtiani, vſque ad præſentiam Præſidis: cuique aduenienti offeruntur. In quos ille tantâ crudelitate vſus eſt, vt ſæuitiæ eius ſpecies ſingulas nemo poſſit exponere.

Vectius igitur Epagatus, vnus è fratribus, zelo diuino & feruore ſpiritus plenus, cùm crudelia ſeruis Dei ſupplicia videret inferri, & contra ius faſque tot pœnas humanis viſceribus excogitari, indignitatem rei vltrà non ferens, popoſcit ſe audiri. Erat enim inter ſuos nobiliſſimus & eruditiſſimus. Verùm cùm defenſionem eius non reciperet obſtinatio Iudicis, inquirit tantùm ab eo ſi & ipſe Chriſtianus eſſet. Vtque Chriſtianum ſe eſſe clariſſimâ & liberâ voce teſtatus eſt: Tamquam aduocatus, inquit, Chriſtianorum, & ipſe vinctorum numero ſocietur. Ille verò habens in ſe aduocatum pro nobis Ieſum, hoc nomine meruit honorari: ſancti presbyteri Zachariæ (qui erga ſanctos plenitudinem charitatis oſtenderat) ſecutus exemplum. Qui & ipſe dum fratribus adeſt, & defenſionem libertatis, quæ in noſtrâ religione conſiſtit, exequitur, Dominicum ſequutus exemplum, animam ſuam pro ouibus ſuis poſuit, & pro amicis.

1. Ioan. 2.

Verùm beatus Photinus Lugdunenſium Epiſcopus, cùm nonagenario maior eſſet ætate, & corpore, vtpote illius æui, inualidus, cetera iam pænè mortuus, ſolo martyrij amore viuebat; ducitur ad tribunalia, immò potiùs defertur, ſenio & languore reſolutus. Impiæ plebis vndique clamor attollitur, hunc ipſum eſſe inſonant Chriſtum. Tum verò à Præſide interrogatur, quiſnam eſſet Chriſtianorum Deus. Reſpondit: Si dignus fueris, ſcies. Hinc verò cunctos velut rabies immenſi cuiuſdam furoris inuaſit, ita vt qui propè adſtabant, pugnis, alij calcibus ſubigerent ſenem. Illi verò qui longiùs erant, quidquid furentibus teli veniſſet in manibus, eminus iaciebant. In hoc etenim vindicandos deos ſuos eſſe credebant. Quem cùm ſeminecem proieciſſent in carcerem, incontaminatum paulò pòſt reddidit ſpiritum.

Diaconus quoque Sanctus nomine, etiam ipſe ſuprà quàm dici poteſt, & ſuprà quàm humanam fas eſt ferre naturam, acriùs inſiſtentibus miniſtris dæmonum, noua genera pœnarum pertulit. At ille vir Deo plenus intantùm crudelitates eorum riſit, & ferinam in quæſtione ſæuitiam, vt numquam dignatus ſit vel quis eſſet genere, vnde domo, vel patriâ, vel nomen ſaltem ſuum eis fateri. Sed de his ſingulis interrogatus, nihil aliud in omnibus tormentis, niſi Chriſtianum ſe eſſe reſpondit. Hoc mihi nomen, hoc genus & patria eſt. Aliud, inquit, omnino nihil ſum quàm Chriſtianus. Ad vltimum candentes laminas æris & ferri circa inguinis loca & delicatiora quæque membrorum inſtauratis ignibus adhibent. Ex quo carnes quidem eius aduſtæ igne, defluebant: ipſe verò permanebat immobilis, inconcuſſus, intrepidus: omnibus membris martyr erat,

&

Digitized by Google

& toto corpore vnum vulnus horrebat. Perit in eo formæ humanæ agnitio, & non ſolùm quis eſſet, ſed & quid eſſet, tormentorum crudelitas, ne agnoſci poſſet, abſtulerat. Chriſtus tamen in eo ſolus per martyrij gloriam recognoſcebatur. Sed artifices ſcelerum nequaquam Martyris erubuere virtutem. Poſt paucos etenim dies tormenta rurſus inferunt, & denuò iam membra putrefacta vexari incipiunt. Verùm (quod vix credi poteſt) reſtitutum eſt in primam ſpeciem corpus per ſecunda tormenta, ita vt iterata ſupplicia non ei iam pœnam contulerint, ſed medelam.

Attalus quoque Pergamenus ciuis, populi vocibus poſtulatur. Erat enim valdè nobilis, & quod cunctis nobilius eſt, vir optimæ conſcientiæ, & in fide Chriſti per omnia exercitia ſemper martyr. Cumque circumactus fuiſſet in amphitheatro, titulo ſe præcedente, in quo ſcriptum erat, *Attalus Chriſtianus*: fremere in eum vulgi inſanientis furor vehementiùs cœpit. Sed cùm Præſidi indicatum fuiſſet, eſſe eum Romanæ ciuitatis virum, iubet eum cum ceteris in carcerem recipi. Simul & ad Cæſarem refert, eiuſque ſententiam, quid de eo iuberet, exſpectat. Ex vtraque autem Eccleſiâ, Lugdunenſi ſcilicet & Viennenſi, omnes qui ſtudioſi & magni videbantur, & quorum labore & induſtriâ regebantur Eccleſiæ, vniuerſi pariter tenebantur. Talibus denique diabolus machinis oppugnare parabat famulos Dei, quò ſcilicet afflictione carceris, & pœnali ſqualore conſumpti, ac ſeptimo (vt dicunt) puncto in neruo pedes, contra quàm credi fas eſt, diſtenti, in intimo tenebrarum loco, per omnia pœnarum genera, quę furentium ſæuitia excogitare poterat, deperirent. Quàm plurimi ergo hoc genere in ergaſtulis conſumuntur, Domino ſuſcipiente eorum huiuſcemodi exitum.

Alcibiades quidam erat in numero eorum, qui pro Chriſto vincti tenebantur. Hic vitam ſatis arduam & auſteram gerebat, nihil cibi volens accipere, ſed tantùm ſale & pane cum aquâ vtebatur. Cumque hunc vitæ rigorem vellet etiam in carcere poſitus obtinere, Attalo (poſt primam confeſſionem ſuam, quam in amphitheatro confeſſus eſt) reuelatur, quia non rectè faceret Alcibiades, creaturis Dei & ipſe non vti, & aliis formam ſcandali derelinquere. Quibus cognitis Alcibiades cœpit omnia cum gratiarum actione percipere. Igitur cùm à Cæſare reſcriptum fuiſſet, vt perſiſtentes quidem punirentur, negantes autem dimitterentur; die quodam celeberrimo tribunal aſcendens, præſentari ſibi Iudex Chriſtianos, & introduci ad ſuppliciorũ pompam præbendam cunctis qui aderant, iubet. Rurſum itaque cruces, rurſum pœnæ, rurſum tormenta reparantur. Producebantur autem beatiſſimi Martyres de ſuppliciis læti, & diuinum neſcio quid in ipſis vultibus præferentes, vincula ſua ſicut monilia pretioſa ducebant. Per ſqualorem carceris, Chriſti bonus odor effecti, ita vt viderentur ſibi non in ergaſtulo, ſed in myrothecio concluſi. Ingenſque ab omnibus gloria Chriſto conferebatur, pro his qui antè negauerant, & dimitti neque negantes potuerant. Siquidem decem fermè numero fuerant, qui lapſu ſuo luctum illis & ingentem triſtitiam reliquerant: nunc verò (cùm negantibus venia non præſtaretur) in confeſſione perſiſterent, & de perditionis grege reuocati in numero Martyrum iungerentur. Decernit ergo Iudex, vt ſi qui fortè ciues Romani reperirentur, capite plecterentur: ceteri verò beſtiis traderentur. 2. Cor. 2.

Igitur cùm erga ſupradictos quæſtio haberetur, Alexander quidam genere Phryx, Medicus diſciplinâ, vir religioſus & prudens, & vitæ ac morum probitate cunctis charus acceptuſque, amore Dei concitatus, cùm aſſiſteret tribunali, nutibus hortabatur ad confeſſionem, in quos quæſtio agitabatur; ita vt omnibus qui adſtabant palàm fieret quid animo gereret. Cumque id populi notauiſſent, indignantes clamauerunt aduerſus Alexandrum. Qui iuſſus à Præſide in me-

dium ſtatui,& quis eſſet interrogatus, Chriſtianum ſe eſſe liberâ profeſſione teſtatur. Quem continuò præparandum beſtiis condemnauit: & poſterâ die ſimul cum Attalo producitur. Quem contra præceptum Cæſaris, gratificari populis volens, etiam ipſum tradi beſtiis iuſſit. Sed cùm ferarum nulla, Sanctorum corpora contigiſſet, omnibus eos verberum cęterarumque pœnarum ſuppliciis cruciari iubet, beato Alexandro in omnibus quæ perpeſſus eſt pœnis, ne vnum quidem penitùs proferente ſermonem.

Attalus verò, cùm prunis ſubteriectis in ſellâ ferreâ torreretur, cumque nidor aduſtæ carnis ad nares & ora inſpectantis populi perferretur, voce magnâ clamat ad plebem: Ecce hoc eſt homines comedere, quod vos facitis. Nos enim neque comedimus homines, neque aliud quid mali agimus. Siquidem ſerui eorũ comprehenſi cùm tormenta pertimeſcerent, dæmonis inſtinctu, hoc ipſum aduerſus dominos commentati ſunt. Et cùm interrogaretur quod nomen haberet Deus, reſpondit: Qui plures ſunt, nominibus diſcernuntur; qui vnus eſt, non indiget nomine. His igitur optimis & fideliſſimis ducibus vſus omnis reliquus Sanctorum chorus, prompti & alacres, animas ſuas pro fidei libertate ponebant.

Inter hos Blandina femina beatiſſima (per quam Chriſtus oſtendit, quia ea quæ apud homines deſpecta ſunt, & in contemptu habentur, in magnâ gloriâ apud Dominum ducuntur) glorioſiſſimè coronatur. Cui à primâ luce ad veſperam tormenta ſemper innouantes, ad vltimum victos ſe tortores confitentur. Quæ & ſecundo die pulſata cruciatibus, non ſuperatur. Tertio quoque die religata àd ſtipitem, atque in crucis modum diſtenta, beſtiis pabulum præparatur. Quam cùm nulla ex beſtiis auderet attingere, rurſum reuocatur ad carcerem. Quarto etiam, verberibus acta, craticulis exuſta, & multa alia perpeſſa, ad vltimum gladio iugulatur.

Tunc & Ponticus puer annorum quindecim, per omnia tormentorum genera cum ipſâ circumactus, eius cohortatione roboratus, ante illam martyrium conſummauit.

Verùm Maturus, & Sanctus, & Attalus, munerum diebus, innumeris millibus gentium diuerſarum ad ſpectaculum congregatis, ſtatuuntur in medio arenæ. Et rurſum Maturus neophytus quidem, ſed in fide & patientiâ robuſtiſſimus, cum Sancto diacono, quaſi nihil priùs paſſi fuiſſent, ad omnia tormentorum genera renouantur. Certantibus omnimodis aduerſariis, quatenus eorum patientiam frangerent, & ab ipſo (vt ita dicam) vertice coronas eorum diriperent. Sed illis eò magis animos roborabat ſpes vicinę iam glorię, quam ſibi iamiamq; manu contingere, & contrectare dextris videbantur. Cumq; & ſuppliciorũ genera, & ſpectaculorum pęnè iam tempus eſſet abſumptum, nec moueri vlla texus à ſententiâ potuiſſent; cùm etiam ſellæ ferreæ ſuperpoſiti, conſumptam verberibus carnem ignis ſubter miniſtratus exureret, ad vltimum infatigabiles Martyrum ſpiritus, ferro cæſis ceruicibus effugarunt. Igitur inaudito ſæuitiæ genere, eorum, qui necabantur in carcere, corpora canibus iubebantur exponi. Adhibita ſimul cuſtodia die noctuque, ne quis collectas reliquias humanitatis intuitu traderet ſepulturæ. Sed & ſi quid fortè vel beſtiis vel igni reliquum ex corporibus Martyrum fuerat, ipſaq; cum truncis ſuis capita punitorum, inſepulta per cuſtodiam militum ſeruabantur. Neque verò muneribus ſuadere cuſtodes, neque precibus, aut vllo alio genere copia erat: ita attentè & ſolicitè curabant, ne daretur extremis oſſibus ſepultura. Hæc ſcripta, in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ libro quinto. *Euſeb. li. 5. cap. 1. 2. 3. ex verſione Ruffini.*

Nomina verò quadraginta octo Martyrum hæc ſunt: Photinus Epiſcopus, Zacharias presbyter, Epagatus, Macarius, Alcibiades, Siluius, Primus, Vlpius, Vitalis, Cominus, October, Philuminus, Geminus, Iulia, Albina, Grata, Roga-

Rogata, Æmilia, Potamia, Pompeia, Rhodana, Biblis, Quartia, Materna, Helpes, quæ & Amnas. Hi ſunt autem qui beſtiis traditi ſunt: ſanctus Maturus, Attalus, Alexander, Ponticus, Blandina. Hi verò qui in carcere ſpiritum reddiderunt: Ariſtæus, Cornelius, Zoſimus, Titus, Iulius, Zoticus, Apollonius, Geminianus, Iulia, Auſonia, Æmilia, Iamnica, Pompeia, Domna, Iuſta, Trophima, Antonia. Hi omnes famuli Chriſti ſub præfatis Imperatoribus pariter coronati ſunt. Reliquiæ eorum à perſecutoribus incenſæ, & in Rhodanum fluuium diſperſæ. Sed cùm Chriſtiani maximum mœrorem haberent, quaſi deperiſſent ſacræ reliquiæ, nocte apparuerunt Sancti viris fidelibus, in eo loco quo igni traditi ſunt, ſtantes integri & illæſi. Et conuerſi ad viros, dixerunt eis: Reliquiæ noſtræ ab hoc colligantur loco, quia nullus periit è nobis. Sed ex hoc tranſlati ſumus ad requiem, quam nobis promiſit Rex cælorum Chriſtus, pro cuius nomine paſſi ſumus. Hæc renuntiantes viri illi, gratias egerunt Deo, & confortati ſunt in fide: colligenteſque ſacros cineres, condigno honore ſub ſancto altari condiderunt. Vbi ſemper virtutibus manifeſtis, ſe cum Deo habitare declarant. Harum feſtiuitatem ciues Lugdunenſis vrbis, omnibus vndequaque lætanter accurrentibus, per deſcenſum fluminis, cum hymnis & canticis gratulationis concelebrantes, Miſſarumque ſolemnia in Apoſtolorum eccleſiâ (vbi ſancti cineres eorum conditi ſeruantur) feſtiuè Domino reddentes, ex antiquorum traditione, ipſam diem MIRACVLORVM appellant. Locus in quo paſſi ſunt, Athanaco vocatur: ideoque dicuntur martyres Athanacenſes.

G. III. NONAS IVNII. *3. Iunij.*

APVD Aretiam, ciuitatem Tuſciæ, natalis ſanctorum martyrum Pergentini & Laurentini fratrum, qui perſecutione Decij, ſub iudice Turtio, cùm eſſent pueri, poſt dura ſupplicia toleratâ, & magna miracula oſtenſa, gladio cæſi ſunt, & apud eamdem vrbem conditi.

In Campaniâ, natale beati Eraſmi Epiſcopi & martyris ſub Diocletiano & Maximiano. Qui iuſſu impij Diocletiani Imperatoris primò plumbatis crudeliter cæſus, deinde fuſtibus diutiſſimè maceratus, pòſt reſinâ, ſulfure, plumbo, pice, cerâ, oleoque ſolutis perfuſus, ingenti miraculo illæſus apparuit. Quod cùm multi viderent, fidem Chriſti, reiectis idolis, ſuſceperunt. Inde immenſo pondere ferri conſtrictus, in carcere recluſus eſt ſub dirâ cuſtodiâ. De quâ Angelicâ viſitatione ſoluitur atque eripitur. Verùm poſtmodum clariſſima miraculorum ipſius geſta famâ vulgante, tentus eſt ab altero Imperatore Maximiano, à quo diuerſis ſuppliciis tortus fuit, intantùm, vt tunicâ æreâ ignitâ veſtiretur. Iterumq; in ollâ, quæ plumbo, pice, cerâ, reſinâ, & oleo ferue facta erat, miſſus, virtute Domini omnia ſuperans illæſus exinde progreditur. Sicque tandem ad confirmandum ceteros à Domino ſeruatus, Campaniam munitus Angelico ſolatio peruenit. Vbi cùm plurimos ſiue in fide roboraſſet, ſiue ad fidem Chriſti conuertiſſet, vocante Domino, martyrio clarus ſancto fine quieuit.

A. PRIDIE NONAS IVNII. *4. Iunij.*

APVD Illyricum ciuitate Siſciâ, natalis S. Quirini Epiſcopi. Qui perſecutione Maximiani pro fide Chriſti, ligato ad manum molari ſaxo, in flumen præcipitatus eſt. Et cum circumſtantibus diu collocutus, ne eius terrerentur exemplo; vix precibus vt mergeretur obtinuit. Huius reliquiæ tranſlatę ſunt Romam, & poſitæ in Catacumbas. *Prudent. hymn. 7.*

B. NONIS IVNII. *5. Iunij.*

APVD Ægyptum, natalis ſanctorum martyrum Martiani, Nicandri, & Apollonij, quorum geſta habentur.

Eodem die natale S. Bonifacij martyris ſub Diocletiano & Maximiano apud

Tarſum ciuitatem paſſi, ſed Romæ, in viâ quæ Latina nuncupatur, ſepulti. Qui cùm eſſet procurator rerum cuiuſdam nobilis matronæ nomine Aglahes, & cum eâ in ſtupro miſceretur, tandem vtrique diuino nutu compuncti, conſilium habuerunt, vt ad requirendum corpora Martyrum Bonifacius mitteretur, ſi quo modo ſeruientes atque obſequentes eis, per eorum orationes ſaluari mererentur. Perueniens igitur poſt dies aliquot Tarſum ciuitatem, dicit ad eos, qui cum eo erant, Bonifacius: Viri, euntes requirite nobis hoſpitium, ego autem ibo videre eos, quos valdè deſidero, Martyres certantes. Feſtinans itaque ad locum, videt beatiſſimos, alium ſuſpenſum per pedes, igne ſubtus poſito; alium in quatuor lignis extenſum, & diutiſſimè afflictum; alium vngulis exaratum; alium manibus abſciſum; alium ſtipitem in collo habentem infixum, & à terrâ eleuatum: & ſic per diuerſa ſupplicia, martyria ab impio carnifice diſpoſita. Cùm eminus feruens amore Chriſti & ipſe reſpiceret, Magnum Deum ſanctorum Martyrum clamare cœpit. Et accurrens conſedit pedibus eorum, deoſculans vincula, & dicens: Certate Martyres Chriſti, calcate diabolum, modicùm perſeuerate. Paruus quidem labor, ſed multa requies, & ineffabilis poſtmodùm ſatietas. Adſpiciens autem Simplicius iudex, iuſſit eum applicari ad tribunal, cui & dixit: Quis es tu? Sanctus Bonifacius dixit: Chriſtianus ſum, & Bonifacius vocor. Tunc iratus Iudex, iuſſit eum ſuſpendi, & tam diu corpus eius vngulis radi, donec oſſa eius apparerent: deinde calamos acutos ſub vngulis manuum eius affigi. Cumque ſanctus Dei Martyr in cælum adſpiciens alacriter dolores toleraret, videns impius Iudex, iuſſit aperiri os eius, & plumbum bulliens infundi. Sanctus autem Martyr dicebat: Gratias tibi ago Domine Ieſu Chriſte fili Dei. Deinde Iudex iuſſit afferri ollam, & eam pice impleri, atque ſanctum Martyrem verſo capite in bullientem picem mitti. Sed cùm nihil læſus eſſet, iuſſit impius Iudex, vt gladio caput eius abſcideretur. Quo facto, terræmotus magnus factus eſt, ita vt multi infideles virtutem Chriſti in Martyre cementes, crederent. Conſerui verò martyris Bonifacij, circuibant vbique requirentes eum, & non inuenientes, ad inuicem dicebant: Ille modò in adulterio, aut in tabernâ poſitus epulatur. Cùm ergo inter ſe colloquerentur, contigit, vt obuiaret eis vnus de Commentarienſibus, quem interrogauerunt: Vidiſti aliquem virum peregrinum Romanum? Ille ait eis: Heſterno die vir peregrinus abſciſus eſt capite in ſtadio. Et iterùm interrogant: Qualis erat adſpectus eius? At ille dixit: Vir quadratus & craſſus, robuſto capillo, coccineâ armelauſiâ indutus. Et dicit eis: Ille quem quæritis, apud nos heſterno die martyrio eſt finitus. Aiunt illi: Homo, quem nos quærimus, adulter eſt & ebrioſus. Dicit eis ille: Venite, videte eum. Cumque oſtendiſſet eis corpus, & pretioſum caput eius, dixerunt ei: Iſte eſt quem quærimus, petimus vt des nobis eum. Qui reſpondit: Ego gratis corpus eius dare vobis non poſſum. Illi autem dantes ei ſolidos quingentos, acceperunt corpus ſancti Martyris, & vngentes aromatibus, inuoluenteſque linteaminibus pretioſis, poſuerunt illud in Baſternâ, & ſic reuertebantur gaudentes, & glorificantes Deum. Angelus autem Domini apparens dominæ quondam ipſius, rem factam beati Martyris indicauit. Quæ confeſtim cum omni veneratione obuiauit ſancto corpori, & ædificans ei domum dignam, repoſuit illud in eâ, ab vrbe Româ ſtadiorum quinque. Martyrizatus eſt autem ſanctus martyr Bonifacius XIV. die menſis Maij apud Tarſum metropolim Ciliciæ, & ſepultus eſt Romæ Nonis Iunij. Beata verò Aglahes abrenuntiauit mundo & pompis eius, diſtribuens vniuerſa quæ poſſidebat egenis ac monaſteriis, relaxans vniuerſam familiam ſuam à iugo ſeruitutis, & tantam gratiam à Domino promeruit, vt in eius nomine virtutũ ſignis clareſceret.

ret. Superuixit autem in habitu ſanctimoniali annos tredecim, & ſepulta eſt apud præfatum Martyrem, operibus piis conſummata.

Eodem die, S. Bonifacij, qui de Britanniis veniens, & fidem Chriſti gentibus euangelizans, cùm maximam multitudinem in Friſiâ Chriſtianæ religioni ſubiugaſſet, nouiſſimè à paganis, qui ſupererant, gladio peremptus, martyrium conſummauit cum Eoban coëpiſcopo, & aliis ſeruis Dei.

C. VIII. IDVS IVNII. *6. Iunij.*

SANCTI Philippi diaconi, qui fuit vnus de ſeptem. *Vide lib. De feſt. Apoſt.*

Eodem die apud Tarſum Ciliciæ, Martyrum viginti, ſub iudice Simplicio, temporibus Diocletiani & Maximiani Imperatorum, qui per diuerſa ſupplicia glorificauerunt Dominum in corporibus ſuis. *Aug. li 22. de ciu. Dei, cap. 8.*

Eodem die Romæ natale S. Artemij cum vxore ſuâ Candidâ, & filiâ Paulinâ. Hic Artemius cùm eſſet cuſtos carceris, & clauſum teneret beatum Petrum exorciſtam in cuſtodiâ, eſſetque illi filia vnica dæmonio vexata, B. Petri precibus mox vt ſanata eſt, Chriſto cum vxore pariter & eâdem filiâ credens, à B. Marcellino presbytero baptizatus eſt, omniſque domus eius & multi alij: ita vt abſque mulieribus, virorum fierent trecentorũ. Hoc iudex Serenus audiens factum, Artemium, Candidam, & filiam ipſorum Paulinam ſibi præſentatos, immenſo pondere ruderum iuſſit obrui. Sicque Sancti Dei perducti ad paſſionis locum, B. quidem Artemius gladio percuſſus, ſancta verò Candida atque Paulina per limina cryptæ præcipitatæ, lapidibus ſunt obrutæ. *De his in geſtis ſanctorum Marcell. & Petri 2. Iunij.*

D. VII. IDVS IVNII. *7. Iunij.*

CONSTANTINOPOLI, natalis S. Pauli, eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, qui tempore Arianæ perfidiæ, à Conſtantino Imperatore, apud ciuitatulam quamdam Cappadociæ, Cucuſam nomine, ob Catholicam fidem pulſus exilio, Ariatorum inſidiis crudeliter ſtrangulatus, ad cæleſtia regna migrauit.

In Cæſareâ Cappadociæ, natalis S. Luciani martyris.

E. VI. IDVS IVNII. *8. Iunij.*

IN Galliis Sueſſionis ciuitate, natalis S. Medardi Epiſcopi & confeſſoris.

Andegauis, S. Licinij Epiſcopi & confeſſoris.

Item eodem die, S. Carileſi confeſſoris.

F. V. IDVS IVNII. *9. Iunij.*

ROMAE in monte Cælio, natale SS. Primi & Feliciani ſub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus. Qui glorioſiſſimi martyres in Domino ſemper viuentes, à Pontificibus templorum apud Imperatores, quòd Chriſtiani eſſent, accuſati ſunt & inquiſiti. Erant enim ciues Romani, adductique ſunt in conſpectu Imperatorum, & iuſſerunt eos ferro vinctos in carcerem recludi, vbi adfuit eis Angelus Domini, qui eos conſolaretur. Poſt aliquot verò dies iuſſerunt eos Imperatores ſuis adſpectibus præſentari, & iuſſerunt militibus, vt ducerent eos ad fanum Herculis; & ſi ſacrificare nollent, fortiter eos pœnis affligerent. Verùm cùm nullâ poſſent eos ratione mouere, ſed pro Chriſti nomine optarent magis mori, extenderunt eos milites, & virgis fortiter mactauerunt. Et cùm renuntiaſſent Imperatoribus milites quæ geſta ſunt, irati valdè iuſſerunt eos tradi Promoto præſidi ciuitatis Numentanæ, vt diuerſis pœnis eos interficeret. Et accipientes eos milites, duxerunt in viam, quæ dicitur Numentana, miliario XIII. ferro vinctos, & miſerunt eos in carcerem iuxta forum ciuitatis, vbi iterùm Angelicâ viſitatione releuantur. Poſt multum verò temporis iuſſit ſibi Promotus præſes in foro ciuitatis tribunal præparari. Et cùm intromiſſi fuiſſent Primus & Felicianus, & iubente Præſide fuiſſent poſt reſponſionem ab inuicem ſeparati, primò beatum Felicianum iuſſit Præſes cum plumbatis cædi, dicens ei: Vt quid

non deponis iſtam inſaniam pectoris tui, vt eligas dies bonos & iucundos, & non diuerſis tormentis corpus tuum maceretur? Beatus Felicianus dixit: Octoginta annos vitæ habeo, ſuntque anni triginta quòd agnoui veritatem Dei, & nihil de blandimentis huius mundi cogitans, elegi ſeruire Creatori meo, æterno omnipotenti Deo. Tunc Præſes iuſſit eum ligari ad ſtipitem, & aculeos in manibus eius ac pedibus figi, & diu torqueri. Et per tres dies neque panis neque aqua, neque vllum genus cibi ei miniſtratum eſt. Cumque per triduum continuò maneret in Dei laudibus, iuſſit eum Præſes flagellis cædi, & de ſtipite ſic deponi, & in cuſtodiâ recludi, ac poſtmodum applicari ſibi ſanctum Primum. Quem validiſſimis fuſtibus cæſum, deinde in equuleo leuatum, lampades circa latera eius iuſſit apponi: & depoſitum de equuleo, præcepit reliquari plumbum ſuper beatum Martyrem extenſum, & bulliens in os eius infundi. Tunc fecit præſentem eſſe beatum Felicianum. Sed cùm inuictiſſimi perſiſterent ſancti Martyres, anguſtiatus Præſes iuſſit eos ad Amphitheatrum duci, & duos leones eis dimitti. Quibus ad pedes Sanctorum ruentibus, laxati ſunt & vrſi ferociſſimi: ſed & ipſi Martyrum virtute ſæuitiam perdiderunt. Quod videntes hi qui ad ſpectaculum venerant, pænè mille quingenti viri miraculis perculſi, crediderunt in Domino Ieſu Chriſto. Verùm Præſes cùm inſuperabiles eos cerneret, gladio animaduerti præcepit. Quorum corpora noctu à Chriſtianis fidelibus rapta, ſepulta ſunt ad Arcus Numentanos, intra arenarium, quinto Idus Iunij, ab vrbe Româ miliario quartodecimo.

In Galliis, ciuitate Aginno, loco Pompeiaco, paſſio ſancti Vincentij leuitæ & martyris.

*10 Iunij.* G. IV. IDVS IVNII.

ROMAE viâ Aureliâ, miliario decimotertio, natalis ſanctorum Baſilidis, Tripodis, & Mandalis, ſub Aureliano Imperatore, præſide Platone, & aliorum viginti Martyrum.

Eodem die, natale B. Getulij martyris, tempore Adriani Imperatoris, ſub iudice Licinio. Hic in omni lege diuinâ erat doctiſſimus, & per eius doctrinam multi in fide Chriſti erudiebantur. Cuius famam Adrianus Imperator audiens, direxit Cerealem vicarium ad tenendum eum. Qui veniens, ſanctum Getulium ſedentem, & docentem multos reperit. Fuerat autem idem Cerealis in conſpectu Adriani cum fratre beati Getulij Amantio acceptus; Amantius verò Tribunus, ob metum Adriani abſconſus latebat: quem Cereali beatus Getulius declarauit. Ille eo viſo, gauiſus eſt valdè, & inſtructus diligenter de Domino Ieſu ab eis, cùm iam fideliter crederet, venerunt ad vrbem Romam, & accerſito beato Sixto Epiſcopo, aſſignauerunt ei locum vbi baptizaretur. Quem beatus Sixtus verè Chriſtianam fidem amantem baptizauit. Eodem tempore quidam Vincentius nomine, nummorum arcarius, comperiens vicarium Cerealem Chriſtianum, iratus valdè nuntiauit hoc Adriano. Qui mox Licinium conſularem direxit, vt teneret Cerealem: qui, ſi immolare nollet, incendio cremaretur. Cum quo beatus Getulius, & Amantius, & Primitiuus tenti ſunt. Licinius conſularis Cereali vicario dixit: Sic deſperaſti de vitâ tuâ, vt præcepta Principum, qui dominantur in vniuerſo mundo, contemnere videaris? Cui beatus Cerealis: Et theſauros publicos declinatione perfectâ tradidi in publicum, & Domino Ieſu Chriſto ſeruire promitto, & vitâ æternâ me frui credo. Licinius dixit: Si deſideras viuere, an mori, dicito. Cui beatus Cerealis: Ego ſi non deſiderarem viuere, Chriſtum non confiterer. Tunc conuerſus ad ſanctum Getulium Licinius dixit: Sacrifica deo Ioui & Marti. Cuius verba riſit beatus Martyr. Licinius verò accenſus irâ, iuſſit eos exſpoliari, & cædi; deinde in carcerem diebus vigin-

vigintiſeptem recludi. Et veniens Romam, Adriano de eis iterùm innotuit: qui
iuſſit eos incendio tradi. Sanctus verò Getulius cùm in igne ſuperuiueret, fuſti-
bus illiſo capite martyrium compleuit. Conſummati ſunt beati Martyres in fun-
do Capreolis, viâ Salariâ, ab vrbe Româ plus minùs miliario decimotertio, ſu-
pra fluuium Tiberim, * in partes Auinienſium. Quorum corpora collegit beata *al. in parte Sabinenſium.
Symphoroſa, vxor beati Getulij martyris. Quæ non longè pòſt cum ſeptem ſuis
filiis martyrizauit, videlicet vigeſimoſeptimo die menſis Iunij. Et ſepulta eſt in
prædio ſuo, in Arenario, loco & oppido ſuprà nominato.

A. III. IDVS IVNII. *11. Iunij.*

NATALIS S. Barnabæ Apoſtoli, cuius corpus tempore Zenonis Impetato- *Vide libell. De feſtiuit. Apoſt.*
ris ipſo reuelante repertum eſt.

Eodem die apud Corinthum, S. Soſthenis, diſcipuli S. Pauli Apoſtoli.

Apud Aquileiam, natale SS. martyrum Felicis & Fortunati, ſub perſecutione
Diocletiani & Maximiani Imperatorum, Præſide Euphemio. Qui cùm eſſent
germani fratres fide Chriſti feruentes, deferente Apamio, qui erat vnus ex offi-
cio Præſidis, vincti ferro, Aquileiam iudici Euphemio perducuntur. Vbi cùm
Chriſtum conſtantiſſimè faterentur, ab irato Iudice primùm in equuleo ſunt
ſuſpenſi, ardentibus lampadibus circa latera appoſitis, ſed mox pſallentibus
Martyribus extinctis, inde per ventrem feruẽti oleo ſuperfuſi; ad vltimum, cùm
in confeſſione Chriſti durarent, foràs ciuitatem ducti, ad fluuium qui ciuitati
adiacet, capite truncantur. Inde nocte à religioſis viris eiuſdem vrbis Aquileiæ
ſub aromatibus & linteaminibus inuoluti, ablati ſunt atque ſepulti. At ciues
Vicetiæ ſuperuenientes, eorum corpora perducere ad ſuam ciuitatem medita-
bantur. Non permittentibus autem Aquileienſibus, & multùm renitentibus,
tandem pia contentio ita finita eſt nutu diuino, vt Felicem Vicetini, Fortunatum
haberent Aquileienſes: ita tamen, vt caput beati Felicis Aquileia, caput verò
Fortunati Vicetia ſortiretur. Quod factum in laudem Domini noſtri Ieſu Chri-
ſti vſque hodie permanet.

B. PRIDIE IDVS IVNII. *12. Iunij.*

MEDIOLANI, natale SS. martyrum Nazarij, & Celſi pueri. Beati Nazarij
pater Africanus, mater verò Perpetua, à beato Petro Apoſtolo baptiza-
ti: ipſe verò S. Nazarius à ſancto Clemente inſtructus & baptizatus eſt. Quem
Anolinus ſub rabie perſecutionis, quæ per Neronem excitata eſt, diu maceratum
& afflictum in carcere, & cum eo beatiſſimum Celſum puerum, quem idem
ipſe nutrierat, gladio feriri iuſſit. Quorum corpora Chriſtiani furati, quinto
Kalendas Auguſti ſepelierunt foris portam, quæ dicitur Romana, in propriis
hortis. Reuelabant autem ſe beatiſſimi Martyres cuidam Ceratio nomine, cui
vxor Fortunata, & per viſum monuerant ſe occultari propter rabiem perſecu-
tionis, quam Nero impius excitauerat. Latuerunt verò vſque ad tempora Ho-
norij & Arcadij Imperatorum. Quos beatus Ambroſius Domino reuelante re-
perit. Patefacto autem ſepulcro, in quo iacebat corpus ſancti Nazarij, (qui
quando paſſus fuerit, vt ſcribit ſanctus Paulinus, vſque tunc temporis ignora-
batur) viderunt ſanguinem Martyris ita recentem, qui præſentes erant, quaſi
eodem die fuiſſet effuſus. Caput etiam ipſius, quod ab impiis fuerat abſciſum,
ita integrum atque incorruptum, cum capillis capitis & barbâ, vt videretur eo
tempore, quo leuabatur, lotum, atque in ſepulcro compoſitum. Etiam odore
tanto repleti ſunt, vt omnium aromatum vinceret ſuauitatem. Quo leuato, &
lecticâ compoſito, ſtatim ad ſanctum Celſum martyrem, qui in eodem hor-
to poſitus erat, ad orationem ſanctus Epiſcopus perrexit, & tranſtulit ad baſili-
cam Apoſtolorum, quæ eſt in Romanâ. Inuenti autem & tranſlati ſunt pridie

Idus Iunij: feſtiuitas verò agitur de martyrio, quinto Kal. Auguſti. Commemoratio etiam eorum publica & celebris in die SS. Geruaſij & Protaſij à fidelibus populis frequentatur, & venerabiliter excolitur.

Item beati Baſilidis, Cyrini, Naboris.

Sed & Nazarij & Celſi, quos duos paſſos fuiſſe apud Ebredunenſem vrbem, antiquitas memorando celebrat.

13. Iunij. C. IDIBVS IVNII.

De hac in geſtis Nerei & Achillei 12. Maij.

ROMAE, natalis ſanctæ Feliculæ virginis & martyris. Quam cùm Flaccus Comes poſt exceſſum Petronillæ vellet ducere vxorem, atque ad terrendum propoſuiſſet ei, dicens: Vnum tibi è duobus elige, aut eſto vxor mea, aut diis ſacrifica. reſponſum ab eâ accepit: Nec vxor tua ero, quia Chriſto ſacrata ſum: nec diis tuis ſacrificabo, quia Chriſtiana ſum. Tunc Flaccus tradidit eam Vicario, qui fecit eam in tenebroſo claudi cubiculo, ſine cibo, per ſeptem dies. Inde perſeuerantem in confeſſione Chriſti cùm eieciſſent, duxerunt eam ad virgines Veſtæ, ibique per alteros ſeptem dies ſine cibo permanſit, eò quòd nullâ ratione de earum manibus cibum pateretur accipere. Poſt hoc leuata in equuleum clamabat, dicens: Modò cœpi videre amatorem meum, in quo amor meus fixus eſt. Cumque ei tortores dicerent, Nega te Chriſtianam, & dimitteris. Illa clamabat: Ego non negabo amatorem meum Chriſtum, qui propter me felle cibatus, & aceto potatus, ſpinis coronatus, & crucifixus eſt. Poſt hæc depoſita eſt, & præcipitata in cloacam. Sanctus autem Nicomedes presbyter in ſpeculis poſitus, occultè leuauit eam, & per noctem in birote perduxit ad caſellam ſuam ſeptimo ab Vrbe miliario, viâ Ardeatinâ, ibique eam ſepeliuit.

14. Iunij. D. XVIII. KALENDAS IVLII.

ELISEI Prophetæ, qui apud Samariam Palæſtinæ, quæ poſteà Sebaſtea, id eſt Auguſta, in honorem Auguſti ab Herode vocari cœpit, ſitus eſt. Vbi & Abdias propheta requieſcit, & quo maior inter natos mulierum non fuit Ioannes Baptiſta. Vbi ad ſepulcra Sanctorum tam tremenda fiunt miracula, vt variis illic dæmones rugiant cruciatibus, & homines ab eis obſeſſi audiantur vlulari luporum vocibus, latrare canum, fremere leonum, ſibilare ſerpentium, mugire taurorum. Cernuntur alij rotare ceſpite, & poſt tergum terra verticem tangere, ſuſpenſiſque pedibus feminis veſtes non defluere in faciem. Vbi etiam in monte vicino duæ viſuntur ſpeluncæ, in quibus perſecutionis & famis tem-
3. Reg. 18. pore, Abdias centum Prophetas aluit pane & aquâ. Scribit beatus Hieronymus
Hier. ep. 27. ad Euſtoch. in libro de vitâ ſanctæ Paulæ.

Sueſſionis ciuitate, paſſio SS. martyrum Valerij & Rufini.

Apud Cæſaream Cappadociæ, ſancti Baſilij Epiſcopi, fratris Gregorij & Petri. Qui cùm eſſet omnibus virtutibus fundatus, & quodam tempore à Valente Imperatore in exilium pro fide cogeretur: exhibitus ad tribunal Præfecti, terroribuſque (vt illi moris eſt poteſtati) & minis maximis agi cœpit: & niſi præceptis Principis obediret, interitum ſibi iamiamque ſperaret impendere. Tunc ille intrepidus & abſque vllâ animi perturbatione hæc ſibi minitanti Præfecto reſpondiſſe fertur: Atq; vtinam aliquid mihi eſſet digni muneris quod offerrem huic, qui maturiùs Baſilium de nodo follis huius abſolueret. Cumque daretur ei nox, quæ erat media, ad ſpatium deliberandi: reſpondiſſe denuò perhibetur: Ego craſtino ipſe ero, qui nunc: tu te vtinam non mutares. Et illâ quidem nocte vxor Imperatoris velut tortoribus tradita, cruciatur. Filius verò, qui eis erat vnicus, extinctus, paternæ impietatis ſoluit ſupplicia. Ita vt ante lucem miſſi, qui rogarent Baſilium, vt precibus ſuis intercederet pro eis, ne etiam ipſi & quidem multò iuſtiùs interirent. Sic accidit, vt cùm omnes Catholicos expulerit Valens,

Valens, Baſilius vſque ad vitæ exitum intemerato communionis ſacramento in Eccleſiâ perdurarit.

Viennæ, ſancti Erherij Epiſcopi.

E. XVII. KALENDAS IVLII. 15. Iun.

APVD Siciliam, natale ſanctorum martyrum Viti, Modeſti, & Creſcentiæ. Qui beatus Vitus in puerili ætate virtutibus maturus, primùm à patre ſuo ſacrilego Hilâ, vt à cultura Dei recederet, tentatus eſt: deinde à Valeriano iudice catomis cæſus in confeſſione permanſit. Inde redditus patri. At cùm pœnis affligere illum pater meditaretur, monitu Angeli nauem conſcendens, comitantibus ſe Modeſto & Creſcentiâ nutritoribus, ad Tanagritanum territorium deuenit. Inde propter filiam Diocletiani Imperatoris à dæmonio vexatam quæſitus, & adductus ad Diocletianum, ipſam eius filiam oratione curauit. Sed cùm multis donis promiſſis ei impius Imperator ſuadere vellet, vt culturam diis impenderet, eiuſque animum de bono propoſito mutare non poſſet, arctiſſimis vinculis ferreis adſtrictum, in carcerem teterrimum induci iuſſit, & cum eo pariter Modeſtum atque Creſcentiam. Deinde circumſtante populo in Amphitheatro ſiſtuntur. Quos Diocletianus in ollam reſinâ & pice ſuccenſam, & plumbo ſoluto feruefactam, iactari præcepit. Vbi ſancti Martyres pſallentes in modum trium puerorum, hymnum Deo dicebant. Dan. 3. Et egreſſi illæſo vultu de ollâ, dimiſſus eſt eis leo ferociſſimus. Qui mox ad pedes eorum cecidir, & linguâ ſuâ pedes Martyrum lingere cœpit. Ad vltimum victus per omnia ſacrilegus Imperator, ſimul & videns multitudinem populi miraculo perculſam, ad Chriſtum verum Deum conuerſam, cataſtam parari iuſſit, & ſeruos Dei ſuperextendi. Cumque cæderentur Martyres Dei, oſſaque diſcinderentur, tonitruum magnum factum eſt, coruſcationes, atque tam magnus terræmotus, vt templa deorum corruerent, & multos opprimerent. Florentia verò femina illuſtriſſima, corpora ſanctorum collegit, & in loco, qui dicitur Marianus, condita aromatibus ſepeliuit.

Eodem die apud Mæſiam ciuitate Doroſtoro, ſancti Eſychij militaris, qui cum beato Iulio comprehenſus, ſub præſide Maximiano, poſteà martyrio coronatus eſt.

F. XVI. KALENDAS IVLII. 16. Iunij.

APVD Antiochiam, natalis SS. martyrum Cyrici & Iulittæ matris eius: quorum prior poſt dira verbera etiam calicem cum aceto & ſinapi in os accepit: deinde pariter clauis confixi, euulſis oculis in carcerem truſi ſunt. Poſt hæc decaluati & excoriati, ſuper carbones in lecto æreo aſſati ſunt. Ad vltimum ferris attriti, amputatis linguis, martyrij ſui curſum obtruncatione capitis impleuerunt. Paſſi ſunt cum eis & alij CCCC IV.

Apud vrbem Viſontionenſem, SS. martyrum Ferreoli presbyteri, & Ferrutionis diaconi, qui à beato Irenæo Lugdunenſi Epiſcopo & martyre ad prædicandum verbum Dei miſſi, ſub Claudio iudice ad trochleas extenſi & flagellati, deinde in carcerem recluſi, & manè amputatis linguis prædicabant verbum Dei. Poſt hæc ſubulæ triginta vtriſque infixæ manibus & pedibus & pectore: ad vltimum gladio feriuntur.

Ciuitate Nannetis, S. Similiani Epiſcopi & confeſſoris.

Lugduni, depoſitio ſancti Aureliani Epiſcopi Arelatenſis.

G. XV. KALENDAS IVLII. 17. Iunij.

ROMAE, SS. Martyrum ducentorum ſexaginta duorum, qui poſiti ſunt viâ Salariâ veteri, ad Cliuum cucumeris.

Eodem die S. VVultmari confeſſoris, admirandæ ſanctitatis & religionis viri.

A. XIV.

Digitized by Google

18. *Iun.* A. XIV. KALENDAS IVLII.

*De his in geſtis S. Sebaſtiani 20. Ian.* ROMAE viâ Ardeatinâ, natalis S S. martyrum Marci & Marcelliani, præclariſſimi generis, Tranquillini & Marciæ filiorum: qui primò carcerem pro fide paſſi, poſtmodum à Fabiano duce tenti, ad ſtipitem ligati, in pedibus clauos acutos acceperunt. Quibus cùm diceret inſanus Iudex: Infelices ac miſeri deponite amentiam, & liberate voſmetipſos à cruciatibus imminentibus: reſponderunt, Numquam tam benè epulati ſumus. Modò cœpimus eſſe fixi in amore Chriſti. Vtinam nos ſic eſſe, ſicut ſumus, tamdiu permittas, quamdiu huius tegimur corporis indumento. Cumque tranſiſſet vna dies & vna nox, & illi in pſalmis & hymnis laudantes Chriſtum perſeuerarent, lanceis per latera tranſfixi, cum gloriâ martyrij ad ſiderea regna migrauerunt.

19. *Iun.* B. XIII. KALENDAS IVLII.

MEDIOLANI, natalis S S. Geruaſij & Protaſij martyrum. Qui beatiſſimi cùm per decem annos in vno cœnaculo concluſi, lectionibus & orationibus atque ieiuniis vacaſſent, vndecimo ad palmam martyrij peruenerunt. Tenti ab Aſtaſio comite, qui primum tam diu iuſſit plumbatis contundi, quàm diu exhalaret ſpiritum: ſequentem verò, id eſt Protaſium, fuſtibus cæſum capite truncari. Quorum corpora Philippus vir religioſus vnà cum filio ſuo furtim abſtulit, & in domo ſuâ, in arcâ marmoreâ ſepeliuit. Quorum ſepulcra multo pòſt tempore Theodoſio imperante, Domino reuelante, B. Ambroſius reperit. Et ita incorrupta eorum corpora, ac ſi eodem die Martyres fuiſſent interempti. Quæ cùm in vrbem introducerentur, quidam diu cæcus feretri tactu lumen recepit.

*Ambroſ. ſerm. 91. & lib. 10. epiſt. 85.*

Apud Rauennam, S. Vrſicini martyris, qui ſub iudice Paulino poſt nimia tormenta in confeſſione Domini immobilis permanens, capitis abſciſione martyrium conſummauit. Sepultuſque eſt in eadem vrbe à beato Vitale patre ſanctorum Geruaſij ac Protaſij.

20. *Iun.* C. XII. KALENDAS IVLII.

ROMAE, natale ſancti Nouati, fratris Timothei presbyteri, qui à beatis Apoſtolis eruditi ſunt. De quo Nouato ſcribit Paſtor in geſtis Pudentianæ & Praxedis virginum ad prædictum Timotheum germanum eius. Venerabilis, inquit, virgo Praxedis poſt tranſitum germanæ ſuæ * Potentianæ, valdè afflicta erat. Ad quam conſolandam veniebant multi nobiles Chriſtiani, ſimul cum ſancto Pio Epiſcopo, inter quos germanus veſter Nouatus, & qui eſt frater noſter in Domino, quique multos Chriſtianos pauperes donis ſuis reficiebat, & vos frequenter cum beatiſſimo Pio Epiſcopo ad altare Domini commemorabat. Poſt annum verò & dies viginti octo, ægritudine detentus eſt idem Nouatus, & abſens erat à conſpectu virginis Praxedis. Pio autem Epiſcopo cogitante de omnibus Chriſtianis vnà cum virgine, requiritur Nouatus vir Dei. Et dum auditum fuiſſet, quia ægritudine detinebatur, contriſtati ſumus omnes. B. Praxedis dixit ad patrem noſtrum S. Pium: Iubeat Sanctitas veſtra, vt eamus ad eum, & viſitatione noſtrâ vnà cum orationibus veſtris ſaluabitur. Et factâ conſtitutione, nocte vnà cum Pio Epiſcopo & virgine Domini perreximus ad virum Dei Nouatum. Cumque audiſſet vir Dei Nouatus, omnes congregatos ad ſe veniſſe, gratias cœpit agere Deo, quia meruit à S. Pio Epiſcopo & virgine Domini, vnà cum noſtrâ deuotione viſitari. Et fuimus in domo eius diebus ac noctibus octo. Factumque eſt vt tertiodecimo die ipſe Nouatus vir Dei tranſiret ad Dominum, regni cæleſtis gloriam percepturus.

* *al. Pudentianæ, vide 19. Maij.*

21. *Iun.* D. XI. KALENDAS IVLII.

APVD Siciliam, ciuitate Syracuſis, natalis ſanctorum martyrum Rufini & Marciæ.

Romæ,

Romæ, ſanctæ Demetriæ virginis, quæ fuit beati Fauſti filia. Hæc cùm ante impium Iulianum pro fide Chriſti introduceretur, in confeſſione ſpiritum emiſit. Sepulta à B. Ioanne presbytero iuxta matrem ſuam S. Daphroſam, & ſororem Iouianam, iuxta palatium Lucianum.

E. X. KALENDAS IVLII. *22. Iun.*

IN Britanniâ, natale S. Albini martyris, qui tempore Diocletiani in Verlamio ciuitate, poſt verbera & tormenta acerba, capite plexus eſt: ſed illo in terram cadente, oculi eius, qui eum percuſſit, pariter in terram ceciderunt. Paſſus eſt cum eo etiam vnus de militibus, eò quòd eum ferire iuſſus, noluerit: diuino vtique perterritus miraculo, quia viderat B. Martyrem ſibi, dum ad coronam martyrij properaret, alueum amnis interpoſiti orando tranſmeabilem reddidiſſe. Quo in tempore, perſecutio crudelis, Oceani limbum tranſgreſſa, etiam Aaron & Iulium Britanniæ, cum aliis pluribus viris ac feminis, felici cruore damnauit.

Item in ciuitate Nolâ Campaniæ, natalis S. Paulini Epiſcopi & confeſſoris, qui ſe temporibus VVandalorum pro filio cuiuſdam viduæ in ſeruitutem tradens, & terribili viſione Regi eorum quis eſſet agnitus, redditâ ſibi omni captiuitate ciuitatis ſuæ, & oneratis frumento nauibus, cum ingenti gloriâ ex Africâ ad propriam ſedem reuerſus eſt. Claruit autem non ſolùm eruditione, & copioſâ vitæ ſanctitate, ſed etiam potentiâ aduerſus dæmones. *Gennad. De viris illuſtr. c. 22*

Ipſo die, depoſitio beati Niceæ Romatianæ ciuitatis Epiſcopi.

F. IX. KALENDAS IVLII. *23. Iunij.*

VIGILIA ſancti Ioannis Baptiſtæ.

Eodem die, S. Ioannis presbyteri, quem impius Iulianus inauditum, viâ Salariâ vetere, ante ſimulacrum Solis decollari præcepit. Cuius corpus à B. Concordio presbytero collectum, & ſepultum eſt iuxta concilia Martyrum.

Apud Britanniam, S. Edeltrudis virginis & Reginæ. cuius corpus cùm annis vndecim eſſet ſepultum, incorruptum inuentum eſt.

G. VIII. KALENDAS IVLII. *24. Iunij.*

NATIVITAS Præcurſoris Domini. *Vide lib. De feſt. Apoſt.*

A. VII. KALENDAS IVLII. *25. Iun.*

APVD Pyrrhiberœam, S. Soſipatris, diſcipuli ſancti Pauli Apoſtoli. *Act. 20. Rom 16.*

Item apud Alexandriam, natale S. Gallicani martyris. Qui cùm triumphalibus infulis ſublimatus, acceptus eſſet Auguſto Conſtantino & chariſſimus, filiam eius ſacratiſſimam virginem Conſtantiam ſibi poſcebat vxorem. Conſtantinus verò Auguſtus contriſtari cœpit, ſciens filiam ſuam poſitam in ſancto propoſito faciliùs occidi poſſe, quàm vinci. Quę cùm patris ſolicitudinem ſtudio ſanctitatis conaretur excludere, certa de Deo, dixit patri: Depone omnem ſolicitudinem tuam, & te daturum illi coniugem repromitte, vt ſi Scytharum ſuperauerit gentem, victor ſimul & coniugem me accipiat. Facta ſunt omnia ſicut virgo diſpoſuit; & veluti ſubarrationis loco dantur duo fratres eunuchi Ioannes & Paulus ex latere Auguſtæ Gallicano, & duæ ſorores, Gallicani filiæ, Attica & Artemia ipſi Auguſtæ traduntur: quas virgo ad Dominum conuertit. Igitur Gallicanus à Scythicâ gente in Thraciarum Philippopoli vrbe concluſus, metuens confligere cum eis, quòd exigua illi eſſet militum manus, hoſtium verò eſſet innumerabilis multitudo, inſiſtebat ſacrificiis, & Martianas victimas offerebat. Quid multa? Ad vltimum creuit obſidio, & vniuerſi tribuni eius ac milites ſe hoſtibus tradiderunt. Cumque cuperet fugiendi aditum reperire, Paulus & Ioannes, ex quibus Præpoſitus vnus, alter Primicerius erat Conſtantiæ Auguſtæ, dixerunt ei: Fac votum Deo cæli, quòd ſi te liberauerit, Chriſtianus fias, *De eo in geſtis Ioann. & Pauli 26. Iunij.*

& eris

& eris victor meliùs quàm fuiſti. Mox vt votum ore prolatum eſt, apparuit illi iuuenis ſtaturâ excelſus, ferens in humeris crucem, dicens: Sume gladium tuum, & ſequere me. Quem dum ſequeretur, apparuerunt ei hinc & inde milites armati, confirmantes eum, & dicentes: Nos tibi præbemus officium, tu ingredere hoſtium caſtra, & dextrâ læuaque gladium tenens euaginatum, reſpice quouſque peruenias ad Regem ipſorum. Quò cùm perueniſſet cum eis, proſtratus Rex pedibus ipſius, poſtulauit nullum penitùs ex ſuis occidi gladio. Quod Gallicanus nec fecit, nec iuſſit. Ita vniuerſæ Thraciæ liberatæ, & gens Scytharum tributaria facta eſt. Ipſe verò ita Deo ſe deuouit, vt etiam coniugio ſe promiſerit abſtinere. Reuertens itaque Gallicanus, non priùs ingreſſus eſt Romam, quàm ad ſacra beati Petri Apoſtoli limina perrexiſſet. Conſtantinus verò Imperator miſit ſe in amplexus eius, poſtquam cognouit omnia quæ Chriſti pietate circa illum perfecta ſunt, referens ei vniuerſa quæ geſta ſunt circa filias eius, quomodo ſunt virgines Chriſto vtiliter conſecratæ. Tunc cum Auguſto intrante palatium Gallicano, occurrit Helena cum filiâ Conſtantiâ, & filiabus ipſius Gallicani. Fundebantur lacrymæ gaudiis plenæ. Qui cùm vellet priuatus abſcedere, rogatus ab Auguſto Conſul proceſſit: & in faſcibus poſitus, quinque millia ſeruorum liberos ciueſque Romanos fecit. Quibus prædia domoſque donauit: cunctaſque facultates ſuas, excepto iure filiarum, diſtrahi ac donari pauperibus iuſſit. Et ſe in Oſtienſi vrbe manenti cuidam ſancto viro, Hilarino nomine, ſociauit. Cuius habitaculum ampliari fecit ad peregrinorum ſuſceptionem, quam ipſe plurimis impendebat. Huic adhæſerunt multi ex ſeruis ſuis, quos liberos fecit. Et diuulgata eſt fama eius per totum orbem, ita vt ab Oriente & Occidente venientes, viderent virum ex Patritio exconſule, qui erat amiciſſimus Auguſto, lauantem pedes, ponentem menſam, aquam manibus effundentem, languentibus ſolicitè miniſtrantem, & exhibentem cetera ſanctæ ſeruitutis officia. Hic primus in Oſtienſi vrbe extruxit eccleſiam, & ditauit officia clericorum. Huic ſe ſanctus leuita Laurentius reuelauit, adhortans eum, vt in eius nomine eccleſiam fabricaret in portâ, quæ nunc vſque Laurentia nuncupatur. Rogatus autem vt ibi leuaretur Epiſcopus non conſenſit, ſed ex ſuâ voluntate ipſe qui ordinaretur elegit. Tantam namque ei gratiam contulit Deus, vt dæmonibus pleni, mox vt viſi fuiſſent ab oculis eius, protinus mundarentur: multaque in eo erant ſanctitatis inſignia. Sed cùm à Conſtantio Iulianus Cæſar factus eſſet, dedit legem vt Chriſtiani nihil in hoc ſæculo poſſiderent. Tunc Gallicanus habens in Oſtienſi pago quatuor caſas, quarum penſiones his operibus quibus diximus, miniſtrabat; ita habere Deum meruit defenſorem, vt quicumque ingrediebatur in eas malitioſè, aut ponere titulos fiſci, aut exigere penſiones, ſtatim à diabolo replebatur. Et quicumque actorum eius eſſet exactor, leproſus fiebat. Tunc interrogata dæmonia dederunt reſponſum, quòd, niſi ſacrificare coactus fuiſſet Gallicanus, exactores redditiuum eius iſta pericula non vitarent. Et quoniam nullus audebat conuenire Gallicanum de hoc ſcelere, mandauit ei Iulianus Cæſar, dicens: Aut ſacrifica diis, aut diſcede à finibus Italiæ. Qui ſtatim relictis omnibus Alexandriam petiit, & ibi iunctus eſt Confeſſoribus Chriſti per continuum annum. Pòſt etiam ſeceſſit in eremum, ibique à Rauciano comite templorum, cùm cogeretur ſacrificare, & contemneret, percuſſus gladio in corpore, Chriſti martyrem fecit, atque ita perrexit ad Dominum gaudens cum triumpho. Cui ſtatim baſilicam conſtruxerunt ſui nominis: in quâ exuberant beneficia Martyris ex eo, & nunc vſque in ſæculum.

Item Romæ, S. Luciæ virginis, cum aliis XXII.

B. VI. KALENDAS IVLII. *26. Iunij.*

ROMAE, ſanctorum Ioannis & Pauli fratrum natale. Quorum primus præpoſitus, ſecundus fuit primicerius Conſtantiæ virginis, filiæ Conſtantini. Qui cùm omni die turmas Chriſtianorum recrearent ex his opibus, quas ſanctiſſima virgo Conſtantia reliquerat, peruenit hoc ad Iulianum. Et miſit qui eos conuenirent, dicens, debere ſibi eos adhærere. Illi verò reſponderunt inter alia: Pro iniquitate tuâ deſtitimus à tuâ ſalutatione, & à ſocietate Imperij tui noſmetipſos omnino ſubtraximus. Sumus enim nos non falſi, ſed veri Chriſtiani. Quibus Iulianus mandauit: Conſiderare debetis, quia vos regiâ aulâ nutriti, non debetis deeſſe à latere meo, vt habeam vos primos in palatio meo. Quòd ſi contemptus à vobis fuero, neceſſe mihi erit agere, vt contemni non poſſim. Paulus & Ioannes dixerunt: Non tibi facimus hanc iniuriam, vt præponamus tibi qualemcumque perſonam; Deum tibi præponimus, qui fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt. *Pſal. 145.* Et ſcire te volumus, quia numquam ad ſalutationem tuam, numquam ad culturam tuam, numquam ad palatium tuum veniemus. Quibus Iulianus ait: Decem diebus vobis à me dantur induciæ: decimâ tranſactâ die ſponte ad me venientes, amicos vos habeam; non venientes verò, tamquam hoſtes publicos punio. Tunc ſancti viri Ioannes & Paulus Chriſtianos ad ſe inuitantes, ordinauerunt de omnibus quæ relinquere poterant, per totos decem dies inceſſanter die noctúque eleemoſynis inſiſtentes. Die verò vndecimâ ſunt conſtricti intra ſuam domum. Miſſus namque eſt Terentianus campiductor ad eos cum militibus, horâ cœnandi. Qui ingreſſus, inuenit eos orãtes, & dixit eis: Dominus noſter Iulianus ſtatunculum aureum Iouis ad vos miſit, vt adoretis illud, & thura incendatis. Quod ſi non feceritis, ambo modò gladio feriemini. Non enim decet vos intra aulam nutritos, vt publicè occidamini. Ioannes & Paulus dixerunt: Iulianus ſi tuus eſt dominus, habeto pacem cum eo: nobis autem dominus alius non eſt, niſi vnus Deus, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, quem ille negare non timuit. Et quia ſemel à facie Dei proiectus eſt, vult & alios ſecum in interitum deuenire. Tunc Terentianus fecit fieri foueam intra domum eorum, vt ſine ſtrepitu famæ punirentur: & ſic decollari, ſtatimque inuolui & reponi iuſſit; diuulgans, quòd iuſſu Cæſaris miſſi fuiſſent in exilium. Statim autem vt Iulianus in bello Perſarum interfectus eſt, Iouiniano facto Chriſtianiſſimo Imperatore, apertæ ſunt eccleſiæ, & cœpit religio Chriſtiana gaudere. Dæmones autem ex obſeſſis corporibus intra domum Ioannis & Pauli eiiciebantur, confitentes ſanctam paſſionem eorum, ita vt vnicus filius Terentiani, qui eos decollauerat, veniret intra domum Sanctorum, & clamaret per os eius dæmon, quòd Paulus & Ioannes incenderent eum. Tunc Terentianus veniens, proſtrauit ſe in faciem clamans, quòd neſciens quid faceret homo paganiſſimus, iuſſionem Cæſaris adimpleſſet. Vnde factum eſt, vt dato nomine ſuo, proximo die Paſchæ perciperet gratiam Chriſti. Et aſſiduè orans & flens ad locum illum erat, in quo Sanctorum corpora requieſcunt, donec à Sanctis Dei filius eius emundaretur. Et ab ipſo Terentiano deſcripta eſt paſſio horum Martyrum. Paſſi ſunt autem VI. Kal. Iulij.

C. V. KALENDAS IVLII. *27. Iunij.*

APVD Galatiam, beati Creſcentis, diſcipuli S. Pauli Apoſtoli: qui ad Gallias tranſitum faciens, verbo prædicationis multos ad fidem Chriſti conuertit. *Tim. 4.* Viennæ ciuitate Galliarum per aliquot annos ſedit, ibiq; Zachariam diſcipulum pro ſe Epiſcopũ ordinauit. *Ado in Chron. an. 102.* Rediens verò ad gentem, cui ſpecialiter fuerat Epiſcopus datus, Galatas, vſque ad beatum finẽ vitæ ſuæ in opere Domini confortauit.

Apud Tiburtinam Italiæ ciuitatem, natale ſanctæ Symphoroſæ, beati Getulij martyris vxoris, cum ſeptem filiis, Creſcente, Iuliano, Nemeſio, Primitiuo, Iuſtino, Stacteo, Eugenio, cum quibus ſimul paſſa eſt ſub Adriano Principe: qui ipſam Symphoroſam iuſſit palmis cædi, deinde ſuſpendi crinibus. Sed cùm ſuperari nullatenus poſſet, iuſſit eam alligato ſaxo in fluuium præcipitari. Cuius frater Eugenius curiæ principalis Tiburtinæ, colligens corpus eius ſepeliuit. Manè autem facto, Imperaror iuſſit ſeptem figi ſtipites, ibiq; filios eius ad trochleas extendi, & Creſcentem in gutture transfigi; Iulianum in pectore; Nemeſium in corde; Primitiuum in vmbilico; Iuſtinum per membra diſtentum ſcindi per ſingulos corporis nodos atque iuncturas; Stacteum lanceis innumerabilibus, donec moreretur, in terrâ configi; Eugenium findi à pectore vſque ad inferiores partes. Alterâ autem die Adrianus præcepit corpora eorum ſimul auferri, & proiici in foueam altam. Et poſuerunt pontifices ſacrorum nomen loci illius, Ad ſeptem Biothanatos. Natale verò S S. Martyrum eſt v. Kal. Iulij. Quorum corpora requieſcunt viâ Tiburtinâ, miliario nono.

Eodem die Cordubæ in Hiſpaniis, natalis ſanctorum Zoili & aliorum decem & nouem.

Ipſo die geſta Septem dormientium.

28. Iunij. D. IV. KALENDAS IVLII.

VIGILIA Apoſtolorum Petri & Pauli.

*Pontifical. cap. 81. Eſt Leo II.* Ipſo die, naralis ſancti Leonis Papæ.

Apud Lugdunum Galliæ, natale S. Irenæi Epiſcopi. Qui, B. Photino propè nonagenario ob Chriſti martyrium coronato, in locum eius ſucceſſit. Quem etiam conſtat beatiſſimi Polycarpi ſacerdotis & martyris fuiſſe diſcipulum, & Apoſtolicorum temporum vicinum. Poſteà verò perſecutione Seueri cum omni ferè ciuitatis ſuæ populo gloriosè coronatur martyrio. Sepultus eſt à Zachariâ Presbytero in cryptâ baſilicæ B. Ioannis Baptiſtæ ſub altari. Cui ab vno latere Epipodius, ab alrero Alexander martyr eſt tumulatus. Huius cryptæ tam reuerenda eſt claritas, vt meritum Martyrum ſignare credatur.

*Hieron. de ſcript. Eccl. cap. 45 & Euſeb. lib. 5 cap. 5. 4. 7. 8. 20 26. Ruffin.*

Eodem die apud Alexandriam, ſanctorum martyrum Plutarchi, Sereni, Heraclidis, Herois, item Sereni, Potamiœnæ, Marcellæ, & catechumenę *Heræ nominc, Baptiſmum martyrij conſecutæ. Inter quos præcipuè emicuit Potamiœna virgo: quæ primò immenſos & innumeros agones pro virginitate deſudans, deinde etiam pro martyrio exquiſita & inaudita tormenta perpeſſa, ad vltimum cum venerabili matre Marcellâ ignis ſuppliciis conſumpta, è terris migrauit ad cælum.

*Euſeb. l. 6. cap. 4. 5. Ruffin.* *al. Rhais*

29. Iunij. E. III. KALENDAS IVLIAS.

*Vide lib. De feſt. Apoſt.* ROMAE, natalis ſanctorum Petri & Pauli.

30. Iunij. F. PRIDIE KALENDAS IVLII.

*Vide lib. de feſt. Apoſt.* NATALIS & celebratio iterùm ſancti Pauli Apoſtoli.

Item natalis beatiſſimæ Lucinæ, diſcipulæ Apoſtolorum.

Item Lemouico ciuitate, S. Martialis Epiſcopi & confeſſoris.

LITA-

## LITANIÆ INDICENDÆ.

# MENSIS IVLIVS

## habet dies xxx. Luna verò xxx.

G. KALENDIS IVLII. *1. Iulij.*

IN monte Hor, depoſitio Aaron ſacerdotis primi.

Eodem die, S. Monegundis virginis.

Et in territorio Lugdunenſi, loco qui Vallis Vebronna nuncupatur, depoſitio viri Dei, beatiſſimi Domitiani Abbatis, qui primus illic eremiticam vitam exercuit, & plurimos ſibi in Dei ſeruitio aggregans, monaſterium inſtituit, magniſque virtutibus & glorioſis miraculis valdè clarus, collectus eſt ad Patres in ſenectute bonâ.

Viennæ, beati Martini, tertij eiuſdem vrbis Epiſcopi, ab Apoſtolis ad præfatam vrbem miſſi. *Ado in Chron. an. 101.*

A. VI. NONAS IVLII. *2. Iulij.*

ROMAE, in cœmeterio Damaſi, natalis ſanctorum Proceſſi & Martiniani, qui à beatis Apoſtolis Petro & Paulo baptizati & inſtructi ſunt, quorum paſſio in libello Apoſtolorum ſuprà notata eſt. *Vide lib. De feſt. Apoſt.*

Eodem die, ſanctorum trium Militum, qui cum beato Apoſtolo Paulo paſſi ſunt.

Item ipſo die, ſanctorum martyrum Ariſtonis, Creſcentiani, Eutychiani, Vrbani, Vitalis, Iuſti, Feliciſſimi, Felicis, Martiæ & Symphoroſæ: qui omnes apud Campaniam glorioſo martyrio coronati ſunt.

B. V. NONAS IVLII. *3. Iulij.*

APVD Edeſſam Meſopotamiæ, tranſlatio corporis S. Thomæ Apoſtoli. *Vide lib. de feſt. Apoſt.*

Item ipſo die apud Conſtantinopolim, natalis S. Eulogij.

Apud Laodiciam Syriæ, B. Anatolij Epiſcopi. *Euſeb. l. 7. c. 28. Ruff.*

Item apud Neocæſaream Ponti, natalis S. Gregorij Epiſcopi & martyris, beati Anthenodori Epiſcopi fratris. Qui Gregorius Epiſcopus, doctrinâ & miraculis clariſſimus fuit. Denique quoddam ſtagnum erat in Ponti regionibus ſitum, piſcibus copioſum, ex quorum capturâ prædiuites redditus dominis præſtabantur. Iſta poſſeſſio duobus fratribus ſorte hereditatis obuenerat: ſed pecuniæ cupiditas, quæ penè omnium corda mortalium ſuperat, etiam fraternam neceſſitudinem violauit. Cædes ac bella mouebantur, humanus ſanguis pro piſcibus fundebatur. Sed Dei prouidentia aliquando affuit: Gregorius videt prælia & mortes virorum, furenteſque germanos. Cumque honore aduentus ſui vtræque partes paululum ſiluiſſent, Nolite, inquit, ô filioli, rationabiles animas pro mutis animantibus violare, fraternam pacem queſtus cupiditate diſſoluere, Dei leges & naturæ pariter iura temerare: & vnà mecum ad oram ſtagni exitialis accedite, & ego iam vos per virtutem Domini ab omni certamine cruentæ contentionis abſoluam. Et cùm hæc dixiſſet, in conſpectu omnium virgam quam tenebat in manu ad primas littoris vndas defigit, & ipſe poſitis genibus palmas tetendit ad cælum, atque Dominum ſupplicat. Simul vt orandi finem fecit, ſtatim ſe vnda ſubducens, & curſu velociore refugiens, à conſpectu ſuperno iuſſa diſcedere, abyſſis ſuis redditur, & aretem campum germanis iam concordibus derelinquit. Sed & in hodiernum frugum ferax eſſe dicitur. Iterùm in quodam *Hieron. de ſcript. Eccl. cap. 65.*

loco ruris anguſti, cùm res poſceret eccleſiam conſtrui, rupes quædam vicini montis ex parte Orientis obiecta, ex aliâ verò præterfluens fluuius, ſpatium quantum eccleſiæ ſufficeret, denegabat. Et cùm alius omnino non eſſet locus ad conſtruendam eccleſiam, ille fide plenus pernoctaſſe in oratione dicitur. Cumque plenâ fide ac deuotione Dominum depoſceret, ad lucem coëuntibus populis, inuenta eſt rupes importuna ſeceſſiſſe tantum, quantum ſpatij ad condendam quærebatur eccleſiam. Traduntur & huius beati viri & alia quamplurima, quæ fidem & ſanctitatem ipſius plurimùm commendant. Sed & inter alia quæ luculentiſſimè ſcripſit, etiam Catholicæ fidei expoſitionem breuiter editam dereliquit. Vnus Deus Pater Verbi viuentis, ſapientiæ ſubſiſtentis, & virtutis ſuæ & figuræ, perfectus perfecti genitor, pater filij vnigeniti. Vnus Dominus ſolus ex ſolo Deo, figura & imago Deitatis, verbum penetrans, ſapientia comprehendens omnia, & virtus quâ tota creatura fieri potuit. Filius verus veri, & inuiſibilis ex inuiſibili, incorruptibilis ex incorruptibili, immortalis ex immortali, ſempiternus ex ſempiterno. Vnus Spiritus ſanctus ex Deo ſubſtantiam habens. Et qui per Filium apparuit, imago Filij perfecti perfecta, viuentium cauſa, ſanctitas, ſanctificationis præſtattix, per quem Deus ſolus ſuper omnia & in omnibus cognoſcitur, & Filius per omnes. Trinitas perfecta, maieſtate, & ſempiternitate, & regno minimè diuiditur neque abalienatur. Igitur neque factum quid, aut ſeruiens in Trinitate, neque ſuperinductum tamquam ante hoc quidem non ſubſiſtens, & quaſi poſteà ſuperingreſſum. Neque ita defuit vnquam Filius Patri, neque Filio Spiritus ſanctus, ſed inconuertibilis & immutabilis eadem Trinitas ſemper manet.

4. *Iulij.* C. IV. NONAS IVLII.

OSEAE & Aggæi Prophetarum.

*Greg. Tur. lib. 2. hiſt. Franc. c. 14* Turonis, tranſlatio ſancti Martini Epiſcopi, & ordinatio Epiſcopatus eius, & dedicatio baſilicæ ipſius.

Eodem die in Africâ, natalis S. Iucundiani martyris in mare merſi.

Et in territorio Bituricæ ciuitatis, vico Iuſtino, natalis S. Lauriani martyris: cuius caput Hiſpalim ad Hiſpanias deportatum eſt.

Apud Sirmium, ſanctorum martyrum Innocentij & Sabbatiæ, cum aliis triginta.

5. *Iulij.* D. III. NONAS IVLII.

APVD Syriam, natalis ſancti Domitij martyris, qui virtutibus ſuis multa incolis beneficia præſtat.

*De hac in geſtis ſancti Sebaſtiani 20. Ian.* Item Romæ, natalis ſanctæ Zoæ vxoris beati Nicoſtrati martyris, quæ dum ad confeſſionem beati Petri Apoſtoli oraret, à paganis arctata, ducta eſt ad patronum regionis Naumachiæ: à quo primùm in cuſtodiam obſcuriſſimam truſa, & per dies ſex omni ſolatio lucis & victus fraudata, ſeptimo demum die à collo & à capillis in corpore ſuſpenſa, adhibito ſubter horribili fumo, in confeſſione Domini emiſit ſpiritum.

6. *Iul.* E. PRIDIE NONAS IVLII.

NATALIS Iſaiæ & Ioël Prophetarum.

Et Octauæ Apoſtolorum.

Et primus beati Apoſtoli Pauli ingreſſus in vrbem Romam, anno ſecundo Neronis Imperij. Qui cùm iam hæc loca & has prouincias prædicando perluſtraſſet, ab Antiochiâ ipſe cum Barnabâ præmiſſus à Spiritu ſancto, poſtquam iam in Arabiâ & Ciliciâ verbum Dei, aliiſque prouinciis annuntiauerat, peruenit Seleuciam, Cyprum, Salaminam, Paphos, Pergen Pamphyliæ, Antiochiam quæ eſt Piſidiæ, Iconium: inde ad ciuitates Lycaoniæ, Lyſtram, Derben, & vniuerſam

*Act. 13.* *Ibid. 14.*

uerſam in circuitu regionem. Inde reuertentes Antiochiam Piſidiæ, deuenerunt Act.14.
Pergen Pamphyliæ. Hinc Antiochiam, vnde miſſi fuerant, reuertuntur. Inde
propter quæſtionem Circumciſionis in Gentibus, Ieroſolymam proficiſcuntur.
Deinde rurſus Antiochiam redeunt. Vnde cùm inter eos diſſenſio propter Ioannem,
qui Marcus cognominatus eſt, accidiſſet: ſolus Paulus aſſumpto Sileâ, à
fratribus gratiæ Dei traditus, has regiones & inſulas peragrauit prædicans, Syriam, Ibid.15.
Ciliciam, Derben, Lyſtram, Phrygiam, & Galatiam regionem, Myſiam, Ibid.16.
Troadam, Macedoniam, Samothraciam, Neapolim, Philippos, Amphipolim, Ibid.17.
Apolloniam, Theſſalonicen, Beroën, Athenas, Corinthum. Et inde nauigauit in Ibid.18.
Syriam, & venit Epheſum, & inde Cæſaream & Antiochiam, & Galatiæ regionem,
& Phrygiam. Hinc cùm vellet ire Ieroſolymam, dixit ei Spiritus ſanctus,
vt reuerteretur in Aſiam. Et cùm peragraſſet ſuperiores partes, Epheſum venit. Ibid.19.
Hinc profectus eſt in Macedoniam, & acceſſit Philippos, Troadam, Aſſon, Mitilenem Ibid.20.
& contra Chium, Samon, *Trogylion, Miletum, Coum, Rhodum, Pataram. Ibid.21.
Et inde viſâ Cypro, & relictâ eâ ad ſiniſtrâ, transfretauit in Syriam. Et inde *Eſt in Græco, deeſt
venit Tyrum, Ptolemaidem, Cæſaream, Ieruſalem. Ibi ligatur à Iudæis; & textus Latino.
traditur gentibus. Et inde deſtinatur ad Felicem præſidem Cæſaream. Hinc cùm Act.27.
appellaſſet Cæſarem, Romam ad eumdem Cæſarem, quem appellauit, mittitur:
& enauigauit Sidonem, Cyprum, cui iuxta erat ciuitas Thalaſſa in inſulâ Militene, Ibid.28.
Syracuſas, Rhegium, Puteolos, Romam: & biennio in liberâ manens cuſtodiâ,
poſt hæc ad prædicandum dimittitur. Quo tempore credibile eſt eum
ad Hiſpanias perrexiſſe, necdum Nerone in tanta erumpente ſceleta, quanta de
eo narrant hiſtoriæ.

Romæ, natalis ſancti Tranquillini, patris martyrum Marci & Marcelliani, De eo in geſtis ſancti Sebaſtiani 20. Ian.
qui ad prædicationem beati Sebaſtiani credens in Dominum Ieſum Chriſtum,
die Octauarum Apoſtolorum, dum ad B. Pauli confeſſionem oraret, tentus à
paganis ac lapidatus, martyrium conſummauit.

Eodem die, Depoſitio beatiſſimi Goaris confeſſoris.

F. NONIS IVLII. 7. Iulij.

APVD Alexandriam, natalis ſancti Pantæni, viri Apoſtolici, & omni ſapientiâ Euſeb. lib.5 cap.10.
adornati, cuius tantum ſtudij & amoris erga verbum Dei fuit, vt etiam Hieron. de
ad prædicandum Chriſti Euangelium omnibus gentibus, quæ in Orientis vltimis ſcript. Eccl. cap.16.
ſeceſſibus reconduntur, fidei & deuotionis calore profectus ſit, & vſque ad
Indiam citeriorem prædicando peruenerit. Vbi reperit Bartholomæum, de duodecim
Apoſtolis, aduentum Domini Ieſu iuxta Matthæi Euangelium prædicaſſe.
Quod Hebraicis litteris ſcriptum, reuertens Alexandriam ſecum detulit: vbi
præclaram & nobilem vitam beato fine concluſit.

Romæ, natalis beatorum martyrum Nicoſtrati Primiſcrinij, Claudij Commentarienſis, De his in geſtis ſancti Sebaſtiani 20. Ian.
Caſtorij, Victorini, Symphroniani, quos B. Sebaſtianus credere in
Chriſtum docuit, & ſanctus Polycarpus presbyter baptizauit. Qui cùm corpora
Sanctorum per ora Tyberina requirunt, tenti ſunt, & ad Vrbis præfectum perducti.
Erat iudex Fabianus, qui eos hortabatur ad ſacrificandum, per decem dies
minis & blanditiis cum eis agens, & nullum penitùs potuit commouere. Tunc
fecit de eis ſuggeſtionem Imperatoribus: quique iuſſerunt eos tertiò torqueri.
Cùmque nullâ ratione compulſi cederent, iuſſerunt eos in mare præcipites dari.
Immenſis itaque arctati ponderibus, pelagi fluctibus dati ſunt, vt in loco mundo
inter aquas coronam martyrij celebrarent.

Apud Viennam, Euoldi Epiſcopi, cuius induſtriâ delatæ ſunt reliquiæ ſanctorum
martyrum Thebæorum ad vrbem Viennam.

8. Julij. G. VIII. IDVS IVLII.

Rom. 16. 1. Cor. 16. Act. 18. APVD Aſiam minorem, ſancti Aquilæ, & Priſcillæ vxoris eius, de quibus in Actibus Apoſtolorum ſcribitur: apud quos beatus Paulus Apoſtolus, propter artificium (erant enim eiuſdem artis, id eſt, ſcenopegiæ, cuius & Apoſtolus) morabatur & operabatur, poſtquam ipſi in Achaiam ab vrbe Româ venerunt.

In Palæſtinâ, natalis ſancti Procopij martyris, qui ab Scythopoli ductus Cæſaream, ad primam reſponſionum eius confidentiam irato iudice Fabiano, capite cæſus eſt.

9. Iulij. A. VII. IDVS IVLII.

ROMAE, ad Guttam iugiter manantem, ſancti Zenonis, & aliorum decem millium ducentorum trium.

In ciuitate Tyriæ, natalis S S. Anatoliæ & Audacis, ſub Decio Imperatore. Quorum Anatolia cùm multos in Piceno infirmos, lunaticos, ac dæmoniacos curaſſet, ducta eſt iubente Fauſtiniano ad ciuitatem Tyriæ, & diuerſis plagarum generibus vexata. Deinde cum ſerpente totâ nocte incluſa, nihil læſa eſt: quin & ipſum Marſum, qui ſerpētem dimiſerat, nomine Audacem, manè à ſuo ſerpente deuorandum eripuit, & ad Chriſti martyrium conuertit. Nam ipſe poſt hæc ob confeſſionem veritatis in cuſtodiam datus eſt. Ipſa quoque virgo Chriſti tranſuerberata, cùm ſtaret extenſis manibus in oratione, ita vt per dexterum latus gladius miſſus, per ſiniſtrum exiret. Quæ paſſa eſt ſeptimo Iduum Iuliarum: ſepulta autem manè à ciuibus Tyrienſibus. Audax verò, quia de Oriente erat, ab vxore ſuâ & filiis illuc tranſlatus eſt.

Eodem die, natalis S. Cyrilli Epiſcopi, qui flammis iniectus, illæſus euaſit, ac ſtupore tanti miraculi à Iudice dimiſſus. Cùm rurſus verbum Dei alacriter prædicaret, ac plures efficaciùs ad fidem Chriſti conuerteret, Iudex pœnitentiâ ductus capite plecti eum iuſſit, atque optatum martyrij finem conſummauit.

In ciuitate Martulanâ, S. Brictij Epiſcopi & confeſſoris, qui ſub iudice Martiano, os lapide contuſus eſt, & in equuleo crudeliſſimè excruciatus, in Domini confeſſione perdurans, in carcerem truſus eſt. Nocte autem terræmotu graui ciuitas concuſſa, inter alios plures, etiam Martianum occidit. Et Chriſti confeſſor ab Angelo ſancto, & à beato Petro Apoſtolo viſitatus, atque ad prædicandum Euangelium confortatus, magnas populorum credentium multitudines omnipotenti Deo lucrifaciens, quieuit in pace. Cuius animam viderunt adſtantes in ſpecie columbæ niueæ cælo recipi.

Item apud Ægyptum, S. Serapionis Epiſcopi & confeſſoris.

10. Iulij. B. VI. IDVS IVLII.

ROMAE, ſeptem fratrum filiorum ſanctæ Felicitatis, id eſt, Ianuarij, Felicis, Philippi, Syluani, Alexandri, Vitalis & Martialis, ſub præfecto Vrbis Publio, tempore Antonini principis. Primùm auditi, deinde per varios Iudices, vt variis ſuppliciis laniarentur, miſſi. E quibus Ianuarius poſt verbera virgarum & carcerem ad plumbatas occiſus eſt. Felix & Philippus fuſtibus mactati. Syluanus præcipitio interemptus eſt. Alexander, Vitalis, & Martialis capitali ſententiâ puniti.

Eodem die in Africâ, natalis S S. Ianuarij, Marini, Naboris, & Felicis, decollatorum: quorum corpora Mediolanum tranſlata ſunt.

Romæ miliario decimo, natale S S. Rufinæ & Secundæ ſororum, patre clariſſimo genitarum Aſterio, matre clariſſimâ Aureliâ, ſub perſecutione Valeriani & Gallieni, iudicibus Iunio Donato præfecto, & Archeſilao comite. Harum virginum ſponſi Armentarius & Verinus à fide Chriſtianitatis receſſerunt. Pro

quâ

quâ te volentes beatæ virgines declinare eorum perſuaſiones inſanas,ad prædiolum ſuum,quod in Tuſciæ partibus videbantur habere, baſternæ pergebant vehiculo. Quod audientes Armentarius & Verinus, comiti Archeſilao ſuggeſſerunt, quâ de cauſâ Vrbem fugerent. Tunc ſceleratiſſimus Archeſilaus cum militibus ſuis equeſtribus iter agens,ſanctas Dei virgines in viâ Flaminiâ miliario decimoquarto comprehendens,atque reuocans ad vrbem Romam, Iunio Donato præfecto obtulit. Qui iuſſit eas in cuſtodias redigi à ſe inuicem ſeparatas, & in die tertiâ in ſecretarium duci. In quo Rufinam ingredi iubens, dixit ad eam: Cùm ſis nobilis nata, quid eſt quod ad ignobilitatem deuoluta es? & cupis eſſe captiua in vinculis, magis quàm libera cum marito gaudere? Rufina reſpondit: Captiuitas iſta temporalis æternam captiuitatem excludit, & vincula temporalia,perpetua vinculorum ligamenta diſſoluunt. Præfectus dixit:Iſtas varias fabulas & aniles abiice, & ſacrifica diis immortalibus, vt poſſis tuo ſponſo cum gaudio perfrui,& vſque ad ſenectutem cum gaudio deliciarum attingere. Rufina reſpondit: Duo ſunt inutilia, quæ perſuades, & vnum dubium quod promittis. Nam dicis me debere idolis ſacrificare, vt in perpetuum peream;& poſt hoc maritum accipere,vt gloriam virginitatis amittam. Poſt iſta duo tam contraria promittis, quòd vſque ad ſenectutem cum gaudio deliciarum attingam, cùm de te ipſo incertus ſis, an ad diem craſtinum attingas. Præſes adduci iuſſit Secundam, vt Rufina ſoror eius in conſpectu ipſius flagellis cæderetur. Quæ cùm vidiſſet ſororem ſuam flagellis cædi,clamare cœpit ad Iudicem: Quid eſt quod agis, ſceleratiſſime, & regni cælorum inuiſor? quid eſt quòd ſororem meam glorificas & me exhonoras? Dicit ei Præfectus: Vt video, inſanior ſorore tuâ es. Secunda reſpondit: Nec ſoror mea inſana eſt,nec ego inſanio,ſed ambæ Chriſtianæ ſumus, & iuſtum eſt vt ſimul cædamur, quia ſimul Chriſtum Dominum confitemur. Et cùm liberè fidem veritatis faterentur,tunc iuſſit eas Præfectus in tenebroſo loco includi, & fumum ſtercorum fieri. Cùm hoc fuiſſet factum, fumus ille quaſi rhymiama exhalabat,& obſcuritas illa quaſi die medio vincebatur. Iterùm iuſſæ ſunt inde tolli, & in ſuis balneis includi, atque in ſolio ardente & non temperato iactari. Vbi cùm fuiſſent poſt duas horas ingreſſi qui earum corpora tollerent, inueniunt intus ſolium frigidum & vaporatū. Quod audiens Præfectus,obſtupuit,& iuſſit eas duci, & in medio Tiberis mitti, & vno ſaxo ligato in collo ambarum,præcipitari. Cum quo poſt dimidiam ferè horam merſæ ſunt: & quæ nudæ miſſæ fuerant,in ſuperiore parte fluminis ſiccis veſtibus apparuerunt indutę, Chriſti gloriam decantantes. Quod cùm fuiſſet Iudici nunciatū, dixit Præfectus Archeſilao comiti: Iſtæ quas mihi tradidiſti, aut magicâ arte nos ſuperant, aut verè in eis ſanctitas regnat. Vnde ſicut eas mihi tradidiſti, ita eas ego tibi reddo, vt tuo arbitrio vel ſententiam accipiant, vel euadant. Tunc Archeſilaus iuſſit eas duci in ſiluam in viâ Corneliâ, ab vrbe Româ miliario decimo, in fundo, qui vocatur Buxo, & illic eas capite percuti, & ſic earum inhumata corpora derelinqui. Sed Domini gratia non defuit in Chriſto credentibus nec defunctis. Nam Plautilla matrona,in cuius prędio hoc factum eſt,vidit eas in viſu ſedentes gemmatas in thalamo, & dicentes ſibi: Plautilla deſine à flagitiis idolorum,& ab incredulitate impiâ ceſſa, & credens in Chriſtum, veni in rem tuam, & corpora noſtra inueniens, ibi ſepeli. Exurgens autem Plautilla, peruenit ad locum, & inueniens ſanctarum virginum corpora, adorauit, & credidit, & fabricauit ſepulcrum virginum ad laudem Domini Ieſu Chriſti.

## C. V. IDVS IVLII. 11. *Iulij.*

TRANSLATIO S. Benedicti abbatis. Poſtquam enim (ſicut ipſe viuens prædixerat) monaſterium eius à gentibus eſt vaſtatum, Domino reuelante, re-

*Huius trãſlationis fit mentio in vitâ ſancti Aigulphi 3. Septemb.*

pertum eſt corpus eius, & in Gallias tranſlatum, atque in territorio Aurelianenſi, monaſterio quod vocatur Floriacum, condignè ſepultum. Tranſlatum eſt pariter etiam corpus B. Scholaſticæ virginis ſororis eius, atque in partibus Cenomanenſium, religioſorum deuotione conditum. Cuius animam idem vir Dei è corpore egreſſam, vidit in columbæ ſpecie cæli ſecreta penetrare: corpuſque eius ſecum in vno iuſſit poni ſepulcro, vt quorum mens vna ſemper in Deo fuerat, eorum quoque corpora nec ſepultura ſepararet.

Eodem die in Armeniâ minore, ciuitate Nicopoli, natalis ſanctorum martyrum Ianuarij & Pelagiæ, qui in equuleo, vngulis & teſtarum fragmentis diebus quatuor cruciati, martyrium impleuerunt.

*Pontificale cap. 12.* Romæ in Vaticano, ſancti Pij Papæ, qui ſedit in Epiſcopatu annos octodecim. Sub huius tempore Hermes librum ſcripſit, qui appellatur Paſtor, quia in habitu paſtoris ei Angelus apparuit.

*12. Iulij.* D. IV. IDVS IVLII.

APvd Aquileiam, natalis ſancti Hermagoræ, primi eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, diſcipuli beati Marci Euangeliſtæ.

**al. Iaſonis, vel Mnaſonis, Act. 21.*

Apud Cyprum, natalis beati * Naſonis, antiqui Chriſti diſcipuli.

Apud Cæſaream, ſancti Dij.

Mediolani, tranſlatio S S. Martyrum Naboris & Felicis.

*Pontific. cap 3.* Item eodem die, S. Cleti Papæ, qui Romæ ſedit annos duodecim. Hic ex præcepto beati Petri Apoſtoli vigintiquinque presbyteros in vrbe Româ ordinauit: ſepultuſque eſt iuxta corpus beati Petri.

*13. Iulij.* E. III. IDVS IVLII.

ESDRAE & Ioël Prophetarum.

**al. Silæ Vide lib. De feſt. Apoſt.*

Item natalis ſancti * Sileæ Apoſtoli.

Apud Africam, natalis S S. confeſſorum Eugenij Carthaginenſis Epiſcopi, fide & virtutibus ac miraculis glorioſi, & vniuerſi Cleri eccleſiæ eiuſdem. Qui cæde inediaque macerati, ferè quingenti, vel eo ampliùs (inter quos quamplurimi erant lectores infantuli) gaudentes in Domino, procul exilio crudeli extruſi ſunt. In quibus erant nobiliſſimi, archidiaconus nomine Salutaris, & Muritta ſecundus in officio miniſtrorum. Qui plurima pro confeſſione Catholicâ perpeſſi ſupplicia, & tertiò confeſſores effecti, glorioſæ in Chriſto perſeuerantiæ titulo illuſtrati ſunt.

*14. Iulij.* F. PRIDIE IDVS IVLII.

APvd Pontum, natalis ſancti Phocæ Epiſcopi ciuitatis Sinopis, qui ſub Traiano Imperatore, præfecto Africano, carcerem, vincula, ferrum, ignem etiam pro Chriſto ſuperauit. Cuius reliquiæ in baſilicâ Apoſtolorum in Galliâ, ciuitate Viennâ habentur.

*Ado in Chron. an. 101.*

*15. Iulij.* G. IDIBVS IVLII.

*Gennad. de vir. illuſt. cap. 1.*

NIsibi, natalis S. Iacobi Epiſcopi, magnæ virtutis viri, ita vt ad eius preces ſæpè vrbs diſcrimine liberata ſit. Hic vnus fuit ex numero Confeſſorum ſub perſecutione Maximiani, & eorum qui in Nicęnâ Synodo peruerſitatem Arij homouſij oppoſitione damnauerunt: atque intra muros vrbis ſuæ ex præcepto Imperatoris Conſtantini ad tutelam & munimentum ſepultus, poſteà zelo Iuliani apoſtatæ extra vrbem elatus & conditus. Sed mox eadem ciuitas, tanti patroni orbata reliquiis, Perſarum ditioni ſuccubuit.

Romæ in Portu, Eutropij, Zoſimæ & Bonoſæ ſororum.

Apud Alexandriam, natalis S S. Philippi, Zenonis, Marſei, & x. infantum.

In Carthagine, Catulini diaconi, Ianuarij, Florenti, Iuliæ & Iuſtæ, qui ſunt poſiti in baſilicâ Fauſti.

A. XVII.

A. XVII. KALENDAS AVGVSTI. *16. Iulij.*

IN Oſtiâ, natalis ſancti Hilarini, qui ſub perſecutione Iuliani, cùm nollet ſacrificare, fuſtibus cæſus, martyrium ſumpſit. *De hoc in geſtu Ioannis & Pauli 26. Iunij.*

Apud Antiochiam Syriæ, natalis ſancti Euſtachij Epiſcopi & confeſſoris, qui ſub Conſtantio principe ob Catholicam fidem in Traianopolim ciuitatem Thraciæ pulſus exilio, ibidem requieuit.

B. XVI. KALENDAS AVGVSTI. *17. Iulij.*

IN Carthagine, natalis ſanctorum martyrum Scillitanorum, id eſt Sperati, Narthali, Cythini, Bethurij, Felicis, Aquilini, Lethatij, Ianuariæ, Generoſæ, Beſſiæ, Donatæ & Secundæ, ſub Saturnino præfecto. Qui poſt primam Chriſti confeſſionem in carcerem miſſi, & in ligno confixi, manè gladio decollati ſunt. Horum reliquiæ cum oſſibus beati Cypriani, & capite ſancti Pantaleonis martyris, ex Africâ in Gallias tranſlatæ, venerantur Lugduni in baſilicâ beatiſſimi Ioannis Baptiſtæ.

C. XV. KALENDAS AVGVSTI. *18. Iulij.*

APVD Carthaginem, natalis ſanctę Guddenes virginis: quæ* Plutiano & Zetâ conſulibus, iuſſu Rufini proconſulis, quater diuerſis temporibus equulei extenſione vexata, & vngularum horrendâ laceratione cruciata, carceris etiam ſqualore diutiſſimè afflicta, nouiſſimè gladio cæſa eſt. ** al. Plautiano & Getâ*

Apud ciuitatem Metenſium, S. Arnulphi Epiſcopi, qui ſanctitate & miraculorum gratiâ illuſtris, eremiticam vitam diligens, beato fine quieuit.

D. XIV. KALENDAS AVGVSTI. *19. Iul.*

NATALIS beati Epaphræ.

Item eodem die, ſancti Patris noſtri Arſenij, de quo in Verbis ſeniorum refertur, quia propter redundationem lacrymarum tergendam, ſudarium ſemper in ſinu vel in manu habuerit. *Vide lib. de feſt. Apoſt.*

Eodem die Hiſpali apud Hiſpaniam, natalis SS. Iuſtæ & Rufinæ: quæ à Diogeniano prǽſide comprehenſę, equulei extenſione & vngularum laniatione vexatæ ſunt, dein truſæ ſunt in carcerem, inediâ & doloribus afflictæ. Poſt hæc iuſſit Præſes, vt quocumque iret, ipſæ nudis pedibus ſequerentur. Tandem Iuſta in carcere ſpiritum exhalauit. Corpus eius in puteum proiectum, & à Gabino Epiſcopo leuatum, in Hiſpalenſi cœmeterio conditum eſt. Rufinæ ceruix contracta, & corpus eius igni traditum. Cuius reliquiæ à fidelibus curatæ ſunt.

E. XIII. KALENDAS AVGVSTI. *20. Iul.*

NATALIS beati Ioſeph, qui cognominatus eſt Iuſtus: qui cum beato Matthiâ, vt numerum duodenum impleret, ab Apoſtolis ſtatuitur. Sed Matthiâ locum Iudæ proditoris implente, beatus Ioſeph nihilominùs prædicationis & ſanctitatis officio inſeruiens, multamque pro Chriſti fide perſecutionem à Iudæis ſuſtinens, victorioſiſſimo fine in Iudæâ quieuit. De quo refertur quòd venenum biberit, & nihil ex hoc triſte pertulerit, propter Domini fidem. *Act. 1.* *Euſeb. l. 3. cap. vlt.*

Apud Damaſcum, natalis ſanctorum Sabini, Maximini, Iuliani, Macrobij, Caſſij, Paulæ, cum aliis decem.

F. XII. KALENDAS AVGVSTI. *21. Iulij.*

DANIELIS Prophetæ.

Romæ, natale S. Praxedis virginis. Hæc cum ſorore ſuâ Potentianâ vel Pudentianâ à ſanctiſſimo patre Pudente, qui fuit edoctus in fide ab Apoſtolo Paulo, in omni caſtitate & lege diuinâ erudita, poſt tranſitum parentis, vigiliis & orationibus atque ieiuniis aſſiduè vacans, omne patrimonium ſuum ſimul cum prædictâ beatâ ſorore in ſuſtentatione pauperum & Chriſti ſanctorum erogauit. In titulo verò quem pater earum Pudens, nomine beati Paſtoris dedicauit,

vnâ

vnà cum conſilio B. Pij Sedis Apoſtolicæ Epiſcopi, fontem Baptiſmi conſtruere ſoror & ipſa ſtudens, vt familia earum die ſancto Paſchæ baptizaretur. Quos ad nonagintaſex numero manumiſſos, B. Pius aquis ſalutaribus abluit. Inde poſt innumera pietatis opera, pòſt multorum Martyrum ſepulturas, (inter quos beatum Symmetrium presbyterum cum aliis XXII. apud Titulum ſupradictum manibus ſuis ſepeliuit) qui per martyrij palmam ad regna cælorum tranſierant: eadem beatiſſima virgo migrauit ad Dominum, coronam iuſtitiæ receptura, XII. Kalend. Auguſti. Sepulta in cœmeterio Priſcillæ viâ Salariâ, iuxta ſororem ſuam atque ſanctum patrem Pudentem poſita.

Eodem die in Galliis, ciuitate Maſſiliâ, natalis S. Victoris. Qui perſecutione Diocletiani & Maximiani, cùm eſſet miles, & nec militare, nec idolis ſacrificare vellet, primùm à tribuno ſuo Aſterio in carcerem truſus, ſed omni nocte ad conſolandos & viſitandos infirmos ab Angelo eductus eſt. Deinde iuſſu Eutychij præfecti, retortis brachiis, loris ſubtilibus ligatus, & pedibus fune conſtrictus, per mediam tractus eſt ciuitatem. Poſt hæc fuſtibus crudeliſſimè cæſus, ac ſuſpenſus & taureis cruciatus, cùm exhibuiſſent aram in quâ ſacrificaret, & eam nec reſpicere ſuſtinens, de manu ſacerdotis calce excuſſiſſet, pedem ei Præſes iuſſit incidi. Ad vltimum in confeſſione perſiſtens, miſſus eſt in molâ piſtoriam, in quâ ſparſum granum vertigine animalis macerari ſolet. atque ita contritus, martyrium conſummauit. Paſſi ſunt cum eo tres milites, Alexander, Felicianus, & Longinus. Qui dum eum nocturno ſilentio in carcere cuſtodirent, viſitantibus illum Angelis ſanctis, tanto claritatis fulgore obſtupefacti, atque ad eius genua prouoluti, credentes in Chriſtum, nocte eâdem in mari baptizati ſunt; & ſequenti die, ante conſummationem B. Martyris, gladio iugulati. Puer quoque Deutherius, qui dum ad ſepulcrum eius oraret, emiſit & ſpiritum.

22. *Iulij.* G. XI. KALENDAS AVGVSTI.

*Vide lib. de feſt. Apoſt.* NATALIS ſanctæ Mariæ Magdalenæ.

Et beatæ Syntyches, quæ Philippis dormit ſepulta: de quâ beatus Apo-
*Philipp. 4.* ſtolus Paulus ſcribit Philippenſibus: *Euodiam rogo, & Syntychen deprecor idipſum ſapere in Domino.*

Ancyrâ Galatiæ, natalis ſancti Platonis martyris: cuius geſta habentur.

23. *Iulij.* A. X. KALENDAS AVGVSTI.

*Vide lib de feſt. Apoſt.* APVD Rauennam, natale ſancti Apollinaris Epiſcopi. Hic Romæ ordinatus à beato Petro Apoſtolo, Rauennam directus eſt. Vbi cùm perueniſſet, non longè ab vrbe Rauennâ manſit apud quemdam militem Irenæum nomine, cuius filius erat cæcus. Quem ad ſe perductum, facto ſigno Crucis illuminauit, ac ſic parentes illius poſtmodum baptizauit. Matronam verò cuiuſdam tribuni militum nomine Theclam, quæ plurimis annis grauiſſimâ tenebatur infirmitate, cùm in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, manum apprehendens eius, de lecto ſanatam erexiſſet, tribunum cum vxore eâdem, & filios, ac familiam ipſorum in Chriſtum credentes baptizauit. In cuius domo poſtmodum intra vrbem Rauennam Miſſas & Baptiſmata agebat cũ diſcipulis ſuis per duodecim annos. Ordinauit autem duos presbyteros, Adheretum, & Calocerum: Martianum verò nobiliſſimum virum, & Leucadium philoſophum diaconos, & ſex clericos ſtatuit, cum quibus die noctúque pſalmos canebat. Nuntiatumque eſt duci Saturnino. Qui producens eum, ſtatuit ante pontifices Capitolij Rauennatis: à quibus nimiâ cæde mactatus, eiectuſque ad mare, ſemiuiuus relinquitur. Quem diſcipuli eius colligẽtes, adhibuerunt ei curam. Poſt menſes ſex Bonifacium nobiliſſimum virum, qui obmutuerat, ſanaturus, ad domum eius veniens, puellam immundum ſpiritum habentẽ, deinde Bonifacium, ſoluto vinculo linguæ eius,

ſana-

Digitized by Google

ſanauit. Vbi quingenti homines Chriſto crediderunt. Non poſt multos dies à paganis tentus, & diutiſſimè fuſtibus cæſus eſt, ac nudis pedibus ſuper prunas impoſitus, & inde ab vrbe pulſus. Sed non longè à muro habebant Chriſtiani tugurium, vbi Miſſas faciebat, in mari verò baptizabat: ibique timentes Deum de facultatibus ſuis miniſtrabant ei. Poſt plurimos annos etiam ad Æmiliam perrexit verbum Domini prædicare, faciens multas virtutes in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Tempore quo reuerſus eſt, Rufi Patricij filiam à morte corporis ſuſcitauit, quam Chriſto virginem firmauit, matre cum familiâ promiſcui ſexus trecentis quatuor baptizatis. Peruentum eſt autem ad Cæſarem de beato viro, & quòd domus Rufi Patricij obediret Chriſto. Et mittens Rufo ſucceſſorem, ſcripſit Vicario Præfecto prætorij Maſſalino, vt aut diis inclinaret Apollinarem, aut longè in exilium traderetur. Quem accerſitum Vicarius, poſt interrogationem exutum veſte virgis cædi fecit, & aquâ bulliente plagas eius infundi, & equuleo ſuſpenſum torqueri, ac ſaxo os eius contundi, & cum grauiſſimo ferri pondere oneratum includi in carcere horrifico, atque in ligno extendi: vbi ab hominibus quidem negligitur, ſed ab Angelo publicè paſcitur. Quarto die Iudex de carcere productum, catenatũ, in naui poſitum in exilium direxit. Tres autem viri eum de clero ſecuti ſunt, qui & miniſtrabant ei. Mortuis verò omnibus tempeſtate maris & naufragio, ipſe cum clericis & duobus militibus euaſit, quos Chriſto ilicò conſecrauit lotos aquâ ſalutari. Et tranſitum faciens poſt Corinthum per Myſiam, leproſum cute mundatum in Chriſto lauit. Deinde ad ripam Danubij peruenien, multos fide ſibi ſociauit. Et quærentibus eum incredulis occidere, in partes Thraciæ deſcendit. Et cùm ibi dies aliquot feciſſet, & in templo Serapis, præſentiâ ipſius obticuiſſet dæmon, tandem rogatus ſpiritus reſponſum dedit: Quia diſcipulus Petri Apoſtoli Ieſu Chriſti huc venit, & ligauit me. hic niſi fuerit ab his locis expulſus, vobis dare reſponſa non poſſum. Inquiſitus inuentus eſt beatus Apollinaris, & diſcuſſus diutiſſimè fuſtibus cæditur, & vſque ad mare perductus à Rectore prouinciæ, naui currenti ad Italiam cum ſuis hominibus ſuperimponitur. Itaque poſt tertium annum Rauennam ingreditur: deinde poſt dies aliquot ſubitâ ſeditione ortâ in ciuitate irruentibus paganis, ligatus ad forum perducitur: ibi cæſus ac vulneratus eſt. Exinde pontifices Capitolij egerunt, vt ad templum Apollinis duceretur. Quò cùm perueniſſet, datâ oratione, ſimulacrum ſolutum, & templum deſtructum eſt. Pagani hoc videntes, clamabant: Senex impius interficiatur. Et tradiderunt eum Iudici, cui nomen erat Taurus, qui habebat filium naturaliter cæcum natum, quem in nomine Chriſti ſanctus Apollinaris illuminauit, multis ſtupefactis, & conuerſis ad Dominum. Manſit autem in prædio Tauri præſidis annis quatuor. Erat enim ab vrbe miliario ſexto, vbi concurrebant Chriſtiani, & docebantur ab eo. Et quacumque infirmitate quis detinebatur, ad eum perductus ſanabatur. Igitur inuidioſa relatio pontificum Capitolij cucurrit ad Cæſarem aduerſus B. Apollinarem. Qui mox edixit, vt ſi diis quis temerario ore iniuriam inferret, aut ſatisfaciat, aut vrbe priuetur. Quæ iuſſio mox percurrit ad Demoſthenem Patricium. Qui exquiſitione miſſâ, ſanctum Apollinarem ſibi exhiberi iubet: quem auditum tradidit in cuſtodiâ cuidam Centurioni occultè Chriſtiano, cogitans quibus cruciatibus eum perderet. Qui mediâ nocte laxauit eum, vt fugeret. Cumque fuiſſet paganis cognitum, ſequentes eum, non longè à portâ apprehenderunt; & tam diu cæſus eſt, quouſque æſtimaretur mortuus. Exinde collectus eſt à diſcipulis, & perductus eſt in vicum, vbi leproſi morabantur, & ſeptem dies ſuperuixit, admonens ſemper Eccleſiam, ne à fide Chriſti diſcederet. Ita martyr glorioſiſſimus Apollinaris in laude Chriſti defunctus, ſepultus eſt foris murum,

murum, & clauſum in arcâ ſaxeâ ſub terrâ corpus eius miſſum eſt. Hic ab Antiochiâ ſecutus Apoſtolum Petrum, & ab vrbe Româ ab eodem Apoſtolo miſſus Rauennam, rexit Eccleſiam annis vigintiocto, menſe vno, diebus quatuor. Paſſus vltimum martyrium ſub Veſpaſiano Cæſare, & Demoſthene Patricio, x. Kalendas Auguſti.

24. *Iulij.* B. IX. KALENDAS AVGVSTI.

EODEM die apud Italiam in Tyro, quæ eſt circa lacum Vulſinum, natale ſanctæ Chriſtinæ virginis: quæ in Chriſtum credens, deos aureos Vrbani patris ſui Præfecti contriuit, & pauperibus diſtribuit. Ob hoc iubente patre, alapis afflicta, verberibus dilaniata, ferro onuſta, in carcerem coniecta eſt. Poſt hoc cùm diutiſſimè & crudeliſſimè dilaniaretur, de carnibus ſuis patri in faciem proiecit. Cumque alligata rotæ, igni ſuppoſito, & fuſo deſuper oleo torreretur, erumpens flamma mille gentilium interfecit. Iterùm carceri tradita, Angelo viſitante, ſanata eſt & refecta. Deinde cum magno ſaxi pondere in mare, id eſt in lacum Vulſinum iactata, Angelico præſidio liberata eſt. Quam ſucceſſor patris eius Dion multis iterùm ſuppliciis afflixit. Sed orante illâ, ſimulacrum Apollinis, quod adorare iubebatur, in fauillam ſubitò redactum eſt. Quo miraculo tria millia hominum ad fidem Chriſti conuerſa ſunt. Nouiſſimè ſucceſſor prædicti Iulianus, poſt fornacem candentem, vbi quinque diebus illæſa permanſit, poſt ſerpentes à venefico immiſſos, ſed Chriſti fide ſuperatos, poſt abſciſſionem linguæ, ſagittis eam configi præcepit. Sicque martyrij curſum conſummauit, anno ætatis ſuæ vndecimo.

Romæ viâ Tiburtinâ, miliario XIX. natalis S. Vincentij.

Apud Emeritam Hiſpaniæ ciuitatem, natalis ſancti Victoris militaris, qui cum duobus fratribus Stercatiô & Antinogeno diuerſis examinatus ſuppliciis, martyrium conſummauit.

*De his in vitâ ſancti Chriſtophori 25. Iulij.* Eodem die, natalis ſanctarum virginum Nicetæ & Aquilæ: quæ ad prædicationem ſancti Chriſtophori martyris, ad Chriſtum conuerſæ, martyrij palmam capitis abſciſione ſumpſerunt.

Et apud Amiterninam ciuitatem, Militum octoginta trium.

25. *Iulij.* C. VIII. KALENDAS AVGVSTI.

*Vide lib. de feſt. Apoſt.* NATALIS beati Iacobi Zebedæi Apoſtoli.

Eodem die in Lyciâ, ciuitate Samo, S. Chriſtophori, qui virgis ferreis attritus, & à flammis æſtuantis incendij Chriſti virtute ſaluatus, ad vltimum ſagittarum ictibus confoſſus, martyrium capitis obtruncatione compleuit.

*Prudent. hymn. 4.* In Hiſpaniis, ciuitate Barcinonâ, S. Cucufatis martyris, qui ex ciuitate Sillitanâ oriundus fuit, & Barcinonæ ſub Galerio proconſule, & Maximiano, & Rufino paſſus. Primò grauiſſimè tortus & cæſus, deinde catenis adſtrictus in craticulâ ſuperextenſus, aceto & ſinapi perfuſus, aſſari iuſſus eſt. Cùm verò ab igne & flammarum globis illæſus apparuiſſet, ex præcepto impij Iudicis extra ciuitatem ductus, in ignem copioſum iterùm proiectus eſt. Quo diuino nutu extincto, iterùm ferro vinctus in cuſtodiâ retruſus eſt, vbi diuino ſplendore conſolatur. Iterùm cardis ferreis & taureis crudeliſſimè cæſus, in vltimo, dictatâ ſententiâ; Cucufatem rebellem principum, & diis ſacrificare nolentem, gladio feriri iubemus; VIII. miliario à Barcinonâ perductus, ferroque animaduerſus martyrium conſummauit. Cuius corpus à Chriſtianis cum reuerentiâ ſepelitur. Vnde poſtmodum tranſlatum, non longè à Pariſiorum ciuitate, in eccleſiâ beatorum martyrum Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij, cum honore tumulatum eſt.

Eodem die Pariſiis, depoſitio S. Germani Epiſcopi.

Metis, natalis S. Glodeſindis virginis.

D. VII. KALENDAS AVGVSTI. *26. Iulij.*

ROMAE in Portu, natale ſancti Hyacinthi, ſub conſulari Leontio, Luxurio primo ciuitatis Tarracinæ tradente. Qui miſſus in ignem, nullo modo lædi potuit: inde præcipitatus in validiſſimum torrentem, incolumis eiectus eſt ad littus. Nuntiatur hoc conſulari Leontio, & miſit ſpiculatorem cum militibus, vt eum comprehenſum gladio ferirent. Tunc quædam matrona religioſa, nomine Iulia, veniens nocte cum ſeruis ſuis, collegit corpus eius, & cum honore ſepeliuit in prædio ſuo iuxta vrbem Romam, VII. Kal. Auguſti.

E. VI. KALENDAS AVGVSTI. *27. Iulij.*

APVD Nicomediam, natalis ſancti Hermolai presbyteri, cuius doctrinâ beatus Pantaleon ad fidem conuerſus eſt. Qui tentus à Maximiano, capitali ſententiâ ob confeſſionem Chriſti punitus eſt. *De eo in vitâ ſancti Pantaleonis, 28. Iul.*

Eodem die, in Siciliâ, ſancti Simeonis monachi.

F. V. KALENDAS AVGVSTI. *28. Iulij.*

NICOMEDIAE, paſſio ſancti Pantaleonis. Qui cùm iubente Maximiano artem diſceret Medicinæ, à presbytero Hermolao ad fidem Chriſti conuerſus, multa miracula fecit, patremque ſuum ſenatorem Euſtorgium Chriſti fidei ſubiugauit. Ob quam cauſam tentus ab eodem Maximiano, equulei pœnâ & lampadarum exuſtione cruciatus (ſed inter hæc Domino ſibi apparente refrigeratus) tandem ictu gladij martyrium conſummauit.

Eodem die, Lugduni, ſancti Peregrini presbyteri, cuius beatitudinem miraculorum gloria teſtatur.

G. IV. KALENDAS AVGVSTI. *29. Iulij.*

ROMAE, viâ Aureliâ, beati *Felicis Pontificis, ſub Conſtantio filio Conſtantini. Idem Conſtantius Auguſtus, concilium hæreticorum, ac Valentis & Vrſacij Arianorum approbans, quia & ipſe Arianus erat, ab Euſebio Nicomedienſi rebaptizatus, eiecit ſanctum Felicem Vrbis Epiſcopum de ſede Epiſcopatus ſui. Et facta eſt perſecutio magna in clero, ita vt Presbyteri & Clerici plures necarentur & martyrio coronarentur. Depoſitus ſanctus ac beatiſſimus Papa Felix, habitauit in prædiolo ſuo, quod eſt viâ Portuenſi. Et agentibus poſtmodum hæreticis, exinde leuatus, ductus eſt ad ciuitatem, & capite truncato, martyrio coronatur IV. Idus Nouembris. Exinde raptum corpus eius à Presbyteris & Clericis, & ſepultum in baſilicâ quam ipſe conſtruxit viâ Aureliâ, quintodecimo Kalendas Decembris, in miliario ſecundo. Cuius natalis celebratur quarto Kalendas Auguſti. Sedit autem in Epiſcopatu anno vno, menſibus tribus, diebus duobus. *Pontificale cap. 37.* * *Eſt Felix II.*

Item eodem die, natale ſanctorum martyrum Simplicij, Fauſtini & Beatricis, temporibus Diocletiani & Maximiani: qui poſt multa ac diuerſa ſupplicia iuſſi ſunt capitalem ſubire ſententiam; & ligato ſaxo in collo eorum, iactati per pontem, qui vocatur Lapideus, in Tiberinis rheumatibus. Quorum corpora Dei nutu inuenta ſunt à beatâ ſorore eorum Beatrice, & à beatis presbyteris Criſpo & Ioanne; & ſepulta ſunt in loco qui appellatur Sextum Philippi, viâ Portuenſi, quarto Kalendas Auguſti. Beatrix autem ſoror Martyrum cùm moraretur apud venerabilem Lucinam, factum eſt, vt quidam vicinus poſſeſſor Lucretius ambiret poſſeſſiunculam eius. Pro hoc itaque fecit teneri ſanctam Beatricem, & duci ad ſacrificandum. Tunc beata Beatrix exclamauit: Chriſtiana ſum, non ſacrifico dæmoniis. Ducta eſt itaque, & carcerali cuſtodiæ mancipata. Cumque in Dei nomine liberè ageret, fecit eam ambitioſus Lucretius præfocari noctu. Quam venerabilis Lucina iuxta ſanctos Martyres germanos eius ſepeliuit, quarto Kalendas Auguſti. Poſt hoc ingreſſus prædium *De his in geſtis ſancti Anthimi 11. Maij.*



Digitized by Google

Sanctorum Lucretius, dum ibi epularetur, quædam mulier infantulum lactabat. Qui infantulus coram omnibus in conuiuio vocem emiſit: Audi Lucreti; occidiſti, & inuaſiſti, ecce datus es in poſſeſſionem inimici. Ad hanc vocem inuaſus eſt à maligno ſpiritu ibi in conuiuio, & per tres horas vexatus, emiſit ſpiritum.

*Greg. Tur. de glor. CC. cap. 67. 68.* Eodem die, depoſitio ſancti Lupi Epiſcopi de Trecas. Qui cum Germano venit Britanniam, & quinquaginta duobus annis Sacerdotio functus eſt. Qui tempore Regis Attilæ, qui Galliam vaſtabat, (ſicut in eius hymno canitur, *Dum bella, cuncta perderent.*) orando Trecas muniuit.

*30. Iulij.*

## A. III. KALENDAS AVGVSTI.

*De his in paſſione S. Laurent. 10. Aug.* ROMAE, natale Abdon & Sennes ſubregulorum, ſub Decio Imperatore: quos Decius in Cordulâ ciuitate Perſarum ſibi præſentari iuſſit. Quibus & dixit: Sic ſtulti facti eſtis, vt non recordemini, quia non colentes deos, traditi eſtis in manus Romanorum & noſtras? Cui beatus Abdon: Magis nos victores facti ſumus, Deo fauente, & Domino Ieſu Chriſto, qui regnat in æternum. Iubente igitur Decio, vincti catenis recluſi ſunt in arctâ cuſtodiâ. Tunc dixit Abdon ad Sennen: Ecce gloria quam ſemper ſperauimus. Poſt menſes quatuor veniens Decius Romam, & adducens ſecum beatos Abdon & Sennen catenis vinctos, iuſſit omnem Senatum conuocari, & fecit conuentum in Tellude cum Valeriano præfecto v. Kalendas Auguſti, & iuſſit ſibi præſentari Abdon & Sennen maceratos diuerſis pœnis. Et dixit ad Senatum: Dij deæque tradiderunt hoſtes ferociſſimos in manus noſtras. Ecce inimici Reipublicæ & Romani Imperij. Et introducti ſunt ornati auro & lapide pretioſo, vincti catenis: omniſque Senatus mirari cœpit in adſpectibus eorum. Et cùm conſtanter Chriſtum in conſpectu eorum faterentur, Decius iratus iuſſit Valeriano præfecto, vt ſi non adorarent deum Solem, ferarum morſibus interirent. Qui denudauit eos, & duxit ante ſimulacrum Solis iuxta amphitheatrum, vt ſacrificarent. Verùm illi contemnentes, exſpuerunt in ſimulacrum Solis. Tunc Valerianus iuſſit, vt plumbatis cæderentur. Deinde introducti in amphitheatrum, & dimiſſi ſunt eis leones duo, & vrſi quatuor, qui rugientes venerunt ad pedes Sanctorum, & nullatenus recedentes cuſtodiebant eos. Valerianus verò plenus furore, iuſſit gladiatores introire, & beatos Subregulos interficere, & ligare pedes eorum, & ante ſimulacrum Solis iactare: vbi iacuerunt corpora Sanctorum tribus diebus. Poſt triduum venit quidam Quirinus Chriſtianus ſubdiaconus, qui manebat iuxta amphitheatrum, & collegit noctu corpora, & recondidit in arcâ plumbeâ in domo ſuâ tertio Kalendas Auguſti, vbi latuerunt vſque ad tempora Conſtantini. Tunc ſe reſerantes beati Martyres, leuati ſunt, & tranſlati in cœmeterio Pontiani.

Eodem die apud Africam, ciuitate Tuburbo Lucernariæ, natale ſanctarum virginum Maximæ, Donatillæ, & Secundæ: quæ perſecutione Gallieni ſub Anolino Iudice paſſæ ſunt. Qui interrogatione factâ diſtulit audientiam, & beatas virgines & ſorores, Maximam & Donatillam, ad ciuitatem Tuburbitanam perduci iuſſit, quibus nec panem nec aquam ſubminiſtrari præcepit, ſed aceto & felle potari. Videns autem Beatiſſimarum fiduciam, exarſit in iram, & iuſſit vt vrgerentur ambulare. Erat quædam puella in ſuperioribus domus ſuæ conſtituta, annorum duodecim, nomine Secunda: cui dum multæ nuptiarum conditiones offeruntur, omnes contempſit, & vnum Deum dilexit. Hæc accenſa ſpiritu Dei, cùm videret commartyres ſuas Maximam & Donatillam tranſeuntes, (fuit enim in ſuperioribus domus eius mœnianum, vbi ſtabat) & ſanctarum Virginum pulchritudinem fidei oculis conſideraret, cogitauit & decre-

uit

uit ad ſimilem gratiam peruenire. Et ne aliquis prohiberet honeſtè deſcendere, vt impedimenta vitaret, nec opes, nec nationem ſuam contemplata eſt, nec patrem carnalem curauit: ſed relictis omnibus vnum auctorem caſtitatis Deum quæſiuit, quem in æternum poſſedit, & tenuit. Cùm ergo egrederentur beatæ Martyres & procederent, Secunda feſtina clamabat poſt eas: Nolite me dimittere, veniam vobiſcum. Et ſimul cum illis ciuitatem Tuburbitanam ingreſſa eſt. Aliâ die horâ tertiâ Anolinus proconſul pro tribunali conſedit, & Maximam & Donatillam ſibi præſentari præcepit, & ad tormenta elidi. Et cùm cæderentur, iuſſit calcem ſuper plagas earum ſpargi, & fricari: deinde in equuleo extendi & torqueri, & ſtatiuam ab bibendum offerri: deinde in craticulam & ad carbones igneos ſterni, & prunas ardentes ſuper capita earum adiici: poſtmodum in theatro ad delubrum deponi, & ab omnibus conculcari. Tunc ex officio dictum eſt, Eſſe cum eis puellam aliam, nomine Secundam: quam ſuo iudicio Anolinus proconſul applicari iuſſit. Cumque adeſſet, ait: Chriſtiana es, an pagana? Secunda dixit: Chriſtiana ſum. Statim Anolinus ipſam cum Maximâ & Donatillâ ad beſtias damnauit, & eas ferro vinctas ad ſpectaculum populi adduci præcepit. Quæ cùm inducerentur, in mediâ arenâ oſculatæ ſunt ſe inuicem vt martyrium pace complerent. Vrſus autem ferociſſimus ac ſæuiſſimus ilicò eis laxatus, in manſuetudinem verſus, earum veſtigia linxit potiùs quàm momordit. Iratus Anolinus, quia ſe furente beſtias mites vidit, locutus cum concilio, ſententiam ex tabellâ recitauit: Maximam, Donatillam, & Secundam, in ſuperſtitione ſuâ perdurantes, quæ diuerſas pœnas pertulerunt, & beſtiis obiectæ ſunt, & diis noſtris ſacrificare noluerunt, gladio animaduerti placet. Maxima, Donatilla & Secunda dixerunt: Deo gratias. Et conſummatæ ſunt tertio Kalendas Auguſti.

B. PRIDIE KALENDAS AVGVSTI. *31. Iulij.*

CÆSAREAE, paſſio ſancti Fabij martyris. Qui cùm ferre vexilla præſidalia recuſaret, primùm diebus aliquot in carcerem truſus eſt: deinde productus ſiſtitur ante tribunal. Interrogatus ſemel & iterùm, in Chriſti confeſſione perdurat: & mox à furibundo Iudice capitali ſententiâ condemnatur. Poſt hæc inhumatum corpus cuſtodiri iubetur: quod poſt triduum reticulo inſutum, in maris profunda, ſeorſum caput, ſeorſum cadauer immergitur. Sed Domini virtute reſciſſo reticulo, membra capiti reuocantur, & ſcapulis ceruix cum indiciis paſſionis adiungitur. Atque ita ſuæ integritati redditum corpus, vndâ blandiore ad *Cartenianum litus euectum, condigno cultu à Fidelibus tumulatum eſt. *al. Cartenianum, vulgò Carternitanum

Autiſiodori, ſancti Germani, Epiſcopi & confeſſoris.

## LITANIÆ INDICENDÆ.

# MENSIS AVGVSTVS

## habet dies XXXI. Luna verò XXIX.

1. *Aug.* C. KALENDIS AVGVSTI.

ROMAE, ad ſanctum Petrum ad vincula.

2. Mach. 7. Antiochiæ, natalis ſanctorum Machabæorum.

*Hieron de ſcript. Eccl. cap. 96.* Apud Italiam, ciuitate Vercellis, beati Euſebij Epiſcopi & confeſſoris, qui ob confeſſionem fidei à Conſtantio princi-pe Scythopolim, & inde Cappadociam relegatus, ſub Iuliano Imperatore ad Eccleſiam ſuam reuerſus eſt. Nouiſſimè perſe-quentibus Arianis martyrium paſſus.

Apud Arabiam, ciuitate Philadelphiâ, S S. martyrum Cyrilli, Aquilæ, Petri, Domitiani, Rufi, Menandri, vnâ die coronatorum.

*Greg. Turon de glor. Mart. c. 92.* In Hiſpaniis, ciuitate Gerundâ, natalis ſancti Felicis martyris, qui de Scillita-nâ ciuitate oriundus, cùm perſecutiones in Hiſpaniis aduerſus Chriſtianos agi cœpiſſent, aſcenſâ mercatorum naui, amore martyrij ocyùs accurrit. Et cùm ali-quamdiu apud Barcinonam, Empurias, & Gerundam, verbum Dei prædicans plurimos in fide confortaſſet, & fama eius longè lateque crebreſceret, iubente Daciano, repentè à Rufino officiali tentus eſt. Cumque nomen Chriſti confi-dentiſſimè fateretur, primò fuſtibus cæſus, & in ima carceris truſus, deinde ma-nibus pedibuſque ligatis, negato cibo & potu, in loco ſqualido proiectus, poſt hoc etiam catenis grauioribus vinctus, per totas plateas ab indomitis mulis tra-ctus, & pęnè in fruſta diſcerptus eſt. Deinde miſſus in carcerem, noctéque ab Angelo viſitatus atque ſanatus, facto die ad certamina reuocatus eſt. Tunc vn-gulis excoriatus, capite inuerſo ab horâ tertiâ vſque ad veſperam ſuſpenſus, nul-lum penitus ſenſit dolorem. Deinde in carcerem Rufinus eum trudi præcepit, vbi per totam noctem ſplendor copioſus effulſit. Sed & voces Angelorum pſal-lentium auditæ ſunt. Quod cùm nuntiatum fuiſſet Rufino à cuſtodibus, iuſſit eum manibus poſt tergum ligatis in maris profundum mergi. Ibi continuò vin-cula eius dirupta ſunt, & Angelis ſibi manum tenentibus, ſuper vndas deambu-lans ad litus peruenit. Tunc Rufinus iuſſit iterùm cutem eius vngulis detrahi, ac deinde vſque ad oſſa laniari, & tam diu vulnera vulneribus inſtaurari, vſque dum inuictum Chriſto ſpiritum reddidit. Corpus eius Gerundæ in monumen-to, quod ipſe ſibi præparauerat, conditum eſt, Nonis Auguſti.

2. *Aug.* D. IIII. NONAS AVGVSTI.

*Pontifical. cap. 24.* ROMAE, in cœmeterio Calliſti, natale S. Stephani Papæ & martyris, ſub Va-leriano & Gallieno Imperatoribus. Qui, cùm perſecutio ſæua graſſaretur, beatus Stephanus congregato vniuerſo clero ſuo, hortabatur eos vt pro Chriſto coronam martyrij alacriter ſuſciperent. Ordinauerat autem tres Presbyteros, & ſeptẽ Diaconos, & Clericos ſexdecim, cum quibus de regno Dei aſſiduè docebat. Diuinâ autem gratiâ procurante, occurrebant multi ex gentilibus, & honeſti vi-ri, vt baptizarentur ab eo. Inter quos Nemeſius tribunus cum omni domo ſuâ, filiaque ipſius nomine Lucillâ, quę cæca per beatum Stephanum illuminata fue-rat, & Olympius alter tribunus cum vxore ſuâ Exuperiâ, & filio Theodulo, & quot-

quotquot crediderunt in domo Olympij, qui poſteà glorioſâ confeſſione martyrium meruerunt. Celebrabat autem Miſſas atque concilia per cryptas Martyrum. Factum eſt autem, vt Valerianus & Gallienus perſecutores nominis Chriſti, ſummo requirerent ſtudio beatum Stephanum, vt eum & clericos eius diuerſis afficerent pœnis. Miſerunt itaque multitudinem militum, & tenuerunt eum cum multitudine clericorum, presbyterorum, & diaconorum. Qui veniens ad tribunal Valeriani, ſolus introiuit. Cui Valerianus: Tu es Stephanus, qui Rempublicam conaris euertere, & perſuaſionibus atque hortationibus malis populum à deorum recedere ſuades culturâ? Beatus Stephanus dixit: Ego quidem non euerto Rempublicam, ſed hortor, vt derelictis dæmoniis quæ adorantur in idolis, ad Deum viuum & verum redeant, creatorem cæli & terræ, & cognoſcant Chriſtum Ieſum Filium Dei Deum eſſe, qui cum Patre & Spiritu ſancto ſolus eſt ſempiternus, vt non pereant cum diabolo in interitum ſempiternum. Tunc Valerianus iuſſit eum duci ad templum Martis, & ibidem dictatâ ſententiâ capite truncari, ſi non acquieſceret adorare nefandi Martis ſimulacrum. Perductus beatus Stephanus à militibus foras muros Appię portæ ad templum, leuatis oculis ad cælum, dixit: Domine Deus pater Domini mei Ieſu Chriſti, qui turrim confuſionis Babyloniæ deſtruxiſti, deſtrue nunc & hunc locum, vbi diabolicâ ſuperſtitione per idolorum culturam animæ pereunt populorum. Et ſtatim facto fragore tonitrui cum terroribus coruſcationum, corruit maxima pars templi, & milites pauefacti fugerunt. Beatus verò Stephanus perrexit cum omnibus Chriſtianis ad cœmeterium ſanctæ Lucinæ, & multis eos conſolatos ſermonibus, obtulit pro eis ſacrificium Deo omnipotenti. Quæ geſta audiens Valerianus, miſit plurimos militum, qui beatum Stephanum punirent. Qui venientes inuenerunt ſacrificium Deo offerentem. Quem intrepidum & conſtantem ante altaris ſolemnia, & cœpta perficientem, in eodem loco in ſuâ decollauerunt ſede ſub die IV. Nonarum Auguſtarum. Cuius corpus Chriſtiani populi ſepelierunt in eâdem cryptâ cum ipsâ ſede, vbi adſtans ſanguis eius effuſus eſt in loco, qui appellatur hodie cœmeterium Calliſti. Sedit autem in Epiſcopatu annos VII. menſes V. dies duos.

Eodem die, natale S. Theodotæ cum tribus filiis ſuis in prouinciâ Bithyniæ vrbe Nicæâ, tempore Diocletiani, ſub conſulari Nicetio & comite Leocadio. Qui hanc per multos dies blandimentis & terroribus cogere voluit, vt eius coniugio necteretur. Sed cùm ſancta femina nullo modo conſentiret, ferro vinctam cum filiis conſulari Bithyniæ Nicetio deſtinauit. At ille filium eius primogenitum Euodium, Chriſtum fiducialiter confitentem, in conſpectu matris fecit fuſtibus cædi. Cui mater pia clamabat: Noli fili timere iſta verbera, per ipſa enim ad æterna Chriſti gaudia pertinges. Tunc conſularis Nicetius iuſſit cuidam Hirtaco, vt apprehendens beatam Theodoten, priùs illi illuderet, & poſtmodum inter publicas meretrices conſtitueret. Quam ille volens tenere, de naribus eius cœpit ſanguis vehementer effluere. Qui clamans dixit Nicetio: Stat iuxta eam iuuenis pulcher, auratis veſtibus indutus, ex cuius manu pugnum accepi in naribus. Conſularis ergo Nicetius iuſſit ignem copioſum accendi, & beatam Theodoten cum tribus filiis ſuis immitti. Quæ gratias referens Deo, dicebat: Benedictum nomen pietatis tuæ Domine, qui me nec in iſto ſæculo à filiis meis ſeparaſti, nec in tui nominis confeſſione diſiungi paſſus es, nec in martyrio diuidi permiſiſti. Conſummata eſt igitur cum tribus filiis ſuis ſancta Theodota ſub die quarto Nonarum Auguſtarum.

E. III. NONAS AVGVSTI.

3. *Aug.*

Act. 5.12. Ioan. 3.19. Gennad. de vir. illustr. cap. 46.

IEROSOLYMIS, Inuentio corporis beatiſſimi Stephani protomartyris, & ſanctorum Gamalielis, Nicodemi, & Abibon, ſicut reuelatum eſt à Domino beato presbytero Luciano, ſeptimo Honorij principis anno. Nam dum quieſceret in baſilicâ baptiſterij in ſtratu ſuo, die ſextâ feriâ illuceſcente, circa horam tertiam noctis, dum adhuc peruigilaret, tamquam in exceſſu mentis effectus, vidit virum ſenem, ſtaturâ procerum, vultu decorum, prolixâ barbâ, in veſtitu candido, amictum pallio, in cuius ſummitatibus erant tamquam aureæ cruces contextæ: calceatum caligis, in ſuperficie deauratis, & manu tenebat virgam auream, de quâ tangens eum, dixit ſe eſſe Gamalielem, qui nutriuit Apoſtolum Paulum, & inter alia dixit ei: Summâ cum diligentiâ noſtros patefacito tumulos, quia indecenter deſpecto loco reconditi ſumus. Et cùm interrogaſſet, qui eſſent cum eo: Vnus eſt, inquit, domnus Stephanus, à Iudæis pro fide Chriſti Ieroſolymis lapidibus oppreſſus torrentis: iuſſuque ſacerdotum relictus extra portam, viâ quæ mittit Cedar, beſtiis ac auibus deuorandus. Sed hoc omnino
Act. 7. prohibuit ille, cui illæſam idem Martyr fidem ſeruauit. Quo facto, tareſcente Iudæorum perfidiâ, conuocans adſciui mihi religioſorum virorum turbam, conuentumque fidelium: ac blandiens, ſuadenſque, affatus ſum ita: Obſecro vos, fratres chariſſimi, vt neminem reuereamini, colligentes ſanctum pignus B. Stephani, deferte villulæ noſtræ, quam nomine ſuo nominauerat Caphargamala, quæ vigeſimoſecundo lapide ab vrbe Ieroſolymâ diſtat: & more ſolito, ſolemni cum funere ſepelite. Quod & factum eſt. Ille verò qui huius locello iacet con-
Ioan. 1. tiguus, ipſe eſt Nicodemus nepos meus, qui vt renaſceretur ex aquâ & Spiritu ſancto, à Saluatore audiuit: qui à Petro mox & Ioanne eſt baptizatus. Pro quo poſtmodum indignati principes ſacerdotum, ſubtracto ei principatus honore, conabantur eum tradere morti. Sed noſtri gratiâ, noſtræque propinquitatis iure repreſſi, non fecerunt. Verumtamen expulſum foras vrbem, diripuerunt omnem ſupellectilem eius, multiſque afficientes plagis, ſemiuiuum reliquerunt. Ego nimirum & hunc collegi, & curam ei adhiberi præcepi. Qui paululùm fuit inſtanti ſuperſtes vitâ, ad optatam & ipſe quietem migrauit: quem, exhibitis funeris exequiis, ad Protomartyris pedes iuſſi tradere ſepulturæ. Ille autem tertius, qui mecum quieſcendi poſſidet locum, ipſe eſt Abibas filius meus, qui mecum Chriſto Ieſu, vigeſimum agens annum ætatis ſuæ, vnà credidit, & à præfatis Apoſtolis æterni fontis vndâ perfuſus. Is dum eſſet legis doctrinâ plenè eruditus, templo Dei cum Paulo ſedulò vacans, diuina meditando præcepta, ab illo vitio, cui ſe genus maximè ſubdere ſolet humanum, protectione tuente supernâ, extitit liber, & in hoc caſtitatis propoſito pauſauit in pace: cum quibus & ego iaceo. Coniunx quoque mea Ethna, & Selemias primogenitus noſter, nolentes credere Chriſto, ſed religionis vnitati & fidei derogantes, in poſſeſſione Capharſelemiâ ſunt tumulati. Verumtamen quo nos repoſiti ſumus, cùm fodere cœperis, inanes eorum reperies tumulos, quia nobiſcum non fuerũt digni tumulari. Cumque venerabilis Presbyter prædictum virum ſciſcitaretur: Vbi vos, inquiens, inueniemus Domine? ait ille: In agello noſtro, qui Syriacè Delamgabrica, necnon Debatthalia vocatur, id eſt, virorum Dei ſeu beatorum poſſeſſio. Quæ viſio conſimilis ei, iterùm iterumque apparuit. Surgens autem venerabilis Presbyter, perrexit in ciuitatem ad Antiſtitem Ioannem, de quo per viſionem monitus fuerat. Cùmque illi, cleroque eius particulatim viſionis ſeriem retuliſſet, ille lacrymis præ gaudio fuſis, benedixit Dominum. Reque veraciter vt erat per omnia compertâ, beatus Epiſcopus ſub omni celeritate.

tate ad fratres & coëpiſcopos vicinarum vrbium miſit. Qui cùm occurriſſent, & locum præſignatum fodere cœpiſſent, terræmotu ſtatim facto, immenſi odoris ſuauitas tanta exinde reſperſa eſt, quantam nullorum ætas hominum tunc temporis meminerat ſe ſenſiſſe: ita vt putarent ſe præſentes in amœnitate paradiſi ſitos. Et in ipſâ horâ de ſuauitatis odore LXXIII. animæ ſunt curatæ à diuerſis infirmitatibus. Aderant tunc temporis teſtes miraculorum cum B. Ioanne, Euſtominus Sebaſtenus, & Eleuthetius Ietichontinus pontifices, cum clericorum ſanctiſſimo comitatu. Qui oſculantes beati Stephani pignus, locumque claudentes, cum gaudio ad propria ſunt reuerſi. Poſt paucos autem dies corpus protomartyris Stephani in Sion ad ſanctam eccleſiam, vbi archidiaconus fuerat ordinatus, VII. Kal. Ianuarij cum pſalmis & hymnis detulerunt. Tunc temporis cùm prolixæ ſiccitatis eſſet immenſitas, ſufficiens ſupernæ pietatis pluuia deſcendit, quæ ſitientem largiùs terram madefaciens irrigauit. Quod meritis beati martyris Stephani nullus ambigit periclitanti populo conceſſum fuiſſe. Hanc reuelationem Lucianus presbyter Græco ſermone ad omnium Eccleſiarum perſonam deſcripſit, quam Auitus presbyter homo Hiſpanus in Latinum vertit, & per Oroſium presbyterum Occidentalibus dedit: qui etiam ſimul reliquias beati Stephani primus Occidenti detulit, vbi ad memorias ſancti Martyris innumera miracula facta ſunt. De quibus plurima beatus Auguſtinus in libris de ciuitate Dei memorat. *Exſtat tomo. 10. S. Auguſtini.* *Sigebert. in Chron. an. 418.* *Aug. de ciuit. Dei, lib. 22. c. 8.*

Conſtantinopoli, natalis S. Hermelli martyris.

F. PRIDIE NONAS AVGVSTI. *4. Aug.*

NATALIS beati Ariſtarchi, diſcipuli S. Pauli Apoſtoli. *Vide lib. de feſt. Apoſt.*

Item Romæ in cryptâ Arenariâ, natale Tertullini martyris, quem beatus Pontifex Stephanus baptizauit, & in albis presbyterum conſecrauit: cui inter cetera monita, hoc præcipuè commendauit: Frater, inquit, cura ſit tibi diuerſorum requirere ſanctorum corpora Martyrum. Qui poſt biduum ordinationis ſuæ tentus à Marco præfecto, eductus eſt ad Valerianum Imperatorem. Quem ille extenſum mactari fuſtibus iuſſit. Cumque impiè cæderetur, clamabat: Gratias ago tibi Domine Ieſu Chriſte, qui me non ſeparaſti à domino meo Olympio ſeruo tuo, qui me præceſſit martyrio conſummato. Cumque inter cædes hoc diceret, iuſſit Valerianus lateribus eius ignem ſupponi. Cumque lætus & conſtans perſeueraret, diceretque: Fac miſer, quod facis, celeriùs, vt me de hoc incendio, licet peccatorem, tamen pro eius nomine, Chriſto offeras ſacrificium: iuſſit Valerianus eleuari eum, & tradi præfecto Sapricio. Qui primò iuſſit os eius lapidibus conquaſſari, deinde extendi eum in equuleo, & neruis diutiùs torqueri, deinde ignibus concremari. Cumque perſeueranter Spiritus ſancti gratiâ roboratus, Chriſtum Dominum fateretur, mandauit hoc factum Valeriano tyranno. Cui Valerianus remandauit, vt datâ ſententiâ eius caput abſcideretur. Tunc Sapricius depoſitum de equuleo, iuſſit duci viâ Latinâ, in ſecundo miliario, & ibidem decollari. Cuius corpus S. Stephanus pontifex colligens cum clericis, & hymnis redditis Deo, ſepeliuit in eodem loco, in cryptâ Arenariâ, ſecundo Kal Auguſti. Vbi concurſus ſolemnis fit II. Nonas Auguſti. *De hoc in vitâ Stephani Papæ. 2. Aug.*

Apud Lugdunum, aduentus corporis ſancti Iuſti Epiſcopi de eremo. Qui cùm aliquot annis in eremo Angelis proximam egiſſet vitam, & dignus adeſſet finis tantis laboribus, regnum ſcandens cælorum, beato lucro promeruit. Cuius ſanctum corpuſculum, venerabilium ciuium Lugduni vrbis cura requiſitum, à remotis terræ partibus cum alacritate & religione reportauit, atque in vrbe ſacerdotij ſui ſepeliuit.

5. *Aug.*

G. NONIS AVGVSTI.

APVD Prouinciam Rhætiæ, ciuitate Auguſtanâ, natalis ſanctæ Afræ martyris. Quæ cùm eſſet pagana & meretrix, per doctrinam ſancti Narciſſi Epiſcopi ad fidem conuerſa, & cum omni domo ſuâ baptizata, pro confeſſione Domini igni tradita eſt.

*Greg. Tur. de glo. CC. cap. 79.*

Auguſtoduni, natalis ſancti Caſſiani Epiſcopi.

6. *Aug.*

A. VIII. IDVS AVGVSTI.

*De his in vitâ ſancti Laurentij, 10. Aug.*

ROMAE viâ Appiâ in cœmeterio Calliſti, natale S. Sixti Epiſcopi & martyris. Et in cœmeterio Prætextati, ſanctorum Feliciſſimi & Agapiti, diaconorum eiuſdem, ſub Decio Imperatore, Valeriano præfecto: qui tenuit beatiſſimum ſenem Sixtum Epiſcopum Romanum cum omni clero ſuo, & recluſit eos in cuſtodiâ publicâ, & fuerunt ibi clauſi multis diebus. Factum eſt autem, vt Decius Cæſar & Valerianus præfectus iuberent ſibi beatum Sixtum Epiſcopum, cum clero ſuo pręſentari noctu intra ciuitatem in Tellude. Cui Decius Cæſar dixit: Scis cur tentus, & conuentione publicâ nobis præſentatus es? Reſpondit Sixtus: Scio, & benè ſcio. Decius dixit: Ergo ſi ſcis, fac vt vniuerſi ſciant, & tu viuas, & clerus tuus augeatur. Beatus Sixtus reſpondit: Verè feci & facio, vt clerus meus augeatur. Cui Decius: Ergo ſacrifica diis immortalibus, & eſto princeps ſacerdotum. Ad hoc ſanctus Epiſcopus: Ego ſemper ſacrificaui, & ſacrifico Deo Patri omnipotenti, & Domino Ieſu Chriſto Filio eius, & Spiritui ſancto, hoſtiam puram & immaculatam. Tunc ex præcepto Decij duxerunt eum milites ad templum Martis, vt ſacrificiis coinquinaretur. Sed contemnentem ſacrificare recluſerunt eum in cuſtodiâ priuatâ, cum duobus diaconibus Feliciſſimo & Agapito. Cumque duceretur, his verbis beatus eum Laurentius archidiaconus cœpit compellare: Quò progrederis ſine filio pater? Quò ſacerdos ſancte ſine diacono properas? Tu numquam ſine miniſtro ſacrificium offerre conſueueras. Quid in me ergo diſplicuit tibi pater? Num degenerem probaſti? Experire certè vtrùm idoneum miniſtrum elegeris. Cui commiſiſti Dominici ſanguinis conſecrationem, cui conſummandorum conſortium Sacramentorum credidiſti, huic ſanguinis tui conſortium negas? Vide ne periclitetur iudicium tuum, dum fortitudo laudatur. Abiectio diſcipuli, detrimentum magiſtri eſt. Quid quòd illuſtriùs præſtantes viri diſcipulorum certaminibus, quàm

*Gen. 22.* ſuis vincunt? Denique Abraham filium obtulit, Petrus Stephanum præmiſit. Et tu pater oſtende in filio virtutem tuam, offer quem erudiſti, vt ſecurus iudicij tui comitatu nobili peruenias ad coronam. Tunc beatus Sixtus ait: Non ego te derelinquo fili, nec deſero, ſed maiora tibi debentur certamina. Nos quaſi ſenes leuioris pugnæ curſum recipimus, te quaſi iuuenem glorioſior manet de tyranno triumphus. Mox venies, flere deſiſte, poſt triduum me ſequeris. Inter Sacerdotem & Leuitam hic medius numerus decet. Non erat tuum ſub magiſtro vincere, quaſi adiutorem quæreres. Quid conſortium paſſionis meæ ex-

*4. Reg. 2.* petis? Totam tibi hereditatem dimitto. Quid præſentiam meam requiris? Elias Eliſeum reliquit, & virtutem non abſtulit. Et dixit beatus Sixtus ad beatum Laurentium: Accipe facultates Eccleſiæ vel theſauros, & diuide pauperibus quibus tibi videbitur. Acceptâ poteſtate beatus Laurentius cœpit per regiones curioſè quærere, vbicumque ſancti clerici vel pauperes eſſent abſconſi, & portans theſauros, prout cuique opus erat, miniſtrabat. Igitur poſt hoc B. Sixtus reducitur in Telludem, vt audiretur, & cum eo diaconi Feliciſſimus & Agapitus. Et ſedente Decio ac Valeriano, præſentatus eſt beatus Sixtus. Ad quem Decius iracundiâ plenus: Nos, inquit, conſulimus ſenectuti tuæ, audi præcepta noſtra, & ſacrifica. Reſpondit beatus Sixtus: Miſer tu tibi conſule, & noli

blaſphe-

blaſphemare, ſed age pœnitentiam de ſanguine Sanctorum, quem effudiſti. Tunc monente Valeriano, iuſſit Decius, vt ducerentur ad templum Martis, & ſi nollent ſacrificare, in eodem loco capite truncarentur. Educti ergo foras murum portæ Appiæ, dixit beatus Sixtus ad templum Martis: Deſtruat te Chriſtus Filius Dei viui. Cumque reſpondiſſent omnes Chriſtiani, Amen, ſubitò cecidit aliqua pars templi, & comminuta eſt. Tunc beatus Laurentius cœpit clamare: Non me derelinquas Pater ſancte, quia theſauros tuos iam expendi, quos tradidiſti mihi. Milites autem audientes de theſauris, tenuerunt beatum Laurentium Archidiaconum: ſanctos verò Sixtum, Feliciſſimum, & Agapitum duxerunt in cliuum Martis ante templum, & ibi decollati ſunt octauo Idus Auguſti. Noctu autem venerunt clerici, & maxima pars Chriſtianorum, & collegerunt corpora Sanctorum, & ſepelierunt beatum Sixtum in cryptâ in cœmeterio Calliſti in eâdem viâ. Sanctos verò Feliciſſimum & Agapitum martyres ſepelierunt in cœmeterio Prætextati. Decollati autem ſunt cum eis & alij quatuor, vt in geſtis Pontificalibus legitur, Ianuarius, Magnus, Vincentius, & Stephanus ſubdiaconi. Paſſus & cum eis beatus Quartus, vt ſcribit beatus Cyprianus. *Cypr. ep 82* Hic beatus Sixtus apud Athenas natus, & doctus, priùs quidem philoſophus, poſteà Chriſti diſcipulus fuit. Sedit in Epiſcopatu anno vno, menſibus decem, diebus vigintitribus.

Eodem die in Hiſpaniis, ciuitate Compluto, ſanctorum Iuſti & Paſtoris fratrum. *Eulogius lib. 2. c. 12.* Qui cùm adhuc pueri litteris imbuerentur, proiectis in ſcholâ tabulis, ſponte ad martyrium cucurrerunt: & mox à Daciano teneri iuſſi, cùm ſe mutuis exhortationibus conſtantiſſimè roborârent, extra ciuitatem producti, & in Campo laudabili, à carnificibus iugulati ſunt. Vbi etiam in baſilicâ ſui nominis quieſcunt.

B. VII. IDVS AVGVSTI. *7. Aug.*

APVD Tuſciam, ciuitate Aretio, natalis ſancti Donati Epiſcopi & martyris: *Greg. dial. lib. 1. c. 7.* qui nutritus à ſancto Pigmenio presbytero, in titulo beati Paſtoris eruditus eſt, non ſolùm in diuinis, verùm in humanis litteris ſufficientiſſimè. Cum quo & Iulianus creuit, & Subdiaconus ordinatus, reiecto poſtmodum gradu inutilis factus, ad Imperium adſpirauit. Quo tempore beatum Pigmenium Romæ in cuſtodiâ mancipauit, & ſanctos patrem & matrem Donati gladio occidit. Donatus verò Lector fugâ petiit ciuitatem Aretium, & habitauit cum Hilarino glorioſiſſimo monacho, ſeruiens Deo continuis orationibus & ieiuniis. Factum eſt vt mulier nomine Surana gentilis & pagana, capta oculis, & corde verè cæca, cum vnico filio ſuo Herculeo nomine cellam beati Hilarini, cum quo beatus vir habitabat, requireret: quam fide Chriſti inſtructam, ad beatum Satyrum Epiſcopum Hilarinus & Donatus perduxerunt. Qui fidem ipſius vt accepit, gratias Deo agens, indixit ei ieiunium, vt humiliaretur in cilicio & cinere. Et ſic deinde catechizauit eam, & baptizauit tam ipſam quàm filium eius. Et mox aperti ſunt oculi Suranæ, cœpitque clamare: Verè Deus Chriſtus eſt, qui illuminauit oculos meos. Quod factum audiens Apronianus, non multò pòſt attulit filium ſuum dæmoniacum ad beatum Donatum. Quo orante ſimul cum Satyro Epiſcopo & Hilarino, expulſus dæmon puerum ſanum reliquit. Sed & non longo tempore pòſt vir quidam Euſtaſius, tector Tuſciæ, & exactor fiſci, dum occupatus aliubi teneretur, ſuperuenientibus hoſtibus, vxor ipſius Euphroſyna pecuniam fiſci abſcondit, & paucis diebus ſuccedentibus, abſente adhuc viro, defungitur. Rediens autem poſtmodum vir eius, inuenit vxorem ſuam mortuam, & pecuniam fiſci ſibi celari. Quâ de re non parùm triſtis, ſimul pro requiſitâ pecuniâ, cùm etiam à principibus curiæ ſupplicia ipſi meditarētur,

fugiens

fugiens idem Euſtaſius, venit ad beatum Satyrum & Donatum, & indicauit eis anxietatem animi ſui. Stans itaque Donatus ſuper ſepulcrum vxoris ipſius, voce magnâ clamauit: Euphroſyna, per Chriſtum crucifixum te coniuro, vt dicas nobis quid factum ſit de pecuniâ fiſci, quia vir tuus pro eâ ab exactoribus valdè affligitur. Quæ mox de ſepulcro reſpondit, In ingreſſu domus ſuffoſſa latet pecunia, quam quæritis. Recepta igitur eſt pecunia, liberato Euſtaſio ab impoſitione calumniæ. Verùm recepto beato Satyro cum patribus ſuis, eius loco ſacerdotium beatus Donatus ſuſcepit. Cumque die quadam Miſſas celebraſſet populo, & de corpore Chriſti ac ſanguine ipſius populus venerabiliter recrearetur: diaconus quidam nomine Antimus tradebat ſacrum ſanguinem Chriſti; & ſubitò paganorum impulſu cecidit, & ſanctum calicem comminuit. Vnde valdè triſtis tam ipſe quàm populus Chriſti efficitur. Cuius triſtitiam Dominus per beatum ilicò Donatum releuauit. Nam collecta ſunt fragmenta Dominici calicis, & beato viro allata. Quæ flens ille ſuſcipiens, oratione factâ, vas in priſtinam formam reſtaurauit. Quo ſigno perculſi pagani, ſimul cum Chriſtianis Deitatem Chriſti confeſſi ſunt, ac circiter ſeptuagintanouem animæ in Chriſtum credentes per Baptiſmũ ſaluatę ſunt. Multis ergo ſignis Dominus glorificans Sanctum ſuum, ad coronam martyrij prouexit. Denique tentus tempore Iuliani Imperatoris à Quadratiano Auguſtali, ſimul & cum eo Hilarinus vir Dei, iubetur idolis ſacrificare. Cui fideliter reluctanti, iuſſit Quadratianus os lapidibus contundi: Hilarinum verò monachum in conſpectu eius tam diu fuſtibus cædi, donec ſpiritum emitteret: deinde beatum Donatum in cuſtodiâ recludi. Vbi cùm innumera miracula Dominus per ſeruum ſuum operaretur, miſit Quadratianus, & gladio percuſſit, VII. Idus Auguſti. Cuius corpus Chriſtiani iuxta ciuitatem cum veneratione ſepelierunt. Martyris verò Hilarini oſſa in Oſtiâ ciuitate tumulata ſeruantur.

Romæ, S S. martyrum Petri, Iulianæ cum aliis decem & octo.

*al. Fauſti, Apud Mediolanum, S. * Fauſtini, tempore Aurelij Commodi martyrizati.

8. *Aug.* C. VI. IDVS AVGVSTI.

* *Tranſlatio de Cyriaco & ſociis eius habetur in geſtis Marcelli Papæ 16. Ian.*

ROMAE viâ Oſtienſi, miliario ſeptimo, *natale S. Cyriaci martyris. Poſtquam Maximinus Auguſtus iuſſit, vt omnes, qui erant in cuſtodiâ, vnà cum Cyriaco diacono capite truncarentur, & promiſcui ſexus numero viginti & vnus decollati viâ Salariâ intra thermas Saluſtij foras muros eſſent, eorum corpora collegit noctu Ioannes presbyter, & ſepeliuit in eâdem viâ ſub die ſeptimo Kalendarum Aprilium. Poſt dies verò octo, veniens B. Marcellus Epiſcopus cum Lucinâ matronâ Chriſtianiſſimâ, corpora Sanctorum condiuit cum aromatibus & linteaminibus, deinde ſuſtulit ea, & tranſtulit in prædium ſuum viâ Oſtienſi, miliario ab vrbe Româ ſeptimo: & manu ſuâ recondidit in ſarcophagis lapideis, cum quibus & B. Cyriacum, octauo die menſis Auguſti. Carpaſius verò vicarius petiit domum beati Cyriaci, quam donauerat ei Diocletianus Auguſtus: & eam ſtatim Maximinus Auguſtus conceſſit. Et ingreſſus in eam inuenit locum vbi S. Cyriacus fontem ædificauerat, quem conſecrauerat S. Marcellus Epiſcopus, vbi venientes ad fidem baptizabat S. Cyriacus. In quo loco Carpaſius balneum ſibi ſtatuit. Et dum lauiſſent & epulas exhibuiſſent Carpaſius & nouemdecim pariter cum ipſo, ac deriderent fidem Chriſtianam, ſubitò ceciderunt, & mortui ſunt. Beatorum autem Martyrum paſſiones, id eſt Cyriaci, Largi, & Smaragdi, ſuis locis in præſenti Kalendario notatæ ſunt XVII. Kalendas Aprilis ſub Maximino Auguſto & Carpaſio vicario.

Apud Viennam, Galliæ vrbem, natalis ſancti Seueri presbyteri & confeſſoris: qui, vt eius geſta teſtantur, natione Indus, fide Chriſti feruens, causâ Euangelij

gelij prædicandi, laborioſiſſimâ peregrinatione ſuſceptâ, etiam ad præfatam vrbem deueniens, ingentem paganorum multitudinem verbo & miraculis ad fidem Chriſti conuertit. Dumque in pace quieuiſſet, conditus in baſilicâ S. Stephani, ſignis clarus, mirâ fidelium veneratione colitur.

D. V. IDVS AVGVSTI. *9. Aug.*

VIGILIA ſancti Laurentij.

Eodem die, Romæ, ſancti Romani militis, qui in confeſſione ſancti Laurentij compunctus petiit ab eo baptizari: & mox iubente Decio, cum fuſtibus exhibitus ac decollatus eſt. *De hoc in vitâ ſancti Laurentij, 10. Aug.*

E. IIII. IDVS AVGVSTI. *10. Aug.*

ROMAE, natale ſancti Laurentij Archidiaconi & martyris ſub Decio. Cui beatus Sixtus omnes facultates Eccleſiæ & theſauros, pergens ad coronam martyrij, tradidit. Hic veniens in Cælium montem, vbi erat quædam vidua, in viduitate triginta duos annos habens, in cuius domo multi Chriſtiani, & Presbyteri, & Clerici abſconſi manebant, tulit veſtes & theſauros Eccleſiæ, & cœpit erogare, & pedes omnium Chriſtianorum lauare. Ad cuius pedes Cyriaca vidua cadens, Per Chriſtum, inquit, te coniuro, vt manus tuas ponas ſuper caput meum, quia multas infirmitates capitis patior. Beatus Laurentius facto ſigno Crucis, poſuit manus ſuper caput viduæ, & linteum, de quo extergebat pedes Sanctorum. Tranſiens autem in vicum, qui dicitur Canarius, inuenit multos Chriſtianos in domo Narciſſi Chriſtiani congregatos, & lauit pedes omnium, & dedit eis de theſauro. Erat in eâdem domo homo cæcus, nomine Creſcentio, qui cœpit rogare beatum Diaconem, vt poneret manum ſuam ſuper oculos eius. Tunc beatus Laurentius lacrymans dixit: Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui aperuit oculos cæci nati, ipſe te illuminet: & facto ſigno Crucis, aperti ſunt oculi eius. *Ioan. 9.* Cùm iam ergo duceretur beatus Sixtus cum duobus Diaconibus, vt martyrium ſuum conſummaret, & beatus Laurentius clamaret adueniens, Non me derelinquas Pater ſancte, quia theſauros tuos iam expendi, quos tradidiſti mihi, tentus eſt à militibus, & traditus Parthenio tribuno. Qui nuntiauit Decio, quòd Laurentius, qui haberet theſauros reconditos, Archidiaconus Sixti in cuſtodiâ teneretur. Qui gauiſus, fecit eum ſibi præſentari, & auditum, tradidit Valeriano præfecto: qui & ipſe dedit eum in cuſtodiam cuidam Hippolyto: & Hippolytus recluſit eum cum multis. Erat autem ibi homo, Lucillus nomine, cæcus, ad quem ſanctus Laurentius: Crede, inquit, in Filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & baptizare, & illuminabit te. Reſpondit Lucillus: Ego ſemper deſideraui baptizari in nomine Domini Ieſu Chriſti. Tunc beatus Laurentius catechizauit eum, & acceptâ aquâ baptizauit, & illuminati ſunt oculi eius. Hoc factum audientes multi cæci, veniebant ad beatum Laurentium, & ponebat manum ſuam ſuper oculos eorum, & illuminabantur. Videns hoc Hippolytus, credidit, & catechizatus atque baptizatus eſt. Itaque ex mandato adductus eſt beatus Laurentius ante conſpectum Valeriani. qui dixit beato Laurentio: Iam depone pertinaciam, & da theſauros, quos apud te cognouimus eſſe reconditos. Cui ſanctus Laurentius: Da mihi inducias biduo aut triduo, & proferam tibi theſauros. Ab eâdem die cœpit colligere cæcos, & claudos, debiles & pauperes, & abſcondit eos in domo Hippolyti. Valerianus autem nuntiauerat Decio, quia promiſiſſet, datis ſibi induciis Laurentius theſauros. Completis igitur tribus diebus, præſentauit ſe in palatio Saluſtiano. Et dixit ei Decius: Vbi ſunt theſauri, quos pollicitus es præſentare? Beatus Laurentius collectam multitudinem pauperum introduxit in palatium, & voce magnâ dixit: Ecce iſti ſunt theſauri æterni, qui numquam diminuuntur, nec decreſcunt:

qui

qui in ſingulis aſpergitur, & in omnibus inuenitur. Valerianus præfectus dixit: Quid varias per multa? Sacrifica diis, & obliuiſcere artes magicas, in quibus confidis. Cui cùm dixiſſet beatus Laurentius, Quare vos coarctat diabolus, vt Chriſtianis dicatis, Sacrificate dæmoniis? Decius iratus iuſſit eum exſpoliari, & cædi cum ſcorpionibus. Qui cùm cæderetur, dicebat: Ego quidem gratias ago Deo meo, qui me dignatus eſt coniungere ſeruis ſuis: tu miſer torqueris inſaniâ tuâ, & furore tuo. Tunc Decius, Leuate (inquit) eum, & date ante conſpectum eius omne genus tormentorum. Et allatæ ſunt laminæ ferreæ, & lecti, & plumbati, & cardi. Poſt vinctus catenis ductus eſt beatus Laurentius in palatium Tiberij, vt ibi geſtis audiretur. Et ſedit Decius pro tribunali in baſilicâ Iouis. Et præſentato Laurentio cùm dixiſſet, Sacrifica diis, & noli confidere in theſauris, quos habes abſconditos: beatus Laurentius liberè reſpondit: Verè & confido, & ſecurus ſum de theſauris meis. Vnde iracundiâ plenus Decius, iuſſit eum nudum fuſtibus cædi. Qui cùm cæderetur, clamabat ad Cæſarem: Ecce miſer vel modò cognoſce, quia triumpho de theſauris Chriſti, & non ſentio tormenta tua. Adhuc Decius fuſtes augere, & dare ad latera eius laminas ferreas ardentes iubet. Beatus verò Laurentius dixit: Domine Ieſu Chriſte, Deus de Deo, miſerere mihi ſeruo tuo: quia accuſatus non negaui; interrogatus, te Dominum Ieſum Chriſtum confeſſus ſum. Et cùm diutiſſimè cum plumbatis cæderetur, dixit: Domine Ieſu Chriſte, qui pro noſtrâ ſalute dignatus es formam ſerui accipere, vt nos à ſeruitio dæmonum liberares, accipe ſpiritum meum. Et audita eſt vox: Adhuc multa certamina tibi debentur. Porrò extenſus in cataſtâ, & ſcorpionibus grauiſſimè cæſus eſt: qui ſubridens, & gratias agens, dicebat: Benedictus es Domine Deus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui nobis donaſti miſericordiam, quam meriti non ſumus. Sed tu Domine, propter tuam pietatem da nobis gratiam, vt cognoſcant omnes circumſtantes, quia tu conſolaris ſeruos tuos. Tunc vnus ex militibus nomine Romanus credidit Domino Ieſu Chriſto, & dixit beato Laurentio: Video ante te hominem pulcherrimum ſtantem cum linteo, & extergentem membra tua: adiuro te per Chriſtum qui tibi miſit Angelum ſuum, ne me derelinquas. Leuatus igitur beatus Martyr de cataſtâ & ſolutus, redditus eſt Hippolyto tantùm in palatio. Veniens autem Romanus afferens aquam, miſit ſe ad pedes beati Laurentij vt baptizaretur: qui benedictâ aquâ, baptizauit eum. Quod factum audiens Decius, iuſſit eum ſibi exhiberi cum fuſtibus. Non interrogatus cœpit clamare, Chriſtianus ſum. Et iubente Decio eductus foras muros portæ Salariæ, decollatus eſt quinto Idus Auguſti. Cuius corpus noctu collegit Iuſtinus presbyter, & ſepeliuit in cryptâ in agro Verano. Decius autem Cæſar pergit noctu ad thermas iuxta palatium Saluſtij: & exhibitus eſt ei iterùm ſanctus Laurentius, & allata ſunt omnia genera tormentorum; plumbatæ, fuſtes, laminæ, vngues, lecti, batuli; & dixit beato Martyri: Iam depone perfidiam artis magicæ, & dic nobis generoſitatem tuam. Cui beatus Laurentius: Quantum ad genus, Hiſpanus ſum, eruditus ac nutritus Romæ, & à cunabulis Chriſtianus, eruditus omnem legem ſanctam & diuinam. Et Decius: Sacrifica diis; nam nox iſta expendetur in te cum ſuppliciis. Mea, inquit Laurentius, nox obſcurum non habet, ſed omnia in luce clareſcunt. Et cùm cæderetur lapidibus os eius, ridebat, & confortabatur, ac dicebat: Gratias tibi ago Chriſte, quia tu es Deus omnium rerum. Allatus eſt autem lectus cum tribus coſtis: & exſpoliatus B. Laurentius veſtimentis ſuis, extentus eſt in cratem ferream: & allati ſunt batuli cum prunis, & miſerunt ſub cratem ferream. Qui cùm furcis ferreis coarctaretur deſuper, dixit Decio: Ego me obtuli ſacrificium Deo in odorẽ ſuauitatis: quia ſacrificium Deo eſt ſpiritus cõtribulatus.

Cami-

Carnifices tamen vrgentes miniſtrabant, carbones mittentes ſubter cratem, & deſuper comprimentes eum furcis ferreis. Sanctus Laurentius dixit: Diſce miſer, quanta eſt virtus Dei mei. Nam carbones tui mihi refrigerium præſtant, tibi æternum ſupplicium: quia ipſe Dominus nouit, quòd accuſatus non negaui, interrogatus Chriſtum confeſſus ſum, aſſatus gratias ago. Et vultu pulcherrimo dicebat: Gratias tibi ago Domine Ieſu Chriſte, qui me confortare dignatus es. Et eleuans oculos ſuos in Decium, dixit: Ecce miſer, aſſaſti vnam partem, regyra aliam & manduca. Gratias igitur agens & glorificans Deum, dixit: Gratias tibi ago Domine Ieſu Chriſte, quia ianuas tuas ingredi merui: & emiſit ſpiritum. Manè autem primo adhuc crepuſculo, rapuit corpus eius Hippolytus, & condiuit cum linteis & aromatibus: & hoc factum mandauit Iuſtino presbytero. Tunc beatus Iuſtinus & Hippolytus plorantes, & multùm triſtes, tulerunt corpus beati Martyris, & venerunt in viâ Tiburtinâ, in prædium matronæ viduę Cyriacę in agro Verano, ad quam ipſe Martyr fuerat noctu, cui & linteum dedit, vnde pedes Sanctorum exterſerat, & illud ibi iam horâ veſpertinâ ſepelierunt, IV. Idus Auguſti. Et ieiunauerunt agentes vigilias noctis triduo, cum multitudine Chriſtianorum. Beatus autem Iuſtinus presbyter obtulit ſacrificium laudis, & participati ſunt omnes.

Eodem die Romæ, Militum CLXV. Tunc paſſi ſunt Claudius, Seuerus, Creſcentio & Romanus, ipſo die quo beatus Laurentius, poſt tertium diem paſſionis ſancti Sixti.

F. III. IDVS AVGVSTI. 11. Aug.

ROMAE, inter duas lauros, natalis ſancti Tiburtij martyris, filij Chromatij Vrbis præfecti, quem erudierunt in fide B. Sebaſtianus & S. Tranquillinus, ac glorioſus presbyter Polycarpus, qui ipſum ſacro fonte Baptiſmatis innouauit, & familiam eius promiſcui ſexus mille quadringentos cum eo pariter baptizauit. Huius etenim filius Tiburtius, cùm propter immanitatem perſecutionis iſdem pater eius & ingens multitudo Chriſtianorum cum illo in Campaniam ex conſilio Pontificis Caij perrexiſſet, amore martyrij flagrans reſedit in vrbe Româ. Et cùm ieiuniis & orationibus ibi cum beato Caio Papâ occuparetur, quâdam die tranſiens occurrit homini qui de alto lapſus fuerat, & ita caput & omnia membra quaſſauerat, vt de ſolâ ſepulturâ eius ageretur. Iuxta quem ipſe acceſſit, & cœpit dicere ſuper vulnera eius lentè orationem Dominicam & Symbolum: & ita factus eſt homo ſolidatis membris incolumis, quaſi nihil mali contigiſſet ei. Tunc apprehendens parentes eius, ſegregauit eos à turbis, & indicauit eis virtutem nominis Chriſti. Et videns animum eorum fixum fortiter in timore Domini, perduxit eos ad Caium Papam. Qui iuuenem ſanatum Deo gratias referentem, & parentes eius pariter baptizauit. Intereà dum procella perſecutionis grauiter inundaret, iunxit ſe quidam ſimulatâ fide beato Caio. Porrò hic apoſtata extiterat, & erat fraudulentus in omni ſermone, & callidus in omni commiſſu. Qui dum à beato Tiburtio viro ſcholaſticiſſimo, & nobili & ſancto, frequenter argueretur, quòd capillos ſuper apicem frontis tonſoris arte cōponeret, & quòd aſſiduè paſceret, & ludendo pranderet, quòd libentiùs feminarum ſe adſpectibus daret, quòd à ieiuniis & orationibus ſe tolleret, quòd ſomno deditus non intereſſet peruigil in hymnis Dei: dum, inquam, pro his à beato Tiburtio acriùs argueretur, ſimulabat ſe æquanimiter monitionem accipere, & egit arte quatenus orantem ſanctum Tiburtium pagani comprehenderent, in quâ comprehenſione ſeipſum fecit teneri, & ſimul duci ad ſecretarium Iudicis. At vbi introducti ſunt, Fabianus dixit ad eum, qui ſe arte tradiderat: Quis diceris? Ille reſpondit: Torquatus. Quid profiteris? Chriſtianus ſum, inquit.

*De his in geſtis ſancti Sebaſtiani 20. Ian.*

inquit. Fabianus dixit: Ignoras quòd iuſſerunt inuictiſſimi Principes, vt qui ſacrificare diis noluerint, diuerſis ſuppliciis macerentur? Torquatus ait: Hic magiſter meus eſt, & ipſe me ſemper docuit: quod hunc videro facere, neceſſe eſt vt hoc faciam. Fabianus conuerſus ad Tiburtium ait: Audiſti quid Torquatus aſſerit? Sanctus Tiburtius reſpondit: Torquatus diu eſt quòd ſe Chriſtianum eſſe mentitur; virtus enim ipſa nominis ſancti, grauiter fert & moleſtè, ſuum nomen non à ſuis moribus vſurpari. Reuerà enim, vir illuſtriſſime, hoc Chriſtianum vocabulum diuinæ virtutis eſt, ſectatorum ſcilicet Chriſti, qui verè philoſophati ſunt, qui verè Chriſtiani dicti ſunt, qui ad obterendas libidines fortiter militarunt. Ne credas, vir illuſtriſſime, hunc eſſe Chriſtianum, qui in lenocinio ſui molliendo capitis* fibras omittit, qui tonſorem diligit, qui in ſcapulis molliter geſtit, qui fluxum greſſum improbo niſu diſtendit, qui viros negligenter agit, feminas diligentiùs intuetur. Numquam tales peſtes Chriſtus dignatus eſt habere ſeruos. Verùm hic quoniam me ſe imitaturum aſſerit, hîc in tuo conſpectu probabis eum mentitum. Hic enim qualis ſemper fuerit, nunc euidenter oſtendet. Fabianus dixit: Conſultiùs facies, ſi ſaluti tuæ conſulens, Principum decreta non contemnas. Tiburtius reſpondit: Ego ſaluti meæ meliùs non conſulo, quàm vt deos deaſq; contemnens, vnum Deum Ieſum Chriſtum confitear. Torquatus adiecit: Non ſolùm ipſe Chriſtianus crudelis eſt, verùm etiam multis perſuadet & decipit, ac cum ſuis ſociis, cum quibus magicas artes exercet, diu noctuque incantationibus occupatur. Sanctus Tiburtius dixit: *Falſus teſtis non erit impunitus*: iſte quem vides, vir illuſtriſſime, malitiæ ſuæ curis æſtuans, ad nihil aliud Chriſtianis eſt iunctus, niſi vt cogitaret, quomodo ſe nobis quaſi Chriſtianum oſtenderet, & quomodo aliis ſe fideliſſimum mentiretur. Reprehendebam tamen in eo Cyclopæam edacitatẽ, emerſum vino putorem, & ſepultam diuini nominis ſanctitatem. Ebrius patiebatur ſitim, & eſuriem vomens, nec vt Chriſtianus, ſed vt Antonianus quondam ille conuiua, manducabat, bibebat, vomebat: & nunc Chriſtianos arguit, Chriſtianos accuſat, in nos mitem Iudicem incitat, gladium nolenti Iudici porrigit, & vt dæmoniis ceruices noſtras inclinemus, hortatur. Videmus votum tuum, videmus cruenta conſilia, & ſceleratâ arte verborum venena tui pectoris intuemur. Accingere nunc ô ſceleratiſſime, vtere carnificis officio, vendica tibi & ipſius Iudicis vocẽ, applica eculeos, appende Chriſtianos, damna, percute, incende, benè nos accipis. Si exilium minaris; hoc philoſophantibus totus eſt mundus. Si ſupplicium; euadimus mundi carcerem. Si ignes; maiora his incendia in cupiditatibus vincimus. Decerne quidquid libet. Omnis nobis vilis eſt pœna, vbi pura comes eſt conſcientia. Poſt hæc Fabianus, cùm veriſſimè iuuenis ſanctiſſimus Chriſtum confiteretur, iuſſit ante pedes eius carbones ardentes effundi, dicens ad eum: Elige tibi vnum de duobus, aut thura in iſtis carbonibus adijce, aut pedibus ſuper eos nudis incede. Ille autem faciens ſignum crucis conſtanter ſuper eos nudâ ingreſſus eſt plantâ, & cœpit dicere: Depone infidelitatem, & diſce quia hic ſolus eſt Deus, quem confitemur creaturis omnibus dominari: nam mihi in nomine Domini mei Ieſu Chriſti videtur, quòd ſuper roſeos flores ingrediar, quia creatura ipſa Creatoris famulatur imperio. Cui Fabianus: Quis ignorat artem magicam vos docuiſſe Chriſtum veſtrum? Obmuteſce infelix, exclamat Tiburtius, & noli auribus meis hanc iniuriam facere, vt audiam te rabido ore latrantem mellifluum nomen & ſanctum nominare. Iratus Fabianus dictauit ſententiam, vt gladio animaduerteretur. Ductus autem in viâ Lauicanâ tertio miliario ab Vrbe, vno ictu gladij percuſſus abſceſſit. In eodem autem loco à quodam parente Chriſtiano ſepultus eſt III. Idus Auguſti.

* *al.* vibras committit, *vulgo*, fimbrias admittit,

Prou. 19.

Eodem

Eodem die Romæ, natale ſanctæ Suſannæ virginis & martyris, ſub Diocletiano & Maximiano Auguſtis, iudice Macedonio. Fuit autem filia glorioſi presbyteri & martyris Gabinij, fratris Gaij Epiſcopi & martyris, nobili ſatis orta progenie, quam pater nutriuerat, & diuinis litteris imbuerat. Audiens itaque Diocletianus de puellâ, quòd pulchritudine & ſapiẽtiâ præcelleret, miſit ad Gabinium quemdam qui erat ex genere eius conſobrinum ſuum, nomine Claudium, & petiuit eam Auguſto Maximino filio ſuo in coniugem. Veniens denique Gabinius ad filiam ſuam Suſannam, rogauit intereſſe Gaium Epiſcopum vrbis, auunculũ eius, & narrauit eis quomodo Diocletianus Auguſtus direxiſſet Claudium conſobrinum eorum, vt Suſannam ſuo filio Maximino in coniugem peteret. Quæ Spiritu ſancto corroborata, coniugium huiuſmodi reſpuit. Et reſpondens patri & auunculo, dixit: Pater, ſcio quia de ore tuo ſum erudita, vt caſtitatem ſtudeam ſeruare, & pudicitiam Domino Ieſu Chriſto exhibere: in eius ergo timore iam conſtituta, numquam coinquinabor virili commixtione, ſed cui me ſemel tradidiſti, ipſi ſeruio, & in ipſo confido. Ipſe enim nouit conſcientiam meam. Proinde Claudius ipſe reſpondens ei, & aperiens votum Diocletiani, cùm nullo modo eius animum potuiſſet inclinare, vt coniungeretur Maximino filio eius, ſed inſuper eruditus & inſtructus in viâ Dei à beatis Gaio & Gabinio, pœnitentiam de ſanguine Sanctorum, quem effuderat, popoſciſſet, baptizatus eſt vnà cum vxore ſuâ nomine Præpedignâ, & filiis Alexandro & Cutiâ, & intantùm in fide conualuit, vt omnes facultates ſuas venderet, & pauperibus Chriſtianis erogaret: & quoſcumque adire poterat, qui in cuſtodiâ tenebantur, victu & veſtimentis releuabat, mittens ſe ad pedes ſingulorum, atque orationis gratiam ab eis tantùm exoptans. Intereà dum poſt menſem vnum & dies ſexdecim requiritur à Diocletiano, & reſponſum eſt ei quòd ægritudine teneretur, miſitque fratrem eius ad eum nomine Maximum, comitem rei priuatæ, vt viſitaret eum, & ageret cum illo de puellâ Suſannâ. Veniens igitur Maximus inuenit Claudium in cilicio orantem, & obſtupuit: cumque rem pro quâ venerat per ordinem enarraſſet, perduxit eum Claudius ad domum B. Gabinij, & diligenter ei beatus Gabinius & ſanctus Gaius viam Domini expoſuerunt. Vnde compunctus credidit Maximus, & baptizatus eſt. Ab eâdem verò die cœpit facultatem ſuam vendere per quemdam amicum ſuum nomine Thraſonem Chriſtianiſſimũ togatum, qui occultus Chriſtianus erat, quem ante multos annos B. Gaius baptizauerat. Qui circumiens nocturnis horis vicos & carceres, pauperibus Chriſtianis neceſſaria miniſtrabat, & geſta eorũ colligebat, memoriaſque exornabat. Poſt dies XV. nota facta ſunt omnia Diocletiano, & miſit Iulium, qui Claudium, & Maximum, Præpedignam, & Alexandrum atque Cutiam puniret: Gabinium verò & Suſannam vinculis cõſtringeret. Et poſt dies LV. iuſſit Diocletianus vt beata Suſanna adduceretur ad Serenam vxorem ſuam, quæ occultè Chriſtiana erat. Cùm itaque hymnis & orationibus cum eâ vacaret, & die noctuque in laude Dei pſalmos recineret, nuntiatum eſt hoc Diocletiano. Tunc idem dixit Maximino filio ſuo, vt reuocaretur Suſanna ad patris ſui Gabinij domũ, & ibi abuteretur eâ, vt ipſi liberet. Ipſâ verò nocte poſtquam reuocata eſt, ingreſſus Maximinus in domũ, vbi orabat Suſanna, vidit nimiam claritatem ſuper ipſam, & extimuit, & curſim rediit ad palatium. Diocletianus verò hoc arti magicæ deputans, miſit Macedonium, qui eam conſtringeret infra domũ eius, vt ſacrificaret. Qui dum vellet eam flectere, vt diis immolaret, expolians eam cœpit fuſtibus cædere. Beata verò Suſanna dicebat: Gloria tibi Domine. Sicq; beata virgo permanens in confeſſione Domini, gladio percuſſa eſt intra domum ſuam, & ſpiritum incontaminatum Deo reddidit. Eius corpus collegit



Digitized by Google

Serena Auguſta noctu, & manibus ſuis cum linteaminibus & aromatibus ornauit, & poſuit iuxta corpora Sanctorum in cœmeterio Alexandri in arenario, in cryptâ, iuxta ſanctum Alexandrum, tertio Idus Auguſti. Sanguinem verò Martyris, qui effuſus fuerat in loco domus ſuæ, velamine deterſit, & poſuit in capſâ argenteâ in palatio ſuo, vbi die noctuque furtiuis orationibus ſemetipſam Domino effundebat. Paſſa eſt autem tertio Idus Auguſti.

12. *Aug.* C. PRIDIE IDVS AVGVSTI.

IN Siciliâ, ciuitate Catanenſi, natale ſancti Eupli diaconi, Diocletiano & Maximiano Auguſtis. Cùm enim eſſet extra velum ſecretarij beatus Euplus, Chriſtianum ſe confeſſus, intromiſſus eſt, iubente Caluiſiano conſulari, in auditorium. Et cùm ibi fidem ſuam profiteretur, Caluiſianus dixit: Torqueatur Euplus, quouſque confiteatur deos veros omnipotentes, Martem, Apollinem, & Aſclepium. Beatus Euplus reſpondit: Benè dixiſti Caluiſiane, vt adorarem Trinitatem inſeparabilem, vnum Deum. Audiens Caluiſianus, putauit eum de diis ſuis dixiſſe, & gaudio repletus, ait: Ergo ſacrifica. Cui beatus Martyr: Ego ſacrifico & immolo me ipſum Patri & Filio & Spiritui ſancto. Audiens hoc impius Iudex, commotus irâ, iuſſit eum ampliùs torqueri. Et vltimò dedit ſententiam, dicens: Iubemus Euplum iuſto iudicio noſtro gladio interfici. Beatus verò Euplus gratias egit Domino noſtro Ieſu Chriſto. Et cùm duceretur, repletus Spiritu ſancto canebat: Magna eſt gloria tua Domine in ſeruis tuis, quos ad te vocare dignatus es. Flectens itaque genua ſua, finitâ oratione parauit ceruicem, & decollatus eſt quarto Idus Auguſti. Sepultum eſt corpus eius conditum aromatibus, in loco venerabili Catanenſis ciuitatis, 11. Idus Auguſti.

*De his in vitâ ſanctæ Afræ 5. Auguſt.* Eodem die, ſanctæ Hilariæ, matris ſanctæ Afræ martyris, quæ cùm ad ſepulcrum illius excubaret, ibidem pro fide Chriſti à perſecutoribus igni tradita eſt cum Dignâ, & Eumeniâ, & Eupreptâ, quæ fuerant puellæ ſanctæ Afræ.

In Syriâ, natalis ſanctorum Macarij & Iuliani.

13. *Aug.* A. IDIBVS AVGVSTI.

*De hoc in geſtis ſancti Laurentij 10. Auguſt.* ROMAE, S. Hippolyti martyris, ſub Decio Imperatore, Valeriano præfecto. Hunc beatum Hippolytum vicarium ſanctus Laurentius, cùm apud eum eſſet in cuſtodiâ, baptizauit. Qui de ſanctis exequiis Martyris, poſt tertium diem ad domum ſuam rediens, dedit pacem omnibus ſeruis ſuis & ancillis, & communicauit de ſacrificio altaris beati Laurentij martyris. Et poſitâ menſâ, priuſquam cibum ſumeret, venerunt milites & tenuerunt, & perduxerunt ad Decium. Quem vt vidit, ſubridens dixit ei: Numquid & tu magus effectus es, quia corpus Laurentij abſtuliſſe diceris? Sanctus Hippolytus reſpondit: Hoc feci non quaſi magus, ſed quaſi Chriſtianus. Decius furore repletus, iuſſit, vt cum lapidibus os eius contunderetur. Et expoliauit eum veſte quâ induebatur habitu Chriſtiano, & dixit ei: Sacrifica, & viues: ſin aliter, peries per tormenta ſicut Laurentius. Sanctus Hippolytus dixit: Exemplum merear beati Laurentij martyris fieri, quem tu miſer auſus fuiſti ore polluto nominare. Extenſus igitur, fuſtibus & cardis diu cæſus eſt, donec cædentes deficerent. Inde leuatus eſt à terrâ, & iuſſit eum Decius veſtiri militari veſte, quâ gentilis vtebatur, & dixit ei: Recole militiam, & eſto noſter amicus, & in conſpectu noſtro vtere militiâ priſtinâ, quam ſemper habuiſti. Cumque beatus Martyr dixiſſet: Militia mea hæc eſt, Chriſtianum firmum militare, vnde cupio ad celerem palmam cum fructu venire: iracundiâ plenus Decius, dixit Valeriano: Accipe omnes facultates eius, & interfice eum crudeli examinatione. Valerianus itaque exquiſitâ omni facultate eius, inuenit in domo Hippolyti omnem familiam Chriſtianam, quam conſpectui ſuo præſentari fecit. Et iuſſit beatum Hippolytum

foras

foras muros portæ Tiburtinæ cum familiâ ſuâ duci. Beatus verò Hippolytus confortabat omnes, dicens: Fratres, nolite metuere, quia ego & vos vnum Deum habemus. Et decollati ſunt promiſcui ſexus numero XIX. Beatus verò Hippolytus ligatus pedes ad colla indomitorum equorum, ſic per carduetum & tribulos tractus, emiſit ſpiritum. Nocte venit beatus Iuſtinus presbyter, & collegit corpora, & ſepeliuit in campo eodem iuxta Nympham, ad latus agri Verani, Idibus Auguſti.

Eodem die, natale ſanctæ Concordię, nutricis eiuſdem beati Hippolyti. Cùm Valerianus ad familiam beati Hippolyti ſibi præſentatam dixiſſet: Conſiderate ætates veſtras, ne ſimul pereatis cum Hippolyto domino veſtro. reſpondit beata Concordia: Nos deſideramus potiùs cum domino noſtro pudicè mori, quàm impudicè viuere. Ad hoc Valerianus: Genus, inquit, ſeruorum niſi cum ſupplicijs non emendatur. Et iuſſit vt beata Concordia cum plumbatis cæderetur. Et cùm cæderetur, emiſit ſpiritum, corpuſque eius eſt in cloacam proiectum. Cumque diu quæreret illud ſanctus Iuſtinus, & non inueniret, ita triſtis redditur, vt non ceſſarent flere oculi eius. Tertiodecimo verò die poſt paſſionem ſancti Hippolyti, venit quidam miles Porphyrius nomine, ad Irenæum Cloacarium, qui occultè Chriſtianus erat, & dicit ei: Si ſecretum poſſis cuſtodire, diuulgabo arti tuæ multum ad quęſtum. Ante hos dies iuſſit Valerianus præfectus in conſpectu ſuo quamdam creditariam Hippolyti plumbatis deficere, & corpus eius in cloacam iactari. Hæc in veſtibus ſuis ſpero quòd margaritas habet abſconſas, vel aurum. Audiens hæc Irenæus, intimauit ſecretò beato Iuſtino presbytero. Qui flectens genua gratias egit Deo. Porphyrius autem noctu veniens cum Irenæo, inuenit corpus ſanctum. Sed in veſtimentis nihil inuenerunt. Beatus autem Irenęus vocauit ad ſe quemdam Chriſtianum Abundium nomine, & tulerunt corpus eius, & perduxerunt ad beatum Iuſtinum. Qui gratias agens Deo, illud ſuſcepit, & iuxta corpora martyrum Hippolyti & aliorum ſepeliuit, octauo Kalendas Septembris.

Eodem die in Foro Syllæ, natale ſancti Caſſiani, qui cùm adorare idola noluiſſet, interrogatus à perſecutore, quid artis haberet; reſpondit, quia pueros notas doceret. Et mox ſpoliatis veſtibus, ac manibus poſt terga reuinctis, ſtatuitur in medio. Vocatiſque pueris, quibus docendo exoſus fuerat factus, data eſt facultas eum perimendi. At illi quantum doluerant diſcentes, tantum ſe vlciſci gaudentes, alij eum tabulis ac buxis feriebant, alij ſtylis vulnerabant. Quorum quantò infirmior erat manus, tantò grauiorem martyrij pœnam dilatâ morte faciebat. Scripſit Prudentius Poëta. *Prudent. hymn. 9.*

B. XIX. KALENDAS SEPTEMBRIS. *14. Aug.*

VIGILIA Aſſumptionis ſanctæ Mariæ.

Eodem die, natale ſancti Euſebij presbyteri & confeſſoris. Qui præſente Conſtantio cùm fidem Catholicam conſtantiſſimè defenderet, & Liberium Papam doleret Arianæ perfidiæ conſenſiſſe; ab irato Conſtantio Imperatore Ariano, includitur in quodam cubiculo domus ſuæ, habente in latitudine pedes quatuor: vbi multis diebus in oratione conſtanter perſeuerauit. Et nonodecimo Kalendas Septembris, poſt menſes ſeptem, adhuc tamen incluſus, dormitionem accepit. Cuius corpus collegerunt Gregorius & Oroſius presbyteri, & ſepelierunt in cryptâ, iuxta corpus B. Sixti martyris & Epiſcopi, viâ Appiâ in cœmeterio Calixti. Vbi & titulum ipſius ſcribentes, poſuerunt ita: *Euſebio homini Dei.* Audiens autem Conſtantius, quòd Gregorius & Oroſius ſepeliſſent corpus beati Euſebij, in eâdem cryptâ vbi illum condiderant, præcepit viuum includi Gregorium. Hunc ſemiuiuum noctu Oroſius presbyter excepit inde. Et poſt

paululum defunctum, iuxta corpus ſancti Euſebij presbyteri ſepeliuit. Factaque eſt grauiſſima perſecutio in Carholicâ Eccleſiâ ab Arianis, ſedem Apoſtolicam tunc renenre Liberio.

15. Aug. C. XVIII. KALENDAS SEPTEMBRIS.

*Vide lib. de feſt. Apoſt. 8 Septēb. in eius natali.* SANCTAE Mariæ dormirio.

Eodem die, ſancti Tharſitij acolythi & martyris. Quem pagani cùm inueniſſenr Chriſti corporis Sacramenta portanrem, cœperunt diſcutere quid gereret. *De hoc in geſtis Stephani papæ 20. Aug.* Ar ille indignum iudicans porcis prodere margaritas, tam diu fuſtibus ac lapidibus mactatus eſt, quouſque exhalaret ſpiritum. Et reuolurò eius corpore, ſacrilegi diſcuſſores nihil potuerunt in eius manibus veſtimentiſq; inuenire Sacramentorum Chriſti. Chriſtiani autem collegerunt corpus Martyris, & ſepelierunr in cœmeterio Calixti viâ Appiâ.

16. Aug. D. XVII. KALENDAS SEPTEMBRIS.

*Caſſiod. l. 5. cap. 33. Hiſt. Trip.* IN Nicæâ Bithyniæ, natalis ſancti Vrſarij confeſſoris ſub Licinio perſecutore. Qui derelictâ militiâ, ſolitariam vitam in quadam turre præfatæ vrbis egit: tanriſq; virtutibus claruit, vt & dæmones expuliſſe, & ingentem draconem orando interemiſſe legatur. Scriptum in libro quinto hiſtoriæ Eccleſiaſticæ tripartitæ.

Romæ, ſanctæ Serenæ, vxoris quondam Diocletiani Auguſti.

17. Aug. E. XVI. KALENDAS SEPTEMBRIS.

APVD Africam, natale ſanctorum martyrum, Liberati abbaris, Bonifacij diaconi, Serui & Ruſtici ſubdiaconorum, Rogati & Septimij monachorum, & Maximi pueri. Qui perſecutione VVandalicâ iuſſu crudeliſſimi atque impiiſſimi Regis Hunnerici, de rerritorio Capſenſis ciuitatis, ex habitaculò monaſterij abſtracti, arque ad vrbem Carthaginenſem perducti ſunr. Vbi pro confeſſione Catholicæ fidei, & vnici Bapriſmatis defenſione, primò carcerali cuſtodiæ mancipati, & crudelibus ferri ponderibus arctati, renebroſis deputati ſunt locis. Vbi cùm die ac nocte Chriſtianum populum in fidei conſtantiâ roboraſſent, iuſſir Tyrannus furore ſuccenſus, nauem lignorum manipulis adimpleri, arque omnes parirer alligatos, in pelago, igne ſuppoſiro, adcremari. Cùm autem pro volunrate infandi Regis, vel crudelium miniſtrorum, extenſis eorum manibus, & pedibus eleuatis, lignis ignis fuiſſet iniectus, ſtatim imperio diuino videntibus cunctis extinctus eſt: & dum ſæpiùs renouaretur, iterùm atque iterùm extinguebantur globi flammarum. Vnde magis Tyrannus furore ſimul & pudore repletus, iuſſit eos remotum vectibus enecari, & ita ſingulos in modum canum, cerebris comminutis, perimi. Sicque ſpecioſum curſum certaminis ſui, coronante Domino, perfecerunt. Corpora eorum in mare iactata, ſub eâdem horâ illæſa litoribus reddita, à Chriſtiano populo reuerenter ſublata, præeunte clero, cum hymnis ſolemnibus condita ſunt in monaſterio contiguo baſilicæ, quæ dicitur Celerinæ. *Victor Afri-can. l. 3.* Scribit beatus Victor Africanus Epiſcopus in hiſtoriâ eiuſdem VVandalicæ perſecutionis, quam & ipſe cum ceteris ſuſtinuit, & fideli arque illuſtri ſtylo digeſſit.

Apud Cæſaream Cappadociæ, natalis ſancti Mammetis martyris, qui paſſus eſt imperante Aureliano, ſub Alexandro præſide.

18. Aug. F. XV. KALENDAS SEPTEMBRIS.

APVD Præneſtinam ciuitatem, miliario ab vrbe rrigeſimorertio, natalis S. Agapiti martyris, ſub Aureliano Imperatore, præſide Antiocho. Cùm eſſet annorum quindecim, & amore Chriſti martyrio feruerer, iuſſu Imperatoris tentus, & primò neruis crudis diu cæſus eſt, deinde Præſidi vt impelleretur ſacrificare tradirus. Qui in duriſſimo arque obſcuriſſimo carcere eum recluſit, & per quatuor dies cibum omnem negauit: inde de carcere exhibitus eſt Præ-

ſidi:

ſidi: qui prunas ardentes ſuper caput eius iuſſit imponi. Et cùm gratias Deo Martyr ageret, flagellis eſt cæſus, & nudus ſuſpéſus, capite deorſum verſo, acri ſubter fumo facto. Et cùm diceret Præſidi; Sapientia tua & vanitas tua in fumo laborat: iterùm flagellis cæditur à quatuor ſibi inuicem ſuccedentibus: deinde bullientem aquam ſuper ventrem eius miniſtri diaboli effuderunt, & maxillas eius confregerunt. Intereà Iudex de tribunali ſuo cadens, collectus à miniſtris in lecto reclinatur, & ſentiens Dei virtutem in Martyre, poſt modicum triſtem animam emiſit. De beato verò Agapito renuntiatum eſt Imperatori: qui beatum virum iuſſit leonibus ſubijci, ſed manſuetæ factæ feræ, pedibus Martyris ad lambendum ſe inclinauerunt. Hoc videntes ſceleris miniſtri, tulerunt de medio ſanctum Martyrem, & venerunt contra ciuitatem Præneſtinam, vbi ſunt duæ columnæ, & ibi eum gladio percuſſerunt, ſub die quintodecimo Kalend. Sept. Corpus eius noctu ſublatum eſt à Chriſtianis, & poſitum miliario primo à ciuitate in agro, in ſarcophago nouo, nutu diuino ibi inuento.

Eodem die Romæ, in Sexto Philippi, natalis beatorum presbyterorum Ioannis & Criſpi, qui perſecutione Diocletiani & Maximiani multa Sanctorum corpora officioſiſſimè ſepelierunt. Quorum meritis & ipſi poſtmodum ſociati, gaudia vitæ meruerunt.

G. XIV. KALENDAS SEPTEMBRIS. 19. Aug.

NATALIS ſancti Magni, ſeu ſancti Andreæ martyris, cum ſociis ſuis duobus millibus, quingentis nonaginta ſeptem.

In Galliis, pago Sigiſterico, in monte qui dicitur Iura, natale ſancti Donati presbyteri. Qui ab ipſis infantiæ rudimentis mirâ Dei gratiâ præditus, ex vrbe Aurelianenſi ad præfatum locum, vt ſoli Chriſto vacaret, adueniens, anachoreticam illic vitam multis annis exegit, tantâ miraculorum gloriâ clarus, vt inter cetera geſta magnifica etiam draconem immanem atque terribilem ſuis exinde orationibus effugatum extingueret. Cumque dies vocationis eius inſtaret, adueniente ſancto abbate Mario, cui ita fuerat reuelatum, inter verba orationis migrauit ad Chriſtum. Sepultuſque eſt ab eodem patre in loco ſuo.

Romæ, natale beati Iulij Senatoris & martyris, ſub Commodo Imperatore, iudice Vitellio. Hunc docuerunt beati martyres Euſebius, Vincentius, Peregrinus, & Pontianus. Per quorum manus etiam facultates ſuas pauperibus diſtribuens, à beato Rufino presbytero Baptiſmi gratiam percepit. Quod audiens Commodus, iratus iuſſit eum teneri, & cuidam Vitellio magiſtro peditum tradi, vt omnes facultates eius requireret, & ad ſacrificandum impelleret. Qui coniecit eum in carcerem, & poſt triduum catenis vinctum fecit ſibi præſentari. Et auditum iuſſit tam diu fuſtibus cædi, donec emitteret ſpiritum. Cuius corpus collegerunt noctu beatus Euſebius, Pontianus, Peregrinus atque Innocentius, & ſepelierunt in cœmeterio Calepodij ſub die XIV. Kalend. Septembr. *De his in vitâ ſancti Euſebij 25. Auguſt.*

A. XIII. KALENDAS SEPTEMBRIS. 20. Aug.

NATALE Samuelis prophetæ. Cuius ſacra oſſa Imperator Arcadius de Iudæâ tranſtulit in Thraciam, portantibus Epiſcopis, & omniū eccleſiarum populis tantâ lætitiâ occurrentibus, quaſi præſentem viuentemque cernerent atque ſuſciperent: vt de Palæſtinâ vſque Chalcedonem iungerentur populorum examina, & in Chriſti laudes vnâ voce reſonarent. Scribit ſanctus Hieronymus in libro contra Vigilantium. *Hier. cōtra Vigilant. cap. 2.*

Eodem die, beati Porphyrij hominis Dei, qui ſanctum martyrem Agapitum erudiuit in fide & doctrinâ Chriſti.

21. *Aug.* B. XII. KALENDAS SEPTEMBRIS.

*Greg. Tur. lib. 1. hiſt. Frāc. c.34.* IN territorio ciuitatis* Gaualitanæ, vico Minatenſi, natalis ſancti Priuati Epiſcopi & martyris, qui paſſus eſt ſub perſecutione Valeriani & Gallieni.

Eodem die, natalis ſanctorum martyrum Bonoſi & Maximiani, quorum geſta habentur.

Et in ciuitate Salonâ, natalis Anaſtaſij martyris. Qui cùm videret S. Agapitum inter tormenta fortiùs Chriſtum confitentem, exclamauit: Magnus eſt Deus, & non eſt alius præter eum. Erat autem Cornicularius miles. Ad quem Præſes; Sicut video, inquit, ſeductus es. De quo Præſes Imperatori Aureliano renuntiauit. Qui mox perire illum iubet. Et ita martyr factus migrauit ad Dominum.

22. *Aug.* C. XI. KALENDAS SEPTEMBRIS.

ROMAE viâ Oſtienſi in cœmeterio eiuſdem, natalis ſancti Timothei. Qui Antiochiâ veniens Romam, ſub Melchiade Papâ, ſuſceptus eſt. Quique cùm annum totum & aliquot menſes ibi prædicans, multos ad fidem Chriſti conuertiſſet, tentus à Tarquinio Vrbis præfecto, & longâ carceris cuſtodiâ maceratus, cùm ſacrificare idolis noluiſſet, tertiò cæſus, & grauiſſimis ſuppliciis attrectatus, ad vltimum decollatus, & iuxta beatum Apoſtolum Paulum ſepul- *31. Decēb.* tus eſt. Scriptum inuenitur in hiſtoriâ ſancti Silueſtri.

Eodem die Auguſtoduni, natalis ſancti Symphoriani. Qui tempore Aureliani Imperatoris, ſub Heraclio conſulari, cùm idolis ſacrificare nollet, primò verberibus affectus, dein carceri mancipatus, ad vltimum cæſo capite martyrium conſummauit.

In Portu Romano, natalis ſanctorum peregrinorum martyrum, Martialis, Epicteti, Saturnini, Aprilis, & Felicis, cum ſociis eorum.

*De his in vitâ ſancti Euſebij 25. Aug.* Item Romæ, natale beati Antonij martyris, qui cùm eſſet carnifex, vidit ſtantem iuuenem cum ſpongiâ, & detergentem latera ſanctorum martyrum Euſebij, Pontiani, Peregrini, atque Vincentij, cùm ſuſpenſi in eculeo cæderentur: & mox clamare cœpit: Verè Deus Chriſtus, quem hi prædicant. Fugiens occultè, à Rufino presbytero baptizatus eſt. Et reuerſus ad Vitellium, cùm ſe Chriſtianum liberè fateretur, capitis ſententiâ damnatus, viâ Aureliâ, iuxta formam Traianam, vndecimo Kalendas Septembris ſepultus eſt.

23. *Aug.* D. X. KALENDAS SEPTEMBRIS.

NATALIS ſanctorum martyrum Donati, Reſtituti, Valeriani, Fructuoſæ, cum aliis duodecim, qui præclariſſimo confeſſionis honore apud Antiochiam coronati ſunt.

*Euſeb l. 7. Eccl hiſtor. cap. vii.* Eodem die, beati Theonæ apud Alexandriam, venerabilis & verè Deo digni, qui beatum Petrum Epiſcopum, pòſt & martyrem, nutriuit, in omni puritate & animi virtutibus clari.

Eodem die, beati Zacchæi Epiſcopi, qui quartus à Iacobo Ieroſolymorum eccleſiam clariſſimè rexit.

Lugduno Galliæ, natalis ſanctorum martyrum Mineruij & Eleazari cum filiis octo, quorum corpora in cryptâ, quæ Vrbi ab Occidente imminet, condita habentur.

In Portu vrbis Romæ, natalis ſancti Hippolyti, Quiriaci, & Archillai.

*Greg. Tur. de gloriâ Mart. c. 55.* Eodem die, natalis ſanctorum Timothei & Apollinaris, qui apud Rhemenſium vrbem conſummato martyrio cæleſtia regna meruerunt.

E. IX.

E. IX. KALENDAS SEPTEMBRIS. *24. Aug.*

IN Indiâ, natalis beati Bartholomæi Apoſtoli.

Eodem die apud Carthaginem, ſanctorum martyrum Maſſæ candidæ, qui paſſi ſunt tempore Valeriani & Gallieni. Fecunt enim, inter alia ſupplicia tunc à Præſide clibanum calcis accenſum, & in orâ illius prunas cum thure exhibitas, & Præſidem dixiſſe Chriſtianis: Eligite è duobus vnum, aut thura ſuper his carbonibus offerte Ioui, aut in calcem demergimini. Tunc trecenti viri fide armati, ſe ictu rapidiſſimo Chriſtum Dei filium Deum fatentes, iecerunt in ignem, & inter vapores calcis puluerei ſunt demerſi. Ex quo etiam candidatus ille exercitus beatorum, Maſſa candida meruit nuncupari. *Vide lib. de feſt. Apoſt. Prudent. hymn. 13.*

F. VIII. KALENDAS SEPTEMBRIS. *25. Aug.*

ROMAE, natale ſancti Geneſij martyris: qui priùs in Vrbe *mimus Themelæ artis magiſter fuit. Et quadam die cùm vellet Diocletiano Imperatori, cui Chriſtiani, vtpote ſæuiſſimo, exoſi erant, de myſteriis Chriſtianæ obſeruantiæ ludum exhibere, & huius rei gratiâ ſpectante Imperatore & omni populo, in medio theatri, quaſi ægrotus decumbens ſe poſceret baptizari, mimum in hæc verba propoſuit: Eia noſtri, grauem me ſentio, leuem me fieri volo. Illi reſponderunt: Quomodo te leuem facimus ſi grauis es? Numquid nos fabri ſumus, & ad runcinam te miſſuri ſumus? Hæc verba exhibuerunt populo riſum. Geneſius iterùm: Veſani, Chriſtianus deſidero mori. Quare? inquiunt. Quibus Geneſius: Vt in illâ die veluti fugitiuus in Deo inueniar. Euocato autem Presbytero & Exorciſtâ, repentè à Deo inſpiratus credidit. Nam illi iuxta lectum ipſius quaſi ægrotantis cùm reſediſſent, dicunt ei: Quid ad nos miſiſti filiole? Geneſius autem non ſimulatè ac fictè, ſed ex puro corde reſpondit: Quia accipere cupio gratiam Chriſti, per quam renatus liberer à ruinâ iniquitatum mearum. Cumque Sacramentorum myſteria compleſſent, & indutus eſſet veſtibus albis, veluti per ludum à militibus raptus, & ad ſimilitudinem ſanctorum Martyrum de Chriſti diſcutiendus nomine Imperatori fuiſſet exhibitus, ſtans in editiori loco ita concionatus eſt: Audi Imperator, & omnis exercitus, ſapientes & populi huius vrbis. Ego quotieſcumque Chriſtianum vel nominatum audiui, exhorrui, & in confeſſione permanentibus inſultaui. Ego etiam parentes meos, & affines cauſâ nominis Chriſtiani execratus ſum, & in tantâ deriſione habui Chriſtianos, vt myſteria eorum diligenti examinatione perquirerem, & ex eorum ſanctificatione ludum vobis exhibere vellem. At vbi me aqua nudum tetigit, & interrogatus, credere me reſpondi; vidi ſuper me manum cælitus venientem, & Angelos Dei radiantes iuxta me ſtetiſſe, qui omnia peccata, quæ ab infantiâ feci, recitarũt de libro, quem mox in ipſâ aquâ lauerunt, in quâ ego in conſpectu veſtro perfuſus ſum, & mihi candidiorem niue poſtmodum oſtenderunt. Nunc igitur inclyte Imperator, & vos omnes populi, qui de his myſteriis neſcitis, mecum credite Deum verum eſſe Chriſtum, hunc eſſe lumen, hunc eſſe veritatem, hunc eſſe pietatem, & per ipſum vos ad indulgentiam poſſe pertingere. Ad hæc Imperator Diocletianus vehementiſſimè indignatus, ſtatim eum fuſtibus crudeliſſimè cæſum, Plutiano præfecto tradidit ad ſacrificia compellendum; à quo in equuleo ſuſpenſus, & vngularũ diutiſſimâ laceratione vexatus, lampadibus etiam inflammatus, cùm in fide perſiſteret, dicens: Non eſt Rex præter illũ, quem ego vidi, & adoro, & colo, pro cuius culturâ ſi millies occidar, ipſe ero vt cœpi: Chriſtum mihi de ore, Chriſtum mihi de corde auferre tormenta non poterunt: valdè etenim pœniteo, quòd antè nomen ſanctum, & in hominibus ſanctis exhorrui, & ſatis tardiùs ad adorandum verum Regem ſuperbus miles acceſſi. Martyrij coronam capitis obtruncatione promeruit octauo Kalendas Septembris.

** malè in MS. mimithemelæ*

*Greg. Tur. de gloriâ Martyrũ, cap. 68.*

Ipſo eodemque die, natalis ſancti Geneſij Arelatenſis, qui ante tribunal Iudicis Exceptoris functus officio, cùm impia, quibus Chriſtiani puniri iubebantur, edicta nollet excipere, proiectis in publico tabulis, ſe Chriſtianum eſſe teſtatus, abſceſſit. Et poſt modicum interuallum deprehenſus ab apparitoribus, atque in ripâ fluminis Rhodani decollatus, martyrij gloriam proprio cruore baptizatus accepit.

Eodem die Romæ, natale ſanctorum quatuor martyrum, Euſebij, Pontiani, Peregrini atque Vincentij, imperante Commodo, Vitellio iudice. Hi primò facultates ſuas omnes pauperibus diſperſerunt, ac deinde prædicationibus ſuis, Iulium quoque ſenatorem & omnem domum eius ad fidem Chriſti conuerſos, per beatum Rufinum presbyterum, ad Baptiſmi gratiam perduxerunt. Qui non multò pòſt martyr factus, ab iiſdem etiam ſepultus eſt. Pro quo maximè ipſi à Vitellio tenti, & in equuleo leuati, neruis quoque diſtenti, ac deinde fuſtibus cæſi ſunt: quibus & flammæ ad latera eorum poſtmodum appoſitæ. Sed cùm in laude Chriſti fideliſſimè perſiſterét, tandem depoſiti ab equuleo ſunt. Et cùm nihilominùs in confeſſione Chriſti permanerent, iratus Vitellius, Euſebio iuſſit linguam radicitus abſcidi: quam tamen beatus Fauſtus colligens, in ſinu ſuo abſcondit & fugit. Præciſâ linguâ clamabat Euſebius: Gloria tibi Domine Ieſu Chriſte, qui dignatus es me cum ſeruis tuis ad gloriam connumerare. Recluſi in carcerem cùm hymnis Dei die noctuque perſonarent, venit quidam iam quatuor annis cæcus ſacerdos Capitolij, nomine Lupulus, ad eos; & credens, illuminatus, Baptiſmi gratiam percepit. Hoc factum cuſtos carceris Simplicius nomine videns, & ipſe reiectis idolis baptizatus eſt. Quæ geſta, Vitellius Commodo cùm renuntiaſſet, ille iuſſit eos puniri. Et poſt triduum de carcere educti, ad Petram ſceleratam, plumbaris vſque ad emiſſionem ſpiritus mactari ſunt. Quorum corpora collegit beatus Rufinus presbyter, & ſepeliuit ab vrbe Româ miliario ſexto, inter viam Aureliam & Triumphalem, octauo Kalendas Septemb.

*Sigebertus in Chron. anno 865.*

Sed multo pòſt tempore beatorum martyrum Euſebij & Pontiani (largitione Papæ Nicolai) membra ad Gallias tranſlata, in monaſteriis ſancto Apoſtolo Petro voto religioſo collatis, reuerenter tumulata venerantur.

*26. Aug.*

VII. KALENDAS SEPTEMBRIS.

*Pontificale cap. 16.*

ROMAE, ſancti Zephyrini Papæ, qui rexit Eccleſiam annos octo, menſes ſeptem, dies decem.

*De his in geſtis ſancti Laurentij, 10. Aug.*

Item natalis ſanctorum Irenæi & Abundij, Romæ: quos Decianâ perſecutione iuſſit Valerianus incloacari, eò quòd corpus beatæ Concordiæ in cloacam miſſum leuauerunt. Et ipſorum quoque corpora leuauit Iuſtinus presbyter, & ſepeliuit in cryptâ iuxta beatum Laurentium.

Apud Victimilium caſtrum Italiæ, natalis beati Secundi martyris, viri ſpectabilis, & Ducis ex legione ſanctorum Thebæorum, qui ante beatum Mauritium & ceteros, poſt vincula & carceres, martyriũ capitis abſciſione compleuit.

Apud vrbem Italiæ, quæ Bergamis dicitur, natalis ſancti Alexandri martyris, ſub Maximiano Cæſare: qui cùm eſſet miles vnus ex legione Thebæorum, Chriſtianus factus eſt. Audiens hoc Maximianus poſt dies quindecim, mittens accerſiuit eum, dicens ei: Pro nullâ re aliâ euocaui tę, niſi vt ſacrifices. Comperi enim te derelinquentem deos noſtros, Chriſtianum eſſe factum. Et hoc dicens, petiit ſibi menſam. Eaque appoſitâ, & linteamine coopertâ, cœpit agere cum beato Alexandro, vt ſacrificaret. Sanctus Alexander in cælum adſpiciens, dixit: Atque vtinam tantam mihi Deus gratiam daret, qui cuncta per Ieſum Chriſtum poſtulantibus præſtat, vt poſſem & tuam voluntatem ad Dei agnitionem conuertere, & vaniſſimam iſtam incredulitaté à te auertere.

Sed

Digitized by Google

Sed tu quidem inſanabile habes malum; ex vetuſtate huic vanitati adhærens, credere non vis. Me autem vocauit ille, qui ex Gentibus ad ſuam gratiam olim vocare promiſit. Parce conſiliis tuis diabolicis, plange & cognoſce actus tuos malos, & crede in Deum viuum, qui fecit omnia. Tunc Maximianus, ad tantam eius fiduciam commotus, iuſſit adſtantibus, vt de appoſito ſacrificio inuitus ei offerrent, applicitis armatis econtrà: at ille beatiſſimus, confundens regiam iniquitatem, & eius præcepta fide armatus contemnens calce menſam percuſſit, euertens eam cum omnibus ſuprapoſitis. Iracundiâ repletus Maximianus, iuſſit tradi vni ex miniſtris. Qui euaginato gladio, ſtetit ſtupidus, ferire non audens. Cui Maximianus: Adhuc ſtas male miles? At ille reſpondit: Caput eius ſicut mons eſt ante me, vnde totus contremiſco. Tunc Maximianus tradidit eum aliis vt occideretur. Gaudio itaque repletus Martyr, aquam petiit, & manus ſuas lauit, flectenſque genua, & ceruicem in terrâ humilians, oratione fuſâ ad Dominum, animaduerſus eſt. Poſt aliquot dies quædam matrona caſtiſſima, nomine Gratia, collegit corpus eius, & poſuit illud in prædiolo ſuo, non longè à muro ciuitatis Pergamenſis. Cuius paſſio completa eſt VII. Kalendas Septembris.

A. VI. KALENDAS SEPTEMBRIS. *27. Aug.*

APVD Capuam, natalis ſancti Rufi martyris, quem docuit & baptizauit beatus Apollinaris, Petri Apoſtoli diſcipulus, cùm eſſet idem Rufus patriciæ dignitatis. *De hoc in vitâ Apollinaris 23. Iulij.*

Tomis, natalis ſanctorum martyrum, Marcellini tribuni, & vxoris eius Manneæ, & filij ipſius Ioannis, & Serapionis clerici, & Petri militis.

In Galliis, ciuitate Arelatenſi, ſancti Cæſarij Epiſcopi & confeſſoris, miræ ſanctitatis & pietatis & ſtudij viri. *Gennad. de viris illuſt. c. 86.*

Apud Auguſtodunum, ſancti Syagrij Epiſcopi & confeſſoris.

B. V. KALENDAS SEPTEMBRIS. *28. Aug.*

ROMAE, natale beatiſſimi Hermetis martyris. Hunc illuſtriſſimum virum B. Alexander Pontifex & martyr, cùm eſſet Præfectus vrbis Romæ, baptizauit cum vxore, & filiis, ac ſorore Theodorâ, cumque eo pariter mille ducentos quinquaginta ſeruos eius, vxores quoque & filios eorum, priùs ingenuitate illis conceſſâ. Et non multò pòſt ab Aureliano Imperatore truſus in carcerem, beato etiam Alexandro in cuſtodiâ poſito, tribuno Quirino commendatur. Qui dixit ad beatum Hermem: Quæ ratio eſt, vir illuſtris, vt vice ſacrâ iudicans, non ſolùm ad iſtam iniuriam te redigi velis, verùm etiam præfecturæ honore expoliatum, in vinculis tamquam priuatum trudi æquanimiter feras? Sanctus Hermes ait: Ego præfecturam non perdidi, ſed mutaui. Nam dignitas terrena à terris tollitur, ac mutatur; dignitas verò cæleſtis æternâ ſublimitate ſubſiſtit. Dicit ei Quirinus: Miror te prudentem virum ad tantam ſtultitiam deueniſſe, vt credas extra iſtam vitam te aliquid habiturum, poſtquam cineres humani corporis ità ad nihilum rediguntur, vt nec oſſa ipſa ſubſiſtant. Cui beatus Hermes: Et ego ante hos annos illam deridebam, & iſtam carnalem vitam vtilem eſſe dicebam. Et Quirinus: Fac & me probare, vt ſi ita eſt ſicut tu credidiſti, & ego credam. Beatus Hermes dixit: Sanctus Alexander, qui habetur in vinculis, hæc me docuit. Audiens hæc Quirinus, cœpit maledicere Alexandro, & dixit ad Hermem: Ego te rogaui dicens, Fac me probare iuſtè te crediliſſe, & tu mihi nominaſti hominem magum, quem in vinculis habeo, & in carceris ima concluſum. Si verum eſt ergo quod dicis, vado ad eum ipſe, & triplicabo illi vincula & cuſtodes, ſi potuerit horâ cœnandi ad te venire, credam quæ docuerit. Iuit, triplicauit vincula, cuſtodes appoſuit. Primo igitur noctis initio, venit puer, qui videbatur eſſe non ampliùs quàm quinque anno- *De his in vitâ ſancti Alexandri 3. Maij.*

annorum, ferens faculam ardentem in carcere, & flectens genua ſua cum beato Alexandro orauit, dicens orationem Dominicam, & apprehendens manum eius eduxit per feneſtram, & perduxit eum ad beatum Hermem in domum Quirini. Quirinus factum hoc vt vidit, exterritus eſt. Cui poſt alia beatus Hermes dixit: Ecce nos vides in vnum, quos cuſtodiis mancipaſti. Cauſa cur ego ſancto Alexandro crediderim, iſta eſt. Vnicus cùm mihi eſſet filius in nimio languore poſitus, qui adhuc ambulabat ad litterarum ſtudia, hicque in Capitolium cùm eſſet ductus à me & matre ſuâ, & ſacrificaſſemus diis, & pontificibus præmia dediſſemus, mortuus eſt. Tunc increpare me cœpit nutrix eius, dicens: Si eum ad limina ſancti Petri duxiſſes, & credidiſſes Chriſto, filium tuum incolumem haberes. Cui ego reſpondi: Dum tu ipſa cæca ſis facta, & non ſis curata, quomodo filium meum reddet incolumem? Si ante iſtos, inquit, quinque annos credidiſſem Chriſto, redditi mihi eſſent oculi. Cui dixi: Vade, & crede: & ſi tibi oculos aperuerit Alexander, credam, quòd & mihi reddat filium meum. Abiit ad ipſum cæca, & ecce reuerſa eſt ad me ſana, imponenſque humeris ſuis filium meum mortuum, cucurrit, & iactauit eum ante pedes beati Alexandri. At ille oratione factâ reſuſcitauit eum. Ego confeſtim miſi me ad pedes eius, & rogaui me fieri Chriſtianum. Patrimonium verò matris eius ipſi contuli: aliquanta etiam de meo addidi. Cetera verò aut pauperibus erogaui, aut ſeruis meis, qui mecum facti ſunt Chriſtiani, dedi. Hæc & his ſimilia cùm egiſſet circa Quirinum beatus Hermes, credidit Quirinus cum omni domo ſuâ, & baptizatus eſt. Aurelianus cuncta hæc audiens, dictauit in vltimo ſententiam, vt beatus Hermes gladio puniretur. Qui decollatus, à beatâ ſorore ſuâ Theodorâ collectus, in Salariâ vetere non longè ab vrbe Româ, ſub die quinto menſe Septembrio ſepultus eſt.

Ipſo die in Africâ, depoſitio ſancti Auguſtini Epiſcopi. Ex prouinciâ ergo hic Africanâ, ciuitate Tagaſtenſi, de numero Curialium parentibus honeſtis & Chriſtianis progenitus, alituſque eſt ac nutritus eorum curâ ac diligentiâ, impenſiſque, ſæcularibus artibus eruditus apprimè, omnibus videlicet diſciplinis imbutus, quas liberales vocant. Nam & Grammaticam priùs in ſuâ ciuitate, & Rhetoricam in Africæ capite Carthagine poſteà docuit: conſequenti etiam tempore trans mare in Româ, & apud Mediolanum. In quâ vrbe tunc Epiſcopatum adminiſtrabat accreptiſſimus Deo, & in optimis viris præclariſſimus ſacerdos Ambroſius. Huius intereà verbi Dei prædicatoris frequentiſſimis in Eccleſiâ diſputationibus adſtans in populo, intendebat ſuſpenſus atque affixus. Et factum eſt diuinâ præſtante opitulatione, vt per illum talem tantumque Antiſtitem Ambroſium, & doctrinam ſalutarem Eccleſiæ Catholicæ, & diuina perciperet Sacramenta Moxque ex intimis cordis medullis ſpem omnem, quam habebat in ſæculo, dereliquit. Iam verò non vxorem, non filios carnis, non diuitias, non honores ſæculi quærens, Deo cum ſuis ſeruire ſtatuit. Vnde cum his qui eidem adhærebant, Deo viuebat, ieiuniis, orationibus, bonis operibus, in lege Domini meditans die ac nocte. Et de his, quæ ſibi Deus cogitanti atque oranti intellecta reuelauit, & præſentes & abſentes ſermonibus ac libris docebat. Factumque eſt, vt ordinaretur presbyter in eccleſiâ Hipponenſi, omnibus id vno conſenſu & deſiderio fieri perficique petentibus, magnoque ſtudio & clamore flagitantibus. Mox ſibi monaſterium intra Eccleſiam inſtituit, & cum Dei ſeruis viuere cœpit ſecundùm modum & regulam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam: maximè vt nemo quidquam proprium in illâ ſocietate haberet, ſed eſſent omnia communia, & diſtribueretur vnicuique ſicut opus erat. Interiecto autem tempore, ſancto Epiſcopo Valerio id agente, omnibus gratulantibus,

atque

ed by Google

atque id fieri ingenti deſiderio clamantibus, Epiſcopatum ſuſcipere ſuo viuente Epiſcopo, coactus eſt. Atque ita factum eſt, vt Epiſcopus multo inſtantiùs ac feruentiùs maiore auctoritate verbum ſalutis æternæ, alacriter pullulanti atque creſcenti Domini Eccleſiæ, prædicaret. Vixit in clericatu vel Epiſcopatu annis fermè quadraginta, ætatis verò illius anni ſeptuaginta ſex. Verbum Dei vſque ad extremam ægritudinem imprætermiſſè, alacriter & fortiter, ſanâ mente, ſanoque conſilio in Eccleſiâ prædicauit. Membris omnibus ſui corporis incolumis, integro adſpectu atque auditu, & adſtantibus, & videntibus, & orantibus fratribus, obdormiuit cum patribus ſuis, enutritus in ſenectute bonâ. Teſtamentum nullum fecit, quia vnde faceret, pauper Dei non habebat. Tertio obſidionis menſe (nam ciuitas eius quatuordecim menſibus concluſa & obſeſſa eſt à Wandalis, Alanis, aliiſque commixtis gentibus) decubuit febribus, & illâ vltimâ exercitatur ægritudine. Hic beatus Epiſcopus ſpiritu diuino tactus, in ſanctâ Eccleſiâ Catholicâ ad inſtructionem animarum fecit libros, tractatus, epiſtolas, numero mille triginta, exceptis qui numerari non poſſunt, quia nec numerum deſignauit eorum. Huius corpus venerabile, primò de ſuâ ciuitate propter barbaros Sardiniam tranſlatum, nuper à Leutprando Rege Longobardorum, dato magno pretio, Ticinis relatum, & honorificè conditum eſt.

Briuate, natale ſancti Iuliani martyris. Qui tempore perſecutionis hortatu beati Ferreoli, cuius in militiâ comes erat, ex Vienneſi vrbe clandeſtino diſceſſu ad præfatum Aruernæ vrbis territorium commigrauit. Vbi ab inſequentibus perſecutoribus tentus, deſecto gutture, morte horribili necatus eſt. *Greg. Tur. de gloriâ Martyrû, libro 2. per totum.*

Conſtantinopoli, ſancti Alexandri Epiſcopi & confeſſoris, glorioſi ſenis: cuius virtute orationis Arius diuino iudicio condemnatus, crepuit medius, & effuſa ſunt viſcera eius. Dormiuit verò idem beatus Pontifex, vitæ ſuæ anno nonageſimo octauo, Epiſcopatus trigeſimo tertio. *al. Viniani.

Eodem die apud Santonas, ſancti * Bibiani Epiſcopi & confeſſoris. *Greg. Tur. de gloriâ Cõfeſſ. c. 58.*

C. IV. KALENDAS SEPTEMBRIS. *29. Aug.*

ROMAE in Auentino in oppido Vindinenſi ad arcum Fauſtini, natale beatiſſimæ & illuſtriſſimæ Sabinæ martyris, quæ fuit vxor præclariſſimi quondam Valentini, & filia Herodis Metallarij, quæ paſſa eſt Adriano imperante, ſub præfecto Helpidio. Hanc beata virgo Seraphia, cùm in domo eius conuerſaretur, perſuaſit in fide Domini noſtri Ieſu Chriſti. Quæ poſtmodum eamdem virginem vſque ad locum paſſionis ſecuta eſt. Et cùm ei præſes Berillus diceret: Quid tibi ipſa derogas, aut quare temetipſam vilem reddis, aut quare non conſideras quæ es, aut cuius filia es? Coniunxiſti enim te Chriſtianis, & oblita es natales tuos, & memoriam tanti viri, cuius fuiſti; & deorum, quorum iram vereor ne incurras. Reuertere magis ad domum tuam, & dimitte hanc nefandam, quæ maleficiis te & plures demutauit à deorum culturâ. Beata Sabina reſpondit: Illius ſanctæ puellæ, de quâ dicis, maleficiis vtinam & tu ſuadereris, ſicuti & ego ſuaſa ſum, vt ab immundis recederes idolis, & verum & certiſſimum agnoſceres Deum, qui bonos ad æternam vocat vitam, & malos in pœnam relinquit perpetuam. Quod Præſes audiens, reueritus illam dimiſit. Vt verò beata Seraphia glorioſiſſimo martyrio coronata eſt, illuſtriſſima Sabina colligens reliquias eius, celebratis venerabilibus exequiis, vt theſaurum ſempiternum, vel pretioſam margaritam repoſuit in monumento ſuo, quod ipſa ſibi cum ſummo ſtudio & ornatu fecerat. Deinde interpoſitis aliquot diebus, comprehenſa iudici Helpidio præſentatur. Quam ille videns, Tu es, inquit, Sabina vxor quondam Valentini illuſtriſſimæ memoriæ, & filia Herodis? Cui ſancta matrona reſpondit: Ego ſum, & gratias ago Domino meo Ieſu Chriſto,

qui me peccatricem per ſanctam famulam ſuam Seraphiam de multis ſordibus & poteſtate dæmonum liberare dignatus eſt. Commotus poſtmodum Præfectus, cùm videret in confeſſione Chriſti conſtantiam eius, dictauit ſententiam, dicens: Sabinam diis inobedientem, dominos quoque & Auguſtos noſtros blaſphemantem, gladio percuti decreuimus, atque omnes facultates eius publicis titulis præſignari. Paſſa eſt autem beata famula Chriſti Sabina quarto Kalendas Septembris: & à Chriſtianis ſublatum corpus eius ſepultum eſt in monumento, vbi ipſa venerabiliter repoſuerat magiſtram fidei ſuæ virginem Seraphiam, ad arcum Fauſtini, iuxta aream Vindiciani, in oppido Vindinenſi.

*Vide lib. de feſt. Apoſt. ſtē hic antè 24. Febr.* Eodem die veneratur decollatio ſancti Ioannis Baptiſtæ, qui primò in Samatiâ eſt conditus, nunc in Alexandriâ. Porrò caput de Ieroſolymis ad Phœnicix vrbem Emeſam delatum eſt.

*30. Aug.*

D. III. KALENDAS SEPTEMBRIS.

ROMAE, viâ Oſtienſi, miliario ſecundo ab Vrbe, natale beatiſſimorum martyrum Felicis & Adaucti, ſub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, præfecto & iudice Draco. Fuere autem duo fratres nomine & opere Felices, ambo presbyteri. Horum ſenior Felix ex iuſſione Imperatorum cùm ad ſecretarium Iudicis eſſet perductus iuxta templum Serapis, dum cogeretur ad ſacrificandum, exſufflauit in faciem ſtatuæ æreæ, & ſtatim cecidit. Item ductus ad Mercurij ſtatuam in aliam ædiculã, ſimili modo in illam exſufflauit, & mox cecidit. Item ad ſimulacrum Dianæ, quod pari modo deiecit. Reductus ad Præfectum imponitur equuleo, & inquiſitus quibus hæc maleficiis feciſſet, B. Felix reſpondit: Non maleficiis diaboli, ſed beneficiis omnipotentis Dei hoc egi. Furore itaque accenſus Præfectus, iuſſit eum duci extra Vrbem viâ Oſtienſi, quia illic arbor excelſiſſima ſtabat dæmonibus conſecrata, iuxta quam erat templum vt ibi ad ſacrificandum impelleretur. Quò perductus, oratione factâ, dixit ad arborem: Præcipio tibi in nomine Domini mei Ieſu Chriſti, vt radicitus corruas, & templum ac ſimulacrũ, vel aram eius funditus comminuas, vt ampliùs cultu tuo animæ non decipiãtur. Quæ ſtatim ad verba ipſius ita euerſa eſt, vt & templum ac ſimulacrũ comminueret, & quod fuerat, non pateret. Quod cùm nuntiatum fuiſſet Præfecto, ſtatim iuſſit eum decollari, & corpus eius inhumatum canibus & lupis derelinqui. Datâ ſententiâ, obuius fuit ei quidam vir Chriſtianus, hominibus quidem abſconſus, Deo verò manifeſtus. Hic cùm didiciſſet, quòd B. Felix duci fuiſſet iuſſus, cœpit clamare & dicere: Et ego ex eâdem lege ſum, & ipſum, quem hic ſanctus Presbyter confitetur, Dominum Ieſum Chriſtum colo. Mox & ipſe ab officio Præfecti comprehenſus, pariter dato ſibi oſculo, cum beato Felice decollatus eſt. Huius nomen quia non inuenerũt Chriſtiani, poſtmodum Adauctum eum appellauerunt, quòd ſancto martyri Felici auctus ſit ad coronam, ipſiq; pro fidei confeſſione corona martyrij aucta. Chriſtiani itaque noctu venientes, in eodem loco vbi arbor ſteterat, quæ cadens nimiam terræ altitudinem aperuerat, eos ſepelierunt. Quorum corpora volentes pagani exinde effodere, quicumque manus appoſuerunt, à diabolo correpti ſunt. Vbi poſteà pacis tempore baſilica fabricata eſt, & Martyrum memoria dignè exculta. Compleuerunt autem martyrium ſuum III. Kalendas Septembris.

*31. Aug.*

E. PRIDIE KALENDAS SEPTEMBRIS.

*De hoc in vitâ ſancti Maximi Epiſc. Mog. 18. Nouěb.* TREVIRIS, natalis ſancti Paulini Epiſcopi confeſſoris: qui tempore Arianæ infeſtationis, à Conſtantio Imperatore, ob Catholicam fidem exilio relegatus, & vſque ad mortem, etiam extra Chriſtianum nomen, mutando exilia fatigatus, ad vltimum apud Phrygiam defunctus, beatæ paſſionis coronam percepit à Domino.

Eodem die apud Athenas, beati Ariſtidis, fide ſapientiaque clariſſimi. Qui Adriano Principi de religione Chriſtianâ libros obtulit, & quòd Chriſtus Ieſus ſolus eſſet Deus, præſente ipſo Imperatore, luculentiſſimè perorauit. *Hieron. de ſcript. Eccl. cap. 20.*

## LITANIÆ INDICENDÆ.

## MENSIS SEPTEMBER

## habet dies XXX. Luna verò XXX.

### F. KALENDIS SEPTEMBRIS. 1. Sept.

IESV Naue & Gedeon Prophetarum.

Apud Capuam, viâ Aquariâ, natalis ſancti Priſci martyris, qui vnus fuit de illis antiquis Chriſti diſcipulis.

Eodem die, natalis Annæ propheteſſæ. *Vide lib. de feſt. Apoſt.*

Item eodem die apud Senonas, beati Lupi Epiſcopi, ſanctitate & ſignis miraculorum illuſtriſſimi.

Item apud Cæſaream Cappadociæ, beati Longini militis & martyris: quem tradunt illum eſſe, qui lanceâ latus Domini Ieſu Chriſti pendentis in Cruce aperuit. *Ioan. 19.* Hic poſtmodum baptizatus ab Apoſtolis, cùm apud Cappadociam ſanctitate præcipuus degeret, tandem ab Octauio Præſide comprehenſus, poſt confeſſionem fidei, linguâ abſciſâ, & dentibus excuſſis, capite truncatus eſt. Simul cum eo coronatus eſt Aphrodiſius Commentarienſis, cui & Præſes linguam abſcidi iuſſerat: quique poſt abſciſionem expeditè Chriſtum clarâ voce loquebatur.

### G. IV. NONAS SEPTEMBRIS. 2. Sept.

NATALE ſancti Iuſti Lugdunenſis Epiſcopi, miræ ſanctitatis & prophetici ſpiritus viri. Hic clàm Epiſcopatum ſuum relinquens, aſcenſâ naue, comitante ſe vno tantùm puero, qui officio Lector in eccleſiâ erat, nomine Viatore, peruenit ad Ægyptum. Vbi per aliquot annos, ſanctis monachis cælum tantùm ſpectantibus conſociatus, humilitate ac ſanctitate vitæ incomparabilis vixit. Curſu itaque temporis conſummato, ipſe quoque virtutibus conſummatus, repoſitam ſibi coronam iuſtitiæ percepturus migrauit ad Dominum pridie Idus Octobris. Corpus eius à religioſis ciuibus Lugdunum cum oſſibus beati Viatoris miniſtri eius relatum, & condigno cultu in baſilicâ beatorum ſeptem fratrum Machabæorum & martyrum glorioſiſſimorum conditum eſt quarto Nonas Septembris.

Eodem die, beati Helpidij Epiſcopi apud præfatam vrbem venerabilis depoſitio. Cuius ſacrum corpus honorificè ſepultum, in ipſâ eademque eccleſiâ, vbi ſancti confeſſoris Iuſti tumulata ſunt ſacratiſſima membra, quieſcit.

Apud Apamiam, beati Antonini martyris.

### A. III. NONAS SEPTEMBRIS. 3. Sept.

NATALIS ſanctæ Phœbes. *Vide lib. de feſt. Apoſt.*

Romæ, paſſio & natalis beatæ Seraphiæ virginis, ſub Adriano Imperatore, iudice Berillo. Hæc Antiochena genere, cùm in domo Sabinæ præclariſſimæ feminæ apud Vrbem commaneret, rapta ab officio Præſidis, exhibita eſt in conſpectu ipſius. Cui Præſes dixit: Sacrifica diis immortalibus, quibus ſacrificant domini Imperatores. Beata Seraphia reſpondit: Timeo & colo omnipotentem Deum, qui fecit cælum & terram, & omnia quæ in eis ſunt.

Nam dij quos iubes adorare, non ſunt dij, ſed ſunt dæmonia, & ideò non licet mihi adorare eos, quia Chriſtiana ſum. Cumque perſeuerantiſſimè fidem veritatis proſequeretur, iuſſit eam Præſes duobus iuuenibus laſciuis tradi, vt ei nocturno furto inſultarent. A quibus perductam in cubiculum obſcuriſſimum, cùm vellent eam tangere, ſubitò terræmotus factus eſt magnus, cecideruntque exanimes in terram, membris omnibus reſoluti. Diluculo autem cùm veniſſent à Præſide miſſi, qui requirerent, ſeu de iuuenibus, ſeu de virgine; ingreſſi inuenerunt Sanctam Dei orantem, iuuenes verò impudicos velut mortuos terræ proſtratos. Itaque ad rei factum cùm plurimi concurrerent, iterùm Præſes iuſſit pro tribunali eam ſibi adduci. Et imperante Prçſide deportati ſunt ijdem iuuenes, & poſiti ante conſpectum ipſius. Ad quos beata Virgo, factâ oratione, accedens, tetigit illos, dicens: In nomine Domini mei Ieſu Chriſti erigite vos in ſtatu veſtro. Ad cuius vocem mox illi ſteterunt ſuper pedes ſuos. Quos Præſes interrogauit: Quid faciendo hæc mulier dementes vos fecit, & reſolutos? Ingreſſus eſt, inquiunt, quidam iuuenis decorus, miræque magnitudinis, qui totus ſplendebat ſicut ſol, ſtanſque inter nos & puellam hanc, tremore & defectione claritate ſuâ concuſſit. Præſes ad beatam Seraphiam conuerſus, Sacrifica dijs, inquit, ne morte plectaris. Cui Virgo: Non facio voluntatem patris tui ſatanæ, quia Chriſtiana ſum. Tunc Præſes iuſſit lampades ardentes lateribus eius apponi. Sed ſtatim qui eas tenebant, ceciderunt retrorſum. Præſes verò iterùm beatæ Virgini dixit: Biothanata & malefica, audi imperiale præceptum, ſacrifica dijs immortalibus, & libera te de cruciatibus & morte. Beata Seraphia hoc illi reddidit: Biothanati & malefici vos eſtis, qui negatis Deum viuum & verum, & dæmonia adorando, cum ipſis pariter eſtis morituri: Deo autem immortali ego memetipſam offero ſacrificium, ſi me dignatur ſuſcipere, licet peccatricem, tamen Chriſtianam. Tunc fuſtibus cæditur: & ecce ſubitò terræmotus factus eſt magnus. Et excuſſa de fuſte, de quo cædebatur virgo Dei, aſtella, exiliuit in oculum Præſidis, quem poſt dolorem luſcum fecit. Et iratus dictauit ſententiam: Seraphiam imperialis pręcepti contemptricem, & in tantis maleficijs deprehenſam, gladio percuti iubemus. Paſſa eſt autem quarto Kalendas Auguſti, & ſepulta iuxta aream Vindiciani in monumento illuſtris martyris Sabinæ, II. Kalendas Auguſti. Compoſitum verò & ornatum eſt venerabile ſarcophagum ambarum, & locus orationis condignè dedicatus tertio Nonas Septembris, quando & memoria paſſionis eius celebrior agitur.

Apud Capuam, natalis ſanctorum martyrum, Antonini pueri annorum viginti, & Ariſtæi Epiſcopi, quorum geſta habentur.

Eodem die, depoſitio ſancti Remacli Epiſcopi & confeſſoris.

Et beatiſſimi Manſueti confeſſoris atque Pontificis Tullenſis.

*4. Sept.* B. PRIDIE NONAS SEPTEMBRIS.

MOYSIS prophetæ.

Et apud Ancyram Galatiæ, natalis ſanctorum martyrum trium puerorum, Rufini, Siluani, & Vitalicæ.

*Greg. Turon. de glor. Mart. c. 53*

Cabilonæ, natale ſancti Marcelli, qui temporibus Antonini Veri, ex numero quinquaginta Martyrum, qui Lugduni in ergaſtulum truſi fuerant cum Valeriano, patefactis cuſtodiæ, cui mancipati erant, diuinitus clauſtris, aufugit. Et cùm Latinum quemdam, à quo hoſpitio ſuſceptus fuerat, cum omni domo ſuâ, ad fidem Chriſti conuertiſſet, Cabilonenſium expetens ciuitatem, Priſcum quemdam præſidem, dijs ſuis immolantem incurrit. Cumque ab eo ad prophanum conuiuium fuiſſet inuitatus, & ipſe huiuſmodi execrans epulas, omnes qui aderant, cur idolis deſeruirent, liberâ increpatione corriperet:

inaudito

inaudito crudelitatis genere, defodiri eum cingulo tenus erectum Præſes iuſſit. Sicque ſanctus Dei Martyr tertio die in Dei amore & laudibus perſeuerans, in ſecundo ab oppido Cabilonenſi miliario, incontaminatum reddidit ſpiritum.

C. NONIS SEPTEMBRIS. 5. Sept.

IN ſuburbano Romæ, natale beati Victorini martyris. Fuerunt autem duo fratres, Victorinus & Seuerinus. Hi poſt vtriuſque parentis obitum ſe inuicem pædagogantes, pari cuſtodiâ ſe mutuis obſequiis æmulantes, germanitatis vinculo probabiles, Deo ſeipſos hoſtiam viuam obtulerunt. Cumque intantùm excreuiſſent, vt ſua omnia perfectionis intuitu relinquerent, & vendentes res ſuas, cenſum earum pauperibus erogaſſent, Deo expeditiùs ſeruituri, nudi facultatibus omnibus remanſerunt. Alter itaque ſeruiens alteri, mutuâ vice & æmulâ charitate ſeruiebat. Imperium, libertas. Nil deerat illis, cùm nihil haberent. Igitur Victorinus ſpirans altiùs, & idipſum, quòd ſibi parebant, imperfectum computans, nec ſatis ſibi factum, ſi alteri liceret in altero, aut alter alteri ſeruitium exhiberet: eremum ingreditur, ſeditque in ſpecu excelſæ rupis, quam ſubterfluentis aquæ geminum ſinuarat abruptum, vni tantùm hoſpitium viro, vt ſedens ſomnum caperet: vel ſi reciperet alterum, ſtans oraret. Texerat oſtiolum vimine: aſſiduus in lectione & oratione manebat. Cernit interim inuidus omnis boni profectum viri, & ferre non valens, ſimulat ſe puellam, & ante fores viri gementia verba ingeminat: Heu, inquit, me miſeram, ſiluis, errore, & tenebris vagam. Locus non agnoſcitur, iter quæritur. Quiſquis es loci huius incola, cælum vndique & ſiluæ famam virtutum tuarum opuſque ferunt: eripe me à frendentibus apris, eripe à ſæuientibus lupis, & à rictibus vrſorum. Quòd victura ſum, tuum erit: ſi moriar, tuum. Satis ſuperque ſufficiat operiri limine tuo. Non longum quæro habitaculum: vnius tantùm noctis hoſpes ero. Reſerat Victorinus cellam, & hoſtem, dum miſeretur, ſecum includit. Vix horæ ſpatium interceſſerat, dum inter molimina & aſſiduum corporis motum protenſo pede tetigit hominem Dei, & velut compungens vulnere, noxio calore ſuccendit. Addit igniculum dulcedo ſermonis, vrget facinus ſolitudo. Quid moror? Facit caſum columna arboris, altâ radice quæ diu fundata ſteterat. Futtiuus amor ſcelus perficit. Exclamat iam victor Victorini diabolus: Quid agis, inquit, vir perfectiſſime, cui etiam frater grauis fuit? Iam iungeris alteri qui receſſiſti à tuo? Quid agis, qui nouum dogma ſiluis conſtituens, ſuadebas ſcopulis caſtitatem? Hæc iactans, ex oculis decepti velut fumus euanuit. At is qui ceciderat, velut exanguis iacuit. In ſe autem aliquando reuerſus, ſiluas deſeruit, ad fratrem Seuerinum repedauit: pudore diu vocem ſupprimens, tandem cauſam facti expoſuit, ipſe pœnam ſibi ſtatuens. Findens namque arborem, manuſque per fiſſuram inſerens, prædurатam cuneis peſſulans, cicatricem arboris claudit. Sed mox Seuerinus factum pœnamque fratris Epiſcopo ſuo nuntiat. Ille veniens, primùm eum ſoluere tentat: ſed vt repugnantem vidit, orat, benedicit, conſolatur, diſcedit. Vir autem Domini, qui ſe grauiſſimâ pœnitentiâ damnauerat, Dominicâ tantùm die modicũ panis & aquæ coactus à fratre percipiebat, qui etiam ſe ſimili cibo & ieiunio macerabat. Igitur in huiuſmodi conſtrictione triennium voluitur. Cumque iam omnes penè mouiſſet eius in Chriſto imitanda humilitas, Epiſcopus ciuitatis rediens, vix agere potuit, vt ſeſe à pœnâ, quâ ille memor tremendi iudicij ſe damnauerat, abſumptis penè carnibus, permitteret reſolui. Quantæ autem ſanctitatis poſteà fuerit, quamque potens in miraculis, non facilè lingua alicuius explicabit. Electus deinde ab vniuerſo populo, Amiterninæ vrbis ſacerdotium adipiſcitur. Inde poſtmodum ſub Imperatore Neruâ, cum aliis Dei ſeruis Eutyche & Marone, ab Aureliano

iudice primò relegatus in ſexageſimo miliario ab Vrbe viâ Salariâ: deinde apud eum locum, qui Cotilias appellatur, vbi putentes aquæ manant & ſulphuteæ, in ipſis capite deorſum per horas tres ſuſpenſum teneri, ab impio Iudice iuſſum eſt. Quod cùm per triduum pro Chriſti nomine paſſus fuiſſet, glorioſè coronatus migrauit ad Dominũ. Cumq; vnâ die iuſſu Aureliani corpus eius inhumatum iacuiſſet, venerunt Amitemenſes populi Chriſtiani, & rapiẽtes in ſuum territorium tranſtulerunt, & honorificâ ſepulturâ condiderunt Nonis Septembris.

Item Romæ in Portu, natalis ſancti Herculani.

Capuæ, natalis ſanctorum martyrum Quinti, Arcontij & Donati.

6. Sept. D. VIII. IDVS SEPTEMBRIS.

ZACHARIÆ prophetæ.

Vide lib. de feſt. Apoſt. Item natalis ſancti Oneſiphori, Apoſtolorum diſcipuli.

Vict. Africanus l. 2. Et apud Africam, beatiſſimorum confeſſorum & Epiſcoporum, Donatiani, Præſidij, Manſueti, Germani, Fuſcoli, qui perſecutione Wandalicâ apud Africam iuſſu Hunnerici Regis Ariani, pro aſſertione Catholicæ veritatis, durisſimè fuſtibus cæſi, & exilio damnati ſunt. Inter quos etiam Epiſcopum nomine Lætum, ſtrenuum ac doctiſſimum virum, poſt diuturnos carceris ſqualores, incendio concremauit. Tunc etiam decreto publico per diuerſas prouincias executores dirigens, Epiſcopis quaſi ad Concilium Carthagine congregatis, vnâ die vniuerſas eccleſias Africæ clauſit, vniuerſamque ſubſtantiam Epiſcoporum & Eccleſiarum, ſuis Epiſcopis condonauit.

7. Sept. E. VII. IDVS SEPTEMBRIS.

Euſeb. l. 8. cap. 5. NATALIS beati Ioannis apud Nicomediam, ſub Diocletiano Imperatore. Qui de nobilibus ortus, honore & dignitate illuſtris, vt vidit aduerſus cultores Dei in foro crudelia edicta pendẽte, calore nimio fidei ignitus, publicè populo inſpectante iniectâ manu, librum iniquæ legis detraxit, ac minutatim diſcerpſit, Auguſto Diocletiano in eâdem vrbe ſimul cum Maximiano Cæſare conſtituto. Ad quos cùm relatum eſſet religioſi & illuſtris viri factum, continuò omni in eum crudelitatis genere deſæuientes, ne hoc quidem ſolum efficere quiuerunt, vt eum mœſtum aliquis videret in pœnis: ſed læto atque hilari vultu, cùm iam viſcera in ſuppliciis defeciſſent, ſpiritus tamen lætabatur in vultu. Ex quo tortores ſui grauiùs cruciabantur, quod omnia ſuppliciorum genera conſumebant in eum, quem ne triſtem quidem ex his reddere poterant.

8. Sept. F. VI. IDVS SEPTEMBRIS.

Vide lib. de feſt. Apoſt. NATIVITAS ſanctæ Dei Genitricis.

Eodem die apud Nicomediam, natale ſancti Adriani martyris cum aliis XXIII. Maximianus cùm grauiſſimè perſequeretur Chriſtianos, apud Antiochiam oblati ſunt ei quidam Chriſtiani, fide ac religione inſigniſſimi: quos ille poſt veritatis confeſſionem extenſos lignis & neruis crudis cædi iuſſit, ac deinde lapidibus ora ipſorum contundi, & linguas eorum præcidi. Hæc omnia cernens Adrianus, qui erat prior officij, dixit ad eos: Adiuro vos per Deum veſtrum, pro quo hæc patimini, dicite mihi in veritate, quæ eſt remuneratio veſtra, quam exſpectatis pro his tormentis? videtur enim mihi magna & mirifica eſſe. Cui XXIII. Martyres dixerunt: Exſpectamus quod nec oculus vidit, Iſaiæ 64. 1. Cor. 2. nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit; inenarrabile bonum, quod præparauit Deus his qui diligunt eum. Audiens hæc Adrianus, ſtatim exiliens ſtetit in medio eorum, & dixit his qui gerebant exceptoris officium: Annotate confeſſionem meam cum his ſanctis & athletis Dei, quia & ego Chriſtianus ſum. Poſt non multum ſpatium cùm audiſſet Maximianus nomen eius recitari inter nomina ſanctorum Martyrum, euocato ad ſe dixit ei: Inſanis Adriane? numquid

quid & tu vis tam malè perire? Adrianus reſpondit: Non inſanio, ſed de multâ inſaniâ ad ſanam mentem reuertor. Cumque perſeueranter quæ ſunt fidei & veritatis proſequeretur, furore repletus Maximianus, iuſſit eum ferro vinctum cum reliquis ſanctis Martyribus ad carcerem pertrahi. Erat autem iuuenis annorum viginti octo. Et famâ celeriter currente, didicit vxor illius Natalia cuncta quæ circa Adrianum maritum prouenerant. Et gaudio plena, quia erat mulier Chriſtianiſſima, cucurrit ad carcerem, procidenſque ad pedes viri ſui, oſculabatur vincula eius, dicens illi: Beatus es domine meus Adriane, quia inueniſti diuitias, quas tibi non dimiſerunt parentes tui. Verè iam ſecurus pergis ad Chriſtum, benè recondens in ipſo diuitias, quas inuenies in tempore neceſſitatis, vbi de pœnis damnatorum neminem quiſquam liberabit: non pater filium, non mater filiam, non diuitiæ tranſeuntes, non vllam ſeruorum ambitio, & patrimonij amplitudo, ad extremũ nec amicus amicum. Omnes enim tunc propria ſarcina comitabitur. Tu domine meus tecum habens Chriſtum, in quo omnia tua repoſuiſti, perge fiducialiter; perge, ne timeas, vt percipias promiſſa ipſius. Non reuocet te vllus intuitus rerum velut vmbra tranſeuntium, non affines, non parentum gemitus, non pulchritudo ipſa corporis tui, exſecra ſeductorum adulationes amicorum: non te terreant ſpecies tormentorum. Horum qui tecum ſunt Martyrum conſtantiam & patientiam adſpice, his ſolis intende. Hæc poſtquam glorioſiſſima femina proſecuta eſt, ſingulorum Martyrum vincula deoſculans: Rogo vos, inquit, ſerui Chriſti, confortare hunc Adrianum beatiſſimis monitis, & lucrificate animã eius in Chriſto. Vos ſitis ei patres, per vos naſcatur æternæ vitæ. Ad quam beatus Adrianus dixit: Perge nunc ſoror mea in domum tuam, & cùm agnouero fieri interrogationẽ noſtram, acceſſam te, vt videas finem rei. Poſt aliquot dies cùm quæſtio immineret, beatus Adrianus dato pretio cuſtodibus, & datis fideiuſſoribus, perrexit ad domum ſuam vocare beatam Nataliam. Cumque pergeret, vidit eum qui benè illum nouerat, & præcurrens domum, nuntiauit eum venire. Quod vxor audiens, primò non credidit. Quis, inquit, potuit eum abſoluere de vinculis illis? Non mihi contingat vt abſoluatur, nequando ſeparetur à Sanctis illis. Et cùm puer domeſticus ſuperueniens affirmaret eum dimiſſum, ſuſpicata illa, quòd martyriũ refugiſſet, contriſtata flebat amariſſimè. Et cùm iam videre Adrianum inciperet, proiecit quæ erant in manibus, & accurrens clauſit oſtium domus, clamans & dicens: Longè efficiatur à me hic qui corruit, & mentitus eſt Domino Deo ſuo. Non loquatur mihi, nec audiam linguam, quæ doloſè egit in conſpectu Factoris ſui. Et conuerſa dicit in eum: O ſine Deo præ omnibus hominibus, quis te coëgit apprehendere opus, quod non potuiſti perficere? Quis te ſeparauit à Sanctis, aut quis te ſeduxit, vt recederes à conuentu pacis vel repauſationis? Dic mihi, quare in fugam conuerſus es, antequam fieret pugna? Quare proieciſti arma, antequam videres hoſtem tibi repugnantem? Quomodo vulneratus es, necdum emiſſâ ſagittâ? Quid faciam infeliciſſima, quæ coniuncta ſum impio? Non eſt mihi conceſſum, vt vocarer vxor Martyris, ſed vt dicerer coniunx tranſgreſſoris. Ad horam fuit exultatio mea, & ecce per ſecula erit opprobrium meum. Cui beatus Adrianus pro foribus ſtans dicebat: Aperi mihi ſoror mea Natalia, quia non ſicut tu æſtimas effugi martyrium. Veni autem propterea, quia inſtat tempus quæſtionis noſtræ, vt ſicut promiſi præſens fias. At illa non credens: Vide, inquit, quomodo me ſeducit tranſgreſſor? Ecce quomodo mentitur alter Iudas? Recedas à me homo: nam antè meipſam interficiam, quàm tibi ſocier. Cumque beatiſſimus Martyr de zelo piæ coniugis lætus, ſermonibus ſuis ei ſatisfaceret, & niſi citiùs aperiret, moras ſe facere non

poſſe aſſeretet, tandem ei illa aperiens, prouoluitur pedibus eius. Inde verò citiùs exeuntes, properabant ad confeſſionem, vt in numero coronatorum Adrianus inueniretur. Cumque adhuc eſſent in viâ, dixit beatus Adrianus: Soror mea dic, quomodo ordinaſti ſubſtantiam tuam? Cui illa, Noli, inquit, domine meus, noli memorare quæ ſunt mundi huius, ne attrahant animum tuum: aufetantur ab animo tuo omnia corruptibilia, ſolummodò illa feſtina videre, quæ repoſita ſunt tibi & Sanctis, cum quibus ambulas in viâ Dei. Completâ itaque die vt producerctur, exhibiti ſunt beatiſſimi Martyres in conſpectu Maximiani, putrefactis ita iam carnibus eorum præ acerbitate tormentorum, vt vermes de vlceribus eorum ſcaturirent. Natalia verò applicans ſe beato Adriano, dicebat: Vide domine meus, vt ſolummodò ad Deum fiat mens tua; nec tuum cor in aliquo trepidet, dum videris tormenta tibi propoſita. Labor quidem nunc modicus, ſed in ſæcula ſæculorum æterna repauſatio. Maximianus reſpiciens Adrianum, ait: Adhuc tu permanes in inſaniâ? Beatus Martyr reſpondit: Pro hac amentiâ & inſaniâ paratus ſum hanc vitam finire. Iratus poſt piam confeſſionem ipſius tyrannus, iuſſit eum tam crudeliter inuicem ſibi ſuccedentibus flagellatoribus cædi, donec apertis coſtis viſcera patefierent. Iterùm conſtrictus ferro in carcerem mittitur. Et cùm aliquibus diebus cum reliquis Sanctis Dei clauſus ibi fuiſſet, tandem reductus, ſimul & cum eo alij, quos immenſitas pœnarum pænè abſumpſerat, ſiſtitur Maximiano. Quos ille iam videns irreuocabiles, iuſſit vt vecte magno ferreo confringerentur tibiæ ipſorum. Confractis itaque cruribus, ac pedibus inciſis, inſuper beato Adriano manu inciſâ, orantes & gratias agentes Domino, emiſerunt ſpiritum. Corpora eorum iuſſit tyrannus incendi. Sed ſubitò factæ ſunt coruſcationes, tonitrua ac pluuiæ, & extinctus eſt ignis. Plurimique de apparitoribus fulminibus percuſſi, pauci fugâ vix euaſerunt. Accurrentes intereà Chriſtiani, rapuerunt ex igne iam extincto reliquias Martyrum, & aſcenſis nauibus fugerunt, perueneruntque Byzantium, & reuerenti honore ſepelierunt eas ibi. Non longo pòſt tempore beati Adriani corpus Romam etiam tranſlatum, honorabili quoque templo exornatum eſt. Natalia verò ipſa de Nicomediâ ſanctorum Martyrum amore Byzantium enauigans, poſt paucos dies aduentus ſui, dormitionem accepit in Domino, & iuxta Sanctorum corpora ſepulta eſt Kalendis Decembris. Paſſio horum Martyrum ſexto Idus Septembris celebratur.

*9. Sept.* G. V. IDVS SEPTEMBRIS.

*Euſeb. l. 8. cap. 6.* PASSIO beatorum martyrum Dorothei & Gorgonij, apud Nicomediam, ſub Diocletiano Imperatore. Horum prior Dorotheus magiſter in officiis quæ intra palatium exhibebantur, erat cubiculi regij præpoſitus, habens ſecum officio, fide, & magnanimitate parem Gorgonium. Quorum inſtitutionibus optimis omnes pænè cubiculi miniſtri in fide Dei vigilanter & liberè perſiſtebant. Hi denique cùm viderent quemdam Martyrem crudelibus atque immanibus ſuppliciis cruciari, conſtanter & liberè aiunt: Cur Imperator in hoc ſolo punis ſententiam, quæ in nobis omnibus viget? vt quid in illo crimen ducitur, quod à nobis omnibus confitetur? Hæc nobis fides, hic cultus, & vnanimis eademque ſententia. Quos ille cùm in medium nihilominùs venire iuſſiſſet, iuſſit eos appendi, & flagellis toto corpore laniari, & viſceribus iam pelle nudatis iubentur aceto & ſale perfundi. Cumque etiam hoc tormenti genus conſtanter & fortiter toleraſſent, craticula prunis ſubterſtrata poni iubetur in medio, ibique quod reliquū fuerat in verberibus abſumpti corporis ſuperponi, & non ad ſubitum, ſed ſenſim paulatimq; ſuccendi. Ad vltimū laqueo appenſos, iuſſit necari. Interie-

Interiecto tempore beatus Gorgonius Romam transfertur, poſituſque eſt venerabiliter viâ Latinâ inter duas lauros. Compleuerunt autem martyrium ſuum quinto Idus Septembris.

In Sabinis miliario ab Vrbe triceſimo, natalis ſanctorum Hyacinthi, Alexandri, Tiburtij.

A. IIII. IDVS SEPTEMBRIS. 10. Sept.

APVD Africam, natalis ſanctorum Epiſcoporum, Nemeſiani, Felicis, Lucij. Item Felicis, Litei, Poliani, Victoris, Iaderis, & Datiui: qui ſub Decio & Valeriano exurgente perſecutionis rabie, ad primam confeſſionis Chriſti conſtantiam grauiter fuſtibus cæſi; deinde compedibus vincti, & ad fodienda metalla deputati, glorioſæ confeſſionis agonem conſummauerunt. Quorum etiam exemplum ſecuta multiplex plebis portio, cum eis confeſſa pariter eſt & coronata. Extat epiſtola beati Cypriani ad ipſos, & de ipſis ſcripta. *Cypr. epiſtol. 77.*

Eodem die in Chalcedonâ, natalis ſanctorum Soſthenis & Victoris: qui, cùm beata Euphemia ſub Priſco conſule pro Chriſti nomine decertaret, apertis ſibi diuinitus oculis, viderunt circa illam Angelorum præſidia, ſanctarumque Virginum chorum. Atque hoc viſo ad Chriſtum conuerſi, ob inſuperabilem fidei confeſſionem truſi in carcerem; & inde producti, ad ſtipites religati ſunt: quibus primùm vrſi, ac deinde ferociſſimus leo, dimiſſi, cùm in nullo eos læderent, miſit Proconſul ad deferendam cupam, in quâ eos pariter concremaret. Illi verò intereà incumbentes orationi, vocati de cælo, datoque ſibi mutuo pacis oſculo, ſpiritum emiſerunt. *De his in vitâ ſanctæ Euphemiæ 16. Sept.*

B. III. IDVS SEPTEMBRIS. 11. Sept.

ROMÆ viâ Salariâ vetere, in cœmeterio Baſillæ, natale ſanctorum Proti & Hyacinthi, qui erant eunuchi beatæ Eugeniæ virginis, cum quâ ab Heleno Epiſcopo baptizati, aliquanto tempore diuinis ſolùm eruditionibus vacantes, in ſancto propoſito perſtiterunt: atque in ſeruorum Dei monaſterio mirâ humilitate conuerſati ſunt: & hoc apud Ægyptum. Inde cum beatiſſimâ virgine Romam reuerſi, ſub Gallieno Imperatore, quòd eſſent Chriſtiani, comprehenſi, coguntur ſacrificare. Sed non conſentientes, diriſſimè verberantur. Cumque Deo fidem ſeruantes gauderent, pariter decollantur tertio Idus Septembris. Poſt hæc tenetur ſancta Eugenia, & iubetur à præfecto vrbis Nicetio, Dianæ ſacrificia exhibere. Quæ ſtans ante templum, extenſis manibus fudit orationem. Quâ orante, ita ſimulacrum Dianę comminutum eſt, vt ſola pulueris eius indicia remanerent. Sed magicis artibus hoc reputantes, ingenti ſaxo circa ſcapulas eius conſtricto, Tiberi eam præcipitem dederunt. Quomodo autem agonem paſſionis ſuæ compleuerit, breuiter ſuprà notatum eſt VIII. Kalendas Ianuarij. *De his in geſtis ſanctæ Eugeniæ 25. Dec.*

C. PRIDIE IDVS SEPTEMBRIS. 12. Sept.

APVD Ticinum vrbem, quę & Papia dicitur, natale ſanctorum Syri & Euentij. Qui à beato Hermagorâ Aquileienſi pontifice, diſcipulo ſancti Marci Euangeliſtę, ad præfatam vrbem directi, primi illic Chriſti Euangelium prædicantes, & magnis virtutibus ac miraculis coruſcantes, etiam vicinas vrbes, Veronenſem ſcilicet, Bryxenam, & Laudenſem diuinis operibus illuſtrarunt. Sicque in Pontificali honore, fundatâ & confirmatâ fide credentium populorum, glorioſo fine quieuerunt in pace.

D. IDIBVS SEPTEMBRIS. 13. Sept.

APVD Ægyptum, ciuitate Alexandriâ, natale beati Philippi Epiſcopi & martyris: qui Præfectus primùm fuit, deinde Baptiſmi gratiâ ſanctificatus, Epiſcopij dignitatem, ſuffragium ferentibus Chriſtianis populis, aſſequitur. Et ſub Voluſiano & Gallieno Imperatoribus, dirigitur Perennius præfectus Alexan- *De eo in paſſione S. Eugeniæ 25. Dec.*

Alexandriam: cui imperatum eſt, vt Philippum occideret. Sed cùm hoc implere non poſſet, quia omnis populus ciuitatis Philippo veluti quibuſdam vinculis amoris videbatur adſtrictus, immiſit quoſdam in eccleſiam, qui ſe fingerent Chriſtianos. Quique ingredientes, percuſſerunt eum in oratione conſtitutum. Sepultus modò eſt in Nitriâ, baſilicâ condignâ Martyri ſupra corpus eius fabricatâ. Sedit autem in Epiſcopatu anno vno, menſibus tribus. Paſſus eſt Idibus Septembris.

Item ſancti Amati presbyteri, Abbatis monaſterij S. Romerici: qui miræ abſtinentiæ, & anachoreticæ vitæ ſectator, virtutum & miraculorum gratiâ illuſtrem conuerſationem duxit.

14. Sept. E. XVIII. KALENDAS OCTOBRIS.

*Pontificale cap. 22.* ROMÆ viâ Appiâ in cœmeterio Calliſti, natale ſancti Cornelij Epiſcopi: qui ſub perſecutione Decij cum presbyteris & diaconibus Centumcellis exilio deputatur. Ad quem confortandum multi Chriſtianorũ veniebant. Quo *Cyprian. epiſt. 54.* tempore beatus Cyprianus ſcripſit ei de Celerino lectore, quanta pro fide & confeſſione Chriſti ſuſtinuerit. Decius Cæſar audito quòd multi ei ſcriberent, & de beato Cypriano, rogauit eum ſibi exhiberi. Exhibitus Decio interroganti, cur à Cypriano contra Rempublicam litteras accepiſſet, reſpondit: Ego de coronâ Domini litteras accepi, non contra Rempublicam. Iratus Decius, iuſſit vt os eius eum plumbatis cæderetur, deinde ad templum Martis, vt ſacrificaret, duceretur. Quod ſi contempſiſſet, illic capite puniretur. Cumque duceretur, vnus ex militibus nomine Cerealis, rogare cœpit beatum Papam, vt viſitaret vxorem eius, quæ annis quinque paralytica iacebat. Ingreſſus autem domum eius, tenuit manum Saluſtiæ, & erexit eam, dicens: In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ſta ſuper pedes tuos. Quæ protinus erexit ſe, clamans & dicens: Verè Chriſtus eſt Dei filius. Et dixit beato Cornelio: Baptiza me, per Chriſtum te coniuro. & currens impleuit vas aquâ, & attulit ei. Tunc miſerunt ſe omnes milites ad pedes eius, orantes ſe baptizari. Quos vt vt baptizauit, obtulit pro eis ſacrificium laudis: & participati ſunt omnes corpore & ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Audiens hæc Decius, mittens tenuit omnes eos, & iuſſit vt cum beato Cornelio ducerentur ad ſacrificandum, & ſi nollent parêre, capite plecterentur. Ducti autem foras muros portæ Appiæ, expuentes in templum, decollati ſunt vnà cum beatiſſimo Papâ numero viginti vnus. Sed & Cerealis cum vxore ſuâ Saluſtiâ ſub die XVIII. Kalend. Octobris. Eâdem verò nocte venit beata Lucina cum clericis & familiâ ſuâ, & rapuit Martyrum corpora, & ſepeliuit ea in agro ſuo in cryptâ, in cœmeterio Calliſti. Huius beatæ Lucinæ rogatu idem beatus Cornelius corpora Apoſtolorum de Catacumbis leuauit noctu; & poſuit, Pauli quidem viâ Oſtienſi, vbi decollatus eſt, Petri autem iuxta locum vbi crucifixus eſt, inter corpora ſanctorum Epiſcoporum, in templo Apollinis, in monte aureo, in Vaticano Palatij Neroniani, III. Kalendas Iulias.

Item apud Africam, natale beati Cypriani Epiſcopi, Valeriano & Gallieno Imperatoribus, Galerio Maximo proconſule. Qui agentibus & elaborantibus gentilibus comprehenſus eſt ex præcepto Aſpaſij Paterni conſulis, & in exilium in ciuitate Corubitanâ miſſus eſt. Habitauitque ibi ſuſpenſâ ad cælum mente, tantùm ad calcandas paſſiones huius temporis amore Chriſti animatus. Quò conueniebant ad eum plures egregij clariſſimi ordinis & ſanguinis, ſed & ſæculari nobilitate glorioſi: qui propter amicitiam eius antiquam, ſeceſſum ſubinde ſuaderent, & ne parum eſſet nuda ſuadela, etiam loca, in quæ ſecederet, ei offerebant. Poſt dies autem multos regreſſus de exilio habitabat in hortis ſuis. Et cùm illic moraretur, venerunt ad eum principes duo

duo ex officio conſulis Galerij Maximi, qui Aſpaſio Paterno ſucceſſerat, & leuantes eum in curriculo, duxerunt ad Proconſulem in locum Sexti, vbi pro tẽpandâ ſanitate degebat, collectuſque ab adſtatore officij, ſeceſſit in hoſpitium eius in vicum Saturni. Conuenit autem ad eum omnis populus fratrum. Quod cùm comperiſſet beatiſſimus Martyr, præcepit cuſtodiri puellas quæ aduenerant audire verbum Dei, quoniam ante oſtium manebant Principis ob amorem Martyris glorioſi. Alterâ die XVIII. Kalendas Octobris manè Galerius Maximus ſanctum Cyprianum Epiſcopum offerri ſibi præcepit in atrio ſecutioló. Cui inter alia cùm dixiſſet Proconſul: Iuſſerunt te ſacratiſſimi Principes cæremoniari. Sanctus Cyprianus dixit: Non faciam. Maximus proconſul dixit: Conſule tibi. Sanctus Cyprianus dixit: Fac quod tibi præceptum eſt: nam in re tam iuſtâ nulla eſt conſultatio. Maximus proconſul dixit: Diu ſacrilegâ mente vixiſti, & nefarios tuæ conſpirationis homines aggregaſti, & inimicum te diis Romanis & ſacris religionibus conſtituiſti, nec te pij Imperatores ad ſectam cæremoniarum ſuarum euocare potuerunt: cùm ſis nequiſſimi criminis auctor & ſignifer deprehenſus, eris ipſe documento cum his, quos ſcelere tuo tecum aggregaſti, ſanguine tuo ſancientur diſciplinę. Et his dictis, decretum ex tabellâ recitauit: Taſcium Cyprianum gladio animaduerti placet. Sanctus Cyprianus hoc audiens, dixit: Deo gratias ago. Et cùm duceretur, populus fratrum plangens dicebat: Et nos cum eo decollemur. Et ita perductus glorioſus Martyr poſt prætorium in agrum Sexti, exuit ſe lacerno birro, & complicans poſuit ad genua ſua, dehinc dalmaticam tunicam tulit, & diaconibus tradidit, & ſtans in lineâ, ſuſtinebat ſpiculatorem, cui & XXV. aureos dati præcepit. Fratres verò flentes, linteamina & oraria ante eum ponebant, ne ſanctus cruor defluens abſorberetur à terrâ. Qui cùm lacinias manuales ſibi ligare non potuiſſet, Iulius presbyter & Iulianus ſubdiaconus ipſi ligauerunt. Ipſe autem ſibi manu propriâ oculos texit, & genua in terrâ poſuit, orationemque ad Dominum fudit, & ſic gladio percuſſus migrauit. Corpus eius propter gentilium curioſitatem in proximo collocatum eſt. Sed ne à gentilibus tolleretur, nocte adueniente ex eodem loco, vbi poſitum fuerat, ſublatum eſt. Et inde cum cereis & * ſcolacibus, in areâ cuiuſdam Candidi procuratoris, in viâ Mappalienſi iuxta piſcinas cum magno triumpho ſepultum eſt.

* malè vulgò ſcholaribus,

Poſt multa verò curricula annorum, glorioſiſſimo Carolo Francis imperante, contigit, legationem Francorum ferentibus, illuſtres ac ſapientiâ circũſpectos legatos tranſitum per Africam feciſſe. Hi cùm Carthaginem dirutam, & loca venerabilia ſanctorum Martyrum reuertentes à rege Perſarum Aaton, qui exceptâ Indiâ totum pænè tenebat Orientem, vidiſſent, facilè ſibi conciliato Principe, ac fauorem in re tali præſtante, pro magno munere rogauerunt, vt oſſa B. Cypriani eis ferenda permitteret. Quod ille non magni ducens, continuò poſtulata conceſſit, vtque pio Imperatori, cuius gratiam omnium, qui in toto terrarũ orbe erant, Regum ac Principum amicitię pręponeret, ipſi ea ferrent, libenter aſſenſit. Cumque venerabiles legati ingentia dona, Martyrum ſcilicet reliquias ferentes (nam & beati Sperati martyris membra, qui vnus fuit ex illis XII. præclariſſimis martyribus Scillitanis, caput etiam martyris glorioſi Pantaleonis ſecũ cum beatis oſſibus Cypriani habebant) reuerterentur, proſperis vſi velis, tandem peruenerunt Arelaten. Vbi ſacra Martyrum membra ſignata interim relinquentes, legationem ſuam glorioſo Imperatori renuntiare feſtinarunt, & vt animum Regis ampliùs ſibi de legatione ſtrenuè perfectâ conciliarent, inter alia de Sanctorum reliquiis ab Africâ deportatis eius animos attollunt. Vnde ille plurimùm lætus, eas tam diu apud Arelaten dignâ veneratione reſeruari iuſſit,

donec

donec ipſe magno aliquo opere in regno ſuo templum conderet, vbi tam pretioſum pignus ingenti cultu & ornatu reponeret. Sed emergentibus cauſis, dum opus tardiùs conſtruitur, occaſionem nactus Leidradus venerabilis Lugdunenſis Epiſcopus glorioſum Imperatorem rogauit, ad ciuitatem ſuam deferre beata oſſa Martyrum ei liceret. Annuit Imperator. Sed & iſdem ocyùs votum ſuum pius perficit: cum honore infra ciuitatem Lugduni deportata ſunt, ibique in maiori Eccleſiâ beati Ioannis Baptiſtæ ac ſancti martyris Stephani aliquanto tempore cuſtodita: & ad defenſionem ciuium, Deo id miſericorditer operante, & Imperatore iam votum ſuum de ædificatione templi in longè alia transferente, ſanctus Epiſcopus beatiſſimas reliquias glorioſorum Martyrum in prædictâ eccleſiâ poſt venerabile & ſacrum altare decentiſſimâ ſepulturâ recondidit, ac poſteris ciuibus ſuis profuturas honorabiliter commendauit.

Sed pòſt, interpoſito tempore, regnante glorioſo Rege Carolo Ludouici Imperatoris filio, iterùm reliquiæ beati Cypriani ad monaſterium nouum, quod idem Rex auguſto opere conſtruxit, in Compendio palatio ſuo, eo iubente tranſlatæ ſunt.

Referuntur autem cum beato Cypriano paſſi, Creſcentianus, Victor, Roſula, & Generalis.

Eodem die, Exaltatio ſanctæ Crucis, quæ ab Helenâ Conſtantini matre inuenta, ita per medium eſt ſecta, vt & Crux Conſtantinopolim ſit portata, & Crux Ieroſolymis thecis argenteis ſit reſeruata. Multorum itaque annorũ labente curriculo, Phocâ Romanis imperante, Perſæ aduerſus Rempublicam, Choſdroë Rege, grauiſſima bella gerentes, multas Romanorum prouincias, & ipſam Ieroſolymam inuadunt. Et deſtruentes eccleſias, ſancta quoque loca profanantes, inter ornamenta ſacra, quæ abſtulerunt, etiam vexillum Dominicæ Crucis abducunt. Fecerat namque Choſdroë Rex eorũ turrim argenteam, in quâ interlucentibus gemmis thronum extruxerat aureum, ibiq; ſolis quadrigam & lunæ vel ſtellarem imaginem collocauerat, atque per occultas fiſtulas aquæ meatus adduxerat, vt quaſi Deus pluuiam deſuper videretur infundere. Et dum ſubterraneo ſpecu equis in circuitu trahentibus, circumacta turris fabricata moueri videbatur, quaſi quodam modo rugitum tonitrui, iuxta poſſibilitatẽ artificis mentiebatur. In hoc itaque loco ſedem ſibi parauerat, atque iuxta eam, quaſi collega Dei, ſibi Crucem Dominicã poſuit, filioq; ſuo Regno tradito, ipſe in fano huiuſcemodi reſidebat. Mortuo verò Phocâ, Heraclius Imperator creatur, vir ſtrenuus & armis exercitatus. Qui aduerſus Perſas bellũ aggreſſus, occiſo Choſdroë, quem in turre iam dictâ ſedentẽ inuenit, Perſas in deditionem recepit: lignumq; glorioſiſſimæ Crucis exinde repedans ſecum tulit, & Ieroſolymam, vnde ſublatum fuerat, cum magnâ veneratione reſtituit. Et renouante Deo antiqua miracula, inter alia mira, quæ tunc cælitus oſtenſa fuerunt, die eodem mortuus vnus recepit vitam, paralytici quatuor ſanati ſunt, leproſi decem mundati, cæci quindecim illuminati, plurimi quoque à dæmonio erepti, multiq; à variis infirmitatibus liberati. Offerens igitur Imperator Eccleſiis Dei multa donaria, ex regiis ſumptibus eas reparari fecit. Simul & decreto ſtatuit omnibus Epiſcopis id aſſentiẽtibus, vt dies relationis & exaltationis ſanctę ac venerabilis Dominicę Crucis, in omni Imperio ſuo ab omnibus fidelibus populis per ſingulos annos ſolẽniter ageretur. Sed & procurrentibus annis, Leone Romanis imperante, apud vrbem Romam Papa Sergius in ſacrario B. Petri Apoſtoli capſam argenteam, quæ in angulo obſcuriſſimo diutiſſimè iacuerat, & in eâ crucem diuerſis ac pretioſis lapidibus adornatam, Domino reuelante, reperit. De quâ tractis quatuor petalis, quibus gemmæ incluſæ erant, miræ magnitudinis portionem ligni ſalutiferi Domi-

Dominicæ Crucis interiùs repoſitam inſpexit. Quæ ex tempore illo omnibus annis in baſilicâ Saluatoris, quæ appellatur Conſtantiniana, die exaltationis eius, ab omni oſculatur & adoratur populo.

F. XVII. KALENDAS OCTOBRIS. *15. Sept.*

NATALE ſancti Nicomedis martyris. Quem Flaccus Comes, cùm ad eum perlatū fuiſſet, quòd corpus ſanctæ virginis Feliculæ, quam ipſe pro Chriſto punierat, ſepeliſſet, fecit teneri, & duci ad ſacrificandum. Qui cùm diceret, Ego non ſacrifico, niſi Deo omnipotenti, qui regnat in cælis, non his excifis lapidibus, qui in templis quaſi in carceribus clauſi cuſtodiuntur: plumbatis diutiſſimè cæſus, migrauit ad Dominum. Corpus eius in Tiberim præcipitatum eſt. Quod à clerico ipſius nomine & opere Iuſto collectum, perductumque ad horticellum ſuum, ſepultum eſt iuxta muros viâ Numentanâ. *De hoc in vitâ ſanctorum Nerei & Achillei 12. May.*

Eodem die, in territorio Cabilonenſium, caſtro Trenortio, natale ſancti Valeriani martyris, qui vnus fuit ex numero Sanctorum quinquaginta, qui temporibus Antonini Veri Lugduni in carcerem truſi fuerant, quique cum B. Marcello, patefactis cuſtodiæ, quâ detinebantur, diuinitus clauſtris, aufugit. Cumq; ad præfatum caſtrum perueniſſet, & Domini Ieſu Chriſti nomen prædicans, plurimos ipſo inſpirante, ad eius fidem conuertiſſet, reuertenti ab vrbe Cabilonenſium, vbi Priſcus beatum Marcellum martyrem necauerat pro Chriſti nomine, Præſidi Priſco delatus eſt. Quem ille ſuis faciens conſpectibus præſentari, primùm minis & terroribus frangere conatus eſt: deinde ſuſpenſum, & graui vngulatum laceratione cruciatum, cùm in Chriſti confeſſione videret immobilem, ac læto animo in eius laudibus permanentem, protinus in eo loco, vbi nunc ſacrum ipſius corpus debitâ veneratione excolitur, gladio animaduerti fecit. *De eo in vitâ ſancti Marcelli 4. Septemb.*

Eodem die, depoſitio beatiſſimi Apri Tullenſis Epiſcopi & Confeſſoris.

G. XVI. KALENDAS OCTOBRIS. *16. Sept.*

NATALE ſanctæ Euphemiæ virginis: quæ martyrizata eſt ſub Diocletiano Imperatore, proconſule autem Priſco, in ciuitate Chalcedonâ. Quæ, deferente iniquiſſimo Apelliano, cum aliis quadragintanouem, tradita eſt proconſuli Priſco. Cui Priſcus dixit: Honora teipſam, & generis tui dignitatem ne amittas, & immola deo Marti. Beata Euphemia eius iniquam ſuaſionem contemnens, pectus ſuum ſignaculo Crucis muniens, imperterrita ſtetit. Priſcus iratus, vt eam ſuperare poſſet, poſt tormenta & carceres, etiam verbera & argumenta rotarum, ignes & pondera lapidum angularium, beſtias & plagas virgarum, ſecures & ſartagines igneas ei adhibuit: ad vltimum in theatrum duci & leones ac beſtias ei laxari iuſſit. Tunc beata Virgo fundens orationem ad Dominum, dixit: Tu Domine notus omnibus, qui te inuocant fide purâ & integrâ, ſuſcipe animam ancillæ tuæ. Et ſicut ſuſcepiſti ſacrificium patris noſtri Abrahæ, *Gen. 22.* ita ſuſcipere digneris ſacrificium humilitatis meæ, quod tibi ob confeſſionem laudis tuæ immolatur. Tunc vna ſolummodò de beſtiis accurrens, morſum ſancto corpori eius infixit: & immaculatum ſpiritum Virgo Domino reddidit. Veniens autem mater eius Theodora, & Philoſophron pater eius, curatum corpus ipſius ſepelierunt, quaſi mille paſſus à ciuitate Chalcedonâ. Completum eſt autem martyrium eius, decimoſexto die menſis Septembris.

Eodem die, Romæ, natalis ſanctorum Luciæ & Geminiani, Imperatore Diocletiano, iudicibus Apoſraſio & Megaſio. Manſerat autem beata Lucia in viduitate annos trigintaſex. Totius autem vitæ eius fuerunt anni ſeptuagintaquinque. Quę accuſata à filio ſuo Euprepio, quòd Chriſtiana eſſet, iuſſit eam Diocle-

O tianus

tianus Imperator ſibi adduci, & dixit ei: Audio quia teum illum Crucifixum confiteris, & deos noſtros derides. Nunc ergo ſi parata es viuere, parati ſunt dij omnipotentes, vt eis offeras thura, vt poſſint tibi eſſe propitij, & viuas. Sancta Lucia reſpondit: Nec ſibi ſunt propitij, nec cultoribus ſuis. nam mihi propitiabitur Dominus meus Ieſus Chriſtus, pro cuius amore parata ſum ignem, vincula, & quas volueris pœnas ſufferre. Audiens Diocletianus conſtantiam fidei eius, iuſſit eam trahi ad carcerem, vbi conſolationem diuinam promeruit. Reducta autem iterùm ante Diocletianum ſedentem pro tribunali, extenſa eſt glorioſa femina, & fuſtibus diutiſſimè verberata. Et ecce terræmotus ſubitò factus eſt, & templum Iouis ita ſubrutum, vt nec lapis ſuper lapidem ædificij remanſerit. Diocletianus autem ollam æream adduci fecit, eamque pice & plumbo iuſſit impleri, & in circuitu ligna aggregari, & ſuccendi, ſanctamq; Luciam infra ollam demergi: vbi Sancta Dei pſallens, triduo vixit. Mittens verò Diocletianus, qui renuntiaret ei ſi tota iam in cineres eſſet reſoluta, is qui miſſus fuerat, intimauit rediēs Imperatori, quòd abſque vllâ læſione ſana viueret. Tunc impius tanto miraculo nullo modo ad credendum Chriſto incitatus, iuſſit vt onerata ferro & plumbo, per ciuitatis plateas duceretur. Peruenit autē ante domum hominis præpotentis, nomine Geminiani, in cuius domo dæmonum innumera ſimulacra erant. Dumque ſancta Lucia domū ipſam pertranſiſſet, ſubitò columba alba velut nix deſcendit de cælo, & ſuper caput Geminiani, tertiò figurans Crucem, reſedit. Geminianus reſpiciens, vidit ſibi patēre cælum, & ſtatim arripiens curſum, peruenit ad locum, vbi iam Sancta Dei torquebatur. Et proſternens ſe pedibus eius, cœpit narrare quod viderat, & Baptiſmi lauacrum expetere. Reducta eſt igitur beata Lucia in carcerem. Erat verò quidam ſacerdos Protaſius nomine, cui nocte apparens Angelus Domini, monuit vt iret ad carcerem, & Geminianum, qui fontem ſalutis requirebat, baptizaret. Qui cùm euigilaſſet, feſtinus abiit, & beatum virum aquâ ſalutari lauit. Poſt diem tertiū exhibita eſt S. Lucia Diocletiano, & cum ipſâ Geminianus, de quo iam Imperator audierat. Quos ille pœnis grauiſſimè afflictos, diuque tortos, tradidit cuidam peruerſiſſimo Iudici, vt quod deerat pœnarum, ipſe suppleret. Qui primò iuſſit ceruices eorum fuſtibus contundi, & mox terræmotu facto, camera domus iudiciariæ cecidit, & Iudicem impium oppreſſit. Deinde ſancti Martyres exhibiti ſunt Apoſraſio, ſub quo & ſeptuaginta quinque martyrium impleuēre, qui viſis miraculis, quæ circa Sanctos ſuos Dominus operabatur, crediderant. Hic Iudex impiiſſimus, poſt ſanctorum horum Martyrum necem, à diabolo equum eius incitante, de lapideo ponte præcipitatus in flumen eſt. Corpus eius poſteà nullo loco repertum. Deinde beata Lucia & ſanctus Geminianus, à Megaſio viro cōſulari arctati, poſt laudabilem victoriam martyrij, gladio animaduerſi ſunt ſub die ſextodecimo Kalend. Octobris. Quorum corpora rapuit quædam mulier Chriſtiana, nomine Maxima, & vt decuit, Martyres ſepeliuit.

17. Sept. A. XV. KALENDAS OCTOBRIS.

IN Britanniis, ſanctorum Socratis & Stephani.

Niuiduno, natalis ſanctorum martyrum Valeriani, Macrini & Cordiani.

*De hoc in geſtis ſancti Laurentij, 10. Aug.*

Item Romæ viâ Tiburtinâ, ad S. Laurentium, natale B. Iuſtini presbyteri, quem beatus Sixtus ordinauit. Ad quem beatus Laurentius in vico Patricij in cryptâ Nepotianâ nocte venit, vt theſauros ſibi à ſancto Sixto commendatos pauperibus erogaret. Cui & dixit: Comple votum meum, vt lauentur pedes Sanctorum & veſtri per manus meas. Beatus Iuſtinus reſpondit: Hoc Dominicum præceptum eſt: fiat voluntas Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et poſitâ pelue, miſit aquam, & lauit omnium virorum pedes. Veniens autem ad B. Iuſtinum, cœpit

cœpit primò oſculari pedes eius & lauare. Et vbi lauit omnium pedes, commendauit ſe beato Iuſtino. Hic eiuſdem Martyris corpus honorificè ſepeliuit in prædio Cyriacæ viduæ. Quam idem Martyr facto ſigno Chriſti, & poſito ſuper caput eius linteo, de quo exterſerat Sanctorum pedes, ab infirmitatibus capitis ſanauit. Hic ſanctum Hippolytum & Concordiam, Irenæum, Abundium, Cyrillam filiam Decij Cæſaris, martyres, & alios plurimos ſepulturis condiuit. Et perſecutione Decij, Galli, & Voluſiani, confeſſionis gloriâ inſigniſſimus fuit.

Romæ in Cryptâ arenariâ, ſanctorum martyrum Narciſſi & Creſcentionis. [*De his in geſtis ſancti Laurentij, 10. Auguſt.*]

Tungrenſi diœceſi, in * Leodio, villâ publicâ, natalis ſancti Lamberti Epiſcopi. Qui dum regiam domum zelo religionis accenſus increpaſſet, cùm rediens orationi incumberet, ab iniquiſſimis viris de palatio regio miſſis, improuiſè concluſus intra domum eccleſiæ, occiditur. Cuius ſepulcrum creberrimis miraculis illuſtratur: ac mors eius nihilominùs pretioſa in conſpectu Domini commendatur. [* MS. Leogio,]

B. XIIII. KALENDAS OCTOBRIS. [18. Sept.]

NAtalis ſancti Methodij, Olympi Lyciæ, & poſteà Tyri Epiſcopi, qui ſub Diocletiano in Chalcide Græciæ martyrio coronatus eſt. [*Hieron. de ſcrip. Eccl. cap. 83.*]

Viennæ, natale ſancti Ferreoli. Qui perſecutionis tempore, cùm eſſet Tribunitiæ poteſtatis, iuſſu impiiſſimi Præſidis tentus, primò crudeliſſimè verberatus, dein graui catenarum onuſtus pondere, in teterrimum carcerem truſus eſt. Vnde ſolutis Dei nutu vinculis, & ianuis patefactis carceris, aggerem publicum ingreſſus, vſque ad Iarem fluuium peruenit. Vbi denuò tentus, vinctis poſt tergum manibus ad territorium vſque Briuatenſe perductus eſt, atque ibi martyrij palmam capitis obtruncatione percepit. Corpus eius cum capite beati Iuliani ad vrbem Viennenſium relatum eſt, & condigno cultu in baſilicâ conditum, quam Caſtulus, vir præcipui nominis de primoribus vrbis Viennenſis, adhuc catechumenus, in honore eiuſdem Martyris condiderat, tanto opere, quantâ & fide, in ripâ vlteriore Rhodani. [*Sidonius Apoll. l. 7. cap. 1.*]

C. XIII. KALENDAS OCTOBRIS. [19. Sept.]

IN Neapoli Campaniæ, natale ſanctorum Ianuarij, Beneuentanæ ciuitatis Epiſcopi, cum Soſio diacono Meſenatæ ciuitatis, & diacono ſuo Feſto, & lectore ſuo Deſiderio. Qui poſt vincula & carceres capite cæſi ſunt in ciuitate Puteolanâ, ſub Diocletiano principe, iudice Dracontio. Qui cùm ducerentur ad mortem, viderunt inter alios Proculum, Puteolanæ ciuitatis diaconum, & duos laicos Eutychen & Acutum, & interrogauerunt quare iuſti iuberentur occidi. Quos Iudex vt vidit Chriſtianos, iuſſit decollari cum illis. Sic omnes ſeptem pariter ſunt decollati. Tulerunt autem corpora Chriſtiani. Neapolitani Ianuarium poſuerunt iuxta ciuitatem in baſilicâ: Meſenates, Soſium æquè in baſilicâ: Puteolani, Proculum, Eutychem & Acutum, iuxta baſilicam ſancti Stephani: Feſtum verò & Deſiderium Beneuentani collegerunt. [*De hoc in in paſſione Soſij, 23. Sept.*]

Eodem die in Palæſtinâ, natalis ſanctorum martyrum Pelei & Nili Epiſcoporum, qui perſecutione Diocletiani cum plurimis Clericis pro Chriſto igni conſumpti ſunt. [*Euſeb. l. 8. c. 21. & 23.*]

Apud Nuceriam, natalis ſanctorum martyrum Felicis & Conſtantiæ, qui ſub Nerone paſſi ſunt.

In territorio Linguonicæ ciuitatis, ſancti Sigonis presbyteri.

D. XII. KALENDAS OCTOBRIS. [20. Sept.]

IN Cyzico, natale ſanctorum Fauſtæ virginis, & Euilaſij, ſub Maximiano Imperatore. Quam idem Euilaſius, cùm eſſet primus Palatij, iuſſit decaluari

& radi ad turpitudinem, dein ſuſpendi ac torqueri. Quo tempore coruſcatio de cælis multos miniſtrorũ percuſſit. Dein iuſſit loculos afferri, & eam immiſſam ac fixam quaſi lignum ſecari mediam. Sed non eam carnifices ſerris ſuis lædere valebant. Quæ inter ſtupens Euilaſius, Chriſto credere cœpit. Et hoc vbi Imperatori nuntiatum eſt, miſit Præfectũ, qui eum ſuſpenſum fortiter torqueret. Qui etiam iuſſit Fauſtam nudam, & ſine mauorte educi de carcere, & ei caput terebrari, ac clauis infigi. Cui poſtmodum non ſolùm caput & facies, ſed pectus ac totum corpus, vſque ad tibias clauis impletum eſt. Poſt hoc, ſartaginem iuſſit igniri, ſed hæc, illâ pſallẽte, refriguit. Hæc interueniens vox de cælo, vocauit eos, & ſic tradiderunt ſpiritum. Erat autem Fauſta annorum XIII. Euilaſius LXXX.

21. Sept. Vide lib. de feſt. Apoſt. De eo infrà 26. Nouem.

E. XI. KALENDAS OCTOBRIS.

NATALIS ſancti Matthæi Apoſtoli & Euangeliſtæ.

Eodem die, paſſio ſancti Alexandri Epiſcopi, ſub Antonino Imperatore.

22. Sept.

F. X. KALENDAS OCTOBRIS.

IN Galliis, ciuitate Seduno, loco Agauno, natale ſanctorum martyrum Thebæorum, Mauritij, Exuperij, Candidi, Victoris, Innocentij, Vitalis cum ſociis ſuis, qui ſub Maximiano paſſi pro Chriſto, glorioſiſſimè coronati ſunt. Vt igitur beatiſſimæ paſſionis eorum cauſâ breuiter loquamur, ſub Maximiano, qui Romanæ Reipublicæ cum Diocletiano collega Imperiũ tenuit, per diuerſas ferè prouincias laniati ſunt atque interfecti Martyrum populi. Idem namque Maximianus erga Dominum cæli profanus impietatem ſuam ad extinguendũ Chriſtianitatis nomen armauerat. Si qui tunc veri Dei cultum profiteri audebant, ſparſis vſquequaq; militum turbis, vel ad ſupplicia, vel ad necem rapiebantur. Erat eodem tempore in exercitu Legio militum, qui Thebæi appellabantur. Legio autem vocabatur, quæ tunc ſex milia ac ſexcentos viros in armis habebat. Hi in auxilium Maximiano ab Orientalibus partibus accerſiti venerant. Viri in rebus bellicis ſtrenui, virtute nobiles, ſed fide nobiliores: erga Imperatorem fortitudine, erga Chriſtum deuotione certabant. Itaque cùm hi ſicut & ceteri milites, ad dilaniandam Chriſtianorum multitudinem deſtinarentur, ſoli crudelitatis miniſterium detrectare auſi ſunt: atque huiuſmodi præceptis ſe obtemperaturos negant. Maximianus non longè aberat: nam ſe circa Octodorum itinere feſſus tenebat. Igitur cognito Thebæorum reſponſo, præcipiti irâ feruidus, ob neglecta imperia decimum quemque ex eâdem Legione gladio feriri iubet, quo faciliùs ceteri rebus certis territi, metu cederent. Redintegratis mandatis edicit, vt reliqui in perſecutionem Chriſtianorum cogantur. Vbi verò ad Thebæos denũtiatio iterata peruenit, cognitumq; ab eis eſt, iniungi ſibi rurſus executiones profanas, vociferatio paſſim ac tumultus in caſtris exoritur, affirmantiũ, numquam ſe vlli in hæc tam ſacrilega miniſteria ceſſuros. His deinde compertis Maximianus, omni belluâ cruentior, rurſus ad ingenij ſæuitiam redit, atque imperat, vt iterùm decimus eorum neci detur: ceteri nihilominùs ad hæc quæ ſpernerẽt compellerentur. Quibus iuſſis denuò in caſtris perlatis, ſegregatus eſt atq; percuſſus, qui decimus ſorte obuenerat. Reliqua verò ſe militũ multitudo mutuo ſermone inſtigabat, vt in tam pręclaro ordine perſiſteret. Incitamentũ tamen maximũ fidei penes S. Mauritium fuit primiceriũ Legionis eius, qui cum Exuperio (vt in exercitu appellant) campiductore, & Candido ſenatore militũ, accedebat exhortando ſingulos & monendo, fidelium commilitonum etiam Martyrum exempla ingerens. His itaq; primoribus ſuis atq; auctoribus animati beatiſſimi viri, Maximiano adhuc inſaniâ æſtuanti mandata mittunt ſicut pia, ita & fortia: Milites, inquiunt, ſumus Imperator tui: ſed tamen ſerui, quod liberè confitemur, Dei. Tibi militiam debemus, illi innocentiam. A te ſtipendium

laboris

laboris accipimus, ab illo vitæ exordiũ ſumpſimus. Sequi Imperatorem in hoc nequaquam poſſumus, vt auctoré negemus Deum: vtique auctorem noſtrum, Dominum ac auctorem, velis nolis, tuum. Si non ad tam funeſta cõpellimur, vt hunc offendamus, tibi, vt fecimus hactenus, adhuc parebimus: ſin aliter, ipſi parebimus potiùs quàm tibi. Offerimus noſtras in quemlibet hoſtem manus, quas ſanguine innocentiũ cruentare nefas ducimus. Dexteræ ipſæ pugnare aduerſus impios & inimicos ſciunt, laniare pios & ciues neſciunt. Meminimus nos pro ciuibus potiùs, quàm aduerſus ciues arma ſumpſiſſe. Pugnauimus ſemper pro iuſtitiâ, pro pietate, pro innocentium ſalute. hæc fuerunt hactenus pretia periculorũ. Pugnauimus pro fide: quam quoquo pacto cõſeruemus tibi, ſi hanc Deo noſtro non exhibemus? Iurauimus primùm in ſacramenta diuina, iurauimus inde in ſacramenta regia. Nihil nobis de ſecundis credas neceſſe eſt, ſi prima perrumpimus. Chriſtianos ad pœnam per nos requiri iubes, iam tibi ex hoc alij requirendi non ſunt. Habes nos hîc confitentes Deum Patrem auctoré omnium, & filium eius Ieſum Chriſtum Dñm credimus. Videmus laborum periculorumq; noſtrorum ſocios, nobis quoque eorum ſanguine adſperſis, trucidari ferro, & ſanctiſſimorum commilitonum mortes, & fratrum funera non fleuimus, non doluimus, ſed potiùs laudauimus, & gaudio proſecuti ſumus, quia digni habiti eſſent pati pro Domino Deo eorum. Non nos vel hæc vltimæ vitæ neceſſitas in rebellionem cogit. Non nos aduerſum te, Imperator, armauit ipſa ſalté, quæ fortiſſima eſt in periculis, deſperatio. Tenemus ecce arma, & non reſiſtimus: quia mori quàm occidere ſatis malumus, & innocentes interire quàm noxij viuere præoptamus. Si quid in nos vltrà ſtatueris, ſi quid adhuc iuſſeris, ſi quid admoueris, ignem, tormenta, ferrum, ſubire parati ſumus. Chriſtianos nos fatemur: perſequi Chriſtianos nos non poſſumus. Cùm hæc talia Maximianus audiſſet, obſtinatoſque in fide Chriſti cerneret animos virorum, deſperans glorioſam eorum conſtantiam poſſe reuocare, vnâ ſententiâ interfici omnes decreuit, & rem confici circumfuſis militum agminibus iubet. Qui cùm miſſi ad beatiſſimam legionem veniſſent, ſtringunt in Sanctos impium ferrũ, mori non recuſantes vitæ amore. Cædebantur itaque paſſim gladiis, non reclamantes ſaltem, aut repugnantes, ſed & depoſitis armis ceruices perſecutoribus præbentes, & iugulũ perſecutoribus vel intectum corpus offerentes. Victor autem martyr nec legionis eiuſdem fuit, nec miles, ſed emeritæ iam militię veteranus. Hic cùm iter agens ſubitò incidiſſet in hos, qui paſſim epulabãtur læti Martyrum ſpoliis, atque ab his ad conueſcendũ inuitatus, prolatam ab exultantibus per ordinem cauſam cognoſcés, deteſtatur conuiuas, deteſtatuſq; conuiuiũ refugiebat. Requirentibuſq; ne & ipſe forſitan Chriſtianus eſſet, Chriſtianũ ſe, & ſemper futurum eſſe reſpondit. Ac ſtatim ab irruẽtibus interfectus, ceteris Martyribus ſicut morte, etiam honore coniunctus eſt. Quid deinde circa Maximianũ tyrannum ſit conſecutũ, breui colligere placuit. Cùm diſpoſitis inſidiis genero ſuo Conſtantino mortem moliretur, deprehenſo dolo, apud Maſſiliam captus eſt. Nec multo pòſt ſtrangulatus, teterrimoq; ſupplicio affectus impiam vitã dignâ morte finiuit. At verò beatiſſimorũ Martyrũ corpora poſt multos paſſionis annos ſancto Theodoro Epiſcopo reuelantur, & in eorum honorem baſilica honeſtè componitur. Sed & per longum temporis tractum beati Innocentij martyris membra Rhodanus reuelauit. Quæ non ideò à ſinu terræ protulit, vt in gurguris ſui procellâ demergeret, ſed vt ceteris Martyribus ſepulturâ venerabiliter ſociaretur.

G. IX. KALENDAS OCTOBRIS. 23. Sept.

NATALE ſancti Soſij diaconi Meſenatæ ciuitatis in Campaniâ. Qui cùm eſſet annorum triginta, martyrium cum beato Ianuario Beneuenti

 Epiſcopo,

Epiſcopo, capitis decollatione ſuſcepit, tempore Diocletiani Imperatoris. Is cùm tempore quodam Euangelium legeret in eccleſiâ Meſenatæ ciuitatis, præſente Epiſcopo Ianuario, (frequenter enim eum pro ſanctitate & prudentiâ eius viſitare conſueuerat) vidit ſubitò idem Epiſcopus de capite eius flammam exurgere, quam nemo alius vidit: pronuntiauit eum Martyrem futurum. Et poſt non multos dies diaconus tentus, & in carcerem miſſus eſt. Ad quem viſitandum cùm veniſſet Epiſcopus cum diacono Feſto, & lectore ſuo Deſiderio, & ipſe cum eis ſimul tentus, ac pariter omnes cum alijs tribus occiſi ſunt.

Eodem die, natale ſanctæ Theclæ virginis, apud Seleuciam quieſcentis: quæ de ciuitate Iconio à beato Paulo Apoſtolo inſtructa eſt. Quam mater eius cernens Chriſtianam, & nuptum repudiare, malentem Chriſto ſponſo adhærere, quàm corruptioni carnis ſubiacere: pergens ad Iudicem, accuſauit virginem, filiam ſuam eſſe Chriſtianã dicens, viuam eam, vt ceteræ mulieres terrerẽtur, debere ardere. Quã ſibi cùm iuſſiſſet Iudex adduci, & propoſitũ caſtitatis eius perdidiciſſet, rogum fecit parari, vt illam incenderet. Rapta igitur ab apparitoribus, vt in focũ iactaretur, ſponte pyram aſcendit, & ſigno Crucis facto, virili animo inter medias flammas ſtetit. Subitoq́; factâ inundatione pluuiarum, ignis extinctus eſt, & beata virgo illæſa virtute ſupernâ eripitur. Iterùm cùm ieiunijs, vigilijs & orationibus vacaret, à quodam viro potente cõprehenſa, perducta eſt ad Præſidem, quòd ſe Chriſtianam diceret. Quam iſdem Proconſul interrogans, ſi verè eſſet quod accuſabatur: reſpõdit, omnino Chriſtianam ſe eſſe. Quam continuò Præſes ad beſtias damnauit. Interim tamen quò ſubrigeretur, commendatur cuidam nobili feminæ, quæ propinqua Cæſaris erat, nomine Triphena. Sequenti die productę ſunt beſtiæ de caueis: ſiſtitur beata Thecla in arenis medijs, ſtupente populo, quòd eam beſtiæ minimè tangerẽt. Reducitur beata Thecla ad domum Triphenæ, vt in craſtinum iterùm feris obijceretur. Quam miniſtri cùm de domo repeterent, Triphena doloris plena ſequitur eam vſque ad ſpectaculum, vbi clamor vulgi & tumultus erat immenſus, beatam Theclam ſpectantium. Nudatâ verò beatâ virgine, dimittuntur ei leones pariter & vrſi. Sed nulla ferarum eam lædere præſumpſit. Deinde in foſſam aquâ plenam, vbi ſerpentes adunati & collecti fuerant, à furentibus populis cùm vrgeretur, ſigno Crucis munita inſiluit: ſed nec ab eis vllo pacto læſa. Iterùm atrociores beſtiæ parantur: ſed vllo modo tangere eam non ſunt permiſſæ. Verùm nec adhuc ſibi crudelitas modum ponit. Alligatur duobus tauris ferociſſimis, ferro candente ſtimulatis, vt eam diſcerperent. Qui funibus diruptis, vagabundi huc illucq́; diſcurrunt, ac Martyrem nullius mali paſſam relinquunt. Accerſitam denique Proconſul eam requirit, quæ, aut vnde eſſet, quia nulla beſtiarum eam lædere potuiſſet. Beata Thecla reſpondit: Dei viui tantùm ſum ancilla. Territus autem Proconſul, quòd tantæ virtutis eſſet, induens eam veſtibus, edixit ſententiam: Theclam, inquit, pietatis ac Dei cultricem relaxo. Dimiſſa verò, reuerſa eſt in domum Triphenæ, vbi requieuit paucis diebus, docens Triphenam & domum eius in fide Domini noſtri Ieſu Chriſti. Inde egreſſa, venit Seleuciam, ibiq́; exemplo & cõuerſatione vitæ, atq́; etiam doctrinâ plurimos erudiens, poſt multa certamina duplicis coronæ, virginitatis & martyrij, requieuit in pace.

24. Sept. A. VIII. KALENDAS OCTOBRIS.

Conceptio S. Ioannis Baptiſtæ Domini.

Et in Auguſtoduno, natalis S. Andochij presbyteri, Thyrſi diaconi, & Felicis. Qui à ſancto Polycarpo Epiſcopo ab Oriente directi ad docẽdam Galliam, ſub Aureliano principe ſunt glorioſiſſimè coronati. Siquidem flagellis cæſi, in vltimo, toto die inuerſis manibus ſuſpenſi, & in ignem miſſi, ſed non com-

combuſti. Tandem vectibus colla feriuntur, atque ita martyrium ſuum glorioſiſſimè compleuerunt octauo Kalendas Octobris.

### B. VII. KALENDAS OCTOBRIS. 25. Sept.

NATALIS B. Cleophæ, cui Dominus poſt reſurrectionem in viâ apparuit. Vide lib de feſt. Apoſt. Lugduni, ſancti Lupi Epiſcopi ex anachoretâ.

### C. VI. KALENDAS OCTOBRIS. 26. Sept.

NATALE ſanctorum martyrum Cypriani Epiſcopi & Iuſtinæ: qui paſſi ſunt ſub Diocletiano Imperatore, iudice Eutolmio. Iuſtinæ Pater erat Duſius apud ciuitatē Antiochiam. Qui viam religionis à diacono nomine Prohelio audientes, baptizati ſunt à ſancto Epiſcopo Optato. Virgo autem Iuſtina Domino ſeruiens, frequentabat eccleſiam. Hanc Agladius ſcholaſticus videns, exarſit ob amorem eius. Et cùm nullo modo poſſet pertingere ad illam, rogauit Cyprianum magum, promiſitque ei duo talenta auri, ſi virginem Iuſtinam in amorem eius excitare poſſet. Cyprianus autem magus vocatis dæmonibus, cœpit agere vt virginem Chriſti ei adducerent. Qui ſemel, bis & tertiò venientes ad beatam Iuſtinam, nihil apud illam ſuis deceptionibus valuerunt: ſed ſigno Crucis repulſi, victi receſſerunt. Cyprianus verò cùm illorum virtutem aduerſus virginem haudquaquam valuiſſe videret, dicit ad diabolum: Die mihi, quemadmodum victi eſtis à virgine Iuſtinâ? Cui diabolus: Dicere tibi non poſſumus, niſi prius iures mihi. Cumque Cyprianus illi iuraſſet, ait diabolus: Vidi ſignum Crucifixi, & extimui. Cyprianus dixit: Ergo Crucifixus maior te eſt? Dicit ei diabolus: Etiam. maior enim eſt omnium. Quod audiens Cyprianus, contemnens virtutem diaboli, & currens venit ad Epiſcopum Anthimum, ceciditq; ad pedes eius, rogans vt doceret eum, & Baptiſmo Chriſti conſignaret. Beatus autem Epiſcopus gratias agens Deo, catechizauit eum. Et reuertens Cyprianus in domum ſuam, omnia idola confregit. Tunc rediens ad eccleſiam, diligenter ſalutis verbum auſcultare cœpit. Horâ deinde reſidens, quâ catechumeni foras mittebantur eccleſiam, monitus eſt à Diacono, vt cum reliquis catechumenis egrederetur. Conuerſus verò ad Diaconum, dicit ei: Seruus factus ſum Chriſti, & foras me mittis? Dicit ei Diaconus: Factus es perfectus ſeruus Dei? Cyprianus dixit: Viuit mihi Chriſtus, qui dæmones confudit, & mihi miſertus eſt, quia non exeo hinc, niſi perfectus fuero ſeruus Chriſti. Diaconus verò Anthimo Epiſcopo hæc renuntiauit: qui ſecundùm ordinem inſtructum baptizauit eum, & non multò pòſt etiam Diaconum ordinauit. Qui doctrinâ & moribus pluſquam dici poſſit excreſcens, miraculorum gratiâ præclariſſimè floruit. Verùm non multo interiecto tempore, factus eſt Epiſcopus, ſanctamque Iuſtinam matrem virginum conſtituit. Quorum virtutē non ferens diabolus, per ſatellites ſuos apud Eutolmium comitem Orientis egit, vt comprehenderetur Cyprianus Epiſcopus, & virgo Chriſti Iuſtina. Cuius ante conſpectum vinculis ligati, cùm fuiſſent adducti, Comes dixit ad beatum Cyprianum: Tu es Cyprianus doctor Chriſtianorum, qui per maleficia multos errare feciſti? Beatus Cyprianus dixit: Aliquando in perditione dæmonum poſitus, multos luxurioſos feci: ſed ſaluauit me Deus per virginem Iuſtinam, dum eam per dæmonia tentare vellem, quæ illa fide Chriſti armata per omnia contempſit. Comes iniquus iuſſit ſanctum Epiſcopum poſt hęc ſuſpendi, & exungulari: beatam verò Iuſtinam poſt alapas, crudis neruis immaniter cædi: deinde ſanctum Epiſcopum in carcere recludi, & ſanctam virginem in domo cuiuſdam matronæ cuſtodiri. Qui poſt aliquot dies in ſui præſentiam reductos, in ſartagine ferreâ iuſſit torreri, picem, adipem, & ceram deſuper miniſtris infundentibus. Et cùm ibi laudem omnipotenti Deo dicerent,

Athanaſius ſacerdos idolorum poſtulauit Comitem, dicens: Iubeat claritas tua, & in nomine deorum vincam virtutem Chriſtianorum. Et cùm appropinquaſſet ad ſartaginem, erupit flamma & conſumpſit illum. Comes acceptis tot miraculis, quæ Chriſtus in ſeruis ſuis operabatur, ſcripſit Imperatori, quid ſuper eis iuberet. Qui reſcripſit, vt dirigerentur Nicomediam, & ibi gladio ferirentur. Perducti igitur ad locum ſunt decollationis, & vidit eos quidam Chriſtianus * Theognitus, & accurrens oſculatus eſt Cyprianũ. Quod cernens Seruius cognatus Regis, iratus egit, vt cum ſanctis Cypriano & Iuſtinâ Theognitus decollaretur. Et iacuerunt corpora Sanctorum proiecta feris ſex diebus inſepulta. Quidam autem nautæ Chriſtiani nocte rapuerunt ea, & nauigantes deportauerunt ad vrbem Romam. Et matrona venerabilis Rufina reuerenter excipiens illa, ſepeliuit in prædio ſuo. Paſſi ſunt autem ſexto Kalendas Octobris.

* al. Theognidus,

27. Sept.

D. V. KALENDAS OCTOBRIS.

Greg. Tur. de gloriâ Martyrũ, cap. 98.

APVD Ægæam ciuitatem, natale ſanctorum martyrum Coſmæ & Damiani, perſecutione Diocletiani, ſub præſide Lyſiâ. Hi venerabili matre geniti, ſacris litteris eruditi, profeſſione artis Medici, virtutibus erant clariſſimi. Horum religionem audiens præſes Lyſias, miſit apparitores, qui eos adducerent. Quos adſpiciens interrogauit, ex quâ prouinciâ, aut quæ eſſent eorum nomina. Beatus Coſmas & Damianus reſponderunt ei: Ex Arabiâ ſumus. Nomina noſtra Coſmas & Damianus, Chriſtiani ſumus: ſunt nobis & alij fratres, Anthimus, Leontius, Euprepius. Quos miſſo officio iuſſit ſibi Præſes ilicò præſentari, & cœpit agere vt ſacrificarent. Et cùm nullâ ratione fundatos animos eorum ſupra petram Chriſtum mouere poſſet, manibus & pedibus vinctos, iuſſit eos fortiter torqueri, deinde ſicut erant concatenati, in mare mergi. Quibus ſtatim Angelus Domini affuit, & diruptis vinculis, è pelago liberauit. Hoc videntes milites renuntiauerunt Præſidi. Ille mox eis ad ſe reductis, Docete, inquit, me maleficia veſtra, & ego ſequor vos; communicans operibus veſtris. Sancti verò reſponderunt: Chriſtiani ſumus, maleficia neſcimus, & in Chriſti nomine maleficiorum virtutem contemnimus. Recepti ſunt, iubente Præſide, in carcerem. Et ſequenti die Proconſul ſedens pro tribunali, fecit copioſum ignem parari, & beatos Martyres de carcere productos inmedio iactari. Sed orantibus Sanctis, ignis virtutem ſuam amiſit. Superatus Præſes, & quæ circa Martyres Dei prouenerant, magicis artibus deſignans, ſuſpendi ac torqueri eos iterùm iubet. Sed cùm grato & hilari vultu ſuperiores tormentis perſiſterent, paratis crucibus impius Proconſul glorioſos Martyres ſuſpendi atque extendi, ac lapidibus in cruce leuatos perſequi iubet. Sed cùm ictus lapidum in iacientes retorquerentur, Præſes furore ſuccenſus, ſagittis eos aggredi iuſſit, vt ſaltem leuiori volatu ferrum eis infigeretur. Verùm cùm nec in aliquo Sanctos læſiſſent, plurimi mittentium ac circumſtantium vulneribus earum defecerunt. Cernens itaque Præſes malitiam ſuam virtute diuinâ ſuperari, gladio animaduerti illos iubet. Martyrizati autem ſunt beati Coſmas & Damianus, Anthimus, Leontius, & Eutropius, XXVII. die menſis Septembris. Quorum corpora religioſi viri ſepelierunt in loco venerabili, non longè à ciuitate Ægæâ. Duorum autem fratrum Coſmæ & Damiani memoriam Roma etiam, templo præclaro opere nomini eorum ædificato, ſolemniter agit.

28. Sept.

E. IV. KALENDAS OCTOBRIS.

IN Hiſpaniis, ciuitate Cordubâ, natale ſanctorum Fauſti, Ianuarij, & Martialis: qui primò equulei pœnâ cruciati, deinde raſis ſupreciliis, & auribus ac naribus præciſis, dentibus quoque ſuperioribus euulſis deturpati, ad vltimum ignis paſſione martyrium conſummauerunt.

F. III. KALENDAS OCTOBRIS.

IN monte Gatgano, venetabilis memoria beati Atchangeli Michaëlis, vbi ipſius conſecrata nomini habetur eccleſia, vili facta ſchemate, ſed cæleſti prædita vittute. Verticc ſiquidem montis excelſi poſita, de cotpore eiuſdem ſaxi, ſpeluncæ inſtat præcauato, oſtenditur. Eſt autem locus in Campaniæ finibus, vbi inter ſinum Adriaticum & montē Garganum ciuitas * Sipontus poſita eſt, qui à mœnibus ciuitatis à duodecim milibus prærectus, in cacumine ſuo ſupremo hanc toto orbe venerandam geſtat eccleſiam. Quę hoc modo mortalibus cognita eſt. Quidam vir prędiues nomine Garganus, qui ex aduentu ſuo monti vocabulum indidit, infinitâ pecorum multitudine pollebat. Contigit autem taurum annenti gregis conſortia ſpementem, ſingularem incedere ſolitum, & ad extremum redeunte pecore domum non reuerti. Quem dominus per deuia quæque requirens, inuenit tandem in vertice montis foribus cuiuſdam aſſiſtere ſpeluncæ: quem cùm ſagittâ appetiſſet, illa velut flamine venti retorta, cum à quo iactata eſt, mox reuerſa percuſſit. Turbati ciues & ſtupefacti, qualiter res fuerit effecta (non enim accedere propiùs audebant) conſulunt Epiſcopum, quid facto opus ſit. Qui indicto ieiunio triduano, à Deo monuit eſſe quærendum. Quo peracto, ſanctus Michaël Angelus apparuit Epiſcopo per viſionem, dicens: Ego ſum Michaël Archangelus, qui in conſpectu Dei ſemper aſſiſto: ipſius loci eſſe me cuſtodem, atque omnium quæ ibi geruntur inſpectorem, hoc volui indicio probare. His reuelatione compertis, conſuetudinem fecerunt ciues, hîc Deum precibus, ſanctumque interceſſorem poſcere Michaëlem. Duas quidem ianuas ibi cernentes, quarum Auſtralis, quæ & maior erat, aliquot gradibus in Occaſum vergētibus adiri poterat. Sed nec vltra cryptam intrare auſi, præ foribus quotidie orationi vacabant. Intereà Neapolitæ Beneuentanos bello laceſſere tentant. Qui Antiſtitis ſui monitis edocti, triduanum ieiunium agunt: & ecce nocte ipſâ, quæ belli præcedebat diem, idem in viſione ſanctus Michaël apparens Antiſtiti, preces dixit eorum exauditas, ſpopondit victoriam, ſeque eis affuturum. Quod mox veritas facti demonſtrauit. Domumque victores reuerſi, vota Domino gratiarum ad templum feſtinant referre, videntque manè iuxta ianuam Septemtrionalem, inſtar poſterulæ puſillæ, quaſi hominis veſtigia marmori arctiùs impreſſa, agnoſcuntq; beatum Michaëlem pręſentię ſuę ſignum voluiſſe monſtrare: vbi poſteà culmine appoſito, & altari impoſito, ipſa eccleſia ob ſigna veſtigiorum APPODONIA eſt vocata. Et poſtmodum collatione factâ Sipontini, ad Orientem loci illius, B. Petri Apoſtolorum Principis nomine condunt eccleſiam. Iterùm Romano Pontifice & Sipontino Epiſcopo de conſecratione loci ipſius quærentibus, ac proptereà triduanum ieiunium cum ciuibus ſuis celebrantibus, nocte ieiunij ſupremâ ſanctus Michaël Epiſcopo Sipontino per viſionem apparens, monuit vt intrarent eccleſiam, quam ipſe dicauit, & Miſſas iuxta morem ibi agerent. Meum, inquit, erit oſtendere, quomodo per memetipſum locum conſecrauerim. Adueniunt manè cum oblationibus, & magnâ inſtantiâ precū intrant Regiam Auſtralem. Et ecce longa porticus in Aquilonem porrecta, atq; illam attingens poſterulam, extra quam veſtigia marmori diximus impreſſa. Sed priuſquam huc venirent, apparet ad Orientem baſilica pergrandis, quâ per gradus aſcenditur. Hæc cum ipſâ porticu ſuâ quingentos ferè homines capere videbatur, altare venerandum, rubroq; coopertum palliolo, propè medium parietis Meridiano oſtendens. Erat autem ipſa domus anguloſa, non in morem operis humani parietibus erectis, ſed inſtar ſpeluncæ præruptis, & ſæpiùs eminentibus aſperata ſcopulis. Culmine quoque petroſo diuerſæ altitudinis, quod hîc vertice tangi, alibi manu vix poſſit attingi:

* M. s. ſemper Sepontus

Digitized by Google

attingi: credo, docente Archangelo, Dominum non ornatum lapidum, ſed cordis quærere & diligere puritatem. Nullus autem huc nocturno eſt tempore auſus ingredi: ſed aurorâ tranſactâ, matutinos ibidem cantant hymnos. Ex ipſo autem ſaxo, quo ſacra contegitur ædes, ad Aquilonem altaris, dulcis & nimiùm lucida guttatim aqua dilabitur, quam incolæ Stillam vocant. Ob hoc & vitreum vas eiuſdem receptui præparatum. Deniquè nonnulli poſt longas febrium flammas, hac hauſtâ ſtillâ, celeri confeſtim refrigerio potiuntur ſalutis. Innumeris quoque & aliis modis ibi & crebrò ſanantur ægroti; & multa, Angelicâ tantùm illic poteſtate, geri miracula comprobantur. Sed non multò poſt Romę venerabilis etiam Bonifacius Pontifex eccleſiam ſancti Michaëlis nomine conſtructam dedicauit, in ſummitate Circi cryptatim miro opere altiſſimè porrectam. Vnde & idem locus in ſummitate ſuâ continens eccleſiam, INTER NVBES ſitus vocatur.

30. Sept. G. PRIDIE KALENDAS OCTOBRIS.

*al. Aurulam IN Galliis, caſtro Solodoro, quod eſt ſuper *Arulam fluuium, paſſio ſanctorum martyrum Victoris & Vrſi, ex glorioſâ legione Thebæorum. Qui cùm illuc furorem Maximiani tyranni declinantes receſſiſſent, ipſius iuſſu tenti ab Hyrtaco executore, primò diris ſuppliciis excruciati: ſed cæleſti ſuper eos lumine coruſcante, ruentibus in terram miniſtris erepti, deinde in ignem miſſi ſunt. Veniente autem mox pluuiâ vehementi, extinctâ pyrâ in nullo penitùs læſi, nouiſſimè gladio conſummati ſunt. E quibus ſanctus Victor ad vrbem *Ianauenſium tranſlatus, miraculorum gloriâ & veneratione Fidelium celebratur.

*al. Ienauenſium vulgò Ianuenſium

Item apud Bethleëm Iudæ, depoſitio ſancti Hieronymi presbyteri. Hic natus in oppido Stridonis, quod Dalmatiæ quondam Pannoniæque confinium fuit, patre Euſebio, veſtem Chriſti puer Romę ſuſcepit, ibique litteris Græcis ac Latinis à primæuo eruditus eſt. Poſtquàm autem omne mundanarum ſtudium litterarum adeptus eſt, probatiſſimorum quoque monachorum habitum factumq; imitatus eſt, Romanæ Eccleſiæ Presbyter poſtmodum ordinatur. Dumque per triennium continuum charus acceptuſque populis veneraretur, omniumque iudicio dignus eſſe ſummo ſacerdotio decemeretur, quidam ex clericorum monachorumque ordinibus, pro petulantiâ, proque ingluuie diſcurſantes, ad effugandum Vrbe Hieronymum, qui vtrumque eorum ſcribens vitium deprehenderat, inſidias parauerunt. Verùm ipſe propter cælorum regna, domum, parentes, ſororem, cognatos, Româ egreſſus dereliquit, & Ieroſolymam militaturus Deo pergens, primò ad Gregorium Nazianzenum, tunc Conſtantinopolitanæ vrbis Epiſcopum, ſupplex dociliſque diſcipulus acceſſit, vt ſanctarum Scripturarum ſtudijs erudiretur. Inde in Syriam perrexit, in poſſeſſione Euagrij presbyteri aliquantulùm commoratus. Ad deſerta deinde loca ita latus accinctuſque acceſſit, vt volaſſe eum magis, quàm meaſſe crederes. Quadriennium itaque in illâ vaſtâ ſolitudine, quæ exuſta ſolis ardoribus horridum monachis præſtat habitaculum, exegit: indeque ad Bethleëm oppidum remeauit, vbi prudens animal ad præſepe Domini ſe obtulit permanſurum. Bibliothecam ſanè ſuam, quam ſibi ſummo ſtudio ipſe condiderat, omniumque librorum orationes, quas pænè memoriter retinebat, iterùm relegens, diem ieiunijs ducebat ad veſperam. Plures ad eum religioſorum, quibus vita eius famâ comperta eſt, protinus confluxerunt, bonumque doctorem, patuo adhuc ſub tugurio, boni obſeruauere diſcipuli. Nec multo pòſt cellulas ibi ob diſcipulorum ſuorum copiam, & propter frequentiam aduentantium, ad Bethleëmiticam portam, quæ ad Occidentem conſpicit, & egredientibus ad Septemtrionem videtur, paruulum habitationis locellum conſtruxit.

Quibus

Quibus verò niſibus, quantíſve laboribus Hebraicam linguam atque Chaldaicam, litteraſque Hebræas didicerit, verbis eius edicam. *Dum eſſem,* inquit, *iuuenis, & ſolitudinis me deſerta vallarent, incentiua vitiorum, ardoremque naturæ ferre non poteram. Quam cùm crebris ieiuniis frangerem, mens tamen cogitationibus æſtuabat. Ad quas edomandas, cuidam fratri, qui ex Hebræis crediderat, me in diſciplinam dedi: vt poſt Quintiliani acumina, & Ciceronis fluuium, grauitatemque Frontonis, & lenitatem Plinij, alphabetum diſcerem, ac ſtridentia anhelantiaque verba meditarer. Quid ibi laboris ſumſerim, quid ſuſtinuerim difficultatis, quoties deſperauerim, quoties ceſſauerim, & contentione diſcendi rurſus inceperim, teſtis eſt conſcientia mea.* Epiſt. 4. ad Ruſt. Armatus itaque fide, gratiamque Chriſti adeptus, Hebræorum volumina, quæ in Canone continentur, de Hebræo in Latinam linguam vertit, eaque pænè omnia commentatus eſt. Vt ergo opera eius valdè vtiliter confecta breuiter commemoremus, ſcripſit Vitam Pauli monachi. Epiſtolarum ad diuerſos librũ vnum. Ad Heliodorum exhortatoriam. Altercationem Luciferiani & Orthodoxi. Chronicon omnimodę hiſtorię. In Ieremiam & Ezechielem Homilias XXVIII. quas de Græco in Latinum vertit. De Seraphin, de Oſanna, de frugi & luxurioſo filio, de tribus quæſtionibus Legis veteris. Homilias in Cantica canticorum duas. Aduerſus Heluidium de Mariæ virginitate perpetuâ. Ad Euſtochium de virginitate ſeruandâ. Ad Marcellam Epiſtolarum librum vnum. Conſolatoriam de morte filiæ ad Paulam. In Epiſtolam Pauli ad Galatas commentariorum libros tres. Ad Epheſios commentariorum libros tres. In Epiſtolam ad Titum librum vnum. In Epiſtolam ad Philemonem librum vnum. In Eccleſiaſten commentarios Quæſtionũ Hebraicarum in Geneſin librum vnum. De locis librum vnum. Hebraicorum nominum librum vnum. De Spiritu ſancto Didymi, quem in Latinum tranſtulit, librum vnum. In Lucam Homilias XXXVIII. In Pſalmos à decimo vſque ad XVI. tractatus ſeptem. Captiuum monachum. Vitam beati Hilarionis. Nouum Teſtamentum Græcæ fidei reddidit. Epiſtolarum autem ad Paulam & Euſtochium incertus eſt numerus. Sexdecim Prophetarum volumina, quatuor & ſeptuaginta libris editis, commentatus eſt. Inter has itaque numeroſas operis ſui paginas, centum & trigintaquinque virorum illuſtrium Eccleſiaſticorum ſcriptorum nomina, à paſſione Chriſti vſque ad quartumdecimum Theodoſij Imperatoris annum ordine digeſſit. Item contra Iouinianum libros duos. Apologeticum ad Pammachium. In Matthæum commentariorũ libros quatuor. Enchiridion in Pſalterium. Aduerſus Vigilantium contraque Pelagium luculentiſſima volumina edidit. De manſionibus quoque filiorum Iſraël, & alia quamplurima ad ædificationem Eccleſię Catholicâ pietate compoſuit. Tantâ denique laſſitudine fatigatus eſt, vt etiam in ſtratu ſuo iacens, funiculo trabe ſuſpenſo ſupinus apprehenſo, erigeretur, vt ſcilicet officium monaſterij prout poterat, exhiberet. Tandem poſt perfectam placitamque Deo conuerſationem, nonageſimooctauo ætatis anno, apud Bethleem oppidum in pace quieuit, pridie Kalendas Octobris, duodecimo Honorij Imperatoris anno. Libros ſuos per quinquaginta & ſex annos confecit.

LITA-

# LITANIÆ INDICENDÆ.

# MENSIS OCTOBER

## habet dies XXXI. Luna verò XXX.

1. Octob. A. KALENDIS OCTOBRIS.

APVD Autiſiodorum, natalis ſancti Germani Epiſcopi, qui multis virtutibus, doctrinâ, & continentiâ clarus extitit. Qui ad confirmandam fidem gratiæ cæleſtis, Britannias venire, iudicio omnium Gallicanorũ Antiſtitum compulſus eſt, adiuncto ſibi beato Lupo Trecaſſinæ ciuitatis Epiſcopo. Siquidem hæreſis Pelagiana fidem Britannorum fœdâ peſte commaculauerat. Dum per medium ſinum, quo à Gallico Britannias vſque tenditur, ſecundis flatibus ferretur, ſubitò inimica vis ventorum concitauit procellas, cælum diemque nox nubium ſubduxit, & caſu ipſe Pontifex fractus corpore, laſſitudine ac ſopore reſolutus, naue iacebat. Tum beatus Lupus omneſque turbati, excitant ſeniorem. Qui confeſtim Chriſtum inuocat, & aſſumptum in nomine ſanctæ Trinitatis oleum miſit in mare, fluctuſque ſæuientes opprimit, ac tranquillam ſerenitatem reddit. Decurſis verò ſpatiis pelagi, optati littoris Sacerdotes Dei quiete potiuntur, ac mox Britannorum inſulam, opinione, prædicatione, virtutibuſque impleuerunt, ita vt paſſim & fideles Catholici firmarentur, & deprauati viam correctionis agnoſcerent. Intereà quidam tribunitiæ poteſtatis filiam decem annorũ cæcam Sacerdotibus curandam offert. Nec mora, beatus Germanus inuocato Domino, adhærentem lateri ſuo capſulam cum Sanctorum reliquiis collo auulſam manibus comprehendit, eamque in conſpectu omnium puellæ oculis applicuit, quæ ſtatim lumen recepit. Beatus prætereà vir dum aliquamdiu vno loco infirmitatis neceſſitate teneretur in vicinâ quâ manebat caſulâ exarſit incendium: ſed hoſpitium ſancti viri expaueſcens flamma, haudquaquam auſa tangere tranſiliuit, & inter globos flammantis incendij incolume tabernaculum, quod habitator incluſus ſeruabat, emicuit. Et cùm idem ipſe nihil remedij debilitati ſuæ pateretur adhiberi, quadam nocte candentem niueis veſtibus vidit ſibi adeſſe perſonam: quæ manu extenſâ, iacentem videbatur attollere, eumque conſiſtere firmis veſtigiis imperabat. Poſt horam itaque fugatis doloribus recepit priſtinam ſanitatem, vt die reddito itineris laborem ſubiret intrepidus. Sed & bellum Saxonum, Pictorumque aduerſus Britones eo tempore iunctis viribus ſuſceptum, diuinâ virtute retunditur, cùm Germanus ipſe dux belli factus, non tubæ clangore, ſed clamore Alleluia, totius exercitus voce ad ſidera leuatâ, hoſtem immanem in fugam conuertit. Compoſitâ verò inſulâ, reditum moliuntur Pontifices, fitque vt tranquillâ nauigatione ſuorum deſideriis felix carina eos reſtitueret; nec multo interpoſito tempore, nuntiatur ex eâdem inſula, Pelagianam peruerſitatem iteratò paucis auctoribus dilatari. Ruſuſque ad beatiſſimum virum preces Sacerdotum omnium deferuntur, vt cauſam Dei, quod priùs obtinuerat, tutaretur. Quorum petitioni feſtinus obtemperat. Namque adiuncto ſibi Seuero, totius ſanctitatis viro, (qui erat diſcipulus beatiſſimi patris Lupi Trecaſenorum Epiſcopi, & tunc Treuiris ordinatus Epiſcopus, gentibus primæ Germaniæ verbum prædicabat) mare conſcendit, & conſentientibus elemen-

clementis, tranquillo nauigio Britannias petit: expulſiſque prauitatis auctoribus, compoſitiſque omnibus, beati Sacerdotes eâ quâ venerant proſperitate redierunt. Porrò Germanus poſt hæc ad Rauennam pro pace Armoricanæ gentis ſupplicaturus aduenit, ibique à Valentiniano & Placidâ matre ipſius ſummâ reuerentiâ ſuſceptus, poſt aliquot dies migrauit ad Chriſtum. Cuius corpus honorifico agmine, comitantibus virtutum operibus, ſuam defertur ad vrbem.

Tomis ciuitate, ſanctorum Priſci, Creſcentij, & Euagrij.

Rhemis ciuitate, ſancti Remigij Epiſcopi & confeſſoris, viri præclariſſimæ virtutis & ſanctitatis. Hic gentem Francorum, idolorum culturis deditam, conuertit ad Chriſtum, Rege ipſorum ſacro fonte Baptiſmatis & ſacramentis fidei priùs initiato. Septuaginta & eo ampliùs in Epiſcopatu annos expleuit. Hic inter cetera facta, puellam à morte corporis ſuſcitauit.

### B. VI. NONAS OCTOBRIS. 2. Oct.

APud Nicomediam, natalis ſancti Eleutherij martyris, ſub Diocletiano. Cuius tempore contigit aliquam partem palatij incendio conflagrari. Hoc Imperator à Chriſtianis factum falſâ ſuſpicione præſumpſit. Ex quo inæſtimabili furore ſuccenſus, iubet omnes Chriſtianos aceruatim collectos, alios quidem gladio obtruncari, alios ignibus conflagrari. Horum primus, & qui omnes hortaretur pro Chriſto fortiter animas ponere, erat Eleutherius. Denique cùm aſſiſtentes miniſtri rogarent ſingulos, ſi fortè ſacrificaturi vellent dimitti, tam viri quàm mulieres, ne interrogari ſe quidem patiebantur, ſed vltrò vel flammis irruere, vel cædentibus gladijs certatim obiectare ceruices. Cumque iam illis ipſis ſpectatoribus nimietas crudelitatis horreſceret, miniſtri ſcelerum partem populi nauiculis iniectam, in medium pelagus abducunt, ibique in ſententiâ fidei perſiſtentes, præcipitant in profundum. In tantum verò rabies crudelitatis apud eos exarſit, vt regios pueros Martyres effectos, cùm ſecundùm humanitatis ordinem fuiſſent ſepulturæ mandari, effoderent denuò, & corpora eorùm proijcerent in mare, dicentes: Ne fortè efficiantur dij Chriſtianorum. Verùm beatus Eleutherius, immaniſſimis tormentis diu excruciatus, cùm ipſe per ſingula tormenta validior redderetur, martyrium victoriæ ſuæ, ignibus velut aurum examinatus compleuit. Cuius reliquias furtim Chriſtiani auferentes, Nicomediæ ſepulturâ venerabili repoſuerunt.

*Euſeb. l. 8. cap. 5. & 6.*

In Atrebatis, villâ Siricinio, paſſio ſancti Leodegarij Auguſtodunenſis Epiſcopi, quem varijs iniurijs & diuerſis ſupplicijs pro veritate afflictum, Ebroinus Maior domus regiæ interfecit. Cuius ſacrum corpus in diœceſi Pictauorum tranſlatum, in monaſterio beati Maxentij honorificè eſt humatum.

### C. V. NONAS OCTOBRIS. 3. Oct.

NATALIS ſancti Dionyſij Areopagitæ, qui ab Apoſtolo Paulo inſtructus credidit Chriſto, & primus apud Athenas ab eodem Apoſtolo Epiſcopus eſt ordinatus, & ſub Adriano principe, poſt clariſſimam confeſſionem fidei, poſt grauiſſima tormentorum genera, glorioſo martyrio coronatur: vt Ariſtides Athenienſis, vir fide ſapientiaque mirabilis, teſtis eſt in eo opere quod de Chriſtianâ religione compoſuit. Hoc opus apud Athenienſes ſummo genere colitur, & inter antiquorum monumenta clariſſimum tenetur, vt peritiores Græcorum affirmant.

*Act. 17. Vide lib. de feſt. Apoſt.*

Apud antiquos Saxones, natalis ſanctorum Evvaldorum duorum presbyterorum, qui cum ſancto VVillibrordo Epiſcopo venientes in Germaniam, tranſierunt ad Saxones, & cùm prædicare ibi Chriſtum cœpiſſent, comprehenſi à paganis occiſi ſunt. Ad quorum corpora noctu multa diu lux apparens, & vbi eſſent, & cuius eſſent meriti, declarauit.

*Beda lib. 5. hiſt. Angl. cap 11.*

4 *Oct.* G. IIII. NONAS OCTOBRIS.

*Vide lib. de feſt. Apoſt.* APVD Corinthum, natalis ſanctorum Criſpi & Caij, quorum meminit B. Apoſtolus Paulus Corinthijs ſcribens.

*Euſeb. l. 8. c. 8. & 9.* Apud Ægyptum, natalis ſanctorum martyrum Marci & Marciani fratrum, & cum eis innumerabilium aliorum, non inferioris gloriæ, tam virorum quàm feminarum. Sed & pueri & ſenes, pro fide Domini noſtri Ieſu Chriſti, præſentem vitam paruipendentes, futuræ gloriæ beatitudinem quæſiere. Quidam ex ipſis poſt verbera, poſt vngulas, poſt flagella, alioſque diuerſi generis horribiles cruciatus, flammis traditi ſunt, alij in mare præcipitati, nonnulli inediâ conſumpti, nonnulli etiam capite cæſi, ita vt ſponte ceruices ſuas ſecuribus darent; alij patibulis affixi, ex quibus nonnulli more peruerſo capite deorſum preſſo, ac pedibus in ſublime ſublatis, paſſionis beatiſſimam coronam promeruerunt.

5. *Oct.* E. III. NONAS OCTOBRIS.

APVD Siciliam, natalis ſanctorum Placidi, Eutychij, & aliorum triginta.

In Gallijs, ciuitate Valentiâ, ſancti Apollinaris Epiſcopi: cuius & vita virtutibus inſignis fuit, & mors nihilominùs ſignis ac prodigijs decoratur.

*Euſeb. li. 5. c. 24. Ruff.* Apud Eumeniam, beati Thraſeæ Epiſcopi apud Smyrnam martyrio conſummati: qui vnus ex antiquis, quaſi ex traditione priorum ſe accepiſſe aſſeruit, Saluatorem præcepiſſe Apoſtolis ſuis, vt ante duodecimum annum ab Ieroſolymis ne diſcederent.

6. *Oct.* F. PRIDIE NONAS OCTOBRIS.

APVD Capuam, natalis ſanctorum Marcelli, Caſti, Æmilij, & Saturnini.

In Gallijs, ciuitate Agenno, natalis ſanctæ Fidis virginis & martyris, cuius exemplo beatus Capraſius ad agonem martyrij animatus eſt.

*Euſeb. li. 5. c. 24. Ruff.* Eodem die, beati Sagaris martyris, & Epiſcopi Laodicenſis, qui vnus fuit de antiquis S. Pauli Apoſtoli diſcipulis.

7. *Oct.* G. NONAS OCTOBRIS.

*Pontific. cap. 35.* ROMAE, viâ Appiâ, natalis ſancti Marci Papæ & confeſſoris, qui ſedit in Epiſcopatu annos duos, menſes nouem, dies viginti. Sepultus in cœmeterio Balbinæ, viâ Ardeatinâ, quod ipſe inſiſtens fecit.

Eodem die natale ſanctorum martyrum Iuliæ, Sergij & Bacchi, ſub Maximiano Imperatore. Cuius honoribus ſublimati, in palatio eius clari habebantur. Nam Sergius erat Primicerius, Bacchus verò Secundicerius ſcholæ gentilium. A quibuſdam ergo apud Imperatorem accuſati, quòd eſſent Chriſtiani, vocati ſunt ab Imperatore, vt ſacrificantes Ioui, de ſacrificijs oblatis cum eo deguſtarent. Ingreſſus Imperator templum, guſtauit de ſacrificijs, & circumſpiciens non vidit Sergium & Bacchum: neque enim ingreſſi fuerant templum. Mittens igitur milites de adſtantibus ſibi Imperator, iuſſit eos introduci. Quibus & dixit: Vt video, facti eſtis deorum inimici. Accedite ad aram Iouis magni, & ſacrificate, ac de ſacrificijs eius ſicut & ceteri manducate. Reſponderunt beati Sergius & Bacchus: Habemus Regem verum æternum in cælis, Ieſum Chriſtum filium Dei. Huic per ſingulos dies offerimus ſanctum viuumque ſacrificium, atque rationabilem culturam: lapides autem & ligna non adoramus. Imperator tunc indignatus, iuſſit exutos chlamyde indui eos muliebri colobio, & per mediam ciuitatem ad palatium, pertrahi, catenis in ceruicibus poſitis. Et cùm perueniſſent ad palatium, dixit eis Imperator: Sceleratiſſimi, ſcitis, quia quem colitis Chriſtum, fabri filius fuit, & antequam nuptiæ legitimæ fierent, de adulterio facto mater eum procreauit? Cui milites Chriſti reſponderunt: Erras Imperator. nam quem colimus, Deus verus eſt, & vita æterna, qui fecit cælum & terram & quæ in eis ſunt. Ampliùs igitur veris proſecutionibus eorum iratus Maximianus, iuſſit

iuſſit eos Antiocho duci tradi, vt conſtringeret eos in cippo. Et facto manè ſedit in prætorio. Et adducti ſunt ante illum Sergius & Bacchus. Et cùm nec blanditijs, nec minis eos à propoſito incuruare poſſet, beatum quidem Sergium iterùm iuſſit in cuſtodiâ recipi: Bacchum verò extenſum, neruis crudis tam diu cædi, quouſque cædentes laſſi deficerent. Et viciſſim ſuccedentibus ſibi cæſoribus, Martyr glorioſus in confeſſione Chriſti totus corpore diſciſſus emiſit ſpiritum, & relicto corpore auibus & feris, abijt Antiochus. At Chriſtiani furtim venientes tulerunt corpus Martyris, & in ſpeluncâ quadam ſepelierunt. Sequenti verò die beatus Sergius eductus de cuſtodiâ, præſentatur Antiocho: qui cùm verbis eum flectere non poſſet, primo cothurnos confixos clauis veſtiri eum fecit, & nouem milibus ante ſe currere. Poſtmodum in ſententiâ fixum manere videns, decollari iuſſit, quem tunc Chriſtiani in eodem loco ſepelierunt. Paruo autem tempore interpoſito, beatum quoque Bacchum à loco quo tumulatus fuerat eleuantes, honorabili Martyribus loco, iuxta ſanctum Sergium compoſuerunt. Vbi & virgo Iulia, quæ ſub Martiano præſide martyrium conſummauit, ſociata Martyribus ſepulta quieſcit.

Eodem die, ſanctorum martyrum Marcelli & Apuleij, qui quidem primò adhæſerunt Simoni mago: ſed videntes mirabilia quæ Dominus operabatur per Apoſtolum ſuum Petrum, relicto Simone, doctrinæ Apoſtolicæ ſe tradiderunt. Et poſt martyrium Apoſtolorum confeſſione Chriſti & ipſi decorati, Aureliano conſulari viro ſententiam ferente, martyrij coronam reportarunt. Sepulti non longè ab vrbe Româ.

A. VIII. IDVS OCTOBRIS. *8. Oct.*

APVD Cretam, vrbe Gortinæ, beati Philippi Epiſcopi, magnis virtutibus & optimis ſtudijs prædici viri. *De hoc ſup. 11. April. Hieron. de ſcript. Eccl. cap 30.*

Theſſalonicæ, ſancti Demetrij martyris.

Et beatiſſimi ſenis Simeonis. *Vide lib. de Feſt. Apoſt.*

B. VII. IDVS OCTOBRIS. *9. Oct.*

ABRAHAE Patriarchæ.

Apud Pariſium, natalis ſanctorum martyrum Dionyſij Epiſcopi, Eleutherij presbyteri, & Ruſtici diaconi: qui beatus Epiſcopus à Pontifice Romano ad Gallias directus, vt prædicationis operam populis à fide Chriſti alienis exhiberet, tandem Pariſiorum ciuitatem deuenit, & per aliquot annos ſanctum opus fideliter & ardenter executus, à præfecto Feſcennino Siſinnio comprehenſus, & cum eo ſanctus presbyter Eleutherius & Ruſticus diaconus, gladio animaduerſi, martyrium compleuerunt. *Greg. Turon. lib. 1. hiſt. Franc. cap 30.*

C. VI. IDVS OCTOBRIS. *10. Oct.*

APVD Coloniam Agrippinam, natale ſanctorum martyrum Gereonis, & aliorum trecentorum octodecim, quos ferunt Thebæos fuiſſe, & cum legione illâ beati Mauritij, inde iuſſu Maximiani Imperatoris in Gallias tranſitum feciſſe, atque circa Rheni litora conſediſſe, & funeſtum tyranni imperium reſpuendo, pro verâ pietate colla patienter gladijs ſubdidiſſe.

Loth Prophetæ.

Apud Cretam, beati Pinyti, inter Epiſcopos nobiliſſimi, qui in ſcriptis ſuis velut in quodam ſpeculo viuentem ſui reliquit imaginem. *Hieron. de ſcript. Eccl. cap. 28.*

Item apud Agrippinenſem vrbem, natalis ſanctorum martyrum Malloſi & Victoris: quorum prior cùm longo tempore, vbinam ſepultus fuerit, lateret, ſancto Epiſcopo eiuſdem loci ex diuinâ reuelatione manifeſtatus eſt. Cumque corpus eius ex loco abdito leuaretur, tanta odoris ſuauitas emanauit, vt adſtantes Fideles, velut immenſi aromatis fragrantiâ replerentur.

*Beda hiſt. Angl. l. 2. c. 9. 14. 16. 17. 20. & lib. 3. c. 14.* In Britanniâ, ſancti Paulini Epiſcopi Eboraci, qui ordinatus Epiſcopus à beato Iuſto, qui à ſancto Auguſtino, quem beatus Gregorius ad prædicandum Anglorum genti direxerat, conſecratus Epiſcopus fuerat, gentem Nordanhumbrorum, hoc eſt eam nationem Anglorum, quæ ad Aquilonem Vmbri fluminis habitabat, cum Rege ſuo Eduino, verbum fidei prædicando conuertit. Et clarus vitâ, doctrinâ, & miraculis, V I. Idus Octobris in pace quieuit.

*11. Oct.* D. V. IDVS OCTOBRIS.

APVD Tarſum metropolim Ciliciæ, natale beatiſſimorum martyrum Thataci, Probi, & Andronici: qui perſecutione Diocletiani ſub Maximo præſide, longo tempore carcerali ſqualore afflicti, & tertiò diuerſis tormentis & ſupplicijs examinati, in confeſſione fidei triumphum gloriæ adepti ſunt. Nam neruis crudis grauiter cæſi, & teſtis aſperrimis defricati, etiam papyro ardenti circa ventrem & latera aduſti, poſt maxillarum confractionem, poſt tormenta tibiarum, poſt aceti & ſinapis naribus infuſionem, poſt obeliſcos ignitos, poſt confixionem digitorum clauis acutiſſimis, poſt oculorum tranſpunctionem, ac linguæ abſciſſionem, nouiſſimè in amphitheatro vrſis & leonibus proiecti ſunt. Sed cùm nulla ex beſtijs Sanctorum corpora auderet attingere, Maximus irâ accenſus, iuſſit eos gladio iugulari, & corpora eorum inter corpora gladiatorum proijci. Noctu autem venientes fideles, & deprecantes Dominum, vt eis oſtenderet Sanctorum reliquias, viderunt ſubitò velut ſtellam ſplendidam de cælo miſſam ſuper ſingula Sanctorum corpora reſidentem. Sicque cum ingenti gaudio rapientes ea, præcedente ſe eiuſdem ſtellæ ſplendore, glorioſos Chriſti athletas loco aptiſſimo condiderunt.

*12. Oct.* E. IIII. IDVS OCTOBRIS.

APVD Rauennam viâ Laurentinâ, natalis ſancti Ediſtij.

*Vict. Afric. lib. 2.* Apud Africam, ſanctorum Confeſſorum & Martyrum, quatuor millium nongentorum ſeptuaginta ſex, qui perſecutione VVandalicâ, apud Africam, cùm eſſent Eccleſiarum Dei Epiſcopi, Presbyteri, & Diacones, aſſociatis ſibi turbis fidelium populorum, iuſſu Hunnerici Regis Ariani, pro defenſione Catholicę veritatis, in horribilis eremi exilium truſi, & inter Mauros ferociſſimos deputati ſunt: inter quos erant Cyprianus & Felix præcipui Domini ſacerdotes. E quibus plurimi cùm crudeliter minarentur, & haſtilium cuſpidibus ad currendum ac lapidibus tunderentur, ſiue ligatis pedibus, velut cadauera, per dura & aſpera loca traherentur, tam diro ſupplicio per ſingula membra diſcerpti, dum per gladios acutos petrarum huic caput conterebatur, alijs latera findebantur, inter manus trahentium ſpiritum exhalabant. Extat per totum aggerem publicum, tumulis loquentibus, vilis ſepultura Sanctorum.

*13. Oct.* F. III. IDVS OCTOBRIS.

NATALIS beati Carpi, diſcipuli Apoſtoli Pauli, apud Troadam.

*Hieron. de ſcript. Eccl. cap. 21.* Apud Antiochiam, beati Theophili, qui ſextus ab Apoſtolis Eccleſiæ pontificatum tenuit, viri eruditiſſimi.

*14. Oct.* G. PRIDIE IDVS OCTOBRIS.

** Eſt Calliſtus I. Pontif. c. 17.* NATALIS S. * Calliſti Papæ, qui ſedit in Epiſcopatu annos ſeptem, menſes duos, dies decem, & ſub perſecutione Alexandri Imperatoris martyrij gloriam adeptus eſt. Poſtquam enim Palmachium proconſulem cum omni domo ſuâ baptizauit, & ſenatorem Simplicium ac domum eius, & Felicem cum vxore Blandâ, quã à paralyſi curauit; & ijdẽ ipſi ab Alexandro vniuerſi occiſi, gloriam martyrij conſecuti ſunt: ſed & poſtquam Calepodius presbyter eius gladio martyrium ſumpſit, tentus eſt ab Alexandro, & diutiſſimè fame cruciatus, & quotidie fuſtibus cæſus; atque prohibitum fuit, ne quis ad eum veniret. Si verò aliquis

venire

venire noctu auderet, comprehenſus occideretur. Qui cùm multis diebus eſſet in cuſtodiâ, venit ad eum beatus Calipodius per viſum, & conſolabatur eum, dicens: Firmus eſto Pater, quia corona tua iam perfecta eſt. Erat ibi miles quidam nomine Priuatus, vlceribus plenus, qui doloribus continuis cruciabatur. Hic miſit ſe ad pedes S. Calliſti, rogans vt ſanaret eum ab vlceribus & doloribus ſuis: quem mox ſanctus Pontifex ab vlcerum dolore ac fœditate, ſimul & ab infidelitate in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis baptizatũ curauit. Quod audiens Alexander, ipſum quidem militem fecit plumbatis deficere: beatum verò Calliſtum per feneſtram domus præcipitari, & ligato ad collum eius ſaxo in puteum demergi, & in eum per rudera cumulari. Poſt dies verò decem & ſeptem presbyter eius Aſterius cum clericis noctu veniens, leuauit corpus eius, & ſepeliuit in cœmeterio Calepodij viâ Aureliâ pridie Idus Octobris.

Eodem die, tranſitus ſancti Iuſti in eremo: qui cùm aliquot annis in eremo Angelicam egiſſet vitam, & dignus adeſſet finis, tantis laboribus regnum ſpondens cælorum; atque illis iam extremis ſanctæ commigrantis animæ, flens & conſternatus mente Viator adſtaret, dicens: Cui me Domine derelinquis? reſpondiſſe dicitur, ne conturbaretur quaſi deſtitutus ſolatio, quia breui ſe illò quoque ipſe ſequeretur. Quam vtique prophetiam ac reuelationem cito tranſitu ſanctiſſimi iuuenis miniſtri eius, qui ſolus ardore fidei eum Epiſcopatum fugientem & latere cupientem ſecutus fuerat, conſtat fuiſſe completam.

A. IDIBVS OCTOBRIS. 15. Oct.

IN Gallijs, apud Coloniam Agrippinam, ſanctorum Maurorum de militibus ſancti Gereonis. Qui ex legione ſacrâ Thebæorum, cùm eſſent numero quinquaginta, apud eamdem vrbem martyrium conſummantes, conditi ſunt in baſilicâ, quæ admirabili opere exmuſiuo quodammodò deaurata reſplendet: vnde & incolæ SANCTOS AVREOS eos vocitare conſueuerunt. Greg. Turon. de glor. MM. c. 62.

Eodem die apud Lugdunum, natale beati Antiochi Epiſcopi, qui cùm adhuc presbyter Lugdunenſis eſſet, pio incitatus officio, vſque ad viſendum Epiſcopum ſuum, qui in eremo iam morabatur, nomine & actione verè Iuſtus, pergere animo intendit. Vir diſtrictione præcipuus, & qui non immeritò, tempore interiecto, ad eiuſdem Pontificij culmen aſſumptus eſt. Quo ſtrenuè adminiſtrato, regnum cæleſte adeptus eſt. Sepultus in eccleſiâ martyrum Machabæorum, in quâ & ſanctus Iuſtus tumulatus quieſcit.

B. XVII. KALENDAS NOVEMBRIS. 16. Oct.

IN Africâ, natale ſanctorum Martyrum CCLXX. pariter coronatorum, & ſanctorum martyrum Martiani & Satyriani, cum duobus fratribus eorum, & egregiæ Chriſti ancillæ Maximæ virginis. Qui tempore VVandalicæ perſecutionis, ſub Geiſerico Rege Ariano, pro conſtantiâ fidei Catholicæ primùm nodoſis fuſtibus cæſi, & vſque ad oſſa laniati, cùm multo tempore talia paterentur, ſequenti die ſemper incolumes reddebantur. Pòſt etiam durâ carceris cuſtodiâ damnati, cùm fuiſſent arctati in neruum, mirâ Dei virtute ingentium lignorum putreſcens ſoluta eſt fortitudo. Ad quod miraculum Maxima Chriſti famula ſuę libertati dimiſſa, Mater poſtmodum multarum virginum Dei effecta, in veritatis confeſſione glorioſa conſenuit. Reliqui inter ferociſſimos Mauros exilio relegati, cùm prædicatione ſuâ multitudinem barbarorum Chriſto Domino lucrati fuiſſent, iuſſu impij Geiſerici, ligatis pedibus poſt terga currentium quadrigarum, inter ſpinoſa loca ſiluarum pariter iuſſi ſunt interire. Cumque ducta atque reducta dumoſis lignorum aculeis innocentium corpora carperentur, vicinò currentibus indomitis equis, vale ſibi inuicem his verbis dicebant: Frater ora pro me: impleuit Deus deſiderium noſtrum. Taliter peruenitur ad Vict. Afric. lib. 1.

regnum cælorum. Sicque orando & pſallendo, gaudentibus Angelis, pias animas emiſere. Vbi vſque in hodiernum diem non deſinit ingentia mirabilia Ieſus Chriſtus Dominus operari.

17. Oct. C. XVI. KALENDAS NOVEMBRIS.

MARTHAE ſororis Lazari.

Item beati Ariſtionis, qui fuit vnus de LXX. Chriſti diſcipulis.

*Euſeb. l. 3. cap. 30. Ignat. epiſt. 10.* Item beati Heronis, de quo beatiſſimo Ignatio pergenti ad paſſionem reuelatum eſt, quòd Antiochenam poſt eum recturus eſſet Eccleſiam. Erat enim hic beati martyris Ignatij tunc diaconus: Epiſcopus factus, viam magiſtri pius imitator ſequitur, & pro commendato grege amator Chriſti occubuit.

In Gallijs, ciuitate Arauſicâ, ſancti Florentij Epiſcopi, qui multis clarus virtutibus in pace quieuit.

18. Oct. D. XV. KALENDAS NOVEMBRIS.

*Vide lib de feſt. Apoſt. Euſeb. l. 6. cap. 9.* NATALIS ſancti Lucæ Euangeliſtæ.

Eodem die, ſancti Aſclepiadis Antiocheni Epiſcopi, qui vnus fuit ex præclaro Confeſſorum numero, qui ſub Decio glorioſè paſſi ſunt.

*De eâ in Actis ſancti Laurentij. 10. Aug.* Item Romæ, ſanctæ Tryphoniæ vxoris Decij Cæſaris. Quæ viro ſuo poſt interfectionem beatorum Sixti & Laurentij diuinitus punito, petijt baptizari cum filiâ Decij Cyrillâ, à Iuſtino presbytero: & aliâ die defuncta eſt, ac iuxta ſanctum Hippolytum in Cryptâ ſepulta, quintodecimo Kalendas Nouembris.

19. Oct. E. XIIII. KALENDAS NOVEMBRIS.

APVD Antiochiam Syriæ, natalis ſanctorum Beronici, Pelagiæ, & aliorum quadraginta nouem.

*Euſeb. l. 4. cap 16. Ruff. 17.* Item ipſâ die, beati Ptolomæi, ſed & beati Lucij martyrum. Qui beatus Ptolomæus, comprehenſus à quodam Centurione, interrogatur ſi Chriſtianus eſſet. Hoc Ptolomæus tamquam amator veritatis, nequaquam gloriam ſuæ profeſſionis occultans, percontanti Chriſtianum ſe eſſe confeſſus eſt. Hunc cõtinuò Centurio in vincula coniecit, & multo tempore ſqualore carceris maceratum, ad vltimum Vrbicio iudici obtulit. A quo ſimili modo hoc ſolùm interrogatus eſt ſi eſſet Chriſtianus: qui rurſum tanti boni ſibi conſcius, diuinam religionem præ ſe tulit, & de Chriſti magiſterio ac totius boni inſtitutionibus publicâ confeſſione teſtatus eſt. Qui enim negat quod eſt, ſine dubio culpabile iudicat eſſe quod negat. Continuò ergo poſt confeſſionem ab Vrbicio duci iubetur. Lucius autem quidam Chriſtianus vir, videns tam temerè latam ſententiam, ait ad Vrbicium: Quid quæſo cauſæ eſt, quòd neque adulterum, neque corruptorem, aut homicidam, vel latronem, raptorémve, aut alterius cuiuſlibet facinoris reum, ſed tantùm pro nomine Chriſtiano, quòd hoc ſe vocabulo confeſſus eſt nuncupari, ad mortem hominem duci præcepiſti? Non ſunt hæc digna pio Imperatore, nec ſapientiſſimo puero filio eius, neque ſacro Senatu, quæ agis Vrbici. At ille nihil aliud inquirens, ait ad Lucium: Videris mihi & tu Chriſtianus eſſe. Cumque Lucius reſpondiſſet, Hoc planè ſum; etiam ipſum duci iuſſit ad mortem. Ille, Gratias, inquit, ago, quòd me nequiſſimis dominis abſolutum, ad bonum & optimum Patrem, & Regem omnium Dominum remittis. Sed & Tertius quidam, pari modo libertate vſus, pari quoque ſententiâ punitus eſt. Paſſi ſunt autem ſub Antonino, cognomento Pio, & filio eius, hi beati Martyres, & ſepulti apud Alexandriam metropolim Ægypti.

20. Oct. F. XIII. KALENDAS NOVEMBRIS.

IN Gallijs, ciuitate Agenno, ſancti Capraſij martyris. Qui cùm rabiem perſecutionis declinans lateret in ſpeluncâ, audiens beatam Fidem virginem pro Chriſto fortiter agonizare, animatus ad tolerantiam paſſionum, orauit ad Dominum,

minum, vt ſi pro certo eum dignum gloriâ martyrij iudicaret, ex lapide ſpeluncæ illius aqua limpidiſſima emanaret. Quod cùm Dominus continuò præſtitiſſet, ille ſecurus ad aream certaminis properauit, & palmam martyrij fortiter dimicando promeruit.

G. XII. KALENDAS NOVEMBRIS. 21. Oct.

APVD Nicomediam, natalis ſanctorum martyrum Daſij, Zotici, Caij, cum duodecim militibus.

Eodem die, ſancti patris noſtri Hilarionis, cuius vitam Hieronymus virtutibus plenam ſcribit. *Hieron. tom. 1.* Hic ortus vico Thabatâ, qui circiter quinque millia à Gazâ vrbe Palæſtinæ ad Auſtrum ſitus eſt, cùm patentes haberet idolis deditos, roſa, vt dicitur, de ſpinis floruit. A quibus miſſus Alexandriam, Grammatico traditus eſt, ibiq́ue quantum illa patiebatur ætas, magna ingenij & morum documenta præbuit. Breui, charus omnibus, & loquendi arte gnarus: quodq́ue his maius eſt omnibus, credens in Domino Ieſu: tota illi voluntas in Eccleſiæ congregationibus erat. Audiens autem celebre nomen Antonij, quod per omnes Ægypti populos ferebatur, incenſus viſendi eum ſtudio, perrexit ad eremum: & ſtatim vt eum vidit, mutato priſtino habitu, duobus menſibus iuxta eum manſit, contemplans ordinem vitæ eius, morumq́ue grauitatem; quàm creber in oratione, quàm humilis in ſuſcipiendis fratribus, ſeuerus in corripiendis, alacer in exhortandis eſſet, & vt continentiam cibiq́ue eius aſperitatem nulla vmquam infirmitas frangeret. Reuerſus autem cum quibuſdam monachis ad patriam, parentibus iam defunctis, partem ſubſtantiæ fratribus, partem pauperibus largitus eſt, nihil ſibi omnino ſeruans. Erat autem tunc annorum XV. Sic nudus & armatus in Chriſto, ſolitudinem ingreſſus eſt, ſacco tantùm coopertus, & pelliceum habens ependyten, & ſenatum quem illi beatus Antonius proficiſcenti dederat, ſagumq́ue ruſticum: quindecim tantùm caricas poſt ſolis occaſum comedens. Igitur à ſextodecimo vſque ad vigeſimum ætatis ſuæ annum, æſtus & pluuias, breui tugutiunculo declinauit, quod iunco & carice texerat. Structâ deinceps breui cellulâ, quæ vſque hodie permanet, latitudine pedum quatuor, altitudine pedum quinque, hoc eſt, ſtaturâ ſuâ humiliore: porrò longitudine paulò ampliore quàm eius corpuſculum patiebatur, vt ſepulchrum potiùs quàm domum crederes. Capillos ſemel in anno Paſchæ die totondit. Super nudam humum in ſtratu iunceo vſque ad mortem cubitauit. Saccum quem ſemel fuerat indutus, numquam lauans; nec mutauit alteram tunicam, niſi cùm prior penitùs ſciſſa eſſet. Scripturam quoque ſanctam memoriter tenens, poſt orationes & pſalmos quaſi Deo præſente recitabat. A vigeſimoprimo anno vſque ad vigeſimum ſextum, tribus annis dimidium lentis ſextarium madefactum aquâ frigidâ comedit; alijs tribus, panem aridum cum ſale & aquâ. Porrò à vigeſimo ſeptimo vſque ad triceſimum, herbis agreſtibus & virgultorum quorumdam radicibus crudis ſuſtentatus eſt. A triceſimo autem primo vſque ad triceſimum quintum, ſex vncias hordeacei panis, & coctum modicum olus abſque oleo in cibo habuit. Sentiens autem caligare oculos, & totum corpus impetigine & pumiceâ quadam ſcabredine contrahi, ad ſuperiorem victum adiecit oleum, & vſque ad ſexageſimum tertium vitæ ſuæ annum, hoc continentiæ cucurrit gradu, nihil extrinſecus aut pomorum, aut leguminis, aut cuiuſlibet rei guſtans. Hinc cùm ſe videret corpore defatigatum, & propinquam putaret imminere mortem, à ſexageſimoquarto anno vſque ad octogeſimum pane abſtinuit, incredibili mentis feruore, vt eo tempore quaſi nouus accederet ad ſeruitutem Domini, quo ſolent ceteri remiſſiùs viuere. Fiebat autem ei de farinâ &

comminuto olere ſorbitiuncula, cibo & potu vix quinque vncias appendentibus. Sicque complens ordinem vitæ numquam ante ſolis occaſum, nec in diebus feſtis nec in grauiſſimâ valetudine ſoluit ieiunium. Igitur potentiſſimus in miraculis, & ſanctitate incomparabilis, octogeſimo ætatis ſuæ anno, (cùm abſens eſſet Heſychius, qui eum ſemper familiariſſimè colebat) quaſi in teſtamenti vicem, breuem manu propriâ ſcripſit epiſtolam, omnes diuitias ſuas ei derelinquens: Euangelium ſcilicet & tunicam ſaccinam, cucullum & palliolum. Itaque modicus calor tepebat in pectore, nec præter ſenſum quidquam viui hominis ſupererat, & tamen apertis oculis loquebatur: Egredere, quid times? Egredere anima, quid dubitas? Septuaginta propè annis ſeruiſti Chriſto, & mortem times? Inter hæc verba exhalauit ſpiritum: ſtatimque humo obrutus; quia ipſe ſic omnes, qui ad ægrotantem venerant, adiurauit, ne puncto quidem horæ poſt mortem reſeruaretur. Quod poſtquam Palæſtinæ ſanctus vir Heſychius audiuit, perrexit Cyprum, & cum ingenti vitæ ſuæ periculo, poſt decem fermè menſes, corpus eius furatus eſt. Quod Maiumam in Palæſtinâ deferens, totis monachorum & oppidorum turbis proſequentibus, in antiquo monaſterio condidit: illæſâ tunicâ, cucullo & pallio, & toto corpore quaſi adhuc viueret integro, tantiſque fragrante odoribus, vt delibutum vnguentis putares.

Eodem die, natalis ſancti Aſterij presbyteri Calliſti: qui cùm corpus eius leuatum de puteo ſepeliſſet, poſt dies ſex audiens hoc Imperator Alexander, præcepit eum per pontem præcipitari. Cuius corpus inuentum eſt, & à quibuſdam Chriſtianis in eâdem ciuitate ſepultum. Scriptum in paſſione ſancti Calliſti Papæ.

*14. Octob.* · ** De hoc in vitâ Iuſti 2. Septemb.*

Et ipſo die, tranſitus * S. Viatoris lectoris, in eremo comitis ſancti Iuſti.

*22. Oct.*

A. XI. KALENDAS NOVEMBRIS.

*Euſeb. l. 4. cap. 7.*

IEROSOLYMIS, natalis beati Marci, (qui primus Ieroſolymis ex gentibus, poſt Epiſcopos ex circumciſione, ſacerdotium ciuitatis illius accepit) clariſſimi & doctiſſimi viri, ac non multo pôſt martyrio conſummati.

*Matth. 15. 16.*

Item beatæ Salomæ, quæ in Euangelio legitur cum reliquis ſanctis feminis circa Domini ſepulturam ſolicita.

Apud Adrianopolim Thraciæ, natalis ſanctorum Philippi Epiſcopi, Euſebij, & Hermetis.

*23. Oct.*

B. X. KALENDAS NOVEMBRIS.

*Sozom. l. 5. cap. 7.*

APVD Antiochiam Syriæ, natale S. Theodoreti presbyteri: qui perſecutione Iuliani impij, ſub Præfecto & auunculo eius Iuliano, cùm ab eo Antiochenorum eccleſia ſpoliata, & religioſi quique fuiſſent eius terrore diſperſi, in eccleſiâ ſpoliatâ manſit intrepidus: atque ab eo teneri iuſſus, poſt equulei pœnam, ac multos ac duriſſimos cruciatus, etiam lampadibus circa latera appoſitis inflammatus eſt. Sed his diuinâ virtute reſtinctis, cùm milites, qui eas tenebant, Angelorum adſpectu territi ruiſſent in faciem, & credentes Chriſto, impium miniſterium recuſarent, iuſſit eos Iulianus pelago immergi. Quibus beatus Theodoretus ait: Præcedite fratres; ego vos ſuperans inimicum ſequar ad Dominum. Sicque in confeſſione perſiſtens, & prophetico ſpiritu repletus, Iuliano apoſtatæ, quem apud Perſidem diuinâ vltione incurrit, prædicens interitum, occiſione gladij martyrium conſummauit.

In Hiſpanijs, natalis ſanctorum Seruandi & Germani: qui poſt verbera, ſqualorem carceris, & ſitis ac famis iniuriam, & longiſſimi itineris laborem, quem, iubente Viatore præſide, ferro onuſti pertulerunt, nouiſſimè martyrij ſui curſum ferro cæſis ceruicibus impleuerunt. Ex quibus Germanus Emeritæ iuxta

B. Eula-

Digitized by Google

B. Eulaliam ſepultus; Seruandus verò Hiſpalim tranſlatus, circa ſanctas Iuſtam & Ruffinam conditus eſt.

C. IX. KALENDAS NOVEMBRIS. 24. Oct.

IN Venuſiâ, ciuitate Apuliæ, natalis ſanctorum Felicis Epiſcopi ciuitatis Tubzocenſis, & Audactis & Ianuarij presbyterorum, & Fortunatiani & Septimi lectorũ. Qui temporibus Diocletiani in ſuâ ciuitate tenti, à Magnelliano procuratore, inde multis diu vinculis & carceribus macerari, & in Africâ, & in Siciliâ, tandem in occiſione gladij conſummati ſunt. Sunt autem honorificè ſepulti inter Carthaginem & Vticam. Felix quinquaginta ſex annorum obijt virgo.

D. VIII. KALENDAS NOVEMBRIS. 25. Oct.

IN Gallijs, ciuitate Sueſſionenſi, natalis ſanctorum Criſpini & Criſpiniani, qui perſecutione Diocletiani & Maximiani, ad trochleas extenti, & fuſtibus cæſi, poſtquam digiti eorum ſubulis transfixi ſunt, & de dorſo eorum lora præciſa, ad vltimum gladio trucidati, coronam martyrij conſecuti ſunt.

Eodem die Petragoricas ciuitate, natalis ſancti Frontonis Epiſcopi, qui Romæ à beato Petro ordinatus, cum Georgio presbytero ad prædicandum Euangelium miſſus eſt. Cumque tertio die itineris idem Georgius eſſet mortuus, mœrens Fronto reuerſus eſt ad Apoſtolum, acceptoque eius baculo, & ſuper corpus defuncti poſito, ſocium de morte recepit. Sicque ad prædictam ciuitatem veniens, magnam gentis illius multitudinem ad Chriſtum conuertit, & multis miraculis clarus, in pace quieuit.

Ipſo die Romæ viâ Salariâ, natalis XLVI. Militum, qui ſimul baptizati à beato Dionyſio Papâ: & mox iubente Claudio Imperatore decollati ſunt. Quorum corpora noctu collegerunt beatus Iuſtinus presbyter & Ioannes, & ſepelierunt in cryptâ cum multitudine Chriſtianorum, in viâ Salariâ in Cliuum cucumeris, VIII. Kal. Nouembris, vbi poſiti ſunt & alij Martyres, centum viginti & vnus. Inter quos fuerunt quatuor milites Chriſti, Theodoſius, Lucius, Marcus, & Petrus. Hi videntes ad ſe venire armatos, rogabant vt primi decollarentur. Scriptum in paſſione ſanctorum martyrum Sixti, Laurentij, & Hippolyti. 10. Auguſt.

E. VII. KALENDAS NOVEMBRIS. 26. Oct.

APVD Africam, natalis ſanctorum martyrum, Rogatiani presbyteri, & Feliciſſimi, qui perſecutione Decij & Valeriani, illuſtri ſunt martyrio coronati. De quibus etiam ſcribit beatus Cyprianus in epiſtolâ ad Confeſſores, his verbis: *Vt ſequamini*, inquit, *in omnibus Rogatianum presbyterum glorioſum ſenem, viam vobis ad gloriam temporis noſtri religioſâ virtute & diuinâ dignatione facientem, qui cum Feliciſſimo fratre noſtro quieto ſemper & ſobrio excipiens ferocientis populi impetum, primum vobis hoſpitium in carcere præparauit, & metator quodammodò veſter nunc quoque vos antecedit.* Cyp. ep. 81.

Commemoratio agitur ipſâ die ſanctorum Epiſcoporum Vedaſti & Amandi, quorum vita & mors plurimis exiſtit miraculis glorioſa.

F. VI. KALENDAS NOVEMBRIS. 27. Oct.

IN Hiſpanijs, Abelâ ciuitate, natalis ſanctorum Vincentij, Sabinæ & Chriſtetes, qui primò adeò in equuleo ſunt extenti, vt omnes compages membrorum eorum laxarentur: deinde capita eorum lapidibus ſuppoſita, vſque ad excuſſionem cerebri validis vectibus ſunt contuſa: atque ita martyrium compleuerunt, agente præſide Daciano.

Eodem die apud Tyle caſtrum, natale ſancti Florentij martyris.

Romæ, Euariſti Papæ, qui ſedit in Epiſcopatu annos nouem, & ſub Traiano martyrio coronatus, ſepultus eſt in Vaticano. Euſeb. l. 3. cap. 34. Pontificale cap. 6.

Eodem die, Vigilia Apoſtolorum Simonis & Iudæ.

28. Oct.

G. V. KALENDAS NOVEMBRIS.

*Vide lib. de feſt. Apoſt. De ea in paſsione S. Laurētij, 10. Aug.*

NATALIS ſanctorum Simonis & Iudæ.

Romæ, ſanctæ Cyrillæ, filiæ Decij Cæſaris, quæ ſub Claudio Principe iugulata, & necata eſt gladio, ac ſepulta à Iuſtino presbytero cum matre ſuâ, iuxta ſanctum Hippolytum.

29. Oct.

A. IIII. KALENDAS NOVEMBRIS.

*Euſeb. l. 6. c. 78 & 9. Ruf.*

NATALIS beati Narciſſi Ieroſolymorum Epiſcopi, viri ſanctitate, & patientiâ, ac fide laudabilis. Accidit aliquando in die ſolemni Vigiliarum Paſchæ, oleum deeſſe luminaribus; cumque id per miniſtros innotuiſſet, mœror populi maximus fuit: ſed Narciſſus in fide confidens, miniſtris imperat haurire aquam, ſibique deferre; cumque tuliſſent, orauit, & benedixit aquam, & infundi luminaribus præcepit. Tunc repentè miro & ſæculis inaudito genere virtutis, natura aquæ in pinguedinem olei verſa, ſplendorem luminum etiam ſolito reddidit clariorem. Ad fidem autem rei, à plurimis religioſorum fratrum ex eodem oleo, quod verſum de aquâ fuerat, reſeruatum eſt. Is namque cùm inter cetera virtutum ſuarum bona eſſet valdè conſtantis animi, & iuſti rectique indeclinabiliter tenax, quidam homunculi nequam malè ſibi conſcij, metuentes, ne criminum ſuorum ſi arguerentur, non poſſent effugere vindictam, præueniunt factionibus, & circumuenire parant eum, cuius iudicium verebantur. Concinnant igitur aduerſus eum infame ſatis & noxium crimen. Conueniunt auditores, teſtes ex ſemetipſis producunt, qui ſub ſacramenti iuramento, quæ obijciebantur, confirmarent. Quorum vnus teſtis ita, ne igni conſumeretur, vera ſe dicere teſtabatur. Alius ita, ne regio morbo corrumperetur. Tertius ita, ne luminibus orbaretur. Et quamuis nec iuramentis quidem iſtis quiſquam fidelium & Dominum timentium crederet, eò quòd vita Narciſſi & inſtitutio, ac pudicitia, ab omnibus noſceretur: ipſe tamen eorum quæ mora ſunt, indignitatem ac moleſtiam non ferens, ſimul & ſecretam ac philoſophicam vitam ſemper habere deſiderans, ſubterfugit Eccleſiæ multitudinem, & in deſertis locis atque agellis ſecretioribus delitеſcit annis quamplurimis. At non ille magnus diuinæ prouidentiæ oculus quieſcit in longum, ſed in impios vltionem per ea ipſa quæ ſibi in periurijs ſtatuerant maledicta molitur. Primus namque ille teſtis, paruâ ignis ſcintillâ noctis tempore domo ſuâ ſuccenſâ, cum omni genere & omni familiâ flammis vltricibus conflagratur. Alius repentè ab imis pedibus vſque ad ſummum capitis verticem, morbo regio, quo fuerat imprecatus, repletur atque conſumitur. Tertius autem priorum exitium videns, & oculum diuinum non latuiſſe perſpiciens, prorupit in medium, & audientibus cunctis, ſerâ pœnitentiâ, vniuerſum concinnati ſceleris ordinem pandit. Tantis autem lacrymis immanis commiſſi facinus deflet, & in tantum die noctuque perdurat in fletibus, vſquequò luminibus orbaretur. Hi igitur figmenti ſui huiuſcemodi pœnas dederunt. Narciſſus verò cùm ita deſertum petijſſet, ac locis ſecretioribus ſe abdidiſſet, vt vbi iam degeret, nullus agnoſceret: neceſſarium viſum eſt Epiſcopis, vt alium pro ipſo ordinarent, cuius nomen erat Dius: cuique (cùm paruo tempore præfuiſſet Eccleſiæ) ſuccedit Germanio, & Germanioni Cordius: cùm ecce ſubitò velut rediuiuus cæloque redditus, ex improuiſo apparuit Narciſſus; & rurſus à fratribus ad præſidendum rogatur Eccleſiæ. Verùm cùm ipſe iam ſenio feſſus, pontificatus miniſterio ſufficere non poſſet, Alexandrum, qui iam Epiſcopus eſſet alterius loci, diuina diſpenſatio in adiutorium ſenis euidentiſſimis reuelationibus vocauit. Expletis autem centum & ſedecim annis, relictâ ſede ipſi Alexandro, fructum laborum ſuorum à Domino recepit.

Ipſo

Ipſo die, apud Sidonem vrbem, natalis ſancti Zenobij presbyteri, qui perſecutione Diocletiani martyrio coronatur. *Euſeb. l. 8. cap. 25.*

In Galliâ, Viennâ ciuitate, depoſitio ſancti ac beatiſſimi Theodarij Abbatis & confeſſoris. Et tranſlatio ipſius in loco vbi dicitur vallis Rupiana IV. Kalend. Nouembris.

### B. III. KALENDIS NOVEMBRIS. *30. Oct.*

CIVITATE Tingitanâ, paſſio ſancti Marcelli centurionis, qui capitis abſciſione martyrium conſummauit, ſub Agricolao agente vices præfectorum prætorio.

Apud Africam, natalis Martyrum numero CCXX.

Apud Antiochiam, * beati Serapionis Epiſcopi, eruditi viri & fide clariſſimi. ** Euſeb. l. 9. c. 18 & 21. Ruffin 19. Hieron. de ſcript. Eccl. cap 41.*

### C. PRIDIE KALENDAS NOVEMBRIS. *31. Oct.*

ROMAE, natale beati Nemeſij diaconi, & Lucillæ filiæ eius, quos ſanctus Pontifex Stephanus baptizauit: quique ipſum Nemeſium diaconum conſtituit, temporibus Valeriani & Gallieni: qui decreuerunt, vt vbicumque inuentus fuiſſet Nemeſius, ſine audientiâ puniretur. Nemeſius autem Chriſti gratiâ roboratus, circuibat cryptas, & concilia Martyrum, vt vbicumq; reperiſſet Chriſtianum aliquem egentem, prout poterat, de facultatibus ſuis miniſtraret. Veniens verò in viâ Appiâ noctis ſilentio iuxta templum Martis, comperit Valerianum & Maximum in templo Martis ſacrificare. Flexis itaque genibus orauit Dominum, dicens: Domine Deus creator cæli & terræ, diſſipa conſilia artis diabolicæ in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti filij tui, quem miſiſti in hunc mundum, vt reſipiſcant hi infelices à laqueis diaboli. Statim igitur Maximus conſul à diabolo arripitur, & magnâ voce clamare cœpit: Nemeſius Chriſtianus me incendit, eius oratio me affligit. Egreſſi verò quidam de templo, tenuerunt Nemeſium, & dum contumelijs cum afficerent, ſubitò Maximus expirauit. At illi tenentes Nemeſium duxerunt ad Valerianum. Dicitque ei Valerianus: Nemeſi vbi eſt prudentia tua, quam ſemper cognouimus, & in conſilio, & in actibus? Nos te hortamur, cogita veritatem, non deſeras deos, quos ſemper ab ipſis cunabulis coluiſti. Nemeſius diaconus plenus lacrymis reſpondit: Ego quidem infelix atque peccator ſemper deſerui veritatem, & effudi ſanguinem innocentem, & iam nimis oneratus atque cumulatus peccatis, licet ſerâ pœnitudine cognouerim creatorem meum, miſericordiam Chriſti filij Dei adeptus: hunc timeo, ipſum adoro, ipſi cultum meæ ſeruitutis offero. nam omnia idola lapidea atque ærea manufacta abijcio. Iratus Valerianus, iuſſit eum in priuatâ cuſtodiâ mancipari: & poſt tertium diem exhibetur Valeriano & Gallieno, & filia eius Lucilla: quam ante patris interrogationem fecerunt puniri, credentes, quòd ſic potuiſſent animum beati Nemeſij emollire. Sed ipſe, cuius interiora poſſidebat Spiritus ſanctus, lætior de martyrio filiæ factus, in confeſſione Chriſti ardentior efficitur. Et cùm nullo modo à fide Chriſti flecti eum poſſe viderent, iuſſerunt eum duci ad ſupplicium. Decollatus verò eſt viâ Appiâ ante templum Martis, VIII. Kalendas Septembris. Eiuſque corpus à beato quidem Stephano Papâ in eodem loco ſepultum, ſed à beato Sixto Pontifice poſteà leuatum, pridie Kalendas Nouembris iuxta eamdem viam Appiam in cryptâ venerabilius curatum. *De his in vitâ S. Stephani Papæ, 2. Augusti.*

In Gallijs, oppido Vitmandenſi, natalis ſancti Quintini martyris: qui ſub Maximiano Imperatore martyrium paſſus eſt, & poſt annos quinquaginta quinque inuentum eſt reuelante Angelo corpus eius, & ſepultum octauo Kalendas Iulias. *Greg. Turon. de glor. MM. c. 73.*

LITA-

LITANIÆ INDICENDÆ.

# MENSIS NOVEMBER

## habet dies XXX. Luna verò XXX.

I. Non. D. KALENDIS NOVEMBRIS.

FESTIVITAS Sanctorum omnium. Petente namque Papâ Bonifacio, iuſſit Phocas Imperator, in veteri fano, quod Pantheon vocabatur, & à Domitiano priùs factum erat, ablatis idololatriæ ſordibus, eccleſiam beatæ ſemperque Virginis Mariæ, & omnium Martyrum fieri: vt vbi quondam omnium, non deorum, ſed dæmoniorum cultus agebatur, ibi deinceps omnium fieret memoria Sanctorum: quæ ab illo tempore Kalendis Nouembris in vrbe Româ celebris & generalis agitur. Sed & in Galliis, monente ſanctæ recordationis Gregorio Pontifice, piiſſimus Ludouicus Imperator, omnibus regni & imperij ſui Epiſcopis conſentientibus, ſtatuit, vt ſolemniter feſtiuitas omnium Sanctorum in prædictâ die annuatim perpetuò ageretur. Quam ſanctam conſtitutionem reuerenti amore ſuſcepit omnis Eccleſia.

Greg. Turon. de glor. Mart. c. 51. Et in caſtro Diuione, natale ſancti Benigni presbyteri. Qui cum Andochio compresbytero, & Thyrſo diacono, miſſus eſt in Galliam ab Oriente, à ſancto Epiſcopo Polycarpo. Cuius prædicatione comes Terentius compertâ, vinctum eum & cæſum ad ſe adduci præcepit. Et rurſum auditâ ſermonum eius conſtantiâ, neruis duriſſimis cædi fecit. Poſt hæc ad trochleas extenſus & cæſus, ac rurſum carceri mancipatus, manè idola orando deſtruxit: & reductus eſt in carcerem. Cui ſubulas decem calentes in manibus infixerunt, & cum plumbo remiſſo pedes in lapide perforato fixerunt, & canes duodecim feroces cum eo incluſerunt per ſex dies: & attulit ei Angelus panem cæleſtem, ſubulas abſtulit, & eum de plumbo ac ferro eripuit. Ad vltimum collum eius vecte ferreo tundi, & corpus lanceâ forari iubetur. Quo facto, columba niuea de carcere, Chriſtianis adſpicientibus, ad cælos aſcendit, & odor ſuauiſſimus quaſi paradiſi ſecutus eſt. Venit autem beata Leonilla, & conditum aromatibus corpus non longè ab ipſo carcere ſepeliuit.

Eodem die, natale ſancti Cæſarij diaconi, & Iuliani presbyteri. Qui videlicet Cæſarius tempore Claudij veniens ex Africâ ad Tarracinam Campaniæ ciuitatem, dum contra idololatras proclamaret in publico, tentus eſt à Firmino pontifice, & in cuſtodiam reclusus. Vbi diebus multis maceratus, deinde traditus eſt Leontio conſulari Campaniæ. Quem ille cùm verbis ſuperare nequiret, iuſſit ante carpentum ſuum duci ligatis manibus vinctum, & nudum vſque ad templum Apollinis. Quò cùm perueniſſet, ad orationem eius corruit templum, & occidit pontificem Firminum. Poſt hoc recluſus in carcere à Luxurio primo ciuitatis, fuit ibi anno vno, & menſe vno. Deinde eductus in forum ab eo, dum oraret, cæleſti eſt luce circumdatus, ita vt ipſe Leontius crederet, & Cæſarium qui erat nudus, ſuâ chlamyde indueret, & ab eo baptizaretur, & corpus & ſanguinem Domini acciperet de manu Iuliani presbyteri. Nec mora, dictâ ſuper eum oratione, tradidit ſpiritum III. Kalendas Nouembris. Tunc Luxurius iuſſit Iulianum & Cæſarium mitti in ſaccum,

& præ-

& præcipitari in mare. Qui eo die reiecti ſunt ad litus, & ſepulti ab Euſebio ſeruo Dei iuxta vrbem Tarracinam. Et idem Euſebius poſteà martyrium paſſus eſt cum Felice presbytero.

Item eodem die, depoſitio S. Seuerini monachi, de Tiburtinâ ciuitate.

Item natale S. Mariæ virginis: quæ cùm eſſet ancilla, & die natalis filij Domini ſui ieiunaret, nec vllo modo flecti potuiſſet vt manducaret de idolothytis: primò duris verberibus afflicta, dein longâ carceris cuſtodiâ, equulei extenſione, & vngularum laniatione vexata, martyrium conſummauit.

### E. IV. NONAS NOVEMBRIS. *2. Nou.*

NATALIS ſancti Victorini Pitabionenſis Epiſcopi, qui perſecutione Diocletiani martyrio coronatus eſt. *Hieron. de ſcript. Eccl. cap. 74.*

Apud Laodiciam, natale beati Theodoti Epiſcopi, viri non ſolùm verbis, ſed etiam rebus & virtutibus ornati. Hic arte Medicus quidem fuit, ſed ad animarum à Domino tranſlatus eſt medicinam. Verè incomparabilis, qui ſuper omnes pænè homines fide, miſericordiâ, ſtudio, vigilantiâ, atque omnibus optimis inſtitutionibus claruit. In Scripturis quoque diuinis laborem quamplurimum geſſit. Quieuit autem in ſenectute bonâ. *Euſeb. lib. 7 cap. 29. Ruff.*

Eodem die, natale S. Ambroſij Abbatis monaſterij Agaunenſis, qui priùs apud Lugdunum monaſterij Inſulę barbarę Pater, & magnis virtutibus clarus, cùm illuc ob religionis egregiæ normam tranſlatus fuiſſet, beato fine in Domino requieuit.

### F. III. NONAS NOVEMBRIS. *3. Nou.*

NATALIS S. Quarti, diſcipuli Apoſtolorum.

Apud Cæſaream Cappadociæ, natalis SS. Germani, Theophili, Cæſarij, & Vitalis: qui optimè duxerunt martyrium, ſub Decianâ perſecutione.

Eodem die, depoſitio S. Huberti Epiſcopi.

### G. PRIDIE NONAS NOVEMBRIS. *4. Nou.*

APVD Alexandriam, B. *Hierij presbyteri, viri acris ingenij, in diuinis Scripturis nobiliter eruditi, vitâ puriſſimi, atq; ad Chriſtianam philoſophiam nudi penitus & expediti, doctoris Eccleſiæ incomparabilis, priuatim & publicè mirabiliter diſputantis. Hic quieuit tempore Philippi Imperatoris. ** al. Pierij Euſeb. l. 7. c. 29. Ruff. Hieron. de ſcript. Eccl. cap. 76.*

In Galliis, ciuitate Rotenus, natalis S. Amantij Epiſcopi, cuius vita ſanctitate & miraculis extitit glorioſa.

### A. NONIS NOVEMBRIS. *5. Nou.*

ZACHARIAE Prophetæ, patris Ioannis Baptiſtæ.

In Tarracinâ, ciuitate Campanię, natalis SS. Felicis presbyteri, & Euſebij monachi, temporibus Claudij Imperatoris. Qui videlicet Euſebius, cùm ſepeliſſet ſanctos martyres Iulianum & Cæſarium, & ad ſepulcra eorum orans & ieiunans multos conuerteret ad fidem, quos Felix presbyter baptizabat, tenti ſunt ambo à Leontio filio Leontij conſularis, ob eam maximè cauſam, quia Cæſarius patrem eius Chriſtianum feciſſet. Et ad forum eius ducti, nec ſuperati, inde carcere recluſi, & nocte eâdem, cùm ſacrificare nollent, decollati ſunt, atque in fluuium iactati. Quorum corpora venerunt vſque ad mare, & reiecta ſunt ad litus, atq; à presbytero quodam de Capuâ, nomine Quarto, inuenta. Qui ea mox impoſita vehiculo, duxit in caſam ſuam, & curioſè quærens etiam capita inuenit: adiunctaque corporibus, ſepeliuit iuxta S. Cæſarium. *De his in vitâ ſancti Cæſarij 1. Nou.*

### B. VIII. IDVS NOVEMBRIS. *6. Nou.*

TONIZA Africæ, natalis S. Felicis. In huius ſolemnitate quemdam Pſalmum beatus Auguſtinus videtur exponere ad populum, vbi inter cetera, de eius paſſione loquitur, dicens: *Felix martyr, verè felix & nomine & coronâ, cuius hodie dies eſt. Noueritis autem fratres, non eum paſſum morte, quam alij Martyres paſſi ſunt:* *Pſal. 127.*

*confeſſus enim, dilatus eſt ad tormenta: alio die inuentum eſt corpus exanime. Clauſerant enim illi carcerem corpori, non ſpiritui: quem illic parabant torquere carnifices, abſentem inuenerunt. Perdiderunt ſæuitiam ſuam: iacebat exanimis, ſine ſenſu illis, ne torqueretur: cum ſenſu apud Dominum, vt coronaretur.*

In Oriente, ciuitate Theopoli, SS. decem Martyrum, qui ſub Saracenis paſſi leguntur in geſtis ſanctorum Quadraginta.

7. Nou. C. VII. IDVS NOVEMBRIS.

Euſeb. lib. 7 cap. 19. Ruf. APVD Alexandriam, Achillæ Epiſcopi, eruditione, fide, conuerſatione, & moribus inſignis.

Eodem die, natalis S. Amaranti martyris, qui apud Albigenſem vrbem, exacto agonis fidelis curſu, ſepultus viuit in gloriâ. Cuius ſacrum ſepulcrum, virtute Chriſti, miraculis frequentibus illuſtratur.

Greg. lib. 3. dial. c. 13. Apud Peruſinam Italiæ vrbem, natalis S. Herculani Epiſcopi & martyris.

8. Nou. D. VI. IDVS NOVEMBRIS.

ROMAE, natalis SS. martyrum Claudij, Nicoſtrati, Symphroniani, Caſtorij, & Simplicij, impetrantibus Diocletiano & Maximiano. Hi cùm eſſent artifices inſigniſſimi, & marmorum cæſores probatiſſimi, Imperatori Diocletiano valdè facti ſunt accepti. Cùm itaque tempore quodam eſſent quadraturis marmorum intenti, & artem ſuam ſigno Crucis munirent, & ad voluntatem ipſorum artificium fieret, horum vnus Simplicius, qui adhuc pagano errore tenebatur, dixit ad quatuor reliquos: Adiuro vos per deum Solem, vt quis iſte Deus ſit, dicatis mihi, in cuius nomine vos tam benè operamini. Cui Symphronianus: Si potes credere, dicemus tibi, & mox artem conſequêris: ſed & vitam æternam habebis. Quem cùm in fide ſociatum B. Cyrillo Epiſcopo conſignaſſent, iſdem Epiſcopus baptizauit eum, & Chriſto Domino credere informauit. Non multo poſt accuſati à Philoſophis, quòd Chriſtiani eſſent, & quòd deum Æſculapium fingere, ſicut præceperat Imperator, ex marmore Porphyretico & Proconiſſo noluiſſent, Diocletianus iuſſit cuidam Tribuno nomine Lampadio, ſub moderatione verborũ eos audiri. Quibus iſdem Lampadius dixit: Adorate deum Solem, vt deſtruatis conſilium Philoſophorum. Qui reſpondentes dixerunt: Nos numquam adoramus facturam manuum noſtrarum, ſed adoramus Deum cęli & terræ, qui imperat in æternum, Ieſum Chriſtum Filium Dei. Recluſi ſunt igitur in cuſtodiâ publicâ. Inde cùm mutari à fide Chriſti non poſſent, iubente Lampadio exſpoliantur, & ſcorpionibus grauiſſimè cæduntur. Mox Lampadius à dæmonio correptus expirauit. Hoc factum cùm audiſſet Diocletianus, nimio furore plenus, iuſſit cuidam Nicetio togato, vt in loculis plumbeis viui includerentur, ac ſic in fluuium præcipitarentur. Poſt dies autem XLII. venit quidam Nicodemus Chriſtianus, & leuauit cum ipſis loculis corpora Martyrum, & in domo ſuâ honorificè poſuit. Paſſi verò ſunt VI. Idus Nouembris.

Eodem die, natale ſanctorum quatuor Coronatorum, id eſt, Seueri, Seueriani, Carpophori & Victorini. Hi cùm impellerentur ad ſacrificandum, reluctantes, nec conſenſum impiis præbentes, perſtiterunt in fide. Nuntiatum eſt autem Diocletiano Imperatori: qui ilicò iuſſit vt ante ſimulacrum Æſculapij ictibus plumbatarum cæſi deficerent. Quorum corpora iuſſit in plateâ canibus iactari, & iacuerunt ibi diebus quinque. Tunc pij Chriſtiani venerunt, & collecta corpora ſepelierunt in viâ Lauicanâ, miliario ab Vrbe tertio, in arenario, iuxta corpora ſanctorum martyrum Claudij, Nicoſtrati, Symphroniani, Caſtorij & Simplicij. Paſſi ſunt autem ſexto Idus Nouembris, poſt duos tamen annos paſſionis horum quinque Martyrum. Cùm autem nomina eorum minimè reperirentur, ſtatuit beatus Melchiades Epiſcopus, vt anniuerſaria quatuor Corona-

nato-

natorum dies ſub nominibus ſanctorum quinque Martyrum recoleretur. Intercurrentibus tamen annis, cuidam ſancto viro etiam nomina eorum reuelata ſunt. Feſtiuitas verò vt fuerat ſtatuta, celebris in aliorum Martyrum feſtiuitate permanſit, ac locus quatuor Coronatorum nomine inſignis.

E. V. IDVS NOVEMBRIS. *9. Nou.*

NATALE ſancti Theodori martyris, temporibus Maximiani & Maximini Imperatorum. Qui cùm eſſet miles, & verè Chriſtianus, adductus eſt ad Brincam præpoſitum legionis, à quo dilatione acceptâ vt ſententiam fidei mutaret, cùm in ſententiâ irreuocabiliter permaneret, iudici Popilio ſiſtitur: qui iuſſit eum mitti in carcerem, & ſignari oſtium carceris: vbi diuinâ conſolatur viſitatione. Poſt aliquot dies iterùm adductus ante Præſidem, ſuſpenſus eſt in ligno, & vngulis ferreis latera eius raſa, quouſque coſtæ ipſius nudarentur. Deinde dictauit ſententiam, dicens: Theodorum non obtemperantem præceptis inuictiſſimorum Imperatorum, potentiæque deorum, credentem verò Ieſum Chriſtum crucifixum, iubeo ignibus tradi. Igitur beatus Martyr ſignaculo Crucis munitus, manibus poſt tergum ligatis, in focos propellitur. Et proſpiciens, videt in turbâ lacrymantem Cleonicum, qui cum eo tyro adductus fuerat. Et exclamans dixit: Cleonice, expecto te: feſtina, & ſequere me. Et cùm iam flammarum globis vndique vallaretur beatus Martyr, orationem fudit, laudans & glorificans Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Sicque ſanctam animam Chriſto reddidit v. Idus Nouembris. Quædam autem mulier, Euſebia nomine, collegit corpus eius, & ſindone mundâ inuoluens tranſtulit in poſſeſſionem ſuam, in locum qui appellatur Euchaita.

Item eodem die apud Bituricas, S. Vrſicini, qui Romæ ordinatus à ſucceſſoribus Apoſtolorum, primus eidem vrbi deſtinatur Epiſcopus. *Gregor. Turon. de glor. Conf. c. 80.*

F. IV. IDVS NOVEMBRIS. *10. Nou.*

IN territorio Agathenſi, in Ceſſarione, natalis S S. martyrum, Tiberij, Modeſti, & Florentiæ: qui tempore Diocletiani variis tormentis cruciati, martyrium compleuerunt.

Item eodem die, S. Martini Papæ: qui ob fidem Catholicam, ab Imperatore Conſtantino hæretico, per Theodorum Exarchum de eccleſiâ raptus, ac perductus Conſtantinopolim, relegatus apud Cherſonam Lyciæ prouinciæ, ibidem vitam finiuit, multis in eodem loco virtutum ſignis vſque hodie refulgens.

G. III. IDVS NOVEMBRIS. *11. Nou.*

IN Galliis, Turonis ciuitate, natalis S. Martini Epiſcopi & confeſſoris.

Eodem die in Scythiâ, metropoli Phrygiæ Salutariæ, paſſio ſancti Mennæ martyris: qui perſecutione Diocletiani & Maximiani, cùm eſſet miles nobili genere, ex Ægyptiorum prouinciâ ortus, abrenuntians terrenæ militiæ, primùm cæleſti Regi ſecretâ conuerſatione in eremo militauit. Deinde natalitiis præfatorum Imperatorum procedens ad publicum, ac ſe Chriſtianum liberâ coram ipſis voce declarans, traditus eſt Pyrrho duci torquẽdus. Qui iuſſit eum in carcerem includi, quamdiu Imperatorum natalitia celebrarentur. Peractâ igitur feſtiuitate, ac ſedente eo pro tribunali, iuſſit eum ſuis adſpectibus præſentari; cui & dixit: Heſternâ die infauſtè & temerariè auſus es theatrum introire, & vaniſſimis, neſcio quibus, eloquiis prophanare, maximè cùm de te aſſeratur, noſtræ fuiſſe militiæ. Sacrifica diis, vt omnia tibi, quæ per ignorantiam geſſiſti, ignoſcantur, & ad honorem priſtinum reformeris. Ad hæc beatus Mennas cùm reſpondiſſet: Ego hoc ſæculi honore non delector, ſed Chriſti Domini diſcipulus effici cupio: iubente Duce extenſus, & neruis bubulis manibus ligatus, tamdiu à militibus virgis cæſus eſt, donec ſanguine ipſius plateæ locus repleretur. Deinde



Digitized by Google

in equuleo exungulatus, & lampadibus circũ latera aduſtus, cilicioq; plagę à militibus fricatæ, & carbones ignis ſuper eas impoſiti, per tribulos quoque & ſudes ferreas ligatis manibus ac pedibus tractus, plumbatis etiam collo & maxillis grauiter contuſus, in laude & confeſſione omnipotentis Dei immobilis permanſit. Nouiſſimè Pyrrhus dux ſententiam ex tabellâ recitari præcepit: Mennatem ex milite omnium Chriſtianorum auctorem, nolentem acquieſcere præceptis Imperatorum, neque volentem ſacrificare diis, gladio animaduerti placet, & corpus eius igni comburi. Furtim itaq; à Chriſtianis corpus eius è medio ignis ereptum eſt, & mundis linteaminibus aromatibuſque condìtum, debitâ veneratione in cœmeterio III. Idus Nouembris curatum eſt. Cuius deinde ſacrum corpus Conſtantinopolim tranſlatum, ciuitate Regiâ digno honore veneratur.

Item Lugduni, ſancti Verani Epiſcopi, cuius vita fidei & virtutum meritis illuſtris fuit.

12. *Nou.*

A. PRIDIE IDVS NOVEMBRIS.

*Proſper in Chron. anno 437.* **al. Geiſericum*

APVD Africam, commemoratio SS. Arcadij, Probi, Paſchaſij & Eutychiani: qui ex Hiſpaniâ oriundi, cùm apud * Sigericum VVandalorum Regem merito ſapientiæ & fidelis obſequij chari clarique haberentur, nec in Arianam perfidiam, cui ipſe deditus erat, vllatenus declinari paterentur, excitato in rabidiſſimam iram barbaro, primùm proſcripti, deinde in exilium acti, tum atrociſſimis ſuppliciis excruciati, poſtmodum diuerſis mortibus interempti, illuſtri martyrio mirabiliter occubuerunt. Puer autem Paulillus nomine, frater Eutychiani & Paſchaſij, cùm à profeſſione atque amore Catholicæ fidei nullis minis deturbari poſſet, fuſtibus diu cęſus, & ad infimam ſeruitutem damnatus eſt; ideò, vt apparet, non occiſus, vt de ſuperatâ ſæuitiâ impij, etiam illa ætas gloriaretur.

Eodem die, ſancti Melanij Redonicæ ciuitatis Epiſcopi: qui poſt innumerabilium ſigna virtutum, iugiter intentus cælo, emigrauit à ſæculo.

13. *Nou.*

B. IDIBVS NOVEMBRIS.

RAVENNAE, natalis SS. martyrum Valentini, Solutoris, & Victoris.

Turonis, S. Brictij Epiſcopi.

In Prouinciâ, apud ciuitatem Aquis, B. Mitrij clariſſimi martyris.

14. *Nou.*

C. XVIII. KALENDAS DECEMBRIS.

APVD Thraciam, ciuitate Heracleâ, natalis ſanctorum martyrum Clementiani, Theodoti, & Philumeni.

*Euſeb. li. 6. cap. 34. Ruff. 31.*

Apud Alexandriam, beati Serapionis, quem perſecutores ſub Decio, in domo ſuâ repertum, crudeliſſimis affecerunt ſuppliciis, ita vt omnes ei iuncturas membrorum priùs ſoluentes, de ſuperioribus eum præcipitarenr, ac ſic Chriſti martyr efficeretur.

15. *Nou.*

D. XVII. KALENDAS DECEMBRIS.

NATALIS ſancti Felicis Epiſcopi, qui à XV. ætatis ſuæ anno miraculorum gloriâ inſignis fuit, & ſub Martiano præſide, cum aliis XXX. martyrium compleuit. Corpus eius Elpidius presbyter, in Nolenſi eccleſiâ ſepeliuit.

16. *Nou.*

E. XVI. KALENDAS DECEMBRIS.

** MS. Durentiam*

NATALIS S. Eucherij Lugdunenſis Epiſcopi, admirandæ fidei, vitæ & doctrinæ viri. Qui ex nobiliſſimo Senatorum ordine ad religioſam vitam habitumq; cõuerſus, diu in agro ſuo ſuper fluuiũ * Druentiam intra ſepta ſpeluncæ ſponte cõcluſus Chriſto ſeruiuit, ieiuniis & orationibus vacans. Defuncto autem Pontifice Lugdunenſi, cùm vniuerſa Eccleſia iuxta morem à ſe antiquitus obſeruatũ, triduanis ieiuniis & obſecrationibus, qui gubernationem eiuſdem Eccleſię ſuſcipere deberet, ſibi poſceret à Domino reuelari: cuidam puero apparens in viſu Angelus Domini, Eſt, inquit, ſenator quidam Eucherius nomine, ſuper fluuium



Digitized by Google

* Druentiam retruſus in ſpecu, qui relictis omnibus quæ poſſidebat, ſequutus eſt *al Du-
Dominum: ad hunc deducendum pergite, & vobis paſtorem illum conſtituite, rentiam
quoniam à Deo electus eſt. Quod cùm puer ſenioribus diluculò retuliſſet, omnipotenti Deo, cunctis fratribus conuocatis, gratias egerunt: miſſoque cum clericis ad præfatum locum Archidiacono, qui tunc Eccleſiæ curam gerebat, inuenerũt eum, ſicut eis Dominus reuelauerat. Cumque illi Archidiaconus rem, ꝓpter quam venerat, retuliſſet: cœpit cum iuramento dicere, ſe voluntariè de ſpecu non egreſſurum, nec cum eo, niſi ligatus duceretur, iturum. Cumque diu talia teperteret, Archidiaconus effracto muro ſpeluncæ eduxit eum, & iuxta quod ipſe iurauerat, vinctũ perduxit Lugdunum. Quem pari animo, vnoq; conſenſu Clerus & populus ſibi eligens ſacerdotem, in pontificali cathedrâ ſolemniter collocauit. Huius vxor Galla, in ſancto habitu Deo ſeruiẽs, ſpeluncã eius ingreſſa, omne illic vitæ ſuæ tempus in ſtudio religionis exegit. Duæ ipſorũ filiæ, quarum vna Conſortia, altera Tullia vocabatur, virginitatis gratiâ & ſignorum gloriâ claruerunt.

F. XV. KALENDAS DECEMBRIS. *17. Nou.*

APVD Alexandriam, B. Dionyſij Epiſcopi, in multis ſæpè confeſſionibus ſatis *Euſeb. l. 6*
clari, & pro paſſionum tormentorumque diuerſitate magnifici, temporibus *cap. 33. Ruff. c. 30.*
Imperatorum Valeriani & Gallieni. Denique refertur, inſectantibus ſe perſecu- *& deinceps.*
toribus cùm ipſe adſtaret Iudici, reſpondiſſe: Quid inſectando laboratis? Caput meum pro quo magnopere fatigamini, auulſum ceruicibus ſumite, & donũ magnum ad Tyrannum & Imperatorem veſtrum ferte. Præſes autem Æmilianus
erat. Ante quem cùm Dionyſius vnum ſolum Deum proſequeretur, qui cælum *Euſeb. l. 7.*
feciſſet & terram, huncque diceret adorandum, ceteros autem neque eſſe deos, *c. 10. Ruff.*
neque adorari debere: in caſtrum quoddam deſerti, quod Ceſro appellatur, in exilium truditur: ob hoc præcipuè electum, quòd loci incolæ gentiles erant, & idolorum ſuperſtitionibus ſatis dediti. Qui exulem Dionyſium primò hoſtili animo & ſatis aduerſâ mente ſuſcipiunt: pòſt verò cùm paulatim per Domini gratiam verbum Dei his ſeminare cœpiſſet, pars maxima trucis & barbari populi, relictis idolis, conuerſa eſt ad Deum verum, Chriſtoque ſubiecta. Quo comperto, rurſus eum ad alium locum, vicinum quidem Alexandriæ, ſed incolis deſertum, ac pænè habitatoribus vacuum tranſtulerunt. Sed & ibi cùm pro vrbis vicinitate noſtrorũ populus eum frequentaret, & tamquam paſtore recepto grex lætior & conſtantior agonibus redderetur, rurſum miſſis cum Centurione militantibus viris, ipſum Dionyſium, & cum eo Gaium & Petrum catenis conſtrictos, & diuerſis cruciatibus afflictos, in deſertum quoddam Libyæ pertraxerunt, ibiq; eos in loco ſqualidiſſimo, & omni vſu humanitatis carente, à Paratonio trium dierum itinere in deſertum protento, nexos vinculis reliquerunt. Tunc temporis etiam Maximus presbyter, & Dioſcorus, Demetrius quoque & Lucius, necnon Fauſtinus atque Aquila, ſatis clari & inſignes titulo confeſſionis effecti ſunt. Intereà beatus Dionyſius regreſſus Alexandriam, ſenio grauatus quieuit in pace, decem & ſeptem annis functus ſacerdotio.

Eodem die, ciuitate Cordubâ in Hiſpanijs, paſſio ſanctorum martyrum Aſciſcli & Victoriæ: vbi ob commendationem pretioſæ mortis eorum eodem
die roſæ ortæ diuinitus florentes colliguntur. *Greg. Tur. lib. 2. hiſt.*
Aurelianis, ſancti Aniani Epiſcopi. *Franc. c. 7.*

G. XIIII. KALENDAS DECEMBRIS. *18. Nou.*

ANTIOCHIAE, natale ſancti Romani, qui temporibus Diocletiani, cùm *Euſeb. l. 8.*
Aſclepiades Præfectus Eccleſiam irrumpere, eamque funditus conaretur *cap. 12. Prudent.*
euertere, ceteros Chriſtianos hortatus eſt, vt ei contradicerent. Vnde eum pro- *hymn. 10.*
tinus vinctum ſibi exhiberi iuſſit, & Chriſtum conſtantiſſimè confitentem, pri-

mùm extendi equuleo, deinde plumbatis grauiter & fuſtibus cædi, poſt hæc etiam nouaculâ acutiſſimâ maxillas ei radi fecit. Tunc ad petitionẽ eius puerum paruulum induci præcepit: quem Romanus Chriſti nomen inuocans, vtrùm vnum, an plures deos melius eſſet colere, interrogauit, vt ex eius confeſſione Præfectus confunderetur. Cumque puer vnum Deum ſolum credendum eſſe dixiſſet; indignatus Aſclepiades, catomo ſuſpendi eum, ac verberari, & poſtremò etiam decollari iuſſit. Erat autem nomen puero Baralas. Romanus verò rurſus equuleo ſuſpenſus, vnguliſque exaratus, ad rogum ardentem, in quem præcipitaretur, perductus eſt. Sed orante eo, venit repentè imber inundans, & extinxit ignem. Poſt hoc iuſſit ei linguam abſcindi. Quo facto, cùm Chriſtum voce clariſſimâ collaudaret, recluſus in carcerem, ad extremum laqueo ſtrangulatus eſt.

Eodem die in eâdem vrbe natalis ſancti Heſychij, qui ſub præfato Imperatore cùm eſſet miles, & præceptum audiſſet, vt quiſquis non ſacrificaret idolis, cingulum militiæ deponeret; repentè cingulum ſoluit. Ob hanc cauſam Imperator colobio indutum, primò in gynæceum eum dedit: deinde ligato in dexterâ eius ſaxo ingenti, in fluuium præcipitari iuſſit.

19. *Nou.* A. XIII. KALENDAS DECEMBRIS.

ROMAE viâ Appiâ, natalis ſancti Maximi presbyteri & martyris, qui perſecutione Maximini paſſus, poſitus eſt ad ſanctum Sixtum.

Apud Viennam, ſanctorum martyrum Seuerini, Exuperij & Feliciani: quorum corpora poſt multa annorum curricula ipſis reuelantibus inuenta, & à Pontifice vrbis, Clero & populo honorificè ſublata, in baſilicâ ſancti Romani, quæ iam dictæ ciuitatis parte orientali ſita eſt, condigno honore condita ſunt.

*Euſeb. li. 7. cap. 10.* Die eodem, natale ſancti Fauſti martyris. Huic tantum fiduciæ & magnanimitatis per Dei gratiam datum eſt, vt cùm ad eos qui in carcere tenebantur fratres, nemo prorſus humanitatis & miniſterij cauſâ permitteretur accedere, iſte vnà cum collegâ ſuo Euſebio indeſinenter & reuiſeret, & neceſſaria miniſtraret. Et cùm per dies ſingulos Præſidis furor creſceret, iugulando alios, alios ſupplicijs & diuerſis cruciatuum generibus affligendo, ſqualore carceris & catenarum ponderibus enecando, & ſuper omnia præcipiendo, ne quis ad eos prorſus accederet, vt & inedia quaſi aliud tormenti genus adhiberetur: conceſſit tamen Deus huic diacono, & collegæ eius gratiam, vt inuitis omnibus, eis ad confeſſores Chriſti non negaretur acceſſus. Grandæuus igitur & plenus dierum Confeſſor perdurans, perfecto martyrio beatus Fauſtus obtruncatione capitis conſummatus eſt.

20. *Nou.* B. XII. KALENDAS DECEMBRIS.

*Pontifical. cap. 19. *al. Philippo* ROMAE, natalis ſancti Pontiani Papæ. Qui, Maximino aduerſus Eccleſiarum Sacerdotes perſecutionem commouente, cum * Hippolyto presbytero Sardiniam deportatus, ibique fuſtibus mactatus, martyrium conſummauit. Corpus eius à beato Fabiano Papâ relatum, atque in cœmeterio Calliſti ſepultum eſt. Sedit autem in Epiſcopatu annos nouem, menſes quinque, dies duos.

Apud Siciliam, ciuitate Meſſanâ, ſanctorum Ampeli & Caij.

*Gregor. Turon. de glor. Conf. c. 85.* Apud Cabilonem, beatiſſimi Siluestri Epiſcopi & confeſſoris, qui quadrageſimo ſecundo anno ſacerdotij ſui, plenus dierum atque virtutum, migrauit ad Dominum.

21. *Nou.* C. XI. KALENDAS DECEMBRIS.

*Rom. 16.* NATALIS beatiſſimi Rufi, de quo Apoſtolus Paulus ad Romanos ſcribit: *Salutate Rufum electum, & matrem eius & meam.*

In Italiâ, monaſterio Bobio, ſancti Columbani Abbatis, qui multorum cœnobiorum fundator, & innumerabilium pater extitit monachorum, multiſque virtutibus clarus, quieuit in ſenectute bonâ.

D. X.

D. X. KALENDAS DECEMBRIS. 22. *Nov.*

ROMAE, natalis ſanctæ Cæciliæ virginis, quæ ſponſum ſuum Valerianum & fratrem eius Tiburtium ad credendum Chriſto perdocuit, ac deinde ad martyrium incitauit. Hanc Almachius poſt martyrium eorum teneri fecit, & vt thura dæmonibus poneret impelli. Apparitores verò attendentes nimium decorem & prudentiam eius, rogabant eam, ne tale decus amitteret, & tantam pulchritudinem in morte daret. At illa conſilium pietatis eis ſufficienter inſinuans, & de gratiâ omnipotentis Dei eos informans, cùm ad credendum Chriſto permotos cerneret, dicit eis: Ite, dicite infelici Almachio, quòd ego inducias petam: vt hîc intra domum meam faciam venire, qui vos omnes faciat vitæ æternæ participes. Veniens igitur Papa ſanctus Vrbanus, baptizauit plus minùs quàm quadringentos promiſcui ſexus homines: inter quos vnus clariſſimus vir erat nomine Gordianus. Iterùm Almachius beatam Cæciliam ſibi præſentari iuſſit. Et cùm inſuperabilem eam in confeſſione fidei permanere videret, iubet vt ad domum ſuam duceretur, & ibi flammis balnearibus concremaretur. Vbi incluſa die integro & nocte, quaſi in loco frigido integra perſtitit ſanitate, cùm ſemper incendia lignis congeſtis miniſtrarentur. Quod audiens Almachius, miſit qui eam decollaret. Quam ſpiculator tertio ictu percuſſit, ſed caput eius amputare non potuit. Superuixit autem triduo. Tunc ſanctus Vrbanus corpus eius auferens nocte, ſepeliuit inter collegas ſuos Epiſcopos. Paſſa eſt autem beata virgo Marci Aurelij & Commodi Imperatorum temporibus.

E. IX. KALENDAS DECEMBRIS. 23. *Nov.*

NATALIS ſancti Clementis, qui ſub perſecutione Traiani, martyrio coronatur. *Vide libellum de feſt. Apoſt.*

Tunc etiam illuſtriſſima & beatiſſima Dei famula Flauia Domitilla, quæ fuit Flauij Clementis conſulis ex ſorore neptis, & à ſancto Clemente ſacro velamine ad integritatis perſeuerantiam traditur conſecrata, ob teſtimonium quod Chriſto perhibebat, cum alijs plurimis in inſulam Pontiam exilio deportata, longum inibi martyrium duxit.

Eodem die, natale ſanctæ Felicitatis, matris ſeptem filiorum Martyrum, quæ iubente Antonino decollata eſt pro Chriſto. Idem enim Imperator iniunxerat præfecto vrbis Publio, vt eam compelleret cum filijs ſuis deorum ſacrificijs inclinari. Qui blando alloquio ad ſacrificium eam prouocans, minatur pœnarum interitum. Cui beata Felicitas: Nec blandimentis tuis reſolui potero, nec terroribus frangi. habeo enim Spiritum ſanctum, qui me non permittet vinci à diabolo; & ideò ſecura ſum quia viua te ſuperabo: & ſi interfecta fuero, meliùs te vincam occiſa. Deinde aliâ die ſedit Præfectus in foro Martis, iuſſitque eam adduci cum filijs ſuis, cui & dixit: Miſerere filijs tuis iuuenibus bonis, & flore primæ iuuentutis florentibus. Beata Felicitas reſpondit: Miſericordia tua impietas eſt, & exhortatio tua crudelitas eſt. Et conuerſa ad filios ſuos dixit: Videte filij cælum, & ſurſum adſpicite vbi vos expectat Chriſtus cum Sanctis ſuis. Pugnate pro animabus veſtris, & fideles vos in amore Chriſti exhibete. Audiens hoc Publius, iuſſit eam alapis cædi. Tunc conuocans filios eius, cœpit cum eis agere vt ſacrificarent. Ianuarius reſpondit: Stulta ſuades. nam ſapientia Domini me conſeruat, & faciet me omnia tormenta ſuperare. Statim Iudex iuſſit eum virgis cædi, & in carcerem recipi. Felix dixit: Vnus eſt Deus, quem colimus, cui ſacrificium piæ deuotionis offerimus. vnde tu ne credas, aut me, aut aliquem fratrum meorum à Domini Ieſu Chriſti amore recedere: & ſi immineant verbera, fides noſtra nec vinci poteſt, nec mutari. Philippus dixit: Iſti de quibus dicis, nec dij ſunt, nec omnipotentes, ſed ſunt ſimulacra vana & miſera, & inſenſibilia, & qui eis ſacri-

ficate voluerit, in æternum peribit. Syluanus dixit: Nos ſi tranſitorium timuerimus interitum, æternum incurremus ſupplicium: & quoniam verè nouimus quæ præmia ſunt parata iuſtis, & quæ pœna ſit conſtituta peccatoribus, idcircò Romanas leges contemnimus, vt iuſſa diuina ſeruemus. Alexander dixit: Ego ſeruus Chriſti ſum, ore confiteor illum, corde teneo, inceſſanter adoro. Infirma ætas quam vides, canam habet prudentiam. Vitalis dixit: Meliùs viuit, qui verum Deum colit, quàm qui dæmonia optat habere propitia. Martialis dixit: Omnes qui non confitentur verum Deum eſſe, in æternum incendium erunt. Iudex geſta omnia ſcriptis Antonino innotuit. Quos ille iuſſit diuerſis ſupplicijs interire, matre nouiſſimè conſummatâ.

24. Nou. F. VIII. KALENDAS DECEMBRIS.

*De hoc in geſtis Anaſtaſiæ mart. 26. Dec.* ROMAE, natale S. Chryſogoni martyris, qui per biennium iuſſu Diocletiani coniectus eſt in vincula: vbi multa perpeſſus, S. Anaſtaſiæ alimonijs ſouebatur. Cùm igitur beatam Anaſtaſiam zelans vir eius Publius cuſtodibus adhibitis ita clauſiſſet, vt nec cuiuſcumq; feneſtellæ aditum adſpectaret, ad hunc confeſſorē Chriſti Chryſogonum, qui eam in Chriſto erudierat, talia ſcripta dirigit:

*Anaſtaſiæ epiſtola.* SANCTO CONFESSORI CHRISTI CHRYSOGONO, ANASTASIA. *Licet pater meus cultor fuerit idolorum, mater tamen Fauſta Chriſtianiſſima ſemper vixiſſe probatur & caſta. Hæc me inter ipſa cunabula fecit fieri Chriſtianam. Poſt cuius exceſſum ſacrilegi iugum mariti ſuſcepi. Cuius, Deo miſerante, torum mentitâ infirmitate declinans, die noctúque Domini noſtri Ieſu Chriſti amplector veſtigia. Cùm iſte patrimonium meum, ex quo illuſtratur, cum indignis & turpibus idololatris exhauriat, me quoque veluti magam atque ſacrilegam cuſtodia tam grauiſſima mancipauit, vt vitam me corporalem amittere ſuſpicer. Nihil enim ſupereſt, niſi vt emiſſo ſpiritu, morti ſuccumbam: in quâ morte licet glorier de confeſſione Domini noſtri Ieſu Chriſti, tamen in eo mens mea valdè conteritur, quòd opes meæ, quas ego ex aſſe Deo voueram, alienis à Deo, & turpibus inſeruiunt. Et idcircò deprecor te homo Dei, vt inſtanter Dominum depreceris, vt aut, ad fidem ſuam venturum ſi præuidet Publium, ſinat viuere; aut, ſi præuidet eum in hac incredulitatis peruerſitate manſurum, iubeat eum dare locum ſuis cultoribus. Melius eſt enim ei exhalare ſpiritum, quàm Dei filium denegare, & eum confitentes impedire. Etenim Omnipotens teſtis eſt Chriſtus, quoniam ſi liberata fuero, Sanctorum veſtigijs adhærebo, & curas omnium ſolicitè exercebo, vt cœperam. Vale vir Dei, & memento mei.* Cùm hanc Epiſtolam legiſſet Chryſogonus, oratione factâ cum multis

*S. Chryſogoni reſponſum.* confeſſoribus, ita reſcripſit: *Fluctuanti tibi inter procellas & turbines mundi, citò ſuper vndas deambulans Chriſtus adueniet, & diaboli aduerſum te ſtantem ſpiritum vno iuſſionis ſuæ ſermone compeſcet. Patienter, & quaſi in medio mari poſita, crede ad te Chriſtum eſſe venturum, & ad temetipſam conuerſa, exclama cum Prophetâ, di-*

*Pſalm. 41.* *cens:* Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei, & Deus meus. *Geminum diuini muneris probatur indicium, cùm tibi & terrena reddentur, & donabuntur cæleſtia. Deus enim beneficium ſuum ad hoc extremitatibus protrahit, vt non ſit nobis vile quod præſtat. Vide ne turberis in hoc, quòd piè viuenti tibi inſerantur aduerſa. Non enim deciperis, ſed probaris. Non eſt tuta defenſio, quam per hominem putas poſſe conſtare.*

*Ierem. 17.* *Audi Scripturam dicentem,* Maledictus homo, qui ſpem ſuam ponit in homine: & benedictus homo, qui ſpem ſuam ponit in Deo. *Caue fortiter, vigilanter, ſtrenuè vniuerſa peccata, & à Deo ſolo quære ſolatium, cuius iuſſa conſerues. Citò enim ad te placidum tempus conuertetur, & quaſi poſt noctis tenebras floridum diei lumen adſpicies: atque poſt glaciale frigus hiemis tranſeuntis, aurea tibi tempora & ſerena ſuccedent, vt omnibus, qui pro Chriſti amore affliguntur, præbeas temporalem lætitiam, per quam ſine dubio conſequeris æternam. Vale in Domino, & ora pro me.*

Hanc

Digitized by Google

Hanc epiſtolam legens Anaſtaſia, fortiores fidei vires accepit, tantum de virtute patientiæ gloriari incipiens, quantum priùs de oppreſſione infideliſſimi viri ſe cauſabatur affligi. Igitur beata Anaſtaſia, cùm ita in cuſtodiâ ſtringeretur, vt vix ei aqua daretur, æſtimans ſe in ipsâ tribulatione deficere, ſcripſit epiſtolam: BEATO MARTYRI ET CONFESSORI CHRISTI CHRYSOGONO, ANASTASIA. *Finis venit corporis, memento mei, vt egredientem animam meam ipſe ſuſcipiat, pro cuius amore iſta ſuſtineo, quæ ex ore huius vetulæ recognoueris.* Ad hæc ſanctus Chryſogonus talia remiſit ſcripta: CHRYSOGONVS ANASTASIAE. *Semper eſt vt lumen tenebræ antecedant. Sic etiam poſt infirmitatem ſalus reuertitur, & vita poſt mortem promittitur. Vno fine concluduntur & aduerſa huius mundi, & proſpera: ne vel triſtibus deſperatio, vel lætis elatio dominetur. Vnum mare eſt, in quo naniculæ corporis noſtri velificant, & ſub vno corporis gubernatore animæ noſtræ nautico funguntur officio. Quorumdam igitur naues fortiſſimis carinarum nexibus ſolidatæ, tenebroſi æquoris concitatos fluctus illæſæ prætereunt. Quorumdam verò fragili iuncturâ lignorum etiam in tranquillo vicinum morti conficiunt curſum. Propè eſt enim vt pereant qui non cogitant qualiter ad ſalutis portum pertingant. Tu autem ô Chriſti irreprehenſibilis famula, Crucis Chriſti trophæum totâ mente conſtringe, & teipſam ad opus Dei præpera. In quo eius deſideriis dum parueris, cum martyrij palmâ ad Chriſtum pertinges.* Igitur Diocletianus in Aquileiæ partibus poſitus, interficiens Chriſtianos, iuſſit ſibi adduci Chryſogonum. Cui cùm diceret, Accipe Præfecturæ dignitatem, ſume etiam Conſulatum generis tui, tantùm vt adores deos. Beatus Chryſogonus reſpondit: Vnum Deum mente adoro, corde colo, ſinceris actibus veneror: iſtorum autem deorum veſtrorum ſimulacra, quia omnino dæmonum thecas noui eſſe, execror, atque abiicio. Tunc iuſſu Diocletiani ductus eſt ad aquas Gradatas, & ibidem decollatus. Corpus eius in mare proiectum, poſt modicum in poſſeſſione, quæ dicitur ad Saltus, inuentum eſt. Quod ſanctus Zoilus, ſenex presbyter collegit, & in locello ſubterraneo in cubiculo ſuo poſuit. Cui etiam caput eius reuelatum eſt, ita recens, quaſi eâdem die fuiſſet abſciſſum, quod corpori eius compaginauit. Paſſus eſt autem B. Chryſogonus VIII. Kal. Decembris, V. Kalend. eiuſdem menſis conditus. Sanctus verò Zoilus triceſimo die paſſionis eius, apparente ſibi S. Chryſogono, perrexit ad Dominum.

*Altera S. Anaſtaſiæ epiſtola.*

*Chryſogoni reſcriptum.*

G. VII. KALENDAS DECEMBRIS. *25. Nou.*

NATALE ſancti Petri Alexandrini Epiſcopi. Hic duodecim annos in Epiſcopatu illius vrbis exegit: quorum tres ante perſecutionem, reliquos verò nouem ſub diuerſis tentationum generibus duxit. Cumque ſe ſemper in omni agone perſecutionum poſitus, arctioribus vinculis continentiæ diſtringeret, & ad vtilitatem atque inſtructionem Eccleſiæ in verbo Dei nobiliter inſiſteret, ſatisque vigilanter erga omnem ſacerdotij curam diebus ſudaret ac noctibus, nono perſecutionis anno, Epiſcopatus verò ſui duodecimo, martyrij coronam capitis obtruncatione promeruit. Ad hunc namque comprehendendum Maximinus tyrannus Tribunum quemdam direxit. Qui ingreſſus Alexandriam, reperit eum cum multitudine populi, ſanctorum Apoſtolorum commemorationem celebrantem: quem comprehenſum, & vinculis alligatum, poſuit in cuſtodiâ carceris. Et poſt dies aliquot Maximinus tyrannus litteris admonuit Tribunum, vt quàm celeriùs eum puniret. Intereà dum in carcere ſeruaretur, & vniuerſus populus vrbis Alexandriæ, fores carceris obſeruaret amore Paſtoris ſui, Arius infelix, qui à beato Petro excommunicatus & degradatus propter dogma erroris habebatur, cognitâ ſententiâ Maximini aduerſus beatum Petrum, feſtinè peruenit ad Eccleſiam, obſecrans vt pro eo clerus & populus apud Epiſcopum intercederet, putans quòd poſt diſceſſum eius ipſe leuaretur Epiſcopus. Venien-

*Euſeb. l. 7. cap. vlt. & lib. 9. c. 5. Ruff. 6.*

nien-

nientes igitur qui rogati fuerant,cœperunt pro Ario, beatum Epiſcopum ſupplicare. Quibus ſanctus Epiſcopus magno ſuſpirio reſpondit,quòd iam Arius Deo mortuus,à facie Dei proiectus eſſet, quia grauiter in eſſentiam Deitatis blaſphemaſſet, dogmarizans Patrem & Filium & Spiritum ſanctum non eſſe vnius eſſentiæ & naturæ. Et apprehendens duos presbyteros Achillam & Alexandrum de turbâ ſeorſum, ait illis ſecretè: Ego quidem etſi peccator ſum, tamen ſcio me vocatione cæleſti ad hunc agonem martyrij eſſe vocatum. Vobis igitur pium eſt confiteri myſterium Dei,quod mihi reuelatum eſt,quia vos poſt martyrium meum, ſedem & Epiſcopatum meum conſecuturi eſtis. Et tu quidem primus Achilla: poſt te verò Alexander. In hac horâ denique noctis, vt vobis totum de Ario aperiam, cùm ſolemni conſuetudine Deo ſacrificium orationum conſummaſſem:ecce ſubitò apparuit mihi in habitu pueri Chriſtus Dominus meus, ad cuius præſentiam ſplendore nimio illuſtratus, vultum Maieſtatis eius non valebam adſpicere. Erat autem indutus colobio lineo candido nimis, conſciſſo à ſummo vſque deorſum: & ambabus manibus coniungebat eum circa pectus ſuum, quodammodò cooperiens nuditatem ſuam. Quem vt vidi, timore nimio correptus,randem confortatus,aio ad eum: Quid eſt Domine,quòd video tunicam tuam ſciſſam à ſummo vſque deorſum? Qui reſpondens,dixit mihi: Quotidie inde tractas, & neſcis quomodo ſciſſa eſt? Arius namq; hoc fecit,qui ſeparauit à me populum hereditatis meæ,comparatum ſanguine meo. Præcipio nunc & moneo, ne recipias eum in communionem, nec roganribus his qui venturi ſunt ad te,quos ille direxit,veniam ei præſtes.Hæc quæ tibi manifeſtaui,duobus presbyteris nota facias, vt ipſi poſt te,eum anathematizando abiiciant, ne illius errore populi decipiantur. Exhortationis igitur ſermonem eis faciens, & vt in Catholicæ fidei vnitate manerent, commendans eos Domino in quem crediderant, dimiſit in pace. Nimio verò amore illius cùm populi circa carcerem detinerentur, & apertè de carcere educi beatus Petrus non poſſet: noctis medio Tribunus vnà cum militibus, rupto pariete carceris, per modicum foramen ad locum vbi decollandus erat, eum perduci fecit. Sanctus itaque Petrus oratione factâ ad ſepulcrum beati Marci Euangeliſtæ, & ſanctorum ſucceſſorum eius Aniani,Demetrij, Eraclij & Theonæ, inclinans genua ſua,& gratias agens Deo, qui eum Martyribus ſuis ſociaſſet, extendit ceruicem ſuam gladiatori, atque ita percuſſus, martyrij palmam adeptus occubuit. Et reuerenter inde à Chriſtianis ſublatus, in locum qui dicitur Leocados, in cœmeterio quod ipſe ædificauerat, ad Orientem ciuitatis Alexandriæ, ſepultus eſt. Hic quotieſcumque ingrediebatur in Thyſiaſterium, & aſcendebat ad ſuperioris pulpiti locum, oratione factâ, & pace datâ populo, videbat ignis ſplendorem quaſi egredientem de ſede. Ad cuius fulgorem, eius mens in nimium amorem contemplationis Dei rapiebatur, tantaque (virtutem anteceſſorum ſuorum conſiderans) humilitate tunc ſe deponebat, vt numquam in throno eminentiori, vbi ipſi reſederant, ſed ſub ſcabello pedum illorum ſederet. Paſſus eſt autem hic beatiſſimus Epiſcopus tempore Maximini Imperatoris, qui decimam perſecutionem à Diocletiano & Maximiano cœptam in Orientis partibus exercuit. Cum quo ſimul & alij plures ex Ægypto Epiſcopi trucidantur cum Clericis & laicis ferè ſexcentis ſexaginta.

26. *Nou.* D. VI. KALENDAS DECEMBRIS.

*Pontificale cap. 2.* NATALIS ſancti Lini Papæ, qui poſt Apoſtolum Petrum, primus Romanam Eccleſiam tenuit annis duodecim, menſibus tribus, ac duodecim diebus: & martyrio coronatus, ſepultus eſt in Vaticano. Huius Lini Paulus in epiſtolâ ad Timotheum meminit. *2. Tim. 4.*

Apud

Apud Alexandriam, S S. martyrum Fauſti presbyteri, & Dij, & Ammonij: qui cum B. Petro eiuſdem vrbis Epiſcopo, iubente Maximino, trucidati ſunt. *Euſeb. li. 8. cap. 25. Ruff. 14.*

Eodem die, B. Alexandri Epiſcopi & martyris, ſub Antonino Imperatore. Cui beato Epiſcopo, cùm eſſet famoſiſſimus in miraculis, quodam tempore delatus eſt quidam mortuus: cuius parentes cùm hortaretur ſanctus vir vt crederét in Chriſtum, ſpoponderunt ſe facturos, ſi iſdem mortuus ſuſcitaretur. Tunc ſanctus vir oratione factâ, conuerſus ad corpus, dixit: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ſurge. Qui ſtatim ſurgens, clamare cœpit: Audite parentes, & populus vniuerſus. Ductus à duobus Ægyptiis vultu teterrimis, iraque plenis, poſitus ſum in obſcuriſſimo loco, vbi erat puteus: ſubitoque veniente quodam iuuene, nimio ſplendore coruſco, totus ille locus contremuit, & exclamauit iuuenis ille ſplendidiſſimus: Remittite puerum, quia vocatur à famulo Dei Alexandro. Et ecce reductus ſum in corpore. Nunc domine Alexander, baptiza me in nomine Dei tui, ne vltrà videam, quod hodie vidi. Vocabatur is Luceius: cum quo baptizati ſunt alij centum vigintiquinque. Cumque rumor B. Alexandrum vbique ſpargeret, Antoninus direxit Cornelianum præſidem, vt Alexandrum Epiſcopum ei exhiberet: qui inuenit eum die Dominicâ in Eccleſiâ docentem, & Miſſas agentem: & ſicut Imperator iuſſerat, apprehenſum perduxit Romam. Secuti ſunt autem eum Creſcentianus presbyter, Bonifacius, & Vitalio. Præſes verò ligatis manibus eius retrò, obtulit eum Antonino: à quo interrogatus, cùm de Chriſto conſtantiſſimè peroraret, fuſtibus iuſſus eſt mactari, & grauiſſimè cædi, deinde in cuſtodiam claudi. Quò cùm à militibus duceretur, Antoninus poſt illum clamauit: Quatuor dierum à me tibi dantur induciæ, vt depoſito cultu vanitatis tuæ, vltroneus aduenias. Cui ſanctus Martyr reſpondit: Quatuor dies iam æſtima præteriſſe; quod deſideras, hodie comple. Miſſo igitur illo in cuſtodiam, B. Creſcentianus ſedens ſub arbore, cœpit plorare, & præ triſtitiâ ſoporatus dormire. Cui viſus eſt Angelus Domini, & dixit ei: Iam fui ad Alexandrum, & ſolui vincula eius, & confortaui eum: & nunc ne ſedeatis ſub hac arbore, ne fortè tyranno nuntiemini. Eductus igitur de cuſtodiâ beatus Alexander, iterùm ſiſtitur Antonino, & ſuſpenſus in equuleo, iubente impio, lampades ardentes circa latera ei appoſitæ ſunt, ac vngulis corpus illius abraſum. Deinde ex equuleo depoſitus, ductus eſt ad templum Apollinis. In quod ingreſſus, ſtatim vt orauit, pars aliqua templi, & ſimulacrum Apollinis cecidit. Antoninus verò hoc factum magicis artibus deputans, ſedens pro tribunali, ſanctum Epiſcopum ad beſtias damnauit. Et cùm nulla eum tetigiſſet, fornacem igneam parari iuſſit, & beatum virum in eam iactari. Vt autem ſanctus Martyr expanſis manibus in medio fornacis orauit ad Dominum, totus ignis ita extinctus eſt, vt nec veſtigium caloris remaneret. Tunc Antoninus de fornace ſanctum virum eductum decollari præcepit. Cumque iam duceretur à militibus, quidam iuuenis ex officio Antonini, Herculanus nomine, exclamauit, dicens: Antonine inſenſate tyranne, cur cæcus & ſurdus perduras? Ecce famulus Dei poſt virgas, poſt equuleos tuos, & lampades, atque vngularum attactus, poſt templi & idoli tui ruinam, poſt leonum & vrſorum rabiem deuictam, poſt fornacis ignem extinctum, nunc ad decollandum gaudio repletus vadit. Quis dubitet verum Deum eſſe, qui ita ſuos confortat? Antoninus hæc audiens, Infelix, inquit, iuuenis, quid tibi factum eſt, vt tales ſermones loquaris? Et iratus, iuſſit iuuenem teneri, quem cùm diuerſis cruciatibus afflixiſſet, gladio conſummauit. Beatus verò Alexander cùm duceretur, obuiauit ei quædam vidua, quam beatus Martyr rogauit, dicens: Commoda mihi orarium. At illa præſtitit ei. Officiales autem dixerunt mulieri: Perdidiſti orarium tuum. Facto itaque ſigno Crucis, expoliauit ſe beatus Martyr tunicâ,

nicâ,& in lineâ ſtans,texit ſibi de orario oculos, dein poſitis genibus ſuſcepit gladium viâ Claudiâ,vigeſimo miliario ab Vrbe. Et factus eſt terræmotus,& vicus & thermæ ceciderunt. Sanctus autem Creſcentianus, & hi qui cum illo erant, reuelante Martyre, tulerunt ſanctas reliquias eius, & ſepelierunt in loco vbi orans fornacis ignem extinxerat. Et poſuit ſupra ſcriptum marmor continens : *Hic requieſcit ſanctus & venerabilis martyr Alexander Epiſcopus. Cuius depoſitio celebratur vndecimo Kalendas Octobris.* Cui Papa Damaſus poſtmodum cryptam condignam faciens,illic eum ſexto Kalendas Decembris tranſpoſuit, quando & feſtiuitatem ei dicauit. Orarium porrò illud ſibi præſtitum,vnde ſibi Martyr oculos texerat, mox vt decollatus eſt, mulieri per quemdam puerulum, quem Angelum fuiſſe non eſt dubium,reformatum eſt. Quod illa non ſine grandi ſtupore recepit, & verè martyrem confeſſa Alexandrum, Chriſto credidit.

27. *Nou.* B. V. KALENDAS DECEMBRIS.

NATALIS ſanctorum martyrum Vitalis & Agricolæ, qui apud Bononiam Italiæ vrbem, poſt alia tormenta, vltimò crucifixi martyrium compleuerunt. Quorum corpora poſtmodum,cùm eſſent poſita inter ſepulcra Iudæorum, & populo Chriſtiano prorſus incognita, beatus Ambroſius(ipſis ſanctis Martyribus reuelantibus)apud Bononienſem ciuitatem reperit : quæque exſtructâ eccleſiâ, cum magnâ fidelium lætitiâ & dæmonum pœnis confitentium merita Martyrum,ſub altari depoſuit.

*Greg.Turon de glor. Conf. c.83.* In Galliis, ciuitate Regienſi, natalis S. Maximi Epiſcopi, qui à primæuâ ætate virtutum omnium gratiâ præditus, primùm Lirinenſis cœnobij Pater: deinde Regienſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſignis & prodigiis inclytus extitit. Denique inter alia geſta magnifica,tres mortuos viuens: vnum tactu(quod ad ſepulcrum vehebatur) loculi, mortuus ſuſcitauit.

28. *Nou.* C. IV. KALENDAS DECEMBRIS.

*Act. 18. 1. Cor. 1.* NATALIS S. Soſthenis Apoſtolorum diſcipuli.

Eodem die,ſancti Rufi martyris,quem Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cum omni domo ſuâ,per Chryſogonum martyrem lucratus eſt:quem cum omni domo ſuâ Diocletianus punitum,Chriſto Martyrem fecit.

*Victor Afr. lib. 1. & 3.* Eodem die apud Africam,natalis ſanctorum martyrum Papinij & Manſueti Epiſcoporum:qui tempore VVandalicæ perſecutionis ſub Geiſerico Rege Ariano, pro fidei Catholicæ defenſione, candentibus ferri laminis toto corpore aduſti, glorioſum agonem conſummauerunt. Quo tempore etiam alij ſancti Epiſcopi, videlicet Quoduultdeus Carthaginienſis, Valerianus, Vrbanus, Creſcens, & qui vocabatur Habetdeum, & Euſtachius, Creſcentianus & Creſconius, & Felix, & Hortolanus, & Florentianus, propter eamdem prædicationis veritatem, grauiſſimo damnati exilio, in confeſſione pietatis, curſum vitæ ſuæ conſummauerunt.

29. *Nou.* D. III. KALENDAS DECEMBRIS.

VIGILIA ſancti Andreæ Apoſtoli.

*De his in geſtis Marcelli Papa 16. Ian.* Et Romæ, natalis ſancti Saturnini martyris, Sennis & Siſinnij diaconorum, ſub Maximiano : à quo primò inter alios ſeruos Dei damnati ſunt ad fodiendam arenam, ad faciendas thermas Diocletianas:quorum vnum Siſinnium præſentatum ſibi, cùm interrogaſſet idem Maximianus quis vocaretur, reſpondit: Ego peccator Siſinnius,ſeruus ſeruorum Domini Ieſu Chriſti. Cui cùm poſt alia diceret Maximianus, Aut ſacrifica deo Herculi, aut carnes tuas ignibus cremabo. Reſpondit, Et ego quidem ſemper hoc optaui ( verumtamen ſi meritus fuero ) vt deſideratam coronam accipiam. Traditus igitur Laodicio præfecto, miſſus

miſſus eſt in cuſtodiam decem & ſeptem diebus. Inde exhibitus eſt ab Aproniano commentarienſi adſpectibus Laodicij. Et ſubitò lux de cælo facta eſt, & vox cum luce audita eſt: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi.* Matth. 25. Tunc Apronianus tremefactus cecidit ad pedes Siſinnij diaconi, dicens: Adiuro te per Chriſtum, quem confiteris, ne tardes me baptizare, & facias me tecum pertingere ad coronam. Qui baptizatus, ſtatim obtruncatione capitis coronam martyrij inuenit. Retruditur iterùm in cuſtodiam Siſinnius, & ſenex Saturninus cum illo, vbi multos gentiles venientes ad ſe docebant, & baptizabant. Poſt quadragintaduos dies vincti catenis, ac nudis pedibus educti denuò ante Præfectum, delata eſt tripoda vt ſacrificarent. Tunc beatus Saturninus dixit: Conterat Dominus deos Gentium. Et continuò ſoluta eſt tripoda ærea velut lutum. Quod videntes duo milites, Papias & Maurus, crediderunt Chriſto. Et comprehenſi à Laodicio, non multò pòſt martyrio coronati ſunt. Deinde Laodicius beatum ſenem Saturninum & Siſinnium in equuleo iuſſit leuari, & attrahi neruis, ac fuſtibus & ſcorpionibus cædi. Quibus etiam poſtmodum flammas ad latera iuſſit apponi, & depoſitos equuleo, ductoſque miliario ſecundo viâ Numentanâ, capite truncari. Quorum corpora cum Ioanne presbytero colligens Thraſon vir Chriſtianiſſimus, qui de facultatibus ſuis Martyribus multa miniſtrauerat, ſepeliuit in prædiolo ſuo, viâ Salariâ, ſub die tertio Kalendar. Decembr.

Eodem die apud Toloſam, natalis ſancti Saturnini Epiſcopi: qui temporibus Decij, in Capitolio eiuſdem vrbis à paganis tentus, eò quòd ad eius præſentiam omnes ipſorum dij obmutefacti, nullum ſacrificantibus ex more poſſent dare reſponſum: tauro ad victimam præparato funibus religatus eſt. Quo vehementiùs ſtimulato, à ſummâ Capitolij arce per omnes gradus præcipitatus, capite colliſo, excuſſoque cerebro, & vniuerſo corpore dilaniato, dignam Chriſto animam exhalauit. Cuius nunc ſacrum corpus in Eccleſiâ condigno honore veneratur. Greg. Turon. de glor. MM. c.48.

E. PRIDIE KALENDAS DECEMBRIS. 30. Nou.

NATALIS S. Andreæ Apoſtoli. Vide lib. de Feſt. Apoſt.

Ipſo die, natalis ſancti Troiani Epiſcopi, apud Santonas, magnæ virtutis & ſanctitatis viri: qui ſepultus terris, cælo ſe viuere, multis virtutibus manifeſtat. Greg. Turon. de glor. Conf. c.59.

## LITANIÆ INDICENDÆ.

# MENSIS DECEMBER

## habet dies XXXI. Luna verò XXIX.

F. KALENDIS DECEMBRIS. 1. Dec.



NATALE ſanctorum martyrum Chryſanthi & Dariæ: qui tempore Numeriani ſub iudice Celerino Romæ paſſi ſunt. Chryſanthi pater Polemius, vir illuſtris fuit, Alexandrinus genere. Hic filium ſuum cuidam virgini elegantis pulchritudinis coniunxit, quam ex nobiliſſimis Romanis fuiſſe conſtat. Hanc Chryſanthus à beato Carpophoro presbytero in diuinis litteris ſatis fideliter eruditus, ad fidem Chriſti conuertens, & prædicatione ſuâ, vt virginitatem ſuam Deo ſeruaret inſtituens, & vt pariter nomen coniugij habentes caſtè viuerent, efficiens, baptizari fecit. Factumque eſt vt per Chryſanthum

multitudo virorum, & per Dariam (ſic enim vocabatur) innumerabiles feminæ ad Chriſti gratiam confluerent. Igitur poſt aliquod tempus orta eſt ſeditio aduerſus eos, quòd eſſent Chriſtiani, Celerino tunc præfecto Vrbis. Qui vtroſque comprehenſos, tradidit tribuno Claudio, vt diuerſis pœnis eos interficeret. Claudius verò tribunus ſeptuaginta militibus ad torquendũ Chryſanthum dedit. Qui neruis crudis eum adſtringunt, ſed mox ligamenta omnia reſoluta ſunt. Deinde in cippo nodoſiſſimo, ita vt in tertio puncto eius tibiam coarctarent, eum mittunt: moxque totum lignum cippi in cinerem reſoluitur. Deinde perfundunt eum lotio humano putentiſſimo, Vt maleficia, inquiunt, tua amittas. ſed fœtor in ſuauem odorem mutatus eſt. Deinde in corio recenti vitulino conſtringunt nudum, & ad ſolem ferventem componunt: ſed virtute diuinâ corium vt erat molle permanſit. Deinde collum, manus, ac pedes catenis conſtringentes ferreis, claudunt eum in obſcuriſſimo loco: ſed ſtatim catenæ reſolutæ ſunt, & tanta lux infulſit, vt putarentur illic innumeræ lampades fulgere. Milites ergo renuntiauerunt hæc omnia Tribuno, qui iuſſit eum ſibi exhibitum fuſtibus cędi. Sed allatæ virgæ rigidiſſimæ, ilicò cœperunt in manibus cædentium molleſcere. Quod videns Claudius, iubet eum erigi, & veſtimentis indui: & genibus eius prouolutus, cum vniuerſis militibus orabat ſe fieri Chriſtianum. Quid mora? catechizatus Baptiſmi gratiam percepit: cum illo & Hilaria vxor, duo filij eius Iaſon & Maurus, amici & familiares eius, ſeptuaginta milites cum vniuerſis ſuis. Quod factum Imperator audiens, Chryſanthum & Dariam iuſſit in carcere Tulliano recludi, vnde putor horribilis aſcendebat, quia domorum & ciuitatis ſtercora per cloacarum cuniculos iugiter illuc decurrebant. Exinde Daria in publico meretricum lupanari ponitur. Sed Chryſantho lux diuina, & odoramenta ſuauia præſtantur: Dariæ verò leo de caueâ fugiens, Domini virtute ad tutelam donatur: qui ingreſſus cellulam, in quâ Sancta Dei in oratione proſtrata iacebat, iuxta eam proſternitur, vt venientes & ingredi volentes, vi ſuâ repelleret. Cumq; plures hoc miraculo perculſi, Chriſti potentiam venerarentur, Celerinus præfectus iuſſit ignem copioſum in ingreſſu cellæ, vbi beata Daria cum leone erat, accendi. Tunc cùm iam leo paueret, ac rugitum daret, ait beata Daria: Egredere ſecurus, & vale, quia ille, quem in me honoraſti, ipſe te liberat. Exhibitis iterùm, iubente Imperatore, Chryſantho & Dariâ Celerino pręfecto, Chryſanthus equuleo ingenti ſuſpenditur, ſed ſtatim omnia ligna equulei comminuta, ac vincula dirupta ſunt, lampades quoque applicatæ lateribus eius extinctæ. Hoc Celerinus præfectus vehementer expaueſcens, nuntiauit Imperatori. Ille hoc maleficijs deputans, iuſſit eos duci viâ Salariâ in arenario, & viuos deponi, ac terrâ & lapidibus obrui. Paſſi ſunt autem die Kalendarum Decembrium. Ad quorum venerandam Memoriam cùm multa beneficia Deus præſtaret, contigit vt ad diem natalis eorum infinita populi multitudo concurreret. Hoc nuntiatur Imperatori: qui iuſſit vt in introitu cryptæ paries leuaretur. Ac ſic factum eſt, vt omnes pariter dum Sacramenta Chriſti perciperent, martyrij gloriam celebrarent. Inter quos erat Diodorus presbyter, & diaconus Marinianus, & plurimi clericorum.

Ipſo die, beati Eligij Epiſcopi Nouiomenſis, glorioſi in miraculis.

G. IIII. NONAS DECEMBRIS.

2. Dec. * al. Bibianæ. De hac in geſtis ſancti Pigmenij 24 Mart.

NATALE ſanctæ * Viuianæ martyris, beatorum martyrum Fauſti & Dafroſæ filiæ. Quæ iubente Imperatore ſacrilego, tam diu plumbatis cæſa eſt, donec ſpiritum redderet. Cuius corpus biduò, iuſſu Imperatoris in foro iacuit: tandem raptum à Ioanne presbytero, ſepultum eſt in domo, vbi mater & ſoror eius Demetria iam ſepultæ erant, iuxta palatium Licinianum Romæ, quarto Nonas Decembris.

A. III. NONAS DECEMBRIS. 3. Dec.

TINGI metropoli Mauritaniæ Tingitanæ, natalis ſancti Caſſiani martyris glorioſi.

Item, natale SS. martyrum Claudij tribuni, & vxoris eius Hilariæ, ac filiorum Iaſonis & Mauri, & LXX. Militum, qui omnes ad prædicationem B. Chryſanthi crediderunt in Chriſto. Quod vt nuntiatum eſt Numeriano Imperatori, iuſſit Claudium tribunum ingenti ſaxo alligatum præcipitari in medio mari: Milites verò ſeptuaginta, ac Iaſonem & Maurum filios Claudij, capitali ſententiâ puniri. Erat autem in loco, vbi decollati ſunt, cuniculus antiquus. Hunc emundantes noctanter Chriſtiani, ſimul in vnum omnia corpora ſepelierunt, non longè ab vrbe Româ viâ Salariâ. Corpora autem filiorum ſuorum Iaſonis & Mauri collegit ſancta Hilaria, relicta martyris Claudij. Quæ dum aſſiduis obſequiis ad Sanctorum confeſſionem oraret, à paganis tenta eſt. Quam dum traherent, rogauit eos dicens: Obſecro vos, permittite me priùs orationem meam complere. Et dum fixiſſet gradum, accepit Sacramentum Domini, & expandens manus ſuas, proiecit ſe in orationem, & dum oraret, emiſit ſpiritum. Qui tenuerant eam, dolentes ſuper repentinum obitum eius, reliquerunt duas ancillas eius quæ cum eâ erant: quæ ſepelierunt eam diligentiſſimè in hortis ſuis, & ſuper eam breuiſſimam eccleſiam fabricauerunt.

*De his in geſtis Chryſanthi & Dariæ 25. Octob.*

B. PRIDIE NONAS DECEMBRIS. 4. Dec.

ROMAE, natale ſanctorum martyrum Symphronij & Olympij, temporibus Valeriani & Gallieni Imperatorum. Horum vnum Symphronium, creditarium beati Nemeſij, ſibi præſentatum Valerianus iuſſit tradi Olympio tribuno, vt ab eo facultates Nemeſij requireret, ſub pœnarum examinatione. Præſentatus ergo Olympio, & ab eo interrogatus, reſpondit: Si facultates quæris Nemeſij domini mei, iam eas Chriſto tradidi, quoniam ipſius fuerant, & erunt. Si autem ſacrificium offerre me compellis, ſacrifico, ſed Chriſto Ieſu Domino meo ſacrificium laudis & confeſſionis, cui ſe obtulit & dominus meus Nemeſius. Tunc irâ repletus Olympius, fecit eum extendi in cataſtâ, atque fuſtibus mactari, deinde ſimulacrum Martis aureum vnà cum tripodâ deferri. Quod ſtatim ad verba Symphronij reſolutum eſt. Videns autem Olympius, cœpit admirari, & veniens ad vxorem ſuam Exuperiam, indicauit ei quomodo in nomine Dei ſui Symphronius ſimulacrum Martis liquefeciſſet. Eâdem verò nocte venientes cum filio vnico nomine Theodulo, proſtrauerunt ſe ad pedes Symphronij, agentes pœnitentiam, & Baptiſmum ſalutis expoſcentes. Euocatus itaque beatus Stephanus Pontifex, venit noctu ad domum Olympij, & catechizatum baptizauit; vxoremque eius Exuperiam ac filium Theodulum, & quotquot crediderunt in domo Olympij. Quod vt audierunt Valerianus & Gallienus, nimio furore accenſi, iuſſerunt Symphronium ſibi præſentari, miſſiſque militibus, adduxerunt eum vinculis ferreis oneratum, nudumque ac capiſtratum, ſimul & Olympium cum vxore ſuâ, & filio Theodulo. Gallienus itaque dixit Olympio: Adhuc quidem differo pœnarum tibi inferre ſupplicia, quia de tuâ conſcientiâ dubius non ſum, quòd nequaquam deſeras deos, quos ſemper adoraſti, & alios compellebas adorare: nam & tormentis multis perſequebaris vſque ad effuſionem ſanguinis, qui non præberent conſenſum ſacrificare diis noſtris. Olympius reſpondit: Ego quidem feci non quaſi Olympius, ſed quaſi impius & crudelis. Pro quibus commiſſis pœniteo, & effundo lacrymas amaritudinis in conſpectu eius, cui credo, Deo viuo & vero, Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, vt dignetur mihi remittere iniquitatem, quam exercui in ſanguine Sanctorum eius, quem feci effundi. Tunc data eſt ſententia, vt igne conſumerentur. Ducti ſunt itaque

*De his in actis ſancti Stephani Papæ 2. Auguſti.*

ante ſtatuam Solis iuxta Amphitheatrum, fixiſque ſtipitibus,& ligatis manibus deuincti ſunt, & in ſarmentorum ſpinarumque congerie ignis ſuppoſitus. Statimque in ipſo ignis initio,gratias Chriſto Domino decantantes,emiſerunt ſpiritum. Relictis autem corporibus eorum, milites abierunt. Adueniens autem ſanctus Stephanus Epiſcopus cum clericis ac religioſis, & hymnis ex more redditis, abſtulerunt corpora martyrum Symphronij, Olympij, Exuperiæ ac Theoduli, & ſepelierunt iuxta viam Latinam miliario primo,ſub die ſeptimo Kalendarum Auguſti. Tranſlata verò à beato Sixto Pontifice, celebrem diem fecerunt ſecundo Nonas Decembris.

*5. Dec.*

C. NONIS DECEMBRIS.

*Auguſt. in Pſal. 120. 137. de virgin. cap. 44. Serm. 53. de verb. Dom. & 39. de diuerſis.*

IN Africâ apud Coloniam Thebeſtinam, natalis ſanctæ Criſpinæ, quæ temporibus Diocletiani & Maximiani, cùm ſacrificare noluiſſet, iuſſu Anulini proconſulis decollata eſt.

Eodem die, natale ſancti Dalmatij martyris.

Item ipſâ die Treuiris, S. Nicetij Epiſcopi, totius ſanctitatis viri, qui in baſilicâ B. Maximini Epiſcopi ſepultus quieſcit.

*6. Dec.*

D. VIII. IDVS NOVEMBRIS.

SANCTI Nicolai Myrorum Lyciæ Epiſcopi.

*Victor Afr. lib. 3.*

Apud Africam, SS. Dionyſiæ, Datiuæ, Leontis, & Æmiliani medici, & religioſiſſimi viri nomine Tertij, & Bonifacij, & Seruilij, & Victricis, & Maiorici adoleſcentis: qui omnes in perſecutione VVandalicâ, ſub Hunnerico Rege Ariano, pro confeſſione fidei Catholicæ, apud Africam, & ne ab Arianis rebaptizarentur, grauiſſimis & innumeris ſupplicijs excruciati, Confeſſorum Chriſti numero ſociari meruerunt. E quibus prædictus venerabilis adoleſcens Maioricus Dionyſiæ matris exhortationibus roboratus, in certamine confeſſionis ſpiritum reddens, curſum palmiferum conſummauit.

*7. Dec.*

E. VII. IDVS DECEMBRIS.

*Euſeb. l. 6. cap. 34. Ruff. 31.*

APVD Alexandriam, natalis B. Agathonis martyris, ſub Decio Imperatore. Qui cùm eſſet militaris, & aſſiſteret vbi beatiſſimi Martyres cruciabantur, (inter quos Iulianus & Eunus, in Domini Ieſu Chriſti confeſſione perdurantes, admiranda ſpectacula martyrij ſui Angelis & hominibus præbuerunt) & quoſdam volentes etiam mortuis illudere cadaueribus Martyrum, prohiberet, clamor repentè totius vulgi aduerſus eum extollitur. Offertur Iudici fortiſſimus miles iam Domini, & nuſquam ſe inferior factus, in confeſſione perſiſtens, capite pro pietate damnatur. Paſſus VII. Idus Decembris.

*Greg. Tur. de glor. CC. cap 57.*

Apud Sanctonas, B. Martini Abbatis, diſcipuli ſancti Martini Turonicæ vrbis Epiſcopi: qui in monaſterio, quod ipſe ædificauit, in pace quieſcit. Ad cuius tumulum creberrima diuinitus fiunt miracula.

*8. Dec.*

F. VI. IDVS DECEMBRIS.

*Pontificale cap. 28.*

ROMAE, natalis ſancti Eutychiani Papæ, qui rexit Eccleſiam anno vno, & ſub Aureliano Imperatore martyrio coronatus, ſepultus eſt in cœmeterio Calliſti. qui & ipſe per diuerſa loca trecentos & quadragintaduos Martyres manu ſuâ ſepeliuit.

*Euſeb. l. 6. cap. 34. Ruff. 31.*

Ipſo die apud Alexandriam, ſancti Macarij ſub Decio: qui gente Libycus, cùm multis verbis à Iudice ad negandum ſuaderetur, & eò maiore conſtantiâ fidem ſuam profiteretur; viuus ad vltimum iubetur exuri.

*9. Dec.*

G. V. IDVS DECEMBRIS.

NATALIS ſanctæ Leocadiæ virginis: quæ tempore Diocletiani & Maximiani à præfecto Hiſpaniarum Daciano, apud Toletum dirâ carceris cuſtodiâ macerata eſt. Vbi cùm grauiſſimos B. Eulaliæ & reliquorum Martyrum,

qui

Digitized by Google

qui à Daciano interficiebantur, audiſſet eruciatus; genibus in oratione poſitis, impollutum ſpiritum Chriſto reddidit.

Item eodem die, B. Cypriani Abbatis Petragorici, magnificæ ſanctitatis, & clariſſimi in miraculis viri. *Gregor. Turon. de glor. Conf. c. 100*

A. IV. IDVS DECEMBRIS. *16. Dec.*

APVD Emeritam Hiſpaniæ ciuitatem, natale S. Eulaliæ virginis. Quæ cùm eſſet annorum XIII. iuſſu Daciani præſidis plurima tormenta perpeſſa, nouiſſimè in equuleo ſuſpenſa, & exungulata, facibus ardentibus ex vtroque latere appoſitis, hauſto igne ſpiritum reddidit, & cernentibus Chriſtianis in ſpecie columbæ niueę cælum petiit. Cuius beatum corpus per triduum iuſſu Præſidis pependit in ligno. Sed cui humana fuerant obſequia denegata, cęleſtia fuerunt munera conceſſa: nam nix deſuper corpus puellæ adſperſit, vt quod ab vtraque parte appoſitus ignis ardoris ſui incendio conflagrauerat, niuali candore coopertum diuina gratia dealbaret. Sicque à Chriſtianis reuerenter ablata, & deuotione debitâ ſub ſacro altari depoſita, miraculorum gloriâ illuſtratur. *Prudentius hymn. 3.*

Eodem die, apud præfatam vrbem, paſſio ſanctæ Iuliæ, quæ fuit conuirginalis ſanctæ Eulaliæ, illique ad paſſionem properanti indiuidua comes & ſodalis adhæſit.

Item apud * Hiſpolitanam ciuitatem, S S. martyrum Carpophori presbyteri, & Abundij diaconi, qui perſecutione Diocletiani, ſub iudice Martiano, in confeſſione Chriſti, primò fuſtibus crudeliſſimè cæſi, deinde in carcerem, negato cibo & potu, retruſi: vnde per Angelum educti, & verbum Dei prædicantes, iterùm tenti, & ora ipſorum lapidibus contuſa ſunt: rurſumque equuleo torti, & poſt hæc carcere diu macerati, nouiſſimè gladio percuſſi ſunt. ** al. Spoletanam*

B. III. IDVS DECEMBRIS. *11. Dec.*

DANIELIS Prophetæ.

Romæ ſancti Damaſi Papæ, qui rexit Eccleſiam annos octodecim, menſes tres, dies duos. *Pontificale cap. 38.*

Et natalis S S. Pontiani, Prætextati, atque Thraſonis martyrum. Qui Thraſo cùm eſſet potens & locuples, ac Chriſtianiſſimus; de facultatibus ſuis, S S. Martyribus in carceribus & metallis damnatis, victum miniſtrabat per beatum Siſinnium & Cyriacum, quos B. Marcellus ad hoc opus diacones conſecrarat. Non multò pòſt, & ipſe tentus à Maximino, Martyribuſque ſociatus, palmam martyrij cum duobus aliis prænominatis percipere meruit. *De his in geſtis Marcelli Papæ, 16. Ian.*

In Galliis, ciuitate Ambianis, natalis ſanctorum martyrum Victorici & Fuſciani, qui glorioſiſſimam fidei ſuæ confeſſionem ſanguine paſſionis decorauerunt.

In Hiſpaniis, S. Eutychij, cuius geſta habentur.

C. PRIDIE IDVS DECEMBRIS. *12. Dec.*

NATALE ſanctorum martyrum Hermogenis, Donati, & aliorum viginti duorum. *Euſeb. l. 6. cap. 34. Ruff. 31.*

Apud Alexandriam, beatorum martyrum Epimachij & Alexandri: qui multo tempore, cùm in vinculis & cruciatibus carceris torti, etiam frequenter & diuerſis ſupplicijs confecti perduraſſent in fide, ignibus poſtremò conſumi iubentur. *Idem ibid.*

Eodem die, natale S S. quatuor mulierum Ammonariæ, Mercuriæ, Dionyſiæ, item Ammonariæ. Aduerſus primam virginem Ammonariam Iudex ſumma contentione vtebatur, & immenſis eam atque exquiſitis cruciatibus affligebat, & maximè, quòd eius ſententiam vincere cupiebat, quia laudabili voce decreuerat, nihil ſe prorſus eorum, quæ ſibi contra fas imperabantur, acturam. *Idem ibid.*

Quæ ſtatuti ſui tenax ad vltimum capite punitur. Secunda verò, Mercuria, anus venerabilis, & fecundiſſima in filiis,ſed quos non prætulit Chriſto. Tertia,ſancta Dionyſia: & alia Ammonaria, quarta. dum nimiâ vtuntur conſtantiâ apud Iudicem,& ille vinci erubeſcit à feminis,inauditis tormentorum generibus tole-
Euſeb. l. 6. cap. 31. Ruff. 31. ratis, finem omnium ferro cædente ſuſcipiunt, gloriosè & venerabiliter apud Alexandriam ſepultæ. Scribit B. Dionyſius in libro de Martyribus.

13. Dec.

## D. IDIBVS DECEMBRIS.

APVD Syracuſam,Siciliæ ciuitatem, natale S. Luciæ virginis & martyris,quę paſſa eſt perſecutione Diocletiani & Maximiani, ſub Paſchaſio conſulari. Hæc nobiliſſima Syracuſanorum, poſtquam omnia ſua (quæ de parentibus ei remanſerant) pauperibus, viduis, orphanis, peregrinis, & Deo ſeruientibus diſtraxit;à ſponſo ſuo,quòd eſſet Chriſtiana, Paſchaſio iudici delata, & contra leges Auguſtorum viuere, impellebatur ad ſacrificandum dæmonibus. Tunc beata
Iacobi 1. Lucia Paſchaſio reſpondit: *Sacrificium verum & immaculatum apud Deum & Patrem hoc eſt, Viſitare viduas & orphanos in tribulatione eorum.* Ego per iſtos tres annos nihil aliud egi, niſi ſacrificaui Deo viuo: & nunc quia aliud nihil ſupereſt, me ipſam offero in ſacrificium Deo. Cui Paſchaſius poſt talia dixit: Ceſſabunt verba, cùm fuerit peruentum ad verbera. Lucia reſpondit: Dei verba ceſſare
Matth. 10. non poterunt. Ipſe enim dixit: *Cùm ſteteritis ante Reges & Præſides, nolite cogita-*
Mar. 13. *re quomodo aut quid loquamini. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus ſanctus qui loquitur in vobis.* Paſchaſius iterùm dixit: In te ergo eſt Spiritus ſanctus? Ad hæc Lucia reſpondit: Quòd caſtè & piè viuentes templum Dei ſunt, & Spiritus
1. Cor. 3. ſanctus habitat in eis, teſtatur Apoſtolus. Et cùm Paſchaſius iterùm dixiſſet, Ego faciam te ad lupanar duci, vt dum fueris ſcortata, fugiat à te Spiritus ſanctus. Beata virgo reſpondit: Numquam coinquinatur corpus, niſi de conſenſu mentis: nam etſi in manu meâ thura ponas, & per manum meam facias ſacrificium, Deus hæc attendit, & ridet. De ſenſibus enim & voluntatibus iudicat. Sic patitur violatorem caſtitatis, ſicut latronem, ſicut barbarum, ſicut ſerpentem: nam ſi me inuitam violari feceris, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam. Poſt hæc Paſchaſius tradidit eam lenonibus, dicens: Inuitate ad caſtitatem eius populos, & facite eam tam diu illudi, donec mortua nuntietur. Quam lenones nullatenus
*al. adiutis mouere potuerunt, cùm ſimul ex officio impellentes acceſſiſſent, nec funibus* additis, aut boum paribus plurimis. Tunc præcepit Paſchaſius miniſtris, vt ignem copioſum circa eam accenderent, picem verò & reſinam, & feruens oleum ſuper eam iactarent. Sed illa in nomine Domini Ieſu Chriſti immobilis ſtetit, dicens: Ego rogaui Dominum meum Ieſum Chriſtum, vt ignis iſte non dominetur mihi, quatenus tibi inſultem plaudens in Domino, & impetraui ab eo inducias martyrij mei, vt credentibus timorem tolleret paſſionis, & non credentibus vocem inſultationis auferret. Tandem gladio in gutture merſo percuſſa, quamdiu voluit, orauit; quamdiu voluit, turbam circumſtantem allocuta eſt. Nec omnino mortua eſt, donec venientibus Sacerdotibus, communionem Dominici corporis & ſanguinis acciperet. Paſſa eſt autem Idibus Decembris, & in loco vbi percuſſa eſt, ſepulta, baſilicâ ſuper corpus eius poſtmodum fabricatâ. Paſchaſius verò Romam perductus, eò quòd à Siculis fuiſſet accuſatus, quòd deprædaſſet prouinciam: ab omni Senatu audirus, accepit capitalem ſententiam.

14. Dec.

## E. XIX. KALENDAS IANVARII.

APVD Antiochiam, natalis ſanctorum martyrum, Druſi, Zoſimi, & Theodori.

Euſeb. li. 6. cap 34. Ruff. 31. Apud Alexandriam, natale SS. martyrum Heronis, Arſenij, & Iſidori, atque Dioſcori. Hi poſtquam Iudici oblati ſunt, Iudex primò omnium puerulum Dioſco-

Digitized by Google

Dioſcorum, tamquam pro ætate facilem flecti (etat enim xv. annorum) antè verbis, pòſt etiam verberibus agit. Quem cùm in nullo ſibi cedere videret, ferociùs eum cruciare cõtendit. Tum deinde ceteros variis tormentis dilanians, cùm pari modo conſtantiâ fidei videret armatos, tradi ignibus iubet. Dioſcorum verò puerum, quòd ſibi conſtanter & ſapienter in omnibus reſpondiſſet, admiratus Iudex, differri præcepit, ſpetans eum pro ætate pœnitudinem acturum. Sed ille confeſſionis gloriâ illuſtratus, diuino nutu ad conſolationem fidelium dimiſſus eſt. Acta hæc ſub Decianâ perſecutione.

Apud Cyprum, natalis S. Spiridionis Epiſcopi, admirandæ beatitudinis viri, *Ruff lib. 1. cap. 5.* qui vnus fuit ex illis Confeſſoribus, quos Maximianus dextris oculis effoſſis, & ſiniſtro poplite ſucciſo, per metalla damnauerat. Quique cùm propheticam vitam duceret, etiam ſignorum gloriâ inclytus fuit.

F. XVIII. KALENDAS IANVARII. *15. Dec.*

APVD Africam, ſancti Valeriani Epiſcopi & confeſſoris natale. Qui tempore *Victor African. lib. 1.* VVandalicæ perſecutionis (cùm ex præcepto Ceiſerici Regis Ariani, ad tradendum miniſteria diuina & libros arctarentur cuncti Domini Sacerdotes, ita vt iidem impij Ariani etiam de ipſis palliis altaris ſibi camiſias & femoralia facerent) viriliter, ne Sacramenta diuina traderet, dimicans, extra ciuitatem ſingularis expelli iuſſus eſt: & ita præceptum, vt nullus eum neque in domo, neque in agro permitteret habitare. Cumq; eſſet plus annorum octoginta, in ſtratâ publicâ multo tempore iacuit nudus ſub aëre. Sicque in confeſſione Catholicæ veritatis, & defenſione ſanctimonij, curſum beatæ vitæ impleuit.

Aurelianis, B. Maximini presbyteri, venerabilis ſanctitatis viri.

G. XVII. KALENDAS IANVARII. *16. Dec.*

MARTYRVM trium virorum ſanctorum, Ananiæ, Azariæ, & Miſaëlis. *Dan. 3.*

In Tuſciâ, natale ſanctæ Barbaræ virginis & martyris, ſub Maximiano *De eâ alij 4. Decemb.* Imperatore. Hæc primùm à patre ſuo Dioſcoro diu afflicta ſub dirâ cuſtodiâ, dein tradita præſidi Martiano, expoliata, neruis & taureis valdè cæſa, diſcerpta eſt, & cilicio plagæ eius defricatæ. Inde recluſa in carcere, vbi luce diuinâ conſolata eſt, mox circa latera eius lampades ardentes applicatæ, & caput eius malleis cæſum, & mamillæ eius præciſæ. Deinde nuda per plateas ducta, & flagellis diutiſſimè afflicta eſt. Ad extremum gladio data martyrium conſummauit decimoſeptimo Kalendas Ianuarij.

A. XVI. KALENDAS IANVARII. *17. Dec.*

TRANSLATIO S. Ignatij Epiſcopi & martyris: qui tertius poſt beatum Petrum Apoſtolum, Antiochenam rexit Eccleſiam. *De eo 1. Februarij fuſius.*

Item eodem die, beati Lazari, quem Dominus Ieſus in Euangelio legitur re- *Ioan. 11.* ſuſcitaſſe à mortuis: item beatæ Marthæ ſororis eius: quorum venerabilem memoriam extructa eccleſia non longè à Bethaniâ (vbi è vicino domus eorum fuit) conſeruat.

In Oriente, apud Eleutheropolim ciuitatem, ſanctorum Martyrum quinquaginta, qui ſub Saracenis paſſi ſunt.

B. XV. KALENDAS IANVARII. *18. Dec.*

NATALIS beatorum martyrum Rufi & Zoſimi, qui de illis primis diſcipulis *Vide lib. de feſt. Apoſt.* fuerunt, per quos primitiua Eccleſia in Iudæis & Græcis fundata eſt. Hi requieſcunt apud ciuitatem Macedonum Philippis.

Apud Africam, natalis S. Moyſetis martyris.

Turonis, S. Gatiani Epiſcopi, qui ad ipſam vrbem primus ab vrbe Româ Epiſcopus tranſmiſſus, multis clarus miraculis, ibi quieſcit in pace.



Digitized by Google

19. Dec. C. XIV. KALENDAS IANVARII.

Euſeb. li. 6. cap. 34. Ruff. 31. APVD Ægyptum, natale beati martyris Nemeſij: qui primò per calumniam quaſi latro iudici delatus eſt Æmiliano. Quo crimine abſolutus, poſt hoc Chriſtianus eſſe defertur. In hoc verò nulla à Iudice moderatio reſeruatur: ſed geminatis ſuppliciis excruciatum, cum latronibus iuſſit incendi, ignorans quòd Iſa. 53. Ioan. 19. crudelitate ſuâ optimo Martyri Saluatoris ſimilitudinem detulit, qui pro ſalute humani generis vnà cum latronibus pertulit crucem.

Greg. Tur. de glor. CC. cap. 99. Aurelianis, S. Auiti abbatis, qui ſpiritu prophetiæ illuſtris fuit, & honorificè in eâdem vrbe tumulatus eſt.

20. Dec. D. XIII. KALENDAS IANVARII.

Euſeb. li. 6. cap. 34. Ruff. 31. NATALIS beatiſſimorum martyrum Ammonis, Zenonis, Ptolomæi, Ingenui, & Theophili: qui tribunalibus apud Alexandriam adſtantes, cùm quidam Chriſtianus à Iudice torqueretur, & iam penè ad negandum declinaret, diſrumpebantur intra ſemetipſos, & vultu, oculis ac nutibus, velut erigere conabantur illum, qui in ſuppliciis poſitus trepidabat. Interdum etiam manus protendere, ac totius reliqui corporis motibus & habitu diuersè inclinati, tamquam ſubleuare lapſantis animum geſtiebant. Conuerſi verò ad eos omnes, & quid de ſemetipſis profiterentur, ex eorum motibus agnoſcentes, priuſquam in eos vulgus clamoribus inſiliret, ipſi in medium prorumpunt, ac ſeſe Chriſtianos eſſe teſtantur. Pro quorum victoriâ, glorioſiſſimè Chriſtus de antiquo generis humani inimico triumphauit, & verſâ vice, ex eorum confidentiâ, perſecutoribus terrorem, ſuis conſtantiam animi dedit.

21. Dec. E. XII. KALENDAS IANVARII.

Vide lib. de feſt. Apoſt. Greg. Tur. de glor. CC. cap. 66. APVD Ediſſam Meſopotamiæ ciuitatem, natalis S. Thomæ Apoſtoli. Catalaunis, ſancti Memmij, Epiſcopi primi illi ciuitati ab vrbe Româ directi: qui inter alia mircula mortuum ſuſcitauit. cuius nunc ſepulcrum creberrimis miraculis illuſtratur.

Item in Tuſciâ, natalis SS. Ioannis & Feſti.

22. Dec. F. XI. KALENDAS IANVARII.

ROMAE, viâ Lauicanâ inter duas lauros, natalis XXX. Martyrum, qui omnes vno die perſecutione Diocletiani coronati ſunt.

Euſeb. Eccleſ. hiſt. lib. 6. c. 34. Ruff. 31. Apud Alexandriam, natale beati Iſchyrionis martyris. Is namque cùm rem cuiuſdam potentis ſub mercede procuraret, iubetur ab eo idolis immolare. Recuſans cogebatur iniuriis: perſiſtens rurſum blanditiis mulcebatur. Cùm verò vtrumque contemneret, præacutâ ſude validiſſimè tranſuerberatus per media viſcera neci traditur.

Euſeb. ibid. Ipſo die, aliorum quamplurimorum Martyrum, qui in deſertis & montibus apud Ægyptum oberrantes, fame, ſiti, frigore, languore, latronibus, beſtiiſque conſumpti ſunt: qui omnes imitati electos Dei prophetas, gloriâ martyrij coronati ſunt. Inter quos & venerandus ſenex Chæremon (Epiſcopus hic erat vrbis Ægypti, quæ dicitur Nilopolis) cùm ad Arabicum montem vnà cum grandæuâ coniuge diſceſſiſſet, nulli vltrà apparuit.

23. Dec. G. X. KALENDAS IANVARII.

ROMAE, natalis S. Victoriæ virginis & martyris, perſecutione Decij Imperatoris. Hæc deſponſata Eugenio viro pagano, rogante Tito Aureliano, qui ſponſam Anatoliam virginem habebat, ad ſuadendam eam, vt ei nuberet, perrexit. Cui & dixit: Audi me, domina ſoror Anatolia: & ego Chriſtiana ſum, & noui quia Deus nuptias non condemnat. Prophetæ & Patriarchæ coniuges habuerunt, & poſteritas eorum à Deo benedicta eſt. Nunc ergo audi me, & accipe virum, qui te non prodat, quòd ſis Chriſtiana: ſed per maritalem gratiam fiet, vt ipſe

Digitized by Google

ipſe Chriſtianis conſentiat. Hæc dicenti Victoriæ virgo Anatolia reſpondit: O Victoria vince diabolum,& eſto vera victoria. Tunc quando tota terra vacua erat, dixit Deus hominibus: Creſcite & multiplicamini,& replere terram. Nunc plenæ terræ,poſtquam Filius Dei de cælo deſcendit,quotidie clamat: Creſcite in fide, multiplicamini in charitate, & replere cælos: quia appropinquauit regnum cælorum. Iterùm inter alia & poſt alia, S. Anatolia intulit: Ego die, quâ explicui pretium ornamentorum meorum in pauperes Chriſti, vidi per viſum iuuenem auro diadematum,ſplendidum in veſtibus purpureis atque gemmatis, qui gratâ facie & læto vultū me inſpiciens,ait: O virginitas, quæ morte non vinceris,quæ à morte perpetuâ liberas! O virginitas,quæ non in operibus tenebrarum, ſed ſemper in lumine verſaris! Hæc ego audiens,euigilaui, & cœpi flere: & proiiciens me in pauimento, rogaui Dominum, vt is,qui mihi loquebatur, dulciſſimos ſermones iterùm proſequeretur.Sic mihi oranti & proſtratæ, idem qui antè loquebatur, talia mihi ſubſequitur: Virginitas purpura regalis eſt,quam qui induit,reliquis fit eminentior. Virginitas gemma eſt pretioſa. Virginitas theſaurus eſt Regis immenſus. Huic fures inſidias tendunt. Hanc tu euigilans ſolicitè cuſtodi: quantumque te plus habere cognoſcis, inſtantiùs cuſtodi, ne perdas. His & ſimilibus verbis & factis incitata Victoria, omne pretium ornamentorum ſuorum & ipſa diſtraxit pauperibus. Sicque factum eſt, vt agentibus ſponſis earum Aurelio & Eugenio, quia nubere illis virgines Chriſti noluerunt, à Decio Imperatore vrbe Româ pulſæ, ad prædia ſponſorum ducerentur: vbi fame & ediâ ita afflictæ ſunt, vt vix ad veſperum modicus panis cibarius eis daretur, nulloq; pacto efficere ſponſi potuerunt, vt vel ad nubendum, vel ſacrificandum animi illarum inclinarentur. Beata igitur Victoria in virginitatis propoſito inuincibiliter perſiſtens, poſt multa facta miracula, inter quæ plurimas virgines Domino aggregauerat, percuſſa eſt gladio in corde à carnifice Taliarcho, quem rogatu Eugenij ſponſi ſui Iulianus pontifex Capitolij & comes templorum, ad hoc opus direxerat. Paſſa eſt autem decimo Kalend. Ianuarij. Corpus eius cum omni reuerentiâ curatum. Taliarchus verò percuſſor eius, leproſus factus, intra ſex dies conſumptus à vermibus,exſpirauit.

Gen. 1.

Apud Nicomediam, ſanctorum Martyrum viginti, quos Diocletiana perſecutio grauiſſimis cruciatos tormentis, Martyres Chriſto fecit, & beatos Sanctorum numero in cælis coniunxit. De his Euſeb. l. 8. c. 5.

Item Romæ, beati Seruuli, de quo beatus Gregorius ſcribit: Qui rebus pauper, meritis diues, quem longa ægritudo diſſoluerat: nam à primæuâ ætate vſque ad finem vitæ,paralyticus iacebat. Hic non modò ſtare, ſed ne vnquam in lecto ſurgere vel ad ſedendum valebat. Numquam manum ſuam ad os ducere, nec ſe potuit in latus aliud declinare. Quidquid ex eleemoſynâ potuiſſet accipere, hoc pauperibus erogabat. Litteras non nouerat, ſed Scripturæ ſacræ ſibimet codices emerat: & religioſos quoſque in hoſpitalitate ſuſcipiens,hos coram ſe legere ſine intermiſſione faciebat. Sicque factum eſt, vt quantum ad menſuram propriam attinet, plenè ſacram Scripturam diſceret. Studebat in dolore ſemper gratias agere, hymnis Dei & laudibus, diebus ac noctibus vacare. Hic beatiſſimo fine glorificatus, ſepultus eſt in eccleſiâ ſancti Clementis Epiſcopi & martyris: vbi ad commendandam eius ſanctitatem, ad eius tumbam miracula creberrimè fiunt. 4. Dial. cap 14. & Hom 15. in Euang.

*Reliquos dies huius Menſis vide initio Martyrologij Adonis.*

PRE-

# PRECATIO ADONIS.

CHRISTE, *precor, veniam ſegni des mitis alumno:*
*Tardus ſum, tardè ſed tibi nemo venit.*
*Longus præteritis tenuit nos error in annis:*
*Sufficiat meritis hæc rogo pœna meis.*
*Vita breuis ſupereſt, in mortem & pronior ætas:*
*Jam peccare ſenex non queo, nolo tuus.*
SANCTORVM *eximiis* MERITIS, PRECIBVSQVE *beatis,*
*Quorum perpetuos memorat liber iſte* TRIVMPHOS,
*Da,* PATER OMNIPOTENS, *veniam; da,* CHRISTE, *medelam*
*His, qui ſupplicibus votis ac mente fideli*
*Committunt ſeſe tantis per ſæcla* PATRONIS;
*Qui zabulo victo, rutilis ſuper aſtra coronis*
*Conſpicui, de te, quidquid petiere, merentur.*

APPEN-

# APPENDIX
## AD
# ADONIS ARCHIEP. VIENN. MARTYROLOGIVM.

## *AMICE LECTOR,*

HABES *in hac Appendice, quæ hactenus Adonis Martyrologio fuere inſerta, cùm tamen ab alienâ manu ſint. Et quidem ea quæ aſteriſcis notata ſunt, etiam Iacobi Moſandri iudicio, qui primus Adonem edidit, aliena ab Adone iudicata ſunt. Quorum rationem ita ipſe ad Lectorem reddit: Martyrologium hoc ex quatuor peruetuſtis* MSS. *codicibus ſibi mutuò correſpondentibus manu propriâ exarauimus. Verùm quartus à monacho ordinis S. Benedicti conſcriptus, aliquot Sanctorum nomina continebat, qui in ceteris tribus non habebantur. De quibus cùm dubitaremus an eſſent Adonis, vel potiùs per dictum monachum eius Martyrologio adiecta, doctorum virorum vſi conſilio, eoſdem Sanctos ſigno ſtellæ, ſic *, prænotauimus, ad euitandum omnem errorem & ſcrupulum. Hactenus Moſander.*

*Ego verò collatione trium codicum* MSS. *Moſandrianis codicibus vetuſtiorum (de quibus initio Adonis ad Lectorem dixi) multò plura deprehendi Adonis non eſſe. Quæ in Appendicem quoque retuli, ſine aſteriſci tamen ſigno, vt conſtet quæ communi noſtro Moſandriq́; conſenſu ab Adone reſecanda ſint, quæ verò præterea iudicio trium* MSS. *quos dixi codicum.*

## MENSIS IANVARIVS.

1 Ian. KALENDIS IANVARII.

* Eodem die ſanctiſſimi Paragodæ, ſeptimi Viennenſis Epiſcopi.

2 Ian. IV NONAS IANVARII.

* Item ſancti Iſidori Epiſcopi & martyris.

3 Ian. III NONAS IANVARII.

Item Octauæ ſancti Ioannis Euangeliſtæ.

4 Ian. II NONAS IANVARII.

Item Octauæ Innocentium.

13 Ian. IDIBVS IANVARII.

Octaua Epiphaniæ.

* Treuiris S. Agritij Epiſcopi & confeſſoris.

* Rhemis, depoſitio S. Remigij Epiſcopi.

15 Ian. XVIII KALENDAS FEBRVARII.

* Item Mauri Abbatis, diſcipuli B. Benedicti.

XVII KALENDAS FEBRVARII. 16 Ian.

*In* Marcello, *poſt* Priſcillę, *addit Ado vulgatus*: Hic fecit cœmeteria viâ Salariâ, & xxv. titulos in vrbe Româ conſtituit, propter Baptiſmum & pœnitentiam multorum, qui conuertebantur ex paganis, & propter ſepulturas Martyrum. Pontificale cap. 31.

XV KALENDAS FEBRVARII. 18 Ian.

Et paſſio ſactorum martyrum Thyrſi, Leuci & * Galerici. * vide Callinici. De his Ado 23 Ian.

XIV KALENDAS FEBRVARII. 19 Ian.

Ieroſolymis, Marthæ & Mariæ ſororum Lazari.

XIII KALENDAS FEBRVARII. 20 Ian.

*In* Fabiano, *poſt* ſepultus, *addit Ado vulgatus*: Hic regiones diuiſit diaconibus, & Pontificale cap. 21.

fecit

fecit ſeptem ſubdiaconos, qui ſeptem Notariis imminerent,vt geſta Martyrum in integro colligerent. Huius tempore ſuperuenit Nouarus ex Africâ, & ſeparauit Nouatianum de Eccleſiâ, poſtquam Moyſes confeſſor in carcere defunctus eſt, qui fuit ibi menſes vndecim.

22 Ian. XI KALENDAS FEBRVARII.

Ipſo die in Galliis, ciuitare Ebreduno, SS. martyrũ Vincentij, Orontij, & Victoris.

Ado in libell. de feſtiu. Apoſt. 22 Mart. * Item natalis ſancti Pauli, quem bearus Apoſtolus ordinatum, vrbi Narbonæ Epiſcopum miſit. Quem tradunt ipſum eumdem eſſe Sergium Paulum proconſulem, virum prudentem, à quo tempore, Pauli ſortitus eſt nomen, quando eum fide Apoſtolus ſubegerat Chriſti. Qui cùm ab eodem ad Hiſpanias prædicandi gratiâ mitteretur, apud præfatam vrbem Narbonam relictus, & prędicationis non ſegniter impleto miniſterio clarus miraculis, coronatus ſepelitur.

X KALENDAS FEBRVARII. 23 Ian.

* Et alio loco, paſſio ſanctorum Eugenij, Macarij, & Peruluij.

VII KALENDAS FEBRVARII. 26 Ian.

*In* Polycarpo *poſt* conſummati ſunt *in edito Adone addebatur*: Tum etiam Germanicus, athleta Chriſti inſignis, glorioſo martyrij agone tranſlatus eſt. Nam cùm à Iudice damnatus fuiſſet ad beſtias, vltrò ſibi præparatam beſtiam prouocauit, deſpiciens videlicet temporalem mortem, & coronam vitæ æternæ veloci fine adipiſci deſiderans. Scripſit idem B. Polycarpus ad Philippenſes valdè vtilem epiſtolam, quæ vſque hodie in Aſiæ conuentu legitur. Ado in libel. de feſtiu. Apoſt.

Item apud Bituricas ciuitatem, beati Sulpitij Epiſcopi & confeſſoris, cuius & vita & mors pretioſa, glorioſis miraculis commendatur. Ado in Martyrolog. 17. Ian.

III KALENDAS FEBRVARII. 30 Ian.

Item natalis ſanctæ Aldegundæ virginis.

# MENSIS FEBRVARIVS.

2 Feb. IV NONAS FEBRVARII.

Aurelianis, depoſitio ſancti Floſculi Epiſcopi, & ſanctæ Sichariæ, virginis Deo ſacratæ, ibidem.

3 Feb. III NONAS FEBRVARII.

* Hamburgi, ſancti Anſcari Epiſcopi & confeſſoris, Hamburgenſis primi Epiſcopi, & Bremenſis Archiepiſcopi.

* Viennę, S. Euentij Epiſcopi & confeſſoris.

6 Feb. VIII IDVS FEBRVARII.

* Item eodem die, Vedaſti & Amandi Epiſcoporum & confeſſorum.

8 Feb. VI IDVS FEBRVARII.

Item depoſitio ſanctæ Helenæ reginæ.

10 Feb. IV IDVS FEBRVARII.

De eâ in vitâ S. Benedicti 21 Mar. * Item Scholaſticæ virginis, ſororis ſancti Benedicti Abbatis, qui vidit animam eius in columbæ ſpecie cælum penetrare.

11 Feb. III IDVS FEBRVARII.

* Apud Lugdunum natalis ſancti Deſiderij Epiſcopi & martyris. hic beatus vir paſſus eſt quidem in * Priſciniaco villâ, territorio Lugdunenſi decimo Kalendas Iunij: tranſlatus eſt autem Viennam Epiſcopatus ſui ciuitatem, tertio Idus Februarij. * Priſtiniano.

13 Feb. IDIBVS FEBRVARII.

Pontif. cap. 90. Natalis Gregorij Papæ II. qui rexit Eccleſiam annos XVI. Leonis & Conſtantini temporibus: hic vir caſtus, in diuinis Scripturis eruditus: hic in Germaniâ per Bonifacium Epiſcopum, verbum ſalutis prędicauit: Hic quadrageſimali tempore vt feriâ quintâ ieiunium & Miſſarum celebritas fieret, quod anteà non agebatur, inſtituit.

XV KALENDAS MARTII. 15 Feb.

Item beati Seueri Presbyteri & confeſſoris, cuius meminit in dialogo beatus Gregorius. Gre l. 1. Dialog. c. 10.

Brixiæ, natale ſanctorum martyrum Fauſtini & Iouittæ. Qui nobili progenie in ciuitate Brixianâ ſunt orti. Nam parentes eorum in prædictâ ciuitate caput Senatus fuerunt. Iubente Adriano Imperatore, à quodam Italico comite Rhętiarũm in iam dictâ vrbe comprehenſi, & in carcerem ſunt retruſi. Poſteà verò Adriano iubente, poſt multa & diuerſa tormenta, traditi ſunt ad dilacerandum immaniſſimis feris, id eſt leonibus, leopardis, vrſis, atq; ſuperbiſſimis tauris. Sed ipſæ feræ, Domino mitigante, velut agni in manſuetudinem ſanctis Dei conuerſæ ſunt; ita vt ipſorum pedibus proſtratæ, eorum veſtigia lingerent, inimicos autem Dei vnà cum ipſo Italico, facto imperio interficerent. Nouiſſimè autem in equuleo alligati, & in ignem miſſi, poſiti ſunt ſuper ollam ęneam, in quâ hinc inde plumbum liquebatur. Sed ipſe ignis nihil ſanctos Dei nocuit, inimicus verò illorum, quotquot attingere potuit, vnà cum Pompeio fratre Adriani exuſſit. Quo viſo ſanctus Calocerus, qui tunc curam Palatij habebat, credidit cum officio ſuo ad duodecim millia hominum. Vnde iratus Adrianus ipſis omnibus, excepto Calocero, capita amputari iuſſit. Deinde admonentibus ſanctis Angelis, beatus Apollonius, Brixienſis eccleſiæ Epiſcopus, ſanctum Fauſtinum conſecra-

ſectauit preſbyterum, & beatum Iouittam diaconem ordinauit. Poſt hoc autem iubente Adriano, beatus Fauſtinus & Iouitta vnà cum ſancto Calocero, vincti ferro Mediolanum ducti ſunt. In quâ ciuitate Adrianus plumbum feruеſcens & liqueſcens per fiſtulas in ora ipſorum trium mitti præcepit: ſed nihil Sanctos Dei nocuit. Inſuper & oculos beatorum Fauſtini & Iouittæ iuſſit auferri: ſed alterâ die eis oculos Dominus reſtituere dignatus eſt. Deinde traditi ſunt ipſi tres ſæuiſſimis beſtiis, id eſt tygribus, vrſis, atque ſuperbiſſimis tauris: ſed ipſæ feræ ſicut priores, Domino operante, Sanctis Dei in manſuetudinem conuerſæ ſunt, ex paganis autem maximam multitudinem interfecerunt. Poſt hæc & alia tormenta, iuſſit Adrianus cuidam Sapricio primicerio ſcholæ candidatorum, vt beatum Calocerum in Ambinganum ciuitatem duceret, & ibi eum puniret, ſi non præceptis eius obtemperaret. Nam ibi amputatione capitis poſt multa tormenta Martyr Chriſti effectus, multo tempore quieuit: quamuis poſteà Angilbertus Archiepiſcopus Mediolanenſis eum inde tranſtulerit, & in ſuæ diœceſis monaſterio, quod vocatur Clauate, ſummâ cum diligentiâ & honore collocare curauerit. Ipſe verò beatus Calocerus cùm in cuſtodiam Ambinganum iret, deuenit in ciuitatem Aſtenſem, & ibi inuenit illuſtrem virum ipſius ciuitatis, nomine Secundum. Et cùm eidem Secundo Chriſtum prædicaret, & multa de beato Fauſtino & Iouittâ diceret, qualiter Mediolani pro Chriſti nomine plurima paſſi in vinculis detinerentur, credidit ipſe, & ſummâ cum feſtinatione venit Mediolanum, & à ſanctis Fauſtino & Iouittâ baptizatus in ciuitatem ſuam reuerſus eſt, & ibi amputato capite à prædicto Sapricio, Chriſti Martyr effectus eſt. Poſt hoc ſancti martyres Fauſtinus & Iouitta, vincti ſub cuſtodiâ cuiuſdam Antiochi præſidis, Romam ducti ſunt, & ibi diuerſis pœnis afflicti, multos ad fidem conuerterunt, plurima per eos Domino faciente miracula. Ibi etiam inuenerunt ſanctum Euariſtum vrbis Romæ Epiſcopum, inter ſepulcra Martyrum latitantem, quem rogauerunt, vt faceret beatum Calimerum, qui per eorum prædicationem, inter plurimos Romanos credidit, in Mediolanenſi ciuitate Epiſcopum. Quo facto, iterùm ſub cuſtodiâ Aureliani comitis ducti ſunt Neapolim, & ibi multa ac varia tormenta perpeſſi, plurimis miraculorum oſtenſis, Domino iuuante, multos ad fidem conuerterunt. Poſteà verò manibus pedibuſque ligatis, in mare demerſi, & ab Angelis Dei liberati, & ad litus deducti ſunt. Nouiſſimè autem, iuſſu Adriani Imperatoris, Brixiam reducti ſunt: & ibi à præfato Aureliano, poſt multa iterùm tormenta, amputatis capitibus, Chriſti Martyres effecti ſunt.

XII KALENDAS MARTII. 18 Feb.

*In* Simeone, *poſt* fuiſſe, *addit Ado vulgatus:* Conſtat tamen, quia Cleophas, cuius filius iſte fuit, frater erat Ioſeph. Gre. Tur. L. 1. hiſt. Franc. c. 47.

XI KALENDAS MARTII. 19 Feb.

Item ſancti Theodori martyris, fratris ſancti Georgij.

# MENSIS MARTIVS.

1 Mar. KALENDIS MARTII.

* Eodem die, Suuitberti Epiſcopi & confeſſoris.

2 Mar. VI NONAS MARTII.

Pontif. cap. 48. Romæ, Simplicij Papæ, qui ſedit annis quindecim. Hic Acacium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, & Petrum Alexandrinum Epiſcopum Eutychianos damnauit.

12 Mar. IV IDVS MARTII.

Pontif. cap. 65. * Romæ, depoſitio ſancti Gregorij Papæ, qui nobili genere liberalibus artibus eruditus eſt. Deinde defunctis parentibus, ſex in Siciliâ monaſteria conſtruens, ſeptimum intra Vrbis muros conſtituit. In quo ipſe poſt ſæcularem habitum multis fratribus aggregatis, ſub Abbatis imperio ſtrenuè militauit, & ſuæ nobilitatis lineam moribus extulit, probis actibus decorauit. Nam qui antè ſericis veſtibus ac gemmis micantibus per Vrbem ſolebat procedere trabeatus, pòſt vili cõtectus tegmine, miniſtrabat pauper ipſe pauperibus. Quibus monaſteriis tãtum de redditibus prædiorum delegauit, quantum poſſet commorantibus ad quotidianum victum ſufficere, reliqua verò vendidit, ac pauperibus erogauit. Deinde coactus & multum renitens, factus vrbis Romę ſummus Pontifex, Anglorum gentem ad fidem conuertit, directis videlicet ſui monaſterij monachis, Mellito, Auguſtino, atq; Ioanne, & cum eis aliis pluribus fratribus. Rexit autem glorioſiſſimè Romanam Eccleſiam annis tredecim, menſibus ſex, & diebus decem. Augmentauit etiam in precatione Canonis: *Dieſq; noſtros in tuâ pace diſpone*, &c.

Pontifc. cap. 41. Item Romæ, Innocentij Papæ, qui rexit Eccleſiam annis quindecim, menſibus duobus, diebus verò XXI. Hic conſtitutum fecit de Eccleſiâ: & Pelagium atque Cæleſtium hæreticos damnauit; & conſtituit, vt qui natus fuiſſet de Chriſtianâ, per Baptiſmum renaſceretur, quod Pelagius damnabat.

* In Africâ Ioannis & aliorum quadraginta quatuor.

* Romæ, depoſitio SS. Innocentij & Raſi Epiſcoporum.

14 Mar. PRIDIE IDVS MARTII.

Pontifc. cap. 93. Eodem die Zachariæ Pontificis, qui Romæ ſedit annos decem. Hic in Patriarchio beati Georgij martyris caput reperit in capsâ reconditum, in quâ † pittacium pariter inuenit, hoc ipſum Græcis litteris exaratum. Sepultus eſt in eccleſiâ S. Petri Apoſtoli.

† mali vulgò Epitaphium

16 Mar. XVII KALENDAS APRILIS.

* Eodem die ſancti Heriberti Colonienſis Archiepiſcopi, vitâ & miraculis glorioſi, in monaſterio Tuitienſi quieſcentis.

19 Mar. XIV KALENDAS APRILIS.

* Item eodem die, S. Ioſeph nutritoris Domini.

XIII KALENDAS APRILIS. 20 Mar

* Item, natalis S. Archippi, commilitonis B. Pauli Apoſtoli.

XI KALENDAS APRILIS. 22 Mar

Item ſanctarum virginum Herlindæ & Relindæ ſororum.

X KALENDAS APRILIS. 23 Mar

In Antiochiâ, ſancti Theodori preſbyteri & martyris.

VIII KALENDAS APRILIS. 25 Mar

Ieroſolymæ, Dominus noſter Ieſus Chriſtus crucifixus eſt.

Et in eâdem ciuitate, paſſio S. Iacobi Apoſtoli, ſicut in Actibus Apoſtolorũ ſcribitur. Act. 12.

Eodem die, immolatio Iſaac, & tranſitus filiorum Iſraël per mare Rubrum.

Et victoria Michaëlis Archangeli contra draconem.

VII KALENDAS APRILIS. 26 Mar

* Eodem die, depoſitio ſancti Lutgeri Epiſc.

VI KALENDAS APRILIS. 27 Mar

Item Ieroſolymæ, Reſurrectio Domini.

III KALENDAS APRILIS. 30 Mar

* Aureliâ ciuitate, ſancti Paſtoris Epiſcopi depoſitio.

# MENSIS APRILIS.

6 Apr. VIII IDVS APRILIS.

Pontifc. cap. 1. *In* Sixto, *poſt* Imperatoris, *addit Ado vulgatus*: Hic conſtituit, vt ſacra myſteria non tractarentur niſi à miniſtris ſacris: & quicumque Epiſcopus euocatus fuiſſet ad Sedem Apoſtolicam, rediens ad parochiam ſuam, non reciperetur, niſi ſalutationis litteras, hoc eſt, formatas à Sede Apoſtolicâ plebi detuliſſet. Conſtituit quoque vt intra actionem Miſſarum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, ter decantaretur.

7 Apr. VII IDVS APRILIS.

Pontifc. cap. 44. Item Cæleſtini Papæ, qui rexit Eccleſiam annos octo. Hic conſtituit vt Pſalmi Dauidici centum & quinquaginta ante ſacrificium Antiphonatim canerentur: nam anteà tantùm Epiſtola & ſanctum Euangelium recitabantur.

9 Apr. V IDVS APRILIS.

* Item quinque Virginum, quarum nomina Deus ſcit.

Et Mariæ Ægyptiacæ.

10 Apr. IV IDVS APRILIS.

* Item in Antiochiâ, ſancti Theodori preſbyteri.

11 Apr. III IDVS APRILIS.

Pontifc. cap. 46. * Eodem die Romæ, beati Leonis Papæ.

12 Apr. PRIDIE IDVS APRILIS.

Pontifc. cap. 56. *In* Iulio *poſt* reuerſus eſt, *editus Ado addit*: Hic conſtituit, vt nullus Clericus cauſam quamlibet in publico ageret, niſi in eccleſiâ: & notitia fidei per Notarios colligeretur: & ſiue cautiones, vel inſtrumenta, aut donationes, aut commutationes, aut traditiones, aut teſtamenta, aut allegationes, vel manumiſſiones à Clericis in eccleſiâ celebrarẽtur.

IDIBVS APRILIS. 13 Apr.

* Item ſanctæ Euphemiæ virginis & mart.

XVI KALENDAS MAII. 16 Apr.

* In Mauritaniâ natalis Baſillæ.

Item ſancti Aniceti Papæ, qui ſedit in Epiſcopatu annis vndecim, & temporibus Seueri & Marci martyrio coronatur, ſepultus in cœmeterio Calliſti. Hic conſtituit, vt clerus comam non nutriret, ſecundùm Apoſtoli præceptum. Pontifc. cap. 12. 1 Cor. 11

* Eodem die, dedicatio Oratorij S. Gangulphi martyris.

XIII KALENDAS MAII. 19 Apr.

* Eodem die, depoſitio S. Baldrici Epiſcopi.

XII. KALENDAS MAII. 20 Apr

*In* Victore *poſt* coronatur, *editi hactenus addunt*: Hic conſtituit vt ſanctum Paſcha die Dominico celebraretur, & à quintadecimâ lunâ primi menſis vſque ad vigeſimam primam obſeruaretur: & conſtituit vt neceſſitate faciente, ſiue in flumine, ſiue in mari, ſiue in fontibus, ſub Chriſtiana confeſſione, quicumque hominum ex gentilitate venientes baptizarentur. Pontifc. cap. 15.

XI KA-

21 Apr. XI KALENDAS MAII.

* Romæ, in cœmeterio viâ Appiâ, SS. Valeriani, Maximi, & Tiburtij.

* In Campaniâ, natalis ſancti Amphelici.

Pontifi. capit. 13 Romæ, ſancti Soteris Papæ, qui ſedit in Epiſcopatu annos nouem, ſepultuſque eſt in cœmeterio Calliſti. Hic conſtituit, vt nulla monacha pallam ſacratam contingeret in eccleſiâ, neque incenſum poneret.

22 Apr. X KALENDAS MAII.

In Africâ, ciuitate Hieropoli, natalis ſancti Philippi Apoſtoli.

*In* Caio, *poſt* Martias *addit Ado vulgatus*:

Pontific. cap. 29. Hic Caius conſtituit, vt per omnes gradus primùm aſcenderet ſi quis Epiſcopus fieri mereretur, & eſſet Oſtiarius, Lector, Exorciſta, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, Preſbyter.

Pontific. cap. 58. Eodem die Romæ, S. Agapeti Pontificis, qui ſedit menſes vndecim. Hic ingreſſus Conſtantinopolim ad Iuſtinianum Imperatorem, Aothimium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, qui duas in Chriſto naturas negabat, depoſuit, & in eius loco Menam Catholicum conſecrauit.

IX KALENDAS MAII 23 Apr.

* Eodem die, paſſio ſancti Adelberti Epiſcopi & martyris.

* Item eodem die, S. Pyſinnæ virginis.

VIII KALENDAS MAII. 24 Apr.

In Babyloniâ, ciuitate magnâ, Sidrach, Miſach, & Abdenago, qui & mutato nomine Ananias, Azarias & Miſaël dicebantur, de camino ignis ardentis ſunt liberati.

VI KALENDAS MAII. 26 Apr.

* Item Romæ, ſancti Vindemialis Epiſcopi & confeſſoris.

V KALENDAS MAII. 27 Apr.

*In* Anaſtaſio, *poſt* decem, *Ado vulgatus addit*: Hic conſtituit, vt quotieſcumque ſancta Euangelia recitarentur, Sacerdotes non ſedeant, ſed curuosè ſtent, conſtituitq́; tranſmarinum hominem in Clerum non recipi, niſi quinque Epiſcoporum deſignaretur ſuffragiis. Pontific. cap 40.

PRIDIE KALENDAS MAII. 30 Apr.

* Romæ, ſancti Quirini tribuni & martyris, de quo ſuprà tertio Kalendas Aprilis.

* Item Sophiæ virginis.

# MENSIS MAIVS.

1 Maij. KALENDIS MAII.

* Autiſſodoro ciuitate, depoſitio ſancti Amatoris Epiſcopi.

* Toloſæ, natalis ſancti Orientij Epiſcopi.

* Item depoſitio ſancti Iuſtini Begorrâ ciuitate.

* Eodem die, ſanctæ Vualburgæ virginis.

4 Maij. IV NONAS MAII.

* Eodem die, memoria beatiſſimi Iuſti, Viennenſis Epiſcopi.

6 Maij. PRIDIE NONAS MAII.

* In Galatiæ ciuitate, natalis B. Gerontij confeſſoris.

7 Maij. NONIS MAII.

Pontific. cap. 82. † Eſt Benedictus II. * Item † Benedicti Pontificis, qui ſedit Romæ menſes decem, imperante Conſtantino. Hic ab ineunte ætate in Eccleſiâ militauit, paupertatis ſemper amator, ſepultus apud beatum Petrum.

8 Maij. VIII IDVS MAII.

In monte Gargano, apparitio S. Michaëlis Archangeli, quando illa ſagitta velut flamine retorta, cum à quo iactata eſt mox reuerſa percuſſit: & dictum eſt ad Epiſcopum: Ego ſum Michaël Archangelus qui in conſpectu Dei ſemper aſſiſto. Fuſius in Martyrol. Adonis 29. Sept.

9 Maij. VII IDVS MAII.

Additi ex ms. E. Eodem die, S. Dionyſij Viennenſis Epiſcopi, præclariſſimi in doctrinâ viri.

V IDVS MAII. 11 Mai

Eodem die, B. Gangulphi martyris, cuius geſta habentur. Additi ex ms. E.

PRIDIE IDVS MAII. 14 Maij

* Mediolani, Victoris, Camoris, Felicis, Ruſtici, & ſanctorum CCCCIIII. Martyrum, qui cum S. Cirico paſſi ſunt.

XVII KALENDAS IVNII. 16 Maij

* Tricaſſino, depoſitio Fidoli † Preſbyteri. & confratris Brendani Abbatis. † al. Epiſcopi.

XIII KALENDAS IVNII. 20 Maij

* Item paſſio S. Saturninæ virginis.

XII KALENDAS IVNII. 21 Maij

* Autiſiodori, depoſitio beati Valis preſbyteri & confeſſoris, & Valentis martyris.

XI KALENDAS IVNII. 22 Maij

Natale S. Iuliæ, quæ cùm Carthago ciuitas capta eſſet, ducta eſt captiua; & ſortita in ſeruitutem deuenit cuiuſdam Euchij ciuis Syriæ Palæſtinæ. Cui diligenter ſeruiens, expleto eius ſeruitio, acceptaque requie, aut orationi aut lectioni inſiſtebat: nam & corpus ſuum ieiuniis affligebat. Vnde dominus eius quamuis paganus, valde eam admirans, ſæpiùs admonebat, ne taliter ſe affligeret. Sed illa nec blandimentis, nec etiam monitionibus ab hoc quod inchoauerat, recedebat, excepto die Dominicæ Reſurrectionis. Deinde contigit vt domi-

nus ipſius vnà cum ipſâ veniret in Corſicam, & ibi ſacrificantibus aliis, cœpit & ipſe diis immolare. Sed beata Iulia videns errorem illorum, condolebat. Audiens quidam princeps Felix Saxo nomine, quòd illa nollet ſacrificare, quæſiuit eam à domino ſuo, vt receptis in illius vice quatuor ancillis, ſibi ea daretur. Cui ille pro magno eius ſeruitio noluit eam tribuere. Tunc præfatus Felix callidè fecit domino ſuo conuiuium, quatenus ipſo ex nimiâ potatione ſoporato, & ignorante, de naui ipſius eam tolleret. Quod & factum eſt. Nam ipſo inſcio, ducta eſt beata Iulia ante Felicem. Cumque blandimẽtis Felix ei non potuiſſet ſuadere, vt ſacrificaret, præcepit eam alapis cædi, deinde crinibus torqueri, atque flagellari, ad extremum etiam crucifigi, & ſic in ipſo patibulo vltimum efflauit ſpiritum. De cuius ore ſanctiſſimo columba exiuit, & cælum petiuit. Tunc per Angelos, diuinâ diſpenſante gratiâ, nuntiatum eſt hoc quibuſdam monachis in inſulâ Margaritâ, quæ nunc vulgò Gorgona dicitur, conſiſtentibus. Illi hoc audito, aſcenſis nauibus, ſummâ cum feſtinatione venerunt in Corſicam, & inuenerunt ſicut ſibi ab Angelis fuerat reuelatum. Dein ſummâ cum reuerentiâ deponentes corpus eius de cruce, iuuante Domino celeriter ad ſua reuerſi ſunt. Et ibi, videlicet in ipſâ Margaritâ inſulâ condientes corpus eius cum aromatibus, poſuerunt in monumento cum gaudio. Poſteà autem de ipsâ inſulâ, Anza Regina vxor Deſiderij Regis Longobardorum, præcepit corpus eius afferri, & in monaſterio, quod ad honorem ipſius conſtruxit, Brixiæ mirificentiſſimè collocauit.

• Romæ, natalis ſanctorum Fauſtini & Timothei, & aliorum.

• Autiſſiodori, depoſitio & tranſlatio ſanctæ Helenæ virginis.

• In Cæſareâ Cappadociæ, natalis ſancti † Poliocti. † Polyeucti.

X KALENDAS IVNII. 23 Mai

Apud Viennam, natalis ſancti Deſiderij Epiſcopi, qui paſſus eſt in territorio Lugdunenſi, in villâ Priſciniaco, ſuper fluuium Calarona, cuius vita plena miraculis refulſit: qui in Viennenſi Eccleſiâ ſepultus honoratur. Ado in Chron. an. 583. Erat in Ms. S. ad marginé.

VIII KALENDAS IVNII. 25 Mai

*In* Vrbano *addit vulgatus*: Hic ſedit in Epiſcopatu annos IV. menſes X. dies X. Pontific. cap. 16.

VII KALENDAS IVNII. 26 Mai

• Item natalis Venerabilis Bedæ preſbyteri & confeſſoris, ac doctoris celeberrimi.

V KALENDAS IVNII. 28 Mai

• Romæ viâ Numentanâ, miliario quartodecimo, natalis ſanctorum Ephycati, Euſtaſij, Victuriæ, Caſtulæ.

IV KALENDAS IVNII. 29 Mai

• In Africâ, natalis ſanctorum Primi, Alcydiæ, Paſſiomoni, & aliorum CLIV.

III KALENDAS IVNII. 30 Mai

• In Antiochiâ ſanctorum Syci & Palatini.

• Item in Nicomediâ, natalis multorum Sanctorum.

# MENSIS IVNIVS.

1 Iun. NONIS IVNII.

*In* Bonifacio Britanno, *poſt* Eobano, *addit Ado vulgatus*, & Adelhario.

• Romæ miliario tertio, Feliculæ, Felicitatis, & aliorum.

11 Iun. III IDVS IVNII.

• Romæ, natalis SS. Baſillæ & Baſiliſſæ, & SS. Criſpoli & Reſtituti.

16 Iun. XVI KALENDAS IVLII.

Apud Viennam, ſancti Domnoli Epiſcopi.

• In Moguntiâ, ſanctorũ Aurei & Iuſtinæ.

17 Iun. XV KALENDAS IVLII.

• Aurelianis, ſancti Auiti presbyteri & confeſſoris.

18 Iun. XIV KALENDAS IVLII.

• In Alexandriâ, ſanctæ Mariæ virginis & martyris, & Balbinæ.

20 Iun. Pontific. cap. 6. XII KALENDAS IVLII.

Romæ, S. Siluerij Papæ, qui ſedit anno vno. Qui conſentiente Iuſtiniano Imperatore à Beliſario patritio depoſitus, & monachus factus, in exilio confeſſor moritur.

XI KALENDAS IVLII. 21 Iun.

• In Cæſareâ, depoſitio ſancti Euſebij Epiſcopi.

VIII KALENDAS IVLII. 24 Iun.

• Romæ, S. Fauſti, cum aliis vigintitribus.

IV KALENDAS IVLII. 28 Iun.

*In* Leone *poſt* Papæ, *addit vulgatus:* Qui ſedit menſes decem Romæ. Hic eloquentiſſimus & diuinis Scripturis ſufficienter inſtructus, Græcâ Latinaque linguâ eruditus. Hic ſanctam ſextam Synodum, quæ in Regiâ vrbe celebrata eſt, vbi damnati ſunt Cyrus, Sergius, † Honorius, Pyrrhus, Paulus, Petrus, Macarius, Stephanus, & Polychronius nouus Simon, qui vnam voluntatem & operationem in Domino Ieſu Chriſto prædicabant, de Græco in Latinum tranſtulit. Hic conſtituit, vt qui Archiepiſcopus ordinatus fuerit, nullâ conſuetudine pro vſu pallij in diuerſis officiis perſoluere debeat. † Hic cum multis Epiſcopis fidem Pontific. cap. 81. Eſt Leo II. Erat in Ms. P. † deeſt vulgat. † Hæc ſunt de Leone I. ex Pontificali c. 46.

Digitized by Google

fidem Catholicam exponẽs, Eutychianam & Neſtorianam hæreſim damnauit, & ſanctiſſimum Concilium Chalcedonicum ſuâ induſtriâ congregari fecit. Hic conſtituit Monacham non accipere velamen capitis beneedictum ab Epiſcopo, niſi priùs probata illius virginitas fuerit.

III KALENDAS IVLII. 29 Iun.

* Romæ, natalis ſancti Nouatiani cum aliis 977.

# MENSIS IVLIVS.

1 Iulij KALENDIS IVLII.

* Item Octauæ S. Ioannis Baptiſtæ.
* Romæ Caij Papæ & aliorum.
* Auguſtoduni, depoſitio Leontij Epiſcopi.
* In Meſopotamiâ, Zeli, cum aliis ſex.
* Orion, cum aliis octo.

4 Iulij IV NONAS IVLII.

* Eodem die, Auguſtæ, S. Vdalrici Epiſcopi & confeſſoris.

7 Iulij NONIS IVLII.

* Eodem die, Vuilibaldi Epiſcopi & confeſſoris.

Et Materniani confeſſoris.

8 Iulij VIII IDVS IVLII.

* Apud Herbipolim, Natalis ſanctorum martyrum Kiliani & ſociorum eius.

9 Iulij. VII IDVS IVLII.

* Eodem die, Natalis S. Agilolphi Archiepiſcopi Colonienſis & martyris.

V IDVS IVLII.

11 Iulij * Item Romæ, natalis SS. Stephani, Leontij, & aliorum.

* Treuiris, S. Hildulphi eiuſdem vrbis Epiſcopi & confeſſoris.

III IDVS IVLII.

13 Iulij * Eodem die S. Margaritæ virginis & martyris.

IDIBVS IVLII.

15 Iul. * Eodem die, diuiſio Apoſtolorum.

*Ante* Catulini *poſt* Carthagine, *vulgatus interponit*, Natalis ſanctorum Philippi.

* Item eodem die, ſanctæ Reginſuindæ virginis.

16 Iulij XVII KALENDAS AVGVSTI.

* Item SS. Monulphi & Goodulphi Epiſcoporum & confeſſorum.
* Item alibi, ſancti Mammæ.

17 Iulij XVI KALENDAS AVGVSTI.

* Item Autiſiodoto, S. Theodoſij Epiſcopi & confeſſoris.

18 Iulij XV KALENDAS AVGVSTI.

Brixiæ, depoſitio ſancti Philaſtrij, ipſius ciuitatis Epiſcopi: qui cùm fuiſſet presbyter ordinatus, ductus amore Dei, relictis omnibus, vniuerſum pænè ambitum circuiuit orbis, quatenus ſecutus veſtigia Pauli Apoſtoli, per ſingula loca animas fraude diaboli deceptas, de ſempiterno ſuis prædicationibus liberaret interitu. Vnde non ſolùm contra Gentiles atque Iudæos, verùm etiam contra omnes pænè hæreſes; & maximè contra Arianam perfidiam, quæ tunc nimiùm præualebat, fidei vigore pugnauit: & ob hoc verberibus caſtigatus, ſtigmata Domini noſtri Ieſu Chriſti ſuo portabat in corpore. Nam & in Mediolanenſi vrbe idoneus cuſtos Dominici gregis fuit, & Auxentio Arianę perfidię Epiſcopo, priuſquam beatus Ambroſius eligeretur, diuinâ gratiâ fultus nimiùm repugnauit. Romæ etiam non exiguo tempore demoratus, multos & publicâ & priuatâ diſputatione eſt in fide lucratus. Et quia valdè hæreticos impugnabat, voluit de eorum ſingulis ſectis atque doctrinis nefandiſſimis librum componere, quatenus ſingularum hæreſium errore patefacto, nullus ab eis ſaltem ſimplex in Eccleſiâ conſtitutus comprehendi poſſit. De quo beatus Auguſtinus ita dixit: Philaſter Brixienſis Epiſcopus in prolixiſſimo libro, quem de hæreſibus condidit, † centum viginti hæreſes arbitratus eſt computandas.

19 Iulij XIV KALENDAS AVGVSTI.

* Lugduni, ſancti Ruſtici presbyteri & confeſſoris.
* Item Treuiris, S. Martini Epiſcopi & martyris.

20 Iulij XIII KALENDAS AVGVSTI.

*In* Ioſeph, *poſt* Iuſtus, *omiſſo* qui *addit Ado vulgatus*, Hic prædicationis & ſanctitatis officus ſeruiens.

* Item eodem die, Vulmari & Philiberti Abbatum.

21 Iulij XII KALENDAS AVGVSTI.

* Eodem die, ſancti Arbogaſti Epiſcopi & confeſſoris.

23 Iulij X KALENDAS AVGVSTI.

* Eodem die, S. Liborij Epiſcopi ciuitatis Ceoomanenſis, & confeſſoris.

26 Iulij VII KALENDAS AVGVSTI.

* Treuiris, ſancti Beati confeſſoris.

29 Iul. IV KALENDAS AVGVSTI.

Item Aurelianis ciuitate, depoſitio ſancti Proſperi Epiſcopi.

30 Iul. III KALENDAS AVGVSTI.

* Eodem die, ciuitate Autiſiodoto, ſancti Vrſi Epiſcopi & confeſſoris.

Margin notes: † Vulgata addit: intra ſe dicere, ſanctificationem; Pontific. ep. 19. Ado ii. Aprilis; Erat in 8. Iul.; Lib. de hæreſ. ad Quodvultdeum, hær. 41. † Auguſt. 128.

2 Aug. IV NONAS AVGVSTI.
*In* Stephano *poſt* dies duos *additur in* Pontific. cap 14. *vulgato:* Hic conſtituit vt Sacerdotes & Leuitæ veſtes ſacras in quotidiano vſu non haberent, niſi tan[illegible]m in eccleſiâ.

5 Aug. NONIS AVGVSTI.
* Eodem die ſancti Iuſtini presbyteri, de quo ad xv. Kalend. Octobris.
Catalaunis, ſancti Memmij Epiſcopi & confeſſoris.

6 Aug. VIII IDVS AVGVSTI.
Pontific. cap. 51. Item Romæ, ſancti Hormiſdæ Papæ, qui ſedit annos ſeptemdecim. Hic compoſuit Clerum, & Pſalmis erudiuit. Sub huius tempore Anaſtaſius Imperator hæreticus, percuſſus fulmine interiit. Sepultus eſt idē Pontifex in eccleſiâ beati Petri, *VIII. Idus Auguſti. * male in vulgato VII.

11 Aug. III IDVS AVGVSTI.
* Eodem die in Cameracâ ciuitate, natalis ſancti Gaugerici Epiſcopi & confeſſoris.

IDIBVS AVGVSTI. 13 Aug.
Pictauis, ſanctæ Radegundæ virginis & Reginæ.

XVIII KALENDAS SEPTEMBRIS. 15 Aug.
Eodem die dedicatio Oratorij ſanctorum Iacobi Apoſtoli, Laurentij, Valentini, Scholaſticæ virginis, conſecrati per Vuillibertum Archiepiſcopum. Addit. ex ms. B.

XVII KALENDAS SEPTEMBRIS. 16 Aug.
Metis, ſancti Arnulphi Epiſcopi & confeſſoris.

XVI KALENDAS SEPTEMB. 17 Aug.
Item Octauæ S. Laurentij martyris.

XV KALENDAS SEPTEMBRIS. 18 Aug.
* Eodem die, ſanctæ Helenæ Reginæ.

XI KALENDAS SEPTEMBRIS. 22 Aug.
Item Octauę Aſſumptionis B. Mariæ virg.

IX KALENDAS SEPTEMB. 24 Aug.
Eodem die natalis ſancti Audoëni Epiſcopi & confeſſoris.

VI KALEND. SEPTEMB. 27 Aug.
Nolâ ciuitate, Natalis ſancti Felicis Epiſc.

# MENSIS SEPTEMBER.

1 Sept. KALENDIS SEPTEMBRIS.
* Item ſanctorum confeſſorum Sixti & Siſinnij.

6 Sept. VIII IDVS SEPTEMBRIS.
Romæ, natale ſancti Eleutherij.

7 Sept. VII IDVS SEPTEMBRIS.
Aurelianis, natalis ſancti Euortij Epiſcopi & confeſſoris.
Greg. Tur. hiſt. Franc. l. 3 c. 1. Vico Nouegento, natalis ſancti Clodoaldi confeſſoris.
Eodem die, ſanctæ Reginæ Virginis.

9 Sept. V IDVS SEPTEMBRIS.
†Eſt Sergius I. Pontific. cap. 15. † Sergij Papæ, qui ſedit annos tredecim Romæ. Hic inuenit miræ magnitudinis portionem ligni ſalutaris Dominicæ crucis, in ſacrario beati Petri. Hic ſtatuit in tempore confractionis Dominici corporis, *Agnus Dei* à Clero & populo decantari, & conſtituit vt in diebus Annuntiationis Dominicæ, Dormitionis & Natiuitatis ſanctæ Dei genitricis Mariæ, ac ſancti Simeonis, quod Hypapante Græcè dicitur, Litaniæ exeant à ſancto Adriano, & ad ſanctam Mariam populus occurrat.

10 Sept. IV IDVS SEPTEMBRIS.
Pontific. cap 47. Romæ, depoſitio S. Hilarij Papæ.

11 Sept. III IDVS SEPTEMBRIS.
* In Apuliâ, SS. Felicis & Donati.
Lugduno Galliæ, depoſitio ſancti Patientis Epiſcopi, & alibi SS. Felicis & Regulæ.

PRIDIE IDVS SEPTEMBRIS. 12 Sep.
* Item in Aſiâ, SS. Diophili, Matronæ, & Theclæ virginis.
* Lugduni, depoſitio S. Sacerdotis Epiſcopi & confeſſoris.
* Nicomediæ * S. Ammonæ.
* In Siciliâ, ciuitate Catanas, SS. Eupli & Serapionis.

IDIBVS SEPTEMBRIS. 13 Sept.
Item Andegauis, depoſitio ſancti Maurilionis Epiſcopi & confeſſoris.
Turonis, ſancti Littorij Epiſcopi & confeſſoris.

XV KALENDAS OCTOBRIS. 17 Sept.
Romæ, in cryptâ arenariâ, SS. Martyrum Narciſſi & Creſcentionis.

XIII KALENDAS OCTOBRIS 19 Sept.
* Treueris, depoſitio Meletij Epiſcopi.

XII KALENDAS OCTOBRIS. 20 Sept.
* Romæ, Natalis ſanctorum martyrum, Euſtachij, Agapiti, Theopiſti, atque Philiſtæ.

IX KALENDAS OCTOBRIS. 23 Sept.
* Item paſſio ſanctarum virginum, Dignæ & Emeritæ.
* Romæ, depoſitio ſancti Liberij Papæ. Pontific. cap 37.
* Item paſſio Lini, eiuſdem Vrbis Epiſcopi. Ibid. c. 2.

VII KALENDAS OCTOBRIS. 25 Sept.
Ambianis, ſancti Firmini Epiſcopi & martyris.

* Item

Ado in Martyrologio 29. May & in libello Apost. • Item, natalis ſancti Quadrati, Apoſtolorum diſcipuli, qui in locum beati Publij Athenarum Epiſcopi ſubſtituitur, & eccleſiam grandi terrore diſperſam, fide, & induſtriâ ſuâ congregauit. qui vnà cum filiabus Philippi in Prophetiæ gratiâ celeberrimus fuit.

26 Sept. VI KALENDAS OCTOBRIS.

Pontifc. cap. 32. & infrà 2 Oct. Romæ, viâ Appiâ in cœmeterio Calliſti, depoſitio S. Euſebij Epiſcopi & confeſſoris.

• Et in Albano, natale ſancti Senatoris.

• In Sardiniâ, natalis ſancti Luxurij.

• Aruernis, depoſitio S. Apollinarij Epiſc.

27 Sept. V KALENDAS OCTOBRIS.

In Cæſareâ Cappadociæ, ſancti Eleutherij.

• In Tharſo Ciliciæ, ſanctorum Tharacij, † Preſbyteri, & Andronici. De his Ado in Martyrol. 11. Octob. † al. Probi.

• Eodem die, ſancti Florentini martyris.

IV KALENDAS OCTOBRIS. 28 Sept.

• Romæ, natalis ſancti Stactæi.

• Gennâ ciuitate, depoſitio Salonij Epiſc.

• In monaſterio Fuldenſi, ſanctæ Liobæ virginis.

• Item ſancti VVenceſlai martyris & Ducis.

III KALENDAS OCTOBRIS. 29 Sept.

Eodem die, Autiſiodoro, S. Fraterni Epiſcopi.

PRIDIE KALENDAS OCTOBRIS. 30 Sep.

• In Placentinâ ciuitate, ſancti Antonini confeſſoris.

• In Mediolano, tranſlatio S. Victoris martyris.

# MENSIS OCTOBER.

1 Oct. KALENDIS OCTOBRIS.

Treuiris, ſancti Nicetij Epiſcopi & confeſſoris.

• Eodem die, ſanctorum Vedaſti Epiſcopi, & Bauonis confeſſoris.

2 Oct. VI NONAS OCTOBRIS.

Pont. fc. cap. 32. & ſuprà 26. Sept. Eodem die, S. Euſebij Papæ qui ſedit in Epiſcopatu annos ſeptem, ſepultus viâ Appiâ in cœmeterio Calliſti. ſub huius tempore inuenta eſt Crux Domini noſtri Ieſu Chriſti, quinto Nonas Maij. His hæreticos inuentos in Vrbe manus impoſitione reconciliauit.

3 Oct. V NONAS OCTOBRIS.

In Antiochiâ, S. Theugenij. In Africâ, Victoris, Vrbani, Sapargi. Et alibi Felicis, Auponi & Caſti.

4 Oct. IV NONAS OCTOBRIS.

• Auriſiodori, Marſi preſbyteri & confeſſoris.

• Item Aureæ virginis.

5 Oct. III NONAS OCTOBRIS.

Autiſiodori, depoſitio S. Firmati diaconi, & Flauianæ virginis.

6 Oct. PRIDIE NONAS OCTOBRIS.

Autiſiodori, depoſitio S. Romani, eiuſdem ciuitatis Epiſcopi & martyris.

7 Oct. NONIS OCTOBRIS.

Pontifc. cap. 35. *In* Marco *vulgatus poſt* Ardeatina, *addit:* vbi viuens eccleſiam exſtruxit. Hic conſtituit, vt Epiſcopus Oſtiæ, qui conſecrat Epiſcopos Vrbis, pallio vteretur.

Pontifc. cap. 2. Eodem die, Lini Papæ & martyris.

* In Capuâ Campaniæ, Quarti, & Marcellini.

• Bituricas ciuitate, S. Auguſti preſbyteri & confeſſoris.

VIII IDVS OCTOBRIS. 8 Oct.

Item Reparatæ & Goclæ virginum.

VII IDVS OCTOBRIS. 9 Oct.

* In ciuitate Laodiciâ Phrygiæ, ſancti Diodori.

• In Prouinciâ Rhetâ, ciuitate Auguſtâ, ſanctæ Afræ martyris.

• In ciuitate Viennâ, multorũ Martyrum.

• Romæ, Marcellini & Genuini. Et inter duas lauros, Priminæ.

VI IDVS OCTOBRIS. 10 Oct.

*In* Malloſo, *poſt* replerentur, *addit vulgatus:* & aliorum trecentorum triginta, quorum corpora in paluſtria proiecerunt loca.

Eodem die, Veronæ SS. martyrum, Caſſij, Florentij, & aliorum ſeptem. Verona hæc eſt Bonna

V IDVS OCTOBRIS. 11 Oct.

Eodem die, natale SS. martyrum Nicaſij Epiſcopi, Quirini preſbyteri, Scubiculi diaconi.

Turonis, ſancti Venantij Abbatis. Gre. Tur. de gl. Conf. cap. 15.

IV IDVS OCTOBRIS. 12 Oct.

• Bituricas, ſancti Opionis preſbyteri.

• In Prouinciâ Syriæ, Euagrij, & Proſyriæ. Item Euſtachij preſbyteri.

• In Campaniâ, SS. Euchariſti, Fortunati, & Priſciani.

III IDVS OCTOBRIS. 13 Oct.

In Hiſpaniâ, Cordubâ ciuitate, SS. Fauſti, Martialis, & Ianuarij martyrum.

PRIDIE IDVS OCTOBRIS. 14 Oct.

Apud Viennam, ſancti Agrati Epiſcopi & confeſſoris, & ſancti Caſturi, eiuſdem vrbis Epiſcopi.

• Cordubæ, ſanctorum Lupi & Aureliæ.

• Lugduni in Galliis, tranſlatio ſancti Iuſti, Epiſcopi & confeſſoris.

* Herbipoli, depoſitio S. Burchardi Epiſcopi, ſucceſſoris ſancti Kiliani.

15 Oct. IDIBVS OCTOBRIS.

Apud Viennam, ſancti Deodati Epiſcopi.

Romæ, viâ Aureliâ, S. Fortunati mart.

* Item Lubuli, Modeſti, & Fortunatæ.

16 Oct. XVII KALENDAS OCTOBRIS.

* Apud Agrippinam Coloniam, ſancti Eliphij martyris.

* Item depoſitio S. Galli Abbatis, multis miraculis clari.

* Eodem die, ſancti Lulli Epiſcopi & confeſſoris.

18 Oct. XV KALENDAS NOVEMBRIS.

* In Campaniâ ciuitate, Puteolis, Ianuarij, & Eutychis.

16 Oct. XIV KALENDAS NOVEMBRIS.

* In Iſtriâ, natalis ſanctorum Auſteri, Neapoli, Suſſij, Ianuarij, Feſti & Deſiderij.

21 Oct. XII KALENDAS NOVEMB.

In Galliis apud Coloniam Agrippinam, ſanctarum Virginum vndecim millium. Vna dicitur Vrſula, Sentia, Gregoria, Pinnoſa, Mardia, Saula, Brictula, Saturnina, Saturnia, Rabatia, Palladia, Clementia, Grata: & aliarum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ.

* In Nicæâ Bithyniæ, Afrigis, Macarij, Dicei, Proculi, Neapoli, Modeſti, & aliorum numero ſeptuaginta duorum.

22 Oct. XI KALENDAS NOVEMBR.

* Eodem die, ſancti Seueri, Epiſcopi Rauennæ.

X KALEND. NOVEMBR. 23 Oct.

Coloniæ, depoſitio ſancti Seuerini Epiſcopi & confeſſoris.

IX KALEND. NOVEMBR. 24 Oct.

Item † Bonifacij Papę, qui ſedit Romæ annos tres. Hic ſepultus eſt viâ Salariâ iuxta corpus ſanctæ Felicitatis: hic conſtituit ſeruum Clericum non fieri, nec obnoxium curiæ, vel cuiuſlibet rei.

† Eſt Bonifacius I. Pontific. cap 41. Alij habent cum 25 Oct.

Coloniæ, S. Euergiſli Epiſcopi & martyris.

VI KALEND. NOVEMBR. 27 Oct.

*In* Euariſto *poſt* Vaticano, *addit Ado vulgatus:* Hic titulos in Vrbe diuiſit Presbyteris: & ſeptem Diaconos ordinauit, qui cuſtodirent Epiſcopum prædicantem.

Autiſiodori, depoſitio ſancti Deſiderij Epiſcopi & confeſſoris.

* Item ſancti Florentij presbyteri & confeſſoris.

V KALEND. NOVEMBR. 28 Oct.

Eodem die, ſancti Ferrutij martyris.

III KALENDAS NOVEMBRIS. 30 Oct.

* Item paſſio ſancti Feliciani cum ſociis ſuis.

* Ciuitate Capuæ, depoſitio ſancti Germani Epiſcopi & confeſſoris, cuius animam in ſphærâ ignea beatus Benedictus Abbas vidit ab Angelis in cælum deferri.

PRIDIE KALEND. NOVEMBR. 31 Oct.

* Eodem die, ſancti VVolfgangi Epiſcopi & confeſſoris.

* Item Vigilia omnium Sanctorum.

## MENSIS NOVEMBER.

1 Nov. KALENDIS NOVEMBRIS.

In Cæſareâ Cappadociæ, ſancti Macedonij.

* In Sithiu monaſterio, depoſitio ſancti Audomari Epiſcopi.

* Auguſtoduni, S. Primi Epiſcopi.

* Baiocas ciuitate, S. Vigoris Epiſcopi.

2 Nov. IV NONAS NOVEMBRIS.

Apud Viennam, ſancti Georgij, eiuſdem vrbis Epiſcopi.

* Item paſſio ſancti Euſtachij, vxoris ac filiorum eius.

3 Nov. III NONAS NOVEMBRIS.

Apud Viennam, ſancti Domnini confeſſoris & Epiſcopi glorioſi.

4 Nov. PRIDIE NONAS NOVEMBRIS.

* Auguſtoduni, ſancti Proculi Epiſcopi.

* Item ſanctarum virginum Modeſtæ & Perpetuæ.

5 Nov. NONIS NOVEMBRIS.

* Capuâ ciuitate, ſanctorum Euras, & Quarti, & Pardi martyrum.

VIII IDVS NOVEMBRIS. 6 Nov.

* In ciuitate Regidonas, depoſitio ſancti Melanij Epiſcopi & confeſſoris.

* Item eodem die, ſanctorum Leonardi confeſſoris, diſcipuli ſancti Remigij Epiſcopi, & Vuinoci Abbatis.

VII IDVS NOVEMBRIS. 7 Nov.

Item Epternaco monaſterio, natalis ſancti VVillibrordi Epiſcopi & confeſſoris.

* Item ſanctorum Rufi Epiſcopi & Herculani presbyteri & martyris.

VI IDVS NOVEMBRIS. 8 Nov.

* Item ipſo die, ſancti VVillehadi Epiſcopi & confeſſoris.

V IDVS NOVEMBRIS. 9 Nov.

* Romæ, ſanctorum Clementis & Symphoriani.

* In Hiſpaniâ SS. Fauſti, Ianuarij, & Martialis martyrum.

* In Beryto ciuitate, crucifixio Imaginis Domini noſtri Ieſu Chriſti.

IV IDVS

10 Nov. IV IDVS NOVEMBRIS.

* In Antiochiâ, ſanctorum Demetrij Epiſcopi, Aniani diaconi, Euſtoſij, & ſociorum eorumdem.

* In ciuitate Aurelianenſi, depoſitio ſancti Monitoris Epiſcopi & confeſſoris.

11 Nov. III IDVS NOVEMBRIS.

* Rauennę, SS. Feliciani & Victorini mart.

12 Nov. PRIDIE IDVS NOVEMBRIS.

Pontific. cap. 67. †Eſt Bonifacius III Natalis †Bonifacij Papæ, qui Romę ſedit menſes octo, dies XXII. Hic obtinuit apud Phocam principem, vt Sedes Apoſtolica beati Petri Apoſtoli, caput eſſet omnium Eccleſiarum Romana, quia Eccleſia Conſtantinopolitana primam ſe omnium Eccleſiarum ſcribebat.

Apud Viennam, ſancti Iſicij Epiſcopi, qui poſt B. Pantagatum præſedit Eccleſiæ.

* Item ſanctorum Liuini martyris, & Cuniberti confeſſoris, Epiſcoporum.

* In Cæſareâ Cappadociæ, natalis ſanctorum Germani, Theophili, Cæſarij, & Euſebij.

* Dauentriæ, S. Lubuini presbyteri & confeſſoris.

13 Nov. IDIBVS NOVEMBRIS.

* Apud Viennam, S. Leonici eiuſdem Eccleſiæ miraculis clari.

* Rotenis ciuitate, S. Amantij Epiſcopi & confeſſoris.

14 Nov. XVIII KALENDAS DECEMBRIS.

* Item S. Eraclij Epiſcopi & confeſſoris.

15 Nov. XVII KALENDAS DECEMBRIS.

Item ſancti Eugenij Epiſcopi & martyris.

16 Nov. XVI KALENDAS DECEMBRIS.

* Eodem die in Sueuiâ, monaſterio S. Galli, natalis beati Othmari, eiuſdem monaſterij poſt obitum S. Galli primi Abbatis.

17 Nov. XV KALENDAS DECEMBRIS.

Viennæ, ſancti Manati Epiſcopi & confeſſoris.

* Item natalis S. Gregorij Epiſcopi & martyris apud Pontum.

* Item S. Ioannis monachi.

18 Nov. XIV KALENDAS DECEMBRIS.

* In Hiſpaniis, ciuitate Cordubâ, S. Aciſoleni.

* Item Eracleâ, S. Cortheri, & aliorum quadraginta.

19 Nov. XIII KALEND. DECEMBRIS.

Pontific. cap. 50. Erat in ſolo P. ſed prae dic Romæ, S. Gelaſij Papæ, qui ſedit in Epiſcopatu annos quatuor. Hic Meſſenum Epiſcopum, quem Felix anteceſſor ipſius damnauerat, reuocauit, & communioni Eccleſiæque ſuæ reſtituit. Hic libros aduerſus Eutychen & Neſtorium compoſuit.

* In Eracleâ, ſanctæ mulieres cum viduis quadraginta.

* Auguſtoduni, ſancti Simplicij Epiſcopi & confeſſoris.

XII KALENDAS DECEMBRIS. 20 Nov.

* Item Regenſledis virginis.

IX KALENDAS DECEMBRIS. 23 Nov.

*In* Clemente *(de quo fuſiùs habes in libello Apoſtolorum) poſt* in libro vitæ *editi interſerunt:* Hic ſeptem regiones diuiſit Notariis fidelibus Eccleſiæ, qui geſta Martyrum ſollicitè & curioſè perquirerent. Hic ex præcepto B. Petri ſuſcepit Eccleſiæ Pontificatum. Linus & Cletus ideò ante eum ſcribuntur, quia ab ipſo principe Apoſtolorum ad miniſterium ſacerdotale Epiſcopi ſunt ordinati. Pontific. cap. 4.

Vico Sarchinio, depoſitio S. Trudonis presbyteri & confeſſoris.

VII KALENDAS DECEMBRIS. 25 Nov.

* Eodem die, S. Catharinæ virginis & martyris.

* Item S. Mercurij martyris, qui paſſus eſt ſub Decio Imperatore.

VI KALENDAS DECEMBRIS. 26 Nov.

*In* Lino, *poſt* meminit, *additur in vulgato:* Hic ex præcepto beati Petri conſtituit, vt mulier in eccleſiâ velato capite introiret. Pontific. cap. 2.

* Item Auguſtoduni, depoſitio ſancti Amatoris Epiſcopi.

IV KALENDAS DECEMBRIS. 28 Nov.

Romæ, S. Gregorij Papę, qui rexit Eccleſiam annos decem. Hic conſtituit in Canone à Sacerdote dicendum: *Quorum ſolemnitas hodie in conſpectu gloriæ tuæ celebratur, Domine Deus noſter toto orbe terrarum: intra quorum nos conſortium*, &c. Sepultus eſt in eccleſiâ ſancti Petri. Pontific. cap. 91. Eſt Gregorius III.

Apud Viennam, ſancti Philippi, eiuſdem vrbis Epiſcopi.

*In* Soſthene, *poſt* diſcipuli *addebatur in vulgato*, ſancti Pauli, cuius meminit idem Apoſtolus in primâ Epiſtolâ ad Corinthios: 1 Cor. 1. & ſancti Trophimi, de quo ſcribit Apoſtolus ad Timotheum: *Trophimum reliqui infirmum Mileti*. 2 Tim. 4. Hic ab Apoſtolis Romæ ordinatus eſt Epiſcopus, & ad Arelatem vrbem Galliæ, ob Chriſti Euangelium prædicandum directus. Ex cuius fonte (vt beatus Papa Zoſimus ſcribit) tota Gallia fidei riuos accepit. Qui apud eamdem vrbem in pace quieuit. De Trophimo A-do 29. Dec. tam in 1. A-poſt quã Martyrol.

III KALENDAS DECEMBRIS. 29 Nov.

* Item Romæ, Araſonis, Saturnini, Cryſanthi, Mauri, & Dariæ, & aliorum ſeptuagintaduorum.

PRIDIE KALENDIS DECEMBRIS. 30 Nov.

* Eodem die †feſtiuitas ſancti Ambroſij Mediolanenſis Epiſcopi. †Baptiſmus

MEN-

# MENSIS DECEMBER.

1 Dec. KALENDIS DECEMBRIS.

Item ipſo die, Virdunenſi ciuitate, tranſitus beatiſſimi Agerici Epiſcopi.

4 Dec. PRIDIE NONAS DECEMBRIS.

De eâ Ado 16. Decemb. *In Tuſciâ, ſanctę Barbarę virginis & mart.

7 Dec. VII IDVS DECEMBRIS.

Item Octauæ S. Andreæ Apoſtoli.

8 Dec. VI IDVS DECEMBRIS.

*In* Eutychiano, *poſt* ſepeliuit, *addit Ado* Pontific. cap. 28. *vulgatus*: Hic conſtituit, vt fruges ſuper altare, tantùm fabę & vuæ benedicerentur: & conſtituit, vt qui Martyrem ſepeliret, ſine dalmaticâ, aut colobio purpureo nullâ ratione ſepeliret.

* Item Zenonis Epiſcopi apud Veronam.

Ipſo die Treuiris, ſancti Eucharij Epiſcopi & confeſſoris.

10 Dec. IV IDVS DECEMBRIS.

Pontific. cap 33. Romæ, ſancti Melchiadis Papæ, qui ſedit in Epiſcopatu annos quatuor, ſepultus eſt in cœmeterio Calliſti. Hic conſtituit, vt die Dominicâ, aut quintâ feriâ, nullus fidelis ieiunaret: quia ipſos dies pagani, quaſi ſacro ieiunio celebrant. Et hic conſtituit, vt ex conſecratu Epiſcopi oblationes propter hæreticos per eccleſias dirigerentur.

Viennæ, S. Sindulphi Epiſcopi & confeſſ.

11 Dec. III IDVS DECEMBRIS.

*In* Damaſo, *poſt* duos, *additur in Adone* Pontific. cap. 38. *vulgato*: Hic conſtituit, vt Pſalmi die noctuque canerentur per omnes Eccleſias: & in fine, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*. Hic multa corpora Sanctorum requiſiuit, & inuenit, quorum Memoriam etiam verſibus declarauit. qui ſepultus eſt viâ Ardeatinâ in baſilicâ ſuâ, iuxta matrem & germanam ſuam.

13 Dec. IDIBVS DECEMBRIS.

* Ipſo die, ſancti Autberti Epiſcopi & confeſſoris.

* Item ſanctæ Othiliæ virginis.

XIX KALENDAS IANVARII. 14 Dec.

Eodem die, beati Lupicini, Viennenſis Eccleſiæ octaui Epiſcopi.

* Lugduni, ſancti Nicaſij eiuſdem vrbis Epiſcopi & martyris.

XIII KALENDAS IANVARII. 20 Dec.

* Autiſiodori, beati Gregorij Epiſcopi & confeſſoris.

XI KALENDAS IANVARII. 22 Dec.

* In Antiochiâ, ſancti Baſilei Epiſcopi.

* Ciuitate Oſtiâ, ſanctorum Demetrij, Honorati, & Flori martyrum.

* Romæ, viâ Portuenſi, depoſitio ſancti Felicis Epiſcopi.

* Item paſſio ſanctæ Theodoſiæ virginis, & Didymi monachi.

X KALENDAS IANVARII. 23 Dec.

* Item Romæ, natalis ſanctorum Eugenij, Eleutherij, Vrbani, Cornelij, Traiani, Victoris, Caſtulæ, Eutychiani, ac ſociorum eius, & aliorum octingentorum trigintaduorum.

VI KALENDAS IANVARII. 27 Dec.

* Item ipſo die, ordinatio ſancti Iacobi fratris Domini, qui ab Apoſtolis primus ex Iudæis Ieroſolymis eſt ordinatus Epiſcopus, & in medio Paſchâ martyrio coronatus.

III KALENDAS IANVARII. 30 Dec.

* Item In inſulâ Oyâ, ſanctorum, Florentij, Seteni, Pauli, Stephani, Papiani & Cleti.

* Turonis ciuitate, ſancti Perpetui Epiſcopi & confeſſoris. Gre Tur. hiſt Fran l. 2. c. 14.

PRIDIE KALENDAS IANVARII. 31 Dec.

* Rhætiariæ, beati Hermetis exorciſtæ.

* Romæ, Donati, Pauli, Rogatæ, Dominandæ, & Hilarinæ.

* In prouinciâ Siciliâ, ciuitate Catanâ, ſanctorum Stephani, Potiani, Attali.

HERI-

Digitized by Google

# HERIBERTI ROSWEYDI

## E SOCIETATE IESV

# NOTATIONES

## IN

## HORVM MARTYROLOGIORVM DIFFICILIORA ALIQVOT LOCA.

NE exſpectes, Lector, amplas hîc Notationes. Habes eas apud virum, omnis antiquitatis Eccleſiaſticæ exequentiſſimum, Cardinalem Baronium. Et quid celox ferat poſt onerariam? Satis mihi nunc erit loca quædam attingere, vel ab alijs prætcrita, vel deprauata, vel minùs intellecta. Nihil ſine veterum librorum fide mutaui, tranſpoſui. Memineris multa alia in textu Adonis correcta, quorum hîc rationem non reddo. Longæ enim id operæ eſſet, & minùs fortaſſis gratæ. Rariora tantùm quædam delibaui.

Quæ ſi non ingrata fuiſſe intellexero, & pari felicitate nanciſci aliquando detur Bedam, Vſuardum, alioſque veteres Martyrologos, à vetuſtâ & incorruptâ manu (cuius rei partem nunc accepi, & porrò ſpes lautior ab amicis inuiolatæ antiquitatis amatoribus affulget) fors erit, vt omnia veterum Martyrologia vnà cum Græcorum Menologio, ſub vnum quandoque conſpectum ſtatuam, breuibus Nòtis illuſtrata. Ita fiet, vt colliſis inter ſe vnionibus, hoc eſt, collatis inter ſe Sanctorum geſtis, & gemmarum ſpiritualium immortalis claritas ſeſe reuerberans mutuati luminis detrimenta non noſcat, & amico radiorum concurſu magis magiſque effulgeſcat.

Si quæ locutionum formulæ minùs notæ, nec ad Priſciani ſemper regulam, in his Martyrologiis ſubinde intercurrant, dabis eas ſæculo: quas intactas relinquere viſum, vt ſæculi ſui auctorem proderent. In ciuitatum tamen nominibus, quæ MSS. plerumq; accuſandi caſu ponunt, ſecutus ſum ferè ſæculi noſtri morem, ne & in textu affectatam interpretareris barbariem, & in me ſcrupuloſam ſuperſtitionem reprehenderes. Cuius tamen rei nunc indicium ad fidem facio.

Et ſanè poſt omnem diligentiam adhibitam, vereor, vt non ſatis cauerim, ne quid alienum ab Adone in eiuſdem Martyrologium irreperet. Si quæ fortè talia Sanctorum nomina irrepſerunt, ſunt ferè

Epiſco-

Epiſcoporum aliquot Viennenſium,& quorumdam aliorum Sanctorum, haud multùm ætate Adonis ſuperiorum, quæ non ſemper omnes tres codices MSS. repræſentabant. Nam Scriuerij libro, qui omnium vetuſtiſſimus erat, quædam horum deerant. Non dubium mihi, quin quod aquæ contingit, idem libris euenire. Quò enim illa à fonte magis recedit, eò impurior eſt, trahens ſemper aliquid ex puris minùs, quos perlabitur, locis. Ita quò quis liber vetuſtior proximè ad auctoris ætatem accedens, eò integrior, & minus admixtionis habens à librariorum per ætates ſuccedentium manu. Nota hæc antiquariis, quibus MSS. librorum fuit inſpectio. Ego certè, qui millenos aliquot eiuſmodi tractaui, numquam aliter deprehendi.

Codicum MSS. quibus nunc vſus ſum, hæc notatio eſt.

E. notat codicem Euerbodienſem.

P. notat codicem S. Pantaleonis.

S. notat codicem Petri Scriuerij.

# IN
# VETVS ROMANVM
## MARTYROLOGIVM.

### IV. NONAS IANVARII.

*1. Ianuar. pag. 2.*

BEATI MACARII] *Pòſt* XV. *Ianuarij:* Et Macarij Abbatis Antonij diſcipuli. *Duo hi ſunt Macarij celebres, in Ægypto olim monachi, & monachorum Patres. Non dubium exiſtimant deſignari Ægyptium & Alexandrinum. Sed quis quo die, hoc verò non æquè certum. Et vereor ne hactenus aliter notatum, quàm oportuit. Volunt Alexandrini natalem celebrari* II. *Ianuarij, Ægyptij verò* XV. *eiuſdem. quod neſcio quibus auctoribus adſtrui poſſit. Certè hoc Martyrologium, & cum eo Beda, Vſuardus, Ado, non aliter hos Macarios diſtinguunt, quàm quòd eum, cuius natalis eſt* XV. *Ianuarij, vocent Antonij diſcipulum. Atqui Antonij diſcipulus non Ægyptius, ſed Alexandrinus fuit, vt colligere eſt ex Palladij Lauſiacâ hiſtoriâ cap.* XX. *vel tertius aliquis. Vide Notationes noſtras ad Vitas-Patrum.*

### VI. IDVS IANVARII.

*8. Ianuar. pag. 2.*

NEAPOLI SEVERINI CONFESSORIS VICTORINI FRATRIS] *Pòſt* V. *Septembris*: Romæ Victorini martyris, fratris Seuerini, qui poſt miram pœnitudinem Amiterninæ vrbis Epiſcopus & martyr factus eſt. *Non igitur tam Ado (quod exiſtimauit Baronius ad diem* VIII. *Iunij) Victorinum hunc fratrem fecit Seuerini Neapolitani, quàm vetus Romanum ſecutus Martyrologium, vti ſe res verè habuit, hac quidem in re expreſſit.*

### XI. KALENDAS FEBRVARII.

*22. Ian. pag. 3.*

AD AQVAS SILVIAS SANCTI ANASTASII MONACHI] MS. *liber diſertè hîc habet* Siluias. *Sic in vitâ S. Gordiani* X. *Maij:* Vxorem eius Matinam in pago quodam, quem Aquas Siluias vocant, ruſticorum ſeruituti adduci

adduci præcepit. *Vbi tamen Excerpta apud Adonem exhibent* Saluias. *Seu* Siluias *legas cum* M S. *ſeu cum vulgato* Saluias, *eumdem tamen locum putem deſignari. Vide Baronium ad diem* XXIII. *Ianuarij, &* IX. *Iulij.*

XII. KALENDAS MAII. 20. *Apr.*

INVENTIO SANCTARVM RELIQVIARVM MVLTARVM IN STABEL] *Hic* *pag.* 8.
*verò non mediocriter hæſi, & etiamnum hæreo. Nihil huius rei in Adone vel in alio Martyrologio occurrit. Suſpicor additum hoc ab exſcriptore, & deſignari celebre monaſterium apud Eburones* Stabeletum *ſeu* Stabuletum. *Suſpicionis meæ fundus eſt, quòd hîc poſteà habetur* XVII. *Nouembris:* Dedicatio S. Petri ad Mal in dar, *quod* Malmundarium *eſſe, vicinum Stabuleto monaſterium, ibi firmabimus. Sed quæ multa hæ, & quando inuentæ reliquiæ in Stabuleto? Certiùs dixerim, quando reconditæ & occultatæ ſint. Sigebertus in Chronico anno Chriſti* DCCCLXXXII. Eodem anno Godefridus & Sigifridus Reges Northmannorum, cum inæſtimabili multitudine iuxta Moſam in loco Haſlon conſidentes, Leodium, Traiectum, Tungros, Coloniam Agrippinam, Bonnam cum adiacentibus caſtellis comburunt. Aquis in palatio equos ſtabulantes, opidum & palatium incendunt. Prætereà monaſterio Stabulaus, Malmundarium, Indam, Prumiam, ſacri Ordinis in vtroque ſexu miniſtri, vbi poterant opportuniùs, latebant; & Sanctorum corpora & pignora locis tutioribus abſconderant. *Paria habet Anſelmus Canonicus Leodienſis in Geſtis Pontificum Leodienſium cap.* XXXVII. *qui exhibet*, apud Halos iuxta Moſam conſcendentes. *Atque hæc Northmannica vaſtatio aliquot annos tenuit. Vnde fieri potuit, vt reliquiæ ante annos aliquot occultatæ pòſt inuentæ fuerint, & Inuentionis memoria in ſacros Faſtos relata.*

*Vocis etymon exprimit Harigerus, abbas Lobienſis, in Geſtis Epiſc. Leodien. cap.* LII. Inuenit tandem locum (*Remaclus*) operi futuro competentem, cui ob confluentiam ferarum vndique illuc vel ad potum vel ad paſtum concurrentium, velut ad ſtabulum, inditum STABVLAVS antiquitus erat vocabulum. *Ita vocis affinitate etymon venatur Harigerus. Non minùs feſtiuè Euerhelmus, abbas Altimontenſis, in vitâ S. Popponis Stabulenſis abbatis* XXV. *Ian. cap.* XXI. STABVLAVS, vbi ſtabilis laus à fidelibus perpetuò concinitur. *Vt appareat nullo horum reſpectu nomen olim inditum, ſed pòſt pro cuiuſque captu etymon accommodatum. Conditum hoc fuit monaſterium anno* DCLI. *à Sigeberto Rege, Sigeberto teſte in Chronico. Vide infrà ad diem* XVII. *Nouembris, vbi de Malmundario.*

VII. KALENDAS MAII. 25. *Apr.*

ERMINONIS CONFESSORIS] *Deeſt hic Adoni, & in nullo Martyrologio, eâ* *pag.* 9.
*quidem terminatione, comparet. Exiſtimo indicari* S. Erminum, *Epiſcopum & Abbatem Lobienſem; quem hoc die inuenio in Martyrologio Vſuardi, aucto à Carthuſiâ Colonienſi anno* M. D. X X I. *de quo ita Molanus in Additionibus ad Vſuardum* XXV. *Aprilis ex proprio loci Martyrologio:* Laubiis, tranſitus S. Ermini, Epiſcopi & confeſſoris. *Ex quo Baronius Martyrologio Romano à ſe aucto inſeruit. Sed vetuſta Ermini memoria in hoc veteri Romano Martyrologio. Quamquam cùm* Erminus *Adoni deſit, qui Sanctos omnes veteris Romani Martyrologij exprimit, videtur Adonis tempore non fuiſſe in veteri Romano Martyrologio, ſed pòſt additus. Fors à religioſo S. Pantaleonis Coloniæ, vbi liber hic ſcriptus eſt.*

*Meyerus lib.* I. *Annal. Flandriæ notat eum ſucceſſiſſe S. Vrſmaro in regimine Epiſcopatus & abbatiæ anno* DCCXIII. *Florarium meum Sanctorum* MS. *ponit eius obitum anno Chriſti* DCCXXXVII. *Meminit eius Tritbemius De vir. illuſtr. Ord. ſancti Benedicti lib.* III. *cap.* CLX. *& lib.* IV. *cap.* CLXXX. *vbi vtrobique* Herwinus *pro* Erminus. *Meminit & Molanus in Indiculo & Natalibus SS. Belgij. Acta eius Laubiis ſeu Lobiis in monaſterio apud Binchium reperiuntur ſcripta à ſynchrono.*

T *Nec*

Nec mirum hîc Erminonem dici, ab aliis Erminum. Sic qui nunc vſitatè Seruatius dicitur, dictus eſt olim etiam Seruatio, vt habetur apud Seuerum Sulpitium libro II. Hiſt. ſacr.

30. Apr. pag. 9.

### PRIDIE KALENDAS MAII.

QVIRINI MARTYRIS] Deeſt hic hoc loco Adoni, aliiſque Martyrologis. Puto intelligi Quirinum tribunum martyrem, cuius natalem hîc antè habes XXX. Martij. Hoc autem loco rurſus inſertus eſt à Martyrologij huius exſcriptore ob tranſlationem corporis eius. de quâ ita Carthuſia Colonienſis ad Vſuardum XXX. Aprilis: In diœceſi Colonienſi, oppido Nuſſiâ, Tranſlatio S. Quirini tribuni & martyris. Cuius ſacrum corpus nobilis domina Gepa Abbatiſſa à Papâ impetratum, ab vrbe Româ Nuſſiam tranſtulit, & in ſuo monaſterio venerabiliter collocauit. Atque hinc exiſtimo ſua Molanum ad Vſuardum hauſiſſe.

10. Iunij. pag. 12.

### IV. IDVS IVNII.

ET S. MAVRINI MARTYRIS] Deeſt hic Adoni. Non expreſſi hunc in textu, quia adſcriptus erat recentiori manu: haud dubiè à religioſo S. Pantaleonis, libri huius exſcriptore: nam Coloniæ in S. Pantaleonis templo, corpus S. Maurini in veneratione habetur. Ibidem martyrio coronatus eſt die X. Junij, cuius ſepulcrum vſque ad annum DCCCC. LXVI. occultum fuit. Quod quomodo detectum ſit, poſt obitum Brunonis Archiepiſcopi Colonienſis, Præſule Folcmaro eius ſucceſſore, vide apud Stephanum huius Inuentionis deſcriptorem circa annum Domini DCCCC. XC. ad Chriſtianum Abbatem, cuius Inuentionis memoria recolitur XIII. Octobris. Hac autem die paſſum teſtatur ſarcophagi inſcriptio, quæ apud eumdem extat:

HIC REQVIESCVNT OSSA BONAE MEMORIAE MAVRINI
QVI IN ATRIO ECCLESIAE MARTYRIVM PERTVLIT
SVB DIE QVARTO IDVS IVNII.

Quo verò anno hic martyrium pertulerit, non inuenio expreſſum: nam quòd Baronius ad diem X. Iunij, & Erhardus VVinheim in Sacrario Agrippinæ, notant annum DCLXX. ex Trithemio de vir. illuſtr. Ord. S. Benedicti lib. III. cap. CXXXIV. vereor vt labantur. Non enim de noſtro hoc Maurino agit Trithemius, ſed de alio, Claroangi olim in Aruerniâ Abbate, ſocio S. Præiecti Epiſcopi, quorum natalis dies in Romano Maryrologio apud Baronium extat XXV. Ianuarij. qui Maurinus nunc Marinus, nunc Marianus, nunc Amarinus dicitur. Labendi occaſionem dedit, quòd Maurinus noſter dicatur in atrio Eccleſiæ martyrium pertuliſſe. Et paria de altero Maurino ſcribit Trithemius: quamquam in Præiecti & Maurini martyrio XXV. Januarij nulla atrij Eccleſiæ mentio habeatur, ſed occiſi dicantur in loco quodam, quem Volonicum appellant: vnde fortè Trithemius, quod de Maurino Colonienſi martyre in ſarcophago legitur, Maurino Aruerno martyri attribuit.

11. Iunij. pag. 12.

### III. IDVS IVNII.

ET SOSTHENIS APVD CORINTHVM, DISCIPVLI PAVLI] Infrà XXVIII. Nouembris: Soſthenis diſcipuli Apoſtolorum. Ita Martyrologium hoc duos videtur facere Soſthenes, & alterum ab altero diſtinguere. Duplex Soſthenis memoria in Sacris litteris. Actorum cap. XVIII. Apprehendentes autem Soſthenem, Principem Synagogæ. Et I. Corinth. I. Paulus vocatus Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei, & Soſthenes frater. Interpretes vnum eumdemque hunc ſtatuunt. Quæ ſi vera ſententia, potuit eiuſdem diuerſo die diuerſas ob cauſas memoria agi.

19. Iunij. pag. 12.

### XIII. KALENDAS IVLII.

ET COMMEMORATIO NAZARII ET CELSI] Deeſt quidem horum commemoratio hoc loco in Adone, tam vulgato quàm MS. Idem tamen XII. Iunij, cùm de Inuentione Nazarij & Celſi agitur, addit: Commemoratio etiam eorum publica & celebris in die ſanctorum Geruaſij & Protaſij à fidelibus populis frequentatur, & veneta-

nerabiliter excolitur. *qui hic ipſe dies eſt. Cum quo conuenit Florarium Sanctorum* MS. *quod* XII. *Junij, in die Inuentionis S S. Nazarij & Celſi habet*: Apud quoſdam in die ſanctorum Geruaſij & Protaſij agitur eorum (*Nazarij & Celſi*) feſtiua commemoratio. *Quare vides, non ſine ratione vetus hoc Martyrolog. Romanum, hoc die, quo de Geruaſio & Protaſio agitur, etiam iunxiſſe commemorationem Nazarij & Celſi.*

X. KALENDAS IVLII. 22. *Iunij,* *pag.* 12.

ALBANI MARTYRIS] *Correctum erat* Albini, *vti etiam in Adone eſt. Quod factum puto in poſterioribus exemplaribus ſcriptis poſt annum* * DCCCCXCI. *Nam cùm eo anno Theophania Ottonis II. vxor, S. Albani corpus Româ Coloniam transferens, ſanctorum Geruaſij & Protaſij templo huic, olim ſic vocato, nunc S. Pantaleoni ſacro donaſſet, veniens ex itinere Moguntiam, ad differentiam Moguntinenſis Albaniæ, de conſilio eius loci Epiſcopi, hunc Albinum, qui ſub Diocletiano ann.* CCLXXXVI. *mēſe Junij* XXII. *paſſus eſt, vocauit. Jta Erhardus VVinheim in Sacrario ſuo Agrippinæ pag.* CXLI. *Vide Serarium noſtrum rerum Moguntiacarum lib.* II. *cap.* XXVIII.

* *aly* 885. Caniſ. in Martyrol. Cratepod. in SS. Germaniæ.

V. KALENDAS AVGVSTI. 28. *Iulij,* *pag.* 15.

NICOMEDIAE S. PANTALEONIS MARTYRIS] *Scripta hæc erant capitalibus, iisque miniatis litteris, quòd ſcilicet hic Patronus ſit templi & monaſterij S. Pantaleonis Coloniæ, vbi Martyrologium hoc exſcriptum eſt. Habent ibi caput ſancti Pantaleonis, quod eò Conſtantinopoli delatum eſt ab Equite Henrico van Vlmen, an. Chriſti* MCCVIII. *Cuius tranſlationis memoria Coloniæ celebratur* XVIII. *Januarij, vt habet Martyrologium Germanicum P. Caniſij. Alius igitur Pantaleon, cuius caput Lugdunum delatum, vt habet Sigebertus in Chronico anno Chriſti* DCCCII. Legati Imperatoris Caroli ab Aaron Amirâ venientes, inter cetera munera, etiam oſſa Cypriani Carthaginiēſis martyris, & Sperati primi Scillitanorum martyrū, & caput Pantaleonis martyris in Franciam adferunt. *Fortaßis hic Pantaleon vnus fuit è ſociis Sperati, aliorumque Scillitanorum martyrum; etſi inter eos Pantaleonis nomen in Martyrologiis non exprimatur. Colligere quis poßit ex Adone in Chronico anno* DCCCVI. Tunc temporis delata ſunt oſſa beati Cypriani à Carthagine cum reliquiis beatorum Scillitanorum martyrum, Sperati ſociorumque eius, & poſita ſunt in Eccleſiâ beati Ioannis Baptiſtę in ciuitate Lugdunenſi. *Non meminit hic Ado Pantaleonis, fors eum ſub Sperati ſociis comprehendens. Quamquam idem in Martyrologio* XVII. *Iulij exprimit caput Pantaleonis, & à reliquiis Scillitanorum martyrum diſtinguit. Agobardus quoque Lugdunenſis Epiſcopus carmine de harum Reliquiarum aduentu Pantaleonis nomen exprimit. Plures igitur fuerint Pantaleones. Certè in Martyrologio Romano* XXVII. *Iulij, & Pantaleonem Medicum Nicomediæ habes, & Pantaleëmonem Vigiliis in Apuliâ. Pantaleon autem & Pantaleëmon idem quibuſdam nomen: nam qui Pantaleon Romano Martyrologio, Pantaleëmon in Menologio dicitur: vbi & alius Pantaleon occurrit* XVII. *Septembris, ſocius Charalampi martyris.*

V. NONAS OCTOBRIS. 3. *Octob.* *pag.* 19.

ATHENIS DIONYSII AREOPAGITAE, SVB ADRIANO DIVERSIS TORMENTIS PASSI, &c.] *Mox* IX. *Octobris*: Pariſijs, Dionyſij Epiſcopi cum ſocijs ſuis à Feſcennino gladio animaduerſi. *Vides auctoritate huius Martyrologij, duos diſtingui Dionyſios die & loco. Nec aliter vetuſti Martyrologi, Beda, Vſuardus, Ado, Notkerus. Ut ſuſpicio eſſe non poßit apud hos aliquid pòſt additum, cùm ipſi, quod in veteri hoc Romano Martyrologio inuenerint, ex fide dederint. Accuratam huiuſce rei diſquiſitionem audio in viri docti manibus eſſe; quare ſuperſedeo.*

IX. KALENDAS NOVEMBRIS. 24. *Octob.* *pag* 21.

DEDICATIO S. PANTALEONIS] *Hoc additum erat ad marginem, poſt Sanctos eo die poſitos. Quare non expreßi in textu. Certum enim hoc adſcriptum poſteà à religioſo S. Pantaleonis, Martyrologij huius exſcriptore, qui ſolemnitatem ſuæ Eccleſiæ hîc*

*quoque exſtare voluit. Nam & Adoni deeſt, qui antiquior eſt illâ dedicatione: cùm ille circa annum Domini* DCCCLXXIX. *vixerit, & Romanum Martyrologium acceperit: Eccleſia verò S. Pantaleonis primùm fundata ſit anno Chriſti* DCCCCLIV. *à Brunone Colonienſi Archiepiſcopo, vti habet Sacrarium Agrippinæ à F. Erbardo VVinheim edito, pag.* CXLI.

17. *Nou.* XV. KALENDAS DECEMBRIS.

*pag.* 23. DEDICATIO S. PETRI AD MAL M̄ DAR] *Nulla huius memoria apud Adonem exſtat: nec dubium mihi, quin & hoc additìtium ſit. Voluit Colonienſis exſcriptor duo antiquiſſima & celeberrima, in Arduennæ ſaltu ad agrum Eburonum, hic intexere monaſteria. Suprà* XX. *April. habuimus* Stabuletum, *vulgò* Stauelo, *hic verò* Malmundarium, *vulgò* Malmedy. *De vtroque ita Sigebertus in Chronico anno Chriſti* DCLI. Rex Sigebertus, de poſteritate prolis deſperans, duodecim monaſteria hinc inde Deo conſtruxit, in quibus STABVLAVS & MALMVNDARIVM eminebant, cooperante ſibi in his Maiore domus Grimoaldo, & Traiectenſium Epiſcopo Remaclo. Qui Remaclus non multò pòſt pertæſus ſæcularium tumultuum, in ipſo STABVLAVS monachicæ vitæ aſſumpſit habitum.

*Quòd verò S. Petro dedicatum ſit Malmundarium, eius rei memoria exſtat apud Notgerum in vitâ S. Remacli* III. *Sept. cap.* XX. *vbi hoc Regis Sigeberti fundatoris diploma:* Sancta ac venerabilia monaſteria STABVLAVS ſiue MALMVNDARIVM cognominata, vbi vir venerabilis Remaclus Epiſcopus & Abba, Chriſto auſpice præeſſe videtur, quæ vir illuſtris Grimoaldus, Maior domus, in honore S. Petri ac S. Pauli vel S. Martini, ſeu ceterorum Sanctorum, ſuo opere in vaſtâ eremi Ardennenſis conſtruxit, quemadmodum nos loca ipſa ad ipſa monaſteria ædificanda pro noſtrâ præceptione ex foreſte noſtrâ conceſſimus, &c.

*Neſcio an de hac primâ monaſterij templique dedicatione intelligendus ſit locus hic Martyrologij. Nec enim certum diem vel Sigebertus vel Notgerus exprimit. Quare certius, ad ſecundam monaſterij templique Malmundarienſis dedicationem reſpicere Martyrologium. Ita enim Geſta* MSS. *Abbatum Malmundarienſium:* XV[us] Abbas Abſalon, anno DCCCI. Hic annò DCCCXVII. Indictione X. renouari fecit monaſterium Malmundarienſe, tempore Ludouici Regis piiſſimi, cuius adiutorio & ſumptu renouatum fuit. Quod XV. Kal. Decembris dedicatur ab VVilliberto Archiepiſcopo Colonienſi. *quod Geſtorum indicium R. P. Ægidio Bouchier, ſtrenuo Chronologiæ indagatori, debeo.*

*De nominis etymo Harigerus Abbas Lobienſis cap.* LV. *de Geſtis Leodien. Epiſc. vbi de S. Remaclo:* Et quia eumdem locum à ſuperſtitionum emundauit pollutione, Malmundarium, quaſi à malo mundatum, placuit vocitare. *Ita videlicet tunc placuit ex ſyllabarum aucupio etymon quoque captare.*

IN

# IN
# ADONIS LIBELLVM
# DE
# FESTIVITAT. APOST.

## IX. KALENDAS DECEMBRIS.

*23. Nou. pag. 37.*

TRANS PONTVM MARE IN EREMO QVOD ADIACET CIVITATI CHERSONAE] *Ad verbum, ex Actis apud Mombritium tom.* 1. *quibus conſentiunt mea* MSS. *Ita Beda quoque & Rhabanus. Menæa* XXIV. *Nouembris*: Ἐν ἐρήμῳ πόλει παρακειμένῃ τῇ Χερσῶνι, in deſertâ ciuitate, quæ adiacet Cherſoni. *Metaphraſtes eâdem die cum Menæis*: Vltra mare & Pontum, in deſertam ciuitatem, ſitam prope Cherſonem. *Ita vides* πόλιν *à quibuſdam coniunctam cum* ἐρήμῳ, *vt quaſi* ἐρημόπολις *ſeu* deſerta-ciuitas *indicetur; ab aliis verò cum* Χερσῶνι, *vt quaſi eremus adiacens ciuitati Cherſonæ inſinuetur.*

*Sed quis locus exilij S. Clementis Papæ fuerit, nondum video clarè explicatum. Breuiarium Romanum ante poſtremam correctionem exhibebat*: A Traiano Imperatore relegatus eſt in inſulam Lyciæ. *nunc pro* in inſulam Lyciæ, *ſubſtitutum*, trans mare Pontum. *Vtrumque in Actis Clementis habes apud Mombritium. Quòd autem Baronius ad diem* XXIII. *Nouembris ait in Actis Clementis nullam de Lyciâ haberi mentionem, rectè quidem, ſi de Actis apud Metaphraſtem intelligat. Nam apud Mombritium tom.* 1. *ad calcem Actorum ita habetur*: Paſſus eſt autem venerabilis Dei Sanctus, Clemens Epiſcopus vrbis Romæ, ſub Traiano Imp. & Aufidiano duce in Cherſonâ ciuitate Lyciæ ſub die IX. Kalend. Decembris. *Quamquam hæc in* MSS. *Actis deſint in fine. Quidquid ſit, creditum olim Clementem paſſum in* Cherſonâ Lyciæ *vel* inſulâ Lyciæ, *vt Breuiarium olim exhibebat.*

*Sed quæ hæc* Cherſona *vel* inſula Lyciæ? *Baronius ad Martyrologium Romanum* XXIII. *Nouemb. reſpiciens, opinor, ad verba Breuiarij Romani ante vltimam correctionem, ait: Quòd autem Lycia Cherſoneſus dicta reperiatur, non vtique ex eâ cauſſâ, quòd ſit in prouinciâ Lyciæ in Aſiâ, in quâ nulla reperitur nominata Cherſoneſus, ſed irrepſiſſe puto errorem, vt pro* Bycia, Lycia *ſcriptum ſit. Alluit enim Bycia palus, ſic dicta à Byco fluuio, Cherſoneſum à ſuperiori parte, vt docet Ptolomæus tab.* VIII. *Europæ. Atque hactenus Baronius.*

*Plauſibilis ſanè coniectura, ſi litterarum affinitatem ſpectes. Sed non eſt paſſus Clemens in Cherſoneſo Byciæ paludi proximâ, ſed in aliâ Inſulâ, Cherſoneſo vel Cherſonæ proximâ. Clarè Acta inuentionis corporis eius apud Petrum à Natalibus in Catalogo SS. lib.* X. *cap.* XCVIII. *quæ & ipſe Baronius recitat tom.* X. *Annalium anno Chriſti* DCCCLXVII. Leo, *inquit*, Epiſcopus Oſtienſis tradit, quòd tempore Michaëlis Imp. Conſtantinopolitani, quidam Philippus Sacerdos Cherſonam veniens, de his quæ narrantur in hiſtoriâ S. Clementis, de maris aperitione habitatores interrogauit. Qui nihil de hoc ſcire profeſſi ſunt, eò quòd aduenæ magis quàm indigenæ erant. Siquidem miraculum illud iamdudum ob habitantium culpam ceſſauerat; & ab incurſu barbarorum templum illud deſtructum erat, & arca cum corpore marinis fluctibus obruta. Tunc aſſumpto Epiſcopo Georgię

T 3 ciuita-

ciuitatis cum Clero & populo acceſſerunt ad Inſulam in quâ putabant eſſe Martyris corpus. Vbi diuinâ reuelatione fodientes corpus inuenerunt, & anchoram cum quâ fuerat in mare proiectum. *Quare alia inſula Cherſonæ vicina inueſtiganda eſt.*

*Venia, ſpero, mihi dabitur, ſi certum exilij locum, in quem Clemens Papa relegatus fuit, coner producere; idque non tam coniecturis, quàm certo indicio. Exiſtimo igitur eum in* Leucam *inſulam (quæ Achillea inſula dicitur) Cherſonæ proximam relegatum. Quòd ſi quis* Leucæ *nomen poſt in* Lyciæ *migraſſe velit, non magnopere refragabor. In Leucam autem inſulam ablegatum Clementem Papam aſtruo:*

*Primò, quia Anaſtaſius Bibliothecarius in vitis Pontificum cap.* IV. *de Clemente ait:* Qui etiam ſepultus eſt in Græciâ. *quem locum Baronius Notation. ad Martyrol. Romanum* XXIII. *Nouembris mendoſum exiſtimauit. At verò ſanum eſſe vel inde patet, quòd Marius Niger, homo Geographiæ peritiſſimus, aſſerit etiam hodierno die* Leucam *inſulam vocari vulgò* Græciariam. *quod quàm parum abit ab Anaſtaſij* Græciâ? *apud quem fortè etiam* Græciaria *legendum quis diuinauerit. Fortè* Græcia *vel* Græciaria *dicta ea inſula, quòd Taurica Cherſoneſus, in quâ hæc inſula teſte Ammiano Marcellino lib.* XXII. *plena ſit coloniarum Græcarum, vt ibidem habet.*

*Secundò, quia hæc inſula exilijs aptiſſima, quia deſerta. Arrianus in Periplo Ponti Euxini:* Ἡ δὲ νῆσος ἀνθρώπων μὲν ἐρήμη ἐστιν. Inſula hæc deſerta eſt ab hominibus. *Ammianus Marcellinus lib.* XXII. In hac Tauricâ (*Cherſoneſo*) inſula Leuce ſine habitatoribus vllis Achilli eſt dedicata. In quam ſi fuerint fortè quidam delati, viſis antiquitatis veſtigiis, temploque & donariis eidem Heroi conſecratis, veſperi repetunt naues. Aiunt enim non ſine diſcrimine vitæ illic quemquam pernoctare. *Atqui in Actis Clementis locus exilij eius* ἔρημος *ſeu deſertus dicitur.*

*Tertiò, quia inſula illa tota ſaxoſa. Vnde Feſtus Auienus in Orbis terræ deſcriptione:*

——— vbi concaua vaſto
Cedit in antra ſinu rupes; vbi ſaxa dehiſcunt
Molibus exeſis, & curuo fornice pendent.

*Iam verò in Actis Clementis habes:* Inuenerunt ibi ad ſecanda ſaxa ampliùs quàm duo millia Chriſtianorum, diuturnâ relegatione damnatos.

*Atque hæc de inſulâ, in quam S. Clemens Papa relegatus fuit, diſputata ſunto; tum ad lucem veteris Breuiarij, tum ad Anaſtaſij lectionem ſtabiliendam & explicandam. quæ omnia doctiorum iudicio ſubmitto, non tam docere quàm diſcere paratus.*

## VI. NONAS IVLII.

*2. Iulij, pag. 40.*

MAGISTRIANI MELLOPRINCIPI] *Locus hic mirè hactenus deprauatus fuit. Ado vulgatus legit:* Magiſtri Animelli principis. *Surius in Actis horum Martyrum* II. *Iulij:* Magiſtriani Melloprincipis; *notatque in margine*, Animelli. *Ita vel* Mellum *vel* Animellum *proprium Principis alicuius nomen exiſtimarunt. Mombritius tom.* II. *in horum Actis habet:* Magiſtri Principes. *quem puto* Mello *vel* Animello *omiſiſſe, tamquam nihili verbum. Vera lectio eſt, quam exhibui, quæ nunc explicanda.*

Magiſtriani *ſeu* Magiſteriani *ex officio ſunt militiæ Palatinæ, qui &* Agentes in rebus. *Gloſſæ Latino-Græcæ:* Agens in rebus, Μαγιστριανός. *quos eoſdem cum* Caſtrenſiis *ſeu* Caſtrenſianis *faciunt Gloſſæ Baſilicorum, in quibus* Μαγιστριανός, ὁ Καστρήσιος. *Codex Iuſtin. l.* XII. *diuerſo titulo Agentes in rebus à Caſtrenſianis diſtinguit. Caſtrenſiani tamen etiam Magiſtro officiorum ſuberant (vti Magiſtriani) vt habet titulus* XXVI. *Alij ſunt Magiſteriani apud Suidam, qui & Καστρίσιοι dicti à* καστρίω, caniſtro, *qui magiſtratus eſt Eccleſiaſticus: vide Meurſium in Gloſſario Græco-barbaro. In Gloſſis Baſilicorum* Μαγιστριανός *dicitur quoque* Μανδάτωρ. *Magiſteriani occurrunt in Actis ſancti Abercij Epiſcopi Hieropolitani* XXII. *Octobris apud Metaphraſtem, vbi Antoninus*

*Imp.*

*Imp.* Valerium & Baſſianum Magiſterianos diuinorum noſtrorum officiorum miſimus. *Et apud Euagrium lib.* III. *cap.* XVI. Οὐ περὶ τοὺς Μαγιστριανοὺς ἀπεστάλησαν. *Malchus in Byzanticis* : Ἀδαμάντιος δὲ ταῦτα πυθόμενος, περιπέμπει τῶν ἱππέων τῶν βασιλικῶν τινὰ, οὓς Μαγιστριανοὺς καλοῦσι.

Melloprinceps *eſt, qui proximus eſt principatui, qui proximè futurus Princeps. Ita* μέλλων *Græcum & cum Græcis & cum Latinis vocibus componitur. Græca compoſitio notior, quàm vt exemplis ſit opus. Latina rarior. Apud IC*[tos] *habes* Melloproximos, *Cod. Iuſtin. lib.* XII. *tit.* XIX. L. V. VII. *&* XIV. *id eſt, qui proximi ſunt ad gradum proximatus, ſeu qui futuri ſunt proximi Scriniorum.*

*Sed quis hic* Princeps, *cui proximus eſt* Melloprinceps? *Turbat hic varia Codicum lectio. Si legas*, qui erant Magiſtriani Melloprincipi *vel* Melloptincipis, *videtur inſinuari, quòd Proceſſus & Martinianus mox futuro Principi alicui inſeruierint. Sed nullus Neronis Imperio proximus fuit ad principatum. quippe cui nec proles fuit, qui Princeps iuuentutis eſſe poſſet, nec vllus alius adoptatus. Quare veriorem lectionem hanc quorumdam* MSS. *iudico* : qui erant Magiſtriani Melloprincipes. *Inter Magiſtrianos ſeu Agentes in rebus quidam erant Principes. Unde Cod. Iuſtin. lib.* XII. *titulus eſt* XXII. De principibus agentium in rebus. *vbi* L. I. *dicitur* : Agentes in rebus poſt palmam laboris emeriti principatus honore remuneramus. *Hinc qui proximi erant huic principatui, dicebantur* Melloprincipes. *Tales erant Proceſſus & Martinianus, non* Magiſtriani *tantùm, ſed &* Melloprincipes. *Formulam Magiſteriæ dignitatis, cui ſubſeruiebant Magiſtriani, & de eius excellentiâ habes apud Caſſiodorum lib.* VI. *form.* VI. *vbi eius officia exprimuntur; & tandem dicitur:* Sic nominis ſui grauitate perfunctus ornat actibus principatum. *Et pòſt* : Officium verò eius tantâ genij prærogatiuâ decoratur, vt militiæ perfunctus muneribus, ornetur nomine principatus.

IV. KALENDAS SEPTEMBRIS. 29. *Aug.*

QVOD DEINCEPS EMESAM, &c.] *Loco huius clauſulæ Euerbodienſis Codex ſubſtituit, ſed recentiore manu* : Quod inuentum, ſed negligenter ſeruatum, perditum fuit. Sed ab aliis inuentum apud Ediſſam ciuitatem Phœnicię delatum, & ignobiliter repoſitum latuit, donec Iurioramus eiuſdem ciuitatis Epiſcopus, indicante Marcello Abbate, cui ſe, caputque ſuum idem Ioannes oſtenderat, reinuentum honorificè collocauit, & ex eâ die decollatio eius celebrata eſt. *Vide apud Adonis Martyrologium* XXIV. *Februarij de hac re fuſiùs. Sigebertus in Chronico anno Chriſti* DCCLXI. *iuxta Aquicinctinum & Ortelianum codicem*: Caput Ioannis Baptiſtæ in Emeſâ ciuitate transfertur. *Vbi ex Lipſiano codice alia fuſior attexitur hiſtoria.* Caput Ioannis Baptiſtæ ab Alexandriâ in Aquitaniam transfertur hoc modo. Quidam laudabilis vitæ monachus, nomine Felicianus, ex Galliarum partibus, cum paucis ſociis Ieroſolymam gratiâ orationis adiit, & poſt expleta piæ deuotionis obſequia, angelicâ allocutione commonitus, Alexandriam expetiuit, & caput Baptiſtæ Ioannis à loco in quo olim à Theophilo, eiuſdem vrbis Epiſcopo, reconditum fuerat, eodem Angelo reuelante ſuſtulit, & ad Aquitaniam in territorio Engoliſmo detulit. Pipinus Rex tunc morabatur ibidem in palatio, quod Angiriacum dicitur, cernenſque per eum quotidiana indigenis beneficia, ſibique crebras ex hoſtibus Aquitanicis victorias prouenire, regij operis baſilicam conſtruxit, non longè à Vultumi fluminis litore, & in eâ, ciborio conſtructo mirifici operis, caput decenter adornatum recondidit Præcurſoris. Monachorum etiam cœnobium illic conſtituit, & prædiis regiis magnificè ditauit. Idem Rex fecit fontem lacunarium, de quo à duobus ferè millibus ſub terrâ, per ædificia cœmentaria in palatium eius aquæductus influebat, & ipſam diuidens aquam, in baſilicam ſancti Ioannis Baptiſtæ per ferrum & æs

*Pag.* 43.

introduxit, ita vt ſub ciborio pet marmoream columnam interiùs concauam ebullitet, ibiq; ſacri Baptiſmatis ablutio, in honote Domini noſtri IESV Chriſti & ſancti Ioannis Baptiſtæ fietet, atque iterùm in ipſa lacunaria temearet. Hoc cœnobium Angliſz vocatur. *Hactenus apud Sigebertum, à Miræo, amico noſtro, recenſitum.*

# IN

# ADONIS ARCHIEP. VIENN.

## MARTYROLOGIVM.

Pag. 48. LITANIAE INDICENDAE] *Hoc ſingulis menſibus in* MSS. *tribus præmittitur. Unde apparet, olim initio cuiuſque menſis Litanias indictas fuiſſe: ſed quæ illæ, & quo die celebratæ, non habeo affirmare. Præter duas per totam Eccleſiam ſolemniſſimas Litanias*; maiorem *videlicet, auctore Magno, vt fertur, Gregorio, quæ* XXV. *Aprilis, qui D. Marco fixus & permanens dies ſacer eſt, peragitur; &* minorem, *auctore Mamerto Viennenſi Archiepiſcopo, cui triduum rogationum ante Domini aſcenſionem impenditur; plures aliæ Litaniæ in anno celebrari ſolitæ pro Eccleſiarum diuerſitate. Gregorius Magnus lib.* VII. *epiſt.* LXXVI. *Indict.* II. *ad Caſtorium Notarium Rauennæ, quatuor aut quinque ſolemnium meminit Litaniarum, quibus Epiſcopus Rauennatium pallio vtebatur, cuius vſum eidem concedi non vult in aliis Litaniis communibus, ſeu non ſolemnibus.*

*Menſtruanarum aliquot Litaniarum, certo ſolemnitatis die, meminit Anaſtaſius Bibliothecarius in vitis Pontificum, in Sergio* I. *circa annum Domini* DC. LXXXVII. Conſtituit autem, vt diebus Annuntiationis Domini, Natiuitatis & Dormitionis ſanctæ Dei genitricis ſemperq́ue virginis Mariæ, ac S. Simeonis, quod Hypapantem Græci appellant, Litania exeat à S. Adriano, & ad ſanctam Mariam populus occurrat. *Vbi* II. *Februarij diem habes pro Hypapante*; XXV. *Martij pro Annuntiatione Dominicâ*; XV. *Auguſti pro Dormitione S. Dei Genitricis*; XXV. *Decembris pro Domini Natiuitate.*

*Hebdomadariarum Litaniarum, & quidem ſtato Sabbati die, mentio apud eumdem Anaſtaſium in Honorio* I. *circa annum Domini* DC. XXVI. Hic fecit conſtitutum in Eccleſiâ, & decreuit, vt per omnem hebdomadam Sabbato die, exeat Litania à B. Apollinare, & ad B. Petrum Apoſtolum cum hymnis & canticis populus omnis occurrere debeat. *Apud eumdẽ in Stephano* III. *circa annũ Chriſti* DCCXXXII. Hic beatiſſimus vir pro ſalute prouinciæ, & omnium Chriſtianorum, omni Sabbatorum die, Litaniam omni poſtpoſito neglectu fieri ſtatuit, vno quidem Sabbato ad ſanctam Dei genitricem Ad præſepe; alio verò ad B. Petrum Apoſtolum, & alio ad B. Paulum Apoſtolum.

*Pridianæ Litaniarum indictionis memoria exſtat apud Gregorium* I. *Papam lib.* XI. *Regiſtr. cap.* II. Craſtinâ die primò diluculo ad ſeptiformem Litaniam iuxta diſtributionem inferiùs deſignatam deuotâ mente cum lacrymis veniamus. *Quæ Litania procedebat* XXX. *Auguſti die. De quâ vide Baronium tom.* VIII. *Annalium anno Chriſti* DXC. *& aureolos Serarij noſtri libellos Litaneuticos.*

*Litaniarum Sanctorum originem refert VValafridus Strabo ad Martyrologium. Ita enim ille lib. de rebus Eccleſ. cap.* XXVIII. Litania autem Sanctorum poſteà creditur in vſum aſſumpta, quam Hieronymus Martyrologium, ſecutus Euſebium Cæſarienſem, per anni circulum conſcripſit.

V. IDVS IANVARII. *9.Ian.*

OLEOQVE INFVSO LICINIIS MANVS ET PEDES EORVM LIGANTVR] *Pag. 52.* *Ita reſtitui ex* MSS. *Malè vulgò* lignis *pro* liciniis. *quod poſterius, quia rarius eſt, & minùs intellectum, errorem rati,* lignis *ſubſtituere. Sed qui lignis pedes & manus ligentur?* Liciniis *igitur ligati, id eſt, funiculis ſtuppeis aut xylinis, è quibus candelarum ellychnia fiunt, materiâ vtique, cui oleum infundatur, aptâ. Iſidorus Orig. lib.* XX. *cap.* X. Lucerna à licinio dicta eſt, vnde & breuis eſt lux, vt Perſius:

Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.

Si enim à luce diceretur, non ſtaret verſus. Licinius autem quaſi lucinius; eſt enim cicindela lucernæ. *Vide eumdem lib.* XIX. *cap.* XIX. *& lib.* XVII. *cap.* VI. *Gloſſarium Camberonenſe* MS. Lucinium dicitur illud, quod de licinio candelæ ardentis in fumo exſtinguitur. *Omitto alia recentiorum Gloſſographorum loca.*

IV. IDVS IANVARII. *10. Ian.*

ET ADVENTIO SANCTI MARTYRIS HERMETIS] *Non rectè in vulgato* Inuentio. *Pag. 53.* *Intelligit enim S. Hermetis tranſlationem Româ in Gallias. Atque huc refer, quod Molanus exactiſſimus Sanctorum hiſtoriæ indagator, in natalibus SS. Belgij ad diem* XXVIII. *Auguſti notat, ſe in vetuſto quodam Martyrologio annotatum obſeruaſſe:* IV. Idus Ianuarij, Aduentio S. Hermetis martyris apud Indam. *Atque hæc de die primæ Tranſlationis. Annum exprimit Sigebertus in Chronico* DCCCLI. Reliquiæ S. Hermetis martyris per Lotharium Imperatorem in Gallias mittuntur, & apud Indam monaſterium honorificè conduntur. *Inda locus eſt iuxta Aquiſgranum, vbi S. Cornelij monaſterium, in quod hæ reliquiæ primò fuere illatæ. Inde Rothnacum, quæ villa Brabantiæ eſt, anno* DCCCLX. *deducta* VI. *Iulij, vt habetur in Martyrologio propriæ Eccleſiæ:* Ipſo die, Tranſlatio corporis S. Hermetis martyris in Rothnaco. *Hinc Danis Belgicam vaſtantibus, Othone Imperatore rurſus Indam relata. Poſt rebus pacatis ad Rothnacenſes rediere.*

XVI. KALENDAS FEBRVARII. *17. Ian.*

LIGATIS MANIBVS SVRSVM, ET PEDIBVS IVSVM] *Ita conſtanter* MSS. iuſum *Pag. 55.* *vel* ioſum: *pro* iurſum, iorſum, *pro quo vulgò ſubſtitutum,* deorſum. *Sic infrà* XIV. *Maij:* Deinde triduo capite iuſum ſuſpendi; *vbi non rectè vulgatus:* deinde iuſſit capite ſuſpendi. *Præceſſit enim* iuſſit. *quod & illi membro reſpondet. Iuſſit igitur Sebaſtianus Dux Alexandriæ Victorem* capite iuſum ſuſpendi, *id eſt, deorſum. Non dubium mihi, antiquum aduerbium eſſe, eâ formâ, quâ* ſuſum. *Habes apud Varronem libro* IV. *de LL. & Catonem de re RR. cap.* CLVII. *pro* ſurſum. *Ita* ſuſum, iuſum *vel* ioſum *olim dictum, quod poſteà* ſurſum, iorſum *ſeu* deorſum. *Scaliger quoque ad lib* V. *Manilij ex vetuſtiſſimo Martyrologio prid. Eid. Maij citat,* capite iorſum ſuſpendi: *qui hic ipſe locus eſt* XIV. *die Maij, quem produxi.*

VII. KALENDAS FEBRVARII. *26. Ian.*

IVSSERVNT PROPIVS ACCEDERE CONFECTORES] *Euſebius lib.* IV. *cap.* XIV. *Pag. 58.* *hoc ipſo Latino* confectoris *verbo in eâdem de Polycarpo narratione vtitur:* Πέρας γοῦν ἰδόντες οἱ ἄνομοι μὴ δυνάμενον τὸ σῶμα ὑπὸ τοῦ πυρὸς δαπανηθῆναι, ἐκέλευσαν προσελθόντα αὐτῷ κομφέκτορα παραβῦσαι τὸ ξίφος. *vbi Chriſtophorſonus* κομφέκτορα carnificem *vertit.* Ad extremum igitur cùm nefarij & impij homines eius corpus ab igne minimè poſſe conſumi viderent, carnifici mandata dederunt, vt propiùs ad rogum progreſſus, illum enſe conſtricto confoderet. *Sed propriè* confectores *ferarum ſunt, vt apud Suetonium Auguſto cap.* XLIII. In circo aurigas curſoreſque, & confectores ferarum, & nonnumquam ex nobiliſſimâ iuuentute, produxit. *Non plura de his, quia res iam nota. Quod in Gloßis Baſilicorum eſt* κομφέκτωρ, κατασκευαστής, *non eſt* confector, *vt exponit Meurſius in Gloſſario Græco-barbaro, ſed* compactor, *huc non ſpectans.*

X. KA-

20. Febr. X. KALENDAS MARTII.

pag. 65. Bestiarvm morsibvs martyrivm complevit] *Ita* MSS. *Malè vulgò*, compleuerunt. *Nec enim Tyrannio & Syluanus Epiſcopi, pari mortis genere palmam martyrij adepti ſunt. Nam Tyrannio non beſtiis fuit obiectus, ſed in mare demerſus. Euſebius libro* VIII. *cap.* XXV. Ὁ μὲν θαλαττίοις παραδοθεὶς βυθοῖς ὁ ἐπίσκοπος, Tyrannio Epiſcopus in profundos maris vortices demergitur. *De Syluano verò & aliis ſociis:* Ἀλλὰ οὗτος μὲν θηρίων βορὰ μεθ' ἑτέρων ἐπ' αὐτῆς Ἐμίσης γενόμενος, χοροῖς ἀνελήφθη μαρτύρων. Hic Syluanus cum aliis in eâdem vrbe Emesâ beſtiarum præda factus, in Martyrum chorum relatus fuit.

24. Febr. VI. KALENDAS MARTII.

pag. 65. In libro Sacramentorvm] *Intelligit, opinor, librum Sacramentorum diui Gregorij, in quo* IV. *Kalendarum Septembrium habes:* Eodem die, decollatio ſeu paſſio S. Ioannis Baptiſtæ. *Quem librum duo Gregorio aſſerit doctiſſimus Pamelius in Prolegomenis ad tomum* II. *Liturgicorum.*

11. Mar. XV. IDVS MARTII.

pag. 69. Sanctorvm corpora birotis id est plavstris svperposita] *Explicatio hæc* birotarum, *quæ vulgato deerat, ita erat in* MSS. Birota, *vehiculi genus, nomen ſuum à duabus rotis ſortitur. Infrà etiam occurrit* XIII. *Iunij, vbi non* birota *ſed* biroris *dicitur:* Et per noctem in birote perduxit ad caſellam ſuam. *Mentio eius in Cod. Theod. de curſ. publ.* Statuimus rhedæ mille pondo tantummodò ſuperponi, birotæ ducenta, veredo triginta.

10. Maij. VI. IDVS MAII.

pag. 87. In Tellvde] *Idem occurrit infrà* XXX. *Iulij, &* VI. *Auguſti. Acta* MSS. *Cornelij Papæ* XXIV. *Septembris:* Exhibituſque eſt ei noctu, & in Tellude, Præfecto quoque Vrbis præſente auditus. *Acta Hippolyti, Euſebij & ſociorum,* II. *Decemb.* In Tellude ſibi tribunal parari fecit. *Templum eſt, in quo ſæpè Senatus cogi conſueuit, vt apparet ex Cicerone, Dione & alijs. Vbi locus hic fuerit, exprimunt Acta Abundij & ſociorum:* Iuſſit Diocletianus produci Sanctos de cuſtodiâ Abundium & Abundantium, & præſentari in Tellude, in foro, ante templum. *Omninò videtur compoſitum, vt* Telludis *ſit quaſi* Telluris *ædes.*

XVII. KALENDAS IVLII.

25. Iunij. Catomis caedi.] *Infrà* XVIII. *Nouembris* catomo ſuſpendi. *Exiſtimo*

pag. 105. catomis & catomò *aduerbialiter vſurpata. Nihil enim eſt aliud quàm ſuſpendi vel cædi capite deorſum: quod fiebat maximè in pueris, cùm ex alterius humeris, erectis in altum pedibus ſuſpendebantur: quod & viris & feminis quandoque ignominiæ cauſſâ factum. Acta S. Afræ* V. *Aug.* Catomis nudam te cædi iubebo. *quod ineptè Scaliger ad Manilij librum* V. *interpretatur,* nudatam in ceruice plumbatis cædi. *Victor libro* I. *perſec. VVandal.* Quodam tempore venerabilem ſenem in publicâ facie catomis ceciderunt. *Ariſtoph. in Irene & Acharn. dicitur* κατωκάρα. *Ioſepho lib.* V. *cap.* X. *antiq. Iudaic.* κατακάρα.

27. Iunij. V. KALENDAS IVLII.

pag. 110. Ad septem Biothanatos.] *Chriſtiani olim ab Ethnicis ignominiæ cauſſâ* Biothanati *dicti, quòd tam promptè ſe morti exponerent, & violentâ morte è vitâ excederet, non naturali. Infrà* III. *Sept.* Biothanata & malefica. *Apud magicæ vanitatis auctores vox hæc vſitata, vt oſtendit Tertullian. lib. de Animâ cap.* LVII. Aut optimum eſt hîc retineri, ſecundùm ahoros: aut peſſimum, ſecundùm Biæothanatos, vt ipſis iam vocabulis vtar, quibus auctrix opinionum iſtarum Magica ſonat. *Item apud Phyſicos Seruius* IV. *Æn.* Dicunt Phyſici, biothanatorũ animas non recipi in originem ſuam. *Apud Genethliacos vox ea crebra. Lampridius in Heliogabalo:* Et prædictum eidem erat à ſacerdotibus Syris, biothanatum ſe futurum. *Sic apud Iulium* Firmi-

